NOUISSIMA PRAXIS THEOLOGICOLEGALIS IN VNIUERSAS DE...

Gregorio Rosignoli

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
1 L
29

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

27
A
18
13-17. B. 16

Digitized by Google

Digitized by Google

D. GREGORII ROSIGNOLI DE CAMBIIS, ET PERMVTATIONE.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVISSIMA PRAXIS
THEOLOGICOLEGALIS
IN VNIVERSAS DE CAMBIIS;
ET PERMVTATIONIBVS CONTROVERSIAS.

AVCTORE

D. GREGORIO ROSIGNOLO
EX CLER. REG. SANCTI PAVLI.

Editio Secunda.

EXPVRGATA, ET ADAVCTA
CVM DVPLICI INDICE, ALTERO TITVLORVM,
altero rerum locupletiſſimo.

SOC. IESV. BIBL. SEC. COLL. ROM. IHS



MEDIOLANI, M.DC.XCVII.

Typis Ioſephi Pandulfi Malateſtæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
Titulorum, Prænotionum, Diſquiſitionum, & Paragraphorum.

CONTRACTVS V.

De Cambijs I.

Prænot. 1 De multiplici acceptione Cambij, & quid propriè ſit, & quotuplex. 2
2 An cambiorum negotiatio propter quæſtum, ſeu lucrum ſit licita. 4
3 An campſor ex cambio poſſit percipere aliquam vtilitatem, & qua ratione. 5
4 Aſſignantur variæ rationes in particulari, ob quas in cambijs poſſit percipi, vel non percipi aliqua vtilitas ſuprà valorem pecuniarum. 10
5 An licitum ſit miniſtro publici campſoris in ſolutione literarum bancheriarum, aliquid in pecunijs acquirere, quandò pecuniarum valor ex vſu fori non conſiſtit in indiniſibili. 21
6 Explicantur nonnulla quoad cambia ſicca. 24
7 Nonnullæ quæſtiones ad hanc materiam ſpectantes diluuntur. 32
8 Exponitur quoddam cambij genus, & inquiritur an ſit licitum. 37
9 De Iniuſtitia cambiorum ex Monopolijs. 39

DISQVISITIONES

In vniuerſam materiam hucuſque agitatam.

§. 1 AN in Cambio debeat ex neceſſitate reſtitui diuerſa in ſpecie, vel numero pecunia. 41
2 An non impleto ex vtraque parte cambio liceat alteri ex contrahentibus à contractu reſilire. 43
3 An in cambio minuto licitum ſit lucrum, quandò campſor, ſeu nummularius pro pecunia aurea dat minutam. 44
4 An lege publica prohiberi poſſit, ne quis præter publicos campſores cambia minuta factitet, & quid ſi factitet contrà talem legem 46
5 An, qualis, & quanta debeat eſſe prouiſio pro Cambijs. 50
6 An pro vnico cambio poſſit quis recipere plures prouiſiones. 52
7 An reſpectu diuerſarum perſonarum quis exequendo idem negotium in Cambijs poſſit duplicem exigere prouiſionem. 55
8 An duplex poſſit exigi prouiſio, quandò per creditum aduerſus vnum ſoluitur debitum aduerſus alterum ex eadem remiſſa. 56
9 An poſſit ſemper in recambijs, & Continuationibus exigi prouiſio, & in ea quantitate, in qua poteſt exigi in primo cambio, ſeu in prima celebratione cambij. 57
10 An poſſint exigi æquales prouiſiones in recambijs, quæ exiguntur in cambijs, etiam quandò campſores recipiunt fideiuſſores, & pignora. 60
11 An prouiſiones poſſint adijci ſorti, vt cambium magis augeatur. 61
12 An ex prouiſionibus cambiorum, & recambiorum debitis, & non ſolutis, nec poſitis ex conuentione partium in augmentum eorundem cambiorum poſſit licitè exigi intereſſe. 62
13 An campſores poſſint nolle acceptare ſolutionem ſortis, niſi ſimul ſoluatur intereſſe cambiorũ. 64
14 An cambium per campſorem initum bona fide, quod campſarius habeat in loco, ad quem ſit cambium, qui ſoluat, & tamen non ha-

Digitized by Google

habet, poſſit eſſe lucratorium reſpectu campſoris. 66
15 *An tanta debeatur prouiſio pro cambio magno, ac pro paruo.* 67
16 *An ex maiori temporis protractione poſſit maius intereſſe exigi in cambio.* 68
17 *An campſor, qui in nundinis ſuas occultat pecunias, vt cambiorum pretia augeantur, peccet contrà iuſtitiam.* 70
18 *An ſi pecunia in valore legali decreſcat, quæ fuerat depoſita penes campſorem, vt illam implicaret in cambijs, quaque campſor in proprijs negotijs vſus fuerit, antequam implicarentur in cambijs, decreſcat campſori, an deponenti.* 75
19 *An pecunia decreſcat tradenti eam ad cambium, ſi decreſcat, antequam alter reſtituerit, an verò recipienti.* 80
20 *Cui cedat periculum pecuniæ reſtituendæ poſt ſolutionem factam per campſuarium, & literarum dationem à campſore.* 81
21 *An creditor literarum cambij, ſi acceptet alias literas cambij à debitore ſui debitoris, liberet ſuum debitorem à debito.* 86
22 *An ceſſio nominis debitoris abſentis facta creditori eximat debitorem ab onere reſtitutionis.* 87
23 *An Ceſſionarius per modum participationis cedens alteri ſimplicitèr eundem numerum ſibi ceſſum, ſi hic ſecundus attenta pari ceſſione per modum participationis non habet numerum ſibi ceſſum poſſit agere contrà cedentem.* 89
24 *An liberetur debitor à debito, ſi campſor ad ipſius inſtantiam promittat creditori ſe ſoluturum, ſed ante ſolutionem vergat in decoctionem.* 90
25 *Quid agendum, quandò reſpondens campſoris non acceptat literas cambijs, & quid in hoc caſu operetur proteſtatio.* 92

CONTRACTVS V.

De Cambijs II.

Prænot. 1 *QVot modis fiat cambium locale, & an vtile, & licitum ſit.* 94
2 *An poſſit campſor lucrari, quandò recipit pecuniam in loco, in quo ea indiget, vel dat, vt recipiat in alio loco, vbi ſimilitèr indiget, & quid, ſi fiat in obſequium vtriuſque.* 107
3 *An inito cambio cum onere reſpectu campſuarij ſoluendi lucrum poſſit idem campſuarius ob moram campſoris in ſoluendo conuenire de ceſſatione illius lucri conuenti.* 111
4 *De praxi cambiorum localium.* 113
5 *An quandò pro campſario reſpondet Procurator campſoris, cambium cum lucro ſit iuſtum, an verò vſurarium.* 114
6 *An cambium ſecundum, quod fit Romæ in hypotheſi præcedentis aſſertionis, quo aliæ literæ à reſpondente campſoris remittuntur Mediolanum, habeat eaſdem prælationes, quas habebat primũ celebratum Mediolani.* 121
7 *An intereſſe primi cambij ſoluendum in loco, in quo ipſum cambiũ debet ſolui, poſſit ſimul cum illo fieri capitale ſecundi.* 124
8 *An campſor in hypotheſi difficultatis propoſitæ in prænotione quinta poſſit per ſe ipſum præſtare ſine literis id, quod præſtat per ſuum reſpondentem cum literis.* 125
9 *An ſi reſpondens campſoris, qui ſuſcipit etiã partes campſuarij non habeat Romæ, nec pecunias proprias, nec campſoris, habeat tamen credita, vel propria, vel campſoris in alio loco exigibilia poſſit validè & licitè ſecundum cambium per illa inire Romæ in fauorem campſuarij.* 128
10 *An ſi in loco ſolutionis apud reſpondentem campſoris non ſit nec pecu-*

Digitized by Google

cunia, nec aliud creditum præter illud, quod contraxit campſuarius per primum cambiũ poſſit licitè illud creditum transferri in eundem campſuarium, & ex illo conſtitui ſecundũ cambium cũ extinctione primi. 130

11 *An dans pecuniam ad cambium locale poſſit exigere à campſario pignus, & fideiuſſionem.* 132

12 *De varijs ſcripturarum generibus, ſeu formulis regularitèr interuenientibus in cambijs localibus.* 134

13 *De tertio modo concipiendi ſcripturam cambij, ſcilicet per literas.* 137

14 *De alijs literarum formulis ad cambia diuerſa.* 141

15 *De proteſtationibus in cambijs, & in reditu literarum.* 144

16 *An ſi pro cambio datus ſit fideiuſſor, & campſuarius ob moram ſolutionis obligetur ad intereſſe, & ad intereſſe de intereſſe intelligatur etiam fideiuſſor obligatus ad idem intereſſe ſucceſſiuè, vſq; ad integrã ſolutionem.* 158

17 *Quonam tempore ſint perſoluendæ literæ, quæ diriguntur pro cambijs.* 160

18 *De probationibus, quæ requiruntur adhoc, vt poſſit exigi interesſe ex mora.* 164

19 *An detur exceptio pecuniæ non numeratæ cõtrà literas cambij.* 170

20 *De obligationibus quæ oriuntur ex receptione literarum.* 176

21 *De Nouationibus, & delegationibus, quæ intercedere poſſunt in cambijs.* 183

22 *De Bancherijs, eorumque muneribus.* 195

23 *De praxi Bancheriorũ exigentium quinque, vel ſex pro mille pecuniæ in banco depoſitæ.* 199

24 *An licitus ſit mos deponentium in bancho, qui quandò bancherij ex pecunia depoſita magnũ lucrum, reportant quatuor vel quinque, vel etiam plura exigunt pro depoſito ab eiſdem bancherijs.* 202

DISQVISITIONES I.

Ad primam, ſecundam, tertiam & quartam præpoſitam prænotionem.

§. 1 *AN poſſit interuenire vſura, quandò campſor prius recipit pecuniam, vt alibi ſoluat tàm reſpectu eiuſdem campſoris recipientis, quam campſuarij ſoluentis.* 204

2 *An vſuraria ſit conuentio, quà ſoluens prius pecuniã obligat nummularium ad eandem reſtituendum intrà tres menſes in loco primi contractus cum lucro recambij.* 207

3 *Quid ſentiẽdum de modo cambiendi, quem vocat* dell' Agio. 210

4 *An lucrum in cambio poſſit eſſe ad proportionem intereſſe mercaturæ quam non exercet.* 213

5 *An licitum ſit cambium non nundinale expectata ſolutione ad certum tempus cum onere conuento lucri nundinalis reſpectu campſuarij.* 215

6 *Quomodò in cambio cohæreat locatio cum translatione dominij in recipientem pecunias.* 217

7 *An diſtantia localis requiratur formalitèr in cambio, an ſufficiat æquiualentèr.* 219

8 *An publicus campſor teneatur facere cambium ad locum, ad quem petit campſarius modo petat pro loco, ad quem campſor ſolet dare literas.* 222

9 *De iuſtitia, vel iniuſtitia cambiorũ, quæ celebrantur in Hiſpania pro Indijs occidentalibus.* 225

10 *An Nauium Gubernatores, ſeu Magiſtri, qui acceperunt cum illo onere, poſſint licitè viatoribus partem aliquam eiuſdem pecuniæ dare cum onere proportionati intereſſe.* 227

11 *An cambium ex ſuſcepto officio, ſeu obligatione præcedente ad cambiendum poſſit fieri etiam pro*

 ma-

maiori pretio. 230

12 *An cambium poſſit licitè contrahi cum debitore idoneo pro minori lucro, vt is pro maiori contrahat cum non idoneo.* 232

13 *An pretium cambiorum non nundinalium poſſit eſſe certum, vel incertum.* 233

14 *Vtrum cambiorum pretium inter campſores variari poſſit.* 235

15 *An ſubſiſtat cambium, quo creditur campſarius ſoluturus etiam poſt ſuperuenientem ſcientiam, quod non ſit ſoluendo.* 236

16 *An creditor ex quauis cauſa poſſit conuenire cum debitore, vt poſſit pecuniam ſibi debitam accipere ab cambium, illamque retinere in cambijs, & recambijs vſque ad integram ſolutionem, & exigere intereſſe pro illis.* 243

17 *An facta tali facultate per debitorem creditori onus ſoluendi intereſſe tranſeat etiam ad hæredes eiuſdem debitoris.* 247

18 *An creditor ad exigendum à debitore intereſſe cambiorum, & recambiorum per facultatem ſibi conceſſam neceſſe ſit, vt in effectu vtatur illa facultate, & doceat de vſu illius.* 249

19 *An ſi creditor habita à debitore prædicta facultate bona fide contraxerit huiuſmodi cambia, ſed inualidè ex aliquo defectu ſubſtãtiali non cognito poſſit agere ad intereſſe contrà debitorem.* 251

20 *De Cambio ad incertam ſolutionem.* 257

DISQVISITIONES II.

A quinta ad vndecimam Prænotionem excluſiuè.

§. 1 *AN campſor poſſit per conuentionem obligare campſuarium, vt potius ſecum, quam cum alio recambium ineat.* 258

2 *An campſor, qui per plura cambia, & recambia, ſiuè ab eodem, ſiuè à diuerſis exigit plura modica ſupra iuſtitiam, quæ tamen conſtent magnam ſummam teneatur ſub læthali ad reſtitutionem eorundem.* 260

3 *An in cambijs, & recambijs eiuſdem pecuniæ poſſit exigi intereſſe de intereſſe, vt duplo excedat quantitatem ſortis.* 262

4 *An poſſit quis creditor conſequi lucra cambiorum, & recambiorum ſine cambio.* 264

5 *An in cambio* della ricorſa *reſpondens campſoris poſſit ex pecunia ipſius mandantis ſoluere.* 268

6 *An in recambio poſſit perſeuerare idem debitor, qui fuerat debitor cambij, & quomodò.* 271

7 *An poſſit fieri recambium ſine obligatione eius, cui dirigitur tracta.* 273

8 *An cambium, & recambium poſſit quis per nuntios celebrare, & an nuntij ex recambio obligarentur.* 275

9 *An poſſit contrahi cambium, & recambium per vnicum dumtaxat nuntium ex parte vtriuſque contrahentis cum obligatione ex recambio.* 282

10 *De praxi Mercatorum Genuenſium contrahendi per vnum, & eundem proxenetam.* 283

11 *Quanam obligatione teneantur, qui acceſſoriè ſubſcribunt literas cambij.* 286

12 *An contractus cambij vnius dumtaxat conſenſu poſſit perfici.* 287

13 *An in caſu præcedenti §. ſoluenda eſſet Gabella.* 290

14 *An Gabella debeatur pro cambio ſolum poſt adimplementum conuentorum ex vtraque parte.* 291

15 *An ſi cambium per mutuum conſenſum fuerit celebratum tempore vnius Gabellarij, & conſummatum per traditionem tempore alterius Gabella debeatur primo, an verò ſecundo.* 293

16 *An ſi in cambio mutuo conſenſu inito facta fuerit mentio de ſcriptura conficienda, & antecedentèr ad ſcripturam ſoluta fuerit Gabella*

bella

Digitized by Google

bella præſumatur firmatus contractus per ipſam, & quid de Gabella. 295

17 *An liceat deponere pecunias ad negotiationẽ cambiorum cum certo lucro ſine periculo ſortis.* 298

18 *An mercator, qui pro alio tanquam fideiuſſor ſoluit ſine notificatione poſſit à principali debitore exigere damna, & intereſſe, & loco illorum cambia.* 301

19 *An taxatio certi intereſſe in cambio facta ab initio poſſit ſuſtineri per probationem poſtea ſubſequentem.* 302

20 *An habens mandatum cambiendi cum quibuſcunque mercatoribus poſſit ex vi illius cambiare cum ſe ipſo.* 305

DISQVISITIONES III.

Ab vndecima ad decimam ſextam Prænotionem incluſiuè.

§. 1 *AN liceat emere literas cambij in principio nundinarum pro minori pretio, ac emerentur in fine earundem.* 307

2 *An ſi factis literis promiſſionis prædictis debitor requiſitus ad ſolutionem, vel ad conficiendas literas formales cambij diſtulerit, vel ſolutionem, vel dictas literas, & interim valor ſcuti marcharum creuerit, creuerit primo ſolutori, an verò debitori.* 310

3 *An promiſſio ſoluendi pro cambio tot Phylippos ad rationem tot ſolidorum pro ſingulis obliget ad enuntiatos ſolidos, ſi Phylippi antè ſolutionem in valore decreuerunt.* 311

4 *An literæ cambij ſecum trahant indefinitè hypothecam.* 312

5 *An in terminis Nouiſſimæ Conſtitutionis Mediol. hypotheca quoad literas cambij incipiat à die literarum, an verò à die proteſtus earundem.* 313

6 *An in terminis d. N. C. Mediolani hypotheca intelligatur annexa ſolis literis formalibus cambij, an etiam ſingrapha promiſſionis de eis conficiendis.* 316

7 *An contrahentes priuati, qui non ſunt Mercatores, efficere poſſint, vt ipſorum priuata ſcriptura in ſuppoſitione, quod non ſit ſufficiens ad hypothecam, ſit, ſeu fiat ſufficiens.* 321

8 *An literæ cambij, quæ vi N.C.Med. habent hypothecam, ſi producantur in alio loco iudicij habere debeant eaſdem prælationes, & iura.* 324

9 *An in cambio recurſa in locis, in quibus conceditur hypotheca literis cambij, perſeueret hypotheca prima literarum vſque ad integram ſatisfactionem priuatiuè quoad alios habentes hypothecam ex cauſa ſubſequenti.* 325

10 *An hypotheca, quæ conceditur literis cambij reſpiciat etiam nomina debitorum ipſius debitoris ex cambio.* 327

11 *An creditor habens hypothecata nomina debitorum ſui debitoris poſſit agere contrà eoſdem non excuſſo principali.* 329

12 *An poſſit quis habere hypothecam in ſuo proprio nomine, & quomodo, & ad quos effectus.* 331

13 *An fieri poſſit detentio, & compenſatio etiam excluſione aliorum creditorum anteriorum.* 332

14 *An in credito campſoris decocti præferendus ſit campſarius, ſi ex alia cauſa fuerit creditor ipſius, an verò agens eiuſdem campſoris, ſi fuerit item ex alia eiuſdem creditor.* 334

15 *An hypotheca ſpecialis quoad aliqua bona tollat generalem, quam quis habebat in bonis debitoris.* 335

16 *An hypotheca conſtituta creditori in re empta ab emptore reſoluatur beneficio l. 2. C. de reſcind. vend.* 338

17 *An hypotheca ſpecialis in re certa, ſed aliena confirmetur ſuperueniente*

Digitized by Google

niente dominio in hypothecante. 340
18 *De iuſtitia cambiorũ in monte.* 344
19 *An huiuſmodi cambia in monte ſi exerceantur per correſpondentes campſorum poſſit illud lucrum iuſtè per eoſdem correſpondentes ſibi acquiri.* 346
20 *Quid ſit cambium commiſſionum, & an ſit licitum.* 348
21 *An licitum ſit cambire pro loco, pro quo quis priuatim ſcit valorem nummorum ex lege Principis fuiſſe mutatum.* 349

DISQVISITIONES IV.

A decima ſexta ad vigeſimam Prænotionem excluſiuè.

§. 1 *An fideiuſſor promittens poſt morã intelligatur obligatus ad intereſſe propter moram.* 351
2 *An fideiuſſor obligatus pro cambio eximatur ab obligatione, ſi ex conuentione partium prorogetur terminus ſolutionis.* 353
3 *An proteſtatio facta coram Iudice de non fideiubendo pro debitore ex cambio proſit eidem, ſi poſteà coram eodem fideiubeat.* 354
4 *An fideiuſſor poſſit excipere, quod contractus ſit vſurarius, etiam ſi principalis confiteatur contractum eſſe verum.* 356
5 *An conuentio vnius fideiuſſoris præiudicet creditori contrà aliũ fideiuſſorem agenti.* 357
6 *An fideiuſſor exceptione beneficij cedendarum poſſit ius acquirere non ſolum aduerſus principalem debitorem, ſed etiam aduerſus alium confideiuſſorem.* 359
7 *An literæ cambij reuocari poſſint, antequam ſoluantur.* 361
8 *An literis cambij caſu amiſsis dirigenda ſit actio contrà datorem earundem, an contrà eum, ad quem erant directa.* 362
9 *An habens literas cambij pro vno loco poſsit cogere campſorem ad dandum literas pro alio.* 364
10 *Quemnam obliget ſoluens cambiũ, & cuinã obligetur recipiens.* 366
11 *An per detentionem, & productionem literarum ſufficienter probetur earum acceptatio.* 366
12 *Quomodò facienda ſit recognitio literarum, quas ſcriptor ad alterum dedit.* 369
13 *An recipiens capitale cambij poſt poſitam morã poſſit vlterius petere intereſſe ex tali mora.* 370
14 *An ſi ſolutio principalis ſortis facta fuerit non ipſi creditori, ſed alteri adiecto præiudicet eidem creditori quoad intereſse.* 373
15 *An recepta per creditorem ſolutione capitalis pro parte videatur remiſsum intereſse proportionatum pro tali parte.* 374
16 *An data ſententia condemnatoria ad ſortem omiſſo intereſſe poſsit etiam creditor agere ad idem intereſſe, & quomodò.* 377
17 *Cuius ſit damnum in falſificatione literarum facta per eum, cui ſolutio facienda eſt.* 380
18 *Cuius damno cedat decoctio debitoris, cui mandatarius dedit cambio pecunias mandatoris.* 383
19 *Cuiuſnam damno cedat ſolutio facta Procuratori reuocato, de cuius reuocatione conſcius non eſt ſoluens.* 385
20 *An ſoluens Procuratori, qui eſt effectus malè conditionis iuſtè ſoluat, & liberetur à debito.* 386
21 *An detur exceptio de non numerata pecunia, cum probatur ſolutionem non factam fuiſſe in die contractus, ſed multò poſt.* 387
22 *An verba illa poſita in literis cambij* per la valuta hauuta de cõtanti *præter excluſionem exceptionis, quid aliud importent.* 388

DISQVISITIONES V.

Ad reliquas omnes Prænotiones de Cambijs II.

§. 1 *De onere acceptantis, & ſoluentis partitam ad ſe tractam*

tã habita, vel non habita notitia decoctionis eius, qui traxit. 389
2 *An ſolutio literarum cambij facta alteri ab eo, cui ſunt ſoluendæ, liberet debitorem ab onere ſolutionis.* 392
3 *Inito cambio, & confectis literis quid agendum ſit, ſi iſta amittantur.* 395
4 *An debitor poſsit ſoluere adiecto ſolutioni, & ab eo cogi ad ſolutionem.* 396
5 *An ſcriptura collata per ſtipulatorem adiecto ſolutioni inferat mandatum ad agendum contrà debitorem.* 398
6 *An facta promiſsione per mandatarium ſoluendi literas cambij adiecto, qui eas præſentauit, poſſit poſteà ſoluere non ipſi, ſed domino.* 399
7 *An creditor poſsit inuito debitore reuocare mandatum in perſona adiecti ſolutioni, ſi hic non ſit creditor eiuſdem creditoris.* 401
8 *An ſtipulatio copulatiua pro ſe, & pro adiecto ſit nulla pro vtroque, ſi ſit nulla quoad adiectum.* 402
9 *An expiret fideiuſſoria obligatio per nouationem factam inter principalem debitorem, & creditorem ſine interuentu fideiuſſoris.* 403
10 *An ſi priori pacto adijciatur aliud pactum pœnale contrà non adimplentem primum cenſeatur facta nouatio prioris obligationis ex tali pacto.* 404
11 *An quandoque poſsit intercedere nouatio, quamuis expreſsè non fuerit actum.* 405
12 *An mulier poſsit nouare, & eludere nouationem.* 407
13 *An ſi mulieres nouantes renuntiarint Priuilegio Velleiani adhuc poſsint excipere.* 410
14 *An teneat nouatio, ſeu delegatio, per quem delegatur ad ſoluendum ille, qui creditur debitor debitoris delegantis, qui tamen debitor eiuſdem non eſt.* 413
15 *An delegatus, cui competit exceptio aliqua contrà delegantem poſsit eandem opponere contrà eum, cui facta eſt delegatio.* 414
16 *An obligatio facta creditori, qui creditor creditur, & non eſt, à debitore debitoris inducat nouationem, quæ ipſum obliget ad ſoluendum.* 415
17 *An obligatio conditionalis nouet puram antè conditionis euentum.* 417
18 *An Bancherius iuſſus à Domino in extremis conſtituto, vt daret Eccleſiæ pecuniam ſuam pro anima ſua, poſſit, & debeat dare, ſi dominus liberatus reuocet mandatum.* 418

CONTRACTVS V.

De Cambijs III. ideſt nundinalibus.

Prænot. 1 *Quid, & quotuplex ſit cambium nundinarium, & an licitum ſit.* 420
2 *An liceat cambium ex aliqua Ciuitate ad nundinas, quæ in eadem celebrantur.* 425
3 *De introductione, & praxi nundinarum.* 427
4 *An cambium, quod ſit intercalatis, & prætermiſsis primis nundinis in alias ſubſequentes ſit licitum.* 430
5 *De Proxenetis in cambijs interuenientibus.* 435
6 *An accipiens cambium nundinarium in alterius vtilitatem poſſit ipſum obligare ad intereſſe cambiorum.* 437
7 *An liceat cambium ab vno in alium locum ſub vno pretio, & ab hoc alio in primum ſub diuerſo.* 440
8 *An licita ſint cambia, quæ fiunt ab Hiſpali in Luſitaniam cum recurſu à Luſitania in Hiſpalim, & quomodo fiant.* 442
9 *De quadam induſtria Mercatorum ſubtrahendi pecunias ſuas à debitore, quem timent vergere in decoctionem.* 443
10 *De Conceſſionibus, & Pontificum appro-*

approbationibus quoad cambia, eorumque conditiones. 445
11 Exponuntur caſus per Rempublicam Genuenſem propoſiti Vrbano VIII. eorumque reſolutiones. 452
12 An ſtante approbatione caſus vltimo loco propoſiti intelligatur deciſio ſuper primum correcta, an verò in ſuo robore permanere. 457
13 An cambium recurſæ cum limitato intereſſe ſit licitum. 461
14 An cambium continuationum ſecundum ſe ſit licitum. 462
15 Expenditur ſententia Michaelis Saloniј circa continuationē cambiorum, & cenſura Raphaelis de Turri aduerſus ipſum. 465
16 Exploduntur aliæ cenſuræ Raphaelis de Turri contrà Saloniū 474
17 Expenduntur cenſuræ Raphaelis de Turri contrà Azorium. 477
18 Expenduntur aliæ cenſuræ Raphaelis de Turri cōtra Azorium 491
19 Expenduntur cenſuræ Raphaelis de Turri aduerſus Leſsium. 497
20 Expenduntur cenſuræ Raphaelis de Turri ad deciſionem Rotæ Romanæ in vna Mediolanenſi pecuniaria Mercuriј 27. Martiј 1602. coram Littarelata ab eodem de Turri poſt tractatum de Cambiјs fol. 515. 511

DISQVISITIONES I.

A prima ad quintam Prænotionem incluſiuè.

§. 1 AN facta conuentione de reſtitutione cambiј, cuius pretium ſoluendum eſt in numerato intrà tres menſes facienda poſt ſeptem menſes obligetur debitor ad reſtitutionem illius, ſi ex aliquo caſu differatur ſolutio. 513
2 De Cambiјs Piſanis collatis cum Placentinis. 516
3 An poſsit obligari debitor ad cambium, vel ad lucrum cambiј, quandò excuſatur vel abſolutè, vel ad tempus à ſolutione debiti. 518
4 An indigente campſore pecuniјs per ſe ſolutis ad nundinas poſsit campſarius minoris ſe redimere antè illas. 520
5 An liceat campſoribus vendere al contado cum maiori lucro. 522
6 An tribuentes mercatoribus pecunias ſuas initio nundinarum, vel antè nūdinas poſsint ex aliqua cauſa, & ſine in medio, vel in fine earundem exigere capitale cum aliquo lucro. 525
7 An cambium nundinarium datis campſuario mercibus pro pecunia numerata ſit licitum. 527
8 An, ſi lucrum cambiј non debeatur, quia eſt illicitum, debeantur ſaltem impenſæ in ipſo factæ, ſeu mercedes laborum. 529
9 An cambium, quod vocant forzoſo, & cambium, quod vocant arbitrium licita ſint. 531
10 An cambium pro pluribus nundinis ſimul, & pro pluribus terminis ad rationem tot pro centenario ſit licitum. 533
11 An cambium pro aliquo loco ficto ſit ſiccum, & an aliqua ratione poſſit coheneſtari. 536
12 An ſtante ſtatuto, quod cambium habeat executionem paratam, hæc competat etiam mutuo palliato titulo cambiј, ſeu cambio ſimulato. 537
13 An, quandò literæ cambiј partim ſunt vera, partim ficta, habeant executionem paratam quoad omnia. 538
14 An detur executio parata mutuo palliato titulo cambiј, ſi campſarius, ſeu mutuatarius ſe obliget in forma literarum cambiј reſtituere. 540
15 An licita ſit taxatio cambiј ad pretium medium, quandò dubium eſt, quod pecunia tempore reſtitutionis ſit pluris, vel minoris valitura. 541

DIS-

DISQVISITIONES II.

A quinta ad reliquas Prænotiones de Cambijs III.

§. 1 AN error commiſſus in tempore ſiuè per proxenetam, ſiuè per campſorem irritet literas cambij. 542
2 Quid agendum, cum præſentantur literæ poſt tempus in eiſdem præfinitum ad ſolutionem? 544
3 An locus in literis cambiorum ad eorũ validitatẽ requiratur. 540
4 Quomodò negotia regulentur in nundinis coram conſulatu mercatorum. 547
5 An ſcripta in huiuſmodi ſcartafacijs, de quibus ſuprà, inducant aliquam obligationem, & quomodò. 548
6 Nonnulla dubia circà libros Proxenetarum. 550
7 Quaſnam exceptiones opponere poſſit reus in iudicio executiuo quoad literas cambiorum. 551
8 An introducta cauſa per debitorem ſuper vſuras coram Iudice Eccleſiaſtico adhuc per Iudicem laicum poſſit procedi ad executionem literarum cambij. 553
9 An incœpto iudicio coram ſæculari ſuper executione per creditorem poſſit debitor agere de vſura coram Eccleſiaſtico, & impedire executionem. 554
10 An debitor conuentus coram Iudice ſæculari pro executione poſſit excipere de vſura, & petere ſe remitti ad Eccleſiaſticum. 555
11 An ſi Iudex Eccleſiaſticus præuenerit in cauſa vſurarum iudicium laici ſuper executionem facta eidem inhibitione, & poſteà in fauorem creditoris reuocauerit inhibitionem poſſit debitor appellans à tali reuocatione ſuſpendere iudicium executiuum Iudicis ſæcularis. 556
12 An poſſit impediri executio à tertio creditore anteriori cum hypotheca. 558
13 An vxor debitoris conſtante adhuc matrimonio poſſit impedire executionem ratione ſuæ dotis. 559
14 An probationes factæ inter vxorem, & virum ſuper inopia viri ſufficiant in alio iudicio contrà tertium poſſeſſorem bonorum viri. 561
15 An ceſſio bonorum impediat executionem literarum cambij. 562
16 An campſor agens via executiua contrà curatorem hæreditatis iacentis teneatur præſtare idoneam fideiuſſionem. 563
17 An ius executionis per lapſum temporis extinguatur. 564
18 An ſi hæredes debitoris ex cambio defuncti adiuerint hæreditatem cum benefitio legis, & inuentarij poſſint impedire executionem creditoris, & quid hic poſſet facere in data hypotheſi. 565
19 An à conceſſione executionis paratæ quoad literas cambij detur appellatio.

CONTRACTVS VI.

De Permutatione.

Prænot. 1. DE natura permutationis, eiuſque differentijs à reliquis contractibus. 569
2 An permutatio ſit contractus nominatus, an innominatus. 570
3 De Cauſis permutationis in vniuerſum. 573
4 An in iure nomine emptionis, & venditionis intelligatur etiam permutatio. 576
5 An propter læſionem vltrà dimidium detur reciſcio in permutationibus. 578
6 Quænam actiones, & effectus conſurgant ex contractu permutationis. 579
7 De permutatione rerum Eccleſiaſticarum. 585
8 An quæcunque pactio de aliquo tem-

Digitized by Google

temporali conferendo in permutatione cum re ſpirituali importet ſimoniam, & iniuſtitiam. 589
9 Vtrum mancipia Eccleſiæ poſſint permutari. 591

DISQVISITIONES

In vniuerſas de permutatione Prænotiones.

§. 1 Ad quid teneatur permutans, ſi vitium rei non manifeſtauit. 593
2 An contractus, quo aliquid do, vt facias, vel facio, vt des, ſit permutatio. 595
3 An poſſit eſſe permutatio rei præſentis ad futuram, & duarum futurarum ad inuicem. 596
4 An permutatio facta etiam ex vtraque parte traditione poſſit quandoque reſcindi. 599
5 An in permutatione ſolum debeatur Gabella, quandò ex vtraque parte facta fuit traditio. 601
6 An impoſito contractui, do, vt des, onere Gabellæ eadem ſit perſoluenda, ſi quis quid det alteri, vt tertio poſt tempus conferat. 602
7 An in permutatione rei inæſtimabilis pro æſtimabili debeatur gabella ſaltem pro æſtimabili. 603
8 An in permutatione rerum ſpiritualium adinuicem debeatur Gabella. 604
9 An debeatur gabella, quando datur indiuiduum aliquod vnius ſpeciei pro alio eiuſdem ſpeciei ſimili in valore. 605
10 A quonam ſit taxandus valor rerum permutabilium, vt ſtatuatur quota gabellæ. 606
11 An facta permutatione rei pro re ſit perſoluenda gabella, ſi poſteà loco rei detur pretium. 607
12 An impoſito onere Gabellæ permutationi intelligatur etiam impoſitum donationi remuneratoriæ, ſeu donationi ſub modo, vt alter redonet. 609
13 An permutatio beneficiorum poſſit fieri ex quacunque cauſa. 610
14 Quinam ſit ille ſuperior, cuius auctoritate fieri debet permutatio. 611
15 An permutatio beneficij cum penſione poſſit fieri ſolius Epiſcopi auctoritate. 614
16 An in permutatione beneficiorum licitum ſit dare ſimul cum beneficio minus pingui pecuniam in ſupplementum beneficij pinguioris. 615
17 An ſi fieret illa permutatio pinguioris beneficij cum minus pingui cum illo additamento propria, vel ſolius Epiſcopi auctoritate committeretur ſimonia contrà ius diuinum. 619
18 Vtrum beneficium permutari poſſit cum Hoſpitali. 619
19 An, & qua auctoritate permutari poſſit beneficium ſimplex cum curato. 621
20 An habens duo beneficia poſſit illa commutare cum habente vnum tantum. 622
21 An in permutatione ſemper requiratur conſenſus beneficiariorum. 624
22 An Canonici eiuſdem Eccleſiæ poſſint adinuicem permutare præbendas ſine ſuperioris ſui auctoritate.
23 An ius patronatus poſſit permutari cum beneficio, ſeu Eccleſia.
24 An poſſit fieri permutatio decimarum, quæ ex certis poſſeſſionibus ſolui debent cum poſſeſſione. 628

BE-

Digitized by Google

BENEVOLO, ET CANDIDO LECTORI.

EN iterum ad lucem redit partus hic meus de Cambijs, & permutationibus. Qui in prima editione fortè non benè formatus prodierat, nunc in ſecunda pluribus expurgatus erroribus, in ſuis partibus perfectius diſpoſitus, vberioribus adauctus doctrinis tuo ſe ſiſtit conſpectui Candide Lector. Qui non es dedignatus immaturo fætui benignum exhibere obtutum, ne renuas ipſum adultum excipere. Eandem, & quidem arduam de Cambijs materiam continet, in quam peracuta adeo campſorum lucrandi cupiditas ingenioſo acumine prouoluta eſt vt vix adinuentiones Theologus valeat percipere, in quas abijt, nedum comprehendere, quas cumulauit. Quæ proprio non potui marte attingere, verſatorum in arte, quos ſæpè conſului, ope ſuperare contendi, non anceps erroris, vbi peritorum accederet experimentum Praxim in nouitèr adinuentis per eoſdem non inuitus edidici, a iuribus tamen in deliberando non receſſi, per quæ legalis procedit facultas, vel quæ Theologica ratio commendat. Qualecunque hoc opus ſit tibi ſiſto. Si quid tua dignum commendatione inueneris, tuæ erit partus humanitatis, ſi quid minus conſonum meæ imbecillitatis argumentum. Vale.

DON

Digitized by Google

DON GABRIEL FANTES
Congregationis Cler. Reg. S. Pauli Præpoſitus Generalis.

CVM Librum, cui Titulus eſt, Nouiſſima Praxis Theologicolegalis in Vniuerſas de Cambijs &c. à Patre Don Gregorio Roſignolo Congregationis noſtræ Presbytero profeſſo compoſitum duo eiuſdem Congregationis eruditi Viri, quibus id commiſimus, accurata lectione, & graui iudicio recognouerint, ac poſſe in lucem edi probauerint, Nos, vt Typis mandetur, facultatem facimus, ſi & alijs, quibus id competit, ità placuerit. In quorum fidem &c. Dat. Romæ in Collegio noſtro SS. Blaſij, & Caroli die 16. Iulij 1678.

Don Gabriel Fantes Præpoſitus Gen.

D. Antonius Maria Buruntius Cancell.

DIfficiles, & inuolutas de Cambijs &c. quæſtiones adeò dilucidauit, & explanauit Adm. Reu. P. D. Gregorius Roſignolus, vt nouiſſimæ in eas Praxis Theologicolegalis reimpreſſio non vtilis tantum mihi videatur, ſed neceſſaria, vt apta quemque inſtruere, ac varios inter ſcopulos tutè dirigere. Oculatus teſtis ego, qui de Reu. Patris Mag. Proſperi de Leonibus Ciuitatis, & Status Mediolani Generalis Inquiſitoris mandato cunctas atentiſſimè perluſtrans, in Reſolutionibus ſoliditatem, in rationibus efficaciam, in omnibus cum ſana doctrina nitorem obſeruaui. In Conuentu SS. Coſmæ, & Damiani Mediolani die 20. Octobris 1695.

P. Euſtachius à S. Vbaldo Ordinis Diſcalceatorum S. Auguſtini Sanctiſs. Inquiſitionis Conſultor &c.

REIMPRIMATVR

F. Proſper de Leonibus Inquiſitor Generalis Mediolani.

Carolus Michael de Conſtantinis Canon., Theol. S. Nazarij pro Eminentiſs., & Reuerendiſs. D. D. Federico Cardin. Caccia Archiep.

Franciſcus Arbona pro Excell. Senatu.

CON:

Digitized by Google

CONTRACTVS V.

De Cambijs I.

NIL humanæ fouendæ conſuetudinis ratione opportunius, nil mutuis hominum commercijs conſeruandis vtilius, nil ad rebus conſulendum ſuis accomodatius, vel in longinquis proximius, vel in proximis remotius, quam aſſueta cambiorum ratio, & notitia, qua vna pecunia pro altera, vel diuerſa, vel in alio loco exiſtenti venditur, aut permutatur. Hæc in natura, & proprietatibus non valdè diſſona ab emptionis, & venditionis contractibus, cum quibus, quemadmodum ſimilitudinem ſeruant, ita ea, quæ de ipſis dicta ſunt, non incongrua accomodatione ſibi conciliant, & aptant, modò ex iuris diſpoſitione expreſsè contrarium non ſtatuatur, vndè in cambijs locum habent euictio, actio redhibitoria, & quanto minoris, quæ locum ſibi vſurpant in emptionibus, & venditionibus, vt expreſsè habetur ex *l. 2. ff. de rerum permutationibus*. Prolixa ſatis, & difficultatibus obuoluta materia; maiori tamen, qua potero, breuitati, & claritati conſulens difficiliora explanare, prolixiora perſtringere, vtiliora examinare, inutilia conabor effugere.

Agunt fusè de cambijs Canonici Iuris interpretes *in c. vlt. de vſuris, & Ciuilis in tot. C. de vſuris, & præcipuè Paulus, Angelus, Salicetus*. Theologi *in 3. diſt. 15. & præcipuè Gabriel quæſt. 10. art. 3. dub. 12. Maior quæſt. 36.* Summiſtæ *in verbo vſura, vel cambium*. In vniuerſum *D. Antoninus part. 2. tit. 1. c. 7. §. 47. Conradus de contractibus quæſt. 98., & 99. Caietanus in opuſ. tom. 2. tract. 7. Sotus de iuſt. 6. à quæſt. 8. vſq; ad 13. Ioannes Baptiſta Lupus in tract. de vſuris in coment. 3. §. 2. Fabianus Genuenſis in tract. de cambijs Azorius part. 3. Inſtit. mor. lib. 10. Leſſius de iuſt. & iu. c. 23. per dub. 11. Lugus de iuſt. & iur. diſp. 28. Rebellus part. 2. de obligationibus iuſtitiæ lib. 11. Mercatus, & Raphael de Turri per integra volumina. Sigiſmundus Scaccia de commercijs. Dominicus Perus in ſuo Negotiatore, & alij.*

PRÆNOTIO PRIMA.

De multiplici acceptione cambij, & quid propriè ſit, & Quotuplex.

SVMMARIVM.

Cambium vndè dictum. 1.
Triplex permutationis genus. Ibidem.
Definitio cambij propriiſſima. 2.
Per cambium transfertur dominium pecuniæ. 3.
Completur cambium per traditionem ex vna parte etiam ante traditionem ex altera. 4.
Diſcrimen inter cambium, emptionem, & ſimplicem permutationem. 5.
Comparatio cambij ad alios contractus, & diſcrimina. 6.
Diuiſiones cambiorum, & ſubdiuiſiones. 7.

1 HÆC vox Cambium deducta eſt à verbo *cambire*, quod apud omnes idem ſignificat, ac permutare. Sicuti igitur triplex permutationis genus aſſignari poteſt, alterum, quo res pro pecunia commutatur, & hoc propriè tranſit in rationem contractus emptionis, & venditionis, alterum, quo res pro re, & retinet commune nomen permutationis, & alterum, quo pecunia pro pecunia, & rigoroſè dicitur cambium, ita & eiuſdem cambij, ſi latiſſimè accipiatur, videtur eſſe triplex genus iuxtà explicationem mox poſitam permutationis accipiendum. Quantum tamen determinatè attinet ad hunc locum, & conſtituit peculiarem ſpeciem Cambiorum, ſumitur iuxtà tertium genus permutationis, prout ſcilicet importat aſſignationem pecuniæ pro pecunia; vbi aduerte, quod in huiuſmodi contractu ille, qui in gratiam alterius pecuniam permutat vſitato iam nominè dicatur Campſor, ille verò, in cuius gratiam fit permutatio, dicatur campſarius. His ſic pro notitia nominis expoſitis ſit

Multiplex acceptio permutationis, & qualis cóueniat cambio.

Quinam dicatur campſor. & quinā campſarius.

2 ASSERTIO I. Optima eſt communis Cambij definitio, quà dicitur *pecuniæ pro pecunia commutatio*. Conſentiunt omnes tùm Theologi, tùm Iuris periti.

Probatur, & explicatur. Dicitur, *permutatio*, quæ particula ſtat loco generis, & per ipſam cambium conuenit cum quacunque alia permutationis acceptione, quæ propriè, & ſpecificè cambium non eſt. Hæc particula quamuis generica importat aliquam cambij proprietatem, ratione cuius ab aliquibus alijs contractibus diſtinguitur, importat etenim non ſimplicem vſum pecuniæ, ſed eiuſdem dominij translationem, & acquiſitionem alterius, vt eſt in confeſſo apud omnes. Ex eo autem, quod hæc permutatio dicat ex ſuo conceptu translationem dominij, oritur hic ratio dubitandi, an tale dominium transferatur per ſimplicem pecuniæ traditionem factam per 3
alterum ex contrahentibus, antequam contractus compleatur per traditionem pecuniæ per alterum factam. Certum eſt, quod, ſi pecunia fuerit per alterum oblata, vel per eum, qui tradidit, habita fuerit pro tradita, fuerit acquiſitum dominium pecuniæ iam traditæ, quia ex allegatis iuribus *in primo tomo de contractibus* oblatio, & acceptatio vim habet actualis ſolutionis ad effectum tribuendi plenum ius in eo, qui obtulit, & in cuius fauorem facta fuit acceptatio. Ratio dubitandi conſiſtit dumtaxat in eo, qui ſimpliciter promiſit, nec obtulit, nec in fauorem ipſius res eſt habita pro tradita. 4
Bartolus *in l. ſi ſeruus §. locani ff. de furtis, & in l. 3. ff. ad pignorat. act.* ſuſtinet non transferri dominium per ſolam traditionem rei permutatæ, niſi ex altera parte contractus compleatur per traditionem pecuniæ promiſſæ. Contrarium tamen ſentiendum eſt propter ius expreſſum *in l. cum precibus C. de rer. permut.* tum propter generalem regulam, qua dicitur ſuppoſito iuſto titulo traditionibus, & vſucapionibus dominia rerum transferri, à qua regula non eſt excipienda permutatio ſpecialis cambij, cum nullo iure excipiatur. Ad textum allatum à Bartolo dicendum eſt non facere ad rem noſtram, vt ipſum legenti ſit manifeſtum.

Permutatio ex ſuo conceptu importat translationem dominij rei permutatæ.

Transfertur per traditionem in permutatione pecuniæ dominium, etiam ante traditionem factam ex altera parte.

Dicitur, *pecuniæ pro pecunia*, quæ particulæ faciunt differre cambium à ſim- 5
plici permutatione, in qua res pro re traditur, & ab emptione, & venditione, in qua pretium pro merce; & merces pro pretio transfertur, non pecunia pro pecunia. Hic oritur difficultas, an in cambio eadem numero pecunia, quæ fuit tradita per Campſorem, poſſit per Campſarium reſtitui; & ſaluari natura propria eiuſdem cambij. Certum eſt, quod regularitèr loquendo eadem pecunia reſtitui non poteſt, eo quia eiuſdem ad ſe ipſum non datur commutatio, & regulariter pro eodem tempore, & per Campſorem, & per Campſarium ſoluitur pecunia conuenta ad differentiam mutui, in quo debitum poſt aliquod temporis ſoluitur; quia tamen quandòque per alterum

Diſcrimen inter cambium, emptionē & ſimplicem permutationem.

ex

Digitized by Google

Poteſt eadem pecunia in cambio tradi in diuerſo loco, & tempore.

ex contrahentibus poteſt differri pecuniæ conuentæ traditio, vel poni in alio loco ab eo, in quo fuit accepta, ideo dico, eandem pro diuerſo tempore, & loco poſſe tradi. Ratio eſt, quia, cum pecunia ſumatur, vt plurimum, vt menſura rerum venalium, nec quoad valorem, ſiuè naturalem, ſiuè legalem, vt plurimum varietur, &, ſi variatur, poſſit, vel ſuperexceſſum, vel diminutionem compenſari, vtique ſiuè ſit eadem, ſiuè diuerſa poteſt extinguere ius creditoris, & debitoris onus, & ex eo, quod traditio eiuſdem fiat in diuerſo loco, & tempore ſupponitur ſaltem moraliter eſſe diuerſa, quod ſufficit ad rationem permutationis; vnde, ſi *Lugus tom. 2. de iuſt. & iu. diſp. 28. de cenſibus ſect. 1. n. 2. & cum eo plures alij* ſuſtinent diuerſitatem loci ſeruata etiam eadem pecunia ſufficere ad iuſtam permutationem, non video, cur ad eandem non poſſit ſufficere etiam diuerſitas temporis.

Pecunia eſt menſura rerum venalium.

6 Ad maiorem definitionis claritatem placet cambium cum alijs contractibus conferre, & eiuſdem ab illis diuerſitatem aſſignare. Differt igitur primò ab emptione, & venditione, & etiam à ſimplici permutatione propter rationes ſuperius adductas in principio prænotionis. Differt ſecundò à mutuo, tum quia in mutuo poteſt res pro re reſtitui, non ſic in cambio; tum quia ex conceptu mutui ſors non eſt reſtituenda, niſi poſt aliquod temporis, vel iuxtà conuentionem, vel iuxtà prudentum arbitrium, in cambio pecunia pro pecunia regularitèr ſimul traditur. Differt tertiò à depoſito, quià per depoſitum non transfertur rei dominium in depoſitarium, transfertur autem à campſario in campſorem, & è conuerſo in cambio, & propter eandem ratione differt etiam à pignore.

Diſcrimina cambij à mutuo, pignore, & depoſito.

7 Aſſertio II. Admittendæ ſunt communes diuiſiones, ſecundum quas cambium diuiditur in ſiccum, & reale, & ſubdiuiſiones, ſecundum quas cambium reale partitur in ſimplex, & mixtum, & item in manuale, locale, & temporale. Reliquæ ſpecies, ſi quæ ſunt, reducuntur ad aliquod membrum ex his enumeratis.

Diuiſiones, & ſubdiuiſiones variæ cambiorum.

Probatur aſſertio per explicationem cuiuſcunqne diuiſionis; aduerto tamen quoad primam in rigore ipſam quoad rem non ſubſiſtere, ſed tantum quoad nomen, & modum ſignificandi; Ratio eſt, quia inter regulas rectæ diuiſionis hæc eſt, vt membra diuidentia contineantur ſub ſuo diuiſo; cambium autem ſiccum, vt mox ſubdam, propriè, & quoad rem non continetur ſub genere cambij, ſed reducitur ad naturam mutui, licet pallietur titulo cambij; Retinetur tamen hæc diuiſio, tum propter communem auctoritatem; tum quia, ſi membra diuidentia non habent conuenientiam quoad rem, habent ſaltem quoad nomen, & apparentem titulum. Cambium igitur reale illud eſt, quo vna pecunia pro altera commutatur, &, ſi ſeruantur regulæ, & leges præſcriptæ, hoc aptum eſt ad licitè fructificandum. Siccum illud eſt, quod tale non eſt, ſed fingitur, vt cambium, cum tamen re vera ſit mutuum palliatum titulo cambij. Hoc contingit, quando campſor tradit pecuniam campſario ſoluendam in eodem loco confictis litteris ad locum diſtantem, ad quem non mittuntur, cum ſit conuentio tacita inter campſorem, & campſarium, quod pecunia per eundem campſarium perſoluatur in eodem loco poſt aliquod temporis, vnde hoc in re nihil aliud eſt, quam mutuare pecuniam vſque ad illud tempus, & quidem ſi conuentio eſt, quod æqualis reſtituatur, erit mutuum iuſtum, & licitum, ſi verò vt reſtituatur aliquid ſupra æqualitatem ſortis erit mutuum vſurarium, & illicitum, cum illud, quod ſolueretur ſuprà ſortem, eſſet præciſè intuitu dilationis temporis.

Diuiſio in ſiccũ, & reale non ſubſiſtit, niſi quoad nomen.

Explicatur cambium ſiccum in particulari per casũ, & oſtenditur eſſe mutuum.

Explicatur item ſubdiuiſio cambij realis in ſimplex, & mixtum per ſua membra. Simplex illud eſt, in quo nullus alius contractus admiſcetur, cuiuſmodi eſt cambium, quo pecunia aurea cum ænea permutatur. Mixtum verò, quod cum alijs contractibus coniungitur; tale cenſet eſſe *Azorius inſtit. mor. par. 3. lib. 10. c. 2.* cambium per litteras ad locum diſtantem, in quo cambio duplicem aſſignat contractum, alterum permutationis pecuniæ præſentis pro abſenti, alterum locationis induſtriæ in tranſportanda pecunia à loco, in quo campſor ipſam accipit, in locum diſtantem, in quo debet tradere.

Duplex contractus in cambio per litteras. *Azor.*

Explicatur tandèm altera ſubdiuiſio in manuale, locale, & temporale. Primum, quod etiam dicitur minutum, eſt illud, quo pecuniæ, vel ſecundum materiam, vel ſecundum impreſſionem diuerſæ ad inuicem permutantur, vt, cum permutatur pecunia ærea cum argentea, & è contra, vel vna moneta cum impreſſione vnius Principis cum moneta impreſſa cum ſigillo alterius Principis. Secundum eſt, quo pecunia præſens, ſeu in hoc loco traditur pro

Ratione numiſmatis, loci, & temporis cãbium varias ſubit denominationes.

alia abſenti, ſeu in alio loco perſoluenda. Tertium eſt, quo pecunia de præſenti traditur, vt reſtituatur pro tempore futuro, ſed hoc potius eſt mutuum, quam cambium, vndè, ſi erit cum aliquo lucro erit contractus merè vſurarius. De iuſtitia, & iniuſtitia cambiorum ſecundum ſingulas ſuas ſpecies in ſequentibus erit ſermo ex profeſſo.

PRÆNOTIO II.

An Cambiorum negotiatio propter quæſtum, ſeu lucrum licita ſit.

SVMMARIVM.

Duplex finis, ob quem poteſt eſſe inſtituta cambiorum negotiatio. 1.
Eſt licita ob publicum Reipubl. commodum. Ibidem.
Cambiorum negotiatio non ſit illicita ex fine lucrandi ob priuatum commodum. 2.
Approbatur, tum per ius ciuile, tum per Canonicũ, tum præcipuè ex Bulla Pij V. 3.
Nedum vtilis eſt, ſed etiam neceſſaria. 4.
Originis cambiorum ratio aſſignatur. 5.
Pecunia, quamuis non natura, apta tamen eſt arte fructificare. 6.
Ex ſecundaria inſtitutione dependentèr ab humano arbitrio pecunia habet, vt computetur tanquam res commutabilis, vendibilis &c. Ibid.

Tanta eſt hominum quæſtus, ſeu lucrandi cupiditas, vt in ingenioſa figmenta adiuerint, queis pecuniam ex natura ſterilem excogitatis titulis reddere poſſent fæcundam, & fructus facientem ſuos, quæ penitus areſcebat. Hinc mutuos contractus induxit, ex quibus lucra inſatiabili cupiditate valeret percipere, & fructus è ſtipite omninò arido, & infæcundo ſibi comparare. Inſatiabilem hanc ingluuiem percipiendi fructus ex mutuo ſatis ſuperque in ſuperiori titulo reprobauimus. Noua lucrandi radix ex hominum auiditate, ait *Ariſtoteles lib. 1. polit. c. 3.* videtur cònſurgere, dum extinctis mutuis pullularunt cambia, quæ iuſtitiæ conſona non videntur, cum, vel dumtaxat nimis anxiam lucrandi ingluuiem parere videantur, vel pecuniam ex genere ſuo infæcundam fæcundare. Quamobrem hic mens erit examinare ex profeſſo, an Cambiorum negotiatio inuoluat aliquam, vel ex fine, propter quem fuit inducta, peruerſitatem, vel ex natura, quam inuoluit, iniuſtitiam. Pro quo

Exprimitur mens Ariſtotelis circa iuſtitiam cambiorum.

Aduerte cambiorum artem, ſeu negotiationem ex duplici fine lucrandi potuiſſe eſſe inductam, vt bene notat *Azorius Inſtit. mor. lib. 10. cap. 3. verſ. 1. quæritur*, ſcilicet vel ex tali fine ob publicum Reipub. commodum, vel ex ipſo ob priuatam campſorum vtilitatem. Ex primo fine licitam eſſe cambiorum negotiationem nullus eſt, qui denegarit, & iuſtitiam ipſius ſatis indicat neceſſitas, cum ſine ipſa Reſpublica anguſtijs maximis premeretur, & humana commercia, ad quæ fouenda neceſſariæ ſunt commutationes, penitus diſſoluerentur. Quomodo enim mercaturæ omnes, nundinæ ſubſiſterent, ſi illicita eſſet pecuniæ pro pecunia commutatio, & præſentis pro abſenti? Quomodo contractus in priuatis, & minutis venditionibus ſi pecunia aurea pro minuta idonea tali emptioni cambiri non valeret? Quomodo ad peragenda in longinquis negotia poſſet ingens pecuniæ minutæ ſumma commodè transferri, niſi commutaretur in auream, vel præſens pro abſenti cambiretur? Corrueret ſanè humana ſocietas, ſi cambia ad ipſam fouendam idonea à Republica proſcriberentur. Tota igitur meta huius prænotionis erit inueſtigare iuſtitiam, vel iniuſtitiam cambiorum, quandò fiunt ob priuatorum peculiarem commoditatem. 1

Azor.

Duplex finis ob quem exerceri poteſt negotiatio cambiorum.

In ordine ad publicum Reipublicæ cõmodum licita eſt cambiorum ars & cur.

Aſſertio. Cambiorum negotiatio non deprauatur ex peculiari contrahentis fine lucrandi in ſui vtilitatem. Eſt communi praxi recepta. 2

Probatur. Finis peculiaris acquirendi lucrum per contractus licitos non eſt illicitus, ergo ex tali fine præciſè non poteſt deprauari negotiatio cambiorum. Antecedens non vertitur in dubium. Quis enim diceret exercentes mercaturam ad finem lucrandi, deprauari? Quis conſtituentes cenſus, vt lucrentur, aſſereret eſſe iniuſtos? Conſequentia etiam tenet, quia nullus contractus deprauatur ex fine, qui ſecundum ſe prauus non eſt. Neque dicas, quamuis ex fine non ſequatur deprauatio, ſequi tamen ex natura eiuſdem contractus; contrà enim impugnaberis; tum quia præciſè noſtra concluſio reſpicit finem, qui, ſi non fuerit prauus, nec poterit actionem deprauare; tum quia cum ſeruari ſupponatur æqualitas inter datum, & acceptum, non eſt, cur aliqua iniuſtitia reſultet in contractu, & ſi aliquid vltra datum accipitur erit correſpondens alicui actioni, quæ erit meritoria illius exceſſus, vt infrà ex profeſſo. Confirmatur,

Finis lucrandi etiam in propriũ commodum non deprauat actionẽ, niſi ex alio capite ſit illicita.

Digitized by Google

3 Per iura tùm ciuilia, tùm canonica non reprobatur cambiū, quamuis lucratiuum.

matur, quia manifeſtè hæc cambiorum ratio comprobatur, tum per ius ciuile *in C. de vſuris*, vbi Doctores communitèr, tum per ius Canonicum *in cap. vltimo de vſuris*, & præcipuè per conſtitutionem Pij V. quam refert *Nauarrus c. 17. nu. 300.* dummodo ſeruentur conditiones in eadem conſt. præſcriptæ.

Negotiatio cambiorum, nedum vtilis eſt ſed neceſſaria.

Probatur vlterius, quià hæc cambiorum ratio nedum valdè vtilis eſt, ſed etiam neceſſaria, ſiquidem quorum aliundè quis indiget, ea per cambia ſibi prouidentur; ea, quibus hic deficimus, inuehuntur, & quibus abundamus alio transferuntur. Quamobrem ſecundus vſus pecuniæ inualere cæpit, & quæ anteà erat præcisè rerum venalium menſura, modo fieret ob aſſignatas rationes pretium, & merx alterius pecuniæ, vel in eodem ſecundum diuerſitatem materiæ, vel impreſſionis, vel in diuerſo loco tribuēdæ.

Pecunia ſi non natura, ſaltem arte poteſt eſſe fructifera.

6

Pro complemento eorum, quæ hactenus dicta ſunt, reſpondendum eſt ad id, quod in principio prænotionis innuebatur, pecuniam ſcilicet eſſe ſterilem, & ex ſe non natam fructificare, adeoque ex illa campſores nullum fructum poſſe percipere; Item ad illud, quod dicebatur, ſolummodò pecuniam natam eſſe, vt ſit menſura rerum venalium. Reſpondendum quippe eſt, pecuniam ſcilicet natura ſterilem eſſe, aptam tamen eſſe arte fructificare, & quidem intuitu variarum rationum, quæ infra aſſignabuntur. Ad illud item, quod ſubditur, dicendum eſt ex prima ſui inſtitutione pecuniam natam eſſe, vt ſit menſura rerum venalium, ex ſecundario tamen vſu dependentèr ab humano arbitrio hoc habuiſſe, vt computetur tanquam quædam res, quæ vendi, locari, & commodari valeat ratione materiæ, vel ſigni impreſſionis.

Ex ſecundaria inſtitutione poteſt computari, vt res permutabilis.

PRÆNOTIO III.

An campſor ex cambio poſſit percipere aliquam vtilitatem, & qua ratione.

SVMMARIVM.

Poteſt lucrum ex cambio percipere ratione periculi, laboris, expenſarum, difficultatis, obſequij, & aliorum. 1.

Duplex ſententia, eaq; oppoſita. 2.

Aſſignatur duplex pecuniæ valor legalis, & naturalis. 3.

Non eſt ex genere ſuo illicita perceptio alicuius lucri ex cambio, qua cambium eſt, facta per Campſores. 4.

Nec ex ſe, & iure naturali ſi exerceantur per Perſonas priuatas cambia non habentes officium cambiendi à publica auctoritate. 5.

Deputatio Principis non poteſt reddere licitum, quod ex genere ſuo illicitum eſt. 6.

Prohibitus cambire per decretum Principis tantum pænale, ſi cambiat, non peccat læthaliter, nec tenetur ad reſtitutionem vtilitatis perceptæ. 7.

Si per decretum irritans non peccat, tenetur tamen ad reſtitutionem vtilitatis in foro externo, non ſic in interno. Ibid.

NON eſt dubium, quod negotiatores cambiorum poſſunt lucrum aliquod exigere, & accipere, tum ratione periculorum, quæ ſubeunt, tum laborum, quos ſuſtinent, tum expenſarum, quas faciunt in congerendis pecunijs diuerſæ materiæ, tum obſequiorum, quæ præſtant in fauorem cambientium, tum tandem ratione difficultatum, & pretiorum diuerſorum pro diuerſis locis, in quibus ex conuentione pecuniam debent tradere, & ſimilium; hæc enim omnia ſecundum ſe etiam independenter ab eodem cambio ſunt pretio æſtimabilia, ſuaque digna mercede. In hoc conſentiunt communiter Doctores *Nauarrus c. 17. nu. 283. Leſſius lib. 2. c. 23. dub. 2. Rebellus lib. 11. quæſt. 4. n. 6. Molina diſp. 399. n. 7. Garzias c. 31. Valentia tom. 3. diſp. 5. quæſt. 23. puncto 4. Azorius inſt. mor. lib. 10. c. 4. & alij innumerij.* Neq; obſtare poteſt, quod labor campſoris non ſit meritorius lucri, eo quià compenſetur per æqualem campſarij laborem; non, inquam, obſtare poteſt; eo quia labor campſarij eſt in eiuſdem vtilitatem, qui propterea non debet compenſari, labor autem campſoris non eſt in ſui, ſed in alterius commodum, à quo propterea poteſt exigere compenſationem, cum non teneatur in ipſius fauorem gratis laborare. Id, quod præcipuè controuertitur in hac prænotione, eſt, an præciſis huiuſmodi rationibus intuitu præcisè cambij poſſit campſor aliquid ſuprà datum exigere, & qua ratione.

1 Pericula, labores, obſequia, difficultates ſūt compenſabilia in cambijs.

Nauarr. Leſſius. Rebellus. Molina. Garzias. Valentia. Azorius.

Labor campſoris non æque compenſatur per laborem campſarij.

2 *Medina. Ioannes. Anania.*

Diſſident hac in re inter ſe Auctores, dum *Medina quæſt. 7. de reb. per vſuram acquiſitis Ioannes Anania in c. Nauiganti de vſuris* contendunt nil præciſe ratione cambij ſuprà datum poſſe exigi, cum ad permutationem, vt permutatio eſt, requiratur omninò æqualitas inter datum, & acceptum. *Sotus vero lib. 6. de iuſtitia quæſt. 9. art. 1. Silueſter v. vſura 4. Conradus de contractibus quæſt. 99. concl. 4.* & alij

Æqualitas pecuniæ non deſumitur, vt pretium eſt, ſed vt merx.

& alij ſuſtinent ex cambio vi ipſius lucrum aliquod poſſe percipi, eo quia tunc pecunia non conſideratur, vt pretium, ſeu vt menſura rerum venalium, ſed vt res quædam pretio æſtimabilis, commutabilis, vendibilis &c. Pro notitia.

Aduerte, duplicem valorem in pecunia poſſe conſiderari ſecundum duplicem vſum, ad quem poteſt eſt deſtinata,

3 Valor pecuniæ duplex, alter legalis, alter naturalis.

alterum, qui dicitur legalis, atque ille eſt, quo ipſa pecunia æſtimationem habet à Principe, vel à Reipublicæ auctoritate, vel communi æſtimatione taxatam. & in hoc ſenſu accipitur ſecundum primarium vſum, vt ſupra innuebamus, ad quem eſt inſtituta, vt ſcilicet ſit pretium,& menſura rerum venalium, nec in hoc ſenſu poteſt pluris vendi, quam æſtimetur *l. ſi ità ff. de fideiuſſ. l. 1. ff. de contrahenda empt.* hocque ſtatuit *Ariſtotiles primo Polit. c. 6.*, alterum, qui dicitur naturalis, quo eadem pecunia æſtimatur pluris, vel minoris independenter à taxatione Principis, vel communitatis, iuxta maiorem, vel minorem materiæ, ex qua conficitur, bonitatem, antiquitatem, commoditatem ad vſus, vtilitatem ad commercia, facilitatem ad exitum, & alia huiuſmodi, & ſic ſumitur ſecundum vſum ſecundarium, ſecundum quem potius ſumitur, vt res, quam vt pretium. Pecuniam ſecundum priorem valorem eſſe inuendibilem, certum eſt, eo quia, vt benè notat *Silueſter v. vſura 4. quæſt. 2.* ſicuti albedo non poteſt eſſe alba, ſed id, quo quid formaliter eſt album, ita pretium, qua tale eſt, non poteſt eſſe appretiatum, ſed id, quo alio appretiantur; ex quo vlterius ſequitur, non poſſe eſſe ſecundum ſe lucratiuum ſecundum hunc vſum, ſed ſemper debere tradi ad æqualitatem. Secundum verò poſteriorem valorem vendibilem eſſe, & commutabilem pluris, vel minoris iuxtà vſum fori eo modo, quo merces admittunt latitudinem intra ſupremum, & infimum tanquam certum admittitur à *D. Thoma 2. de regim. Prin. & ab Ariſtotile 1. Polit.*, quod latè probat *Silueſter loc. cit. quæſt. 3.* quem conſulite.

Ariſtotiles.

Valor naturalis deſumitur à bonitate rei, à commoditate ad vſus, facilitate &c.

Silueſt.

Pretium non eſt id quod appretiatur, ſed quo cętera appretiantur.

D. Thomas. Ariſtotiles. Silueſter.

Aduerte ſecundò, campſores, vel exercere cambiendi negotiationem ex officio tanquam ad hoc deputatos ex Principis auctoritate, vel ex proprio arbitrio independenter à tali commiſſione; rurſus etiam, vel contrà eiuſdem Principis decretum; ſi primo modo exerceant ſatis communitèr ſuſtinent poſſe lucrum ex cambio exigere, & accipere; ſi ſecundo modo lis eſt maxima inter doctores: *Azorius 3. part. inſtit. mor. 10. c. 4. quæſt. 7. Sotus 6. de iuſtitia quæſt. 9. art. 1.* abſolutè negant; Affirmant *Leſſius lib. 2. c. 23. dub. 2. nu. 9. Nauarrus c. 17. nu. 63. Silueſter v. vſura 4. quæſt. 7.*; ſi tertio modo; controuertendum remanet, an ſic prohibitus validè contrahat, & licitè lucrum acquirat, ſi ex vi cambij hoc poteſt acquiri, & ſi de facto acquirat, an teneatur poſtea reſtituere. Hæc conſulto prænotaui, vt innoteſcat ex his, an natura cambiorum ſit ex genere ſuo lucratiua.

Campſores, vel tales ſunt ex officio vel ex libertate.

Azorius. Sotus. Leſſius. Nauarr. Silueſt.

Assertio I. Non eſt ex genere ſuo illicita perceptio alicuius lucri ex cambijs, quibus permutantur pecuniæ maioris valoris intrinſeci cum pecunia inferioris valoris intrinſeci, licet æqualis valoris extrinſeci. Dixi, *ex genere ſuo*; non enim negauerim ex peruerſitate finis, alijſq; circunſtantijs quandoque, & crebrò deprauari. 4

Probatur aſſertio primò. Non eſt ex genere ſuo illicita perceptio lucri alicuius, ſeu vtilitatis ex negotiatione, qua negotiatio eſt, ergo neque perceptio eiuſdem ex cambijs, qua cambia ſunt. Antecedens communitèr ab omnibus admittitur. Conſequentia probatur, nam perceptio lucri ex negotiatione, qua negotiatio eſt, vel prouenit ex re, quæ ſub negotiationem cadit, quatenus admittat æqualitatem intra latitudinem ſupremi, & infimi, vel ex ipſa arte negotiandi, quæ ſecundum ſe ſit meritoria alicuius lucri, ſed vtraque hæc ratio æquè etiam valet in cambijs, ergo &c. Minor probatur in primis, quia pecunia in ordine ad vſum ſecundarium, de quo ſuprà, ſe habet, vt res, ſeu merx aliqua; ſed valor mercis, quà merx eſt, non conſiſtit in indiuiſibili, ſed patitur latitudinem, vt ſupra ergo &c. Neq; dicas, hæc valere, quandò merx non habet taxatum pretium à Principe, vel communi auctoritate, quod hic non militat, cùm valor pecuniarum præſumatur ab eodem Principe taxatus; contrà enim impugnaberis; nam eſt quidem taxatus ſecundum quod eſt menſura rerum venalium, non vt eſt res quædam, ſeu merx vt ſupra, non enim Princeps, & Reſpublica taxantes valorem pecuniarum inſpexerunt ad quemcunque vſum earundem, ſed ad primarium dumtaxat, ſecundum quem conſiderantur præciſè, vt pretium. Verum tamen eſt, quod in hac hypotheſi propriè, & in rigore non interueniret cambium, ſed ſimplex permutatio, cum pe-

Paritas ab arte negotiatoria ad artem campſoriam.

Merces ex vſu fori quo ad valorem admittunt latitudinem intrà ſupremum, medium, & infimum.

Principes taxantes valorem pecuniarum inſpexerũt primarium vſũ earundem, non ſecundarium.

Digitized by Google

pecunia non cõſidereretur vt pretium, ſed vt res, diceretur tamèn quoquo modo cambium propter annexam rationẽ pretij. Deindè in iure non minus approbatur ars campſoria, ac negotiatoria, non minus illa inuoluit incommoda, ac iſta, non minus exigit induſtriam, aliaque, ac exigat negotiatio, ergo, ſi hæc eſt meritoria alicuius lucri, erit & illa.

Probatur ſecundò. Ars cambiendi ex genere ſuo inuoluit ſeruitutem aliquam, & obſequium campſoris in gratiam, & vtilitatem campſarij, ad quæ præſtanda nullo iure tenetur, ergo ex illa ratione illius poterit aliquod lucrum, ſeu vtilitatem percipere, cum dignus ſit operarius mercede ſua; neque hoc non erit acquirere ex vi ipſius cambij, ſed ratione alicuius rationis ab ipſo diſtinctæ ſecundum ſe lucri alicuius meritoriæ; non, inquam, erit, nam illa ratio ſeruitutis, ſeu obſequij neceſſario trahitur ab ipſa arte cambiendi, quam indiuiſibilitèr ſequitur, & eidem intrinſecè conuenit. Antecedens latiſſimè probatur per *Conradum de contractibus tract. 7. quæſt. 99. concl. 4.* quem recole. Nobis ſufficiat huiuſmodi ſeruitutem, & obſequium in vno, vel altero attingere. Obſequitur igitur, & inſeruit primò campſor campſario in habendo paratam pecuniam varij generis in gratiam aliorum. Secundò in numerando. Tertio in cuſtodiendo &c.

Ars campſorum inuoluit ex genere ſuo ſeruitutem, & obſequiũ campſoris erga campſarium.

Conradus.

5 Assertio II. Poſſunt etiam licitè perſonæ priuatæ non deſtinatæ à Republica ad cambiendum aliquod lucrum, ſeu vtilitatem recipere ex cambijs, quæ ex arbitrio, & libertate exercent. *Nauarrus c. 17. nu. 288., Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 23. dubit. 2. nu. 9., Gabriel in 4. diſt. 15. quæſt. 11. art. 2. dub. 12. Maior eadem diſt. quæſt. 37. aduerſus, Caietanum in opuſ. tract. de cambijs c. 5. & 7.*

Nauarrus. Leſſius. Gabriel. Maior. Caietanus.

Probatur primò, quià non minus poteſt perſona priuata vendere, & permutare res ſuas ſeruata æqualitate earundem ad pretium intrà latitudinem pretij ſupremi, medij, ac infimi, ac poſſit perſona publica auctoritate ad hoc deputata, niſi aliquod ius poſitiuum obſiſtat, ergo, cum in cambijs pecuniæ ipſæ non habeant rationem pretij, ſed cuiuſdam rei venalis, ſeu mercis, æquè illas poterit permutare perſona priuata, ac perſona publica acquiſita aliqua vtilitate, dummodò illa non excedat valorem eiuſdem rei vltra ſupremum. Antecedens probatur, quia valor rerum ad vſum fori communis eſt, nec reſtringitur potius ad vnam, quam ad alteram perſonam. Conſequentia tenet, quia ex præactis pecunia in cambijs ſe habet, vt res quædam vendibilis, quæ propterea eaſdem conditiones ſortiri debet, ac aliæ res venales, & commutabiles, cum nihil in contrarium præſcriptum ſit.

Æquum ius percipiendi aliquam vtilitatẽ, tàm reſpectu campſoris priuati, quàm reſpectu publici.

Probatur ſecundò. Si non liceret priuatis aliquam vtilitatem percipere ex cambijs per ipſos ineundis, maximè quia, vt volunt aliqui apud *Silueſtrum verbo vſura 4. quæſt. 7. prope medium* actus ille priuatus cambiendi non eſt mercenarius, vel vt contendunt alij *apud Rebellum 2. part. de oblig. iuſt. lib. 11. de camb. quæſt. 4. verſ. ſit ſecunda concl.* quià numeratio pecuniæ in huiuſmodi priuatis contractibus gratis regularitèr ſolet fieri, vel tandem, vt vult Caietanus, quia labor ille, quem importat actus cambiendi, non eſt meritorius alicuius lucri, vel, etiam ſi ſit meritorius, æquè compenſetur per æqualem laborem eius, cum quo cambit; ſed nihil ex his obſtat, non primum, eo quià dato etiam, quod ille actus non eſſet in rigore mercenarius, non propterea non eſt dignus aliqua mercede, vel premio. Quis enim diceret venditorem rerum ſuarum eas vendere non poſſe iuxtà communem valorem fori ex eo, quod ipſe artem ità non exerceat, ſicuti exercent mercatores? Quis negaret nobilem aliquam perſonam præſtantem obſequia ergà alterum, quæ ſolent præſtari à mercenarijs, non poſſe conſequi ea præmia, quæ ijdem mercenarij regularitèr conſequuntur? Deinde actus non dicitur mercenarius ex eo, quod exerceatur à mercenario, ſed ex eo, quod mereatur mercedem ratione ſui, & eliciatur ex fine conſequendi talem mercedem, ſed actus ille eſt meritorius ſecundum ſe alicuius lucri, & nulla eſt repugnantia, quin etiam per perſonas priuatas, quibus non eſt a iure interdictum, poſſit ordinari ad conſecutionem talis lucri, ergo &c. Non ſecundum, quia ex eo, quod gratis regularitèr ſoleat fieri, quod tamen praxis ipſa falſum eſſe oſtendit, non tollitur, quod, ſi fiat ex fine lucri, & cum conuentione eiuſdem non poſſit illud licitè conſequi, ſi tamèn actus ille ſecundum ſe ſit meritorius eiuſdem. Quot enim à pluribus exercentur ex gratuito contractu, quæ ab alijs non niſi oneroſo, & adhuc per ſe licito? Certè poſſum ego rem meam alteri vendere ſine compenſatione laborum, quos impendi in illius acquiſitione, & alter nolle rem ſimilem vendere, quin ſimi-

Silueſter.

Rebellus.

Reſpondetur rationibus, quibus negatur priuatũ nõ poſſe percipere lucrũ.

Actus nõ dicitur mercenarius præcisè ex eo, quod exerceatur à mercenario.

Gratis, quandoque aliquid fieri, non tollit, quin illud poſſe fieri cum mercede, ſi illud ſecundũ ſe ſit meritorium

Digitized by Google

ſimiles labores ab ipſo exerciti compenſentur? Debuiſſent igitur huiuſmodi Auctores prius probaſſe actum illum non eſſe ex vi ſua meritorium alicuius lucri, quod non præſtant, vt euincerent ſuum intentum, non afferre pro ratione id, quod æquè poteſt compati cum poſſe, ſi velit, vel nolle cum poſſit; Non tertium, quia, ſi labor ille non eſſet pretio æſtimabilis, & ſufficienter compenſaretur per campſarij laborem æquè valeret, ſiue ille labor impenderetur à deputato ad hoc munus à Republica, ſeu à Principe, ſiuè à Priuata perſona ex ſua libertate, maximè cum, vt ſuprà innuimus, ſemper comitetur idem cambium; cum igitur, & ipſi Aduerſarij adſtruant compenſari in publicis campſoribus, non video, cur negent eſſe compenſabilem in priuatis.

Permiſſio Principis non poteſt reddere aliquod opus licitũ, quod ex ſe illicitum eſt.

Probatur tertio. Permiſſio, ſeu deputatio Principis ad aliquod munus non poteſt reddere illud munus licitum, ſi ex ſe illicitum eſt, ergo, nec facere ius campſorum eſſe licitum, ſi ſecundum ſe non ſit tale. Quæro iam, an hoc ius exigendi vtile aliquod ex cambijs ſit ſecundum ſe licitum, vel illicitum; ſi primum, ergo æquè erit licitum, ſiuè ſit penes campſores publicos, ſiuè penes priuatas perſonas; diuerſitas enim perſonarum, niſi per ius inhabilitentur, non diuerſificat, nec irritat contractus; ſi ſecundum, ergo ſemper erit illicitum, ſiuè penes campſores, ſiuè penes alios. Antecedens primum probatur. Quia vſuræ ex genere ſuo ſunt illicitæ, non poſſunt per permiſſionem, ſeu deputationem Principis cohoneſtari, & ſic per alia diſcurrendo, ergo &c.

Decretũ Principis, vel poteſt eſſe ſolummodò pœnale, vel irritans.

Assertio III. Si per decretum Principis aliquæ perſonæ prohibeantur artem cambiendi exercere, & nihilominùs non obſtante eodem decreto exerceant, non peccant læthalitèr contrahendo, nec ſub læthali tenentur vtilitatem, quam ex contractu perceperunt, reſtituere, ſi decretum Principis non ſit irritatorium, ſed ſolummodò comminatorium pænarum; ſi verò decretum ſit irritans, non peccant quidem læthalitèr, tenentur tamen ad reſtitutionem illius vtilitatis in foro externo, non ſic in interno animæ. Prima pars eſt *Mercati de Cambijs lib. 2.* cui ex parte fauere videtur *Rebellus 2. part. de oblig. iuſt. lib. 11. de cambijs quæſt. 4.*, qui tamen aſſerit, ſic contrahentem non effugere noxam venialem explicans caſum in legibus prohibitorijs Regni Caſtellæ *l. 1. tit. 8. lib. 5. Ordin. leg. Caſtell.*, & in ſtatutis Regni *Luſit. quarta part. Extrau. tit. 11. lib. 4. §. 10.* Secunda pars eſt eiuſdem *Rebell. loc. cit. verſic. cæterum, Molinæ diſp. 399. verſic. illud admonuerim, & aliorum*. Tertia pars, quarta, & quinta ſatis eſt conſona rationibus, & æquitati, vt infrà.

Mercatus. Rebellus.

Ordinationes Regni Caſtellæ, & Luſitaniæ. Rebellus. Molina.

Probatur prima pars. Leges pænales, qua tales præciſè ſunt, non obligant, niſi ad adimplenda ea, quæ per ipſas præcipiuntur, & ſi non adimpleantur, niſi ad obeundas pænas, quæ tranſgreſſoribus imponuntur, ſi tamen ea, quæ per ipſas præcipiuntur, non ſint alio iure præcepta, vel prohibita, ſed negatio exercitij cambiorum non eſt, nec præſumitur eſſe alio iure præcepta, ergo exercitium ipſorum ex vi talium legum non inducit aliud onus, niſi pænarum, quæ iniunguntur. Maior, in qua præcipuè videtur eſſe ſita difficultas, ſic euincitur primò ex his, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. contractus 2. in diſquiſit. 4. §. 9.* Secundò quià, quandò legiſlator imponit pænam aliquam tranſgreſſoribus, & non exprimit ſuam mentem in ordine ad culpam, iuſta, & rationabilis præſumptio eſt, quod non intenderit obligare ad culpam, nam in dubio lex accipienda eſt ſecundum eum ſenſum, in quo ſit minus pænalis *c. in pænis de reg. iur. in 6. l. ſi præſes ff. de pænis*, tum quià ex vulgatis iuribus pænæ ſunt reſtringendæ, & in dubijs mitior pars eligenda. Tertiò quia in pænalibus præcipuè leges non obligant, niſi acceptentur, & ſecundum eam rationem, ſecundum quam acceptantur, ſed ex communi praxi hominum cuiuſcunque conditionis leges pænales non acceptantur, niſi ſub onere pænarum, ſub quibus expreſsè res præcipitur, non ſub alijs, quæ non exprimuntur, præcipuè ſi hæ afficiant bonum animæ; ergo &c. Tandem, quià non videtur legiſlator congruè velle pro tranſgreſſione eiuſdem præcepti duplicem pænam, alteram temporalem, alteram æternam, niſi id exprimat, cum ſemper præſumantur legiſlatores velle ſuauitèr in ſubditos iuriſdictionem exercere, & minùs, quam par ſit, animabus laqueos imponere.

Leges pænales ſũt ſemper in mitiori ſenſu interpretandæ.

Nõ obligant, niſi ſecundũ eam rationem, & quoad ea, ſecundum quã vel quæ acceptantur.

Dices primò, quod, quamuis formalitèr non inducatur culpa læthalis ex voluntate Principis intendentis laqueos inijcere ſubditis, inducatur tamen conſecutiuè dependentèr à temporali pæna impoſita, cui ſe exponens in tranſgreſſione præcepti ſubditus ſe expo-

Ratione periculi, cui ſe exponit tranſgreſſor non contrahit peccatũ læthale.

Digitized by Google

exponit periculo amiſſionis bonorum fortunæ, vel etiam vitæ, ſi pæna mortis, vel mutilationis impoſita ſit transgreſſoribus, quod certè eſſe nequit ſine noxa læthali. Sed contrà primò, nam pænæ, quæ imponuntur contrà cambientes ſine Principis facultate, vel reſpiciunt bona vitæ, vel bona fortunæ; ſi primum aſſeratur, cum huiuſmodi tranſgreſſio non ſit valdè Reipublicæ pernitioſa, nec ex genere ſuo ſit mala (cum ſine prohibitione exercitium cambiorum cuicunque licitum ſit, vt iam probauimus) non videtur eſſe poſſe iuſta huiuſmodi pænæ impoſitio; ſi ſecundum, cum vnuſquiſque rerum ſuarum ſit moderator, & arbiter poteſt illas exponere periculo, dum ſperat ſine illo lucrum aliquod ſibi acquirere, eo modo, quo poteſt quis ſuas merces maris periculis objicere concepta ſpe alicuius lucri ex illis percipiendi. Secundò ſupponitur, quod tranſgreſſor temerè non ſe exponat illi periculo, ſed cautè, ità vt ratione cautionis ſe moralitèr ſubtrahat ab eodem periculo, quod ſufficiens exiſtimant *Nauarrus in Enchir. c.23. nu.57. Reginal. tom.1. lib.15 c.6. ſect.5. num.51.* ad vitandam noxam læthalem.

Pænæ cōtrà cambientes regularitèr eſſe nequeūt in ordine ad bona vitæ.

Præſumitur nō temerè, ſed cautè exponere

Nauarrus. Reginaldus.

Dices ſecundò, impoſitio pænæ contrà huiuſmodi tranſgreſſores iuſta eſt, ergò præſuponit culpam, ergò tranſgreſſio nequit eſſe ſine culpa, & cum pæna ſupponatur grauis, non poteſt eſſe ſine culpa graui, & læthali. Prima conſequentia probatur, quia nequit eſſe iuſta pæna ſine culpa. Sed contrà dato antecedenti diſtinguendum eſt conſequens præſupponit culpam, vel præſumptam, & in foro exteriori, vel realem, & in foro interno tranſeat conſequentia, ſemper realem, & in foro interno, nego conſequentiam; leges enim purè pænales quandoq; procedunt contrà tranſgreſſores, quamuis in foro interno nullam culpam contrahant ob ſolam præſumptionem contemptus, vel legis, vel legiſlatoris in tranſgreſſione. Dixi, *tranſeat conſequentia,* cum quandòque per particulares leges tranſgreſſiones puniantur, quæ ſub nullo peccato præcipiuntur; ſic in particulari mei Ordinis leges, & regulæ non obligant ſub onere vllius peccati, ſiuè læthalis, ſiuè venialis Religioſos, & tamen in aliquibus imponunt traſgreſſoribus graues pænas. Dici etiam poteſt, quandòque leuia delicta per grauiſſimas pænas iuſtè coerceri, quandò leuia delicta ex impunitate, & facilitate delinquentium cederent in graue Reipublicæ detrimentum, ſic quandòque milites, vt refert *Nauarrus loco citato,* morte mulctati ſunt propter exigua furta, nec tamen fuerunt Iudices iniuſtitiæ damnati propter excedentes pænas, cum remouere ab huiuſmodi delictis eſſet Reipublicæ neceſſarium, nedum perutile, non remouere, valdè pernicioſum; Quis autem diceret minimum furtum eſſe peccaminoſum læthaliter?

Nō quælibet pæna ſupponit culpam in foro interno, ſed ad ſummum in externo.

Quandoque poteſt eſſe pęna ſiuè culpa, & grauis pæna pro leui culpa

Probatur ſecunda pars primò, quià tranſgreſſor per exercitium huiuſmodi cambiorum nullo modo violat iuſtitiam commutatiuam, ſed ad ſummum legalem, ergo non tenetur ad reſtitutionem alicuius lucri, quod ex eiſdem perceperit. Antecedens ex ſe videtur manifeſtum, quia huiuſmodi contractus etiam cum perceptione alicuius lucri ſecundum ſe liciti ſunt, vt iam probauimus, & ſolum opponuntur iuri prohibenti. Conſequentia probatur, quia onus reſtitutionis ſolum conſurgit ex læſione iuſtitiæ commutatiuæ propter violationem æqualitatis ſeruandæ inter datum, & acceptum, nec lex pænalis tollit talem æqualitatem. Secundò, quia leges pænales, qua tales præcisè ſunt, non irritant contractus, ergò, ſi contractus cum illa perceptione vtilitatis iuſtus eſt ſecundum ſe, obligabit contrahentes ad ea omnia, ad quæ ijdem ſe obligarunt in tali contractu, campſarium ſcilicet ad ea relinquenda campſori, quæ promiſſit, & ſoluit, & campſorem ad ea obſeruanda, ad quæ ſe obligauit, & ſic non tenebitur campſor ad reſtitutionem illius vtilitatis, quam percepit.

Nō conſurgit onus reſtitutionis, niſi ex læſionæ iuſtitiæ commutatiuæ.

Leges pænales non irritant contractus, ſed eos relinquūt in ſuo robore.

Dices, adhoc vt contractus nullus, & caſſus eſſe cenſeatur, ſufficit, quod aliqua lege prohibeatur *l. non dubium C. de leg.* ergò contractus cambiorum contra legem prohibentem initus, vtpotè nullus nullum poteſt parere jus illam vtilitatem retinendi. Sed contrà ius allegatum non habet locum in legibus præcisè pænalibus, quales ſunt illæ, quæ prohibent cambia, vt præ cæteris latè probat *Molina de iuſt. & iure diſp.* 88. præſertim ad confirmationem primi argumenti ibi propoſiti.

Explicatur Textus in *l.* non dubium C. de leg.

Molina.

Probatur tertia pars. Contractus ſecundum ſe nullus, ſecundum eam rationem, ſecundum quam eſt nullus nullum poteſt parere effectum, nullam inducere obligationem, quia, ſi non entis nullæ ſunt qualitates, nullæque paſſiones ex vulgatis iuribus, nec poſſunt eſſe aliqui effectus non contractus,

Contractus nullus nullū poteſt effectum, nec inducere aliquam obligationem.

ctus, adeoque nec contractus, qui ſecundum ſe nullus eſt; contractus enim nullus, & non contractus quoad rem idem ſunt, ergò non poteſt in contrahentibus inducere culpam læthalem. Neque dicas, culpam læthalem non induci ex ipſo contractu præcisè, ſed ex praua voluntate contrahentis contra diſpoſitionem iuris prohibentis, & irritantis; contrà enim impugnaberis, nam in tantùm culpa læthalis induceretur, in quantum contrahens contraheret contra diſpoſitionem iuris, ſed qui contrahit contrà diſpoſitionem iuris non ſubiacet, niſi ei, quod idem ius diſponit, nempè nullitati contractus, ergo non eſt, cur ratione eiuſdem voluntatis ſubiacere debeat alteri effectui, nempè culpæ læthali, quam ius ipſum non diſponit; in odioſis enim non eſt extendenda lex vltra id, quod eadem expreſsè præcipit; neque poteſt dici, quod oriatur præcisè ratione contractus ſecundum ſe; non, inquam, poteſt dici, quia hic ſecundum ſe præſcindendo à iure omninò iuſtus eſt, & validus, & parit obligationem naturalem iuxta ſuperius dicta, & inferius dicenda.

Qui contrahit contra diſpoſitionem iuris non ſubiacet niſi oneri ab ipſo iure impoſito.

Non oritur obligatio reſtitutionis ratione contractus præcisè.

Probatur quarta pars. Ius irritans contractus reddit in eo ordine, & ſtatu, in quo irritat, annullat omnes conditiones, omnia iura, omnia onera, & qualitates, quæ inſunt eiſdem contractibus, ergo in foro externo, quod potiſſimum reſpicit ius poſitiuum ciuile non poteſt ex contractu irrito ſecundum diſpoſitionem eiuſdem iuris oriri ius retinendi vtilitatem, quæ ex eodem contractu nullo fuit percepta. Antecedens patet, quia deſtructo fundamento, in quo aliqua vim habent ruunt omnia, quæ fundantur in ipſo. Conſequentia etiam eſt euidens, quia ius ad illam vtilitatem conſurgit ex illo contractu, in quo fundatur, ergo ſi contractus ipſe in foro externo irritus eſt, erit etiam irritum illud ius.

Deſtructo contractu deſtruũtur omnes obligationes, quæ in ipſo fundantur.

Probatur tandem vltima pars primò, quia ex ſuperiùs dictis, quandò contractus ex natura ſua non eſt irritus, ſed tantum irritatur per diſpoſitionem iuris poſitiui, quamuis non pariat obligationem ciuilem, parit tamen naturalem, & in foro conſcientiæ, ergò, cum contractus cambiorum ex natura ſua ſit iuſtus, & validus, naturalitèr obligabit cōtrahentes ad adimplenda ea omnia, quæ in eodem contractu fuerunt conuenta. Secundò quia in foro conſcientiæ nullum onus conſurgit reſtitutionis, vbi per contrahentes ſaluatur æqualitas inter id, quod accipitur, & inter id, pro quo accipitur, ſed talis in hypotheſi noſtræ aſſertionis ſupponitur ſeruari æqualitas iuxta vſum fori, ergo &c.

Contractus cābiorum quamuis iure poſitiuo prohibitus inducit obligationem naturalē.

PRÆNOTIO IV.

Aſſignantur variæ rationes in particulari, ob quas in cambijs poſſit percipi, vel non percipi aliqua vtilitas ſuprà valorem pecuniarum.

SVMMARIVM.

Aſſignantur quæſtiones, quæ in tota prænotione examinabuntur. 1.

Poteſt licitè pecunia purioris materiæ, licet eiuſdem valoris legalis, commutari cum alia imperfectioris materiæ cum lucro. 2.

Diluuntur argumenta oppoſita Medinæ. 3.

Refertur, & refellitur ratio Valentiæ. 4.

In contractibus emptionis, & venditionis non poteſt pecunia aurea expendi quoad valorem legalem ſuprà argenteam. 5.

Poteſt tamen pecunia purior etiam in emptione expendi ſupra valorem legalem, ſi interueniat alius contractus permutationis virtualis, & explicatur quomodo. 6.

Interueniente illo contractu virtuali poteſt expendi etiam ſupra valorem legalem, ſiuè in ſolutione debiti, ſiuè pro contractu de nouo ineundo. 7.

Admiſſo illo contractu virtuali pecunia valoris legalis, vt vndecim, poteſt tradi pro pecunia valoris, vt duodecim. 8.

Regulariter interuenit ille contractus virtualis, ſi venditor non diſſentiat. ibid.

Etiam non interueniente illo contractu poteſt domus ſolui ſupra valorem legalem. 9.

Poteſt licitè in cambijs pecunia purior commutari cum minus pura ſine compenſatione. 10.

Proponitur, & ſoluitur argumentum Soti. 11.

Miniſter, cui Dominus pecuniam auream detulit transferendam ad creditorem pro debito, ſi illam in itinere commutauit cum argentea cum lucro poteſt lucrum detinere, ſi aliam auream tradat eidem creditori. 12.

Item ſi tradat argenteam, dummodò non ſit contrà voluntatem præſumptam Domini. ibid.

Secus ſi contrà talem voluntatem. ibid.

Extenduntur, quæ dicta ſunt ad miniſtros Principum, ad depoſitarios, & ſimiles. 13.

Nonnulla obiecta ſoluuntur. 14.

NON

Digitized by Google

NON eſt mens hic ex profeſſo immorandi in indagine eorum omnium, quæ, vel propter annexas circunſtantias, vel propter actiones aliquas ſunt meritoria alicuius lucri; plura etenim ex his iam diſcuſſa fuerunt in præcedente prænotione, plura ſub ſuis titulis diſcutientur in ſubſequenti-
1 bus. Præcipuum autem intentum in hac prænotione erit inquirere primò, an ratione pecuniæ purioris materiæ, quam in cambio quis permutat cum alia materiæ non ità perfectæ, quamuis ſit eiuſdem valoris legalis cum illa, poſſit aliquid lucrari ſupra valorem pecuniæ, quam in permutatione acquirit. Secundò occaſione arrepta ex hac aſſignata quæſtione, an quæ dicta ſunt de pecunia purioris materiæ locum tantum habeant in contractibus cambiorum, an etiam in contractibus emptionis, & venditionis. Tertiò, an poſſit moneta impura, & minoris ponderis cum alia purioris qualitatis, & maioris ponderis permutari nulla compenſatione facta pro illo exceſſu, & qualitate, quandò vtraque moneta eſt eiuſdem valoris legalis. Quartò etiam ex occaſione arrepta, an ſi famulus, cui Dominus pecunias aureas tradidit, vt ſolueret debitum creditori eiuſdem Domini pecunias aureas commutet cum argenteis, & cum illis debitum integrè perſoluat, ſi ex illa permutatione lucrum aliquod acquiſierit poſſit ſibi iuſtè illud retinere. Singula clarè, & dilucidè per ſubſequentes aſſertiones expendo.

Proponuntur variæ rationes dubitandi circà propoſitam materiam.

Quid ſentiendum ſit de famulo pecunias aureas cambiēte, & lucrum ex illis acquirente.

ASSERTIO I. In permutatione pecu-
2 niæ purioris materiæ cum alia materiæ non ità puræ, quamuis valor legalis vtriuſque ſit æqualis, poteſt licitè Dominus pecuniæ purioris lucrum exigere, & acquirere, quantum ſufficit ad adæquandum valorem naturalem vtriuſque materiæ attentis circunſtantijs maioris, vel minoris valoris vtriuſque. *Molina tract. 2. diſp. 401. verſ. dicendum deinde eſt*, *Salas de cambijs dub. 33. nu. 3. 4., & 9.*, *Rebellus 2. part. de oblig. iuſtitiæ lib. 11. de cambijs quæſt. 5.*, *Lugus de cambijs diſp. 27. ſect. 8. n. 8. verſ. Quintus titulus eſt, & alij magis communitèr contrà Medinam quæſt. 3. de cambijs* volentem nihil ſuprà valorem legalem taxatum à Principe poſſe in huiuſmodi permutationibus percipi, vel quia Princeps taxans huiuſmodi valorem reſpicit ad vtriuſque commoditates, vel quia huiuſmodi pecuniæ, licet non æquales in materiali qualitate, habent diuerſas commoditates, per quas poſſint ad inuicem compenſari, etiam præſcindendo ab illo lucri exceſſu.

Materia purior naturalitèr eſt magis meritoria lucri, quàm minus pura. *Molina. Salas. Rebellus. Lugus. Medina.*

Rationes quæ pro Medina afferūtur in contrarium.

Probatur primò, quià materia intrà eandem ſpeciem purior eſt ſecundum ſe meritoria maioris pretij, quàm ſit materia intrà eandem ſpeciem non ità pura, ergò in commutatione illius cum iſta poterit iuſtè aliquid exigi. Antecedens probatur, tum quia eſt magis apta ad perfectiores vſus, tum quià aurum v.g. ſecundum ſe eſt pretioſius, quàm alia ex genere ſuo deterioris conditionis ab eodem auro, ergò etiam aurum ſecundum ſe purum erit pretioſius auro commixto, ſeù non ità puro. Conſequentia hæc probatur, quia aurum commixtum, & non ità purum inuoluit materiam deterioris conditionis ab ipſo auro, & ſi aurum comparatum ad non aurum, ſed ad aliud metallum deterioris conditionis eſt longè ipſo pretioſius abſolutè, ità aurum omninò purum comparatum ad commixtum erit ſaltem ſecundum quid pretioſius, ſcilicet ſecundum illam partem commixtam, quæ non eſt propriè aurum, licet ſimul cum auro dicatur aurum denominatione deſumpta a potiori; ità enim ſe habet totum ad totum, quod non eſt ipſum, ac totum ad partem, quæ non eſt eiuſdem rationis cum eodem toto. Conſequentia etiam primi argumenti probatur, quia natura rerum poſtulat, vt quo res magis ſecundum ſe pretioſiores ſunt, eo maiori pretio tranſigantur, commutentur &c.

Pecunia purior eſt magis apta ad vtiliores vſus.

Aurum comparatum ad non aurum eſt pretioſius abſolutè, comparatum ad aurū deterius eſt pretioſius ſecundum quid.

Probatur ſecundò, quia, ſi non poſſet aliquid exigi ſupra valorem legalem ratione purioris materiæ, quæ eſt in pecunia, maximè quià eſt ſignata publico caractere, ratione cuius determinatus valor per Principem taxatur, ſed hæc ratio non obſtat, quominus &c. ergo &c. Maior non repellitur ab aduerſarijs, quinimmò eſt præcipuum ipſorum fundamentum. Minor probatur, tum quia non ſumitur, vt pretium eſt, ſed vt merx quædam venalis, vt ſupra latè attigimus; tum quia ex eo, quod publico caractere ſit ſignata non amiſit valorem internum, & naturalem, ſecundum quem materia perfectior eſt appretiabilior materia non ità perfecta. Facit maximè ad rem noſtram id, quod refert *Molina d. diſp. 401. verſ. dicendum deinde eſt* de Philippo, qui poſtquam taxauerit *l. 13. de clar. tit. 21. lib. 5. noua collect.* ſcuta ad valorem quadringentorum marauedinorum declarauit ducatos, quos Ferdinandus cudi fecerat, maioris valoris eſſe, quam fuerint, quando cudi iuſſi ſunt,

Valor legalis, nec minuit, nec tollit valorem rei internum, & naturalē.

Refertur ſenſus Philippi Hiſpaniarum Regis.

ſunt, & hoc propter maius pondus, & auri qualitatem, quod certè indicat auri qualitatem eſſe pluris, vel minoris appretiabilem iuxtà maiorem, vel minorem eiuſdem perfectionem.

Taxatio valoris legalis æqualis pro re deteriori ceſſare facit legem taxantem pretium pro re perfectiori.

Probatur tertiò, quia ſtatuere pro moneta inferiori in auro eundem valorem, qui ſtatutus eſt pro moneta perfectioris materiæ facit manifeſtè ceſſare vim prioris legis taxantis pro perfectiori moneta talem valorem, ergo ratione valoris legalis non erit, quin materia perfectior poſſit pluris æſtimari, & maiori pretio compenſari; ſiquidem vbi lex ceſſat, ceſſat etiam valor per talem legem impoſitus. Antecedens probatur, quia irrationabile omninò eſt, vt rebus in valore omninò inæqualibus æqualia pretia indiuiſibiliter ſtatuantur.

3

Satisfit primo argumento Medinæ.

Diluamus iam argumenta, quæ per Medinam loco citato obijciuntur. Dicendum igitur eſt ad primum, vel Principem in taxatione huiuſmodi monetarum reſpexiſſe ad ſingulorum commoditates ſub ea ratione, ſub qua ſunt pretium, vel menſura rerum venalium, non ſub ea ratione, ſub qua conſiderantur, vt res venales, & merces, cæteroqui irrationabilitèr æquale pretium pro rebus in valore naturali inæqualibus conſtitueret, ſi ad illum etiam reſpiceret, vel dicendum eſt Principem in taxatione valoris æqualis quoad rem in perfectione naturali inæqualem tacitè ſaltem acquieſcere variationi valoris quoad rem, ſeu monetam in natura, & qualitatibus perfectiorem; non enim præſumendum eſt legislatores velle, vt lex taxæ antiquæ perſeueret, quotieſcunque variatis circunſtantijs valor naturalis variatur; vndè potuit quidem eſſe iuſta prima taxatio monetæ in qualitatibus perfectioris pro eo tempore, pro quo primo impoſita fuit, ſed cum poſtea materia inferior ex voluntate legislatoris ad valorem eiuſdem deuenerit, non eſt, cur præſumenda ſit voluntas ipſius perſeuerare in eo propoſito, vt prima taxa perſeueret, ſed potius annuere, vt augmentum, & ipſa ſumat in valore, ſicuti ſumpſit inferior; quod certò de facto euenire credendum eſt, dum campſores regularitèr contrahunt percepto illo augmento, & Principes videntes, & ſcientes non reprobant, ſed potius acquieſcunt.

In taxatione Princeps conſiderat monetam vt pretiū præcisè ſeu vt menſuram rerum venalium.

Principes videntes & non contradicentes annuunt variationi taxæ.

Ad ſecundum dicendum eſt, quod, quamuis quandòque pecunia in materia, vel qualitatibus inferior habeat aliquos vſus, & commoditates, quos, ſeu quas habere nequit moneta perfectior, non tamen æquè commoditates iſtius, ſeu vſus ſint compenſabiles per vſus, ſeu commoditates illius, tum quià longè plures, & vtiliores ſunt commoditates, & vſus perfectioris monetæ, quàm deterioris; tum quià quod perfectius eſt eminentèr poteſt præſtare id, quod præſtat, quod imperfectius eſt, ſi non ratione ſui, ſaltem ratione alterius, cum quo poteſt commutari, quod tamen imperfectius non poteſt id præſtare, quod præſtat perfectius, niſi per exceſſum quantitatis ſuppleat defectum qualitatis. Certè qui habet monetam in auro perfecto, & omninò puro poteſt totum id præſtare, quod poteſt præſtare ille, qui habet monetam in eodem auro, ſed impuro, & quid vlterius, non è contrà. Quod ſi deindè velis comparare monetas aureas v. g. purioris materiæ ad alias monetas minutas deterioris metalli, & dicere has habere vſus ad pias eleemoſinas, ad contractus minutiores, & ad his ſimilia, quos commodè non videtur poſſe habere moneta pretioſior, tunc dicendum eſt hos vſus non æquiualere vſibus alijs, quos habet pecunia pretioſior, adeoque non eſſe adinuicem æquè compenſabiles.

Vſus pecuniæ deterioris, & perfectioris non ſunt adinuicē compenſabiles.

Quod perfectius eſt poteſt præſtare id, quod imperfectius, non è contrà.

Valentia *in ſecundam ſecundæ D. Thomæ de iuſt., & iu. diſp. 23. punct. 2.* propugnator acerrimus opinionis Medinæ, noſtræq; oppugnator aliam rationem, præter aſſignatas à Medina adducit ſitam in eo, quod eadem frumenti quantitas æquè emi poteſt, & debet per monetam auream iuxta valorem à lege taxatum, ac per monetam argenteam ſumptam etiam ſecundum valorem legalem eiuſdem correſpondentem valori legali eiuſdem monetæ aureæ, adeò vt ſi moneta, cum qua frumentum emitur, ſit valoris legalis librarum viginti quatuor Imperialium, & tres monetæ argenteæ ſint per legem etiam taxatæ ad valorem earundem librarum viginti quatuor Imper. æque poſſit, ac debeat idem frumentum per has, ac per illam emi, quod idem dicendum eſt quoad monetas aureas eiuſdem valoris legalis, licet inæqualis perfectionis in entitate, & qualitatibus, ergo, & eadem pecunia aurea, iuxtà valorem legalem debet commutari, vel cum argentea, vel cum alia aurea deterioris conditionis ſecundum eundem valorem legalem, & non alitèr. Conſequentia hæc tenet, quià, cùm debeant eſſe æqualia in ordine ad tertium, debent eſſe etiam æqualia in ordine 4

Proponitur argumentum Valentiæ quoad hanc materiam.

Non eſt æqualis comparatio pecuniæ aureæ, & argenteæ ad frumentum, & pecuniæ aureæ, & argenteæ inter ſe.

Digitized by Google

dine ad ſe. Sed facilè ſatisfit argumento, in quo ſupponendum eſt valorem frumenti eſſe taxatum per legem Principis, ſeu Reipublicæ, adeoque conſiſtere in indiuiſibili, cæteroqui locum non haberet inſtantia; ſi enim haberet ſolummodò valorem iuxtà vſum fori, & admitteret latitudinem intrà ſupremum, & infimum, ſicuti poſſet modò pluris, modo minoris vendi, ità poſſet etiam pluris vendi pro pecunia aurea, minoris pro argentea; niſi fortaſsè velis dicere, quod facta conuentione de determinato pretio pro frumento, non poſſit venditor plus exigere, ſiuè ſolutio fiat in vna moneta, ſiuè in altera, quandò valor legalis vtriuſque eſſet æqualis, & per conſequens, non poſſit etiam emptor, pro illo quid minùs ſoluere in vna moneta, ac in altera, quandò vtriuſque valor per legem taxatus eſt æqualis. Siſtendo igitur in eo, quod valor frumenti ſit per legem Principis, vel per conuentionem partium taxatus ad argumentum Valentiæ dicendum eſt, in ipſo æqualem non fieri comparationem, adeoque nihil concludere; in caſu enim antecedentis vtraque moneta comparatur ad frumentum, vt pretium eiuſdem, in conſequentia autem vtraque moneta comparatur ad inuicem, vt merx quædam, ſeu res venalis, & commutabilis eſt; vt pretium autem eſt conſiſtit in indiuiſibili, cum ſecundum hanc conſiderationem ſit taxata auctoritate Principis, adeòque non poteſt ſecundum hoc tradi, niſi ſeruata penitus illa æqualitate; vt res autem venalis eſt, cum non ſit taxata auctoritate Principis relinquitur in ſuo valore iuxtà vſum fori, adeòque non eſt neceſſe, quod vtraque tradatur cum illa omnimoda æqualitate; ex quo habes, quid reſpondeas ad illud, quod ſubditur ſcilicet, ſi ſunt æqualia in ordine ad tertium debeant etiam eſſe æqualia in ordine ad ſe; habes, inquam, quid reſpondeas, nam non ſit comparatio ſecundum idem, ſed ſecundum diuerſa. Alitèr reſpondet Lugus, ſcilicet non eſſe neceſſe, quod in ſolutione frumenti attendatur valor legalis vtriuſque monetæ, ſed poſſit iuſtè per quid minùs acquiri per monetam auream, vel per puriorem in eadem materia, ac per monetam argenteam, vel impuriorem in eadem ſpecie numiſmatis. Sed an conſequenter procedat in hac reſponſione infrà videbimus in ſequenti aſſertione.

Pecuniæ in ratione rei iuxtà vſū fori admittunt latitudinem.

In ordine ad frumenti ſolutionē vtraque pecunia comparatur, vt pretium, in ordine ad ſe, vt merces.

Affertur reſponſio Lugi ad argumētum valentiæ.

5 ASSERTIO II. In contractibus emptionis, & venditionis, qua tales formalitèr ſunt, non poteſt pecunia aurea, vel purioris materiæ tradi pro re, quæ emitur, ipſam appretiando ſuprà valorem legalem, adeò vt ſi valor legalis talis pecuniæ ſit decem, & valor legalis etiam vnius, vel duorum argenteorum ſit ſimilitèr decem non poſſit eadem res pro minori in auro emi, ac in argento, vel pro minori in auro puriori, ac in imperfectiori, ſi horum omnium valor ſit æqualitèr taxatus.

Probatur, quià in contractibus emptionis, & venditionis ſemper pecunia, ſeu numiſmata accipiuntur, vt pretium, ſeu vt menſura rerum venalium, ſed pecunia, qua pretium, ſeu menſura eſt non admittit alium valorem, quam legalem, qui ex ſuperius dictis conſiſtit in indiuiſibili, ergo in ijs contractibus pecuniæ, ſiuè aureæ, ſiuè argenteæ non poſſunt expendi licitè ſupra talem valorem legalem. Maior probatur, quià per hoc contradiſtinguntur contractus emptionis, & venditionis à contractibus cambiorum, & ſimplicis permutationis, quia in emptione, & venditione ſit permutatio rei pro pretio, in cambijs pecuniæ pro pecunia, in ſimplici permutatione rei pro re, ergo pecunia, quæ interuenit in emptione, & venditione ſemper ſumenda eſt formalitèr, vt pretium, neque obſtat, ſi dicatur, ſufficere, quod in venditione interueniat præcisè pecunia, quamuis ſumatur materialitèr, eo modo, quo ſufficit, vt interueniat materialitèr in cambio pecunia pro pecunia, cæteròqui ſi deberet ſumi in hoc formalitèr vt pretium, non poſſet fieri cum perceptione alicuius lucri, eo quia pecunia, prout dicit formalitèr pretium non patitur magis, & minus, cum conſiſtat in indiuiſibili, vel ſi deberet ſumi formalitèr, vt res quæ iam eſt non diſtingueretur à ſimplici permutatione; non, inquam, obſtat quià emptio ex ſuo formali conceptu dicit contractionem rei, non pro pecunia materialitèr ſumpta, ſed pro pretio, ſicuti venditio dicit diſtractionem eiuſdem rei pro pretio, vt latè diximus *in 1. tom. ſub titulo contractus 2. prænot. 1. aſſert.* 1. in explicatione definitionis vtriuſque; particulæ autem definitionis ſumendæ ſunt non materialitèr, ſed formalitèr, vt per ſe patet. Cum autem cambium ex ſui definitione ſit pecuniæ pro pecunia permutatio, & hæc duplicem habeat vſum, non eſt, cur ſumpta ſecundum vſum ſecundarium, non poſſit conſtituere contractum cambij, vt ſufficientèr contradiſtinctum, tum à contractu ven-

In contractibus emptionis, & venditionis pecunia ſemper interuenit, vt pretium.

Diſcrimē inter emptionem, & venditionem, & inter cambiū, & ſimplicem permutationem

Particulę definitionis emptionis, & venditionis ſumendæ ſunt formalitèr.

Digitized by Google

venditionis, tum è ſimplici permutatione, ab illo quidem, quatenus reſpicit pecuniam formalitèr, vt pretium, cambium autem illam, vt rem, ab iſta verò, quatenùs ſimplex permutatio eſt præcisè inter rem, & rem, cambium inter pecuniam, & pecuniam, quæ quamuis non ſumatur, vt pretium, ſed vt res venalis, ſumitur tamèn, vt eſt talis affecta talibus qualitatibus, & ſignata Principis caractere, ſicque hæc eſt reſtricta ad rem talem, illa vtpotè vniuerſalior extenſa ad quamcunque.

6

In emptione poteſt interuenire alius contractus virtualis permutationis.

Dixi, *quæ tales formalitèr ſunt*, propter nonnullos, qui apud Lugum *diſp. 28. de cambijs ſect. 2. num. 16., & 17.* docuerunt in emptionibus, & venditionibus pecuniam puriòris materiæ, poſſe pro re empta tradi iuxtà valorem naturalem ſuprà legalem, ſi in tali contractu intelligatur implicitè, & virtualitèr commixtus alius contractus permutationis pecuniæ puriorls materiæ cum alia deterioris conditionis, vt ſi empta, v.g. domo, & facta conuentione de ſolutione pro illa mille librarum Imperialium dicat emptor. *Soluam conuenta in pecunia argentea iuxtà valorem legalem eiuſdem, ſed ſi vis, vt ſoluam in auro perfecto ipſum computabo iuxtà valorem naturalem non attento legali*; tunc enim aſſerunt huiuſmodi Doctores duplicem contractum implicitè, & virtualiter interuenire, alterum emptionis, & venditionis, alterum permutationis, ſeu cambij, quo pecunia aurea commutatur cum argentea, vel purior cum impuriori, & ſic pecuniam puriorem ſupra valorem legalem cum illo incremento poſſe tradi ad complendum contractum emptionis, non quidem, vt correſpondet formalitèr contractui venditionis proptèr rationes adductas in noſtra probatione, ſed vt correſpondet alteri contractui permutationis. Doctrinæ acquieſco, quæ tamen non obſtat concluſioni, quæ procedit de contractu emptionis, & venditionis, quatenus talis formalitèr eſt. Hoc tamen aduerto, ad iuſtificandum contractum cum illo exceſſu pecuniæ ſuprà valorem legalem, debere virtualitèr interuenire illum alium contractum permutationis, in quem neceſſe eſt, vt vterque contrahens ſaltem implicitè conſentiat, quià, cum contractus ſint, vltro citròque obligatorij, debent perfici cum mutuo conſenſu ſaltem implicitè, qui conſenſus eſt radix obligationis, ex quo fit, vt ſi emptor, qui pro domo eſt debitor mille librarum Imperialium exhibeat ſolutionem in pecunia argentea iuxtà valorem legalem, & venditor acceptet, & poſteà velit argenteam commutare cum aurea, hancque tradere ſupra valorem legalem, & venditor renuat, non poſſit hic cogi ad illam acceptandam iuxtà illum exceſſum ſuprà legalem, non ex vi contractus emptionis, qui ſolum reſpicit æqualitatem rei ad pretium iuxtà valorem legalem vt ſuprà, non ex vi contractus permutationis virtualis, quià, cum in hoc non conſenſerit venditor, non poteſt ex hoc obligari, cum ſolus conſenſus in permutationibus voluntarijs ſit radix obligandi.

Explicatur quomodo poſſit interuenire.

Si interueniat talis alius contractus poteſt pecunia purior expendi ſupra valorem legalem.

Ad iuſtitiam cõtractus illius virtualis requiritur, vt vterq; in illum conſentiat.

Ex his nonnulla inferes ad clariorem concluſionis elucidationem, & ad ſolutionem dubiorum plurium, quæ in praxi poſſunt frequentèr occurrere. Primùm eſt, æquè poſſe pecuniam puriorem expendi ſuprà valorem legalem, ſiuè in ordine ad extinguendum debitum præcedens, ſiuè in ordine ad perficiendum contractum, qui de nouo ineatur, ſi intercedat cum mutuo conſenſu ille virtualis contractus permutationis, quidquid quoad contractum de debito præcedenti in contrarium dixerint *Ledeſma, & Bannes*, apud eundem Lugum *loc. cit. nu. 15. verſ. 2. ſent.* Ratio eſt, quia nulla eſt repugnantia, quin extante debito præcedenti poſſit iniri ille contractus virtualis permutationis, cum nullam inuoluat cum eodem debito oppoſitionem, & ſi ſimul cum contractu venditionis poteſt haberi, cur non poterit, poſt talem contractum venditionis, ſed non completum per actualem ſolutionem, etiam haberi? Ex quibus è conuerſo deduces, quod, ſi non ſit mutuus conſenſus vtriuſque ad illum contractum virtualem permutationis, non poterit cogi creditor ad accipiendam illam pecuniam auream, ſeu puriorem ſuprà valorem legalem, eo quià ex vi prioris contractus, qui eſt venditionis, attenditur præcisè pecunia ſecundùm valorem legalem, & in ſecundnm contractum creditor non ſupponitur conſentire, & ſine conſenſu non oritur obligatio, vt ſuprà. 7

Etiam in ſolutione debiti poteſt expendi ſupra valorem legalem.

Ledeſma. Bannes. Lugus.

Locum etiam habet in contractu de nouo ineundo.

Non extante mutuo conſenſu ad illum contractũ permutationis, non poteſt cogi venditor ad accipiendam pecuniam ſupra valorem legalem.

8

Secundum eſt, quod, ſi res aliqua habeat taxatum valorem à lege, puta duodecim argẽteorum, & detur nummus aureus, cuius valor legalis ſit vndecim fiat re vera per traditionem iſtius iuſtus contractus, ſi virtualitèr interueniat ille alius contractus permutationis, ſecus ſi ille non interueniat propter rationes mox adductas. Sed an regularitèr intelligatur ille contractus in-

Regularitèr præſumitur contractus ille virtualitèr interuenire, quotieſcunque venditor non diſſentit.

Digitized by Google

interuenire, ex eo præciſè, quod venditor conſentiat, etiam ſi emptor non exprimat ſe promptum eſſe rem illam ſoluere in alia moneta ſeruato valore legali iſtius, crediderim certè interuenire, eo quià, cum ſciat valorem monetæ aureæ legalem non aſcendere ad illam quantitatem, ſecundum quam emptor, attenta qualitate naturali, vult eam tradere, & arbitrarium ipſi ſit, exigere monetam in alia materia ſecundùm valorem legalem, & nihilominùs conſentit in alium valorem excedentem legalem, præſumitur implicitè cambire, commutando pecuniam in diuerſa materia cum aurea.

9 Tertiùm eſt, quod, ſi vendatur domus aliqua pro centum argenteis, & emptor ipſam ſoluat in pecunia aurea, non attento valore legali ipſius aureæ pecuniæ, ſed dumtaxat naturali, adhuc poſſit eſſe iuſtus contractus, quamuis non intelligatur interuenire virtualis illa permutatio auri cum argento, & ratio eſt, quià tunc non eſſet in rigore contractus emptionis, ſed ſimplicis, vel quaſi ſimplicis permutationis, cum ipſa pecunia aurea tunc non conſideraretur, vt pretium, ſed vt res quædam venalis, vt latè ſuprà. Quod ſi ſupponas, poſteà interuenire permutationem virtualem auri cum argento, vel materiæ purioris cum imperfectiori, iam verificantur ea omnia, quæ iam dicta ſunt.

Etiam non extante illo cōtractu poteſt domus emi ſecundum valorem naturalem.

10 Assertio III. Poteſt licitè in cambijs moneta omninò pura commutari pro impura, quandò vtriuſque eſt idem valor legalis, etiam non facta compenſatione illius exceſſus valoris naturalis, quam videtur exigere moneta omninò pura. *Bannes 2. 2. tom. 2. tract. de cambijs dub. 6. concl. 2., Lugus diſp. 28. de cambijs ſect. 2. nu. 19. verſ. contraria ſent.* aduerſus *Sotum lib. 6. de iuſt. quæſt. 12. art. 1. concl. 1., Ledeſmam 2. parte ſummæ tract. 8. concl. 9. de cambijs.*

Etiam non facta compenſatione poteſt moneta purior mutari cum minus pura. *Bannes, Lugus, Sotus, Ledeſma.*

Probatur primò. Poteſt optimè ſaluari natura cambij, etiam ſi in permutatione pecuniæ pro pecunia non conſideretur vtraque, vt res venalis, ſed vt pretium omninò eſt, hoc eſt, ſi non attendatur ſecundum valorem naturalem, ſed tantum ſecundùm legalem, nec in hoc vlla apparet iniuſtitia, ergo iuſtè poterit vtraq; moneta adinuicem permutari, attento ſolummodò valore legali, & ſine compenſatione valoris naturalis. Antecedens quoad primam partem probatur, quia per ſolam conſiderationem pecuniæ ſumptæ, vt pretium eſt, optimè contradiſtinguitur cambium tum à ſimplici permutatione, tùm ab emptione, & venditione, ab illa quidem, quià ibi commutatur res pro re; ab iſta, quià in hac traditur res pro pretio, ergo, ſi tradatur pretium pro pretio, ſaluabitur verè ratio cambij, cum inter ſimplicem permutationem, venditionem, & cambium non detur alius contractus medius. Probatur item quoad ſecundam partem, quia ex eo, quod in alijs contractibus vtraque pecunia expendatur ſecundum valorem legalem dumtaxat præſcindēdo à naturali, nulla committitur iniuſtitia; quis etenim diceret eſſe iniuſtitiam, ſi quis ſolueret debitum quinquecentum librarum Imperialium per aurum iuxta valorem taxatum à Principe, vel per argentum iuxtà valorem eiuſdem taxatum ab eodem Principe, ſeu facta conuentione de determinato pretio pro emptione alicuius rei illud ſoluat, vel in auro, vel in argento iuxta valorem legalem vtriuſque? ergo neque vlla committetur iniuſtitia, ſi vna pecunia commutetur cum alia ſecundùm valorem præciſè legalem. Conſequentia tenet, quia, ſi in alijs contractibus ſaluatur ſufficientèr æqualitas requiſita ad iuſtitiam eorundem per ſolùm valorem legalem, non erit, cur ſaluari nequeat in contractibus cambiorum.

Saluatur iuſtitia contractus, etiā ſi fiat attento ſolo valore legali nō naturali.

Satisfit exemplo aliorum contractuum, in quibus ſeruatur valor legalis.

Probatur ſecundò. Ex communi praxi omnium ferè regionum, ſecundùm quàm non ſolum pecunia aurea in cambijs minutis permutatur per pecuniam minutam iuxtà valorem legalem vtriuſque ſine vllo ſcrupulo iniuſtitiæ, ſed etiam vna aurea, vel argentea non ità pura; ſic refert *Molina d. diſp. 401. in fin. verſ. cum legibus*, declaratum eſſe, quod, quantumuis monetæ ratione naturalis valoris in pretio creuerint, in ſolutione tamen debitorum cogendos eſſe creditores ad eaſdem accipiendas iuxtà valorem legibus præſcriptum; ſic refert *Lugus loco cit.* Plaſtras hiſpanas minoris ponderis eſſe, quam ſint Mexicanæ, & tamen ad inuicem ſine vlla compenſatione abſque ſcrupulo etiam timoratorum commutantur; ſic nos pro tempore, quo hic Mediolani Philippi computabantur ad rationem dumtaxat librarum ſex Imperialium experti ſumus quartam ipſorum partem ſine vlla penitus difficultate permutari cum argenteis Mutinæ vulgò *quarti*, cum tamen hi deterioris ſint qualitatis, quod etiam paſſim euenit in omnibus Italiæ partibus, in quibus monetæ cuduntur inæqualis bonitatis naturalis, & tamen æqua-

Ex communi praxi pecuniæ permutātur ad inuicem ſecundū legalem valorem *Molina.*

Lugus.

Etiam quando ſint diuerſi ponderis.

Digitized by Google

æqualem ſortiuntur valorem legalem, ſecundum quem communitèr expenduntur, commutantur, & ſub commercijs omnibus cadunt.

11 Ad magis confirmandam aſſertionem infirmari nunc debent argumenta, quæ in contrarium afferuntur. Obijcit igitur primò *Sotus lib. 6. de iuſt., & in. queſt. 12. art. 1. concl. 1.* Iniuſtum omninò eſt cambium frumenti imperfecti, aut olei cum alio perfectiori, & vtiliori, niſi interueniat compenſatio, vel libera, & gratuita ceſſio illius exceſſus, ergo etiam iniuſtum omninò erit, pecuniam inferioris gradus auri permutare cum alia ſuperioris, niſi fiat compenſatio. Sed non me premit hæc ratio. Quæro enim, an frumentum cuiuſcunque qualitatis ſit, ſiuè imperfectioris, ſiuè perfectioris, quod etiam dic de oleo, alijſque rebus venalibus, habeat taxatum eundem valorem a lege, vel à Principe, vel non; ſed tantum vendatur iuxta valorem ad vſum fori; ſi primum; non video, cur ſpectata præcisè conuentionum praxi, ſecundum quam res venales commutantur, & venduntur iuxta valorem legalem non poſſint duo frumenta, vel aliæ res eiuſdem generis, licet diuerſæ qualitatis ſub eodem genere adinuicem permutari, attento præcisè valore legali, ſi enim frumentum deterioris conditionis poteſt iuxta valorem legalem vendi, & pretio ex ipſo deſumpto poteſt aliud frumentum perfectioris qualitatis acquiri nulla penitus facta additione, cur non poterit breuiori manu frumẽtum deterius iuxta eundem valorem cum perfectiori permutari? ſi ſecundum; ceſſat quæcunque ratio præſentis quæſtionis, vt patet.

Sotus.

Non videtur aliqua repugnantia, cur frumentum pro frumento non poſſit cõmutari, ſi vtrumque habeat eundem valorem legalem.

Dices primò, nullum eſſe ità inſanæ mentis, qui velit ſuum triticum, ſuaſq; res venales perfectioris gradus, & conditionis commutare cum alijs imperfectioris qualitatis in eodem genere, etiam ſi omnes ſint eiuſdem valoris legalis. Quamobrem ex eo, quod poſſit velle res ſuas perfectiores licitè vendere ad rationem pretij à lege, ſeu à Principe taxati, & quid aliud non requirat ratione maioris perfectionis rerum ſuarum, non benè arguitur, quod poſſit licitè fieri commutatio ipſarum pro rebus inferioribus, nam pretium legale eſt iuſta menſura illius frumenti, ſeu rei, quæ venditur, res autem deterior non poteſt eſſe iuſta menſura rei perfectioris, quæ commutatur. Sed contra; Fateor quidem, quod Dominus rei perfectioris de facili vendet eandem pro pretio legali, & de facili non commutabit cum re eiuſdem generis deterioris, quamuis hæc ſit eiuſdem pretij legalis cum ipſa, tum propter maiorem facilitatem ad exitum, quæ eſt quoad rem perfectiorem, quam ſit in imperfectiori, tum propter maiorem vtilitatem ad vſus; ex hoc tamen non ſequitur, quod, ſi adinuicem commutentur, non ſit iuſtus contractus, eo quia ſemper datur æquiualens in fori æſtimatione, quæ conformatur valori legali, quando hic taxatus eſt, & in vſu. Verum tamen eſt, quod regularitèr frumentum deterius non toto legali pretio vendatur, & non ità facile, quapropter, non obſtante taxatione talis valoris, ſemper aliquid addendum eſt, vt fiat adæquata compenſatio, & in hoc caſu dicendum eſt, quod taxatio ſit ad tot, & non ad plura, per quod non tollitur, quin de illa poſſit diminui, ſi res decreſcat in valore naturali, & non ſit de facili vendibilis iuxta valorem taxatum; quæ omnia non eueniunt in commutatione pecuniæ purioris cum minus pura, cum ſemper indiferenter vtraque expendatur ſecundum valorem legalem.

Diſcrimen inter monetam puriorẽ, & minus puram eiuſdem valoris legalis, & inter frumentum perfectius, & deterius.

Quandòque ex difficultate exitus rei minuitur valor legalis eiuſdem.

Dices ſecundò, hæc, quæ dicuntur pro frumento deteriori, quandò eſt vendibile ad valorem legalem, aduerſantur ijs, quæ dicta ſunt *in hac eodem præn. aſſert. 1. verſic. prob. 3.*, nam, ſi quando numiſmati in materia deteriori taxatur valor æqualis, ceſſat lex, quæ eundem valorem taxauit in numiſmate perfectiori, ergo etiam, quãdò frumento deteriori imponitur æqualis valor legalis, ceſſat lex, quæ taxauit eundem valorem frumento perfectiori, adeoq; nunquam poterit dici, quod frumentum inferioris qualitatis poſſit commutari cum frumento perfectiori ſine additione, ſeu compenſatione. Sed contra; primò quia admiſſa hac doctrina, quam veriſſimam arbitror, non habet locum hæc aſſertio, quæ tantum procedit in caſu, quo reſpectu vtriuſque monetæ, vel vtriuſque frumenti ſit legalis taxatio communitèr acceptata, & ſit in praxi. Secundò, quia nos ſupponimus in caſu noſtræ aſſertionis taxationem ad æqualem valorem legalem pro vtraque moneta, ſeu re inæquali, fuiſſe ſimulfactam, nõ ſucceſſiuè, adeòque non eſſe, cur ad taxationem inferioris ceſſare debeat lex taxatiua perfectioris, quod, an Princeps potuerit facere, eſt maximum inter Doctores diſſidium; nobis ſatis ſit pro nunc dicere potuiſſe ſuppoſito, quod ſubditi

Proponitur iuriũ & rationum oppoſitio, & ſoluitur.

Supponitur taxatio valoris legalis æqualis pro moneta inæquali facta eodem tempore, non ſucceſſi.

con-

Digitized by Google

conſenſerint, prout ſupponimus conſentire.

Dices tertio ex his, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub titulo Contractus 2. de empt., & vend. prænot. 7. aſſert. 4. nu. 11.*, quod, quandò venditur res defectuoſa, quæ ratione defectus minus vtilis eſt ad vſus, ad quos eſt inſtituta, debeat ex iuſtitia detrahi de iuſto pretio, quanti res illa minus valet ratione illius defectus, ob quem redditur minus vtilis; ergò etiam in permutatione monetæ materiæ minus perfectæ cum moneta perfectiori debet tantum quoad illam augeri, quantum ſufficit ad adæquandam vtilitatem iſtius; ſi enim in venditionibus debet fieri commenſuratio rei ſecundùm vtilitates maiores, vel minores, quas habet ad pretium, ità in commutationibus debet fieri eadem cõmenſuratio pecuniæ ſecundùm commoditates maiores, vel minores, quas habet ad aliam pecuniam, ſecundum eaſdem commoditates. Sed contra, quia ibi non erat ſermo de rebus habentibus valorem legalem æqualem, etiam ſi non eſſent æquales in bonitate naturali, prout eſt ſermo hic de præſenti. Deindè ibi erat ſermo de re defectuoſa, cuius valor potiſſimum deſumebatur, non à voluntate Principis, ſed dumtaxat in ordine ad vſus, ad quos eſt ordinata, qui, cum ratione defectuum in eadem exiſtentium non tot eſſe poſſint, quot eſſent, ſi res non *eſſet deficiens*, conſtituunt ipſam deteriorem etiam in valore naturali, qui ſolummodò ibi attenditur, hic verò eſt ſermo de re non abſolutè defectuoſa, ſed ſolum minus perfecta, cuius valor habetur à voluntate Principis, qui proindè ſubſiſtit, etiam ſi in aliquo deficiat valor naturalis in ordine ad vſus, cum tanti regularitèr expendatur, ſi ſit pecunia, quanti expenditur alia magis perfecta, vel tanti vendatur, ſi ſit res, quanti venditur alia perfectior æqualiter taxata. Ex his

Conciliantur ea, quæ nunc dicuntur cum alibi dictis quamuis videatur oppoſita.

Reſponderi etiam poteſt, & fortè melius ad obiectionem Soti, diſparem eſſe rationem de frumento, & alijs rebus venalibus, ac de pecunia; nam valor pecuniæ potiſſimum deſumitur in ordine ad primarium vſum, ad quem inſtituta eſt, ſecundum quem ſumitur, vt eſt pretium, ſeu menſura rerum aliarum venalium, quo ſubſiſtente ſecundum communem acceptationem, & praxim non eſt, cur contrahentes non poſſint ſe eidem cõformare cedẽdo cuicunque alteri valori, quem ipſa pecunia poſſit naturalitèr ſumere ex alijs vſibus ſecundarijs; valor autem frumenti, ſeu aliarum rerum venalium deſumitur in ordine præcipuè ad vſus, & commoditates alias, quæ, ſi fuerint inæquales, inæquale etiam pretium, & valorem conſtituent; vndè, cum pecuniæ, licet in bonitate naturali inæquales, æqualem ex communi praxi ſortiantur primarium vſum iuxta diſpoſitionem Principis taxantis poſſunt ad inuicem ſine alio commutari, cum autem frumentum, & aliæ res venales non poſſint primarium vſum, (ſi ſint in perfectione naturali inæquales) qui conſiſtit in commoditatibus, æqualem habere, hinc eſt, quod non videntur poſſe ſine compenſatione commutari.

Vſus primarius pecuniæ, & vſus primarius aliarum rerum non eſt idem.

Ex primario vſu deſumitur præcipuè valor rerum, ſeù pecuniarum, quo vſu variato videtur variandus, & valor

Dices videri iniquum, & irrationabile pecuniam in bonitate inæqualem propter maiorem, vel minorem perfectionem ſortiri debere æqualitèr primarium vſum, & valorem legalem, ſiquidem *ex l. 1. ff. de contrahenda empt. & l. 1. C. de veteris numiſmatis poteſtate lib. 10.* dicitur, numiſmata eſſe vbique condenda, & exponenda, an habeant debitum pondus, & *Angelus in l. Paulus ff. de ſolut.* dixit, Diminutis numiſmatis, quod attinet ad pondus, etiam æſtimationem eſſe diminuendam, quod etiam experientia ſit compertum, nam deficientibus in pondere nummis ad proportionem deficientiæ diminuitur valor ipſorum. Deindè ſi pecunia etiam in perfectione naturali inæqualis ſortiri poteſt primarium effectum, qui conſiſtit in valore legali, cur etiam non poterit frumentum, aliæq; res venales ſortiri eundem effectum, ſi æquali pretiò legali per Principem taxentur? Sed contra, quia *Ariſtoteles lib. 5. Ethyc. c. 5. & lib. 1. Polit. c. 6.* non incongruè aſſerit *nummum lege conſiſtere, ac ſuam vim retinere; non natura* & Iuris conſultus *in l. Titio ff. de auro & arg. leg.* docet legatis aliquibus ponderibus auri Petro Vg. ſufficienter, & iuſtò ſolui legatum, ſi vel aurum ad pondus, vel pretium ad menſuram legalem legatario tribuatur. Quamobrem ad allegata iura dicendum eſt, vel procedere dumtaxat quoad valorem naturalem, vel ſi etiam quoad legalem, in eo dumtaxat ſenſu, in quo Princeps præſcripſerit determinatum pondus ad determinatum valorem, quo pondere propterea deficiente ad proportionem diminui debeat etiam valor, vel non aduerſari noſtræ aſſertioni, quæ reſpicit dumtaxat minorem, vel maiorem perfectionem in qualitate, non in pondere, & quantita-

Angelus. nonnullæ aduerſariorum inſtantiæ.

Ariſtot.

Nummus lege conſiſtit ac ſuam vim retinet, non natura.

te, ſi ſit quoad nummos eiuſdem ſpeciei. Ad id, quod ſubditur, dicendũ eſt, primariũ vſum nummiſmatum in eo conſiſtere, quod ſit pretium, & menſura aliorum, qui æquè ſaluari poteſt etiam in pecunijs ſecundum quid inæqualibus poſita taxatione Principis, & acceptatione ſubditorum, cum, vt diximus, ex Ariſtotile valor pecuniæ ſit potius a lege, quam à natura, & antiquitus hic valor non auro, ſed alijs rebus deterioris conditionis imponebatur, primarius autem vſus aliarum rerum, cum non ſumatur, vt pretium, ſed vt res appretiabilis conſiſtit dumtaxat in alijs commoditatibus, ad quas res illæ ſunt ordinatæ, quoad quas propterea commoditates, ſi res illæ deficiant, deficiunt in primario vſu, adeòque etiam ſunt defectibiles quoad valorem; qui deſumitur ab eodem vſu; vnde valor illarum ex mente Ariſtotelis erit potius a natura, quam à lege ad differentiam nummiſmatum.

Valor legalis pretij in pecunijs nõ eſt affixus determinatis rebus, ſed dependet à voluntate Principis.

Obijci poteſt ſecundò, non videri quoad eandem pecuniam eſſe poſſe duplicem valorem, legalem ſcilicet, & naturalem, ſed per impoſitionem legalis ceſſare debere valorem naturalem, vt in Republica ratione talis diuerſitatis euitetur confuſio, & litium radix tollatur, facile enim contingeret, vt factis mutuis inter contrahentes conuentionibus partes inter ſe diſſiderent in ſolutionibus, dum alter monetas vellet non niſi ſecundum valorem legalem excipere, alter, non niſi ſecundum valorem naturalem erogare, ſicque in omnibus ferè contractibus alij contractus regularitèr deberent adijci, ſecundum quos conuenirent de valore monetarum, quod tamen non fit, ergo, quià præſumendum eſt per valorem legalem monetis impoſitum ceſſare naturalem, & legislatores in tali impoſitione hoc intendiſſe ad finem, vt tolleretur in contractibus præallegata confuſio. Sed facile me eximo ab hoc iaculo; Dico enim, quod ex eo, quod Princeps conſtituat pecunijs legalem valorem, non auferat ab eiſdem commoditates, & aptitudinem ad vſus, quos habent ex natura ſua, ſed illæ commoditates, & aptitudo ſunt pluris, vel minoris appretiabiles ſecundum ſe, prout ſunt plures, vel pauciores, ergo non aufert talem appretiabilitatem. Maior probatur; aurum purius non monematum, cum ſit aptius ad vtiliores vſus non deſinit eſſe tale ex eo, quod fiat monetatum, ergo ex eo, quod recipiat eſſe monetatum, & dependentèr ab hoc eſſe valorem legalem, non amittit commoditates &c. Minor etiam euincitur, quia illæ maiores vtilitates, quæ ſunt in auro puriori non monetato, ſunt maiori pretio compenſabiles, ac ſint, vtilitates minores in auro minus perfecto, ergo ſunt ſecundum ſe maiori pretio dignæ, etiam ſi ſint in auro monetato. Ad id, quod poſteà ſubditur de confuſione, quæ ſubſequetur, dicendum eſt, hanc eſſe imaginariam, & chymericam, nam in contractibus, in quibus interueniret, vt pretium formaliter, vt in emptionibus, & venditionibus, non poteſt ſumi, niſi ſecundùm valorem legalem. niſi adijciatur ille alius contractus virtualis permutationis, de quo ſupra, in quem liberum eſt vtrique contrahenti conſentire, vel non conſentire; in alijs verò contractibus, in quibus interueniunt, vt res venales non poteſt aliqua conſurgere confuſio, nam tunc transferuntur iuxtà valorem, ſecundum quem conueniunt; nec Principes præſumendi ſunt taxaſſe valorem numiſmatum ad vitandam confuſionem in omnibus, ſed in ijs dumtaxat contractibus, in quibus conſiderantur, vt pretium, ſecundùm quod, cum debeant eſſe menſura determinata aliarum rerum, non debent eſse in valore ſecundum ſe indeterminatæ. Cæterum in ordine ad alios contractus, in quibus conſiderantur. vt res, ſicuti in aliarum rerum permutationibus nulla oritur confuſio, etiam ſi non habeant determinatum valorem taxatum, ità nec in permutationibus pecuniarum videtur poſſe oriri præallegata confuſio, cum ſit eadem ratio, ac in alijs rebus.

Argumentum deſumptum ex abſurdò, quod cõſequeretur ex duplici valore, quo ad eandem rem.

Satisfit eidem argumento, per manifeſtas inſtãtias.

Illa confuſio, quæ obijcitur eſt merè imaginaria, & chymerica, & oſtenditur.

Manifeſta inſtãtia in aliarum rerum commutationibus.

Assertio IV. Miniſter, qui pecunias aureas accepit à Domino, vt ipſas deferret pro ſolutione ad creditorem eiuſdem Domini, illaſque in itinere commutauit cum argenteis acquiſito in illa permutatione aliquo lucro, ſi cum pecunijs illis argenteis, ſeu alijs cum eiſdem argenteis commutatis ſatisfecit in integrum creditori intrà debitum terminum, poteſt licitè illud lucrum ſibi retinere, ſi, poſtquam deuenerit ad locum creditoris, pecunias illas argenteas ità commutarit cum alijs aureis ſimilibus illis, quas accepit a Domino, & in illa ſecunda commutatione lucrum illud iam acquiſitum non amiſerit; item ſi ſoluerit in illis argenteis certo ſciens, vel ſaltem rationabilitèr præſumens Dominum non curare, quod creditori ſatisfiat, vel in pecunia data, vel in alia æqualis valoris legalis, ſecùs ſi ſci- 12

Diuerſi ſenſus ſecundum quos poteſt intelligi aſſerto.

ſi ſci-

Digitized by Google

ſi ſciret dominum velle determinatè, quod debitum in illa determinata pecunia à ſe aſſignata ſolueretur. In hanc concluſionem in vniuerſum cõſentiunt. *Rebellus 3.part. de oblig. iuſt. lib.12. quæſt. 11., Molina diſp.402., Lugus diſp. 38.ſect. 1., Leſſius c.13. dub. 2. nu. 18., & alij.*

Rebellus. Molina. Lugus. Leſſius.

13 Extenſio ad alios præterquam ad famulos.

Hæc, quæ dicuntur in aſſertione non ſolum habent locum in famulo iuxtà ſenſum expoſitum in ordine ad debitum Domini perſoluendum, ſed etiam de eodem in ordine ad res emendas, item in ordine ad Miniſtros Principum, qui reditus ipſorum recipiant, eoſque commutant cum alia quantitate cum incremento; inſuper in ordine ad depoſitarios, alioſque ſimiles.

Nec debitor principalis, nec creditor poteſt eſſe rationabilitèr inuitus quo ad illud lucrum.

Probatur prima pars, quia acquiſitio illius lucri facta per famulum nulli eſt iniurioſa, & ſolum fructus induſtriæ eiuſdem, ergo non erit ex iuſtitia per reſtitutionem reſtituenda. Antecedens patet, quia nec debitor principalis, nec creditor poteſt eſſe rationabilitèr inuitus de tali lucro, cum creditor non habeat ius, niſi ad pretium ad æqualitatem crediti ſecundùm valorem legalem, & ſi ex virtuali intentione principalis debitoris videatur habere ius ad illam pecuniam auream, æquè illud ius adimpletur, ſiuè per eandem in indiuiduo, ſiuè per aliam eidem ſimilem in ſpecie, & qualitate, cum æqualis ſupponatur vtriuſque valor legalis, & naturalis; vndè illud lucrum acquiſitum eſt merè fructus induſtriæ eo modo, quo eſt fructus induſtriæ lucrum, quod acquirit fur ex re furtiua, & vſurarius ex re vſuraria; vt latè diximus ſubit *de mutuo, & vſuris* dummodò poſteà æquiualens furto reſtituat, & damnum aliquod domino non emerſerit; ſeu lucrum ceſſauerit, vt infrà. Neque dicas, cum lucrum illud proueniat ex pecunia aurea tradita à debitore, eſſe fructum eiuſdem pecuniæ, quæ proindè debetur ei, cui debetur pecunia; cõtrà enim impugnaberis, quia, quamuis proueniat ex pecunia, prouenit tantum ab ipſa tanquam ab inſtrumento, quo vtitur ex induſtria ipſe famulus ad lucrandum; qui autem vtitur re aliena tanquam inſtrumento poteſt fructibus vſus tanquam correſpondentibus eidem vſui, non ipſi inſtrumento, quod infructiferũ eſt. Quod, ſi repetas in hypotheſi aſſertionis, in qua ſupponimus famulum pecuniam auream commutare cum argentea in loco, in quo maioris valoris eſt aurea, quam argentea, illud lucrum prouenire formaliter ex ipſa pecunia, cum in tali loco ſit pro illa debitum; ſtatim impugnationem habebis; nam, licet in tali loco illud lucrum ſit debitum illi pecuniæ aureæ, non eſt tamen ex aliqua diſpoſitione debitum, vt in tali loco commutetur, ſed deferatur ad creditorem in ordine ad extinctionem debiti, vndè ipſa commutatio eſt induſtria, cui propterea debetur illud lucrum.

Eſt potius fructus induſtriæ media illa pecunia tanquam inſtrumento, quam eiuſdem pecuniæ,

Eſt debitum illud lucrum pecuniæ in tali loco, non eſt tamen debita cõmutatio eiuſdem in tali loco.

Probatur ſecunda pars eadem ferè ratione, qua prima probata fuit, nam per lucrum illud acquiſitum à famulo nec læditur ius creditoris, nec violatur intentio debitoris, ergo non conſurgit aliqua obligatio vni, vel alteri illud reſarciendi. Conſequentia tenet, quià debitum reſtitutionis non conſurgit, niſi ex læſione alterius, vel ratione rei iniuſtè acceptæ, vel ratione iniuſtè acceptionis; non eſt autem res iniuſtè accepta, per quam nullus læditur, nec iniuſta acceptio, quæ non eſt contrà voluntatem eius, qui pecuniam illam ſoluendam tradidit. Antecedens probatur, quia ius creditoris eſt dumtaxat, vt ad æqualitatem ſoluatur tantum, quantum erat illi debitum, nec potius in pecunia in vno genere, quam in altero; finis verò debitoris, vt extinguatur præcisè ius, quod aduerſus ipſum habebat creditor; æquè autem extinguitur per pecuniam in auro, ac in argento, dummodò ſit ad æqualitatem ſecundum valorem legalem, & quidèm in tali loco, in quo ſoluitur, niſi alitèr conuentum ſit, ergo &c.

Non eſt illud lucrum res iniuſtè accepta, nec iniuſta acceptio.

Probatur tertia pars. Ex voluntate virtuali, & præſumpta debitoris volentis, vt debitum extinguatur per pecuniam auream potius, quam per argenteam, creditor acquirit ius ad ipſam pecuniam auream, ergo iuſtè poteſt exigere, vt ipſa aurea tradatur, vel ſi tradatur argentea, tradatur ſimul cum illo lucro, quod ex illa aurea potuiſſet acquirere creditor, ſi illam habuiſſet. Antecedens probatur, ex voluntate rationabilitèr præſumpta alicuius mittentis ad alterum aliquod donum titulo gratificationis acquirit hic alter ius, vt res illa non diſtrahatur, ſed ad ſe deferatur, ergo ex tali voluntate præſumpta eodem modo, vel certò moraliter cognita debitoris volentis, vt ad creditorem pecunia aurea deferatur ad extinctionem debiti, acquirit idem creditor ius ad eandem, ità vt eadem non diſtrahatur, vel ſi diſtrahatur pro argentea cum lucro, eadem argentea ſimul cum lucro ſibi tradatur. Hæc conſequentia tenet, quià dum debitor intendit, vt illa determinata pecunia

Suppoſita voluntate debitoris gratificandi creditorem, præſumitur, quod pecunia debeat tradi in auro eidem creditori.

Et ſic creditor aquirit ius potius ad aurum, quam ad argentũ.

aurea deferatur ad creditorem, intendit, vt deferatur cum omnibus illis iuribus, & prouentibus, qui præſumuntur ex illa percipi poſſe, & quidem ex motiuo gratificationis, & ſicuti gratificatus acquirit ius in toto, quandò totum mittitur ex motiuo gratificationis, ità acquirit ius in illum exceſſum, quando res cum iure ad illum exceſſum ex eadem gratificatione mittitur.

Hoc tamen hic admonendum cenſeo, quemadmodum monent in hoc caſu omnes Doctores, hæc, quæ dicta ſunt in probatione huius tertiæ partis habere locum dumtaxat, quandò creditor ex illa pecunia aurea fuiſſet lucrum illud acquiſiturus, ſecus ſi fuiſſet illam conſumpturus ſine illo lucro. Ratio ex ſe videtur manifeſta, quia ſi nullum lucrum fuiſſet creditor ex illa reportaturus, nullum damnum pateretur ex eo, quod ſolutionem in pecunia argentea reciperet, quinimmò ex eo, quod illam pecuniam hæſitaret ſecundum pretium commune, præſumeretur liberè cedere cuicumque lucro poſſibili, & æquè contentus eſſe de pecunia argentea, ac de aurea, cum pro eodem valore illam expenderet.

Procedit, quando creditor ex illo auro fuiſſet percepturus illud lucrũ ſecus ſi non fuiſſet percepturus.

Neque obſtat, ſi dicatur ex eo, quod debitor tranſmiſſerit, vel ſaltem commiſſerit tranſmittendam illam pecuniam auream ex voluntate gratificandi creditorem, hunc acquiſiuiſſe ius in illa pecunia aurea determinata cum omnibus iuribus, & præcipuè cum iure prouentuum, quod poteſt ſemper iuſtè velle, vt per famulum ſibi compenſetur; quamuis fuiſſet illam ſine illis prouentibus conſumpturus; ſicuti enim poteſt quis rem ſuam vni tradere pro minori pretio, & alter, non niſi pro maiori, ſi res ſit digna tali maiori pretio, cur etiam non poterit pecuniam, quam acquirit, velle expendere ad pretium vulgare reſpectu vnius, & pro illo pretio vulgari nolle alteri relinquere?

Proponitur inſtãtia contrà mox dicta, & ſimul ſoluitur.

Non obſtat, inquam, nam quotieſcunque non conſtat de mente creditoris volẽdi potius pecuniam auream, quam argenteam, vel hanc cum lucro, vel ſine lucro, quinimmò cum de facto etiam pecuniam auream expendiſſet ſine lucro, præſumptio eſt manifeſta, quod ceſſerit illi lucro, & acquieuerit ſolutioni factæ in argento; vndè non eſt, cur famulus teneatur illud lucrum eidem creditori perſoluere. Fateor tamen, quod, ſi ſupponatur conſtare de mente creditoris volendi potius aurũ, quam argentum, cum ex diſpoſitione debitoris ius habeat ad illud, teneatur in illa hypotheſi famulus ad tradendum aurum, vel argentum cum lucro, nam, vt benè procedebat inſtantia, cum haberet creditor ius in eodem auro, poterat reſpectu vnius cedere illi lucro, & non reſpectu alterius.

Vbi non conſtat de mente creditoris eſt præſumendum in fauorem famuli, quandò idem creditor nihil facit illud lucrum.

Remanent hic aliqua diſſoluenda, quæ in contrarium obijciuntur per aduerſarios; & primò illud, quo dicitur 14
famulum vendentem rem pro ſuo domino ſupra valorem præſcriptum ab eodem Domino non poſſe illum exceſſum ſibi retinere, ergo neq; &c.; ſecundò, quià lucrum à fure acquiſitum, vel ab vſurario ex re aliena, ſeu vſuraria, debetur domino rei, cuius eſt res furtiua, ſeu vſuraria, ergo etiam &c.

Nonnulla obiecta contrà aſſertionem.

Ad primum dicendum eſt, iuxtà ea, quæ latè tradidimus *tom. primo ſub tit. contractus 2. de empt., & vendit. pranot. 5. aſſert. 3. nu. 6.* ex ſuppoſitione, quod Dominus pretium rei determinauerit; vel enim Dominus determinando pretium rei vendendæ implicitè, vel explicitè indicauit, ſe de illo pretio ſic taxato contentum eſſe, vel nihil indicauit, ſed ex præſumptione ſolummodò colligitur, quod per illam taxationem voluerit indicare vltimum pretium, ſine quo non intenderit rem ſuam vendi; ſi res primo modo ſe habeat, certum eſt, quod famulus illum exceſſum ſibi iuſtè acquirat propter rationes, quas ibi attigimus, & in hoc ſenſu nullam contrà nos vim habet inſtantia; ſi ſecundo modo res ſe habeat, adhuc iuxtà ibi dicta diſtingue, vel enim ille exceſſus, qui exigitur iuſtus eſt reſpectu rei, quæ venditur, quatènus non excedat latitudinem pretij ſupremi, & tunc, ſi non ſit ex vi maioris induſtriæ, ac par ſit, in venditione, cedit propriè eidem Domino, vt latè ibi, ſed nec iuxta hunc ſenſum aduerſatur noſtræ aſſertioni, in qua cum ſupponatur debitor intendere præcisè ſolutionem debiti, & iam ex hoc fine à ſe abdicaſſe dominium talis pecuniæ, non poteſt eſſe præſumptio, quod Dominus, ſeu debitor voluerit ius ad illud lucrum ſibi reſeruare, vel ille exceſſus remanet iniuſtus, & tunc non poteſt famulus ſibi retinere, nec Domino tradere, nec creditori, ſed debetur ei, à quo accepit, & neque in hoc ſenſu aduerſatur concluſioni, eo quia ſupponitur iuſtè acquiſitus ille exceſſus in loco, in quo facta fuit permutatio. In vniuerſum, vno verbo me expedio, nam in venditione rei non ſemper præſumitur Dominus cedere illi lucro, in ſolutione autem debiti, cum iam in ordine ad il-

Attendenda eſt mens domini in venditione rei ipſius facta per famulum.

In venditione rei non ſemper præſumitur dominus cedere illi lucro, in ſolutione autem ſemper præſumitur cedere.

lud

lud à ſe abdicarit dominium ſemper præſumitur cedere, cum præſumatur velle dumtaxat æſtimationem debiti. Ad ſecundum dicendum eſt, quod ſi dominus rei furtiuæ, vel vſurariæ nullum lucrum eſſet ex illa re percepturus, non ſit obligatus, niſi ad rem illam reſtituendam ſine dimminutione, cum quodlibet aliud lucrum eſſet potius fructus induſtriæ, quam rei eiuſdem, cum hæc inſeruiat tantum, vt inſtrumentum ad illud comparandum. Hæc omnia conſonant ijs, quæ dicta ſunt *primo tomo ſub titulo contractus III. de mutuo, & vſuris prænot. 14. aſſert. 2. præcipuè verſic. probatur ſecunda pars.*

Reſponſio quoad lucrũ ex re furtiua, & vſuraria.

PRÆNOTIO V.

An licitum ſit Miniſtro Publici Campſoris in ſolutione litterarum banchariarum, aliquid ex pecunijs acquirere, quandò pecuniarũ valor ex vſu fori non conſiſtit in indiuiſibili.

SVMMARIVM.

Explicatur ſtatus quæſtionis. 1.

Si ſit moralis præſumptio ex conſuetudine principalis Campſoris dandi, & recipiendi ad rationem 14. Iuliorum cum dimidio nummos aureos poteſt Procurator computare ad illam rationem. 2.

Extrà hunc caſum regulariter non poteſt. Ibid.

Argumentum ex paritate rationis in Procuratoribus, ſeu Actoribus mercatorum in ſolutionibus Gabellarum. 3.

Fictitius eſt alius contractus, quo Procurator cum Domino contrahat nomine proprio. 4.

1 PRoponit hanc difficultatem ſub certis terminis *Lugus diſp. 28. de cambijs ſect. 2. num. 27.*, qui ſe conſultum aſſerit à quodam Procuratore Campſoris publici Romani; & quidem primo ſupponit, valorem ſcutorum aureorum non conſiſtere in indiuiſibili, ſed iuſtum eſſe ſiuè computetur ad rationem quatuordecim Iuliorum, ſiuè ad ratione quatuordecim cũ dimidio; ſecundò ſupponit talem procuratorem in ſolutione cedularum banchariarum continentium debitum centum ſcutorum aureorum ſoluere pro ſingulis tantum quatuordecim Iulios, & poſteà in rationibus dati, & accepti eos computare ad rationem quatuordecim cum dimidio, ſicque acquirere pro ſingulis ſcutis aureis Iulij dimidium.

Exponitur ſtatus quæſtionis in ſuis terminis.

Quærit iam hic Lugus, an licitè illud acquirat, an verò teneatur illud reſtituere ſuo Principali, ſeu non computare in rationibus dati, & accepti, an verò illud compenſare ijs, quibus ſoluit cedulas bancharias. Pro ſolutione recolite ea, quæ dicta ſunt *tomo 1. ſub tit. contractus 2. de emptione, & vendit. prænot. 5. aſſert. 3. per totum.*

ASSERTIO. Si campſor Principalis ita ſit aſſuetus nummos aureos dare, & recipere ad rationem quatuordecim Iuliorum cum dimidio, vt ſit moralis, & rationabilis præſumptio, quod ipſe etiam ſoluiſſet talem ſummam pro ipſis, tunc certè poteſt eiuſdem Miniſter in rationibus dati, & accepti cum ſuo Principali ineundis computare ad eandem rationem quatuordecim cum dimidio, illudque dimidium ſibi iuſtè acquirere; Extrà hunc caſum regularitèr non poteſt. 2

Ex præſumptionibus cõtrouerſia dirimenda eſt, & ex quibus.

Probatur prima pars, quià per illam computationem, nec realitèr, nec præſumptiuè læditur idem campſor principalis; non primo modo; quia, ſi ipſe per ſe ipſum perſoluiſſet, perſoluiſſet ad eandem rationem quatordecim cũ dimidio, ergo nec læditur, ſi perſoluat non immediatè creditori, ſed ſuo Procuratori, ſolutio etenim facta, vel vni, vel alteri, ſi ſit ad æqualitatem non officit iuſtitiæ contractus; quin immò ſi ipſe perſoluiſſet, tot perſoluiſſet, quot non perſoluit ipſius Procurator, ergo illa minoris ſolutio atribuenda eſt induſtriæ eiuſdem Procuratoris, cui proptereà debet cedere illud lucrum; non ſecundo modo, quia ex eo, quod conſueuerit dare, & accipere ad rationem illam non eſt pręſumendum, quod aliter voluerit facere, niſi exprimat, quod autem non ſit contrà voluntatem realem, nec præſumptam Domini non ſit cum ipſius iniuria, ergo, ſi nulla eſt læſio Campſoris principalis, nulla eſt obligatio aliquid in fauorem ipſius computandi.

Solutio, ſiuè fiat vni, ſiuè alteri nõ officit iuſtitię cõtractus.

Quod ſit iuxta præſumptam voluntatem Domini non ſit cũ ipſius iniuria.

Probatur ſecundò eadem prima pars. Ex dictis ſub eodem *tit. contractus 2. de emp. & vendit. prænot. 5. aſſert. 3.* ſi Dominus rem famulo tradat vendendam aſſignato eidem determinato pretio, & ſit præſumptio, quod ſit contentus tali pretio, & famulus vendat rem illam maiori pretio poteſt iuſtè illum exceſſum ſibi retinere, ergo etiam miniſter, qui perſoluit debita ſui principalis minori pretio ab illo, quod iuſtè præſumitur taxari à ſuo principali, poterit iuſtè illud, quod eſt infrà taxatũ, ſibi acquirere. Conſequentia probatur, tum

Paritas ex alibi dictis deducta ad maius robur aſſertionis.

tum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Non eſt quid minus ſoluere debitum pro minori, ac rem vendere pro maiori.

tum quia non eſt quid magis ſoluere pro minori debitum Domini principalis, ac ipſe præſumatur intendere, quam vendere rem ipſius pro maiori, quam ipſe præſumatur velle vendi; tum quia in tantum vendita per famulum re Domini ſuprà pretium ab eodem Domino taxatum poteſt famulus illum exceſſum ſibi retinere, in quantum per deſignationem pretij præſumitur Dominus cedere iuri ad illum exceſſum, ſed etiam ex conſuetudine dandi, & recipiendi nummos aureos ad illam rationem quatuordecim cum dimidio iuſtè præſumi poteſt, quod, ſi quid minus pro illis à famulo ſoluatur, ac ipſe intenderit, & moralitèr ſoluiſſet, ceſſerit iuri ſoluendo pro debito illud minus, & quod velit eſſe contentus de ſolutione iuxtà conſuetudinem, ergo &c.

Reſponſio ad inſtantiam, quæ ex aduerſo affertur.

Dices, diſparem eſſe rationem in venditione rei pro maiori pretio ſuprà taxatum à Domino, ac in ſolutione debiti eiuſdem Domini pro minori, & exigentia ab eodem quoad reliquum, quod idem Dominus præſumptiuè ſoluiſſet, nam in primo caſu de venditione, ſi quid exigitur ſuprà taxatum, exigitur ab emptoribus, reſpectu quorum non poteſt Dominus eſſe rationabiliter inuitus, in ſecundo verò illud plus exigitur ab eodem Domino, qui propterea præſumendus eſt inuitus, cum exigatur ab ipſo, quod non eſt ſolutum. Sed contrà, nam in rigore non videtur quid minus, nec quid diuerſum non exigere, quod ex re ſua poſſet exigere, ac ex re ſua tradere, quod poſſet iuſtè non tradere, maximè cum præſuponatur ipſe campſor in cedulis Bancharijs compenſari ad eundem valorem, &, ſi ſolueret tantum ad rationem quatuordecim, lucrum illud acquireret comparatiuè ad id, quod eidem computatur in talibus cedulis; vndè, ſicuti, quià illud lucrum ex venditione eſt ſuprà taxatum à Domino præſumitur ab eodem cedi in fauorem famuli vendentis, ita quia illud lucrum ex ſolutione ſupponitur eſſe ſuprà intentum rationabiliter à principali campſore, ſupponitur ab eodem liberè cedi in fauorem ſui miniſtri, ſeu Procuratoris ſuppoſitis ijs, quæ innuebamus in aſſertione, nec in hoc apparet diuerſitas potius pro vno, quam pro altero caſu, quandoquidem in vtroque eſt libera ceſſio lucri, quod poterat exigi, & non exigi.

Ex eodem motiuo deducitur par ratio.

3 Probatur tertiò eadem prima pars ex dictis *tom. 1. Contractus 2. ſub tit. de emptione, & vendit. diſquiſ. 4. §. 9. nu. 9.* nam ſi actor alicuius in ſolutione vectigalium integrè ex ſuâ induſtria non perſoluat, poteſt licitè dare in debitum Domino mercium totum id, quod pro eiſdem vectigalibus erat preſoluendum, vt clarè innoteſcit ex ibi allegatis ex communi praxi quoad actores mercatorum Antuerpienſium, qui ex tranſactione ſoluunt dumtaxat dimidiam partem, vel tertiam Gabellarum, & tamen à Dominis exigunt integram, ac ſi integrè perſoluiſſent, ergo etiam Procurator, qui in ſolutione debitorum ſui principalis ex induſtria ea perſoluit non ad valorem pecuniarum, ſecundum quem perſolueret idem Principalis, poteſt integrum valorem, ſecundum quem ipſe perſolueret, exigere. Conſequentia tenet ex paritate rationis.

Actores mercatorum Antuerpienſium ſoluentes dimidiam partem Gabellarum iuſtè exiguunt integram à ſuis dominis.

Probatur ſecunda pars, quia, ſicuti ille exceſſus, quem intendit acquirere Procurator, non excedit iuſtum valorem cuiuſcunque ſcuti aurei iuxtà praxim fori, ita nec negatio eiuſdem eſt infrà valorem eiuſdem, ergo iuſtè poteſt illum exigere, ſeu quod ſibi non computetur in rationibus dati, & accepti, quinimmò, quando ex coniecturis non conſtat de oppoſito ſemper præſumendum eſt, quod noluerit ſolui cum illo exceſſu, ſed potius cum negatione ipſius, quia vnuſquiſque præſumitur in omnibus contractibus oneroſis ſemper velle, quod ſibi vtilius eſt, ſi non obſtat iniuſtitia contractus. Confirmatur, quia cum ſcuti aurei perſoluendi in argento valor ſupponatur iuſtus, ſiuè ſit infimus ad rationem ſcilicet quatuordecim iuliorum, ſiuè communis ad rationem quatuordecim cum dimidio, quidquid ex illius permutatione acquiritur, ſeu deperditur, debet acquiri, & deperdi illi, cuius erat pecunia, quæ ſoluitur, ſeu cuius erat onus illam perſoluendi; cum igitur onus perſoluendi ſcuta aurea incumbat principali campſori, ſi ex illorum aureorum permutatione cum argento aliquam vtilitatem percipiat, eo quia illa permutentur ad pretium infimum eiuſdem argenti, iuſtè ſibi illam vtilitatem acquirit, nec debetur Procuratori commutanti nomine ipſius. Antecedens probatur, quia in venditione rerum, quarum valor ex vſu fori non conſiſtit in indiuiſibili, quidquid ex illa intrà iuſtum pretium acquiritur, acquiritur domino rerum, quæ venduntur, quoties non eſt præſumptio, quod ipſe Dominus aliquid cedat in fauorem miniſtri vendentis, cæteroqui quicunque venderet res alienas poſſet

Infimus & communis valor ex vſu fori eſt iuſtus in ordine ad ſcuta aurea.

Qui vendit res alienas pretio communi non poteſt ſibi retinere, quod eſt ſupra infimum.

ſibi

ſibi retinere quodcunque eſt ſuprà infimum pretium, quod nemo dicet, ergo etiam, quod in permutatione aureorum ſcutorum cum Iulijs argenteis intrà iuſtum, & non excedens pretium acquiritur, debet aquiri Domino, qui illa aurea debet perſoluere.

Dices primò, diſparem eſſe rationem de venditione rerum, ac de permutatione monetæ aureæ cum argentea in terminis noſtræ aſsertionis concepta, ſiquidem in illa res verè traduntur, & transferuntur quoad dominium in emptorem, in illa verò pecunia aurea non transfertur in campſarium, ſed remanet penes campſorem, qui propterea nihil videtur vtilitatis ex illa poſse acquirere, & quod proindè, ſi quid vtilitatis percipitur, ſit præciſè fructus induſtriæ cambientis procuratoris, non lucrum eiuſdem pecuniæ permutatæ. Sed contrà; nam licet ſcuta aurea non transferantur quoad dominium in campſarium, ratione tamen ipſorum, quæ virtualitèr commutantur cum illa pecunia argentea exigitur, quidquid acquiritur, cum detur pro ipſis, reſpectu quorum, cum ex vſu fori ſit æquale pretium, ſiuè infimum nempè quatuordecim Iuliorum, ſiuè commune nempè quatuordecim cum dimidio, poteſt campſor velle, vt quæcunque commutatio ſequatur, dummodò ſit intrà æqualitatem iuxtà vſum fori ſit in propriam vtilitatem, cui, cum cedere non præſumatur, non eſt præſumenda iuſtè transferri in Procuratorem.

Licet pecunia aurea non transferatur, eſt tamen fundamentum, ob quod ſoluitur minor valor.

Dices ſecundò, cum potuerit commutari iuſtè, vel ſecundum valorem communem argenti, vel ſecundum infimum attribuendum eſse induſtriæ Procuratoris, quod facta fuerit commutatio ſolum ad valorem infimum, cui propterea illa vtilitas debet cedere, cum ſit fructus talis induſtriæ. Sed contrà, nam, cum vterque valor ſit iuſtus comparatiuè ad ſcuta aurea, ſiuè commutentur cum minori, ſiuè cum maiori, nummus aureus ſemper cenſendus eſt eſse æquiualens eiſdem ſcutis aureis, & vt pretium ipſorum, non induſtriæ, eo modo, quo eſt iuſtum pretium rerum venalium id, quod ex eorum venditione acquiritur, ſiuè illud ſit infimum, ſiuè medium, ſiuè ſupremum, nec poteſt abſolutè dici, quod eſt ſuprà infimum, eſse fructum induſtriæ venditoris, qui, ſi compenſetur quoad labores in vendendo, debet totum pretium iuſtum tradere ſuo Principali, niſi aliquid ipſi cedatur.

Satisfit alteri aduerſantium inſtantiæ.

Dices tertiò ex dictis in ſuperiori prænotione; ſi famulus deferens pecuniam auream Domini ad creditorem eiuſdem eandem commutet cum argentea, & aliquam vtilitatem ex illa commutatione acquirat, poteſt illam ſibi retinere, ergo etiam in noſtro caſu, ſi procurator Campſoris commutet pecuniam Domini ſui auream cum argentea, & ex illa commutatione, cum fiat infrà valorem communem acquirat aliquam vtilitatem, poteſt ſibi illam iuſtè retinere. Sed contrà, neganda eſt conſequentia, eo quià, cum in primo caſu Dominus tradiderit illam pecuniam famulo deferendam ad ſuũ creditorem, præſumendus eſt præciſè intendiſſe per illam extinctionem debiti, & nihil aliud, & propterea ceſſiſſe cuicunque iuri ad lucrum quodcunque; in ſecundo aùtem ex eo, quod conſtituerit Procuratorem, nulla oritur præſumptio, quod ceſſerit iuri acquirendi ſibi quamcunque licitam vtilitatem conſiſtentem in eo, quod ſcuta aurea commutentur cum argenteis ad valorem infimum, qui ſupponitur iuſtus ex vſu fori. Contrà ſecundò, quia in primo caſu famulus commutans agit nomine proprio; in ſecundò autem Procurator nomine ſui principalis, adeoque ille ſibi, hic principali acquirit. Neque tibi fingas, quod Procurator etiam agat nomine proprio, vel ex eo, quod fingatur accipere à campſore ſcuta illa aurea computata ad rationem quatuordecim Iuliorum cum dimidio in argento, & poſtea ſcuta illa ſic in argento computata ſuo nomine cum campſario, vel eius vices gerente
commutare; vel ex eo, quod concipiatur accipere ex pecunijs campſoris principalis computando quatuordecim Iulios cum dimidio pro ſingulis ſcutis ad ſoluendum debitum inito ſaltem implicitè cum eodem campſore pacto aſſumendi ſibi pecunias illas cum onere ſoluendi illud debitum, ſeu ſe conſtituendi debitorem pro illa ſumma, ſi ille ſcilicet campſor ſaltem implicitè conſentiat, vt, dummodò debitum extinguat, poſſit procurator de illa pecunia quomodocunque voluerit diſponere, & in hoc regularitèr campſorem ipſum conſentire præſumendum eſt, cum nullum damnum per hoc ipſi inferatur, ſi enim nollet conſentire, procurator ſolueret debitori pro ſingulis ſcutis aureis Iulios quatuordecim cum dimidio, prout communitèr ſoluuntur, quod eidem principali æquale eſt, ac ſi Procurator illud dimidium

Diſcrimen inter famulum deferentem pecuniã auream, & illam commutantem cum lucro, & inter Procuratorem in caſu concluſionis.

Famulus commutans agit nomine proprio, Procurator nomine principalis.

4

Eſt ſomnium imaginari, quod campſor virtualitèr intendat tradere quatuordecim Iulios cum dimidio pro ſcuto aureo.

Iulij

Iulij pro ſingulis ſcutis aureis ſibi retineret. Non, inquam, hæc tibi fingas; quia ſtatim impugnaberis, nam re vera quid fictitium eſt, quod principalis campſor in præparatione animi, ſi non in re, tradat valorem ſcutorum aureorum in argento, & computet ad valorem quatuordecim Iuliorum cum dimidio, quinimmò, cum vnuſquiſque in rebus ſuis præſumatur diligens, præſumendus eſt ſemper intendere quamcumque vtilitatem ſibi acquirere, quæ acquiſibilis ſit intrà limites iuſtitiæ, adeoque quouſque pro eiſdem aureis non tradit argenteos ad valorem dictorum quatuordecim Iuliorum cum dimidio, ſemper præſumitur retinere ius ad quamcunque vtilitatem, quæ ex re illa, ſeu ex illis argenteis poteſt obuenire tanquam iuſtum pretium ipſorum; ex quo etiam patet diſcrimen inter famulum, cui Dominus pecuniam auream tradidit deferendam ad creditorem, & Procuratorem ſoluentem cedulas bancharias, nam quoad illum Dominus iam tradidit ſecundum illum valorem illam pecuniam, in iſto verò non tradidit, & ſic in illo ius tranſtulit ad lucrum, non ſic in iſto.

Vnuſquiſque ſibi præſumitur velle aquirere ſi de iure acquiri poteſt.

Ad id, quod ſubditur, dicendum etiam fictitium eſſe illud pactum, nec præſumendum campſorem in illud conſentire, & licet verè conſentire deberet, ſi per Procuratorem ſoluerentur ſcuta aurea ad valorem quatordecim cum dimidio, quià illud eſt pretium commune, non teneretur tamen conſentire, ſi ſoluerentur ad minorem valorem quoad vtilitatem Procuratoris, cum non ſit illi debita; & poſſit eſſe iuſtus fructus propriæ pecuniæ, &, quidquid ex illa acquiritur, debeat ſibi acquiri, non alteri.

Nec eſt admittendum illud pactum, nec præſumẽdum, quod re in illud campſor conſentiat.

Ad hæc omnia corroboranda, quæ hactenus dicta ſunt, hoc vnum deſumptum à Lugo contrariæ ſententiæ aſſertore *loc. cit. num.* 28. addo, quod certum eſt, quod principalis Campſor, ſeu debitor poſſit licitè, & iuſtè procurare & petere, ſi tamen ſine coactione hoc præſtet, à creditore, vt ſcuta pro minori pretio, ſi tamen hoc iuſtum eſt, acceptet in argento, & ſi acceptet, quod iuſtè ſoluat, & ad nullam reſtitutionem teneatur, quinimmò præſumptio rationabilis eſt, quod hoc exigeret, & inquireret, ſi per ſe ipſum immediatè ſolueret, cum omnes negotiatores regularitèr hoc inquirant, ergo præſumendum etiam rationabilitèr eſt, quod hoc intendat in ſolutionibus, quæ fiunt nomine ipſius per Procuratorem, adeoque, quod intendat ſibi illam vtilitatem acquirere.

Corroborat ſuis dictis aſſertionem noſtram.

Ex dictis collige, hæc, quæ dicta ſunt, locum etiam de præſenti habere in hac Mediolanenſi Prouincia, in qua duplæ aureæ Impreſſionis Hiſpanicæ ex vſu fori videntur habere duplicem valorem, alterum ad valorem viginti quatuor Imperialium, alterum ad valorem viginti trium cum dimidia; ſi enim Procurator Campſoris cedulas ſoluat ad rationem viginti trium cum dimidia, poterit, vel non poterit in rationibus dati, & accepti cum ſuo Principali computare ad vigintiquatuor iuxtà diſtinctiones iam datas.

Eſt applicabilis alijs caſibus contingentibus in noſtra Prouincia.

PRÆNOTIO VI.

Explicantur nonnulla quoad cambia ſicca.

SVMMARIVM.

Conſtitutio Pij V. quoad cambia per extenſum 1.

Reſtringuntur ea omnia, quæ ex expreſſa Pontificis mente, vel ſunt cambia ſicca, vel reducuntur ad ſicca 2.

Proponuntur variæ rationes dubitandi 3.

Cambium ex diſpoſitione Pij V. tranſit in ſiccum, non ſolum quandò paciſcitur de certo intereſſe propter moram ſolutionis, ſed etiam de cerco intereſſe ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis 4.

Non tamen ſi paciſcatur de incerto intereſſe ratione talis damni, vel lucri, prout conſtabit ex euentu futuro, ibid.

Paciſcens in contractu cambij de aliquo lucro certo erit in foro externo puniendus, vt vſurarius, non ſic in interno 5.

Ex vi conſtitutionis Pij V. non prohibentur cambia realia, vt illicita, quandò extenduntur vltrà primas nundinas ſine onere maioris lucri 6.

Exigens maius lucrum ratione extenſionis temporis ad ſecundas nundinas intuitu veri intereſſe eſſet vſurarius in foro externo, non ſic in interno 7.

Probibitio Piana extendendi cambia vltrà primas nundinas reſpicit ſolummodò campſores, & non campſarios, & quomodo 8.

Campſarius, qui campſori indigenti Romæ dedit centum nummos aureos, vt reſtitueret Mediolani, poteſt tempus protrahere vltra primas nundinas ſine labe 9.

Cambium celebratum in tempore ità proximo primis nundinis, vt literæ bancharia non poſſint ad locum peruenire, in quo celebrantur, non euadit illicitum, ſi in alijs nundinis ſubſequentibus perſoluatur

iuxtà

Digitized by Google

iuxtà lucrum, quod in iſtis ex vſu fori ſolet percipi 10.

Ratio longinquitatis, vt vicinitatis locorum attendenda eſt, non ob maius, vel minus pretium, ſed ob terminum competentem pro ſolutione 11.

Cambia ſicca non ſũt cambia, niſi, quoad nomen, in re etenim ſunt mutuum cum lucro.

MVltis, varijſque modis cambiorum ſiccorum negotiatio contingere poteſt, quorum iniuſtitia, ſicuti regularitèr in omnibus cambijs illicitis reperitur, ità in eorundem iniquitatis quoad omnes ſpecies explicatione ipſorum notitia quoad particularia innoteſcet. Placuit tamen in genere ipſorum naturam indagare, vt ex ijs, quæ hic dicentur, ea, quæ ſparſim dicenda ſunt, per ſua capita faciliùs aſſequantur. In hoc omnes conueniunt, prout ſuprà nos attigimus, quod cambia ſicca non habeant, niſi nomen cambij, cum in re ſint potius mutuum cum lucro, quam cambia; dicuntur autem ſicca, eo quià non ſunt apta, & proportionata ad fructificandum, quemadmodum arbores ſiccæ ob deficientiam humorũ nequeunt fructificare. Quamobrem iure merito per Pium V. jn extrauaganti de cambijs omnia cambia, quę ſicca nominantur, tanquam illicita prohibentur, & damnantur. Vt autem ſpecialitèr eluceat, quænam iſta ſint, quæ ſub titulo Cambij ſicci prohibentur, placet eandem Pij V. extrauagantem ſaltem quoad principaliora capita hic expreſsè referre, quæ ſunt tenoris ſequentis.

I Bulla Pij V. per extenſum.

Damnamus ea omnia cambia, quæ ſicca nominantur, & ità confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, ſeu ad alia loca, cambia celebrare ſimulent, ad quæ loca ij, qui pecuniam recipiunt, literas quidem ſuas cambij tradunt, ſed non mittuntur, vel ità mittuntur, vt tranſacto tempore, vndè proceſſerant, inanes referantur, aut etiam nullis eiuſmodi literis traditis pecunia ibi denique cum intereſſe repoſcitur, vbi contractus fuerat celebratus. Nàm inter dantes, & accipientes vſque à principio ità conuenerant, vel certè talis intentio erat, neque quiſquam eſt, qui in nundinis, aut locis ſupradictis huiuſmodi literis receptis ſolutionem faciat, cui malo ſimile aut illud eſt, cum pecuniæ, ſiuè depoſiti, ſeù alio nomine ficti traduntur cambij, vt poſteà eodem in loco, vel alibi cum lucro reſtituantur, ſed & in ipſis cambijs, quæ realia appellantur interdum, vt ad nos prefertur, campſores præſtitutum ſolutionis terminum lucro ex tacita, vel expreſſa conſuetudine recepta, ſeu etiam tantummodò promiſſo diferunt. Quæ omnia nos vſuraria eſſe declaramus, &, ne fiant, diſtrictius prohibemus. Porrò ad tollendas quoque in cambijs, quantum cum Deo poſſumus, occaſiones peccandi, frandeſque fæneratorum, ſtatuimus, ne deinceps quiſquam audeat, ſiuè à principio, ſiuè alias certum, & determinatum intereſſe etiam in caſu non ſolutionis paciſci, nec realia cambia aliter, quam pro primis nundinis, vbi illa celebrantur, vbi verò non celebrantur, pro primis terminis iuxtà receptum locorum vſum exercere abuſu illo prorſus reiecto cambia pro ſecundis, & deinceps nundinis, ſiuè terminis exercendi; curandum autem erit in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinatur, ne dum longiores præfiguntur, quàm loca deſtinatæ ſolutionis deſiderant, fænerandi detur occaſio.

2 Ex huius Bullæ tenore nonnulla tanquam clara, & certa præfiniuntur; nonnulla ſub controuerſia vtpotè clarè non expreſſa relinquuntur Doctorum diſputationibus. Clarum, & certum primò eſt ex expreſſa Pontificis diſpoſitione cambium ſiccum eſſe, & ſub prohibitione cadens illud, quo literæ banchariæ expediuntur quidem ad nundinas, ſeu loca, in quibus conuentum eſt, quod æqualis pecunia ſolutæ perſoluatur, ſed illuc non mittuntur, vel, ſi mittantur, in irritum mittuntur, cum compertum habeatur illic non adeſſe, qui eaſdem recipiat, & ſoluat; item illud, quo per campſorem, qui pecunias recepit, nominatur ipſius reſpondens in loco, ad quem literæ diriguntur, ille, qui eſt ipſius actor, quique certò non erit ſoluturus.

Eſt cambium ſiccum literas dirigere ad locum, quo certò ſcitur nõ eſſe ſoluendas.

Clarum item, & certum eſt ſecundò, etiam in cambijs realibus quoquo modo interuenire cambia ſicca, quando campſores ratione alicuius dilationis vltra terminum præſtitutum conceſſæ lucrum aliquod recipiunt, vel de illo recipiendo paciſcuntur, vt expreſsè in terminis eiuſdem Bullæ, ibi, *ſed in ipſis cambijs, quæ realia appellantur*. Ad hæc reducitur etiam cambium, quo ab initio, vel poſteà paciſcitur de certo intereſſe etiam in caſu, quo non fieret ſolutio præſcripto tempore. Ibi *Ne deinceps quiſquam audeat, ſiuè ab initio, ſiuè alias certum, & determinatum intereſſe etiam in caſu non ſolutionis paciſci*.

Pacta realia tranſeũt in ſicca, quando lucrum exigitur ratione dilationis vltra terminũ præfinitum.

Clarum, & certum eſt tertiò, prohiberi cambia tãnquam fœneratitia & ſicca, quæ ineuntur vltrà primas nundinas, vel vltrà proximiores terminos

Sunt fœneratitia cambia inita vltra primas nundinas.

iuxtà loci conſuetudinem ad eum finem, vt maius lucrum acquiratur, quam acquireretur, ſi eſſent ad primas nundinas, ſeu terminos Ibi, *nec realia cambia aliter, quam pro primis nundinis, vbi celebrantur, vbi verò non celebrantur, pro primis terminis &c.*

Habenda eſt ratio longinquitatis, & vicinitatis.

Clarum, & certum eſt quartò, cadere ſub præfata prohibitione cambia, in quibus nulla ratio habetur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinatur, & ſic longiores præfiguntur termini ad ſolutiones, quam loca deſtinatæ ſolutionis deſiderant, quod exiſtimo procedere, quandò hoc fit ad finem maioris lucri acquirendi; ibi in terminis finalibus.

Incerti iuris, & controuertibilis eſt primò, an cambium tranſeat in ſiccum, ſi non ſolum iuxtà diſpoſitionem Pij V. ab initio, vel poſteà paciſcatur de certo intereſſe, ſed etiam de compenſatione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, & an, ſi tranſeat, quandò pactum de compenſatione talis lucri, vel damni adijcitur, tranſeat etiam, ſi non adiecto tali pacto recipiatur talis compenſatio, ſi lucrum re vera ceſſet, & damnum emergat.

Incerti iuris eſt ſecundò, an cambium initum contrà hanc prohibitionem non ſolum ſit malum in foro externo, ſed etiam in interno animæ, adeò vt non ſolum inducat actionem peccaminoſam in contrahentibus, ſed etiam obligationem reſtitutionis, ſi aliquod lucrum ex tali cambio receptum fuerit.

Incerti iuris eſt tertiò, an ex vi præfatæ conſtitutionis Pij V. cambia realia, vt illicita prohibeantur, quandò extenduntur vltrà primas nundinas cum perceptione maioris lucri ratione protractionis temporis ſolummodò, an verò etiam, quandò extenduntur vltrà illas, ſed dumtaxat cum onere eiuſdem lucri, quod perciperetur in primis nundinis, ſi cambia in illis eſſent ſoluenda.

Incerti iuris eſt quartò, an ſi ratione extenſionis cambij ad ſecundas nundinas, quis exigeret maius lucrum intuitu veri intereſſe, non ſolum eſſet puniendus in foro exteriori, vt verè vſurarius, vt præſcribit præfata Pij conſtitutio, ſed etiam contraheret culpam in foro interno, & obligationem reſtituendi in eodem foro etiam ante Iudicis declarationem.

Incerti iuris eſt quintò, an prædicta prohibitio extendendi cambia vltrà primas nundinas reſpiciat ſolummodò campſores, an verò etiam campſarios, quandò iſti prius pecunias eiſdem campſoribus ſoluerunt, & poſteà protrahunt tempus ad habendam ipſarum reſtitutionem.

Incerti iuris eſt ſextò, an ſi fiat cambium in tempore ità proximo primis nundinis, vt literæ banchariæ peruenire non poſſint ad locum earundem nundinarum, euadat illicitum, ſi in alijs nundinis ſubſequentibus perſoluatur iuxtà lucrum, quod in iſtis ex vſu fori ſolet percipi.

Incerti iuris eſt ſeptimò, an illa verba allegatæ conſtitutionis Pianæ, quibus dicitur, *Curandum eſſe, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinatur* referantur ad maius, vel minus pretium cambij taxandum, quatenùs ſenſus ſit, quod maius pretium ſoluendum ſit, quandò locus eſt remotior, minus quandò eſt proximior, an verò ad aſſignandum terminum competentem ad ſolutionem. Singula expendo per ſubſequentes aſſertiones.

Assertio I. Cambium ex diſpoſitione Pij V. tranſit in ſiccum, & fit prohibitum non ſolum, quandò paciſcitur de certo intereſſe propter moram ſolutionis, ſed etiam de certo intereſſe ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, non tamen ſi paciſcatur de incerto intereſſe ratione talis damni, vel lucri, prout conſtabit ex euentu futuro *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iure cap. 23. de cambijs dub. 11. num. 90., Salas dub. 23. num. 2., Scortia theorem. 308., Filliuccius c. 11. n. 48., Rebellus 2. part. de oblig. iuſt. lib. 11. de cambijs quaſt. 13. num. 2., Lugus diſp. 28. de cambijs ſect. 8. n. 108., & 109., & alij ſatis communitèr.*

Particula, ſed etiam, eſt extenſiua vltra caſum expreſſum.

Probatur prima pars, quià illa particula expreſſa in Bulla, *etiam in caſu non ſolutionis*, eſt extenſiua vltra caſum expreſſum, & vnum exprimendo aliud non excludit, vt ſunt vulgata iura, *l. etiam ff. de verb. ſignific. l. conuentiuncula C. de Epiſc., & Cl. l. etiam C. ſi tutor, vel curat.*, ergo dum per allegatum ius prohibetur quæcunque præcedens cõuentio de lucro cum illa expreſſione etiam in caſu non ſolutionis, ad quid aliud illa prohibitio debet referri, præterquam quod ad caſum non ſolutionis? ſed hoc aliud non poteſt eſſe pretium quoad cambium, cum nemo ambigat pro hoc iuſtè deberi, ergo debet referri ad intereſſe quoad lucrum ceſſans, & damnum emergens. Confirmatur ex communi Doctorum conſenſu

ſu

Digitized by Google

ſu recipientium in tali ſenſu præfatam conſtitutionem.

Probatur ſecunda pars, quia mens Pontificis prohibentis fuit per præfatam conſtitutionem tollere quamcunque occaſionem fœnerandi, vt ibi clarè per illa verba. *Ad tollendum quoque in cambijs, quantum cum Deo poſſumus, occaſiones peccandi, fraudeſque fœneratorum*, & poſteà, *ne fœnerandi detur occaſio*; ſed per pactum de lucro incerto, prout rei probabit euentus, nulla inducitur occaſio fœnerandi, ergo mens Pontificis in tali prohibitione non fuit relata ad pactum de intereſſe incerto. Minor probatur, tum quia illud intereſſe incertum non eſſet præcisè ob dilationem temporis, nam elapſo quocunque tempore, ſi nullum damnum emergat, nullumve lucrum ceſſet, non eſt illud intereſſe perſoluendum; tum quia illud intereſſe correſpondet rationi formalitèr vt diſtinctæ à ratione cambij, quæque ſecundùm ſe eſt pretio compenſabilis, & negatio compenſationis eſſet iniurioſa damnum patienti, & ceſſationem lucri, ergo per illud pactũ de lucro incerto, ſeu intereſſe nulla oritur occaſio fœnerandi. Hæc conſequentia tenet, quia nulla eſt rationabilis ratio ſuſpicandi de fœnore, vbì illud, de quo conuenitur, eſt manifeſtè correſpondens alicui iuri, quod de ſe eſt meritorium lucri, ſeu debitæ compenſationis.

Cauſa finalis conſtitutionis Pianæ quoad cambia.

Dices, extante hac doctrina æquè poſſet paciſci de intereſſe certo, ob periculum dumtaxat emerſionis damni, vel ceſſationis lucri. Sequela probatur quia ex ſuperius dictis non ſolum eſt pretio compenſabilis ipſa actualis ceſſatio lucri, & emergentia damni, ſed etiam ipſum periculum ceſſationis, & emergentiæ pluris, vel minoris, ſecundum quod periculum maius, vel minus eſt, quinimmò hoc compenſabile eſt iuxta conuenta, ſiuè indè ſequatur damnũ, ſiuè non ſequatur iuxta dicta, *tom. 3. ſub tit. Contractus 3. diſquiſ. 5. §. 3.*, dummodò damnum illud non taxetur, vt verum, ſed tantum, vt veriſimile, alijſque adiectis conditionibus, de quibus latè ibi, ergo, ſi quia in hypotheſi huius ſecundæ partis illud intereſſe non correſpondet cambio, ſed alteri iuri nempè ceſſationis actualis lucri, & emergentiæ damni, poteſt de illo paciſci, ſi obueniat, illudque exigi, ſi ſequatur; etiam quia illud intereſſe in caſu prioris partis concluſionis correſponderet non ipſi cambio, ſed illi periculo, quod pretio ſecundum ſe compenſabile eſt, poſſet ſine periculo fœnoris de illo paciſci, illudque iuſtè exigi, etiam ſi nullum damnum ex illo ſequatur. Sed contrà neganda eſt ſequela. Ad probationem fateor eſſe etiam pretio compenſabile illud periculum, ſi ſit veriſimile, & probabili innixum fundamento, ſecus ſi ſit tantum remotum, vt latè diximus ex oppoſito de ſpe ſub titulo *Contractus 2. in diſquiſit. primo loco §. 1. num. 4.* nego tamen ratione ipſius poſſe paciſci de aliquo intereſſe certo propter ſpecialem iuris diſpoſitionem, quæ eſt in hoc caſu, non in alio ſecundæ partis aſſertionis; vndè in primo caſu iuſtè poteſt paciſci de intereſſe incerto, & indeterminato, & determinatè exigi, & certò, ſi damnum ſequatur, & quià eſt correſpondens alteri iuri à cambio, quod ius pretio compenſabile eſt, & quia nullo iure prohibetur exigi; in ſecundò autem licet poſſet exigi, quatenùs correſpondens eſt alteri iuri à cambio, nempè illi periculo, quod meritorium eſt lucri, non poteſt tamen exigi, nec de illo paciſci; quià à iure hoc prohibitum eſt; Nec incongruè ius diſponit in vno caſu, & non in altero, eo quia, vt optimè obſeruat. *Nauarrus in manuali cap. 17. num. 301., & cum eo, Valentia, & Molina apud Salas dub. 13. num. 2.* ius ſic diſponens fundatur præcisè in præſumptione vſuræ, quæ manifeſtè ceſſat, quando ſit conuentio de intereſſe indeterminato, & incerto, quod certè non debetur, ſi damnum non ſequatur, vel lucrum nõ ceſſet, non autem ità manifeſtè ceſſat, quandò ſit pactio de determinato, & certo intereſſe ratione talis periculi, etiam ſi vllum damnum non ſequatur, eo quià ſemper poteſt eſſe ſuſpicio fraudis, quam ius voluit abſolutè auertere.

Non repugnet lucrum certum ex pacto ex natura contractus, ſed tantum ex diſpoſitione iuris poſitiui.

Inſtabis primò, ergò, quando illud periculum eſſet manifeſtè veriſimile, poſſet ratione illius de aliquo certo intereſſe paciſci, ſiquidem tunc manifeſtè ceſſat quæcunque fraudis ſuſpicio, vſuræque occaſio. Sed contrà, nam vel loquimur in foro interno, vel in externo; ſi de primo, infrà occurret ſermo vberior; ſi de ſecundò, cum lex in vniuerſum exprimat interdictum de quocunque lucro certo, & determinato intereſſe, non debet ſegregari à tali iure aliquis caſus particularis, quamuis ob peculiares aliquas circunſtantias non videatur cadere ſub motiuo prohibitionis, & à verbis legis non debemus recedere, ne in alijs caſibus detur occaſio fingendi manifeſtè periculum, vbi non eſt; ſi ſiſtamus præcisè in ijs,

Lex vniuerſalis in foro externo eſt obſeruanda quamuis in caſu particulari ceſſet ipſius cauſa finalis.

quæ ſpectant ad forum externum; ex quo patet diſcrimen inter hunc, & primum caſum, nam in primo non eſt lata lex, quia in omni caſu nulla poteſt eſſe præſumptio; in ſecundo verò licet in aliquo caſu ceſſat, præſumptio viget tamen regularitèr in alijs, & lex reſpicit, quæ regularitèr eueniunt, nec fruſtatur ex eo, quod præſumptio ceſſet in caſu particulari.

Inſtabis ſecundò, ergo malè adducta fuit pro ratione formali paciſcendi pro lucro, ſeu intereſſe incerto illa, qua dicitur, iuſtè paciſci, & exigi, quia correſpondet alteri iuri ſecundum ſe pretio compenſabili diſtincto à natura, ſeu contractu cambij, dummodò refundimus in ius poſitiuum prohibens in vno caſu, & non in altero, quinimmò incidimus in abſurditatem, dum à ratione in rationem formalem tranſimus. Sed contrà, quia, ſi attentè conſideretur vis argumenti, non fit tranſitus a ratione in rationem formalem, ſed ex ratione formali adducta in vno caſu infertur mens legiſlatoris prohibendi in eodem caſu, & non in altero. Attende ſingulis. Ideò nos diximus, non cadere ſub iure prohibente pactum de intereſſe incerto ob lucrum ceſſans, & damnum emergens, quia, ſi hoc obueniat, manifeſtè correſpondet alteri iuri pretio compenſabili independentèr à cambio, & ſic manifeſtè, & in omnibus caſibus ceſſat quæcunque præſumptio fraudis, & fœnoris occaſio, ſed quamuis illud periculum etiam ſit ſecundùm ſe pretio compenſabile, non tamen ità euidentèr, & manifeſtè pactum illud de certo intereſſe correſpondet eidem periculo, vt excludat quamcunque ſuſpicionem fraudis in omnibus caſibus, ratione cuius non poſſit atribui ſoli temporis dilationi, vel alteri iuri prohibito, ergo aſſignata ratio formalis eſt fundamentum, ratione cuius lex in primo caſu non obſiſtat conuentioni, & eidem obſiſtat in altero caſu.

Cauſa finalis legis prohibentis pactum de lucro certo eſt ad tollendam quàcunque ſuſpicionem fraudium.

Probatur ſecundò eadem ſecunda pars; quia de iure antiquo antecedentèr ad conſtitutionem Pij V. nulla erat iniuſtitia, ſi fieret conuentio de determinato aliquo intereſſe pro veriſimili periculo, quinimmò nec modo eſt iniuſtitia, ſi in alijs contractibus, in quibus interuenit veriſimile periculum, apponatur, ergo tota vis prohibitionis, & iniuſtitiæ conſurgit à iure prohibente, quod fundatur in præſumptione fraudis, ſed ius determinatè non exprimit, niſi intereſſe certum, & lucrum determinatum, ergo non eſt extendendum ad intereſſe incertum, & indeterminatum, de quo nos hic loquimur. Antecedens ex communi Doctorum placito tenet; Prima conſequentia rectè deducitur, ſi enim antecedenter ad tale ius non erat iniuſtitia, ſi poſteà eſt iniuſtitia, non poteſt eſſe, niſi ob tale ius. Subſumpta minor liquet textum legenti. Vltima conſequentia ſic probatur, quià lex exorbitans à communi iure non eſt extendenda vltrà caſus in ipſa expreſſos *l. præcipimus C. de appellationibus*, vndè iure merito docent Doctores, prout mox innuebamus, non extendi ad contractus mutui, alioſque in tali conſtitutione non expreſſos, ſed in præfata conſtitutione ſolummodò exprimitur intereſſe certum, non autem incertum, atque hoc naturæ contractus non repugnat, ergo &c.

Antecedenter ad Bullam Pij V. nō erat damnatum pactum de lucro certo.

ASSERTIO II. Si quis in contractu 5
cambij paciſcatur de aliquo lucro certo erit quidem, vt vſurarius in foro externo puniendus pænis iuris, non ſic in foro interno, in quo nec contrahet noxam læthalem, nec ad reſtitutionem obligabitur. *Nauarrus loco, quo ſuprà cap. 17. Enchiridij num. 301. verſic. nota quarto*, cui videtur annuere etiam *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iure c. 23. dub. 11. n. 90.* Prima pars patet expreſsè ex verbis Bullæ. Ibi- *quæ omnia nos vſuraria eſſe declaramus, &, ne fiant, diſtrictius prohibemus.*

Probatur ſecunda pars, quià tale pactum ex natura ſua non aduerſatur iuſtitiæ contractus, & ſolum habet oppoſitionem ad ius prohibens, ergo, ſi quandoque ceſſaret ius prohibens, ceſſaret etiam quæcunque iniuſtitia in contractu, ſed in foro interno animæ, quando paciſcitur de aliquo lucro certo ratione periculi de damno emergente, vel lucro ceſſante veriſimilitèr futuro ceſſat ius prohibitionis, ergò &c. Subſumpta minor probatur, quià ius prohibens fundatur adæquatè in præſumptione fraudis, & habet pro fine motiuum tollendi quamcunque occaſionem peccati quoad vſuras, vt colligitur ex verbis Bullæ, ſed in foro interno; quandò fit æqua pretij taxatio ad periculum damni veriſimilitèr futurū ceſſat quæcunque præſumptio fraudis, & fœnoris, ergo in tali foro ceſſat ius prohibens, cum ex vulgatis iuribus ceſſante fine legis lex non obliget. Probatur minor, ſecundum rei veritatem, quam reſpicit forum internum, & in quo ceſſant præſumptiones, illud intereſſe, de quo determinatè facta fuit conuentio, eſt manifeſtè correſpondens

In foro interno ceſſat quæcunq; præſumptio fraudium, in quo attenditur præcisè veritas.

illi

illi periculo lucri veriſimilitèr ceſſaturi, & damni non ſine fundamento futuri, nec in ſe vllo modo eſt ex fundamento vſuræ, ergò &c.

Reſpondet primò *Lugus hic diſp.* 28. *ſect.* 8. *num.* 111. *verſ. ſed circa hanc conditionem*, legem non fundari in falſa præſumptione, ſed in veris periculis, & occaſionibus peccandi, ad quas impediendas prohibet Pontifex vniuerſum huiuſmodi pactum in cambio. Sed contrà, non renuo concedere ius non fundari in falſa præſumptione, ſed in veris periculis, & occaſionibus peccandi, quæ vt plurimum annectuntur huiuſmodi pactis, ſed ex hoc infero, ergo, quandò non ſunt vera pericula, nec occaſiones peccandi, prout re vera non ſunt in foro interno, quandò eſt æqua taxatio pretij pro illo periculo veriſimilitèr futuro, lex ipſa non præſumitur obligare.

Lex non præſumitur obligare, vbi ceſſat cauſa obligationis.

Reſpondent ſecundo alij, legem, ſeu conſtitutionem quoad cambia non fundari in mera præſumptione facti in particulari, ſed in præſumptione moralis periculi facti, nempe fraudis; lex autem fundata in tali præſumptione moralis periculi non videtur eodem modo ceſſare, ſicuti ceſſat, quandò eſt fundata in præſumptione facti, nam licet ceſſet factum, non ceſſat tamen periculum, quod præſumitur, ſic, quià lex irritans Profeſſionem Religioſorum emiſſam ante decimum ſextum annum fundatur in præſumptione moralis periculi defectus iudicij perfecti, & ſufficientis conſenſus, obligat etiam, ſi in aliquo adſit maturum iudicium, & plena vis deliberandi ante talem annum, adeo vt, ſi ante talem annum emittat profeſſionem, ſit inualida etiam in foro interno, quià quamuis ceſſet defectus iudicij, non ceſſat tamen periculum talis defectus, ergo, cum in noſtra hypotheſi lex prohibens cambia inita contrà conditiones præſcriptas fundetur in præſumptione non facti, ſed moralis periculi facti, obligabit, etiã ſi factum ceſſet, cum vigeat adhuc periculum talis facti. Sed contra impugnatur hæc reſponſio, nam in foro interno, in quo attenditur preciſè veritas, non ſolum ceſſat factum ipſum, ſed etiam periculum eiuſdem facti, vbi autem ceſſet periculum fraudis, ad quod tollendum lex conſtituta eſt, tunc legis obſeruantia omninò inutilis eſt, nullamque honeſtatem habet, & proindè in eo caſu non magis obligabit, ac quandò fundatur in præſumptione facti. Ad id, quod ſubditur de lege irritante profeſſionem ſolemnem emiſſam ante decimum ſextum annum, dicendum eſt, eſſe ſpecialem rationem fundatam in eo, quod ad validitatem profeſſionis ſolemnis non ſolum requiritur conſenſus eius, qui profitetur; ſed etiam acceptatio, & conſenſus Religionis, in qua profitetur, eſt enim contractus vltrò, citròque obligatorius, ſine qua acceptatione, ſeu aſſenſu actus ex natura ſua eſt nullus; cum autem Religio non ſupponatur, nec debeat acceptare ſine conditionibus per ius poſitiuum in hoc genere præſcriptis, hinc eſt, quod contractus ſine illis initus defectu eiuſdem conſenſus ex natura ſua ſit nullus, adeoque etiam ceſſet ipſius obligatio in foro conſcientiæ. Vide, quæ latè diximus in primo tomo, *ſub titulo contractus* 4. *de Emphyth.*, *& cenſibus prænot.* 21. *S.* 4. *aſſert.* 1., & hic applica.

Profeſſio ſolemnis emiſſa in Religione ante decimũ ſextum annum eſt inualida ob negationem præſumptã conſenſus Religionis acceptantis.

Probatur ſecundò eadem ſecunda pars; deficiente materia, circa quam lex verſatur, omninò inutilis eſt eadem lex, nec vllo modo obligat, ſed in foro conſcientiæ, quandò contractus cambij eſt initus ſecundum ea, quæ naturæ contractus ſecundum ſe non repugnant, deficit materia, circa quam verſatur lex prohibens, ergo &c. Minor probatur, quia materia, circa quam verſatur huiuſmodi lex prohibens, eſt præſumptio fraudium, ad quas tollendas condita eſt huiuſmodi lex, vt conſtat ex proemialibus, ſed in foro conſcientiæ hæc præſumptio non eſt, cum ſoli veritati innitatur, ergo &c.

Deficiente materia circà quam lex verſatur, omninò inutilis eſt talis lex.

Assertio III. Ex vi præfatæ conſtitutionis Pij V. non prohibentur cambia realia, vt illicita, quandò extenduntur vltrà primas nundinas, non ad finem percipiendi maius lucrum ratione protractionis temporis, ſed ſolummodò cum onere ſoluendi illud lucrum, quod fuiſſet perſoluendum in primis nundinis. Ità ſatis communitèr.

Probatur primò, quiá ideò Pontifex prohibuit extenſionem vltrà primas nundinas, ne ratione protractionis temporis maius lucrum acquireretur, ac requireret natura cambij ſecundum ſe, ergo, ſi fiat conuentio, ne maius lucrum exigatur in ſecundis nundinis, ac exigeretur in primis, nulla erit ratio, nullaque prohibitio, quin ad illas poſſet extendi. Antecedens patet ex verbis proemialibus legis. Conſequentia probatur, quia, vbi manifeſtè ceſſat finis legis, ceſſat etiam intentio legiſlatoris ad obligandum ad obſeruantiam eiuſdem legis, ſed, quandò fit conuentio,

tio, quod in ſecundis nundinis non quid amplius exigatur, ac exigeretur in primis, ceſſat manifeſtè finis intentus à lege, ergo &c.

Probatur ſecundò, quià illa protractio maioris temporis vltrà primas nundinas poteſt ex intentione contrahentium inducere rationem beneficij gratuiti, quatenus pro illo tempore, pro quo extenditur, habeat rationem mutui, ſed Pontifex per præfatam ſuam conſtitutionem non voluit damnare beneficium gratuitum mutui, ergo non præſumendus eſt voluiſſe excludere illam temporis protractionem, quandò hæc non eſſet motiuum, ſeu cauſa maioris lucri. Maior probatur, quià illa protractio videtur habere omnes conditiones mutui prorogati, inam licet re vera in ſua radice ille contractus fuerit cambium lucratiuum pro primis nundinis, quia tamen eiſdem elapſis non haberet amplius conditiones illius, videtur tranſire in conditiones mutui in continuatione quoad illam protractionem.

Protractio illa temporis ſine lucro inducit rationem ſolummodò beneficij gratuiti.

7 Assertio IV. Si ratione extenſionis cambij ad ſecundas nundinas quis exigeret maius lucrum intuitu veri intereſſe, eſſet quidem puniendus in foro exteriori, vt verè vſurarius, non tamen peccaret læthalitèr, nec in foro interno obligaretur ad reſtitutionem ante Iudicis ſententiam. Ita ſentire videtur *Leſſius diſp. 23. de cambijs dub. 11. nu. 91.* Prima pars videtur manifeſtè reſultare ex verbis expreſſis eiuſdem Bullæ, quibus ſtandum eſt.

Probatur ſecunda pars, quià illud maius lucrum, quod exigeretur, non eſſet præciſe ob ſolam temporis dilationem, quo modo eſſet quid iniquum, ſed ob verum intereſſe, quod ſecundum ſe eſt meritorium iuſtæ compenſationis, & per talem receptionem nulla poneretur inæqualitas, ergo ſic recipiens non peccaret læthalitèr; Neque dicas, peccatum conſurgere non ex inæqualitate, quia, vt dictum eſt, hæc non poneretur, ſed ex tranſgreſſione legis prohibentis; contrà enim impugnaberis, quià lex, vt aſſerebamus ſuperius, fundatur in præſumptione fraudium conſiſtente in eo, quod illud maius lucrum exigeretur præciſè ob temporis dilationem, quod, ſi talis præſumptio ceſsat in foro interno, eo quià re vera exigatur, vt pretium correſpondens vero intereſse, tunc non poteſt dici in eodem foro ſic exigens legem tranſgredi. Accedit ex ſuperius dictis, quod poteſt fieri antecedentèr conuentio de lucro incerto, prout rei probabit euentus, ergo etiam poterit exigi illud maius lucrum, ſi verum intereſse illud exiget. Neque repetas, quod ex hoc euinceretur, quod poſset etiam exigi in foro externo, ſicuti etiam in foro externo poteſt fieri illa conuentio de incerto lucro & intereſſe; contra enim adhuc impugnaberis, quia in iure expreſsè illa conuentio non prohibetur, ſicuti prohibetur exactio illa maioris lucri ob protractionem temporis ad ſecundas nundinas.

Maius lucrum nō eſt ob temporis dilationem præciſè, ſed in compenſationem veri intereſſe.

Probatur tertia pars; quia, ſi quod onus eſſet reſtitutionis, vel eſſet ratione inæqualitatis, vel ratione pœnæ adiunctæ per Pontificis conſtitutionem, ex neutro capite tale onus conſurgit, ergo &c. Probatur minor quoad primam partem, quia pro rei veritate nulla inæqualitas ſupponitur interuenire, vt probatum eſt ſupra, item probatur quoad ſecundam, quia pœna non exequenda eſt, niſi poſt Iudicis declarationem, vt eſt in confeſſo apud omnes.

Pœna nō eſt exequenda, niſi poſt Iudicis declarationem.

Assertio V. Prædicta prohibitio extendendi cambia vltrà primas nundinas reſpicit ſolummodò campſores, non verò campſarios, quandò iſti prius pecunias eiſdem campſoribus ſoluerunt, & poſteà protrahunt tempus ad habendam ipſorum reſtitutionem. Ita expreſsè docet *Lugus de cambijs diſp. 28. ſect. 8. num. 113.* qui expreſsè docet ità fuiſſe definitum in congregatione Romæ anno 1631. 8

Probatur primò. Lex hæc prohibens eſt ad tollendum quodcunque periculum vſurarum, cum tota ratio ſit, ne fœnerandi detur occaſio, ſed hoc periculum videtur eſſe ſolummodo quoad campſores ipſos, non autem quoad campſarios, ergo videtur ſolummodò lex afficere campſores, non campſarios, quamuis iſti antecedentèr ſoluant. Probatur minor, nam regularitèr campſores ſolummodò recipiunt lucrum, non autem campſarij ex cambio, ergo ſolummodò reſpectu ipſorum campſorum poteſt eſſe occaſio peccandi ex perceptione maioris lucri, cum ipſi ſolum lucrum recipiant.

Solum campſores regularitèr recipiunt lucrum.

Probatur ſecundò, quia huiuſmodi prohibitio protrahendi terminum reſtitutionis cambij vltra primas nundinas eſt in fauorem campſariorum inducta, ne ſcilicet ratione protractionis temporis præciſè grauentur ſuprà debitum, ſed ijs, quæ in proprium fauorem inducta ſunt, poſſunt campſarij renunciare, cum per talem renuntiationem

non

Digitized by Google

non ſupponantur ſibi præiudicare, ergo &c.

Hic oritur difficultas, an ſi, campſarius campſori indigenti pecuniam Romæ eam ipſi ibi antecedentèr ſoluat, vt poſteà eandem reſtituat Mediolani, poſſit idem campſarius tempus protrahere vltrà primas nundinas. Ratio dubitandi videtur ex eo oriri, quod in hac hypotheſi videtur de campſario fieri campſor, cum pecuniam det in vtilitatem alterius indigentis. Nihilominus ſentiendum eſt, licitè etiam in hoc caſu poſſe protrahere, quia non protrahit ex fine captandi maius lucrum, nec apparet, ex quo motiuo hæc protractio poſſit deturpari.

9 Campſarius in hac hypotheſi videtur fieri campſor.

ASSERTIO VI. Si fiat cambium in tempore ita proximo primis nundinis, vt literæ bancharia peruenire non poſſit ad locum earundem nundinarum non euadit illicitum, ſi in alijs nundinis ſubſequentibus perſoluatur iuxtà lucrum, quod in iſtis ex vſu fori ſolet percipi. *Molina diſp. 404. Salas de cambijs dub. 26., & alij plures.*

10

Probatur primò, quia adhoc, vt lex obliget, non debet eius obſeruantia eſſe impoſſibilis, ſed reduci debet ad terminos poſſibiles, & proximiores menti legislatoris, ſed, ſi cambium fieret in tempore ità proximo primis nundinis, vt literæ bancharia peruenire non poſſent ad locum &c. & obligatio conſurgeret ad ſoluendum pro illo tempore, obſeruantia legis eſſet impoſſibilis, ergo debet reduci ad terminos poſſibiles, vndè dicendum eſt, Pontificem voluiſſe, vt cambium reſtituatur in primis nundinis; in quibus literæ bancharia poſſunt peruenire, & ſic, ſi fiat cambium hoc tempore, & literæ mittantur Romam, vbi à die expeditionis literarum nundinæ celebrãtur poſt quatuor dies, reſtitutio eiuſdem facienda eſt non in his nundinis, ſed in alijs immediatè ſequentibus iuxtà valorem tunc temporis occurrentem; in Bulla etenim eſt ſermo de proximis nundinis, in quibus poſſit fieri ſolutio.

Lex non obligat, cuius obſeruantia eſt impoſſibilis.

11 ASSERTIO VII. Illa verba conſtitutionis Pianæ, quibus dicitur. *Curandum eſſe, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinata eſt*, non ſunt referenda ad maius, vel minus pretium cambij taxandum, adeo vt maius pretium ſoluendum ſit, quandò locus eſt remotior, minus quandò eſt proximior, ſed tantum ad aſſignandum terminum competentem pro ſolutione. Prima pars eſt contrà *Azorium inſtit. mor. lib. 10. part. 3. cap. 9. quæſt. 3.* Secunda pars eſt communior, quam ſequitur, *Lugus de cambijs diſp. 28. ſect. 8. nu. 116., Molina &c.*

Probatur prima pars, quià illa acceptio verborum illorum iuxtà mentem Azorij, nec congruit textui, nec rationi, ergo &c. Antecedens quoad primam partem probatur, quia Pontifex ſolum dicit *curandum eſſe in terminis, vt habeatur ratio longinquitatis, & vicinitatis*, & rationem dicti immediatè ſubdit, *ne dum longiores præfiguntur, quam loca deſtinata ſolutioni deſiderant, fænerandi detur occaſio*. Quamobrem voluit Pontifex, vt attendatur maior, vel minor vicinitas, vt maior, vel minor terminus præfigeretur, non autem, vt quid maius, vel minus ſolueretur. Probatur item antecedens quoad ſecundam partem, quià pretium cambij non rectè quidem taxatur ex maiori, vel minori diſtantia, & propinquitate loci, ergo illa verba referuntur ad maiorem, vel breuiorem terminum præfigendum, non autem ad taxandum pretium. Antecedens probatur, quia, quamuis loca quandòque varient pretia rerum, non tamen variare poteſt præciſè maior, vel minor vicinitas, niſi adſint aliæ rationes augentes, vel diminuentes pretia earundem rerum, quinimmò, vt bene aſſerit *Lugus diſp. 28. ſect. 8. de cambijs num. 116.* vt plurimum facilior eſt illa traiectio pecuniæ virtualis in locum diſtantem, in quo crebriora ſunt commercia, quam in locum propinquum, in quo commercia otiantur.

Quandoq; facilior eſt traiectio pecuniæ virtualis ex loco diſtanti, quam ex viciniori.

Probatur ſecunda pars, quià Pontifex in præcedenti clauſula præſcripſerat, ne cambia extenderentur vltrà primas nundinas, vbi hæ celebrantur, vel vltra proximiores terminos, vbi non celebrantur, ergo dum modo dicit, quod habeatur ratio longinquitatis, & vicinitatis, hoc ideò dicere præſumendus eſt, vt proportionatus terminus poſſit aſſignari, nempè proximior, ſi locus ſit talis, remotior, ſi locus magis eſt diſtans, vltrà quem nequeat poſtea extendi. Quod etiam magis aptatur ijs, quæ diximus ſuprà, nempè, ſi fiat cambium tempore ità proximo primis nundinis, vt literæ intrà illud tempus peruenire non poſſint ad locum, ad quem ſunt deſtinatæ, non deberi eiuſdem ſolutionem, niſi in nundinis immediatè ſequentibus, quod non alia ratione euenit, niſi quia illud modicum tempus non eſt proportionatum tali diſtantiæ, ergo attendenda eſt maior, vel minor diſtantia ad præfigendum

dum

Digitized by Google

dum maiorem, vel minorem terminum ad ſolutionem.

PRÆNOTIO VII.

Nonnullæ quæſtiones ad hanc materiam ſpectantes diluuntur.

SVMMARIVM.

Variæ rationes dubitandi proponuntur. 1.
Refertur praxis mercatorum quoad cambia. 2.
Illicitum, & vſurarium eſt cambium, & recambium, quo datur pecunia in Hiſpania, vt perſoluatur Mediolani cum lucro, vbi ſcitur non eſſe ſoluenda, ſed remittenda iterum cum nouo lucro per literas. 3.
Nec excuſari poſſunt mercatores ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis. Ibid.
Cambium reale per literas cum recambio, qua literæ mittuntur Romam, vnde ſuum conſecutæ effectum mittuntur Neopolim, quibus Romæ pecunia recambitur non eſt illicitum. 4.
Cambium, quo viduæ, alijque homines deponunt pecunias ſuas apud nummularios in vim cambij, vt eas in nundinis ſoluant, non eſt licitum. 5.
Non eſt illicita depoſitio ipſarum apud eoſdem, vt tanquam Procuratores ipſorum curam, & negotium gerant, & in nundinis ſoluant cum lucro acquiſito. Ibid.
Neque eſt illicita talis depoſitio titulo ſocietatis, vt nummularij cum illa negotientur, & lucrum acquirant diuidendum iuxta proportionem. Ibid.
Indigente pecunia ſua, quam dedit alteri titulo cambij ad lucrum reſtituendam ad primas nundinas, volenteque alteri vendere pro minori ius ſuum poteſt illius debitor pro illo minori pretio, quo vult alteri vendere, illud redimere, ſi ſit intra limites iuſti. 6.
Hoc minus, quo ſe redimit pecunia præſenti non debet eſſe quid minus comparatiuè ad pecuniam, quam accepit, ſed comparatiuè ad pecuniam, quam deberet ſoluere pro tempore futuro. 7.
Licitus eſt contractus cambij, quo quis dat titulo cambij lucratiui pecuniam alteri reſtituendam in alio loco, in quo ſcit non poſſe reſtituere, niſi accipiat ab alio titulo alterius cambij. 8.

1 VT breuitati, & ordini, quantum fieri poteſt, conſulam, multas difficultates, de quibus ſparſim agunt Doctores placuit ſub hoc vno, eodemque capite perſtringere. Prima difficultas erit, an recambia, quibus frequentèr vtuntur nummularij, licitè fiant. Secunda, an viduæ, alijque homines poſſint licitè pecunias ſuas apud eoſdem nummularios deponere in negotiationem, vt lucrum in ſingulis nundinis ab eodem nummulario accipiant. Tertia, an ſit cambium ſiccum, cum nummularius dat pecunias Regi, vel Principi indigenti ex pacto, vt ſoluat in nundinis, ſin minus ſoluat omnia lucra, quæ nummularius eſſet in nundinis ex repetitis identidem cambijs, donec ipſe Rex ſoluerit, percepturus. Quarta, an nummularius ius habeat certum aliquod exigendi ratione oneris, quod ſuſtinet in numerando pecunias, quas recipit, cum illi ſoluantur, ſed de hac iam ſatis ſuprà, & ſimiles. Pro ſolutione, & clariori notitia.

Rationes dubitandi circa titulũ proponuntur.

Aduerte primò, quoad recambia, hanc eſſe inter mercatores conſuetudinem. 2 Titius v.g. dat mille nummos aureos Regi in Hiſpania, vt eos poſteà ſoluat hic Mediolani; miſſis literis Mediolanum; nulla hic fit ſolutio ob impotentiam, vel alias rationes, quare nouæ literæ mittuntur Mediolano in Hiſpaniam denuò alio cambio facto, ſed quià in primo cambio facto in Hiſpania facta fuerat conuentio, vt Mediolani non ſolum reſtitueretur ſors principalis mille aureorum, ſed etiam pro lucro traderentur viginti ſuprà illos mille, in hoc ſecundo cambio, quod de nouo fit hic Mediolani, per quod literæ iterum remittuntur in Hiſpaniam, fit conuentio, vt in Hiſpania non ſolum perſoluantur illi mille, & viginti nummi aurei, ſed vlterius lucrum ex illis mille, & viginti, quod nummularius fuiſſet percepturus, ſi facta fuiſſet ſolutio Mediolani, prout primò conuentum fuerat, & ita, donec Princeps totum debitum ſoluat, iterantur cambia cum recambijs. Quæſtio igitur prima, quæ proponitur dirimenda in hac prænotione eſt, an huiuſmodi cambia, & recambia licita ſint, & ex occaſione nonnullæ aliæ dubitationes ad ipſa pertinentes diſoluentur.

Conſuetudo quo ad recãbia inter mercatores.

Aduerte ſecundò, vltra rationes dubitandi propoſitas alias inſurgere difficultates, quas in ſuis terminis propono. 1 Titius dedit hic Mediolani Caio centum nummos aureos ſibi in alio loco ad primas nundinas reſtituendos cum lucro, ſed ante tempus nundinarum idem Titius eiſdem centum nummis aureis indiget, & propterea illud ius, quod habet exigendi à Caio illos nummos pro minori vendendum curat. Hoc ſciens Caius debitor ſtatim illud minus,

Varij caſus particulares quoad cambia, & recãbia.

pro

Digitized by Google

pro quo Titius vēdendum curat ſuum creditum, offert eidem Caio, vt eximatur ab onere ſoluendi illud plus iuxta conuenta tempore præfinito. Hic controuertitur, an licitè hoc poſſit præſtare. Rurſus Titius nummularius dat hic Mediolani pecunias Caio, vt poſteà ſoluat Genuæ, quem tamen certò ſcit, vel ſaltem probabilitèr credit, minimè Genuæ ſoluturum, niſi alias pecunias ibi nomine, vel iure cambij ad ſoluendum accipiat. De hoc etiam controuertitur, an licitè fiat, nec ne. Latè hac de re agit *Silueſter verbo vſura 4. quæſt. 9. verſ. 6.* afferens ſaltem ex aliorum placito rationes pro vtraque parte.

3 Assertio I. Si in primo cambio fiat conuentio, quod Mediolani perſoluatur pecunia accepta in Hiſpania cum lucro conuento, & re vera ſciatur, quod Mediolani ſolutio non ſit ſecutura, tunc duplex manifeſtè committitur vſura, ſcilicet & in primo cambio, & in recambio, nec excuſari poſſunt mercatores ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis. Ita manifeſtè docet *Salas de cambijs dub. 39. num. 3.*

Probatur primò, quoad primum cambium ex diſpoſitione Pij V. damnantis cambia, per quæ literæ re ipſa mittuntur ad locum, vbi pecuniæ ſoluendæ ſunt, ſed re vera inanes remittuntur, & redeunt, ſed talia ſunt ea, de quibus hic eſt ſermo, ergo &c. Minor probatur, quià de facto literæ dantur, & certò ſcitur Mediolani pecuniam non eſſe perſoluendam. Secundò, quià re vera hic contractus nihil aliud eſt, quam mutuum palliatum titulo cambij, & recambij, & eſt cum lucro. Quid enim aliud eſt pecuniam ſic cambire pro alio loco, vbi ſcitur non eſſe perſoluendam, ſed in loco, in quo fuit ſoluta, reſtituendam, quam eandem mutuare, vt lucrum poſteà ſimul cum ſorte reddatur.

Probatur ſecundò quoad recambiū, quià acquireretur lucrum non ſolum ex pecunia antecedentèr recepta in Hiſpania, ſed etiam ex lucro eiuſdem pecuniæ, quod certè iuſtè acquiri non poterat, &, ſi fuit acquiſitum, vt potè vſurarium, iniuſtè fuit acquiſitum, ſed vſuræ, ſeu lucrum ex lucro illicitè, & iniuſtè acquiſitum omni iure vetitum, & damnatum eſt; ergo &c. Confirmatur contractus ipſo iure inualidus, & nullus nullos poteſt parere effectus, nullumque giguere intereſſe, maximè, ſi ſit talis in radice; nam omnia, quæ ſubſequuntur ad ipſum, qualitatem

Primus contractus omninò inualidus nullos poteſt parere effectus.

radicis imitantur, &, ſi radix mala, & rami. Confirmatur ſecundò ex ijs, quę dicta ſunt ſub titulo *Contractus 3. de mutuo, & vſuris*, vbi diximus, quod, ſi quis contrahat contractu ex ſe inualido neſciens eſſe inualidum, quo non contraxiſſet, ſi cognouiſſet eſſe inualidum, & vſurarium, ſed alio licito, quo lucrum aliquod licitè potuiſſet acquirere, non poſſit in reſolutione illius contractus vſurarij lucrum illud ſibi detinere, quod acquiſiuiſſet, ſi alio contractu licito contraxiſſet, eo quià contractus omninò nullus nullos poteſt parere effectus, nullumque intereſſe, cum non entis nullæ poſſint eſſe qualitates, & non contractus nullum intereſſe, ſed hæc omnia euenirent in hypotheſi noſtræ aſſertionis, ergo &c. Minor probatur, quià primum cambium iam ex dictis in probatione primæ partis ſupponitur omninò inualidum, & vſurarium, & ex alia parte motiuum lucri ceſſantis non poteſt aliquid operari, cum ſibi debeat nummularius imputare, quod contraxerit contractu inualido.

Primum cambium ex diſpoſitione iuris ſupponitur inualidum.

4 Assertio II. Cambium reale per literas cum recambio, quo literæ mittuntur v.g. Romam, ibique ſuum ſortiuntur effectum, poſtea Roma aliæ dantur pro Neapolim, quibus Romæ pecunia recambitur, non videtur illicitum, & vſurarium.

Probatur primò, quià cambium ſic initum, nec ex natura ſua eſt illicitum, nec iure poſitiuo prohibitum. Antecedens quoad primam partem patet, quià cambium, qua cambium eſt non eſt malum, &, ſi ſeruetur debita æqualitas ex natura contractus requiſita, nulla labe inficitur, ſed tale eſſet illud cambium reale cum recambio, de quo loquimur, ergo &c. Minor probatur, quià in primis illud cambium per rationem annexam recambij non extrahitur à ratione cambij, nec conſtituitur in ratione mutui, cum re vera permutetur pecunia præſens cum abſenti. Deindè non eſt illicitum ex natura ſua cambium locale, ergo neque cambium cum recambio iuxtà modum in noſtra aſſertione explicatum. Antecedens latè infrà oſtendetur. Conſequentia probatur, quià cambium iſtud cum recambio nihil aliud eſt, quam duo cambia localia; alterum, quo pecunia præſens hic Mediolani permutatur cum alia pecunia ſoluenda Romæ, quod certè eſt meritorium lucri, ſeruatis regulis cambij iuxtà vſum fori, alterum, quo pecunia reſtituta Romæ, vel ſal-

Cambiū cum recambio non eſt ex natura ſua illicitum.

Iſtud cābium, & recambium nil aliud eſt quam duo cambia realia.

E tem

tem habita pro ſoluta iterum commutatur cum alia reſtituenda Neapoli, quod certò etiam eſt ſuo lucro dignũ: Hoc tamen vnum aduertas, remouendam eſſe per partes primo contrahentes quamcunque fraudium occaſionem, ne ſcilicet hoc pacto conueniant ex fine acquirendi maius lucrum per illud cambium & recambium, cum tamen re vera non intendant, niſi vnum cambium, quo pecunia præſens traditur hic Mediolani cum onere, vt præcisè reſtituatur Neapoli, hoc enim eſſet contegere intentionem peruerſam acquirendi lucrum non debitum pallio aliquo licito, cum tamen contractus ex contrahentium intentione eſſet illicitus; ex quo patet diſcrimen, quod intercedit inter hoc cambium, & recambium ſic celebratum, & inter cambium, & recambium iuxtà modum ſuperiori aſſertione explicatum; in illo etenim in vtroque loco cambium ſuum conſequitur effectum, in iſto nequaquam; in illo ſunt duo cambia realia; in iſto non niſi vnum, licet apparentèr pallietur duplici; in illo traditur pecunia in vno loco, vt reſtituatur in alio, & iterum in loco, in quo reſtituitur, vel accipitur, vt reſtituta, traditur, vt iterum reſtituatur in alio, ad quem literæ diriguntur, in iſto traditur in vno loco, vt reſtituatur in eodem cum maiori lucro, licet videatur fieri cambium pro alio loco, quod nihil aliud eſt, quam palliare vſuras.

Diſcrimen inter cambium hoc & recãbium, & cambiũ, & recãbium in præcedẽti aſſertione.

Probatur item idem antecedens quoad ſecundam partem, ſcilicet non eſſe prohibitum à iure poſitiuo; quià Pontifex non damnat plura cambia localia, ſi ſeruentur debitæ conditiones ad vera cambia requiſitæ, ſed illud cambium, & recambium nihil aliud eſt, quam duo cambia localia realitèr diſtincta; non enim eſt aliqua repugnantia, quin ex pecunia, qua completur vnus contractus, poſſit alter incohari, ergo &c.

Probatur ſecundo eadem aſſertio; quià, vt teſtatur *Emanuel Sà verb. cambium num.* 8. hoc cambiorum genus fuit approbatum per quandam Bullam Pij V. ad Bononienſes, quam Bullam *Comitolus lib.* 3. *quæſt.* 15. fatetur ſe vidiſſe. Improbabile autem eſſet creditu, quod idem Pontifex approbaret, ſi hic contractus eſſet contrà conditiones, quas ipſe antecedentèr in vniuerſum expreſsè reprobauerat.

5 Assertio III. Si viduæ, alijque homines deponant ſuas pecunias apud Nummularios in vim cambij, vt eas in nundinis ſoluant, contractus non eſt licitus, ſi verò deponant apud ipſos, vt tanquam prucuratores deponentium ipſorum curam, & negotium gerant, & in nundinis ſoluant cum lucro acquiſito, contractus certè eſt licitus; ſi deponant titulo ſocietatis, vt nummularij cum illa negotientur, tunc etiam licitus eſt contractus, ſi reuera nummularius negotietur, & lucrum acquirat, quod eſt diuidendum iuxtà proportionem &c. Sic in vniuerſum ſentit *Azorius inſtit. moral. part.* 3. *lib.* 10. *cap.* 11. *quæſt.* 1.

Probatur prima pars primo, quià illa depoſitio pecuniæ apud nummularium non habet, niſi nomen cambij, in re autem eſt verè mutuum cum lucro, ergo ille contractus eſt omninò vſurarius, non licitus. Antecedens probatur, quià transferre ſuam pecuniam in alterum certo tempore reſtituendam cum lucro ſine variatione loci, & ſine onere commutandi pecuniam inæqualis valoris naturalis, quamuis eiuſdem legalis cum alia, nihil aliud eſt in re, quam mutuare ſuam pecuniam, vt tempore nundinarum reſtituatur poſtea cum lucro, ergo &c. Secundò probatur, quià illa depoſitio non eſſet cambium locale, nec minutum, ſeu manuale, ergo non haberet, niſi nomen cambij, adeoque eſſet ſolummodò cambium ſiccum.

Non eſt cambiũ, in re, ſed tantum nomine, & potius mutuum cum lucro.

Probatur ſecunda pars, quià vnicuique licet pecuniam ſuam exponere negotiationi, vt ex illa lucrum aliquod capiatur, ſiuè illam exponat immediatè per ſe ipſum, ſiuè per alium tanquam per Procuratorem; non enim negotiatio eſt ſpecies contractus ex genere ſuo illicita, ergo, ſi viduæ, alijque homines apud nummularios pecunias ſuas exponerent ad hunc finem, licitè exponerent, &, ſi ex pecunia ſic expoſita per negotiationem lucrum aliquod acquiratur, iuſtè poterunt illud recipere; cum reciperent ex contractu ex genere ſuo licito, & lucratiuo. In hoc tamen caſu nonnulla ſunt obſeruanda, & primo, quod, ſi caſu fortuito pecunia illa ſic expoſita periret, periret Domino, non Procuratori eiuſdem, qui dumtaxàt agit nomine ſui principalis. Dixi *caſu fortuito*, nam, ſi ex culpa, dolo, vel incuria Procuratoris periret, eidem incumberet onus reſtitutionis. Secundò, quod, ſi illa pecunia data ſit nummulario ad finem negotiationis, & ipſe non negotietur, non poſſit quidem, ſi quid poſteà lucri detur, illud retinere titulo negotiationis, ſed ad ſum-

Vnicuiq; licitũ eſt res ſuas exponere negotiationi, ſiuè per ſe, ſiuè per alios.

Digitized by Google

ſummum lucri ceſſantis, eo quia illud lucrū ex negotiatione non eſſet acquiſitum, quia tamen deponens ad eum finem depoſuit apud ipſum, vt negotiaretur, &, ſi ſciuiſſet non negotiaturum, apud alios depoſuiſſet, qui ex titulo licito aliquid acquiſiuiſſent, quod iuſtè percipere, & retinere potuiſſet, ideo &c. vndè nummularius ſibi imputare debet, quod non fuerit negotiatus.

Probatur tertia pars. Licitum eſt ex genere ſuo contractum ſocietatis inire, & illud, quod acquiritur lucri ex negotiatione inter ſocios ſeruata proportione diuidere, ergo, ſi viduæ, alijque tradant pecuniam ſuam titulo ſocietatis nummulario, vt cum illa negotietur, poterunt lucrum proportionalitèr diuiſum exigere, & retinere. Verum tamen eſt, quod ad licitam perceptionem lucri ſeruari debent omnes conditiones ad ſocietatē requiſitæ, nempè vt pecuniæ periculum ſit penes deponentem, niſi ipſe ſocius aſſumat in ſe ipſo illud periculum modo, quo alibi explicuimus, item vt deponens moralitèr credat pecuniam ſuam in licitam, & honeſtam negotiationem implicari, cæteroqui ſciens lucrum reciperet ex cambio ſicco, nec poſſet excuſari ob titulum lucri ceſſantis, eo quia non licet ad hunc finem pecuniam in contractus illicitos implicare.

Conditiones requiſitæ ad contractum ſocietatis.

6 Assertio IV. Si Titius dederit Caio centum nummos aureos cum onere, vt eoſdem reſtituat in alio loco cum lucro in primis nundinis, ſed interim ſuperueniente eidem Titio aliqua neceſſitate indigens ipſe Titius talibus centum nummis aureis, ſi ius illud, quod habet in Caium, quærat alteri vendere minori pretio, poteſt idem Caius eodem minori pretio, quo alter acquireret illud ius, ſe ipſum ab onere redimere, & ius illud Titij extinguere, dummodò tamen illud pretium ſit intra limites iuſtitiæ.

Probatur primo ex iјs, quæ alibi diximus ſub titulo *Contractûs 2. de empt. & vendit. diſq. 1. §. 7.* vbi docuimus vendentem res ſuas expectata ſolutione pretio ſummo poſſe a ſuo emptore illas immediatè emere præſenti pecunia pretio infimo, ergo etiam qui dedit pecunias ſuas ad cambium cum onere eaſdem reſtituendi cum certo lucro in alio loco pro aliquo tempore futuro determinato poterit ab eo, cui dedit illas pecunias ad cambium, recipere quid minus pecunia de præſenti in eodem loco exburſata extinguendo ius, quod habebat exigendi quid magis pro tempore determinato, & in alio loco pro cambio prius inito. Conſequentia probatur, quia ità ſe habet vendens res ſuas pretio ſummo expectata ſolutione, & redimens pretio infimo præſenti pecunia, ac ſe habeat acquirens ius ad quid maius pro tempore futuro, & in alio loco exequendum, & poſteà illud extinguens pro minori per exactionem pecuniæ de præſenti, ſi tamen ſeruetur æqualitas requiſita ad iuſtitiam, ſiquidem, ſi illud licitum eſt, vt probabamus loco citato, quia duplex interuenit contractus, & in vtroque ſaluatur iuſtitia, cum res venalis non habeat valorem indiuiſibilem, ſed admittat latitudinem inter ſupremum, medium, & infimum, etiam illud erit tale, quia duplex etiam interuenit contractus, alter, quo quis pecuniam ſuam implicauit in cambio cum lucro, alter quo campſarius emit illud ius, quod alter aduerſum ſe acquiſiuit, & in vtroque ſaluatur iuſtitiæ æquitas, ſiquidem illud lucrum, quod fuit conuentum, & eſt debitum ei, qui implicauit pecuniam ſuam ad cambium, ex communi vſu fori præſumitur iuſtum, & illa pecunia, quam ſoluit ille, qui ſe liberat ab onere ſoluendi illud lucrum, iuſta, & proportionata ſupponitur pro iure ad illud lucrum, cum ſoleat ex vſu fori tanti emi.

Duplex interuenit contractus, & in vtroque ſaluatur iuſtitia.

Hoc tamen vnum monendum cenſeo, quod illud, quod minus ſoluit 7
campſarius præſenti pecunia pro ſe eximendo ab onere ſoluendi quid magis poſt aliquid temporis in alio loco non debeat eſſe quid minus comparatiuè ad pecuniam receptam ab eo, qui prius ſoluerat, & dederat ad cambium, ſed tantum comparatiuè ad ius, quod habet ad lucrum poſtea exigendum determinato tempore, & loco. Ratio primæ partis eſt, quia, vt alibi vidimus non licet emere pagas acerbas de præſenti pecunia numerata pro minori pretio, nam hoc eſſet præciſè acquirere lucrum ob ſolam temporis dilationem, quod ſapit naturam mutui palliati; non enim quid minus continet creditum certum de futuro, ac pecunia habita de præſenti, tum quia, vt alibi etiam docuimus, non licet debitum de futuro continens centum extinguere per ſolutionem nonaginta de præſenti, non enim temporis contractio, vel extenſio eſt ſecundum ſe lucratiua alicuius pretij; ex quibus patet diſcrimen, quod intercedit inter res venales, quæ modo vendi poſſunt pretio ſummo, modo redimi pretio infimo, & inter pecu-

Non licet emere creditum pro minori ex eo, quod pecunia ſit præſens.

niam creditam, & pecuniam præſentem; patet, inquam, quia in illa admittitur varietas pretij, dummodò ſit intra limites ſupremi, medij & infimi; in iſta verò non admittitur talis varietas, cum tam pecunia præſens, quam futura ſit eiuſdem omninò valoris, nec admittat latitudinem, & eſt ſola differentia in tempore. Ratio ſecundæ partis eſt, quià, quamuis etiam illud ius ad lucrum poſtea exigendum ſit ius ad determinatam pecuniam conuentam, & debitam, & proindè videatur ſortiri eaſdem conditiones, quas habet creditum de futuro, quod licitè non poteſt emi pro minori, nihilominus, quià in communi æſtimatione non ſemper illud ius, quod acquiritur in cambio, eſt idem, ſed diuerſificatur iuxtà diuerſas conuentiones, ideò videtur imitari naturam rerum venalium, quarum valor non conſiſtit in indiuiſibili, adeòque poteſt variari, & quod acquiſitum eſt per quid maius, poteſt vendi per quid minus, dummodò iuxta vſum fori vtrumque pretium ſit intra limites à iure permiſſos. Ex hoc patet diſcrimen inter primam, & ſecundam partem, nam pecunia, quæ datur pro cenſu conſtituendo non variatur ſecundum valorem conſiſtentem in indiuiſibili, adeoque ſiuè præſens, ſiuè futura continet idem pretium; illud autem ius, cum ſit id, quod per commercia acquiritur, variari poteſt ſecundum valorem, adeoque illa datur, vt pretium, hoc æſtimari poteſt, vt merx.

Temporis contractio, vel extenſio nō eſt ſecundum ſe lucratiua.

Probatur ſecundò aſſertio. Illud ius, quod habet Titius in Caiū ratione cambij conſtituti poteſt licitè pro minori vendi alteri ab eodem Caio, ergo etiam licitè poterit vendi eidem Caio, ſeu ab eodem Caio poteſt iuſtè redimi. Antecedens, præterquam quod admittitur ab Azorio noſtræ aſſertionis hoſte acerrimo *Inſtit. mor. part. 3. lib. 10. cap. 11. quæſt. 3.* ſic euincitur, quia ille alter poteſt ſimile ius acquirere ab alio pro minori pretio, cum, vt dictum eſt, ius illud acquiratur modo minori, modo maiori pretio ſinè leſione contractus, dummodò illud maius, & minus ſit intrà limites iuſtitiæ, ergo etiam poterit hoc emere ab eodem Titio pro illo minori pretio; Prima conſequentia etiam probatur, quià, ex quo Caius contraxit primò cum Titio, non àmiſit aliquod ius acquirendi ab eodem Titio alio contractu id, quod alij iuſtè poſſunt ab eodem acquirere.

Si poteſt vendi alteri, non eſt, cur non poſſit redimi à primo.

Dices *cum Azorio loco citato* diſparem eſſe rationem inter illum alterum acquirentem illud ius pro minori, & inter Caium ſe redimentem pro minori ab illo onere, Diſparitas autem conſiſtit in eo, quod ille alter nihil ex vi præcedentis contractus eidem Titio debet, adeòque conueniendo de iuſto pretio, quàmuis minori ad illud, quod alter ſoluit, iuſtè conuenit, Caius autem ex vi præcedentis contractus tenetur ad totam illam ſūmam conuentam erogandam eidem Titio, adeòque non eſt, cur illam non debeat ſoluere ad ſe eximendum ab illo onere, quod ſibi antecedentèr impoſuit. Sed contrà, quià illud ius, quod acquiſiuit Titius ex vi præcedentis obligationis aſſumptę à Caio eſt commutabile per quid minus, ſicuti eſt acquiſibilę per quid minus etiam, & ſic quamuis Caius ex vi prioris contractus teneretur ad totam illam ſummam conuentam erogādam, reſolueretur tamen illa obligatio per ſecundum contractum, qui non eſt iniuſtitiæ damnabilis; cum ſimile ius regularitèr ex vſu fori quandòque acquiratur per quid minus ſine vllo iniuſtitiæ ſcrupulo.

Illud ius eſt commutabile per quid minus, ſicuti etiā eſt vendibile per quid minus.

8 Assertio V. Non eſt vſurarius contractus cambij, quo v.g. Titius nummularius dat hic Mediolani Franciſco centum nummos aureos, vt eos ſoluat poſteà Romæ in primis nundinis, cum tamen ſciat eundem Franciſcum Romæ non habiturum eoſdem nummos aureos perſoluendos, niſi ipſos accipiat ab alio, nomine, vel titulo alteriùs cambij. Sic ſentit *Silueſter verbo vſura 4. quæſt. 9. verſiculo ſexto ſenſere. Azorius inſtit. moralium part. 3. lib. 10. cap. 11. quæſt. 6.*

Probatur primò. Hic contractus nil aliud importat, quam permutationem pecuniæ præſentis cum abſenti, ſed hæc permutatio ex genere ſuo non eſt illicita, nec vſuraria, ergo neque erit vſurarius iſte contractus, quo &c. Maior probatur, quià Titius nummularius verè ſoluit pecuniam hic Mediolani, vt poſteà ſoluatur Romæ in primis nundinis, & Franciſcus per receptionem talis pecuniæ hic Mediolani verè aſſumit in ſe onus illam tempore nundinarum reſtituendi, ergo hoc verè importat permutationem pecuniæ præſentis, quæ eſt Titij, cum pecunia abſenti reſtituenda per Franciſcum; Neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, Titium ſcire, quod Franciſcus non ſit habiturus illam pecuniam reſtituendam Romæ, adeòque non potuiſſe commutare; Non, inquam, obſtare poteſt, nam tradendo pecuniam ſuam cum illo onere acquiſiuit ius aduerſus ipſum Fran-

Nihil aliud eſt, quā permutatio pecuniæ præſentis pro abſenti.

ciſcum

ciſcum ad illam reſtituendam, nec curare debet, quod vno, vel altero modo habeat, dummodò ipſi reſtituatur; & hoc ſufficit eo, quia ius, quod acquirit idem Titius per traditionem ſuæ pecuniæ eſt perſonale aduerſus ſcilicet perſonam, quæ eidem obligatur.

Dices, ſi Titius emeret à Franciſco viginti aureis bouem, quem ipſe Franciſcus non habet, & deinde locet bouem ipſi Franciſco cum onere, vt ſoluat aliquid pro ipſo boue ſic locato, vſurariè contraheret, & non poſſet exigere iuſtè mercedem locationis vltrà viginti aureos per ſe ipſum ſolutos, ergo etiam ſi pecunia præſenti emeret ius ad pecuniam abſentem aduerſus Franciſcum, quam re vera non habet, & vlterius exigeret pretium cambij, vſurariè ſe haberet, & non poſſet &c. Conſequentia probatur, quia emendo pecuniam, quam Franciſcus non habet, & ratione eiuſdem exigendo fructus per inde ſe habet ac ſi ex boue non exiſtente fructus exigeret. Sed contra neganda eſt conſequentia, quià merces locationis bouis non exiſtentis eſſet ex vi contractus ficti, chimerici, & inſubſiſtentis, pretium autem cambij eſſet ex ipſo cambio reali per traditionem actualis pecuniæ ex parte campſoris, & acquiſitionem iuris pro pecunia abſente aduerſus campſarium; neque ex eo, quod hic illam pecuniam non habeat, vitiatur ipſe contractus, ſufficit enim, quod poſſit illam habere medijs licitis, & à iure permiſſis, ſicuti ex eo, quod fiat mutuum alicui cum onere, vt mutuatarius reſtituat, ſufficit quod illam habere poſſit &c.

Contractus locationis bouis eſſet chymericus, & fictus.

PRÆNOTIO VIII.

Exponitur quoddam cambij genus, & inquiritur, an ſit licitum.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Rationes ſuadentes hoc genus cambij eſſe improbandum. 2.
Hoc cambiendi genus licitum eſt, & iuſtū. 3.
Onus ſoluendi illud intereſſe, non eſt ex culpa, ſed ex conditione. 4.
Promiſſio facti alieni quandoque obligat promittentem, & quando. 5.
Bulla Pij V., & Pij IV. loquuntur ſolum de intereſſe certo, & exceſſiuo. 6.
Quomodo facienda ſit huiuſmodi taxatio per Iudicem. 7.
Soluuntur conſiderationes in contrarium adducta. 8.
Aſſignatur diſcrimen, quod intercedit inter Principem recipientem ad cambium pecuniam reſtituendam in certo loco, in quo ſcitur non ſoluturus, & perſonam recipientem pro loco, pro quo ſcitur non habiturus, niſi recipiat ibi ad cambium. 9.

1 Exponitur ſenſus tituli.

SEnſus præſentis tituli per hunc ſpecialem caſum ab Azorio *Inſtit. mor. part. 3. lib.* 10. *c.* 11. *q.* 4. proponitur. Caius indiget hic Mediolani centum nummis aureis, quos accipit à Titio nummulario ſoluturus eos Romæ poſt tres menſes eo pacto, quod ſi intra illud tempus conuentum Romæ non perſoluerit, teneatur idem Caius eoſdem Mediolani perſoluere vnà cum lucro, quod percepturus fuiſſet Titius, ſi illi nummi aurei intra tempus conuentum fuiſsent Romæ perſoluti, & inde via cambij Mediolanum tranſmiſſi, & quidem lucro officio Iudicis æſtimando. Quo caſu ſuppoſito oritur ratio dubitandi, an, ſi illi nummi aurei non fuerint Romæ per reſpondentem Caij ſoluti, & fuerit facta eorundem tracta ad eundem Caium Mediolani teneatur verè hic ſoluere vna cum intereſse ob non factam ſolutionem loco, & tempore debito ad terminos *l.* 1. *cum tot. tit. ff. de eo, quod cert. loc.*

2 Rationes ſuadentes hoc genus cābij eſſe improbandum.

Videtur ex pleriſque rationibus hoc cambiendi genus impugnandū, primo, quia videtur expreſsè aduerſari conſtitutioni Pij V. ſupra relatæ, in qua vetatur pactum de certo intereſse etiam ratione lucri ceſsantis, & damni emergentis. Ibi- *Statuimus, ne deinceps quiſquam audeat, ſiue à principio, ſiue alias certum, & determinatum intereſſe etiam in caſum non ſolutionis paciſci*; ſecundo, quia etiam aduerſatur Bullæ Pij IV. ex motu proprio. Ibi- *Tum ob varia itinerum pericula, tum etiam aeris diuerſis in locis intemperiem pecunias, vt præmittitur, acceptas iiſdem mercatoribus tempore conuento reddere nequeuntes maxima cum illorum iactura ad earundem mercatorum importunitatem pluries, vt aiunt recambiare coacti.* Tertio, quia, ſi reſpondens Caij Romæ exiſtens non ſoluit, non eſt imputandum culpæ eiuſdem Caij, qui per conſequens immerito cogeretur totum lucrum Romę perſoluere; Quarto, quia ex ſupradictis, ſi Rex, aut Princeps accipiat à nummulario pecunias cum onere eaſdem alibi reſtituendas, & ipſe nummularius ſciat Regem, ſeu Principem non habiturum, vndè ſoluat, certè non poteſt obligari Princeps ad ſoluenda omnia lucra, quæ nummularius fuiſset præceptu-

Digitized by Google

ceptur*us*, ſi pecunia in loco conuento fuiſſet perſoluta, ergo &c. His tamen non obſtantibus ſit.

3 Hoc cābiendi genus licitum eſt, & ius licitum.

Assertio: Huiuſmodi cambium per præfatas conditiones initum non eſt improbandum *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 10. c. 11. q. 4.*, *Raphael Turri de cambijs diſp. 3. q. 13. num. 61., & ſeqq.*

Ratio ex eo deducitur, quia hoc cambium neque repugnat iuſtitiæ contractus ſecundum ſe, nec alicui iuris poſitiui diſpoſitioni; non iuſtitiæ contractus ſecundum ſe, quandoquidem ex illa non ſolutione Romæ nummularius non percipit illud lucrum, quod fuiſset cæteroqui percepturus, quod vtique imputandum eſt defectui eiuſdem Caij. Neque arbitrandum eſt, quod illa non ſolutio, cum non obuenerit ob culpam Caij, ſed ex impotentia reſpondentis eiuſdem non poſſit imputari eidem Caio, qui propterea, vtpotè immunis à culpa debet etiam non ſubeſſe pœnæ; Non, inquam, arbitrandum eſt imprimis, quia vt notat *Azorius loc. cit.* talè pactum potius conditionem inuoluit, quam pœnam, adeoque eadem conditione euenięnte Caius debet ſoluere Mediolani; Deinde, vt notat *Raphael de Turri loc. cit. num. 64. verſ. dum verò*, dum Caius recepit Mediolani illam pecuniam ſe obligando, vt reſtituatur Romæ, ſuſcepit in ſe onus, quod eius reſpondens ſit ſoluturus eandem Romæ, adeoque defectus eiuſdem reſpondentis eſt culpa eiuſdem Caij; & licet regulariter verificętur, quod promiſſio facti alieni non obligat promittentem ad terminos *l. ſtipulatio eſt in princip. ff. de verb. oblig., & §. ſi quis alieni Inſtit. de inutilibus ſtipulation.*; hoc tamen fallit, quando promiſſio interponitur ſuper contractu, de cuius natura eſt vt teneatur de facto tertij *l. emptorem §. qui autem, ff. de act. empt. l. inter ſtipulantem in princip. ff. de verb. oblig.*, *Iaſon in d. l. ſtipulatio hæc ff. de verb. oblig. in ſecunda limit. num. 5.*, item fallit, quando factum tertij tendit ad obſeruantiam eius, quod quis promittit *l. qui autem, §. ſed & ſi quis, ff. de conſtit. pecun.* Accedit primò, quod, ſi literæ cambij Romam tranſmiſſæ non fuerint acceptatæ, ſed proteſtatæ, poteſt creditor agere ad intereſſe, quinimmo ad intereſſe de intereſſe per ea, quæ dicentur infrà *de cambijs 11. prænot. 15. num. 5.* per iura, & rationes ibi alleganda, ſeu allegandas, ergo poterit etiam agere ad huiuſmodi intereſſe, ſi conuenerit, quod in caſu non ſolutionis huiuſmodi intereſſe ſit perſoluendum; perinde ac ſi facta eſſet ſolutio. Accedit ſecundo iuxta ea, quæ dicentur infra *de cambijs 2. dict. prænot. 15. num. 13.* quod facta conuentione de intereſſe incerto ob moram in ſoluendo poſſit creditor agere ad intereſſe commune, & ſingulare, prout etiam docent *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 23. de cambijs dub. 11. nu. 90.*, *Scortia Theorem. 308.*, *Fillincius c. 11. num. 48.*

4 Onus ſoluendi illud intereſſe non eſt ex culpa, ſed ex conditione.

5 Promiſſio facti alieni quandoque obligat promittentem.

Nec item repugnat alicui iuri poſitiuo, nam, ſi quod eſſet, cui repugnaret, vel eſſet conſtitutio Pij V., vel Pij IV. in allegatis verbis; neutri autem repugnat, non primo, quia loquitur tantum de pacto circa intereſſe certum; hic autem pactum non eſt de intereſſe certo, ſed de taxando officio, & decreto Iudicis; non ſecundo, quia etiam hoc loquitur de taxatione exceſſiua, qua abuti mercatores indigitātur, ſub qua propterea non poteſt hic caſus comprehendi; cum ſit poſitus in intereſſe æquiſſimo taxando ſcilicet arbitro Iudicis. 6

6 Bulla Pīj V., & Pij IV. loquuntur ſolum de intereſſe certo, & taxatione exceſſiua.

Sed, ſi inquiratur, quomodo facienda ſit huius intereſſe taxatio per Iudicem? Tunc *Raphael de Turri de cambijs d. diſp. 3. q. 13. num. 70.* hanc regulam ſtatuit. Dicit imprimis ad taxandum huiuſmodi intereſse ob ſolutionem non factam Romæ, deberi conſiderari rem, perinde, ac ſi Romæ per reſpondentem Caij facta fuiſset illius pecuniæ ſolutio, ac ſubinde illa pecunia Romæ data fuiſset ad cambium pro feria proxima cambiorum, vel Placentiæ, vel alterius loci in Italia, & exinde ea pecunia vi noui cambij Mediolanum fuiſſet remiſſa; ex qua remiſſa tunc plenè colligitur intereſse creditoris ex lucro ceſſante, quod alias nulla ratione poſſet deprehendi; atque hoc dicit eſſe maxima animaduerſione dignum, cum hoc ſit obuium mercatoribus, & optima ratione fulcitum.

7 Quomodo faciēda ſit huiuſmodi taxatio per Iudicem.

Ex huc vſque dictis iam patet quid ſit reſpondendum ad ea, quæ ex aduerſo in principio præſentis tituli conſiderabantur ex Bulla Pij V., & Pij IV., & ex eo quod in tali non ſolutione nulla deprehendatur culpa eiuſdem Caij debitoris; non enim debetur tale intereſſe ex culpa, ſed ex conditione, præterquam quod intelligitur culpa interuenire, cum ad ſolutionem Romæ faciendam Caius ſe obligauerit. 8

8 Soluuntur conſiderationes in contrarium adductæ.

Ad illud, quod vltimo loco dicebamus de Rege accipiente pecunias à nummulario cum onere reſtituendi in loco, vbi certo ſcitur non eſſe ſoluturum, ſed literas remitendas eſſe inanes

ad

ad locum, vnde proceſſerunt, qui Rex non obligatur iuxta ſuperius dicta ad ſoluenda omnia lucra, quæ nummularius fuiſſet percepturus, ſi pecunia in loco conuento fuiſſet reſtituta. Reſpondet *Raphael de Turri d. diſp. 3. q. 13. num.* 74. aſſerendo, quod re vera Princeps obligatur ad omnia illa lucra, & acriter reprehendit Azorium, ex eo quod abſoluat Regem, & Principem ab onere ea perſoluendi arguens eundem de inconſequentia, quandoquidem ipſe Azorius docuit, quod, ſi datur pecuniam ad cambium alteri reſtituendam in certo loco, in quo certo ſcit non habiturum, vnde ſoluat, niſi ab alio titulo cambij accipiat, licitè det, & poſſit lucrum exigere, perinde ac ſi illa pecunia in loco ſtatuto eſſet reſtituta, ex quo ad hominem videtur inferre, quod, cum Rex ſine dubio habere poſſit in feria, ſeu in loco conuento, qui pecuniam det ad cambium, vtique intelligatur licitè ei contuliſſe pecuniam, ac proinde poſſe exigere lucra, quæ fuiſſet percepturis, ſi ibi pecunia fuiſſet perſoluta. Si aſſumptum Raphaelis de Turri verum eſſet, vtique euacuaret
9 conſiderationem ſeu obiectum ſupra expoſitum; ſed quia nos in præcedentibus docuimus cum Azorio Regem in data hypotheſi non obligari ad illa lucra, ideo tenemur aſſignare diſcrimen, quod intercedit inter caſum illum de Rege, & caſum, de quo hic loquimur. Dic ergo, cambium cum Rege initum non poſſe ſubſiſtere, nec parere illud lucrum, ſeu illa lucra; quandoquidem certò ſcitur ſolutionem in loco conuento non eſſe adimplendam, ſed literas remittendas inanes, & ſolutionem cum lucro faciendam eſſe in loco, in quo initum eſt primum cambium, quod nihil aliud eſt, niſi conferre pecuniam in tali loco, vt vbi cum temporis protractione reſtituatur cum fænore; cambium vero initum cum illa perſona determinata, quæ ſcitur non habitura pecuniam in loco conuento ad reſtitutionem, niſi illam ad cambium ab altero recipiat, non intelligitur initum cum ea intentione, quod non ſit effectum habiturum in loco conuento, ſeu quod debeat perfici per reſtitutionem in loco, in quo initum eſt cambium, ſed cum animo quod conſummandum ſit in loco determinato, ſiue hoc fiat cum pecunia, quam ibi habeat debitor, vel quam ab alio recipiat; quod, ſi deinde non inueniat ibi, à quo recipiat, per accidens omninò eſt, adeoque &c.

Incongruè Turri arguit de inconſequentia Azoriũ, & aſſignatur ratio diſcriminis.

PRÆNOTIO IX.

De Iniuſtitia cambiorum ex monopolijs.

SVMMARIVM.

Explicantur modi, quibus contingere poſſunt monopolia in cambijs. 1.

Si augeatur pretium per monopolium in cambijs intrà limites iuſti, monopolæ grauitèr peccant, non tamen tenentur ad reſtitutionem. 2.

Qui non communicauit cum conſpiratoribus ad augendum pretium intrà limites iuſti non peccat, ſi ſe conformet vſui fori, ſecundum quem pretio adaucto per monopolium cambia ineuntur. 3.

Qui communicat cum eiſdem per malam fidem peccat quidem, non tamen ſubit pœnas iuris. 4.

PLura de monopolijs diximus interuenientibus in contractibus emptionis, & venditionis ſub titulo *Contractus 2. de emptione, & venditione prænot. 6. per totum*, quæ ibi recolenda ſunt, & hic applicanda, non repetenda, ne actum iam ſine neceſſitate agamus. Hic ſolum explicandi ſunt modi, qui ſpecialitèr ex peruerſitate nummulariorum interuenire poſſunt in cambijs, & iuſtitiam, vel iniuſtitiam inquirere. Duobus igitur potiſſimum modis 1
contingere poſſunt monopolia in cambijs; primò, quatenus tres, vel quatuor nummularij ex conuentione inuicem inita omnem pecuniam hinc inde contrahunt, & apud ſe coaceruant eo fine, & intentione, vt poſſint pro ſuo arbitratu pretia cambiorum conſtituere, & lucra maiora percipere, quam perciperent, ſi monopolia non iniuiſſent cum aliorum contrahentium maximo detrimento; Secundò, quatenus, quamuis pecunias omnes apud ſe non coegerint, paciſcuntur tamen inter ſe, ne quis eorum pecuniam det alteri, niſi hoc, vel illo pretio, & non minori. Huiuſmodi monopoliorum auctores, & grauitèr peccare, & obligari ad reſtitutionem, ſi augeant pretium ſupra id, quod iuſtum eſt, colligitur ex ijs, quæ dicta ſunt *cit. tit. de emptione, & venditione eadem prænot.* 6. vbi tamen diximus, quod, ſi pretium, quod adaugent huiuſmodi monopolæ, non excedat ſupremum, quamuis grauiter peccent 2
non teneantur ad reſtitutionem, eo quia non læditur iuſtitia commutatiua, ſed tantum legalis. Id, quod potiſſi-

Explicatur modi quibus monopolia cõtingunt in cambijs.

Digitized by Google

tiſſimum controuertitur in præſenti, eſt, an, ſi in aliquibus nundinis ex huiuſmodi monopolio pretium cambiorum fuerit auctum Titio v.g. non concurrente ad tale monopolium, & idem Titius pecuniam ſuam det alteri iuxta conſuetudinem exercitam in talibus nundinis, & taxatam ex vi huiuſmodi monopolij peccet læthalitèr, & ſubeat pænas contrà monopolas comminatas, & teneatur ad reſtitutionem. Huiuſmodi monopolia, præterquam quod ſub grauiſſimis pænis damnata ſunt *in l.1.C.de Monopolijs* potiſſimum reprobantur per allegatam Pij V. conſtitutionem illis verbis *eos verò, qui conſpirationes fecerint, vel congeſtam vndique pecuniam iſti ad ſe redegerint, vt quaſi monopolium pecuniæ facere videantur, pænis, quæ à iure contrà exercentes monopolia conſtitutæ ſunt, teneri ſancimus*. Quænam autem ſunt huiuſmodi pænæ collige, tùm ex præcitata *l.1.C.de monopolis*, tùm ex dictis in præallegata *prænot.6.de emptione, & venditione*.

Præcipua ratio dubitãdi in hoc titulo.

3 Assertio. Si Titius non communicauit cum conſpiratoribus in ordine ad augendum pretium, ſed bona fide pecuniam ſuam dat ad cambiũ ad æqualitatem illius pretij, quod communitèr exigitur à conſpiratoribus, non peccat, nec tenetur ad aliquam reſtitutionem, ſi illud pretium ſit iuſtum, licet ſupremum, ſi verò mala fide, & pretium illud ſit ſupra iuſtum, & peccat, & tenetur ad reſtitutionem.

Probatur prima pars. Communior, & conformior regula ad taxanda rerum pretia ex vſu fori eſt communis æſtimatio, & conſuetudo ad vſum eiuſdem fori, quæ æſtimatio, & conſuetudo non ſemper eſt eadem in omnibus nundinis, ſed variatur ad variationem earum ſecundum diuerſas circunſtantias, ergo, ſi tempore aliquarum nundinarum particularium communitèr pecunia detur pro aliquo determinato pretio, præſumendum eſt ità communitèr æſtimari, & hanc eſſe conſuetudinem communem, ergo, ſi Titius tali conſuetudini ſe accomodet, non peccat, nec tenetur ad aliquam reſtitutionem; Neque dicas, illam æſtimationem inductam eſſe non ex æquitate, ſed ex peruerſitate conſpiratorum, quæ proptereà non poteſt eſſe iuſta, & honeſta regula congruæ, & iuſtæ taxationis; contrà enim impugnaberis, nam, licet talis regula ſit ex peruerſitate conſpiratorum inducta, adeoque mala ex fine operantium, quia tamen ſecundum ſe non eſt iniqua, cum non excedat latitudinem iuſti pretij, & ipſe Titius non communicet in tali peruerſitate operantium, cum pecuniam ſuam det bona fide pro illo pretio, non poteſt inducere aliquam peruerſitatem, & malitiam in eodem Titio, nec ex natura ſua, nec ex fine operantis. Confirmatur ex ijs, quæ diximus ſub *tit.Contractus II. de emptione, & venditione*, vbi, ſi res aliqua ſecundum ſe maioris valoris, & pretij ſecundum commune iudicium proptèr valorem rei non cognitum minoris æſtimetur, & quis emat rem illam illo pretio communitèr taxato iuſtè emit, nec alicuius iniuſtitiæ eſt damnandus, ergo neque erit damnandus Titius iniuſtitiæ, ſi pecuniam ſuam det ad cambium ſecundum illud pretium, ſecundum quod communitèr ab alijs traditur in tali loco, & talibus nundinis. Conſequentia probatur, quia, ſi communis error non vitiat contractum, nec communis conſpiratio eundem debet vitiare, ſi tamen hæc non ſit ſupra iuſtum pretium.

Taxatio pretiorũ habetur ex communi æſtimatione.

Talis taxatio eſt dumtaxat mala ex fine operantium.

Probatur ſecundò eadem prima pars, quià Titius nec peccat contrà æqualitatem requiſitam ad iuſtitiam contractus, nec ex fine, proptèr quem contrahit, ergo, quià non peccat contrà æqualitatem, non tenetur ad aliquam reſtitutionem, quià non eſt ex prauo fine, non exercet actionem peccaminoſam. Antecedens patet, quia illud pretium ſecundum ſe non ſupponitur excedere id, quod iuſtè debitum eſt, & ipſe Titius, quod præſtat, præſtat bona fide. Conſequentia probatur, quià, vbi nulla eſt inæqualitas, nulla eſt neceſſitas compenſationis, ſeù reſtitutionis; vbi non eſt peruerſa intentio, non eſt peccatum.

Nec eſt prauitas contra iuſtitiã, nec ex fine, quo fit.

Probatur ſecunda pars, quià per malam fidem communicat in peruerſitate conſpiratorum, ſi non in cauſa, ſaltem in effectu, & ex eo, quod exigat plus, quàm iuſtum eſt, lædit æqualitatem ad iuſtitiam requiſitam, ergo quatenus per malam fidem communicat cum peruerſitate, peccat, quatenùs exigit ſupra iuſtum tenetur ad reſtitutionem.

Communicat per malam fidẽ cum conſpiratoribus ſaltem in effectu.

Verum tamen eſt, quod, quamuis mala fide contrahens tali pacto peccaret, & obligaretur ad reſtitutionem, in rigore tamen non ſubiret pænas contrà monopolas comminatas. Ratio multiplex eſſe poteſt. Prima, quià hic non poſſet dici abſolutè, & verè conſpirator, & monopola; nam ad rationem monopolij requiritur, vel multorum conuentio de non emendis, vel emendis 4

Digitized by Google

dis rebus, niſi tali, vel tali pretio, de non cambienda pecunia, niſi tali, vel tali onere, & ſimilibus, vel congeſtio omnium rerum venalium, vel totius pecuniæ apud vnum ex animo, & intentione, vt pro ſuo arbitratu pretia rerum adaugeat, vel cambiorum onera immutet, ſed in noſtra hypotheſi Titius nec conueniſſet cum multis de pretio cambiorum augendo, nec vniuerſam pecuniam apud ſe congeſſiſſet ad finem augendi, ergo non eſſet propriè conſpirator, nec monopola. Secunda, quià leges penales vtpote odioſæ ſunt reſtringendæ, nec extendendæ, niſi ad delictum perfectum, & conſummatum, ad quod tollendum huiuſmodi leges ſunt ordinatæ, ſed delictum Titij mala fide ſe accommodantis communi pretio conſpiratorum, & exigentis id, quod conſpiratores exigunt, non eſt in ratione monopolij rigoroſè perfectum, & conſummatum, ergo &c. Minor probatur, quià non dicitur conſpirare, qui non conuenit ad conſpirationem; Neque dicas, quod, quamuis in cauſa non communicet, ſit tamen propriè conſpirator, quià communicat in effectu, in quo propriè conſummatur delictum, & iura potiſſimum per pænarum comminationem, & impoſitionem intendunt euertere effectum, in quo potius conſiſtit damnum Reipublicæ, & emptorum pernicies, quam ipſam conſpirationem, quæ eſt tantum via ad tale damnum, quod ità verum eſt, vt, ſi fieret conſpiratio, & non ſequeretur effectus, ipſi conſpirantes, quamuis peccaſſent per illam peruerſam intentionem, non tamen tenerentur ad reſtitutionem, nec obligarentur ad ſubeundas pænas conſpiratorum; contrà enim impugnaberis, quià, quāuis re vera delictum non compleatur propriè, niſi in effectu, & per ipſum ſolum effectum inducatur damnum, quod iura potiſſimum intendunt auertere; non eſt tamen propriè delictum conſummatum in tali genere, niſi interueniant omnia, quæ requiruntur formalitèr ad inducendum tale delictum, nec ſolus effectus ſufficit ad ipſum delictum inducendum. Res declaratur hoc pacto. Si omnes mercatores intèr ſe non conuenirent de non vendendis mercibus, niſi tali pretio, ſed ſolum ſinguli tali pretio venderent, quod eſſet ſuprà iuſtum, certè effectus damni, quod iura intendunt euertere, ſequeretur: Quis autem diceret, huiuſmodi mercatores ſubire debere pænas contrà monopolas impoſitas? ergo ad incurrendas pænas non ſufficit conſummatio in effectu, niſi concurrant ſimul ea, quæ requiruntur ex parte cauſæ ad tale delictum inducendum; ex quo vlterius infero ad rem noſtram, ergo nec Titius, qui non conuenit, obligabitur ad ſubeundas pænas. Hæc vltima conſequentia probatur, quià in tantum Mercatores exigentes tale pretium ſupra iuſtum non ſubirent pænas iuris contrà monopolas, in quantum intèr ipſos non eſſet conuentio de illo ſic exigendo, licet peccarent contrà iuſtitiam per ſuperexceſſum pretij, ſed Titius etiam in data hypotheſi, licet exegiſſet illud pretium, non conueniſſet tamen ſimul cum alijs de illo, ergo &c.

Nõ dicitur propriè conſpirare, qui nõ cõcurrit ad actum conſpirationis.

Ad conſpirationem requiritur conuentio intèr multos.

DISQVISITIONES.

In vniuerſam materiam hucuſque agitatam.

§. I.

An in cambio debeat ex neceſſitate reſtitui diuerſa in ſpecie, vel numero pecunia ab ea, quæ fuit accepta.

SVMMARIVM.

Exponitur caſus propoſitus in terminis particularibus. 1.

Nummularius, qui pecuniam accepit in vno loco alibi reſtituendam ſine alia expreſſione, non poteſt obligari ad reſtituendam pecuniam in ſpecie diuerſam. 2.

Nummularius nec poteſt in loco, in quo debet reſtituere, obligari ad reddendam pecuniam diuerſam in numero. 3.

Per reſtitutionem eiuſdem numero pecuniæ non tranſiret contractus de cambio in mutuum. 4.

Diſquiſitio I. Caius pecuniam ſuam tradidit cuidam nummulario hic Mediolani, vt eandem Romæ poſteà reſtitueret. Adueniente tempore reſtitutionis nummularius eandem numero, quam Mediolani receperat, & poſteà Romam remiſit, intendit reſtituere, quam renuit Caius recipere. Quæritur, an Caius poſſit obligari ad eandem recipiendam, an verò iuſtè poſſit aliam in ſpecie, vel in numero ſaltem exigere. 1

Reſpondeo primò, Caium, quantum eſt ex vi contractus, non poſſe obligare nummularium ad reſtituendam pecuniam ſpecie diuerſam ab ea, quam ipſe 2

recepit. *Rebellus de obligationibus iuſtitiæ quæſt. prima de cambijs, Sotus lib. 6. de iuſtitia quæſt. 8. art. 1., Molina diſp. 398. in princip. contrà Valentiam 2.2. diſp. 5. quæſt. 20. puncto primo, Ioannem Medinam quæſt. 1. de cambijs*, Dixi *quantum eſt ex vi contractus*; non enim renuerem concedere, quod ex vi ſpecialis conditionis, ſeu conuentionis annexæ contractui cambij poſſit nummularius obligari ad reddendam diuerſam in ſpecie materiam iuxta contenta. Ratio reſponſionis eſſe poteſt, quia non eſt eſſentialitèr connexum cambium locale cum manuali, ſed, vnum poteſt ab altero ſeparari, ſed ſi ex vi contractus eſſet neceſſariò reſtituenda pecunia diuerſæ ſpeciei à recepta, cambium locale eſſet eſſentialitèr connexum cum manuali, ergo &c. Antecedens probatur, tum quia in eodem loco poteſt pecunia argentea commutari cum minuta, vel aurea cum argentea, & ſic eſt cambium manuale, non locale; Rurſus in cambio locali poteſt eſſe vera permutatio, & ius acquirendi pretium pro cambio, etiam ſi reſtituatur pecunia ſolo numero diuerſa, ergo cambium locale non eſt eſſentialitèr connexum cum manuali. Antecedens probatur, quià permutatio ex genere ſuo non debet eſſe eſſentialitèr intèr ſpecie diuerſa. Quis enim diceret, non eſſe veram permutationem olei cum oleo, vini cum vino? nec ſola diuerſitas monetarum poteſt eſſe ratio lucrandi ex cambio, ſed etiam diuerſitas locorum proptèr onus traiectionis ſaltem virtualis pecuniæ de vno in alium locum, ergo &c. Vndè iure merito aſſerit *Salas tract. de cambijs dub. 1. num. 3. verſic. 3. quià in mutuo*, hanc eſſe Romæ praxim, vt pecunia eiuſdem ſpeciei ibi reddatur cum ea, quæ in Hiſpania eſt tradita, nec vllus eſt, qui negauerit eſſe cambium.

Cambiũ locale nõ eſt neceſſariò cõnexum cum manuali.

Permutatio ex genere ſuo non exigit eſſe inter ſpecie diuerſa.

3 Reſpondeo ſecundò, regularitèr dari, ſeu reſtitui pecuniam numero diuerſam, non poſſe tamen Caium reſpuere eandem numero, ſi in loco, in quo conuentum eſt debere tradi, tradatur. Ratio eſt, quià, ſi quid obſtaret, ne eadem pecunia numero poſſet reſtitui, eſſet, quia eiuſdem ad ſe ipſum non datur permutatio, adeòque nequit ſaluari natura cambij; quæ de ſuo conceptu dicit permutationem, ſed hæc ratio nulla eſt, ergo &c. Minor probatur, quià ex diuerſitate locorum, licet non oriatur diuerſitas entitatiua in eadem pecunia, conſurgit tamen diuerſitas ſaltem moralis, quæ ſufficiens eſt ad permutationem, vt ex tali variatione morali ius poteſt oriri ad exigendum pretium, ſeu iuſtum lucrum ex cambio, quod potiſſimum conſurgit ex traiectione pecuniæ ex vno in alterum locum, ſiue reali, vt contingeret in caſu noſtro, ſiue virtuali, quod fit, quandò realitèr non transferretur, ſed ex commiſione alteri impoſita ibi perſoluitur, vbi erat transferenda, quod æquiualet actuali traiectioni. Confirmatur ex ijs, quæ dicta ſunt ſub *tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris prænot. prima, & alibi*, vbi ſtatutum fuit, ſine læſione mutui poſſe per mutuatarium obligari mutuatorem ad recipiendam eandem numero pecuniam mutuatam, ergo etiam poterit obligari in cambio ille, qui alteri dedit pecuniam ſuam alibi reſtituendam, vt eandem numero ibi recipiat; non enim in hoc video diſparem rationem, præcipuè cum vtrobique ſaluetur finis ab vtroque contrahente intentus in cambio.

Ex varietate locorum non conſurgit diuerſitas entitatiua, ſed ad ſummũ moralis.

Salonius *quæſt. 2. de cambijs* ex mente Conradi, & Medinæ aſſerit per reſtitutionem eiuſdem numero pecuniæ fieri tranſitum de contractu in contractum, 4
& cambium fieri quoddam mutuum, quià, ſicuti in mutuo datur pecunia mutuatario poſt aliquod tempus reſtituenda mutuanti, ità in cambio iſto datur pecunia campſuario poſt aliquod tempus reſtituenda campſori. Sed ob hanc rationem æquè euinceretur, cambium tranſire in mutuum, ſiuè eadem numero pecunia reſtitueretur, ſiuè diuerſa in numero; ſicut enim in mutuo poteſt eadem in numero, vel diuerſa in numero pecunia reſtitui poſt tempus præfinitum ad reſtitutionem, ità etiam in cambio, vnde, ſi ex eo, quod eadem pecunia poſt aliquid temporis eſt reſtituenda, cambium dicitur fieri mutuum, non video, cur etiam fieri non debeat mutuum ex eo, quod diuerſa in numero poſt idem temporis ſit reſtituenda. Quamobrem abſolutè dicendum eſt, illud cambium non tranſire in mutuum, quod multis aſſignatis diuerſitatibus intèr hos contractus contendit euincere *Salonius de Cambijs quæſt. 4. art. 2. num. 9.* quas ibi recole. Nobis vna, vel altera ſufficiat. Prima ſit, quià cambium; de quo nos hic loquimur, quoque permutatur pecunia præſens pro abſenti importat eſſentialitèr traiectionem pecuniæ de vno loco, in quo accipitur, ad alium, in quo eſt reſtituenda ſiuè actualem, ſiuè virtualem modo, quo ſuprà explicatum eſt; hanc autem traiectionem non importat eſſentialitèr mutuum, qua mutuum eſt. Secunda

In cambio locali requiritur traiectio pecuniæ ſaltem virtualis.

eſt;

eſt, quià in mutuo debet per ſe interuenire aliqua diſtantia temporis intèr tempus mutuationis, & reſtitutionis, in cambio verò interuenit ſolummodò per accidens talis temporis diſtantia.

§. II.

An non impleto ex vtraque parte cambio liceat alteri ex contrahentibus à contractu reſilire.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Duplex ſenſus difficultatis propoſitæ. 2.
Nummularius, ſi non fuerit in mora ſatisfaciendi, neutri liberum eſt à contractu recedere. 3.
Pecunia tradita nummulario, vt alibi eam reſtituat, tranſit quoad dominiũ in ipſũ. 4.
Si nummularius fuerit in mora neutri datur ius ad receſſum, ſed Fabio actio ad ſatisfactionem. 5.
Excipe, niſi ceſſarit ob moram finis, ob quem initus eſt contractus. Ibid.

1 Diſquiſitio II. Fabius pecuniam ſuam tradidit cuidam nummulario in vno loco, vt teneretur eandem reſtituere in alio loco facta certa conuentione de determinato pretio pro tali cambio. Tempore, pro quo nummularius adhuc pecuniam non reſtituit, Fabius contendit à contractu recedere renuente nummulario, vel fortè etiam nummularius reluctante Fabio. Quæritur iam, an vnicuique liberum ſit à contractu reſilire, cum adhuc non completus ſit contractus ex vtraque parte.

2 In duplici ſenſu poteſt intelligi propoſita diſquiſitio, vel ità vt ſit liberum recedendi, ſi nummularius fuerit in mora reſtitutionis vltrà tempus conuentum ad reſtituendum; vel ità vt nec expectato tempore reſtitutionis ex eo præcisè, quod contractus non fuerit vſquequaque completus, poſſit vnuſquiſque reſilire. Plura attigi ad hanc materiam pertinentia ſub *tit. Contractus I. de contractibus in genere prænot.* 4. *aſſert.* 4. *per totum*, & ſub tit. *Contractus IV. de emphyth., & Cenſibus prænot.* 21. *Sect.* 8. *aſſert.* 4. quæ ibi pro ſolutione præſentis difficultatis recole. Interim.

3 Reſpondeo primò, ſi nummularius non fuerit in mora ſatisfaciendi, neutri liberum eſſe à contractu recedere, nec in foro interno, nec in externo *Rebellus de oblig. iuſtitiæ quæſt.* 1. *de cambijs nu.* 10. *Salas tract. de Cambijs dub.* 1. *num.* 4., *Palatius lib.* 7. *de contractibus*. Ratio in vniuerſum hæc eſſe poteſt, quià, quamuis cambium à nonnullis computetur intèr contractus innominatos, & pacta nuda, veſtitur tamen ſtipulatione, & per ſatisfactionem ex vna parte factam, ſed in pactis veſtitis, & contractibus æquiualentibus contractibus nominatis in vtroque foro non datur locus pænitentiæ, quando, qui nõ ſatisfecit, non eſt in mora, ergo &c. Maior probatur ex ijs, quæ diximus ſub eodem tit. *Contractus I. prænot.* 3. *aſſert.* 1. *num.* 3. vbi ſtatutum eſt, pacta nuda tranſire in veſtita, & contractus innominatos æquiualere nominatis, quandò connectuntur cum ſtipulatione, vel traditione ex vtraque parte, vel cum cohærentia alterius contractus nominati, & veſtiti. Minor etiam probatur ex *Gloſa in fine §. ex placito C. de rerum permut.* Secundo, ex *l. quoniam aſſeueras C. de rerum permut.* vbi dicitur, quod in pacto, quo poſito, vel vterque ſibi inuicem traderet rem promiſſam, vel alter tantum traderet altero acceptante, & non tradente rem promiſſam, detur actio ciuilis, vbi autem datur actio ciuilis, eadem vtendum eſt ad complementum contractus, non ad reciſionem eiuſdem. Confirmatur, quià omninò gratis dicitur contractum cambij eſſe contractum innominatum; habet enim proprium, & ſpecificum nomen cambij, & rationem ſpecificam, per quam contradiſtinguitur non ſolum à ſimplici permutatione, ſed etiam à contractu emptionis, & venditionis, vt latè ſupra diximus, in contractibus autem nominatis conceditur actio ciuilis, adeòque ceſſat locus pænitentiæ.

Cambiũ non eſt propriè pactum nudum, ſed veſtitur ſtipulatione.

Habet & nomẽ, & rationem ſpecificam contradiſtinctã ab alijs contractibus.

Ex his inferre licet, quod dominium pecuniæ per Fabium traditæ nummulario fuerit re vera tranſlatum perfectè in ipſum nummularium, vt apertè colligitur *ex l. cum precibus Cod. de rerum permutatione*; vndè non ſolum ex iure, ſed etiam ex conſuetudine is, qui pecuniam accepit, eam tamquam ſuam poteſt diſtrahere, & de illa ex ſuo arbitrio diſponere; neque obſtat, ſi dicatur in contractu emptionis per rei traditionem non transferri eiuſdem rei dominium, antèquam pretium eiuſdem per emptorem ſolutum ſit, vel pro ſoluto habeatur. Non obſtat, inquam, nam regula generalis eſt, quod traditionibus dominia rerum transferantur, & ex diſpoſitione iuris datur ſolum exceptio in contractu emptionis, & venditionis iuxtà *Gloſ. in l.* 1. *C. de rerum permutat*, 4

mutat, & in l. Conditionibus C. de pactis.

5 Reſpondeo ſecundò, ſi nummularius fuerit in mora ſatisfaciendi, nec item reſpectu eiuſdem nummularij, nec reſpectu Fabij datur locus pænitentiæ, ſed tantum actio ad complementum contractus, niſi fortaſsè ex illa mora ceſſarit finis, ob quem initus eſt talis contractus cambij. Ratio in vniuerſum hæc eſt, quia vbi tam de iure ciuili, quam de canonico conceditur actio ciuilis, ibi ceſſat locus pænitentiæ, ſed in contractu cambij conceditur actio ciuilis ad complementum, ergo non poteſt eſſe locus pænitentiæ, ſeu reſiliendi à contractu. Maior patet, quia datur locus pænitentiæ, quià, cum ius non aſſiſtat contrahentibus ad firmandum contractum, contractus in tali iure perinde eſt, ac ſi non eſſet initus, quamuis in foro interno ſubſiſtat propter mutuum contrahentium conſenſum præſtitum, vnde iure diximus ſub eodem *tit. Contractus I. prænot. 4. aſſert. 4.* oriri obligationem naturalem ratione fidelitatis, ergo, vbi ius aſſiſtit contractui, & concedit actionem ciuilem, non eſt, cur reciſio ſit inquirenda, ſed tantum actio ad firmandum, & complendum contractum. Minor probatur, quia iuxtà ſuperius dicta in contractibus nominatis, & pactis veſtitis ſtipulatione, vel traditione iura ſemper aſſiſtunt ad differentiam pactorum, quæ purè nuda ſunt, quibus iurà non aſſiſtunt, ſed contractus cambij non ſolum eſt contractus quoad ſuam ſpeciem nominatus, ſed eſt ſtipulatione, & traditione ex vna ſaltem parte firmatus, ergo iura aſſiſtunt contractibus cambiorum.

Iura aſſiſtunt cõtractibus nominatis, & veſtitis ſtipulatione, & traditione.

Dices, in contractibus iuxtà dicta in *cit. prænot. 4. Contractus I.* in quibus vnus ſatisfecit, & alter non, datur locus pænitentiæ reſpectu illius, qui ſatisfecit, licet non reſpectu illius, qui non ſatiſfecit, ergo, cum in contractu cambij, de quo nos loquimur, Fabius ſatisfecerit, & non nummularius, dabitur locus pænitentiæ reſpectu Fabij, licet non reſpectu nummularij. Sed contra; ea, quæ ibi dicta ſunt, procedebant dumtaxat in pactis merè nudis, & contractibus innominatis, cuiuſmodi non eſt contractus cambij, qui, & proprio nomine ſecundum propriam ſpeciem gaudet, & veſtitus ſopponitur, & ſtipulatione, & traditione per vnam ſaltem partem completa.

Dices ſecundò, etiam ſi pacta nuda ſint veſtita per traditionem ſaltem ex vna parte, adhuc tamen datur locus pænitentiæ, & reſiliendi à contractu ſaltem reſpectu eius, qui ſatisfecit, vt latè probauimus in *præfata prænot. 4. ſub tit. Contractus I.* ergo, quamuis contractus Cambij ſit contractus nominatus; & veſtitus traditione ex vna parte, adhuc non tollitur locus pænitentiæ reſpectu eius, qui ſatisfecit. Sed contrà primò, quià contractui nominato completo ex vna parte duplex ratio aſſiſtit, & ratio contractus nominati, & ratio complementi, pactis verò nudis, ſecundum ſe licet veſtitis ex vna tantum parte aſſiſtit ſolummodò ius ſecundum illam rationem, ſecundum quam fauet ei, qui compleuit, procedendi ſcilicet ad complementum, ſi velit, non obligandi tamen ad ſtandum contractui, ſi nolit, cum deficiat à ratione contractus nominati.

Duplex ratio aſſiſtit cõtractibus nominatis, quæ non aſſiſtit pactis nudis.

Adde pro complemento rationis contractum nominatum ſuaptè natura veſtitum eſſe, & firmatum ex quacunque iuris diſpoſitione, cui derogare non poteſt ex ſua libertate alter ex contrahentibus in præiudicium alterius, qui ius illud acquiſiuit ab eodem iure; pacta verò ſecundum ſe nuda per complementum ex vna parte tantum fiunt quidem veſtita, ſed tantum ex diſpoſitione complentis, qui, ſicuti liberè poſuit complementum, ità liberè poteſt idem repetere, & cedere iuri, quod acquiſiuit per complementum.

---

§. III.

An in cambio minuto licitum ſit lucrum, quandò campſor, ſeu nummularius pro pecunia aurea dat minutam.

SVMMARIVM.

Facti ſeries, & rationes dubitandi. 1.
Poteſt campſor ex cambio lucrum acquirere, quamuis accipiat pecuniam auream, & tradat minutam. 2.
Campſor, quamuis tradat pecuniam minutam, & recipiat auream, inſeruit tamen campſario. 3.
Soluitur obiectum aduerſantium. 4.
Diſpar ratio de cambio, ac de mutuo. 5.

Diſquiſitio III. Dictum fuit ſuperiùs licitum eſſe acquirere lucrum in cambio ratione materiæ purioris, quæ eſt in vna moneta comparatiuè ad aliam, quę non eſt materiæ ità perfectę, quamuis vtraque ſit eiuſdem valoris 1

legalis,

Digitized by Google

legalis. Hoc poſito. Campſor quidam, ſeu nummularius hic Mediolani, ſiuè à Principe deputatus ad hoc munus, ſiuè illud exercens ex proprio arbitrio plures contractus cambiorum init, ſecundum quos pecuniam auream accipit à campſuarijs, illiſque ſic exigentibus tradit minutam, & ſimul exigit lucrum ex illa permutatione. Oritur hic difficultas, an licitè poſſit exigere illud lucrum. Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod lucrum illud non videtur iuſtè poſſe exigi, nec ratione maioris valoris legalis, quia vtriuſque ſupponitur eſse æqualis, & monetam minutam dari ad æqualitatem attento tali valore comparatiuè ad monetam auream; nec ratione valoris naturalis, eo quià hic ſupponitur maior in moneta aurea, quæ longè ad perfectiores vſus poteſt deſeruire, quam ſit in minuta. Nihilominus.

Maior valor naturalis pecuniæ aureæ, quæ minutæ.

2 Reſpondeo, iuſtè poſse illud lucrum exigere, dummodò non excedat quantitatem, quam exigit officium cambiendi, & labor in numerando, & ſimilia. Ratio eſse poteſt, quia ratio formalis, ob quam nummularius acquirere poteſt aliquod lucrum ex cambio manuali non eſt ſola diuerſitas valoris naturalis monetæ cambiendæ, adeo vt in tantum campſor poſſit lucrum illud acquirere, inquantum transfert in campſuarium monetam perfectioris valoris naturalis, vt recipiat monetam inferioris valoris *naturalis*, ſed etiam, vt ſuprà docuimus, officium cambiendi, & labor in numerando, & expendendo pecunias, ergo, quamuis ratione maioris valoris naturalis non poſſit lucrum percipere, cum pecunia, quam ipſe tradit, ſit deterioris valoris, & conditionis, poterit tamen aliquid acquirere ratione officij cambiendi, & ratione laboris in numerando, & expendendo. Hac ratione ſuprà docuimus ſub *tit. Contractus II. de emptione, & venditione* poſſe iuſtè mercatores ratione officij mercandi iuſte aliquid exigere ſuprà id, quod alij non exercentes tale munus ſolent exigere, quæ ratio à fortiori videtur militare in noſtro caſu, cum magis videatur officium cambiendi ordinatum ad vtilitatem campſuariorum, quam munus mercandi in vtilitatem emptorum ſaltem quoad hoc, quod cambium verſatur circa pecuniam, quę ad longè plures vſus eſt accomoda, mercatura circà res venales, quæ ad tot vſus non videtur ordinata.

Lucratur ex officio cambiendi, & labore in numerando.

Paritas deſumpta ex arte mercandi.

Officium cambiendi vtilius eſt, quam ars mercandi.

Dices, non eſſe rationem lucrandi ex cambio ratione officij cambiendi, & laboris in numerando, quandò in contractu interuenit ex parte campſuarij aliqua ratio ſecundum ſe meritoria compenſationis, ratione cuius ille labor, ſeu officium cambiendi adæquatur, & compenſatur, cæteròqui non ſaluaretur æqualitas requiſita ad iuſtitiam contractus, nam campſor acquireret lucrum proportionatum ſuo muneri, & labori, & vlterius illam rationem compenſationis ex parte campſuarij ſine vlla compenſatione, ſed in cambio, quo campſuarius dat pecuniam auream, vt recipiat minutam transfert in campſorem aliquam rationem ſecundum ſe meritoriam compenſationis ſupra valorem eius, quod recipit, nam pecunia aurea, quam ipſe tribuit, eſt longè maioris valoris naturalis, quam ſit minuta, quam ipſe recipit, vt ſupra docuimus, ergo &c. Sed contrà, nam illa ratio, quæ aſſeritur meritoria compenſationis ratione maioris valoris naturalis non eſt ex neceſſitate compenſanda, & ratio eſt, quià nullus cogi poteſt ad accipiendam pecuniam ſupra valorem legalem, qui eidem pecuniæ impoſitus eſt, quamuis Dominus pecuniæ illius maioris valoris naturalis poſſit licitè accipere quid maius, ſi velit quis ipſam accipere ſecundum illum maiorem valorem, & compenſare ſuprà valorem legalem illum exceſſum valoris naturalis; ex quo ruit tota vis inſtantiæ; ſi enim non poteſt cogi nummularius ad accipiendam pecuniam auream ſupra valorem legalem, & licitè accipere poteſt iuxtà eundem valorem, & ex alio capite cum habeat ius, vt officium proprium, & labor compenſetur, non eſt, cur ſit damnandus iniuſtitiæ, ſi exigat compenſationem laboris, & muneris, & ipſe non compenſet valorem naturalem. Quod deindè ipſe polleà poſſit alio contractu pecuniam illam auream tranſigere ſecundum valorem naturalem ſuprà legalem, non officit noſtræ aſſertioni, ſiquidem, ſicuti non eſt repugnantia, quin eadem res venalis per diuerſos contractus transferatur modò ſecundum valorem medium, modò ſecundum infimum, modò ſecundum ſupremum ſine læſione iuſtitiæ, ità neque repugnat, quin per diuerſos contractus eadem pecunia poſſit modò ſecundum valorem legalem, modò ſecundum naturalem transferri.

Nemo cogi poteſt ad accipiendam pecuniam ſuprà valorem legalem.

Non repugnat, quin per diuerſos contractus eadem pecunia in ſpecie trãsferatur modò ſecũdum valorem legalem, modò ſecundum, naturalem.

Ratio eſſe poteſt ſecundò, quià campſor in illa permutatione inſeruit campſuario, ſupponitur enim, quod cambium fiat ad exigentiam, & in fauorem 3

Digitized by Google

rem campſuarij ipſum releuádo à mul-
Exigit lucrum ratione obſequij, & ſeruitutis.
tis oneribus, quibus grauaretur; ergo
ratione talis obſequij, & ſeruitutis in
ipſum præſtitæ poterit aliquid exigere.
Conſequentia tenet, quià vnuſquiſque
operans in fauorem alterius dignus eſt
mercede ſua. Antecedens probatur,
quià per illam permutationem ipſum
releuat à quadruplici incommodo, &
primò ab impedimento emendi merces
Enumerantur commoda campſarij.
minutas, ſecundò ab onere inquirendi
alterum, vel plures, qui pecuniam
auream cambiret pro minuta; tertiò
ab onere ſcindendi pecuniam auream
in petias; quartò à periculo, nedum
quærit, merces, quas intendit acqui-
rere, diſtrahantur. Hæc omnia incom-
moda enumerat *Conradus de contractibus tract. 8. quæſt. 99. concl. 4.*

Dices; incommoda alterius ſecun-
dum ſe ſumpta non tribuunt ius cam-
4 pſori exigendi aliquod lucrum, ergo
ratione ipſorum non poteſt aliquid exi-
gere. Antecedens patet, quis enim di-
ceret poſſe mutuantem aliquid exigere,
ex eo præcisè, quod mutuatarium in
graui neceſſitate conſtitutum releuat à
neceſſitate, cui ſubeſſe teneretur ſine
mutuo? Sed contrà, fateor incommo-
Non exigit lucrũ præcisè ex vtilitate cãpſario reſultante.
da alterius non conferre ius lucrandi
releuanti ſecundum ſe, conferunt ta-
men ius, prout releuatio ab ipſis impor-
tat ſeruitutem releuantis in fauorem
releuati, quæ certè ſeruitus, cum non
ſit debita, eſt meritoria mercedis, &
præmij. Ad id, quod additur de re-
leuante in mutuo, dico diſparem omni-
nò eſſe rationem, quià ſeruitus, quæ
5 præſtatur in mutuo, omninò gratuita
eſt ſine vllo debito mutuantis, & me-
rum beneficium, cuiuſmodi non eſt ſer-
uitus illa, quæ præſtatur in cambio mi-
Diſpar ratio de cambio ac de mutuo.
nuto, ad quam campſor obligatur ci-
uilitèr ex vi contractus, quæ certè obli-
gatio ciuilis eſt ſecundum ſe pretio
æſtimabilis. Deindè campſor ex officio
tenetur illas pecunias appoſitè habere,
quod certè onus eſt pretio æſtimabile,
non ſic mutuator, adeòque &c. Quod
ſi ſuperius diximus, poſſe etiam pri-
uatas perſonas cambire cum lucro, cum
tamen ipſæ non teneantur appoſitè ha-
bere pecunias aptas ad cambiendum,
adeòque ratione talis oneris habendi
pecunias non conſurgere ius lucrum
aliquod acquirendi, ea intelligenda
ſunt dumtaxat, quandò priuatæ per-
ſonæ cambiunt pecunias maioris valo-
ris naturalis, licet eiuſdem legalis, cum
alia imperfectioris valoris naturalis, vel
cambiunt cum detrimento proprio, non
autem, quandò cambiunt imperfectio-
rem cum perfectiori ex libertate, & ſine
vllo ſui præiudicio. Conſentiunt *Silueſter verb. vſura c. 4. §. 3., Salonius de cambijs quæſt. 3. art. 1. num. 11.* Non ne-
gauerim tamen, quin, quamuis ne-
Nõ poſſunt tantum priuati exigere, quantum publici campſores.
queant aliquid priuati campſores exi-
gere ratione onerum, quibus ſubiacent
publici campſores, congregandi, para-
taſque habendi pecunias diuerſi gene-
ris, cuicumque cambire volenti, in-
cumbendi in domo publica per ſe, vel
per famulos ad id deſtinatos ei numeri
&c. poſſint tamen aliquod licet modi-
ciſſimum exigere ratione ſeruitutis, &
obſequij in numerando &c.

---

§. IV.

An lege publica prohiberi poſſit, ne quis præter publicos campſores cambia minuta factitet, & quid, ſi factitet contrà talem legem.

SVMMARIVM.

Status quæſtionis, & multiplex ratio dubitandi. 1.

Lex prohibens cambia, ſi qua datur, poteſt dupliciter intelligi, & quomodo. 2.

Poteſt princeps prohibere, ne priuata perſona aſſumat onus cambiendi vtroque modo. 3.

Cambientes contrà ius legitimè prohibens ſubiacent pœnis iuris, non tamen contrahunt noxam lethalem contrà iuſtitiam commutatiuam, ſed ad ſummum leuem contrà legalem. 4.

Cambientes cum lucro contrà diſpoſitionem Principis non obligantur ad reſtitutionem illius lucri, ſi non excedat debitam æqualitatem. 5.

DIſquiſitio IV. Conſtituerat Prin-
ceps in fauorem publicorum 1
campſorum quandam legem, ne quis
præter eoſdem auderet cambia minuta
exercere. Non obſtante hoc iure pro-
hibente Seius hoc munus priuatim
exercuit, & lucrum per ſingulos contra-
ctus acquiſiuit. Multiplex hic excita-
Variæ rationes dubitandi.
tur articulus. Primus eſt, an Princeps
iuſtè potuerit condere talem legem.
Secundum ex ſuppoſitione, quod iuſtè
potuerit, ſeu poſſit, an faciens contrà
talem legem peccet læthaliter. Tertius,
an ad aliquam reſtitutionem teneatur,
& cui. Pro ſolutione

Aduerte in vniuerſum legem, ſi quæ
fuerit edita, vel edatur circà propoſi- 2

tum

Digitized by Google

Dupliciter poteſt intelligi prohibitio cambiorum, & quomodo.

tum dubium duplicem poſſe habere ſenſum, ſeu dupliciter interpretari; primo modo, quatenus prohibeat, ne quis propria auctoritate aſſumat munus publici campſoris; Secundo modo, quatenus abſolutè prohibeat per priuatas perſonas quomodocunque fieri huiuſmodi cambia etiam priuatim. Ex verbis legis coniectandum eſt, quonam ex his modis lex prohibeat. Certè *Molina diſp. 399. verſ. qua dicta ſunt* iuxtà mentem *Nauarri* docet, in aliquibus Regnis Hiſpaniæ leges in hoc genere conditas intelligendas eſſe dumtaxat iuxtà primum modum, non autem iuxtà ſecundum; In dubio autem, vtrum lex reſpiciat primum modum, an verò ſecundum, ſi ex verborum contextu nequeat diſſolui, præſumendum eſt, reſtringi ad primum modum, quia leges prohibentes vtpotè odioſæ potius ſunt benigna iuris interpretatione moliendæ, quam exaſperandæ. Quibus ſuppoſitis.

3 Reſpondeo primò, Principem potuiſſe, & iuſtè poſſe ex iuſtis cauſis non ſolum prohibere, ne quis cambia factitet primo modo, ſeu iuxtà primum ſenſum expoſitum, ſed etiam iuxtà ſecundum. *Salonius de cambijs quæſt. 3. art. 1. concl. vlt. num. 14., Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 10. c. 4. quæſt. 5., Molina tract. 2. diſp. 399., & alij magis communiter.* Probatur, quia in Principe adeſt poteſtas legiſlatiua, & lex, ſeu obiectum legis poteſt cedere in bonum commune Reipublicæ, ergo iuſtè poteſt Princeps condere huiuſmodi leges. Antecedens quoad ſecundam partem probatur, quia maximè conuenit Reipublicæ bono, ne pecunia alicuius Regni, & Prouinciæ aliò transferatur, quod facilè contingeret, ſi vnuſquiſque poſſet pro ſuo libito cambia minuta, & localia factitare. Item maximè congruit eiuſdem Reipublicæ commoditati, vt publici ſint campſores, qui onus aſſumant congregandi pecunias cuiuſcunque generis, domos publicas habendi, per ſe, vel per miniſtros pecunias cambiendi ad exigentiam campſuariorum, quæ certè dificile quis aſſumeret, ſi quiſque pro ſua libertate ſine talibus oneribus poſſet cambire. Hac motus ratione non renui ſub *tit. Contractus II. de emptione, & vendit. prauos. 6. num. 4.* poſſe Principes, & Magiſtratus etiam in rebus humano victu neceſſarijs concedere dumtaxat vni, vel alteri ius vendendi res in certo genere, & prohibere alijs in hypotheſi, qua ciuitas facilè deſtitueretur talibus rebus, niſi quis aſſumeret onus illas in vrbem transferendi, conſeruandi, & diſtribuendi in publicis neceſſitatibus ad opportunos ciuiũ vſus, ſic enim exigit bonum commune, quod præponderat oneri, quod alijs imponitur non vendendi &c.

Aſſignatur cauſæ, propter quas Princeps poteſt prohibere.

Paritas deſumpta ex alibi dictis.

Dixi *non ſolum iuxtà primum, ſed etiam iuxtà ſecundum ſenſum* nam vtroque modo poteſt eſſe communis vtilitas per prohibitionem, & negatio talis vtilitatis per non poſitionem eiuſdem prohibitionis. Verum tamen eſt, quod, cum de iure naturæ non ſit aliqua prohibitio, ne quiſque poſſit cambire, non debeant ſub prohibitione intelligi compræhenſæ priuatæ perſonæ, ſi priuatim cambia factitent, non aſſumendo propria auctoritate publicum munus cambiendi, niſi ſpecialiter in iure prohibente exprimatur hic modus priuatim cambiendi, quia iura reſtringentia, ſeu prohibentia id, quoad ius naturæ, nec reſtringit, nec prohibet, non ſunt extendenda vltra id, quod expreſsè prohibent.

Iura reſtringentia id quod ius naturæ non reſtringis, ſunt ſtrictè interpretãda.

3 Reſpondeo ſecundò, cambientes contrà ius legitimè, & iuſtè prohibens ſubiacent quidem pænis iuris, non tamen contrahunt noxam læthalem contrà iuſtitiam commutatiuam; ſed ad ſummum contrà legalem, non tamen regulariter grauem. Ratio primæ partis eſt manifeſta, quia delinquens contrà legem iuſtè ſubiacet pænis legis legitimè conſtitutæ, ergo cambientes &c. Antecedens patet, quia in eo, in quo reſidet poteſtas legiſlatiua, debet etiam ineſſe vis coercitiua contrà tranſgreſſores, nam fruſtrà eſſet poteſtas condendi leges, ſi ad earum obſeruantiam per pænas non poſſet cogere, ergò, qui ſubiacet poteſtati legiſlatiuæ, ſubiacet etiam poteſtati coercitiuæ in hypotheſi tranſgreſſionis; adeòque ſi contrà legem peccat, pænis legis mulctandus eſt.

Habens poteſtatẽ legiſlatiuam debet habere etiam coercitiuam.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia iuſtitia commutatiua reſpicit ſolummodò æqualitatem dati ad acceptum ſecundum vſum fori attentis omnibus circumſtantijs, & conditionibus, quæ concurrunt ad contractum ſecundum ſe, ſed talis æqualitas ſecundum ſe ſeruaretur in contractu cambij per priuatas perſonas cambientes, ſiquidem tantum darent, & reciperent, quantum exigit natura contractus, quinimmò aliquid detraherent à conſuetis recipi per publicos campſores; eo quod onera ipſorum non ſubeunt, ergo priuatæ perſonæ ſic cambientes non peccant contra iuſtitiam commutatiuam; Nec prohibitio Principis demit æqualitatem

tem

Prohibitio Principis non demit æqualitatem rei ad rem.

tem rei ad rem, ſi contrà eandem fiat, ſed dumtaxat proportionatam ſubiectionem perſonæ ad perſonam, ſi fiant, quæ prohibentur fieri. Confirmatur ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. pranot. 6. num.* 3. nempè non peccare contrà iuſtitiam commutatiuam conſpiratores ex eo, quod contrà *l. vnicam C. de monopolijs* res ſuas vēdant ſecundum conuenta in conſpiratione, ſi id, quod exigunt, non ſit contrà, ſeu ſuprà æqualitatem requiſitam ad naturam contractus emptionis, & venditionis, ergo nec contrà eandem peccabunt priuati campſores, ex eo, quod cambia ineant contrà legem Principis prohibentis, dummodo tamen ſeruent proportionatam æqualitatem.

Paritas deſumpta ex cōſpiratoribus in monopolijs.

Dices primò, æqualitatem, quam reſpicit iuſtitia commutatiua deſumendam eſſe ſecundum valorem, quem rebus taxauit Princeps in ordine ad contractus, qui debent iniri; cum igitur Princeps per ſuam legem prohibuerit, ne priuatæ perſonæ cambia factitent cum lucro, implicitè ſaltem quoad has perſonas in ordine ad cambiorum contractus videtur taxaſſe pretium pecuniarum, quæ cambiuntur, ne ſcilicet excedant per lucrum, quod acquiritur, valorem pecuniarum ſecundum ſe, ergo per talia cambia cum lucro factitata verè læditur æqualitas requiſita ad iuſtitiam commutatiuam, quæ verſatur inter valorem, & valorem taxatum à Principe. Sed contrà, quia Principes per huiuſmodi leges intendunt præcisè prohibere, ne per tales, vel tales perſonas cambiorum contractus ineantur, non autem pecunijs in eiſdem contractibus valorem ſtatuere reſpectu talium perſonarum, adeo vt non niſi talis poſſit eſſe in ordine ad priuatas perſonas, diuerſus, & maior in ordine ad publicos campſores, nam finis legis, vt ſuprà innuebamus, eſt, ne facilè monetæ, quæ ſunt in aliqua Prouincia per huiuſmodi contractus alio transferantur, & ne ob hoc difficile inueniantur, qui velint ob publicum bonum in ſe aſſumere onus congregandi ex debito pecunias cuiuſcunque generis, eaſque promptas habendi ad publicas campſuariorum functiones, quibus finibus non ſolum aduerſantur cambia per priuatas perſonas exercita cum lucro, ac ſine lucro. Deindè id, quod exigerent priuati campſores ſupra id, quod tradiderunt, non eſſet propter pecuniarum valorem, ſed propter munera, quæ in hoc genere præſtarent, & ſunt ſecundum ſe pretio æſtimabilia, ad quæ præſtanda nullo iure obligantur.

Principes prohibentes nō taxant valorem pecuniarū quoad perſonas, quibus prohibēt.

Quod exigunt priuati campſores eſt propter munera, quæ præſtant.

Dices ſecundò, exigere aliquid, quod ex diſpoſitione iuris ſibi non eſt debitum, eſt contra iuſtitiam commutatiuam, ſed priuatæ perſonæ exigentes lucrum ex cambio per Principis leges ſibi prohibito exigerent aliquod lucrū, quod ſibi nō eſt debitū, ergo peccarent contrà iuſtitiam commutatiuam. Maior probatur, quià ex alibi dictis iuſtitia commutatiua non ſolum præſtat, ne quis minus habeat, quam habere debeat, ſed etiam ne plus habeat, quam habere debeat. Sed contrà; dupliciter aliquid poteſt non eſſe debitum alteri; primò, quatenus ex natura ſua eſt ſuprà æqualitatem rei ad rem attentis omnibus circumſtantijs, & conditionibus ſecundum ſe pretio æſtimabilibus; ſecundo modo, quatenus ſecundum ſe non eſt ſuprà talem æqualitatem attento modo contrahendi, & conditionibus pretió æſtimabilibus, ſed tantum contrà legem Principis prohibentis. Id, quod non eſt debitum primo modo, ſi exigatur, eſt contrà iuſtitiam commutatiuam, non ſic, quod eſt indebitum ſecundo modo, ſiquidem eſt tantum contrà obedientiam debitam Principi, per quam nullius ius læditur, cum id, quod datur, & accipitur, æquè detur, & accipiatur ex vſu fori à publicis campſoribus, nec tamen damnantur iniuſtitiæ.

Dupliciter aliquid poteſt non eſſe debitum, & quomodo.

Ratio tertiæ partis eſt, quià contrauenire legi legitimè, & ex iuſta cauſa conſtitutæ eſt actio deficiens à debito obſequio, & ſubiectione, quam debet habere ſubditus erga ſuum legitimum ſuperiorem iuſta, & congrua præcipientem; obedientia etenim reſpicit præceptum ſub ratione debiti reſpectu ſuperioris *D. Thomas lib. 2. diſt. 44. quæſt. 21. art.* 5. Confirmatur primo, quia tranſgreſſio præcepti, quæ tribuit rationabile fundamentum grauis indignationis præcipienti habenti legitimum ius præcipiendi, eſt actio ſecundum ſe peccaminoſa contra obedientiam, ſeu iuſtitiam legalem, ſed Princeps habet ius legitimè præcipiendi, ne fiant per priuatas perſonas cambia, quià tamen ex eo, quod præcipiat ſub grauibus pænis, arguitur velle ſolummodò obligare ad pænas, non præſumitur velle culpam ſub graui, ergo talis tranſgreſſio &c. Maior probatur ex ijs, quæ dicimus ſub titulo de vitijs, & peccatis, grauitatem, & leuitatem culpæ deſumi ex fundamento grauis, ſeu leuis indignationis præcipientis, vel ſub graui, vel ſub leui, ergo etiam

Grauitas, & leuitas culpæ deſumitur ex fundamento grauis, & leuis indignationis.

grauis,

Digitized by Google

grauis, vel leuis grauitas culpæ deſumenda eſt ex rationabili fundamento grauis, vel leuis indignationis per tráſgreſſionem præcepti aduerſus eum, qui habet legitimum ius præcipiendi. Confirmatur ſecundò ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. prænot. 6.* nempe peccare contrà iuſtitiam legalem, qui contrà ius poſitiuum conſpirant ad non vendendas certas res, niſi determinato pretio, quamuis in tali pretio ſeruent æqualitatem requiſitam ad iuſtitiam commutatiuam, ergo etiam peccant, qui contrà ius prohibens poſitiuum cambiunt pecunias cum lucro, quamuis in tali contractu ſeruent æqualitatem requiſitam ad iuſtitiam commutatiuam; in caſu tamen de conſpiratoribus eſt grauitas, quià eſt in præiudicium communitatis, non ſic in cambijs priuatis.

5 Reſpondeo tertio, priuatas perſonas cambientes cum lucro non excedente æqualitatem debitam contrà diſpoſitionem Principis, quamuis peccent contrà iuſtitiam legalem, non obligari ad aliquam reſtitutionem lucri. *Molina tract. 2. diſp. 399. verſic. illud admonuerim. Leſſius lib. 2. c. 23. dub. 2. num. 17.* & alij magis communitèr contra *Sotum de iuſtitia, & iure lib. 6. quæſt. 9. concl. 3., Ioannem Baptiſtam Lupum de vſuris comment. 3. §. 2. num. 52., Couaruuiam in tract. de veterum nummiſ. collat. c. 7. num. 4.* quibus videtur quodamodò aſſentiri *Azorius inſtit. mor. p. 3. lib. 10. c. 4. quæſt. 7.*

Onus reſtituendi conſurgit ex læſione iuſtitiæ commutatiuæ.

Probatur primò, quia onus reſtitutionis oritur ex læſione iuſtitiæ commutatiuæ, vel ratione rei acceptæ, vel ratione iniuſtæ acceptionis, ſed ex ſuprà probatis per huiuſmodi contractus iuſtitia commutatiua læſa non eſt, ergo ex ipſis nullum conſurgit onus reſtitutionis.

Dices, in huiuſmodi contractibus eſſe iniuſtam acceptionem illius lucri propter ius prohibens. Sed contrà duplicitèr ſumi poteſt ly *iniuſta acceptio*; primò, quatenus importet modum, quo res accipiantur non ſecundum æqualitatem, ſed ſuprà eandem, ſiuè ille, qui accipit iniuſte, ſit immediatus, & principalis acceptor, ſiuè mediatus, & minus principalis, cuiuſmodi ſunt conſulentes, ſeu cooperantes; ſecundò, quatenus ſeruata æqualitate importet ſolummodò tranſgreſſionem præcepti; iniuſta acceptio primo modo ſumpta lædit iuſtitiam commutatiuam, cum tollat æqualitatem rei ad rem, & obligat ad reſtitutionem, non ſic ſecundo modo, ſed tantum lædit iuſtitiam legalem; cum non excedat æqualitatem

Eſt iniuſta acceptio tátum ratione iuſtitiæ legalis.

rei ad rem requiſitam in tali ſpeciali modo contrahendi, ſed ſolummodò tollat proportionatam ſubiectionem, quam debet ſeruare ſubditus ad ſuperiorem in iure præceptiuo.

Dices ſecundò, per læſionem etiam iuſtitiæ legalis conſurgere onus reſtitutionis, quandoquidem iuſtitia legalis prohibens contractus aliquot, ipſos ipſo iure irritat, ſi contrahantur; ex contractu autem irrito, ſi lucrum aliquod acquiratur, eſt reſtituendum, cum contractus irritus, & non contractus quoad effectum idem ſint, & non contractus nullum poſſit parere intereſſe. Sed contrà; lex prohibens poteſt ſumi, vel quatenus prohibeat aliquod genus contractuum ſecundum ſe licitum reſpectu aliquarum perſonarum ſub pæna nullitatis contractus, vel quatenus illud prohibeat ſub alijs pænis contra tranſgreſſores; ſi iuxtà primum ſenſum prohibeat, erit quidem contractus initus contra talem diſpoſitionem nullus in foro externo, in eoque nullum pariet intereſſe propter allatas rationes. Dixi *in foro externo*, nam non ita facilè damnarem iniuſtitiæ in foro interno, nec obligarem in foro interno ad reſtitutionem illum, qui ſeruata debita æqualitate ſic contraheret, cum ſit forma ſubſtantialis contractus ratione vtriuſque contrahentis conſenſus, & proportionata materia ad æqualitatem &c. Si ſumatur iuxta ſecundum ſenſum, non inualidatur contractus, cum leges pænales non irritent, ſed ſolummodò afficiant pænis tranſgreſſores. Regularitèr huiuſmodi leges præſumendæ ſunt præciſè pænales, niſi alitèr exprimatur.

Leges prohibétes, vel poſſunt eſſe tantum pænales, vel irritátes.

Probatur ſecundò, quia per huiuſmodi priuatos contractus cambiorum nulla infertur Reipublicæ iniuria, nec illis, cum quibus cambia ineuntur, ergo nullum conſurgit onus reſtitutionis. Antecedens quoad primam partem patet, quià nihil damni eidem Reipublicæ illatum eſt, vt per ſe ſit notum; probatur item quoad ſecundã, quia id, quod accipit, non excedit id, quod ſecundum communem mercatorum æſtimationem in talibus permutationibus habetur pro æquali; neque dicas ex *Azorio inſtit. mor. part. 3. lib. 16. cap. 4. quæſt. 7.* ex quo Princeps prohibuit, ne quis v.g. præter Titium pecunias permutet, eo ipſo videri ſtatuiſſe, vt reſpectu aliorum à Titio tantiſolummodò æſtimentur pecuniæ, quanti æſtimantur, vt ſunt pretia rerum venalium; neque item dicas ex *l. non dubium C. de leg., & conſtit.* vbi legitur. *Nullum pactum*, nullam

Duplex inſtantia, & ipſius ſolutio.

nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus ſubſecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente; contra enim impugnaberis, & primo quoad primum Azorij dicendum eſt, Principem prohibentem voluiſſe quidem, quod tanti ſolummodò æſtimarentur pecuniæ, quanti æſtimantur, vt ſunt pretia rerum venalium, non tamen, quod actus ipſe cambiendi, qui ſecundum ſe eſt pretio æſtimabilis, priuaretur proportionato, & congruo lucro, nam hoc eſſet iuſta compenſatio ex natura rei inter id, quod accipitur, & id, pro quo accipitur. Secundò ad ſecundum, *ex l. non dubium C. de legibus, & conſt.* dicendum eſt, ea non procedere quoad leges merè pænales, cuiuſmodi regularitèr eſt lex prohibens priuatis perſonis cambia, vt latè aſſerit *Molina diſp. 88. ad confirmationem primi arg.* Non amplius immoror, quià de his fusè egi *ſub hoc tit. prænot. 3. num. 7.*

§. V.

An, qualis, & quanta debeat eſſe prouiſio pro cambijs.

SVMMARIVM.

Multiplex articulus quoad propoſitam difficultatem. 1.
Reſpondentes campſoris iuſtè, & licitè poſſunt congruam, & conſuetam prouiſionem exigere, & retinere. 2.
Campſor ex aliquo fine poteſt à campſario titulo prouiſionis aliquod exigere. 3.
Aſſignantur rationes, ob quas tùm campſor, tùm reſpondentes poſſunt exigere prouiſionem. 4.
In ordine ad diuerſa munera prouiſio poteſt eſſe diuerſa. 5.

1 DIſquiſitio V. Titius campſor inito contractu cambij cum Andræa, ratione cuius acceptis mille nummis aureis onus ſuſcepit eoſdē per ſuos reſpondentes ſoluendi Romæ, per ſuas literas eiſdem reſpondentibus ordinauit ſolutionem cum illa clauſula, vt ſibi retinerent congruam, & ordinariam prouiſionem, & ſimul, ſemelque contendebat ratione cambij talem prouiſionem per campſuarium ſibi deberi, Hinc multiplex excitatus fuit articulus, qui multum conferre poteſt ad præſentem diſputationem. Primus, an ijdem reſpondentes poſſint iuſtè, & tuta conſcientia talem prouiſionem retinere. Secundus, an eandem poſſit iuſtè retinere campſor. Tertius, an campſuarius teneatur talem prouiſionem ſoluere ex vi contractus præcisè nullo adiecto pacto, an verò tantum ex vi conuentionis expreſſæ. Quartus, quo iure, quoue titulo, poſſit campſori, & reſpondentibus eiuſdem ius prouiſionis competere. Quintus, quanta ſit, vel eſſe poſſit huiuſmodi prouiſio, Singulos expendo, pro quibus.

Multiplex ſtatus quæſtionis propoſitæ.

Reſpondeo primò, reſpondentes Titij iuſtè, & tuta conſcientia poſſe congruam, & conſuetam prouiſionem exigere, & retinere *Romualdus Col. tract. de cambijs c. 21. verſ. ſogliono, Boninſignius tract. de cambijs col. 7. verſ. della prouiſione, Filliucius tract. 35. part. 1. de cenſib., & camb. c. 10. num. 474., Salas tract. de cambijs dub. 20., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iu. c. 23. dub. 8., & alij innumeri* contra *Mercatum tract. de cambijs lib. 4. c. 7.* Ratio eſſe poteſt primò, quià ipſi reſpondentes impendunt ſuam operam, & laborem in fauorem campſuarij, ergo iuſtè poſſunt exigere compenſationem talis laboris, & obſequij. Conſequentia probatur ex communi regula, & ratione, quod operarius dignus eſt mercede ſua. Neque dicas, teneri ex alio titulo in fauorem campſuariorum talem laborem, & operam impendere, ſiquidem ex eo, quod aſſumpſit onus reſpondentis, obligauit ſe ex vi talis oneris ad ea omnia præſtanda, quæ ſubſequuntur ad tale onus; contrà enim impugnaberis, nam aſſumendo tale onus non aſſumere præſumitur nudè, ſed cum illis omnibus iuribus, quæ ex vſu fori, & communi conſuetudine in tali miniſterio acquiruntur, nec ex eo, quod principalis campſor eiſdem reſpondentibus ordinet talem ſolutionem ſupponitur eiſdem adimere ius prouiſionis, cum ipſe campſor ſolum adimpleat onus ſuum, non extinguat ius alienum fundatum in munere pretio æſtimabili. 2

Per onus aſſumptum reſpondens, non cedit iuri lucrandi prouiſionem ex vſu fori

Ratio eſſe poteſt ſecundò, quià, ſi quæ eſſet ratio, cur reſpondentes non poſſent exigere prouiſiones, maximè quia ex vſu pecuniæ campſoris, qui illis permittitur, habent ius aliundè lucrandi, ſed hæc ratio non obeſt, quià lucrum ex vſu pecuniæ eſt ex alio motiuo lucrabili, nempè ex iuduſtria vtentis, quæ non tollit ius acquirendi ex alio titulo laboris, & obſequij, vt per ſe patet, ergo &c. Minor probatur, quià vnus iuſtus, & licitus titulus lucrandi non impedit ius ad lucrandum alio titulo, quis enim diceret, quod ex eo,

quod

quod quis exerceat duplex munus diſparatum à iure non prohibitum, & vtrumque pretio æſtimabile ſecundum ſe, non poſſit ex vtroque lucrum proportionatum acquirere? potiſſimum cum vtrumque non proueniat, vt fructus pecuniæ, licet ex occaſione pecuniæ, ſed laboris ex vna parte, & induſtriæ ex alia in ordine ad diuerſa.

3 Reſpondeo ſecundò. Campſorem ex aliquo fine poſſe à campſario titulo prouiſionis aliquid exigere, non ſic ex omni fine, propter quem exigere poteſt eius actor, ſeu reſpondens. Hæc reſponſio clarius infra patebit. Nihilominus adhuc in præſenti ſic breuiter euincitur, quià ipſe Principalis campſor plura ſubit onera, quæ non ſubit correſpondens, & plura non ſubit ille, quæ ſubit iſte; ſic in particulari campſor ſubit onus exponendi ſe periculo amittendi propriam pecuniam, dum, vt plurimum, periculum ſortis volente campſuario in ſe ſuſcipit; item quandòque ſumit onus fideiuſſionis pro eodem campſario apud eum, cui debitum traicitur; ex alio capite campſoris reſpondens aſſumit onus cuſtodiendi pecuniam ipſius, numerandi, & alia huiuſmodi, ergo &c. Conſequentia tenet, quia in ordine ad onera ſumenda eſt merces.

Enumerantur onera, quæ aſſumit cāpſor, & eius reſpondens.

Hic oritur difficultas in ordine ad reſpondentem, a quo eidem ſoluenda, ſeu compenſanda ſit prouiſio pro labore numerandi, & pro obſequio, & cuſtodia Leſſius *lib. 2. de iuſt. & iu. cap. 23. num. 79.* videtur ſentire compenſandam eſſe per principalem campſorem, eo quià numerat nomine ipſius, & eidem locatam habet quodamodò ſuam operam, vnde aſſerit, iniquam eſſe conſuetudinem quorundam, qui debentes mille ordinant reſpondenti, vt ſoluat mille, & ille detrahit in perniciem creditoris ex illis ſuam prouiſionem. Alij è contrà ſuſtinent, ſoluendam eſſe per campſuarium, eo quià obſequium, & labor cedit in fauorem ipſius. Congruentiùs exiſtimo, ſoluendam eſſe, ſeu compenſandam per campſorem propter rationem, quam adducit Leſſius cui adhærent *Molina diſp. 408., & Filliucius tract. 35. part. 2. de cenſib., & cambijs c. 10. num. 476.* Ad rationem, quæ pro contraria ſententia aſſerebatur, dicendum eſt, quod licet labor, & obſequium ſit in fauorem campſuarij, ſit tamen eidem debitum ex vi contractus initi cum campſore, adeòque &c.

Reſpondeo tertiò, huiuſmodi prouiſionem non deberi, niſi de ea, vel expreſsè, vel tacitè fuerit conuentum, vel vigeat conſuetudo ex vſu fori illam exigendi. *Sigiſmundus Scaccia tract. de commerc. §. 3. Gloſa 3. num. 2., Filliucius tract. 35. part. 2. de cenſib., & cambijs c. 10. num. 474., Salas tract. de cambijs dub. 20. num. 1., Molina de iuſt. tract. 2. diſp. 408., Rebellus de oblig. iuſt. part. 2. lib. 11. quæſt. 8., Leſſius lib. 2. c. 23. de cambijs dub. 8. num. 74., & alij communitèr.* Probatur, quià, vbi non eſt conuentio, nec conſuetudo exigendi prouiſionem, manifeſta eſt præſumptio, quod reſpondens liberè, & gratis aſſumpſerit illud onus reſpondendi, maximè cum in ipſius maximam vergat vtilitatem, & potius eſt beneficium, quod illi conferatur tale munus, quam grauamen, cum potiſſimum pecunia apud ſe depoſita poſſit vti ad acquirendum lucrum ex propria induſtria, ergo in hac hypotheſi non eſt ſoluenda, ſeu compenſanda.

Hic tamen aduerte, quod per hoc non tollatur, quin verè poſſit, & licitè paciſci de prouiſione intuitu cuſtodiæ, & obſequij, quod præſtat in fauorem deponentium; nam, vt ſuprà innuebamus, ex diuerſo motiuo duplex illa vtilitas acquiritur, ex altero nempè, vt fructus induſtriæ, ex altero, vt merces laboris, & obſequij, quod eſt quid pretio æſtimabile, & non debitum; neque obſtes, compenſari exercitium laboris, & obſequij, licet non debitum per gratuitum munus, quod confertur depoſitario, ſeu reſpondenti acquirendi fructum ex pecunia depoſita, quod etiam non eſt debitum; contra enim impugnaberis, nam ex eo, quod collatio talis muneris ſit, vt aſſeritur, gratuita, non poteſt obligare ex iuſtitia ad deponendum ius, quod eſt pretio æſtimabile, cęteroqui non eſſet gratuita, ſed cum onere ex iuſtitia. Hoc tamen vnum moneo, quod, quamuis reſpondens poſſit per pecuniam apud ſe depoſitam aliquid lucrari ex induſtria, non poſſit tamen illam implicare in eos vſus, per quos reddatur minus habilis ad ſoluendum, quotieſcunque per ſuum principalem illi imponitur ſolutio, cæteroqui teneretur ad omnia damna, ſeu intereſſe, quæ principali ex illa implicantia contingerent, nam illa vſus permiſſio ſemper præſumitur conditionata, niſi ſcilicet vergat in damnum deponentis, ſeu principalis.

Non poteſt reſpondens vti pecunia apud ſe depoſita in præiuditium campſorum.

Reſpondeo quartò, multiplex poſſe eſſe motiuum; tàm reſpectu principalis campſoris, quam reſpondentium exigendi prouiſionem ex cambio; & qui- 4

Motiua, ex quibus tū campſor, tùm reſpondentes poſſunt exigere prouiſiones.

dem in ordine ad reſpondentes eſt onus cuſtodiæ, laboris in numerando, obſequium erga principalem &c. Secundò periculum, quod ipſe reſpondens poteſt in ſe aſſumere, quod potiſſimum poteſt contingere, quandò ipſe reſpondens nomine ſui principalis in loco nundinarum recipit pecunias alibi ſolutas per eundem principalem, eaſdemque ad illum remittit aſſumpto in ſe periculo talium pecuniarum; hoc enim periculum aſſumptum eſt pretio æſtimabile, & meritorium compenſationis. In ordine verò ad principalem campſorem motiuum exigendi prouiſionem poteſt eſſe etiam periculum, quod exigente campſuario ſubit, item fideiuſſio per eodem campſario apud eum, cui debitum traijcitur, vt ſuprà.

In ordine ad diuerſa munera prouiſio diuerſa.

5 Reſpondeo quintò, in ordine ad diuerſa munera prouiſionem poſſe eſſe in quantitate diuerſam. Explico ſingula. Reſpondens pro munere cuſtodiæ, & laboris in numerando, & inſcribendo in libris rationum ex inueterata, & immemorabili inter mercatores cõſuetudine poteſt iuſtè exigere tertiam partem ſcuti pro ſingulis centenis ſcutis, & ſic proportionalitèr tertiam partem cuiuſcunque monetæ pro ſingulo centenario eiuſdem monetæ. *Boninſignius de cambijs c. 7., Romualdus, Coli de cambijs c. 21., Scaccia de commercijs §. 3. Gloſ. 3. num. 12., Scortia in Bulla Pontif. epith. 107., Theorem. 291.*, & alij magis communitèr. Idem reſpondens pro periculo in ſe aſſumpto modo, quo diximus in præcedenti numero, poteſt exigere pretium ad proportionem talis periculi taxandum arbitrio boni viri *l. hoc iure §. labeo, & ibi, Bartolus ff. de donationib., Sotus de iuſt., & iu. lib. 6. quæſt. 1. art. 2. verſ. reſtat ergo Coaruuias var. reſol. lib. 3. c. 2. num. 6. verſ. quartò hinc, Ioannes Baptiſta Lupus in cap. nauiganti §. 1. ideſt poſt præfationem num. 7. verſ. ſed iuxtà de vſuris.* Campſor item principalis, vel propter periculum in ſe aſſumptum, vel propter fideiuſſionem præſtitam in fauorem campſuarij poteſt exigere, quantum exigit, vel ex vſu fori, vel ex iudicio boni, & prudentis viri, tale periculum, ſeu ipſa fideiuſſio. *Fillincius tract. 35. part. 2. de cenſib., & cambijs c. 10. nu. 469.* cum quo aduerte, non poſſe principalem campſorem aliquid exigere ratione periculi in ſe aſſumpti, vel fideiuſſionis, quandò ipſius reſpondens eſt ſub ipſius miniſterio tanquam eiuſdem famulus, & factor, nam tunc non ſubiret nouum periculum, nec nouum onus pro fideiuſſione, quandòquidem quoad hoc reſpondens vna, & eadem perſona computaretur cum ipſo campſore, ſicque pro ſe ipſo fideiuberet.

---

§. VI.

An pro vnico cambio poſſit quis recipere plures prouiſiones.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis. 1.
Tàm campſor, quàm eius reſpondens in data hypotheſi poteſt exigere prouiſionem. 2.
Non eſt repugnantia, quin idem in ordine ad idem ſit ſimul creditor, & pro debitore fideiuſſor. 3.
Hæc, quæ dicuntur, non ſolum valent in foro fori coram hominibus, ſed etiam in foro poli coram Deo. 4.

DIſquiſitio VI. Iacobus exigit à Flauio Mediolani titulo cambij mille nummos aureos cum onere eoſdem reſtituendi Romæ ad primas nundinas ibidem celebrandas, cumque idem Iacobus non haberet Romæ reſpondentem, qui ſolueret, Flauius per ſuas literas coniunctas cum alijs eiuſdem Iacobi debitori ordinat ſuo reſpondenti, vt acceptet literas eiuſdem Iacobi, ſibique ipſi ſoluat illos mille nummos aureos, illorumque in ſuis libris rationum conſtituat debitorem eundem Iacobum. Quæritur hic, an Flauius poſſit prouiſionem exigere Mediolani pro cambio, & ſimul eius reſpondens pro ſolutione ſibi ipſi, quæ ibi quodamodò ponitur. Plures alias inuoluit titulus diſquiſitionis in his terminis propoſitis difficultates, ſed quià alibi examinabuntur, placet ſolummodò in ordine ad prouiſiones difficultatem examinare. 1

Reſpondeo, in hypotheſi difficultatis iuxtà terminos expoſitos poſſe tùm Flauium, tum eius reſpondentem exigere prouiſionem. *Boninſignius tract. de cambijs c. 5. num. 16., Scaccia tract. de commert. §. 3., Gloſ. 3. num. 20. verſic. opinio affirmatiua*, qui, quamuis videatur ſibi quodamodò contrarius, dum antecedenter *num. 15.* agens de cambio in reditu, vt vocant, nundinarum, dixit, quod in huiuſmodi reditu, in quo perſoluitur tracta, adeòque extinguitur ſecundum cambium, non debeatur prouiſio, licet pro illa extinctione nouum ineatur cambiũ per debitorem in nũdi- 2

nis

Digitized by Google

nundinis ſoluendum, nihilominus *citato num. 20. verſic. opinio affirmatiua* abſolutè aſſerit in caſu propoſitæ diſquiſitionis prouiſionem poſſe iuſtè exigi. Vt clarius res percipiatur.

Efformo caſum particularem in vtroque ſenſu expoſito per Scacciam locis citatis. Supponit in primis iniri cambium recurſæ continuatum per multos annos, quod cambium ſit locale à nundinis in vno loco ad nundinas in alio celebrandas perſoluendum. Sit exemplum. Indiget quis mille nummis aureis hic Mediolani, quos exigit à campſore cum onere eoſdem reſtituendi in primis nundinis Romæ, cumque ille non habeat pecunias Romæ, nec reſponſalem, qui eoſdem mille nummos aureos ſoluat, conuenit cum campſore, vt hic per ſuum Factorem ibi ſoluere faciat, atque indè per nouas literas redire faciat illud cambium Mediolanum reſtituendum per illum, qui prius acceperat illos nummos aureos, cumque hic non habeat, quo ſoluat, & extinguat cambium pro illius extinctione contrahit nouum, & tertium cambium pro ſequentibus nundinis. His ſuppoſitis aſſerit Scaccia, quod in confectione huius tertij cambij non ſit ſoluenda prouiſio, ſed tantum in ſolutione ipſius cambij facienda in nundinis, eo quia pro contrahendo hoc tertio cambio non eſt opus fideiuſſione, & alterius labore, cum debitor per ſe ipſum contrahat. Cæterum ſupponit, & expreſsè aſſerit, quod ſi campſor hic Mediolani fideiübeat quodamodo in fauorem ſui debitoris cum proprio factore, atque hic non ſolum proprio, ſed etiam procuratorio nomine eiuſdem debitoris ſibi ſoluat, poſſit prouiſio per vtrumque exigi. Hæc colligo ex eodem Scaccia locis citatis.

Exponũtur caſus reſponſionis.

Probatur iam reſponſio quoad primam partem. Officium illud, ſeu obſequium, quod campſor præſtat erga campſuarium aſſignandi eidem reſponſalem, qui nomine ipſius ſoluat, cum non haberet, qui ſolueret, eſt aliquod pretio æſtimabile, & meritorium lucri, ergo ratione illius poteſt iuſtè conueniri de congrua prouiſione, illamque licitè exigere. Antecedens probatur, quià illud officium, ſeu obſequium ſecundum ſe eſt pretio, ſeu ſua mercede compenſabile, nam ſi præſtaretur ab alio, qui non eſſet ipſe campſor, nec eius reſponſalis certè ſine vlla labe iniuſtitiæ exigeret congruam compenſationem, de qua propterea poſſet conueniri, ergo etiam poteſt exigi, quamuis præſtetur à campſore ipſo; Quid enim vetat, vt ratione rei ſecundum ſe pretio æſtimabilis vnus poſſit lucrum, ſeu iuſtam æſtimationem recipere, & non alter?

Obſequium, quod præſtat campſor in fauorem cãpſuarij aſſignandi eidem reſponſalem eſt pretio æſtimabile.

Dices primò, obſequium illud, prout præſtatur à tertia perſona ab ipſo cãpſore poſſe exigere compenſationem, eo quià eſt verum, & reale obſequium, quandòquidem, quandò illud munus ſubſcribendi literas eſt ab alio, nullam inuoluit fictionem, cum re vera interueniat alius, qui eſt pecuniæ creditor, & alius, qui nomine debitoris fideiubet; non ſic autem res ſe habet, quandò principalis campſor per ſuum reſponſalem illud obſequium, ſeu officium præſtat, nam reſponſalis principalis campſoris id munus peragit nomine eiuſdem, & in fide eiuſdem, ſine qua non perageret, adeòque, vt agens perſonam eiuſdem, quod eſt eiuſdem eſſe creditorem, & fideiuſſorem, quod eſt manifeſta fictio, cum creditor, & fideiuſſor debeant eſſe duo ſuppoſita. 3

Sed contrà, quià nulla eſt repugnantia, quin idem poſſit eſſe creditor, & ſimul pro ſe ipſo in ordine ad creditum fideiuſſor; hoc enim nil aliud importat, quam quod in euentu periculi ipſe cedat iuri ſuo ad exigendum id, quod ſine tali apparenti fideiuſſione poſſet exigere, & ſicuti nulla eſt repugnantia, quin in rebus traiectitijs venditor ſe conſtituat fideiuſſorem pro emptore aſſumendo in ſe ipſo periculum, ità nullum eſt inconueniens, quin idem creditor, qui nomine debitoris traijcit virtualitèr pecuniam in locum, vbi reſtituenda eſt, conſtituat ſe ſimul fideiuſſorem aſſumendo in ſe periculum, quatenus eximat factorem à quocunque onere pro pecunia, quam ſibi ipſi ſoluit nomine eiuſdem principalis campſoris, quod poſſet ſubire, ſi debitor non ſolueret; neque abſolutè verum eſt, quod ſemper creditor, & fideiuſſor debeant eſſe duo diſtincta ſuppoſita, quandòquidem per diuerſum contractum idem poteſt acquirere ius aduerſus alterum, & ſimul ſe obligare ad non exigendum tale ius, ſi caſus euenerit; quod debitor nequeat ſoluere, vel &c. Dici etiam poteſt, quod, quamuis in data hypotheſi non ſint verè, & realitèr duo ſuppoſita, ſit tamen vnum virtualitèr duplex, ſeu rapræſentans duo ſuppoſita; factor enim eo ipſo, quo Romæ perſoluit illos nummos aureos induit perſonam creditoris, & cum perſoluat nomine, & in fide alterius, qui eſt ſui ipſius prin-

Non repugnat, quin idẽ ſit creditor, & ſimul in ordine ad creditum fideiuſſor.

In ordine ad diuerſos contractus poteſt quis acquirere ius aduerſus alterum, & ſimul ſe obligare ad non exigendũ illud ius.

Digitized by Google

principalis dominus reſpectu illius exercet munus diuerſum à munere creditoris, quod ſatis eſt ad præſentem rem.

Dices ſecundò, recipere intereſſe ratione officij exibendi factorem, qui ſoluat Romæ, eſſe augere pretium cambij, ſiquidem, ſi pretium commune ex vſu fori ſit quinque pro centenario, tunc exigerentur ſeptem, quod ex *Mercato de cambijs lib. 4. cap.* 7. omninò iniquum eſt, nam eſt contra æqualitatem debitam, & requiſitam ad iuſtitiam contractus. Sed contra negandum eſt, augeri ex tali receptione, nam ille exceſſus pretij, qui reciperetur ſupra vulgare pretium cãbij ex vſu fori, correſponderet non ipſi cambio, ſed alteri muneri, quod exerceret ipſe campſor exhibendi factorem, qui in gratiam campſuarij ſolueret, & quodamodò pro ipſo fideiubendi, quod eſt quid pretio æſtimabile.

Exceſſus non correſpondet cambio, ſed alteri muneri aſſũpto.

Probatur reſponſio quo ad ſecundam partem, quià reſponſalis ſoluendo ſibi ipſi de mandato debitoris principalis campſoris contrahit non ſolum proprio, & campſoris nomine, ſed etiam procuratorio nomine pro ipſo debitore, ergo iuſtè ab eodem debitore poteſt exigere congruam prouiſionem pro tali contractu. Antecedens patet, nam debitor, dum mandat reſponſali principalis campſoris, vt ſoluat ſibi ipſi, per conſequens mandat etiam eidem, vt nomine eiuſdem debitoris accipiat cambio à ſe ipſo; Neque dicas, reſponſalem ea, quæ præſtat in fauorem debitoris, præſtare iuſſu, & de mandato principalis campſoris, cui tenetur, adeòque ratione talis obſequij nihil poſſe exigere; contra enim impugnaberis, quia principalis campſor per ſuum mandatum, ſeu per ſuas literas imponit quidem, quod per reſponſalem fiat ſolutio ſibi ipſi, & acceptentur literæ debitoris, quæ ſolutio, quæque acceptatio ſine tali mandato non fieret, non tamen demit ius, quod conſurgit ad prouiſionem ex tali munere, ea proportionali ratione, qua qui in aliquo contractu pro altero fideiubet, non tollit iura, quæ ex tali contractu promanant. Ad hæc corroboranda adduci poſſunt ea, quæ dicta ſunt de mercatore imponente munus aliquod ſuo actori præſtandum in fauorem alterius *tom. primo ſub titulo Contractus II. Diſquiſ.* 4. §. 9. vbi ſancitum eſt, iuſte actorem poſſe exigere ſtipendium operis, quod præſtat. Conſequentia probatur, quià agenti in fauorem alterius procuratorio nomine iuſtè debetur merces operis, quod exercet, & ſi tertia perſona tale munus perageret iuſtè, vt eſt in confeſſo apud omnes, poſſet prouiſionem, ſeu ſtipendium talis muneris exigere, cur non poteſt exigere ipſe Factor, qui tale munus peragit?

Agreret non ſolum proprio, & campſoris nomine, ſed etiam nomine debitoris.

Ratio ex alibi dictis deducta ad rem præſentem accomoda.

Dices, reſponſalem non poſſe lucrari prouiſionem ratione illius officij, ſeu obſequij, quod præſtat, eo quia illud officium, ſeu obſequium eſt debitum ratione contractus, ad quem neceſſariò conſequitur, & parum referre debet eidem reſponſali, quod ſoluat debitori, vel ipſius creditori de mandato debitoris. Sed contra, quià, cum ex vſu fori pro labore, & obſequio in alterius negotio peragendo debeatur prouiſio, quamuis talis labor, & obſequium conſequatur ad contractum, non eſt, cur in hoc caſu etiam non poſſit exigi, cum ineatur nouus contractus, ſiuè ſolutio fiat debitori, ſiuè creditori de mandato eiuſdem debitoris; interuenit enim propriè in fauorem debitoris obſequium, & labor, ſiquidem procuratorio ipſius nomine res peragitur.

Dices ſecundò, laborem, & obſequium ordinari principaliùs ad lucrum laborantis, & obſequentis, quam ad ſeruitium Bancharij debitoris, ſiquidem illud exercitium eidem maximam confert vtilitatem. Sed contrà; fateor laborem, & obſequium ordinari ad lucrum, & vtilitatem laborantis, & obſequentis; ſed vndè hoc lucrum exigit, & vtilitatem acquirit, niſi ex prouiſionibus, quas exigit ex illa arte? Deinde quænam eſt difficultas, quod quis gerens ſimul negotium proprium, & alienum cum vtilitate vtriuſque poſſit lucrum talis operis ab alio exigere, ſi opus illud ſit meritorium lucri? Certè qui ſocietatem init cum alio accepta ab eodem pecunia in negotiationem expendenda intendit principaliùs vtilitatem propriam, quam lucrum alienum, & tamen nullus eſt, qui damnet illum, ſi accipiat lucrum talis operis &c.

Agens negotiũ propriũ, & alienũ in vtilitatem vtriuſq; poteſt ſibi lucrum acquirere.

Inſtituunt aliqui hic longam diſputationem in inquirendo, an ea, quæ dicta ſunt, locum tantum habeant in foro fori coram hominibus, an etiam in foro poli coram Deo. Fuerunt aliqui, qui voluerunt non ſubſiſtere in foro conſcientiæ coram Deo per ea, quæ ſcripſit *Scaccia tract. de commert.* §. 1. *quæſt.* 1. *ſub num.* 529. nempè apud Deum, qui eſt ſumma lux, & veritas immediate innoteſcere ſolutionem illam 4

Digitized by Google

Inſtantia oppoſita, ipſiuſque ſolutio, & probatio reſponſionis.

lam ſecundum rei veritatem eſſe palliatam ex fine præcisè lucrandi, cæterum abſolutè ſolutio non eſt, licet extrinſecùs pallietur titulo ſolutionis, cum non vera fiat ab ipſo creditore de proprijs pecunijs, & proinde talis ſimulata ſolutio perindè ſe habet, ac ſi non fieret, & ſic acquireret prouiſionem ex ſolutione non poſita, ſed ſimulata. His tamen non obſtantibus breuiter concludo, habere locum etiam coram Deo in foro conſcientiæ, quià opera, quæ exercent tùm campſor, tùm ipſius Factor ſunt ſecundum ſe meritoria talis prouiſionis; neque hoc eſt mera, & nuda ſimulatio ſolutionis, ſed æquiualens reali ſolutioni; æquipollet enim contractui, quo ipſe debitor verè, & in effectu ſolueret, & poſteà nouum cambium iniret reſtituendum in primis nundinis in loco, in quo primum cambij contractum inierat; & per hoc habes, quid reſpondeas ad inſtantiam, ſi afferatur, deductam ex verbis Bullæ Pij V. quibus damnatur contractus cambij tanquam ſiccus, & vſurarius, quo mittuntur literæ ad locum, vbi non ſunt ſoluendæ, ſed remittuntur inanes; reſpondendum quippe eſt, ibi æquiualentèr ſolui, nec remitti inanes; habetur enim ibi, qui reſpondeat, nec ſunt amplius literæ, quæ remittuntur, eædem, quæ continebant primum cambium, ſed aliæ continentes diuerſum cambium de nouo initum, licet dependenter à primo.

Duplex eſt cambium ſaltem virtualitèr.

---

§. VII.

An reſpectu diuerſarum perſonarum quis exequendo idem negotium in cambijs poſſit duplicem exigere prouiſionem.

S V M M A R I V M.

Exponitur facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Reſpondens in data hypotheſi poteſt recipere duplicem prouiſionem. 2.
Satisfit rationi ex aduerſo obiectæ. 3.

1 Diſquiſitio VII. Seius accepit à Titio bis mille nummos aureos exponendos cōmercio in cambijs aſſumpto in ſe periculo eorundem. Succeſſiuè eos tradit ad cambium Caio cum onere reſtitutionis in primis nundinis celebrandis Mediolani, in quibùs eoſdem exigit; cumque per literas Sempronij eidem fuerit impoſitum, vt totidem ſolueret Theodorico, eoſdem ipſi tradidit, conſtituitque ipſorum debitorem Sempronium. Oritur hìc controuerſia apud *Boninſignium tract. de cambijs c. 4. verſic. così anche* an Seius in hac hypotheſi duplicem poſſit exigere prouiſionem alteram à Titio, à quo accepit illos nummos aureos exponendos negotiationi cambiorum aſſumpto in ſe periculo, alteram à Sempronio, de cuius mandato facta fuit ſolutio Theodorico, quod eſt id, quod vulgaritèr dicunt *ſi ſuona à doppio*.

Reſpondeo vtique poſſe *Ioannes Baptiſta Lupus in c. Nauiganti §. 2. num. 20. in fin.*, *Boninſignius loc. citat. Scaccia §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampliatione 9. num. 6.*, *& §. 3. Gloſ. 3. num. 36., & ſequentibus*.

Probatur primò, poſſe exigere prouiſionem à Titio. Fideiuſſor pro alio poteſt licitè exigere ab ipſo pretium fideiuſſionis, ſiquidem hæc eſt onus pretio æſtimabile, ergo Seius, qui in cambijs negotiatur pecuniam Titij aſſumendo in ſe quodcunque periculum illius, poteſt iuſtè exigere pretium pro prouiſione talis periculi in ſe ipſo aſſumpti. Conſequentia probatur, quià talis aſſumptio periculi eſt ſpecies fideiuſſionis, & quoad effectum eidem æquiualet. Confirmatur; poteſt conſtitui contractus ſocietatis per vnum depoſita pecunia, per alterum obligata induſtria, & labore, eidemque annecti alius contractus aſſecurationis, ratione cuius aſſecurans maius lucrum acquirat, vt latè diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. Diſquiſ. 6. §. 8.* ergo Seius in ſe aſſumendo periculum pecuniæ poſitæ ſub commercium in cambijs poterit iuſtè ratione talis oneris aſſumpti exigere aliquod lucrum, nempè prouiſionem. Conſequentia probatur, quià qui dat alteri pecuniam propriam cambijs exponendam aſſumpto periculo reſpectu recipientis, eam quodamodò exponit ſocietati. 2

Aſſumptio periculi eſt ſpecies fideiuſſionis.

Paritas ex alibi dictis deducta.

Non acquieſcit *Abbas in c. per veſtras num. 8. de donat. inter vir. & vxorem, & in c. vltim. num. 11. de vſuris*, & cum eo *Ioannes à Capiſtr. tract. de vſuris num. 90. tom. 7.* contendentes, periculum non poſſe pertinere ad Seium acceptantem, ſed debere eſſe commune in ſocietate, & danti, & recipienti, quinimmò videri ſocietatem contractam in fraudem vſurarum, quandò eximitur deponens à periculo, quod videtur innuiſſe Sixtus V. *in ſua Conſtit. incip. deteſtabilis*, quæ in ordine ſuarum conſtitutionum eſt quadrageſima ſexta edita anno 1586. 12. Kalen. Nouembris, per quam huiuſmodi 3

Digitized by Google

iuſmodi ſocietas damnatur. Sed præterquam quod hæc opinio confutata remanet ex dictis *tom. primò ſub tit. Contractus 3. Diſq. 6. §. 8.* adhuc ſic eluditur, quia adiecto onere compenſationis nulla eſt repugnantia contrà ordinem iuſtitiæ, quin deponens per alium à ſocio eximatur à quocunque periculo, ergo neque erit repugnantia, quin ex vi alterius contractus eximatur ab eodem ſocio, quid enim refert, quod ex diuerſo contractu ab vno, vel ab altero eximatur? Ad id, quod ſubditur ex Sixto V. reſpondet *Leſſius de iuſt. & iu. lib. 2. c. 25. num. 33. verſic. nec obſtat, quod Sixtus* præfatam conſtitutionem non eſſe vſu receptam; ſed, quidquid ſit de tali vſu non recepto, placet aſſerere iuxtà alibi dicta per præfatam Sixti V. conſtitutionem damnari dumtaxat illud onus aſſecurationis ex vi ſocietatis, & nulla adiecta compenſatione, non autem ex vi alterius contractus addita congrua compenſatione.

Sixtus V. damnat onus aſſecurationis ex vi ſocietatis, non ex vi alterius cōtractus.

Probatur ſecundò, poſſe exigere etiam à Sempronio. Labor & obſequium præſtitum in cambijs in fauorem alterius dignum eſt mercede ſua, & compenſatione, ſed Seius ſoluens de mandato Sempronij illam pecuniam Theodorico laborem impendit, & obſequium in fauorem eiuſdem Sempronij, ergo iuſtè poteſt ab eodem mercedem exigere, & compenſationem. Confirmatur, quià ſoluendo de mandato Sempronij talem ſummam Theodorico priuat ſe iure, & commodo ex alio cambio, vel contractu lucrandi per illam pecuniam, ergo &c.

Soluens de mandato vnius priuat ſe commodò lucrandi ex alio cambio.

§. VIII.

An duplex poſſit exigi prouiſio, quandò per creditum aduerſus vnum ſoluitur debitum aduerſus alterum ex eàdem remiſſa.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus difficultatis in ſuis terminis. 1.
Iuſtè potuit Teodoricus duplicem illam prouiſionem exigere. 2.
Agens negotium proprium, & alienum poteſt ab altero mercedem operis exigere. 3.

1 DIſquiſitio VIII. Philippus ex vrbe Mediolani cum litera Sempronij remittit Teodorico Romæ mille nummos aureos ſibi a ſemetipſo ſoluendos, cum onere, vt illos poſteà ſibi remittat Mediolanū per literam tenoris ſequẽtis:

1678. adì 13. Giugno in Milano per Teodorico di Roma fiera di Paſqua, Magnifico Signore. In coteſta fiera di Paſqua vi rimetto ſcudi mille da voi ſteſſo per lettera di Sempronio, me ne darete credito, e deduttoli, la prouigione, me ne farete rimeſſa quì per voſtra lettera &c.

Filippo.

hoc interim Seius trahit in eundem Theodoricum alios mille nummos aureos per ipſum ſoluendos Romæ Andreæ, ſumitque in ſe onus illos reſtituendi Mediolani cuicunque idem Theodoricus per aliam literam ſequentis tenoris, ordinauerit:

1678. adì 19. Giugno in Milano per Teodorico di Roma fiera di Paſqua, Magnifico Signore. In coteſta fiera di Paſqua vi hò tratto ſcudi mille in Andrea conti con il ſuo di quì, li accettarete, e pagarete con darmene debito, e prouederuene con più voſtra prouiſione, da quì, da mè, che li pagarò &c.

Seio.

His præſtitis Theodoricus per ſuam literam imponit Seio Mediolani, vt ſoluat Phylippo nummos aureos 995. v.g. in extinctionem proprij debiti, & ſimul crediti eiuſdem Phylippi ſeruata forma, quam ſolent ſeruare campſores in ſimili materia, qui nummi aurei 995. ſimul cum quinque, quos ſibi Theodoricus retinet pro prouiſione, conſtituunt integram ſolutionem mille, qui debentur eidem Philippo. Rurſus idem Theodoricus alios quinque nummos aureos pro prouiſione exigit à Seio, & ſimul alios quinque, qui in ſolutione facta Phylippo fuerunt detracti à mille debitis. Quæritur modò, an idem Theodoricus iuſtè potuerit illam duplicem prouiſionem exigere. Latè proponit, & expendit hac difficultatem *Scaccia tract. de commert. §. 3. Gloſ. 3. nu. 22., & ſequentibus*, cum quo

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſſe poteſt primò, quia Theodoricus munus præſtat, & obſequium in fauorem vtriuſque, quod ex vſu fori eſt pretio compenſabile, ergo ab vtroque poteſt 2
iuſtè exigere compenſationem. Antecedens probatur, tùm quià labor in exigendo, & numerando eſt pretio æſtimabilis; tum quia ex eo, quod ipſe literas det ad ſoluendum, & recipiendum, aſſumit in ſe ipſo periculum talis ſolutionis, & receptionis; Neque dicas ex eo, quod ex vno capite per ſuas literas remittere debeat pecuniam ſoluendam non videri ius habere, vt ſibi ſoluatur prouiſio ab altero, cui debetur talis

Digitized by Google

talis pecuniæ; ſiquidem remiſſio fit vno, & eodem opere, & cum vno eodemque periculo, quod propterea non poteſt exigere, niſi vnam, & eandem compenſationem, & prouiſionem; contrà enim impugnaberis primò, quia prouiſio non ſolum debetur pro onere remittendi, ſed etiam pro munere recipiendi nomine alterius, conſeruandi, dandi rationem dati, & accepti, & fungendi munere eiuſdem in ipſius fauorem, quæ omnia præſtat Theodoricus, quamuis in remiſſa eodem actu, quo imponit vni onus ſoluendi, ſatisfaciat alteri. Secundò, quia in ſe ipſo aſſumit onus periculi reſpectu vtriuſque.

Fungitur munere pro vtroque, & pro vtroque aſſumit in ſe periculum.

Ratio eſſe poteſt ſecundò, quia, ſi quis nomine vnius recipiat pecuniam in vno loco, & eidem remittat in altero, & rurſus nomine alterius ſoluat in vno loco, & eidem remittat ſoluendum in altero, non primo, ſed alteri poteſt iuſtè ab vtroque exigere prouiſionem, ergo poterit etiam exigere prouiſionem ab vtroque, quamuis nomine vnius recipiat, & nomine alterius ſoluat, & poſtea debitum vnius remittat ſoluendum alteri, nomine cuius recipit. Antecedens admittitur ab omnibus, eo quia creditum vnius non communicat cum debito alterius. Conſequentia probatur, quia parum debet referre vni, quod creditum proprium extinguatur per debitum alterius, ſeu per pecuniam ſibi remiſſam dependenter à debito alterius, nam quod extinguatur ex pecunia debita ab altero in eodem loco tribuendum eſt fortunæ remittentis.

3 Ratio eſſe poteſt tertiò, quia, ſi non poteſt exigere duplicem prouiſionem ex tali remiſſa, maximè hoc eſſet, quia per ipſam cum negotio alterius ſimul gereret proprium, & extinguendo debitum ſimul exigeret creditum, ſed hæc ratio non obeſt, tum quia ius exigendi prouiſionem non conſurgit ex eo, quod exigat creditum, ſed ex eo, quod operam ſuam impenderit in ſoluendis literis illius, alijſque &c.; tum quia, quod ſimul gerat negotium proprium, non tollit, quin ſimul poſſit exigere prouiſionem ab illo, in cuius fauorem operatur, ſi opus illud ſit meritorium pretij, & mercedis, ſic, vt vnum inter alia afferam exemplum, qui equum ſuum locat alteri ituro Bononiam, quem deberet reducere proprijs expenſis, ſi Bononiæ alterum inueniat, qui reuerſurus Mediolanum velit ſibi locari, poteſt iuſtè ab hoc exigere pretium locationis, quamuis talis locatio ſit multũ proficua conductori, cum deberet proprijs expenſis reducere equum, ſi non inueniret alium, à quo exigit pretium locationis, ergo etiam Theodoricus, quamuis in eadem remiſſa ſimul cum alieno gerat negotium proprium, poterit iuſtè exigere congruam prouiſionem, quia, vt antea aſſerebam, quod in tali negotio, ſeu opere ſimul reſultet vtile operantis, hoc tribuendum eſt ipſius induſtriæ, vel fortunæ computandum, quæ certè ius non demunt ad lucrum pro opere exercito in fauorem alterius, ſi hoc ſecundum ſe ex vſu fori ſit meritorium lucri.

Exemplum ex paritate rationis ad rem noſtram.

---

§ IX

An poſſit ſemper in recambijs, & continuationibus exigi prouiſio, & in ea quantitate, in qua poteſt exigi in primo cambio, ſeu in prima celebratione cambij.

SVMMARIVM.

Exprimitur cambium vulgò con le continuationi. 1.

Duplex ſenſus, iuxtà quem poteſt examinari titulus. 2.

Campſor in continuationibus poteſt iuſtè exigere prouiſiones, non ſolùm ratione lucri ceſſantis, ſed etiam intuitu contractus ſecundum ſe. 3.

Ad exigendam hanc prouiſionem ſaltem in foro externo ſunt neceſſariæ ſcriptiones, & girationes. 4.

Regularitèr in recambijs ſine labe iniuſtitiæ poteſt exigi æqualis prouiſio, ac in cambijs. 5.

Diſquiſitio IX. Sempronius Campſor centum nummos aureos titulo cambij dederat Mediolani ſoluendos in primis nundinis celebrandis Romæ, quibus aduenientibus ex partium conuentione protracta fuit ſolutio eiuſdem cambij ad alias nundinas, quod ab aliquibus dicitur recambium, ab alijs cambium *con le continuationi*. Orta fuit controuerſia, an in tali recambio, ſeu in continuationibus primi cambij ſoluenda eſſet campſori prouiſio, & an in ea quantitate, in qua ſoluta fuit in prima celebratione cambij. 1

2 Hæc controuerſia examinari poteſt ſecundum duplicem ſenſum, ſecundum quem, vel poteſt ſumi, prout reſpicit præciſè compenſationem lucri, quod ex

Duplex ſenſus propoſitæ difficultatis.

ex non ſolutione in primis nundinis ceſſare præſumitur campſori, vel prout reſpicit præcisè continuationem prioris contractus ſecundum ſe ſumpti, quæ videtur æquiualere nouo contractui. Iuxtà primum ſenſum *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iu. c. 23. dub. 9. nu. 89., & cum eo plures alij* ſuſtinent, iuſtè poſſe eaſdem prouiſiones exigere, cum hoc etiam poſſit licitè exigi in contractu mutui; iuxtà ſecundum maxima eſt controuerſia inter Doctores, dum alij contendunt iuſtè poſſe exigi, eo quià debeant interuenire illæ ſcriptiones, & girationes vltrò, citròque, alij verò aſſerunt propter eaſdem non poſſe licitè exigi, cum fiant in fauorem dumtaxat campſoris, vt videatur in foro externo ſemper verum cambium confeciſſe, & item quià in huiuſmodi continuationibus non interueniat numeratio. His poſitis

Reſpondeo primò, campſorem in huiuſmodi recambijs, ſeu continuationibus poſſe iuſtè exigere prouiſiones, non ſolum ratione lucri ceſſantis, ſed etiam eo non interueniente ratione contractus ſecundum ſe ſumpti. Quoad primam partem conſentiunt *Leſſius loc. cit., Salas tract. de cambijs dub. 22. num. 1., Filliutius tom. 2. tract. 35. part. 2. c. 10. num. 471.* Quoad ſecundam, *Scortia in Bullis Pontif. Epit. 107. theorem. 289.* cui videntur aſſentiri, *Boninſignius tract. de cambijs c. 7. num. 22., Scaccia de commert. §. 1. quæſt. 4. num. 21.*

Probatur prima pars reſponſionis, quià, qui damnum patitur in rebus ſuis ex culpa, ſeu mora alterius, poteſt iuſtè ab eodem exigere compenſationem talis damni, quià, qui cauſa damni eſt, damnum dediſſe videtur *l. qui occidit §. pen. ff. ad legem Aquil.* ſed campſor ex dilatione ſolutionis cambij damnum patitur à campſuario, ſiquidem, ſi iſte præfixo tempore ſolueret, campſor per alia cambia realia verè lucraretur prouiſiones talis pecuniæ, & talis ceſſatio lucri ob culpam ipſius æquiparatur damno ab ipſo illato, ergo &c. Confirmatur, quia etiam in contractu mutui poteſt iuſtè exigi compenſatio lucri ceſſantis prouenientis ex mutuatarij mora in ſoluendo, ergo etiam eadem exigi poterit in contractu cambij pro prouiſione, quam aliundè, ſi non intercederet mora, poteſt acquirere.

Damnũ ortum ex alterius culpa eſt compenſandum.

Dices primò, campſor non poteſt paciſci cum campſario, vt ſi elapſo termino non ſoluerit, teneatur eandem ſummam recipere ad recambium, vt multi docent apud *Salas tractatu de cambijs dub. 21. num. 2. verſ. dico ſecundo*, ergo neque poterit paciſci de prouiſione, eandemque exigere. Conſequentia probatur, quià quando nequit paciſci de eo, propter quod, neque poteſt paciſci de eo, quod ex illo procedit. Sed contrà; antecedens procedit tantum ex vi formalitèr cambij, qua cambium eſt, non ex vi alterius rationis, puta damni emergentis, vel lucri ceſſantis, eo modo, quo diximus in mutuo poſſe paciſci de aliquo vltrà ſortem, non quod correſpondeat ipſi mutuo, ſed lucro ceſſanti. Dici deindè etiam poteſt, poſſe paciſci de recambio in pænam moræ culpabilis, quemadmodum etiam in mutuo, alijſque contractibus poteſt conſtitui pro mora culpabili pæna moderata *Nauarrus cap. 17., Toletus lib. 5. c. 52. in fin. num. 6., Salonius quæſt. 4. de camb. art. 2. controu. 14.*

Dices ſecundò, per conſtitutionem Pij V. ſuperius allegatam prohiberi quodcunque pactum de certo intereſſe propter moram ſolutionis, etiam intuitu lucri ceſſantis, ſed, ſi poſſet exigi prouiſio in recambio propter moram ſolutionis, poſſet paciſci de certo lucro intuitu lucri ceſſantis, ſiquidem illa prouiſio eſſet certa, & correſponderet lucro ceſſanti, ergo &c. Sed contrà, quià conſtitutio Pij V. prohibet tantum pactum, quod eſt præter naturam contractus, non autem, quod eſt conforme eidem contractui, conforme autem eſt naturæ cambij ex communi vſu fori, quod debeatur prouiſio pro cambio juxtà ea, quæ expoſita ſunt, & cum elapſo tempore primi cambij nouum cambium ineatur, non eſt, cur non debeatur noua prouiſio.

Pius V. prohibet tantum pactum, quod eſt præter naturam contractus, non quod eſt iuxtà.

Hic tamen aduertendum eſt, quod ad exigendam hanc prouiſionem neceſſarium eſt ſaltem in foro externo conficere ſcriptiones, & girationes vltrò, citròque, vt ſuprà innuebam, ad euitandam ſuſpicionem vſurarum, cum inter campſores, & mercatores vſu receptum ſit, vt ſine literarum miſſione cambium præſumatur pro eodem loco, & condemnetur tanquam vſurarium. 4

Ex vſu mercatorum ſunt neceſſariæ ſcriptiones, & girationes.

Probatur ſecunda pars reſponſionis. In cambijs realibus iuſtè præcipiuntur prouiſiones toties, quoties efficiuntur, ergo etiam iuſtè poſſunt exigi in recambijs. Conſequentia probatur, quià recambia ſunt iterata cambia realia, nouique contractus in eo genere, in quo ſunt ipſa cambia, ergo, ſi in cambijs realibus, quotieſcunque fiunt, iuſtè poſſunt exigi prouiſiones, iuſtè etiam poterunt recipi in recambijs. Antecedens pro-

Recambia ſunt iterata cambia realia.

probatur, quià recambia nihil aliud ſunt, quam nouum reale cambium alterius ſummæ pecuniarum, alterius lucri, diuerſi temporis virtute nouarum literarum pretio legitimè compoſito, & debitis circumſtantijs, alijſque ſeruatis, quæ de iure ſeruanda ſunt, quinimmò *Scortia in Bul. Pontif. Epit.* 107. *theorem.* 289., *Boninſignius tract. de camb. c.* 7. *num.* 23., *Scaccia de commert.* §. 1. *quæſt.* 4. *num.* 21. qui docent cambia eſſe contractus in genere emptionis, & venditionis, docent eſſe recambia nouos cõtractus ſub eodem genere.

Dices, in recambijs ea non interuenire, quæ ſunt meritoria lucri pro prouiſione, quæ interueniunt in diſtinctis cambijs, nam non interuenit labor in numerando, nec tantum videtur ſubeſſe periculum, quantum ſubeſt in primis cambijs. Sed contrà, quià, quamuis non interueniat labor actualis, in ordine tamen ad vtilitatem campſuarij quoad effectum perindè eſt, ac ſi interueniat, & per accidens eſt, quod agens non numeret, cum numeraret, ſi campſarius perſolueret. Deindè prouiſio non debetur pro ſolo labore in numerando, ſed etiam pro ſcriptitationibus, girationibus, periculo ſortis, quæ æquè interueniunt in cambijs recurſæ, ſeu recambijs, & in cambijs realibus, ac ſimplicibus.

Labor in numerando quoad effectum perinde eſt ac ſi interueniret.

5 Reſpondeo ſecundò, regularitèr ſine labe iniuſtitiæ poſſe ſumi æqualem prouiſionem in recambijs, & continuationibus illi, quæ exigitur in cambijs ſimplicibus realibus. Ita ſentire videtur *Boninſignius tract. de cambijs c.* 7. *num.* 23. cui inclinare videtur, licet cum trepidatione *Diana part.* 1. *tract.* 8. *reſolut.* 7. Ratio duplex potiſſimum eſſe poteſt. Prima, quia ſi quid euinceret oppoſitum, maximè inæqualitas laboris, & periculi, quæ minora ſunt in continuationibus, ac in primis cambijs, ſed hoc non obſtat, nam in ordine ad laborem lex per inueteratam conſuetudinem inducta non taxauit iuxta inæqualitatem laboris inæquales mercedes, ſed vno computato pro alio indifferenter pro omnibus idem pretium ſtatuit, vndè minoritas laboris non debet variare commune pretium mercedis iuxtà vſum fori taxatum, & computanda eſt fortunæ cambientis cæteroqui diſpoſiti ad numerandum, ſi per campſarium cambium fuiſſet præfixo tempore perſolutum, Deindè pro prouiſione non ſolum attenditur labor in numerando, ſed etiam onus ſcribendi in libris rationum, girandi, & labor in numerando ità exiguus eſt, & quodammodò affixus contractui, vt vix videatur computandus. In ordine verò ad periculum certò liquet, quod, quamuis diuerſum in hypotheſi cambiorum non exigat inæquale, & diuerſum pretium, quià ius exigendi fundatur in lege per inueteratam conſuetudinem introducta, quæ in vniuerſum taxauit mercedem non reſpiciendo ad hunc, vel ad illum contractum in particulari ſecundum diuerſa pericula, quià eſt omninò impoſſibile, minutatim ponderare omnia pericula ſecundum peculiarem qualitatem, & quantitatem vniuſcuiuſque, ſed ſtatuendo certum pretium pro omnibus, & ſingulis indifferenter, & indiſcriminatim acceptis, cui propterea poteſt vnuſquiſque cambiens ſe accomodare. Deindè quandòque maius ſubeſt periculum in recambijs, quam in cambijs, cum ex continua rerum viciſſitudine in humanis commercijs, qui præpotentes ſunt in deteriorem abeant conditionem, & frequens cadat ſub experimentum negotia ipſa varijs ſubiacere viciſſitudinibus ob pericula, quibus negotiatores ſe exponunt, & infortunia, quæ crebrò eueniunt.

Minoritas laboris nõ debet variare cõmune pretium mercis inductũ ex vſu fori.

Eſt moralitèr impoſſibile æqualitèr ponderare omnia pericula in particulari.

Dices, qui aliquid vendit pecunia credita exponens ſe periculo perdendi pretium non poteſt æqualiter, ſi diuerſum ſit periculum, intereſſe ab omnibus exigere ratione talis periculi, ſed plus, & minus ſecundum quantitatem eiuſdem proportionatam, ergo etiam iuxtà quantitatem periculi deſumenda eſt quantitas prouiſionis. Sed contra, quià in venditione rei ad creditum non eſt per legem communi conſuetudine approbatam taxatum determinatum pretium, ſicuti eſt taxatum quoad prouiſiones cambiorum eo modo, quo quandò per legem pro re venali pretium determinatum ſtatutum non eſt, poteſt ſecundum plus, & minus intra limites tamen iuſtitiæ vendi iuxta maiorem, vel minorem bonitatem intrinſecam rei vendibilis, non tamen ſi per legem ſit taxatum determinatum pretium, adeòque ſicuti in hac hypotheſi venditionis res debet vendi ad æqualitatem, quando pretium taxatum eſt, ita in cambijs prouiſio debet ſolui ad æqualitatem, quandò per legem in tali æqualitate ſtatuta, & taxata eſt. Hinc deſumitur

Diſcrimen in venditione quoad pecuniã creditam ac in cambijs.

Secunda ratio. Iuſta eſt exactio pretij pro re venali, ſeu iure in ea quantitate, qua per communem conſuetudinem ex vſu fori res ſimiles, & iura venduntur, ſeu compenſantur, ſed ex vſu fori

Iuſtum pretium in contractibus deſumitur ex vſu fori.

etiam pro recambijs, & continuationibus prouiſiones accipiuntur in æquali quantitate, qua accipiuntur in primis cambijs. Maior patet, quia iuſtum pretium rerum, ſeu iurium deſumitur iuxtà communem conſuetudinem, & æſtimationem, & certiorem regulam non poſſe aſſignari diximus *in prima parte ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit.* vbi diximus, quod etiam ſi res ſit maioris valoris ſecundum ſe cogniti dumtaxat ab emptore, ſi tamen iuxtà communem peritorum æſtimationem minoris habeatur, poſſit minoris emi.

---

§. X.

An poſſint exigi æquales prouiſiones in recambijs, quæ exiguntur in cambijs etiam quandò campſores recipiunt fideiuſſiones, & pignora.

SVMMARIVM.

Senſus difficultatis expoſitus in ſuis terminis. 1.
Ratio præcipua dubitandi. 2.
Etiam admiſſis fideiuſſoribus, & pignoribus poſſunt exigi integræ prouiſiones. 3.

1 DIſquiſitio X. Seius conceſſis titulo Cambij Sempronio mille nummis aureis reſtituendis in primis nundinis celebrandis Romæ per ſuum actorem exiſtentem Romæ recambium iniuit cum eodem Sempronio ad alias nundinas celebrandas Mediolani, ſed in ſecuritatem pecuniæ collatæ, & contractus recipit fieiuſſorem, ſeu pignora, contenditque pro hoc recambio integras prouiſiones exigere. Orta fuit controuerſia, an iuſtum, & legitimum ius habeat eaſdem in integrum exigendi.

2 Ratio dubitandi eſt, quia prouiſiones exiguntur ratione laboris, & periculi pro ſorte, ſed in hypotheſi diſquiſitionis ceſſat ratio periculi, & laboris maximè in numerando, ergo non eſt, cur debeant, & poſſint exigi maximè in ea quantitate, in qua exiguntur, quandò adeſſe poteſt periculum, & labor, quià ceſſante motiuo exactionis non eſt, cur non debeat ceſſare ius exigendi. Nihilominùs.

Ceſſare videntur pericula dato fideiuſſore, ſeu pignore.

3 Reſpondeo etiam in data hypotheſi poſſe Seium exigere integras prouiſiones. *Scaccia de commert. §. 3., Gloſ. 3. num. 12., Diana part. 1. tract. 8. de contractibus reſol. 7. verſ. ſed rurſus inſtabis. Romualdus Coli tract. de cambijs num. 19. verbo intorno circa finem.* Ratio eſt primò, quià ex ſuperius dictis maius, ſeu minus periculum non minuit ius exigendi integras prouiſiones, nec defectus laboris in numerando, ſed per fideiuſſionem, ſeu pignus, licet minuatur quodamodò periculum, non tamen abſolutè demitur, ergo non demitur ius exigendi integras prouiſiones. Minor probatur, quià pignus etiam poteſt eſſe obnoxium anteriori hypothecæ, ſeu obligationi, & fideiuſſor ære alieno grauatus. Maior, præterquam quod patet ex præcedenti diſquiſitione, ſic etiam euincitur à *Scaccia loco citato*, quia prouiſio non eſt pretium periculi certi, cum nemo ita inſanæ mentis debeat reputari, vt velit perdere centum nummos aureos pro lucro vnius tertiæ partis vnius ex ijs nummis aureis, ſed eſt pretium periculi per poſſibile.

Pignus poteſt eſſe obnoxium anteriori hypothecæ.

Dices, periculum ipſum ex genere ſuo eſt pretio compenſabile, ergo quo maius, vel minus erit, maius, vel minus pretium exiget, adeòque habita fideiuſſione, ſeu pignore, cum periculum, ſi non abſolutè ceſſat, ſaltem diminuatur, erit pretium diminuendum. Conſequentia probatur, quià poſita compenſabilitate periculi per pretium, ſicuti ſe habet ſimplicitèr ad ſimplicitèr, ità ſe habet maius, vel minus pretium ad maius, vel minus periculum. Sed contrà; eſt quidem periculum ex genere ſuo compenſabile, ſed iuxtà normam per inueteratam campſorum conſuetudinem inductam, & approbatam, non quomodocunque; per conſuetudinem autem quodcunque periculum æquali pretio compenſatur in cambijs; quinimmò, vt bene notat *Diana parte prima tract. 8. de contractibus reſol. 7. verſic. ſed rurſus inſtabis* mercatores in taxando intereſſe cambij non reſpiciunt ad periculum, vt aliquid augeant, vel minuant de tali intereſſe ratione maioris, vel minoris periculi.

Periculum eſt compenſabile iuxtà normam per conſuetudinem inductam.

Ratio ſecundò eſſe poteſt. Taxato ſemel pro aliqua re venali, ſeu iure transferibili pretio ex vſu fori conſideratis in taxa omnibus conditionibus, periculis, & circunſtantijs adhuc poteſt licitè exigi tale pretium, quamuis aliquandò ceſſent talia pericula, nec interueniant tales circunſtantiæ, ergo etiam ex vſu fori taxato pretio pro prouiſionibus in cambijs attentis periculo, & laboribus poterit iuſtè exigi, quamuis quandòque accepto fideiuſſore, ſeu

Digitized by Google

pignore ceſſet tale periculum. Antecedens probatur, tùm quià pretia rerum generalitèr conſtituta, vel ex vſu fori, vel per legem Principis non variantur, ex priuata alicuius circumſtantia, tùm quia ex dictis *part. 1. ſub tit. Contractus II. prænot. 2. num. 3.* in taxatione pretij rerum venalium non ſolum attenditur valor, ſeu bonitas intrinſeca earundem rerum, ſed etiam officium mercandi, quod trahit ſecum pericula in acquirendis, & transferendis rebus, induſtriam, laborem &c. & tamen ſi quis non exercens tale officium, nec ſubiens talia pericula res ſimiles vendat eodem pretio, quo vendunt mercatores; iuſtè, & licitè vendet, quia ſeruat æqualitatem ex vſu fori; ſic in particulari docuimus, quod milites vendentes res, quas acquiſierunt iure belli eodem pretio, quo vendunt mercatores, iuſtè vendere, etiam ſi non ſubeant pericula, nec adhibeant induſtrias quas illi adhibent. Conſequentia tenet, quià non eſt diſſimilis ratio in caſu conſequentiæ à caſu antecedentis.

Poteſt priuata perſona in venditione rerum ſuarum id exigere, quod exigũt mercatores.

Ratio tertiò eſſe poteſt, quia ſi quis euidenter cognoſcat nullum adeſſe periculum in præſtatione, ſeu continuatione cambij, adhuc poteſt exigere prouiſiones, quæ communitèr exiguntur ex vſu fori, ergo etiam ceſſante periculo ratione pignoris, ſeu fideiuſſionis poterit eaſdem exigere. Antecedens probatur, quia ſi quid magnum detur pro aſſecuratione ob magna pericula, quæ timentur ob hoſtes, vel piratas, & aſſecurans certò ſciat nullum adeſſe periculum poteſt nihilominus pretium ordinarium aſſecurationis exigere, non niſi, quia illa obligatio ex vſu fori tanti valet, nec variatur ex priuata ſcientia aſſecurantis *Scaccia §. 3., Gloſ. 3. num. 12. verſic. confirmatur primo.* Conſequentia probatur, quia per aduerſarios aſſeritur, prouiſiones deberi ratione periculi, ergo, ſi ceſſante periculo adhuc debentur in ſenſu antecedentis, etiam erunt debitæ ceſſante periculo in ſenſu conſequentiæ; parum enim ad rem præſentem referre debet, quod periculum non ſit, vel quod ceſſet ratione pignoris, vel fideiuſſoris.

Aſſecuratio ex vſu fori tanti valet, nec variatur ex priuata ſcientia aſſecurantis.

§. XI.

An prouiſiones poſſint adijci ſorti, vt cambium magis augeatur.

SVMMARIVM.

Proponitur difficultas in ſuis terminis. 1.
Auctores pro vtraque ſententia. 2.
Prouiſiones poſſunt adijci cambio, vt augeatur. 3.
Procedit in ſuppoſitione, quod in celebratione primi contractus non obligetur ciuilitèr campſarius ad illud onus augmenti. 4.
Probatio efficax ex paritate cenſuum. 5.

DIſquiſitio XI. Seius continuato ad
plures nundinas eodem cambio, 1
& in ſingulis renouato contractu per
nouas literas prouiſiones ſibi debitas
non exegit in ſingulis, ſed in ſingulis
eaſdem adiecit cambio ad augendum
eiuſdem pretium, ſeu ſortem. Orta
fuit controuerſia inter Doctores, an 2
iuſtè potuerit ſic adijcere ad augendum idem cambium. Suſtinent, vtique
non potuiſſe *Narbona in tertia parte recopilationum lib. 5. tit. 18. l. 13. gloſ. 2. nu. 32., Molfeſius in ſumma tom. 2. tract. 12. c. 7. num. 113.* Leſſius verò *lib. 2. c. 23. dub. 9. num. 80.* media via procedit; aſſerit enim, quod, ſi campſores certi moralitèr ſint, ſe pretium illarum prouiſionum potuiſſe ſtatim alijs ad cambium dare, poſſint vtique adijcere priori cambio ad augendum illius pretium, ſecus, ſi non ſint certi de implicatione in alio cambio, quod eſt idem, ac dicere poſſe adijcere in caſu lucri ceſſantis, non autem ſpectata natura contractus ſecundum ſe. Nihilominus abſolutè.

Reſpondeo, Seium potuiſſe, & poſſe
adijcere cambio ad augendum ipſius 3
pretium. Probatur primò, quià per illas
prouiſiones poteſt conſtitui nouum cambium, ergo per ipſas poteſt augeri antiquum. Antecedens probatur, quià illæ prouiſiones poſſunt ſumi, non iam vt prouiſiones ſunt, ſed vt pecunia acquiſita medijs prouiſionibus, & vt menſura rerum venalium, ſed per pecuniam poteſt quodcunq; cambium iniri, ergo &c. Conſequentia etiam euincitur, quia per id, per quod poteſt in ſuo eſſe cambium conſtitui, poteſt etiam incrementum ſumere. Ne-

Prouiſiones ſumuntur non quatenus prouiſiones ſunt, ſed quatenus pecunia acquiſita medio ipſarum.

que dicas, non poſſe campſario imponi 4
onus, vt teneatur in ſe aſſumere illud

onus

Digitized by Google

onus augmenti, ſiquidem hoc eſt quid pretio æſtimabile, cum demat eiuſdem libertatem ad reſtituendum debitum; contrà enim impugnaberis, nam reſponſio non procedit in hypotheſi obligationis ciuilis impoſitæ ad tale augmentum, ſed dumtaxat in ſuppoſitione, quod campſarius ex libertate conſentiat ad tale augmentum. Deinde nulla etiam eſſet repugnantia, ſi augeretur cambium etiam ex obligatione ciuili impoſita in celebratione primi contractus, ſi pro tali onere diminutum eſſet pretium earundem prouiſionum, vt latè diximus in quæſtionibus de mutuo, & de cenſibus.

Probatur ſecundò; quod per prouiſiones inexactas augeatur cambium, nec repugnat naturæ contractus, nec aduerſatur alicui iuri poſitiuo, ergo
2 non eſt, cur non poſſit fieri. Antecedens quoad primam partem probatur, quia naturæ contractus non repugnat, quin per aliquam aliam pecuniam idem contractus augeatur, ſi enim non repugnat, quod per nouam, & omninò diſtinctam pecuniam nouus contractus ineatur, ex quo orietur repugnantia, vt per eandem vetus augetur? ergo neque naturæ eiuſdem repugnabit, quin augeatur per pecuniam debitam ex prouiſionibus, quia ſub illa conſideratione induit rationem nouæ pecuniæ, & perindè eſt, ac ſi eſſet noua pecunia. Probatur item quoad ſecundam partem, quia nullibi reperitur prohibitum per iura poſitiua ius ad tale augmentum: ſicuti reperitur prohibitum quoad augmentum cenſus per Conſtitutionem Pij V. vt latè diximus *part. 1. ſub tit. contractus 4. Prænot. 21. ſect. 9.*

Nullibi iura prohibent tale augmentum.

3 Probatur tertiò, quia in cambijs noui conſtituuntur contractus per nouas literas, nouiſque conditionibus ad alias nundinas, nec repugnat, quin ex eadem pecunia pro diuerſo tempore noui contractus, ſiue in eodem, ſiuè in diuerſo genere ineantur, ergo per augmentum pecuniæ poterit in maiori quantitate ille nouus contractus celebrari, quid enim vetat, quin ſi ego poſſum contractum cambij inire per centum, poſſim etiam inire per centum, & decem? Neque iterum vrgeas, repugnantiam non conſurgere præcisè ex eo, quod ineatur contractus per maiorem pretij quantitatem, ſed ex eo, quod augeatur per prouiſiones, nam hoc eſſet exigere fructus fructuum, & vſuras vſurarum; contrà enim impugnaberis, quià tunc non ſumuntur amplius, vt fructus prioris contractus; ſed vt pars pretij, ſeu ſortis reſpectu alterius contractus; non enim repugnat, quod in ordine ad diuerſos contractus idem habeat rationem fructus, & pretij.

In ordine ad diuerſos contractus idē poteſt habere rationem fructus, & pretij.

Probatur quartò ex paritate cenſuum, qui attento præcisè iure naturæ 5
poſſunt augeri ex penſionibus iam maturatis, & debitis, ergo non eſt, cur etiam ex prouiſionibus debitis, & non ſolutis non poſſit etiam augeri cambium. Antecedens patet ex dictis *part. prim. ſub tit. Contractus IV. prænot. 21. ſect. 9.* quæ ibi recole. Conſequentia tenet, niſi aſſignetur diſpar ratio. Quod, ſi dixeris de iure poſitiuo non poſſe augeri cenſum iam conſtitutum ex penſionibus debitis, & nondum ſolutis, adeòque nec etiam cambium, ſtatim impugnaberis, quià diſpoſitum in vno genere non eſt extendendum ad aliud genus, maximè ſi id, quod eſt diſpoſitum non aduerſetur ſecundum ſe naturæ contractus, cum lex recedens à natura contractus ſit ſtrictè interpretanda, nec extendenda vltrà expreſſa. Dici etiam poteſt in cambio non eſſe augmentum prioris contractus, cum hic intelligatur reſolutus, ſed nouum contractum in maiori quantitate conſtitutum, licet quodammodo dependentèr à primo, qui præſupponitur antecedenter celebratus.

Paritas deducta ex natura cenſuum.

---

§. XII.

An ex prouiſionibus cambiorum, & recambiorum debitis, & non ſolutis, nec poſitis ex conuentione partium in augmentum eorundem cambiorum, poſſit licitè exigi intereſſe.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in caſu particulari. 1.
Duplex ſenſus difficultatis. 2.
Conſiderata præcisè non ſolutione prouiſionum ſecundum ſe non poteſt exigi intereſſe eorundem. 3.
Si campſor fuerit inuitus ad ſolutionem dilatam, & damnum aliquod emerſerit, vel lucrum ceſſarit poteſt iuſtè exigere intereſſe correſpōdens tali damno, vel lucro. 4
Valet, etiam ſi nulla de damno, vel lucro conuentio facta fuerit. Ibid.

DIſquiſitio XII. Seius tradita ſua pecunia titulo Cambij Sempronio per plures nundinas idem cambium 1

Digitized by Google

bium innouauit, nec vnquam potuit exigere prouiſiones debitas, nec eaſdem implicare in augmentum cambij. Quæritur hic, an Seius in reſolutione cambij poſſit exigere intereſſe prouiſionum pro cambijs, & recambijs non ſolutarũ.

2 Difficultas poteſt procedere, vel conſiderata non ſolutione prouiſionum ſecundum ſe, vel attenta eadem non ſolutione in ordine ad aliquod lucrum ceſſans, vel damnum emergens. Rurſus, ſi in ordine ad lucrum ceſſans, vel damnum emergens, vel interuenit pactum de compenſatione, vel non, & ſic in ordine ad hæc omnia dirimenda eſt præſens difficultas.

3 Reſpondeo primò, conſiderata præciſè non ſolutione prouiſionum ſecundum ſe non poſſe exigi intereſſe earundem. Probatur, quià ſola dilatio ſolutionis non eſt ſecundum ſe meritoria alicuius lucri, ſeu ſubuentionis, ergo creditor non poteſt exigere intereſſe propter dilationem in ſoluendis prouiſionibus. Antecedens probatur, quià ideò damnantur vſuræ ex mutuo, quià percipiuntur ex ſola temporis dilatione, cum pecunia non pariat pecuniam, nec mutuum ſit fructiferum, ergo ſola temporis dilatio in ſoluendo non eſt meritoria alicuius lucri, ſeu ſubuentionis. Conſequentia primi argumenti probatur, quià non ex alio capite creditor poſſet exigere prouiſionum, niſi quià eſſet dilata ipſarum ſolutio.

Dices, creditorem poſſe exigere intereſſe prouiſionum non ſolutarum præfinito tempore propter ius violatum, quod habet, vt ſibi pro tali tempore ſoluerentur; ex iuris etenim læſione conſurgit onus compenſationis. Sed contrà, nam non læſio cuiuſcunque iuris importat onus compenſationis, ſed læſio dumtaxat iuris ex iuſtitia commutatiua prouenientis, ratione cuius conſurgat aliqua damnificatio, cum autem nulla damnificatio in caſu reſponſionis ſupponatur interueniſſe, nullum propterea conſurgit onus ad compenſationem intereſſe pro dilatione.

Onus cõpenſationis conſurgit ſolum ex læſione iuſtitiæ commutatiuæ.

Probatur ſecundò, quià illa obligatio ſoluendi intereſſe pro prouiſionibus non ſolutis, & ius in campſore idem intereſſe exigendi, nec conſurgit ex vi contractus, nec ex vi debiti quoad eaſdem prouiſiones, ergo nullo modo poteſt conſurgere. Antecedens quoad primam partem probatur, quià illæ prouiſiones cadunt quidem ſub contractum, quatenus ſunt fructus, ſeu effectus eiuſdem contractus antecedenter celebrati, non quatenus ipſæ implicentur in nouum contractum, qui ſit ſecundum ſe lucratiuus alterius intereſſe, cum hic nouus contractus non fuerit initus, & ſic, cum remaneant in puro ſtatu prouiſionum debitarum, ſeu intereſſe debiti ex vi præcedentis cambij, non poſſunt parere intereſſe per textum *in l. ſi non ſortem* §. 1. *de condit. indeb. & l. placuit ff. de vſuris, & l. vlt. C. eodem tit.* Euincitur idem quoad ſecundam, quià debitum prouiſionum nihil aliud importat, quam pecuniam ſoluendam pro eiſdem, ſed pecunia qua pecunia eſt non poteſt parere pecuniam, & qua debita non inuoluit, niſi onus ſolutionis eiuſdem, ergo qua tale eſt, non poteſt gignere aliquod ius ad nouum intereſſe, nec onus illud ſoluendi; Quod deindè ſolutio eiuſdem dilata fuerit contra ius habentem ad ipſam antecedenter, & in inuitum, facit quidem, quod lædatur ipſius ius quoad tempus, non quoad rem ipſam, ſi nullum ex tali dilatione damnum ipſi obuenerit, vel lucrum ceſſauerit.

Pecunia, qua pecunia præciſè eſt non poteſt parere intereſſe.

Reſpondeo ſecundò. Si campſor fuerit inuitus ad talem dilationem, & damnum aliquod eidem emanauerit, 4
vel lucrum ceſſauerit ex tali dilatione poteſt iuxtè exigere intereſſe correſpondens tali damno, vel lucro, etiam ſi in primo contractu non facta fuerit conuentio de tali damno, ſeu lucro reparando, ſi verò non fuerit inuitus, & non conuenerit de lucro ceſſante, ſeu damno emergente non poteſt licitè exigere. Ratio primæ partis eſt, quià qui iniqua cauſa damni eſt, ſeu lucri ceſſantis ex vi talis actionis præciſè tenetur idem damnum, ſeu lucrum ceſſans reparare, ſed qui contrà voluntatem Domini detinet pecuniam eſt cauſa iniqua damni, ſeu lucri ceſſantis prouenientis ex tali detentione, ergo, tenetur illa reparare. Confirmatur, quia qui iniquè conſulit actionem, per quam alteri damnum obueniat, ſi actio illa directè conferat ad tale damnum, tenetur in ſubſidium principalis tale damnum reparare, etiam ſi nulla facta fuerit conuentio de tali reparatione, ergo qui per ſe iniquè contra ius actionem exercet, per quam tale damnum proueniat, tenebitur ad illius reparationem principaliter. Conſequentia tenet, quià hic ordo in reſtitutione ſeruandus eſt, vt principalitèr teneatur ad compẽſationem quĩ principaliter damnum intulit, in ſubſidium dumtaxat, qui minus principalitèr, & vt cauſa moralis per conſiliũ cooperãtis eſt tali damno.

Iniqua cauſa damni, damnum compenſare tenetur.

Ordo ſeruandus in onere reſtitutionis.

Ratio

Si creditor non fuerit inuitus ad dilationem, & nulla facta fuerit conuentio nullum onus cõſurgit ad compenſationem ob dilationem.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia ex quo non eſt inuitus, nec eſt conuentio, ex nullo capite videtur conſurgere obligatio compenſationis, ſiquidem conſentiente domino, ſeu non reluctante dilationi nulla per ipſam videtur ipſi inferri iniuria, & vbi pactum non eſt de compenſatione, non eſt, cur hæc ex iuſtitia debeatur, quamuis aliquod lucrum ex tali dilatione ſequatur, quod euincitur ex paritate mutui, ex quo ſi ſequatur ceſſatio alicuius lucri reſpectu mutuantis, non conſurgit in mutuatario onus aliquod compenſationis, niſi de illo conuentum fuerit, vt latè diximus *part. 1. ſub tit. contractus III. prænot.* 13. ergo neque ex dilatione ſolutionis prouiſionum, vbi non fuerit conuentum non conſurget in campſuario onus compenſationis quoad intereſſe pro ipſis.

Cõmuni praxi debitor nõ tenetur ad compenſationem dãnorum ob dilationem ſolutionis, ſi non fuerit adiectum pactum de compenſatione.

Dices in mutuo non eſſe onus compenſationis, quia ex quo mutuans beneficium contulit mutui ſine vlla exceptione præſumitur ceſſiſſe iuri compenſationis, cum ſit annexum eidem contractui mutui debitum expectandi reſtitutionem ad certum, & determinatum tempus, intrà quod ſi lucrum ceſſet debet ſibi imputare, quod conceſſerit mutuum, campſor autem, cum in ordine ad ſolutionem prouiſionum nullum pactum, nullumque contractum inierit, licet illas non exigat, nulla eſt ratio præſumendi, quod intereſſe ipſarum ceſſerit. Sed contrà, quia quamuis in cambijs campſor nullum pactum inierit de expectatione ſolutionis, quia tamen nullum pactum adiecit de compenſatione lucri, ſi ceſſauerit, præſumitur cedere, ſeu ceſſiſſe eidem iuri compenſationis, eo modo, quo ſi creditor aduerſus debitorem non adiecerit pactum de compenſandis damnis, ſi obuenerint ex dilatione ſolutionis debiti, & non fuerit ad talem dilationem inuitus iuſtè non poteſt compenſationem exigere, vt communi praxi firmatum eſt.

§. XIII.

An campſores poſſint nolle acceptare ſolutionem ſortis, niſi ſimul ſoluatur intereſſe cambiorum.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus quæſtionis. 1.
Non poteſt campſor obligari ad acceptandum prius partem ſortis, quam intereſſe. 2.
Paritas ex ordine naturæ deſumpta accommoda ad rem noſtram. 3.
Ratio à poſteriori deducta. 4.
Soluuntur rationes in contrarium adductæ. 5.

DIſquiſitio XIII. Caius poſt initum contractum Cambij cum Andræa, quo eidem tradidit centum nummos aureos reſtituendos in primis nundinis celebrandis Genuæ v. g. cum debito intereſſe pro eodem cambio adueniente tempore reſtitutionis ſortis recuſabat cambij ſortem acceptare, niſi prius ſolueretur intereſſe eiuſdem cambij. Orta fuit controuerſia, an idem Caius potuerit obligari ad acceptandam ipſam ſortem, vel partem eiuſdem, antequam fuerit ſatisfactum pro intereſſe eiuſdem. Proponunt, & expendunt hanc difficultatem *Filliutius tom. 2. tract. 35. part. 2. c. 10. num. 472., Diana tom. primo tract. de contractibus reſol. 12., Leſſius 2. de iuſt. & iu. c. 23. dub. 10. nu. 87., Malderus in ſecundam ſecundæ D. Thomæ tract. 5. c. 4. dub. 10.* 1

Reſpondeo non poſſe obligari ad acceptandam prius partem ſortis. Rationes multas afferunt Doctores ad comprobandum hoc aſſertum, vel à iure deſumptas, vel à naturali æquitate. Singulas expendo vna, vel altera proprio marte adiecta. 2

Probatio deſumpta ex l. 1. C. de ſolutionibus.

Prima deſumitur *ex l. 1. C. de ſolutionibus*, vbi legitur *ſi neuter voluntatem ſuam expreſſit prius in vſuras id, quod ſoluitur, deindè in ſortem accepto feretur.* ergo ex diſpoſitione iuris ſolutio prius facienda eſt de intereſſe, quam de ſorte, adeòque non poteſt prius obligari creditor ad acceptationem ſortis, quam ad intereſſe; Neque dicas, per hunc textum non ſuffragari reſponſioni, eo, quià procedat ſolum in ſenſu, quo neuter declaret, an velit ſolutionem cedere in extinctionem ſortis, an verò intereſſe, præcipuè cum in præcedentibus verbis eiuſdem textus dicatur. *In poteſtate eius eſt, qui ex pluribus contractibus pecuniam debet tempore ſolutionis exprimere, in quam cauſam reddat*, ergo, ſi in poteſtate eius eſt exprimere &c. ſi expreſſerit eſſe in cauſam ſortis, obligabitur creditor eo titulo acceptare; contra enim impugnaberis, quia hæc, quæ dicuntur, procedunt dumtaxat in ſuppoſitione, quod debita procedant ex diuerſis titulis, & cauſis, quæ ad inuicem non dicant connexionem, nec ſubordinationem, vt patet ex præcitatis ver-

Digitized by Google

verbis *ex pluribus contractibus*, quod non militat in hypotheſi reſponſionis, iuxta quam vnum debitum tanquam fructus ab altero procedit tanquam à radice, & in hoc ſenſu reſpondendum etiam eſt ad textum *in l.3. & 4. ff. de reſolut.* Quod ſi repetas, quod, cum illæ etiam particulæ. *Si autem neuter voluntatem ſuam expreſſit, prius in vſuras id, quod ſoluitur &c.* ſub eadem lege contineantur, & per illam particulam, *Si*, ad præcedentia referantur, vel intelligendæ etiam ſint in ordine ad diuerſos contractus, vel præcedentes etiam in ordine ad eundem contractum, & per conſequens eodem modo de omnibus indifferentèr diſcurrendum ſit, ſtatim etiam impugnaberis, tum quia illæ particulæ, *ſi neuter voluntatem ſuam expreſſit*, ſunt exceptiuæ, adeòque ſegregant à præcedentibus; tùm quia, cum expreſsè indicent vſuras, quod idem eſt, ac intereſſe, quod non poteſt eſſe, niſi dependenter à ſorte, non poſſunt eſſe, niſi dependenter ab eodem contractu.

Inſtantia, & eiuſdem ſolutio.

Secunda deſumitur *ex l. ſi vſuras C. de vſuris*, vbi Gloſa expreſſis verbis aſſerit, quod quandò debetur ſors, & intereſſe, & aliquid incontinenti per debitorem perſoluitur, habeat creditor electionem computandi in vſuras; ex quo ſic arguo, ergo non poteſt ciuiliter obligari ad acceptandum illud tanquam partem ſortis, antequam intereſſe ſit plenè perſolutum. Conſequentia probatur, quià non poteſt eſſe obligatio ad vnum determinatè, vbi eſt plena libertas, vel ad vnum, vel ad alterum, ergo, ſi creditor habet electionem computandi in vſuras, vt vult gloſa, non poteſt obligari ad computandum in partem ſortis.

Creditor habet electionē ad recipiendā, vel prius ſortem, vel intereſſe.

3 Tertia ratio fundatur in naturali æquitate, ſecundum quam comparato iuris ordine ad ordinem naturæ prius percipiuntur fructus, quam arbor radicitus euellatur, ergo etiam fructus maturi ciuiles in contractibus ſunt perſoluendi, antequam contractus in ſui radice per reſtitutionem ſortis reſoluatur. Confirmatur ex paritate contractus cenſualis, in quo ex communi praxi, & conſuetudine vbique recepta non acceptatur extinctio quoad principale, niſi prius extinguatur debitum quoad fructus, qui ex ipſo proueniunt, ergo idem dicendum eſt in contractu cambij; cum non appareat diſpar ratio.

Prius percipiūtur fructus, quā arbor reſcindatur.

4 Quarta ratio dedicitur à poſteriori, quia extante debito pro ſorte, & ſimul pro interuſurijs, ſi facta fuerit aliqua ſolutio non adæquans totum debitum præſumitur facta pro interuſurijs, non pro ipſa ſorte, ergo etiam, ſi perſoluatur aliqua quantitas non ſufficiens ad ſortem cambij, & ad intereſſe eiuſdem, debet intelligi fieri pro ipſo intereſſe primò, & poſtea pro ſorte eiuſdem. Antecedens probatur, quia lex imitatur naturam, ſed in naturalibus ſubſtantia poteſt ſtare ſine acceſſorio, non acceſſorium ſine ſubſtantia *§. minorem Inſtit. de adopt.* ergo, cum non poſſit ſtare acceſſorium ſine ſubſtantia, & intereſſe habeat rationem acceſſorij vtpotè quod prouenit a ſorte, & ſors habeat rationem ſubſtantiæ, præſumendum eſt, quod lex voluerit, vt prius extinguatur intereſſe vtpotè quod non poteſt ſubſiſtere ſine ſorte, non autem ſors, quæ poteſt ſubſiſtere ſine intereſſe. Conſequentia probatur, quia in tantum facta ſolutione non adæquante totum debitum ſortis, & intereſſe præſumitur eſſe in extinctionem intereſſe, non ſortis, in quantum prius debet perimi acceſſorium, quod nequit ſubſiſtere ſine ſubſtantia lege imitante naturam, ſed hæc eadem ratio valet, quandò de facto fit talis ſolutio, ergo &c.

Acceſſoriū prius debet perimi, quā principale, & quare.

Aduerſus hanc vltimam rationem militare videntur ea, quæ docet *Cornelius conſ.91. viſa facti ſub nu. 7. lib. primo. Surdus deciſ. 186. agebatur num.4.*, *Crauettus conſ. 22. magnificus num. 5. & conſil. 25. num. 29. & alibi* ſcilicet ſolutionem cedere in duriorem cauſam ex eo, quod cauſa durior cenſeatur magis vrgere, & actus trahatur ſemper ad magis neceſſarium. Sed parum negotij faceſſunt hæc, quæ afferuntur, nam regula, quod præſumatur debitum grauius, militat tantum, vel quandò vtrumque debitum procedit ex diuerſis cauſis, non ab eadem, vt euenit in caſu noſtro, vel quandò ſunt duo debita vnum cum onere vſurarum, alterum ſine tali onere, vel vnum cum fideiuſſione, alterum ſine *Hieron. Gabri. conſ. 48. qui eſt debitor num. 2. lib.*, *Rota diuerſ. deciſ. 113. licet ſub num. 3. pars prima, & coram Caualerio in Bononienſi fideiuſſionis Maij 1610.*

Digitized by Google

§. XIV.

An cambium per campſorem initum bona fide, quod campſarius habeat in loco, ad quem fit cambium, qui ſoluat, & tamen non habet, poſſit eſſe lucratorium reſpectu campſoris.

SVMMARIVM.

Præponitur ſtatus controuerſiæ. 1.
Ratio dubitandi dependenter à diſpoſitione Pij V. 2.
Campſor in data hypotheſi poteſt iuſtè vltrà reſtitutionem ſortis exigere intereſſe. 3.
In contractibus innominatis ſi alter non ſatisfecit, alter ſic, poteſt obligari, qui non ſatisfecit, ad ſatisfaciendum. 4.
Soluitur ratio dubitandi in principio propoſita. 5.

1 DIſquiſitio XIV. Iniuit Andræas cambium cum Sempronio tradens huic centum nummos aureos per Sempronium ſoluendos in primis nundinis celebrandis proximo menſe Februarij Placentiæ exiſtimans ſine vlla penitus hæſitatione, quod Sempronius haberet Placentiæ, qui reciperet literas, & debitum ibidem ſolueret. De facto ibi non habet, qui recipiat, & ſoluat, vnde literæ remittuntur inanes. Quæritur in præſenti, an Andræas iuſte poſſit ab eodem Sempronio tantum exigere lucri, & intereſſe, quantum exegiſset, ſi Sempronius habuiſset, qui ſolueret.

2 Ratio dubitandi potiſſimum deducitur ex diſpoſitione Pij V. in ſua conſtitutione præallegata *in præcedenti prænot.6.num. primò* per quam damnantur omnia cambia tanquam ſicca, per quæ illi, qui pecuniam recipiunt, literas quidem ſuas cambij tradunt, ſed, cum non habeant, qui illas recipiant, & ſoluant, literæ, vnde proceſſerant, inanes referuntur. Ob hanc diſpoſitionem *Salas de Cambijs dub. 15. num. 2.* voluit, campſorem nihil vltra ſortem poſſe recipere, nec bonam fidem tribuere ius ad exigendum aliquod intereſſe, quinimmò, ſi hoc fuerit exactum, non eximere ab onere reſtitutionis, niſi fortaſſe fuerit per bonam fidem conſumptum. Ad quæ corroboranda adduci poſſunt ea, quæ latè nos diximus *tom. primo ſub tit. Contractus III. Diſquiſ.6. §. VI. & VII.* nempe contractum vſurarium bona fide initum nullum parere effectum etiam quoad lucrum ceſſans, eo quià, cum talis contractus ex diſpoſitione iuris ſit nullus, perinde eſt, ac ſi non eſset contractus, ſicuti autem non entis nullæ poſſunt eſſe qualitates, ità non contractus, ſeu contractus ſecundum ſe irriti, quod idem eſt, nullum poteſt eſſe intereſſe. His tamen non obſtantibus.

Rationes euincẽtes tale cambiũ non eſſe lucratorium.

3 Reſpondeo, Andræam in data hypotheſi iuſtè vltrà reſtitutionem ſortis poſſe exigere intereſſe *Molina de iuſtitia tom. 2. tract. 2. diſp. 404. num. 7., Leſſius lib.2. c.23. dub.7. num. 69., Diana part.1. tract. 8. de contractibus reſol. 14.*

Ratio eſſe poteſt primò, quià talis contractus ſecundum ſe conſideratus licitus eſt, & à iure, & communi praxi approbatus, & ſolus defectus eſt ex parte campſuarij decipientis, non ex parte campſoris legitimè adimplentis, ergo campſor legitimè adimplens poteſt alterum cogere ad implementum, ſi poſſibile eſt, in loco, in quo ex conuentione deberet adimpleri, vel ſi poſſibile non eſt, ad ſoluendum, quantum eidem campſori intererat, vt contractus fuerit adimpletus. Conſequentia probatur. Quotieſcunque defectus eſt ex parte vnius fraudulentèr ſe habentis, & non ex parte alterius legitimè procedentis, & adimplentis, debet tantum obeſſe fraudanti, non decepto, ne malitia vnius auctori ſufragetur cum detrimento innocentis, & ne via ex peruerſitate contrahentium aperiatur fraudibus. Quot enim in fraudem legis ſimularent ſe habere, qui ſoluerent, cum non haberent.

Quotieſcunque defectus eſt ex parte vnius fraudulentèr ſe habentis obeſt decipienti.

Dices, ex hoc ſequi, quod contractus ſit omninò irritus ob defectum conſenſus legitimi reſpectu campſuarij, & ob circumſtantias ex diſpoſitione iuris irritantes, qui propterea nullum poteſt gignere intereſſe. Sed contrà primò, nam non interuenit præcisè defectus conſenſus quomodocunque, ſed etiam malitia & dolus, & ſic ratione iſtius, ſeu quodamodò in pænam decipiens ex natura ſua, & ex diſpoſitione iuris tenetur ad implementum contractus, ſi poteſt, vel, ſi non poteſt, ad adimplenda ea omnia, quæ conſequerentur ex tali contractu, ſi eſset legitimè conſtitutus, vndè dici poteſt, quod ex diſpoſitione iuris quoad effectus malitia id præſtet, quod præſtaret ipſe conſenſus, ſi interueniret, & licet contractus videatur inualidus ob defectum circumſtantiæ requiſitæ ad

Ratione malitiæ, & doli obligatur decipiens, nó ratione defectus cõſenſus præcisè.

vali-

Digitized by Google

validitatem nempè exiſtentiæ pecuniæ in loco, in quo ex conuentione eſt ſoluenda, reualidatur tamen, ſi non quoad ſubſtantiam, ſaltem quoad effectus ſupplente quodamodo in pænam malitiæ iure defectum talis circunſtantiæ, ex eo quod velit, ne malitia, ſeu dolus ſuffragetur auctori, & vt fraus in ſuum auctorem cadat *l. penult. in fine C. de legatis*, vndè iure merito cecinit Ouidius

Diſcat in auctorem pæna redire ſuum

4 Ratio eſſe poteſt ſecundò. In contractibus innominatis, quandò vnus ſatisfecit, alter non; non datur locus pænitentiæ reſpectu eius, qui non ſatisfecit; ſed poteſt cogi ad complementum non ſolum in iure c[ivi]li, ſed etiam in canonico, vt latè d[ocui] [...]ius *tom. primo ſub tit. Contractus I.* [...]*t. 4. num. 5.* ergo etiam in hypoth[eſi] reſponſionis, cum campſor ſatisfecerit, & non campſuarius, poterit hic cogi ad ſatisfaciendum. Conſequentia probatur nam, vel contractus cambij eſt contractus nominatus, vel innominatus; ſi nominatus, cum fortius obliget, magis vrgebit ad ſatisfaciendum, ſi innominatus eodem modo obligabit, quo cæteri contractus innominati, in quibus, ſicuti non datur locus pænitentiæ reſpectu eius, qui non ſatisfecit, ità nec in contractu cambij.

Dices ea, quæ dicuntur de contractibus innominatis ſubſiſtere, eo quià ſupponitur contractus in ſui ſubſtantia validus, & ſolum deficere executionem, non ſic autem in contractu cambij, de quo hic loquimur, cum deficiat in ſubſtantia, eo quià non interueniant omnes conditiones requiſitæ ex diſpoſitione iuris. Sed contrà, nam, ſi quæ conditio deficit, eſt ex malitia, & peruerſitate campſuarij, quæ certè nequit eidem ſuffragari, & præiudicare campſori; quamobrem, ſi contractus ſecundum ſe non ſubſiſtit in ſubſtantia, ſubſiſtit ex diſpoſitione iuris quoad effectus obligandi, vt ſupra dicebam.

Inſtantia, & eiuſdem ſolutio.

Ratio eſſe poteſt tertiò, quia, ſi quis venderet rem alienam ignorante emptore circunſtantiam alienitatis rei, & res vendita per verum dominum vindicaretur, venditor non ſolum teneretur ad euictionem ſecundum valorem rei venditæ, ſed etiam ſecundum id, quod intererat emptori, quod res non vindicaretur, vt latè docui *tom. primo ſub tit. Contractus II. Diſquiſit. 4. §. XI. nu. 2.* per textum *in l. libera C. de ſent., & interloc. l. ſi cum quæſtio C. de euict., & l. re euicta C. eodem tit.* ergo etiam, ſi quis commutat pecuniam, quam alibi non habet, cum pecunia alterius præſenti, tenetur non tantum de euictione quoad pecuniam reſtituendam, ſed etiam quoad ea, quæ interſunt commutanti, ſeu campſori, quod pecunia in loco, in quo reſtituenda erat, fuerit.

Ad rationem dubitandi, quæ in contrarium afferebatur, patet ex dictis, quid ſit reſpondendum; quamuis enim per Bullam Pontificis damnentur omnia cambia ſicca, & hic, de quo loquimur, ſit in ſubſtantia cambium ſiccum, quià tamen ex peruerſitate, & dolo campſuarij eſt tale ex diſpoſitione iuris obligat ad effectus cambij, ac ſi cambium reale eſſet. Ad id, quod ſubdebatur, ex dictis *ſub tit. Contractus III. Diſquiſit. 6. §. 6.* dicendum eſt, contrahentem paſſiuum ad nullum onus teneri, quià contractus ſecundum ſe inualidus eſt, non ex malitia, & dolo eiuſdem, qui propterea nec poteſt obligari ex vi contractus, nec ex dolo, cum ſupponatur contraxiſſe bona fide. 5

Tota ratio obligationis conſurgit ex vi doli.

---

§. XV.

An tanta debeatur prouiſio pro cambio magno, ac pro paruo.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Auctores contendentes æqualem deberi prouiſionem, eorumque rationes. 2.
Non debentur æquales prouiſiones indifferenter pro quocumque cambio etiam inæquali. 3.
Soluuntur rationes dubitandi in principio diſquiſitionis propoſitæ. 4.

DIſquiſitio XV. Dedit Antonius titulo cambij mille nummos aureos Theodorico ſoluendos, ſeu reſtituendos in primis nundinis Placentiæ celebrandis, alioſque centum Andreæ in eiſdem nundinis perſoluendos, contendebatque pro vtroque contractu non eandem, ſed diuerſam prouiſionum quantitatem recipere. Quæritur in præſenti, quid iuris? 1

Contendebant aliqui apud Dianam, non maiorem pro maiori cambio exigi poſſe prouiſionem, ac pro minori, ſed æqualem ſolummodò pro vtroque. Ratio ipſorum duplex potiſſimum eſt. Prima, quià ex ſuperius dictis prouiſiones debentur potiſſimù pro labore; ſed labor omninò idem eſt, ſiue pro magno, ſiuè pro paruo cambio, ergo &c. 2

Rationes in contrarium adducuntur.

Secunda, quia famulus conductus ad alicuius obſequium, & famulatum non poteſt exigere, niſi conſuetum, ſeu conuentum ſtipendium, ſiuè pro aliquibus diebus maiora munera obeat, ſiuè minora, ſiuè plura in vna, quam in altera die, cum intelligatur conductus ad omnia illa onera, ſi obuenerint, ergo etiam campſor non poterit, niſi eandem, ſeu ſimilem, & æqualem prouiſionem exigere, ſiuè pro maiori, ſiuè pro minori cambio, cum ad illud munus intelligatur aſſumptus, & hoc præſtet quodamodo ex officio in campſuariorum obſequium, & famulatum. His tamen non obſtantibus.

Reſpondeo abſolutè, non teneri pro omnibus cambijs æqualem indiferen-
3 tèr exigere prouiſionem, ſed iuſtè poſſe maiorem pro maiori, & minorem pro minori cambio exigere *Romualdus Coli tract. de Cambijs c. 21., Scaccia tract. de commercijs §. 3. gloſ. 3. num. 475., Diana part. prima tract. 6. de contractibus reſol. 10.*

Ad multiplicationem centenariorum debent multiplicari tertiæ partes vnius nummi ex illis centenarijs.

Ratio deſumitur ſecundum communiter receptam praxim, & conſuetudinem, ſecundum quam pro prouiſionibus exigitur vna tertia pars ducati v. g. pro ſingulis centenis, ergo, ſi multiplicentur centena, debent multiplicari tertiæ partes ad proportionem numeri centenariorum. Conſequentia probatur, quià fruſtrà fuiſſet taxata illa quantitas pro centenario, ſi eadem deberetur, ſiuè pro cambio minori centenario, ſiuè pro millenario. Confirmari poteſt primò, quià quantitas prouiſionum non eſt deſumenda præcisè ad proportionem laboris, ſed ad proportionem pecuniæ, quæ erogatur, quod euincitur paritate notarij conficientis inſtrumentum, reſpectu cuius, quamuis ſi idem labor reſpectu inſtrumenti continentis plura, ac minora, tamen maius debetur ſtipendium pro rogitu plurium, minus pro rogitu minorum, ergo etiam, quamuis idem videatur labor reſpectu campſoris erogantis plura, ac erogantis minora, poterit tamen plura exigere pro prouiſione in cambio maiori, ac in minori.

Prouiſio eſt potiſſimum ob periculum, quod aſſumitur.

Confirmari poteſt ſecundò, quià prouiſio ex ſupra allegatis non ſolum debetur ob laborem, qui impenditur, ſed etiam ob periculum, quod aſſumitur, ſed magis eſt pretio æſtimabile periculum, quod aſſumitur in maiori quantitate, ac in minori, ergo pro illo poteſt maius ſtipendium exigi, quàm pro iſto?

4 Ad rationes aduerſariorum reſpondendum eſt, & quidem primò ad primum, nõ eſſe eundem laborem, idemq; periculum in cambio magno, ac in paruo, ſiquidem maior opera requiritur in maiori numeratione, quæ exigitur in magno cambio, ac requiratur in numeratione parui, & minoris. Deindè prouiſio non attenditur ſecundum laborem præcisè, ſed ſecundum laborem comparatum ad ſummam cambij, quæ erogatur, vnde ipſe labor quoad æſtimationem compenſationis reſtringitur, & extenditur ſecundum reſtrictionem, & extenſionem quantitatis, quæ erogatur, vt videre eſt in exemplo allato de Notario conficiente inſtrumentum continens plura, vel minora. Ad ſecundum dicendum eſt, diſparem omninò eſſe rationem, eo quia famulus conductus ad obſequia erga dominum obligatur ex conuento, & determinato ſtipendio ad omnia onera, quæ pertinent ad famulatum, ſiue plura, ſiuè minora contigerint, & maiora, quæ vno die contingunt, compenſantur cum minoribus, quæ contingunt altera die; at campſor non conducitur ſimul ad omnia onera cambiorum determinato pretio pro omnibus, ſed ſtipendium debet ſumere in ordine ad ſingula, & proportionatum ad ipſa, adeòque iuxtà proportionem eorum, quæ continentur in ipſis, debet taxari.

Labor quoad compenſationem reſtringitur, vel extenditur, ad reſtrictionem, & extenſionem quantitatis.

---

§. XVI.

An ex maiori temporis protractione poſſit maius intereſſe exigi in cambio.

SVMMARIVM.

Exponitur ratio quæſtionis, & dubitandi. 1.

Campſores poſſunt maius lucrum exigere ex eo, quod nundinæ, in quibus facienda eſt reſtitutio, plus diſtent. 2.

Satisfit rationibus dubitandi. 3.

Incommoda, quæ orirentur ex contraria opinione. 4.

DIſquiſitio XVI. Hæc viget conſue-
tudo inter mercatores, qui pecu- 1
nia vtuntur tanquam inſtrumento ad negotiandum, & lucrandum, vt quo plus diſtant proximæ nundinæ ad aliquem locum, eo plures mercatores, & cum maiori incremento accipiant cambia ad nundinas eius loci, & quo minus diſtant, minores confluant mercatores, & cum minori incremento accipiant, nec aliter accipere velint. Orta

fuit

Digitized by Google

fuit controuerſia, an talis conſuetudo licita ſit, adeò vt poſſint licitè concedentes pecuniam ad cambium ratione maioris diſtantiæ illud maius incrementum ex vſu fori exigere? Molina *tract. 2. diſp. 404. verſic. Timoratus quidam mercator* conſultus circa hanc controuerſiam abſolutè ſenſit, ſic concedentes ſine labe iniuſtitiæ illud incrementum exigere. Alij è contra voluerunt, non poſſe abſolutè exigere, eo quià hoc nihil aliud ſit, quam ex maiori temporis protractione præciſè in eodem contractu lucrum acquirere maius, quod ex alibi dictis eſt vſuraria conuentio.

2 Reſpondeo, licitè poſſe mercatores in data ſuppoſitione illud incrementum exigere. Ratio eſt, quià ex dictis *tom. primo ſub tit. Contractus II. de emptione, & venditione prænot. 2. num. 7.* pretium rerum augetur etiam ex copia, & multitudine concurrentium ad emptionem talium rerum, ergo etiam pretium cambij ex vſu fori licitè augeri poteſt ex multitudine accipientium ad cambium, ſed longè plures mercatores cambia accipiunt, quandò eſt maior diſtantia inter tempus acceptionis, & tempus reſtitutionis, ac quandò minor, ſiquidem ex maiori temporis dilatione facilius ex negotiationibus maiora lucra conſequuntur, ergo &c. Prima conſequentia non videtur pati difficultatem, tùm quià contractus cambij eſt quodamodo quædam ſpecies emptionis, & venditionis, tùm quià, ſi hoc valet in venditione, cur non in cambio? Certè tunc pecunia, quæ datur ad cambium, & accipitur, non conſideratur, vt eſt formalitèr pretium, & menſura rerum venalium, ſed vt merx quædam, & res venalis.

Ex multitudine concurrentium ad emptionem augetur pretium rerum venaliū.

3 Ex his facile erit reſpondere rationi, quæ ex aduerſo afferebatur; non enim illud incrementum exigeretur ratione protractionis temporis præciſè, ſed ratione maioris valoris, quem cambium ipſum acquirit ex multitudine accipientium ad cambium ſuppoſita maioris temporis protractione conferente maiorem vtilitatem eiſdem accipientibus; vndè, ſicuti pretia rerum deſumuntur ſecundum communem hominum æſtimationem, & variantur iuxta eandem ſuppoſitis his, vel illis conditionibus, concurrentibus pluribus, vel paucioribus, ita etiam cambiorum pretia ex vſu fori ex eadem æſtimatione deſumenda ſunt, iuxtà quod plures, vel pauciores concurrant, ſiuè hoc proueniat ex maiori, vel minori temporis dilatione, ſiuè ex aliò capite.

Pretia cambiorum deſumenda ſunt iuxtà maiorem, vel minorem copiam contrahentium.

Adde pro confirmatione reſponſionis, quod pecunia, quæ in cambio conceditur mercatoribus, eſt veluti inſtrumentum quoddam, quo vtuntur mercatores ad negotiandum, & lucrandum, ſed inſtrumentum, quo magis aptum eſt ad negotia, & ad lucrum, eſt in ſui venditione maiori pretio compenſabile, ac ſit minus aptum, & pecunia quoad longius tempus conceditur eſt magis apta ad lucra maiora, ac ſi concederetur ad ſtrictius, ergo ex conceſſione ad longius tempus poteſt maius pretium exigi.

Inſtrumentum, quo magis aptū eſt ad negotia, eo maiori pretio dignum eſt.

Dices primò, illam maiorem aptitudinem non eſſe ex pecunia ſecundum ſe, ſed ex induſtria, & applicatione operantis, ſeu negotiantis, quæ proptereà non poteſt conferre ius concedenti ad maius lucrum; vtilitas enim, quam quis percipit per propriam induſtriam ex re ſibi conceſſa, ſibi imputanda eſt, non compenſanda concedenti, vt videre eſt in mutuo, ex quo, ſi mutuatarius aliquam vtilitatem percipiat, non proptereà tenetur illam mutuanti compenſare. Sed contrà, quià pecunia ipſa, vt in negotiatione implicanda, eſt id, per quod mercator lucratur, & ſine quo non lucraretur, & ſic maius illud lucrum, quod per mercatorem poteſt acquiri, non ſolum eſt fructus induſtriæ, ſed etiam pecuniæ, non quidem ſecundum ſe, ſed ſuppoſita etiam applicatione induſtriæ, quæ proptereà, ſi ſit ad longius tempus conceſſa, erit magis apta ad maius lucrum; res autem magis apta ad vtiliores vſus eſt maiori pretio compenſabilis, & licet vtilitas, quam quis percipit ſit eidem imputanda, non compenſanda cōcedenti, vt innuebatur in iſtantia, res tamen, pro vt magis vtilis, eſt maiori pretio acquirenda, quandò transfertur per contractum ſecundum ſe meritorium lucri, quod non euenit in mutuo, quod ſecundum ſe non eſt fructiferum; neque hoc eſt acquirere lucrum ratione dilationis temporis præciſè, ſed ex re ipſa magis vtili ſuppoſita maioris temporis protractione.

Diſparitas quoad mutuum, & cambium.

Dices ſecundò, in conuentione cambij campſorem poſſe acquirere proportionatum lucrum, ſiuè pecunia ſit implicanda in negotiationem, ſiuè non, nec conſiderare, an ratione temporis campſuarius ſit maius lucrum acquiſiturus, an non? Sed contrà, quià certè campſor non conſiderat, nec debet conſiderare, quid de ea ſit facturus campſuarius, ſed ea, quæ ex tali pecunia apta

Campſor non exigit lucrū ob id, quod campſarius ſit facturus de pecunia accepta, ſed ob id, quod ipſe eſſet facturus.

Digitized by Google

apta ſunt fieri, & ea, quæ ſua ſunt ex abdicatione pecuniæ longiori tempore; vndè, quod campſuarius acquirat, vel non acquirat, non debet referre ad eundem campſorem, reſpectu cuius ſufficit, quod contractu lucratiuo tranſtulerit rem illam, ſeu pecuniam aptam ad illud lucrum.

4 Adde ſecundò, quod ex negatione reſponſionis noſtræ multa orirentur in Republica incommoda; pauci etenim campſores concederent cambia ad longius tempus, & ſic ceſſarent humana commercia, plures eſſent, qui exigerent, & pauci, qui darent, ſicque ex alio capite etiam in cambijs ad minus tempus augeretur pretium eorundem, ex inopia ſcilicet concedentium, & multitudine poſtulantium, vt ſuprà inferebamus.

§. XVII.

An campſor, qui in nundinis ſuas occultat pecunias, vt cambiorum pretia augeantur, peccet contra iuſtitiam.

SVMMARIVM.

Quæſiti ratio in caſu particulari expoſita. 1.
Nonnullæ obſeruationes perpendendæ. 2.
Occultans pecunias, & augens pretium non ſuprà ſupremum, ſi non congregauit ex fine idem pretium augendi, nec peccat læthaliter, nec ad reſtitutionem tenetur. 3.
Si ex occultatione pretium creſcat ſuprà ſupremum, occultans tenetur ad reſtitutionem. 4.
Verificatur non ſolum in ordine ad cambia per ſe ipſum inita, ſed etiam inita per alios. 5.

1 DIſquiſitio XVII. Exiſtit Romæ campſor quidam præpotens, multiſque abundans pecunijs, qui, ſi illas non exponat tempore nundinarum ad cambia, tepeſcent pro illis nundinis humana commercia, & mercatores in otio langueſcent. Adueniente tempore nundinarum ſciens mercatores plurimos indigere pecunijs ad ſua negotia peragenda pecunias proprias occultat eo fine, vt ex defectu pecuniarum, ſeu concedentium pecunias, & ex multitudine poſtulantium augeretur pretium cambiorum. Res iuxtà mentem euenit, quandoquidem ex tali occultatione pretium adauctum eſt, ſine qua non fuiſſet adauctum, & ipſe poſteà pecuniam extraxit concedendo iuxta incrementum, quod cambia ſumpſerunt ex tali occultatione. Quæritur modò, an læthaliter peccauerit, & an teneatur non ſolum ad reſtitutionem illius exceſſus, quem ipſe ex cambijs per ſe ipſum initis acquiſiuit, ſed etiam ad reſtitutionem exceſſus, quem alij acquiſierunt propter incrementum pretij, quod adauctum eſt ex illa occultatione, quodque adauctum non fuiſſet, ſi illa occultatio non interfuiſſet. Pro ſolutione

Recole quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus II. de emptione, & vendit. prænot. 6. num. 3.* ſcilicet augentes, vel minuentes rerum pretia ex monopolijs intra limites pretij ſupremi, & infimi peccare quidem læthaliter, non tamen teneri ad aliquam reſtitutionem; quamobrem hac in re conſiderandum primò eſt, an pretium, quod fuit adauctum ex occultatione pecuniæ illius campſoris præpotentis ſit intrà limites iuſti pretij, quod regulariter fuiſſet ex vſu fori in illis nundinis, an ſuperexcedens tales limites. Secundò, an ex tali occultatione ex fine pretium cambiorum augendi contraxerit noxam Monopolæ, cum non conuenerit cum alijs, ſed ex ſe ipſo hoc præſtiterit, quamuis effectus reſultarit, perinde ac ſi cum alijs conueniſſet; Tertio ex ſuppoſitione, quod ex tali occultatione pretium creuerit vltra limites pretij ſupremi, examinandum erit ad quid teneatur tùm in ordine ad cambia per ſe ipſum inita, tùm in ordine ad alia inita per alios. 2

Augentes ex monopolio pretium rerum intra limites iuſti peccant, non tamen obligantur ad reſtitutionem

Reſpondeo primò, ſi pretium non adauctum fuerit ſuprà ſupremum, quod regulariter fuiſſet, ſi non interueniſſet illa occultatio, nec campſor eo fine ex alijs pecunias congregauerit, vt ijs occultatis pretium quoad cambia augeret, nec peccauit læthaliter, nec ad aliquam reſtitutionem obligandus eſt. Prima pars videtur, quodamodò contrà *Malletum in auro Theologiæ moralis tom. 2. de præceptis Decalogi malleatione 58. Tract. 17.* Secunda pars eſt conformis ijs, quæ docuimus *tom. primo ſub tit. Contractus II. prænot. 6.* Probatur prima pars. Malitia non conſurgit, nec ex læſione iuſtitiæ commutatiuæ, nec legalis, nec ex prauo fine operantis, nec ex aliqua damnificatione campſuariorum contrà iura, ergo ibi nulla eſt. Antecedens quoad primam partem euincitur, quià in contractibus, qui ineuntur per ipſum campſorem, ſeruatur debita, & proportionata æqua- 3

Inductione fit manifeſtum ex nullo capite oriri malitiam.

Digitized by Google

æqualitas, quam reſpicit iuſtitia commutatiua, quæque non conſiſtit in indiuiſibili, ſed admittit latitudinem intra pretium ſupremum, & infimum.

Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem. Nulla lex obſiſtit, quo minus poſſit quis res ſuas vendere pretio ſupremo, niſi per media iuribus obſiſtentia neceſſitatem inducat ad emendum tali determinato pretio ſupremo, ſed in data hypotheſi campſor per talia media non inducit neceſſitatem, ergo nulla lege obſiſtente poterit illo pretio vendere, adeòque etiam per contractum cambij permutare. Minor probatur, quia iura tantum prohibent, ne quis congreget omnes merces in aliquo genere, omneſque pecunias eo fine, vt poſteà eueniente talium rerum, ſeu pecuniarum inopia cum augmento pretij poſſit proferre, vt late diximus contrà Dardanarios *ex l. annonam ff. de extraord. criminibus ſub tit. Contractus II. de empt. & venditione prænot. 6. num. 7.* & ne quis cum alijs conſpiret ad cælandas res, vel pecunias in aliquo genere, vt pretium augeatur, vel ad non vendendas tales res, niſi tali determinato pretio per ipſos conuento, vt latè diximus *ſub eod. tit.* ſed campſor neque præſumitur congregare omnes illas pecunias ab alijs acquirendas eo fine, ſed eaſdem habere acquiſitas iuſto titulo independenter ab illo fine, nec conſpirare cum alijs ad cælandum, vel ad non contrahendum, niſi tali determinato pretio, ergo &c.

Nec congregat ex fine augendi, nec cum alijs conſpirat.

Dices, iuſtitiam legalem reſpicere, ne bono communi noceatur, campſor autem ſic occultans eidem iuri communi videtur nocere, cum faciat pretia cambiorum augeri ſuprà quam quod augerentur, ſi non foret illa occultatio. Sed contrà, quia nocumentum non eſt, vbi ſeruatur congrua, & proportionata æqualitas, nec ſtante tali æqualitate iuſtitia legalis quid aliud prohibet, niſi exprimat; exprimit autem dumtaxat, quandò congregantur pecuniæ, vel merces eo fine, vt ipſorum pretia augeantur, vel quandò fit conſpiratio modo, quo ſupra, non autem quandò ſua bona non vult humanis commercijs exponere, niſi pretio, quod ex vſu fori reputetur ſupremum, vt eueniret in caſu noſtro.

Iuſtitia legalis prohibet ſolum ne quis congreget ex fine augendi.

Dices ſecundò, campſor in cauſa eſſet, ne campſuarij poſſent cambia recipere, vel infimo, vel medio pretio, quæ certè tali pretio ſine tali occultatione reciperent. Sed contrà, quia campſor non intendit directè, niſi propriam vtilitatem per actiones ſibi licitas, & à iure non prohibitas, qui proptereà non poteſt dici cauſa iniuſta talis augmenti, ſeu neceſſitatis recipiendi cambia cum tali augmento; Quod ſi dixerimus *ſub eodem tit. Contractus II. d. prænot. 7. num. 3.* conſpirantes peccare, quandò augent pretium etiam intra ſupremum, quià priuant ciues libertate contrahendi pretio minori, quo certè contraherent ſine tali conuentione, ea non obſtant præſenti inſtituto, eo quià illud augmentum eſſet per media à iure prohibita, nempè per conſpirationem, quod in præſenti inſtituto non obueniret. Ad hanc reſponſionem corroborandam adduci poſſunt ea, quæ dicta ſunt *ſub eodem tit. Contractus II. de emptione, & vendit. Diſquiſ. 4. §. 6. num. 2.* nempè ex venditione rerum propriarum diminuentes vulgare pretium ex vſu fori non peccare contrà alios, cum præcisè vtantur iure ſuo, ergo neque augentes in contractibus per ſe initis peccant contrà alios, cum etiam vtantur iure ſibi non prohibito.

Directè intendit ſolum propriã vtilitatẽ.

Paritas ex alibi dictis deducta.

Dices tertiò, illam occultationem, ex qua augetur pretium cambiorum æquiualere conſpirationi; perinde enim ſe habet occultare pecunias, quarum copia quis gaudet, vt vendat pretio ſupremo, ac conuenire cum alijs, qui etiam copia earundem gaudent, ne vendantur pretio, niſi ſupremo, ergo, ſi quis ex conſpiratione cum alijs augendo pretium ad ſupremum peccat, peccabit etiam qui ex occultatione idem pretium auget, ſeu cauſa eſt, vt augeatur. Sed contrà, quià, quamuis quoad effectum videatur pariformitèr procedere occultatio, & conſpiratio, illa tamen à iure non prohibetur, ſicuti iſta, & vnuſquiſque poteſt re ſua diſponere ad libitum, dummodò non egrediatur à limitibus debitæ æqualitatis, non tamen poteſt iure reluctante cum alijs conſpirare, vt ad inuicem foueantur ad diſponendum dumtaxat cum tali pretio, cum talis modus conſpirationis aduerſetur tum iuribus, tùm naturali æquitati.

Probatur idem antecedens quoad tertiam partem. Titius operans in data hypotheſi non eſt prauus nec ex obiecto, nec ex iuribus obſiſtentibus, nec ex modo, ergo &c. Antecedens quoad primam partem patet, quià obiectum talis intentionis eſt æqualitas non excedens debitum iuſtitiæ, cum ſit intrà limites iuſti; quoad ſecundam euincitur ex ſupradictis in probatione

Non peccat ex obiecto, nec ex iuribus obſiſtentibus, nec ex modo.

præ-

præcedentis partis; quoad tertiam ſic probatur, quia ſi modus eſſet vitioſus, maximè ex occultatione ob finem quid magis lucrandi, ſed talis occultatio vitioſa non eſt, cum nulli iuri aduerſetur, non naturali, cum congruum naturæ cuiuſcunque ſit intrà limites iuſti, quod magis eſt intendere, & procurare; non poſitiuo, cum nullibi de ipſo conſtet, ergo &c. Deindè liberum eſſe campſori ſupponitur pecunias ſuas exponere commercijs, vel non exponere, ergo poteſt eaſdem occultare, & quandò placuerit exponere ſine labe peccati. Conſequentia probatur, quia nemo peccat ea præſtando, ad quæ liber eſt, quæque liberè poteſt, libertas etenim verſatur circà ea, quæ iuſtè poſſumus, vel non poſſumus; illud autem non poſſumus; quod de iure non poſſumus *l. nepos Proculo ff. de verb. ſignif. & 22. quæſt. 2. c. faciat homo*. Quod ſi ſupponas, campſorem teneri ex vi ſui muneris pecunias ſuas exponere, tunc certè non eximerem à labe peccati ſic occultantem, eo quià contrà debitum ſui muneris, quod ex non expoſitione conſurgeret, ipſius malitiæ eſſet imputandum.

Probatur tandem idem antecedens quoad quartam partem, quià campſuarij non habent ius, vt ſibi tribuantur cambia, vel infimo, vel medio pretio, ergo non damnificantur ex eo, quod ab eiſdem exigatur pretium ſupremum. Antecedens probatur, quià extantibus diuerſis pretijs intrà limites iuſti ius eſt penes transferentem ad velle transferre tali, & non tali pretio, nec ille, in quem transfertur, poteſt iuſte cogere ad transferendum diuerſo pretio. Conſequentia etiam ſic euincitur, quià nemo damnificatur in eo, ad quod non habet ius; Neque dicas, non habere quidem ius, vt ſibi cambia medio, vel infimo pretio concedantur, habere tamen ius, ne ex alicuius campſoris opera pretia cambiorum augeantur, & quod non tollatur, quin poſſit ab alijs habere minori pretio, contrà enim impugnaberis, nam habet quidem ius, ne augeatur per ius, quod augenti non competat, vel per media, quæ per iura prohibeantur, non autem, ne augeatur per iura competentia ipſi augenti intrà limites debitæ æqualitatis, & iuſtitiæ, cum enim campſor ſit abſolutè dominus poteſt quidem iuſtè nolle transferre, niſi tali determinato pretio, quod ſit iuſtum, eo modo, quo venditor poteſt iuſtè nolle res ſuas vendere, niſi pretio ſupremo; quod, ſi ex tali determinatione conſurgat augmentum in pretio etiam reſpectu aliorum, hoc non inuoluit reſpectu eiuſdem aliquam iniuſtitiam; ſicuti non inuoluit iniuſtitiam, quod etiam reſpectu aliorũ venditorum diminuatur rerum pretium ex eo, quod ipſe vendat res ſuas pretio infimo, vt dicebamus ſuprà *cit. tit. Contract. 2. Diſq. 4. §. 6.*

Campſarius non habet ius vt ſibi cambia tribuantur tali, vel tali pretio, ſed ſolũ ad æqualitatem.

Probatur iam ſecunda pars reſponſionis. Onus reſtitutionis non conſurgit, niſi ex læſione iuſtitiæ commutatiuæ, ſed per cambia inita pretio ſupremo iuſtitia commutatiua læſa non eſt, ergo &c. Minor probatur, quia ſeruatur æqualitas ex vſu fori inter datum, & acceptum, ſeu reſtituendum attentis omnibus circunſtantijs, & conditionibus. Recole, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub eod. tit. Contractus II. de empt., & vendit. Diſq. 4. §. 6. nu. 2., & 3.*

Onus reſtitutionis non conſurgit, niſi vbi læditur æqualitas.

Reſpondeo ſecundò, ſi ex tali occultatione pretium creuerit ſuprà ſupremum, tenetur ad reſtitutionem exceſſus reſpectu cambiorum per ſe ipſum initorum. Probatur, pretium, quod exigitur ſuprà ſupremum eſt ſuprà æqualitatem, quam exigit iuſtitia commutatiua, ergo qui illud exigit ex iuſtitia commutatiua tenetur exceſſum reſtituere ad conſtituendam æqualitatem, quam reſpicit eadem iuſtitia commutatiua. Antecedens ex ſe videtur clarum, quià, quod eſt extrà limites pretij infimi, medij, & ſupremi non eſt intrà limites iuſti, quos reſpicit, & inter quos includitur iuſtitia commutatiua. Conſequentia etiam tenet, quià ex læſione iuſtitiæ commutatiuæ conſurgit onus reſtitutionis.

Dices, æqualitatem, quam reſpicit iuſtitia commutatiua, non ſemper eſſe eandem, ſed variari ex vſu fori iuxta variationem temporum, & circunſtantiarum, quod potiſſimum contingit in cambijs, quæ pretium deſumunt maius, vel minus, ſecundum quod in nundinis maior, vel minor copia pecuniarum, maior vel minor exigentium, vel concedentium numerus interuenit, ergo, ſi ex vſu fori pro talibus nundinis tale pretium ſtatuatur, campſor proferendo ſuas pecunias ad æqualitatem talis pretij ex vſu fori inducti non lædet iuſtitiam commutatiuam; non enim ipſe ſtatuit tale pretium, ſed eidem iam ſtatuto ſe accomodat, accomodare autem ſe pretio legitimè ex vſu fori conſtituto non eſt lædere iuſtitiam commutatiuam. Sed contrà, fateor primò pretium cambiorum non ſemper eſſe idem in omnibus nundinis, ſed va-

va-

Digitized by Google

variari iuxtà varietatem temporum, & circunſtantias &c. Secundò ſe accomodare pretio ritè, & legitimè conſtituto non eſſe lædere iuſtitiam commutatiuam, quamuis illud pretium conſideratis alijs, quæ ſi interuenirent, illud pretium non augeretur (ſcilicet non occultatio illius pecuniæ) dici poſſet excedere ſupremum; nego tamen in hypotheſi reſponſionis non teneri ad reſtitutionem exceſſus ſuprà ſupremum, quod fuiſſet, ſi non interueniſſet occultatio. Ratio eſt, quià campſor per talem occultationem in cauſa fuit augmenti ſuprà ſupremum, quod non fuiſſet, ſi non interueniſſet occultatio, ergo tenetur illud compenſare, ſeu reſtituere. Conſequentia probatur, quià qui cauſa damni eſt, damnum tenetur compenſare, quià qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur *l. qui occidit §. in hac quoque actiones ff. ad leg. Aquil.* qui autem per occultationem propriæ pecuniæ fuit in cauſa augmenti, eſt cauſa damni, quod ſequitur campſuarijs quoad tale augmentum, ergo &c.

Non ſe accomodat præcisè pretio ſtatuto, ſed in cauſa eſt, vt ſtatuatur.

Vrgebis, non teneri quemquam res ſuas proferre, & exponere, ne pretium earundem rerum augeatur; ſemel autem adaucto pretio poſſe quemcunque ſe illi conformare, vt latè diximus ſuprà de eo, qui per monopolas conſtituto determinato pretio, ad quod conſtituendum ipſe non concurrit, poteſt ſine aliqua labe ſe tali pretio accomodare, eo quià non communicat in conſpiratione ad tale pretium, & poteſt res ſuas commutare iuxtà pretium tunc decurrens ex vſu fori, quomodocunq; illud conſtitutum ſit. Sed contra, quia qui funguntur publico munere iure legali ſic diſponente tenentur proferre, ne aliquod commune damnum obueniat; non enim alia ratione iura prohibent monopolia, ſeu conſpirationes plurium de non vendendis rebus, niſi certo, & per eos taxato pretio, & ne quis congreget omnes merces in aliquo genere eo fine, vt non proferat, niſi tali pretio, niſi quià hoc cedit in maximum indigentium præiudicium, æquè autem tale præiudicium obuenit, ſiuè quis congreget, vt non proferat, niſi adaucto pretio, ſiuè apud ſe retineat, & occultet ex fine, vt illarum pretium adaugeatur. Ad id, quod ſubditur, fateor, quod qui non fuit in cauſa, vt pretium augeatur, adaucto tali pretio in ſuis rebus vendendis, vel commutandis poſſit eidem ſe accomodare, illudque exigere, nego autem hoc fieri poſſe per eum, qui cauſa fuit per media à iure prohibita talis incrementi.

Reſpondeo tertiò, in hypotheſi præcedentis reſponſionis obligari etiam ad reſtitutionem exceſſus reſpectu cambiorum per alios initorum. Ratio multiplex eſſe poteſt. Prima, quia campſuarij ius habent, vt compenſentur in illo exceſſu, in quo ſunt damnificati, ſed ius non habent aduerſus campſores, à quibus immediatè acceperunt cambium ad pretium cum illo exceſſu, ergo aduerſus campſorem, qui fuit in cauſa illius exceſſus. Maior patet, quia, qui eſt damnificatus ſuprà debitam æqualitatem in contractibus, eſt ex iuſtitia commutatiua compenſandus, ſiquidem iuſtitia commutatiua efficit, ne quis minus habeat, quam habere debeat, & ne plus habeat, quam habere debeat. Minor probatur, quia alij campſores extante illa pecuniarum penuria, & multitudine mercatorum exigentium cambia poſſunt iuſtè exigere illud pretium, quod, quamuis, ſi non extaret illa penuria, eſſet iniuſtum, & ſupra limites debiti, non eſt tamen iniuſtum illa extante; rerum enim pretia ex alibi dictis augentur ex earundem rerum penuria, & emptorum, ſeu exigentium multitudine, & quæ iuſta ſunt in his, vel illis circunſtantijs poſſunt eſſe in alijs iniuſta, & inæqualia. Confirmatur, quià, ſi re vera campſor, qui aſſeritur præpotens, quique occultauit pecunias, eaſdem non haberet, alij campſores non læderent iuſtitiam, ſi exigerent illud pretium, & ad reſtitutionem non tenerentur, ergo neque tenentur ex eo, quod ille campſor pro illo tempore pecunias occultarit, quas habebat, ex quo ſecutum fuerit illud incrementum. Conſequentia probatur, quia in ordine ad campſuarios, & alios campſores perinde ſe habet, quod ille campſor occultarit, ac ſi non habuerit, ergo illa occultatio referenda eſt in ipſum campſorem, non in alios, adeoque eidem debet incumbere onus reſtituendi, non alijs. 5

Campſores extante pecuniarū penuria poſſunt exigere pretium, quod cõmune eſt ex vſu fori.

Dices primò, ex quo attentis illis circunſtantijs penuriæ pecuniarum, & multitudinis exigentium ad cambium pro illo tempore, quo non apparebat pecunia occultantis, illud pretium adauctum ex vſu fori reputaretur iuſtum, nullum ius conſurgere in campſuarijs exigendi compenſationem illius exceſſus, quandòquidem verè pro illo tempore, pro quo inita ſunt cambia, illa pecuniarum penuria aderat, & per accidens omninò eſt reſpectu cambio-

rum antecedentèr initorum, quod poſteà illa pecuniarum multitudo apparuerit, eo modo, quo omninò per accidens eſt reſpectu contractuum emptionis, & venditionis celebratorum tempore penuriæ cum incremento pretij, quod poſteà ſuperueniat maxima mercium copia in illo genere, nec illa copia, quæ ſuperuenit, vitiat pretium contractuum antecedentèr initorum, ſiquidem illud pretium pro illo tempore iuſtum erat. Sed contrà, quià, quamuis attentis illis circunſtantijs pretium illud præſumatur iuſtum, quià tamen illæ circunſtantiæ obuenerunt ex malitia, & dolo occultantis non iuſtificant actum, quantum eſt ex parte occultantis, quinimmò ſunt cauſa læſionis reſpectu campſuariorum, quæ certè læſio non adeſſet, ſi non fuiſſet illa occultatio. Res eo modo ſe habet, quo iuxtà dicta *tom. primo ſub tit. Contractus II. de emptione, & venditione præ not.* 7. ſi quis fraudulentèr impediret, ne merces aliquæ inducerentur in vrbem, in qua magna eſt ipſarum penuria, vt interim merces ſuas in illa ſpecie maiori pretio venderet, certè videretur vendere iuſto pretio attenta illa penuria, quià tamen ipſe ex dolo penuriam induxiſſet, non eximeretur à labe iniuſtitiæ, &, ſi pretium illud, quod exigit in illa penuria, excederet ſupremum, quod fuiſſet, ſi illa penuria non interueniſſet, teneretur ad reſtitutionem.

Penuria pecuniarum non iuſtificat actum ex parte occultantis ex malitia, & dolo.

Dices ſecundò, ex ſparſim alibi dictis, & fuſiùs dicendis, dum de reſtitutione, ordo iuſtitiæ exigit, vt primò reſtituat, qui habet rem, in qua alter læſus eſt, ſecundò vt in ſubſidium dumtaxat ipſius ille, qui fuit cauſa iniuſtæ acceptionis, ſed ipſe campſor occultans reſpectu cambiorum cum alijs initorum non habet exceſſum, in quo campſuarij læſi ſunt, ergo ipſe non tenetur reſtituere, niſi ad ſummum in ſubſidium illorum, qui exceſſum receperunt. Sed contrà, quià tunc tantum primo loco tenetur reſtituere, qui habet rem acceptam, quandò illam iniuſtè detinet, non autem quandò detinet ex legitimo contractu ritè celebrato ſecundum æqualitatem requiſitam ex vſu fori; tunc etenim reſpectu ipſius attentis illis circunſtantijs, de quibus ſupra, & iuſtitia ſeruatur, nec vllus exceſſus ſuprà debitum eiuſdem iuſtitiæ conſideratur, adeòque non eſt, cur obligetur ad aliquam reſtitutionem, eo modo, quo nulla eſt iniuſtitia, nullumque onus reſtitutionis reſpectu illius, qui neſciens de aliorum monopolio ſe accomodat in venditione rerum ſuarum vſui fori, ſecundum quem communitèr illæ res in illa ſpecie venduntur tanti, quanti ſtatutum eſt vendi per monopolium, de quo ipſe non habet ſcientiam; neq; vrgeas, ſi contractus ille habet æqualitatē ex vſu fori ſtantibus illis circunſtantijs, ergo campſuarius non habet ius ad aliquam compenſationem, ſiquidem nulla eſt obligatio reſtitutionis, vbi in contractu ſeruatur æqualitas requiſita ex iuſtitia ad contractum; contrà enim adhuc impugnaberis; nam licet reſpectu illius contractus ſeruetur proportionata æqualitas, non ſeruatur tamen talis æqualitas, ſeu iuſtitia ad conſtituendum proportionatum pretium pro tali contractu, quod certè non prouenit à contrahentibus tali pretio iam inducto, ſed ex malitia inducentis tale pretium, adeòque campſuarij cognita tali malitia ex cauſa incrementi quoad pretium ius habent, vt per ipſum compenſentur, qui contrà iuris ordinem cauſam dedit, non aduerſus alios, qui contraxerint iuxtà æqualitatem debitam ex vſu fori pro illo tempore.

Qui rem detinet, non tenetur primo loco reſtituere, niſi quādo iniuſtè detinet.

Dices tertiò, quod, quamuis contractus ex intentione, & bona fide contrahentium non ſit iniuſtus, ſit tamen iniuſtus in ſe ob inæqualitatem ſuprà ſupremum; bona autem fides licet excuſet à noxa in contrahendo, non tamen excuſat ab onere reſtitutionis cognita inæqualitate contrahentes cum illo exceſſu, ea proportionali ratione, qua quis bona fide emens rem aliquam pretio citrà infimum exiſtimans illud eſſe iuſtum cognito poſteà errore, ſeu iniuſtitia tenetur congruum pretium erogare. Sed contrà, quia contractus ne dum ex bona fide contrahentium, ſed etiam in ſe ipſo eſt iuſtus, vtpotè celebratus ſecundum æqualitatem, quæ tunc temporis communis erat ex vſu fori, communis etenim æſtimatio pro aliquo determinato tempore conſtituit debitam æqualitatem inter rem, & pretium iuxtà modum contrahendi debitum in tali genere; vndè, ſi quæ eſt inæqualitas, non eſt in ipſo contractu ſuppoſitis illis circunſtantijs comparatiuè ad contrahentem, ſed eſt in modo, quo conſtituitur tale pretium, & inducuntur tales circunſtantiæ augentes motiuum pretij comparatiuè ad ipſas inducentem ex dolo, & fine iniquè lucrandi. Ex quo patet diſcrimen inter contractus, de quibus hic loquimur, & contractum illum emptionis, de

Ille contractus non ſolū eſt iuſtus ex bona fide contrahentium, ſed etiam ob æqualitatem iuſtam pro illo tempore.

Digitized by Google

de quo in inſtantia, cum pretio citeriori ad infimum; in illis etenim interuenit æqualitas non ſolum iuxtà æſtimationem priuatam contrahentium, ſed etiam iuxtà communem ex vſu fori, quæ legitimè pretium conſtituit; in iſto verò interuenit ſolumodò æqualitas apprehenſa, & priuata iuxtà æſtimationem contrahentis, quæ non ſatis eſt ad conſtituendum legitimum pretium, non autem vera, & communis ex vſu fori.

Secunda ratio eſſe poteſt, quià ex alibi dictis, ſi quis currenti pretio licet per monopolas conſtituto, cum quibus tamen non conuenit, quinimmò ignorat pretium adauctum eſſe ex conſpiratione, vendat ſuas merces, nullam labem contrahit, nec obligatur ex iuſtitia ad aliquam reſtitutionem, ſeu compenſationem, ergo, neque obligabitur ad aliquam reſtitutionem, nec aliqua labe inficietur, qui ſtatuto pretio ex vſu fori cambia init, quamuis tale pretium adauctum fuerit ex doloſa occultatione determinati campſoris. Conſequentia probatur, quià, in tantum in præcedenti hypotheſi venditor non tenetur ad aliquam reſtitutionem, ſeu compenſationem, in quantum ex vſu fori ſeruat æqualitatem, nec concurrit ad conſpirationem pro augmento pretij, ſed etiam alij campſores ab occultante contrahunt ad æqualitatem ex vſu fori tunc contingentem, nec communicant cum illo in augmento pretij, ergo &c. Confirmatur, quià, ſi quis impediret, ne merces aliundè in vrbem traicerentur eo fine, vt ipſe poſſet ſuas in illa ſpecie maiori pretio vendere, vel commutare, & alius, qui non concurrit ad impediendum talem traiectionem, venderet res ſuas pretio, quo venduntur durante penuria, nulla labe inficeretur, nec ad aliquam reſtitutionem teneretur, etiam ſi illud pretium excederet ſupremum in hypotheſi, quod merces aliundè eſſent translatæ, ergo &c.

Ignorans pretium adauctũ eſſe ex conſpiratione nullam labẽ contrahit, ſi vendat illo pretio.

§. XVIII.

An, ſi pecunia in valore legali decreſcat, quæ fuerat depoſita penes campſorem, vt illas implicaret in cambijs, quaque campſor in proprijs negotijs vſus fuerat, antequam implicaretur in cambijs, decreſcat campſori, an deponenti.

SVMMARIVM.

Proponitur difficultas in caſu particulari. 1.
Rationes dubitandi pro vtraque parte. 2.
Depoſitum duplex, aliud regulare, aliud irregulare. 3.
Depoſitum, vel poteſt eſſe tale titulo depoſiti, vel ſocietatis. 4.
Campſor ex vi depoſiti præcisè præſcindendo ab ordine ad cambium, ſi vtatur depoſito in ordine ad proprios vſus, tenetur idem reſtituere ſecundum valorem, quem habebat tempore, quo illo vſus eſt. 5.
Si campſor depoſitam habuerit pecuniam titulo ſocietatis præcisè, & illa vſus fuerit in proprios vſus, tenetur reſtituere ſecundum valorem, non quem habebat, ſed diminutum. 6.
Valet etiam, ſi eandem aſſecurarit, & valor fuerit ex facto Principis dimminutus. 7.

Diſquiſitio XVIII. Depoſuerat quidam Nobilis valorem centum 1
nummorum aureorum in pecúnia minuta, nempe in tot ſolidis materiæ imperfectæ, quorum vſus communis erat in Prouincia Mediolanenſi, vt illis negotiaretur in cambijs apud campſorem. Antequam implicarentur in negotijs, ad quæ erant deſtinati, campſor illis vſus eſt in proprias vtilitates eo animo, vt adueniente opportunitate cambiorum æqualem quantitatem ſubſtitueret. His ſic ſtantibus emanauit edictum Principis, quo immutatus fuit valor talis pecuniæ, & redactus ad medietatem valoris, quem prius habebat. Orta fuit controuerſia, an valor ille fuerit dimminutus deponenti, an verò campſori, adeo vt, ſi deponens velit retrahere, teneatur campſor, vel reſtituere ſecundum valorem, quem habebat pecunia, quandò depoſita fuit, an verò tantum ſecundum valorem dimminutum.

Status difficultatis proponitur.

Ratio dubitandi ex eo conſurgit, 2

 quod,

quod, cum campſor ea pecunia vſus fuerit in propriam vtilitatem pro tempore maioris valoris, eamque vtilitatem conſecutus fuerit, videtur teneri ad compenſationem ſecundum eum valorem, ſecundum quem percepit illam vtilitatem; illam etenim percepit ex re aliena pro tempore, pro quo tanti illa pecunia valebat, quanti valoris erat vtilitas, quam ex ipſa percepit. Rationes hinc inde militantes. Rurſus, cum illa pecunia depoſita amplius non extet, ſed fuerit conſumpta pro tempore tanti valoris, videtur reſtituenda ſecundum illum valorem, quem habebat pro tempore, pro quo fuit conſumpta. Ex alia parte, cum depoſitum, qua depoſitum eſt, non importet translationem dominij in depoſitarium, non videtur importare, quod ſi res pereat, vel decreſcat, debeat perire, vel decreſcere depoſitario, ſed deponenti, nam ſi res perit, domino perit. Rurſus, quià depoſitum, qua depoſitum eſt, non exigit, niſi vt res eadem ſecundum numerum, & quantitatem reſtituatur, nec depoſitarius tenetur ad caſus fortuitos *l. 1. §. quod autem dolus ff. depoſiti*, nec hanc conditionem deperdit in pecunijs ex eo, quod depoſitarius eiſdem vtatur, nam in rebus vſu conſumptibilibus, cuiuſmodi eſt pecunia, depoſitarius habet facultatem vtendi, ſi ſciat, ſe certò habiturum, quandò depoſitum repetetur, tantundem eiuſdem menſuræ, & bonitatis *Silueſter verbo depoſitum num.* 10., *Molina diſp.* 524., *Leſſius lib. 2. c. 27. dub. 2. nu.* 8. nec item talem conditionem deperdit ex eo, quod ex pecunijs depoſitis quid lucretur, nam illud lucrum eſt potius fructus induſtriæ, quam pecuniæ. Pro ſolutione

3 Aduerte depoſiti duplex quodamodò eſſe genus; aliud, quod dicitur, irregulare, aliud regulare. Primum eſt, quod fit cum translatione dominij, vt aſſerunt *Rol. à Val. conſ.* 17. *in cauſa ſub num. 6. verſ. quibus lib.* 1., *Caroc. part.* 1. *quæſt. 2. num.* 21. *f.* 4. qua ratione videtur deponi pecunia numerata, idem *Caroc. d. p. prima quæſt. 3. nu.* 6. quinimmò *Baldus in l. incendium C. ſi certum petatur* aſſerit, quod in dubio videtur translatum dominium in depoſitarium, quià conſuetum eſt, quod reddatur, & detur ad numerum, & præſumitur, quod conſuetum eſt, vndè, ſi depoſitarius in hac hypotheſi eam pecuniam contractat, non facit furtum *Baldus in d. l. incendium per l. penul. ff. de cond. ob cau.* Ratio horum omnium videtur in eo fundari, quià huiuſmodi depoſitum induit naturam mutui *Bartolus in l.* 4. *ſi quis nec cauſam num.* 3. & 4. *ff. ſi certum petatur*. *Nauarrus in man. Confeſ. c.* 17. *de pec. circa depoſita num.* 180. *in fin. Dec. in l. certi conditio §. vlt. num.* 4. *ff. ſi certum petatur*, & depoſitarius tenetur tantundem reſtituere, & per interitum pecuniæ depoſitæ non liberatur, quià genus perire non poteſt. Secundum genus eſt, per quod non transfertur dominium rei depoſitæ, & tunc eſt, quandò deponitur res non mutabilis, qualis eſt veſtis, equus & ſimilia *Scaccia tractatu de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampl. 3. num.* 21. & etiam quandò deponitur pecunia in ſacculo obſignata *Baldus in l. incendium C. ſi certum petatur* tunc enim videtur deponens prohibuiſſe, niſi aliud diceretur expreſſe *l. ſi ſacculum ff. depoſiti, & l. licet §. ei ff. eod. tit.*

Aduerte ſecundò, deponentem in data hypotheſi diſquiſitionis poſſe dupliciter conſiderari; primò, prout depoſuit illam pecuniam quodamodò titulo ſocietatis, vt campſor illam negotiaretur in cambijs periculo eiuſdem deponentis; Secundò, pro vt illam depoſuit, vt campſor nomine proprio negotiaretur aſſumendo in ſe quodamodò periculum eo modo, quo diximus tom. primo, dum de triplici contractu. Primo modo, quamuis videatur deponens non transferre dominium in campſorem, ſed apud ſe ipſum retinere quoad vſque in negotiatione cambiorum implicetur, pro vt tamen pro tempore antecedente ad negotiationem cambij campſor ea vtitur in propriam vtilitatem alio contractus genere probabiliter ſibi ſuadens, quod depoſitor non ſic inuitus, tunc videtur ex præſumptione iuris pro illo tempore quoad effectum quaſi gaudere dominio, quatenus lucrum, quod ex illius vſu acquirit, ſibi acquirit, dummodò certus ſit, quod tempore implicationis ad cambia, vel reſtitutionis, ſi caſus euenerit, ſimilem pecuniam ſit habiturus *Couaruuias lib. 3. var. c. 15. num. vlt.* Secundo modo eodem modo ſe habet deponens, ac contrahens triplici contractu, de quo propterea eadem dicenda ſunt, quæ dicta fuerunt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris diſquiſ. 6. §.* 8. quæ ibi recole. His pro notitia ſuppoſitis. 4

Dupliciter poteſt eſſe depoſita pecunia, vel titulo ſocietatis, vel depoſiti præciſè.

Reſpondeo primò. Campſor ex vi depoſiti præciſè, qua depoſitum eſt, pecuniæ præſcindendo ab ordine, quem pecunia depoſita habet ad cambium, ſi ea vtatur ad proprios vſus tenetur eandem reſtituere ſecundum valorem, 5

lorem,

Digitized by Google

lorem, quem habebat tempore depoſiti, ſi fuerit pecunia ad numerum, vel vſus. Ratio eſſe poteſt, quia augmentum, vel decrementum pertinet ad dominum rei, cui ſit tale incrementum, vel decrementum, ſed ex præallegatis in primo notabili, quandò deponitur pecunia numerata, dominium eiuſdem transfertur in depoſitarium, ergo eidem depoſitario pecunia creſcit, vel decreſcit, ſi incrementum, vel decrementum ſit poſt acquiſitum ab eodem dominium.

Augmentum, vel decremētum pertinet ad dominū rei, cui ſit augmentum, vel decrementum.

Dices primò, quotieſcunque depoſitum ſit in re ſecundum determinatam quantitatem, numerum, pondus, & menſuram, non eſt onus reſtitutionis, niſi rei eiuſdem, vel æqualis in eadem quantitate, pondere, & menſura, ergo, cum genus illud non pereat, poteſt cōgruè, & iuſtè ſatisfacere tot retribuendo in eadem quantitate, numero, & menſura, quot accepit, adeòque ipſe ſtare non tenetur decremento. Sed cōtra, ea, quæ dicuntur, procedunt dumtaxat in depoſito regulari, non irregulari, de quo nos loquimur, in quo, cum transferatur dominium, reſtituendum eſt ſecundum valorem, quem habebat idem depoſitum tempore translationis, ſeu tempore vſus; neque abſolutè verum eſt in depoſito irregulari reſtituendam ex neceſſitate eſſe ſolummodò eandem rem ſecundum eandem quantitatem, numerum, & menſuram, niſi ſumatur ſecundum quantitatem, & menſuram legalem, ſeu vſualem, & ſic, cum valor legalis in data hypotheſi nō ſit idem, ac antea, debet adæquari per maiorem numerum eiuſdem pecuniæ, vel compenſari in pecunia alterius ſpeciei ad æqualitatem valoris, quem habebat. Hæc omnia è contrario ſenſu deduci poſſunt ex ijs, quæ diximus *tom. primo ſub tit. Contractus III. pranot.* 10. *aſſert.* 4. *n.* 4. *verſ. probatur quarta particularitèr p.* 183., quæ ibi recole; compenſatio etenim in rebus translatis ſecundum dominium facienda eſt ad æqualitatem iuxtà valorem legalem, non ſecundum materialem quantitatem.

Non valent, quæ dicuntur in depoſito irregulari.

Dices ſecundò, ſi deponens eas non tradidiſſet campſori, illi decremento ſubiacuiſſet, ergo etiam eidem debet ſubiacere, quamuis eas tradiderit. Conſequentia probatur, quià ipſas tradendo, cum non tradiderit titulo lucratiuo, non habet maius ius acquirendi, ac ſi non tradiderit, ergo &c. Sed contrà, neganda eſt conſequentia, quià quamuis non tradiderit titulo lucratiuo, quia tamen à ſe abdicauit dominium cum iure acquirendi æquiualens, habet ius ad recipiendum æquiualens pro tempore, pro quo abdicauit. Deindè, ſi non tradidiſſet, ſubiacuiſſet decremento, quià eſſet Dominus, decrementum etenim rei ſpectat ad dominum eiuſdem rei, & per conſequens, ſi tradiderit, non debet ſubiacere, quia amplius non eſt dominus.

Dices tertiò, depoſitarius, qua depoſitarius eſt, ſimplicitèr cuſtos eſt, ſed cuſtos, qua cuſtos eſt, incremētum rei, qua res eſt, non acquirit, ſed ad ſummum incrementum ex induſtria dependenter à tali re, ergo nec ſubiacere debet decremento rei, qua res eſt, ſed tantum decremento, prout prouenit ex defectu debitæ cuſtodiæ, & diligentiæ. Sed contrà, depoſitarius, qua depoſitarius eſt depoſiti regularis eſt quidem ſolum ſimplicitèr cuſtos, non ſic depoſitarius depoſiti irregularis, qua ratione gaudet dominio rei depoſitæ, quæ proptereà, ſi incrementum ſumit, ipſi cedit, ſi decrementum, eidem imputatur, & licet teneatur rem depoſitam ad inſtantiam deponentis reſtituere, non propterea deſinit eſſe dominus, ſicuti ex eo, quod mutuatarius debeat mutuum reſtituere ad inſtantiam mutuantis, non proptereà ceſſat eſſe dominus rei mutuatæ.

In data hypotheſi non eſt ſimplicitèr cuſtos, ſed dominus

Probatur ſecundò, iuſtitia commutatiua reſpicit, ne quis plus habeat, quam habere debeat, ſed, ſi decrementum in hypotheſi noſtræ ſententiæ cederet deponenti, non depoſitario, hic plus haberet, quam habere debeat, ergo &c. Minor probatur, quià pro quinquaginta, quæ deberet reſtituere, recepiſſet centum, quibus in vſu gauiſus eſt; Neque dicas primò, depoſitarium gauiſum fuiſſe centum fuiſſe fructum induſtriæ ipſius eo modo, quo dictum fuit fuiſſe fructum induſtriæ miniſtri deferentis pecunias nomine ſui principalis ad creditorem in alium locum, qui, ſi in itinere commutauit cum alia pecunia diuerſæ ſpeciei, & lucrum aliquod inde acquiſiuit, lucrum illud ſibi acquiſiuit, non dominò; contrà enim impugnaberis, quia illi centum pro illo tempore, quo fuerunt exacti, non ſunt propriè fructus induſtriæ, ſed iuſta cōpenſatio pecuniæ, cuius vſu gaudet depoſitarius, quæ propterea ex vi dominij cedit eidem depoſitario, non ex vi præciſè induſtriæ; ex quo patet diſcrimen ab eo, qui alio defert pecunias ſui domini, eaſdemque in itinere commutat cum lucro; nam hic non acquiſiuit domi-

Depoſitarius plus haberet, quā habere debeat.

Diſcrimen inter famulum lucrantem ex pecunia domini cōmutata, & inter depoſitarium &c.

dominium pecuniæ, quam defert, vndè, ſi quid acquirit per commutationem, acquirit non ex vi dominij, ſed dumtaxat ratione induſtriæ annuente potius, quam reluctante domino, qui, cum abdicarit à ſe pecuniam alio deferendam ſecundum valorem, quem habet in loco, in quo abdicat, non videtur curare, quod alibi commutetur cum lucro, dummodò deferatur ad locum, ad quem eſt deſtinata ſecundum illum valorem, ſecundum quem ipſe erogauit.

6 Reſpondeo ſecundò. Si campſor pecuniam depoſitam quodamodò acceptarit titulo ſocietatis, vt illa negotiaretur in cambijs periculo deponentis, & interim ante celebrationem cambiorum ea vſus fuerit in propria commoda accedente edicto Principis, per quod diminuatur valor eiuſdem pecuniæ modo, quo ſuprà, non tenetur compenſare in reſtitutione, niſi iuxtà valorem dimminutum. Prima ratio deſumi poteſt *ex l. Quintus ff. depoſiti* vbi habetur, *qui promiſit prouidentiam pecuniæ depoſitæ tenetur ad vſuras, ſi eas perceperit, vel in ſuos vſus conuerterit*, ergo ex hoc iure pariformiter ſe habet ſuppoſita acceptatione pecuniæ titulo ſocietatis campſor, qui implicat pecuniam in negotiatione cambiorum, ac qui illam conuertit in ſuos vſus, ſed quandò eſt implicanda in negotiatione cambiorum titulo ſocietatis, ſi ex facto Principis dimminuatur in valore, diminuitur deponenti, non campſori, ergo &c. Conſequentia prima, & ſecunda probatur, quià qui æqualibus gaudet priuilegijs in ordine ad aliquem contractum, ſiuè vnum fiat, ſiuè alterum æqualibus debet ſubeſſe oneribus, ergo &c. Subſumpta minor probatur, quià pecunia expoſita titulo ſocietatis periculo eius manet, qui eam exponit, quantum eſt ex vi contractus; vnde benè dicitur, quod ſocietas non valet, cum vnum ex ſocijs lucrum conſequi poteſt, nullum autem damnū pati *Gloſ. in c. pleriq; 14. quæſt. 3., Baldus, & alij in l. 1. C. pro ſocio Ioannes Cephal. conſ. 248. num. 34. vol. 2.*

Pecunia expoſita ſocietati periculo eius manet, qui eam exponit.

Dices primò, ex dictis in præcedenti reſponſione. Ex vſu, quem habuit campſor in proprium commodum, arguitur, quod dominium pecuniæ in ipſum fuerit translatum, & propterea, ſi valor decreſcit, ipſi decreſcat, ſed etiam in hypotheſi huius ſecundæ reſponſionis campſor vtitur eadem pecunia in propriam vtilitatem, ergo &c. Sed contrà; vſus quidem in rebus vſu conſumptibilibus, & præcipuè in pecunia numerata arguit quidem acquiſitionem pecuniæ in eo, qui vtitur, & conſumit in propriam vtilitatem, quandò res, ſeu pecunia ſimpliciter tribuitur ad vtilitatem depoſitarij ſine alio reſpectu, vt euenit in hypotheſi præcedentis reſponſionis, non ſic autem, quandò conceditur ſub alio reſpectu principalitèr intento, qui eſſentialiter non infert abdicationem dominij à concedente, vt euenit in caſu præſenti, in quo, cum pecunia concedatur titulo ſocietatis, per quam res tradita manet periculo concedentis, cum damna, & lucra in ſocietate communicentur *Bartolus in l. vnus in princip. ff. pro ſocio*, & ſocietas non valeat, in qua quis partem lucri vult percipere capitali ſuo ſaluo *Decius conſ. 116.* hinc eſt, quod ſemper tranſeat cum illo reſpectu, niſi aliter per ſpeciales conuentiones actum ſit; vndè vſus eſt in hoc caſu ex tacita conceſſione dantis non recedendo tamen à reſpectu principali, ad quem, & ob quem data res, ſeu pecunia fuit, & in vſu ſic accepto ſemper præſumitur, quod ſit ſubſtituenda alia res ſecundum valorem, quem ſortiretur res ipſa in vſu conſumpta, ſi non fuerit conſumpta, vt ſaluetur reſpectus principalis, ad quem fuit conceſſa.

Damna, & lucra in ſocietate cōmunicatur.

Dices ſecundò. Poteſt deponens, antequam pecunia per campſorem implicetur in negotiatione cābiorum, ipſam de manu eiuſdem reuocare, ergo, ſi fuerit implicata in vſus campſoris, perindè erit, ac ſi fuerit conceſſa ſine titulo ſocietatis, adeòque cum translatione dominij, & ſic, ſi decreuerit in valore, dicendum erit decreuiſſe eidem campſori modo, quo diximus in præcedenti reſponſione. Sed contrà, quia, quamuis poſſet reuocare, hoc eſſet per reciſcionem quodamodò contractus ſocietatis antecedentèr initi ante eiuſdem complementum, vndè pro illo tempore, pro quo non fuit reuocata, pecunia remanebat apud campſorem titulo præciſè ſocietatis, quæ non importat translationem dominij, adeòque non facit decrementum pertinere ad campſorem, qui non eſt dominus; nec vſus aliquid infert, quod opponatur huic reſponſioni, cum ſit dumtaxat ex permiſſione dantis firmo tamen manente pro illo tempore contractu ſocietatis, ad quem principalitèr data eſt pecunia.

Vſus eſt ex permiſſione dantis firmo tamen manēte pro illo tempore cōtractu ſocietatis.

Ratio ſecunda eſſe poteſt, quià per traditionem pecuniæ titulo ſocietatis non eximitur tradens à periculo peremptionis eiuſdem pecuniæ, ſi ob nau-

fra-

Digitized by Google

fragium, vel aliud infortunium deperdatur, ergo neque eximitur ex eo, quod ex facto Principis, vel ob aliam cauſam etiam in valore decreſcat. Antecedens patet *ex Gloſa in l. ſocietatem C. pro ſocio conformitèr ad l. verum §. intereunt ff. eodem tit.* Conſequentia probatur, quia quotieſcunque periculum quoad totum ſtat penes vnum, debet etiam quoad partem, ſeu diminutionem valoris manere penes eundem, &, ſicuti quod operatur augmentum in fauorem domini, quantum ad augmentum, ità diminutio quantum ad diminutionem *arg. l. ſi ex toto ff. de legatis* 1.

Dices *ex gloſ. cit. in l. ſocietatem C. pro ſocio* iuxtà *l. 1. §. fin. ff. eodem* pecuniam, quæ traditur in ſocietatem in dubio præſumi communicatam, adeòque in diuiſione ſocietatis debere inter contrahentes diuidi, ergo decrementum totum non debet pertinere ad concedentem, ſed tantum pro parte. Sed contrà, placet reſponſio, quam adducit *Iacob. de Aret. apud eandem gloſ. in margine* negans talem præſumptionem communicationis, eo quià ſequeretur, quod præſtans operas haberet lucrum, & alius damnum, & ſic eſſet inæqualitas. Ad textum *ex l. 1. ff. pro ſocio* reſponde, illum procedere, quandò ſocij ſua bona communicant in initio contractus ſinguli tribuendo ad proportionem, qui propterea debent etiam ad proportionem communicare in diuiſione. Lege textum, qui ſic habet. *In ſocietate omnium bonorum omnes res, quæ coeuntium ſunt continuo communicantur.*

7 Reſpondeo tertiò, ſi campſor recipiens titulo ſocietatis pecuniam, eandem aſſecurauit modo, quo diximus, dum de triplici contractu *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. VI.* §. 8. & pecunia decreuerit in valore ex facto Principis, adhuc non tenetur reſtituere ſecundum valorem, quem prius habebat tempore traditionis, ſed dumtaxat ſecundum valorem dimminutum, niſi fuerit expreſſum, quod teneatur ex quocunq; caſu dimminutionis etiam inopinato. Ratio primæ partis eſt, quià illud decrementum ex facto Principis obueniens præter conſuetum reputatur inter caſus fortuitos inſolitos, cum eidem hominis prouidentia non poſſit reſiſtere *l. 1. §. ſi eo tempore ff. de adminiſ. rer. ad ciuit. pertin. l. quæ fortuitis C. de pign. act. &c. cum Ioannes de homicidio*; caſus autem fortuitus inſolitus non nocet obliganti

Dimminutio ex facto Principis computatur inter caſus fortuitos inſolitos.

ſe ad conſueta *l. fiſtulas §. fin. cum Gloſ. in verbo immoderatè ff. de contrah. empt. Bartolus in l. Seio. §. medico ff. de an. leg.* Rurſus campſor per aſſecurationem aſſumit dumtaxat in ſe pericula rei, ſeu pecuniæ aſſecuratæ, ſed appellatione periculi non venit caſus fortuitus *gloſa in l. opus ff. loc.* quod aliqui limitant, niſi tale verbum nihil operaretur, quia tunc comprehendit etiam caſum fortuitum *l. item quæritur §. ſi gemma ff. locat.* quod certè non euenit in caſu noſtro, in quo aſſumptio periculi poteſt aliquid operari, vt per ſe patet. Rurſus pericula, quæ in ſe aſſumit aſſecurans, ea ſunt, quæ obuenire poſſunt, vel ex traiectione, vel ex negotiatione, ad quam traditur pecunia aſſecurata, non quæ æquè obuenire poſſunt, ſiuè pecunia eſſet tradita campſori aſſecuranti, ſiuè remaneret penes tradentem; non enim congruè onus aſſecurationis imponitur pro periculo, quod non obuenit intuitu contractus, vel dependenter ab illo; ſed illud decrementum ex facto Principis non obuenit, nec occaſione contractus, nec dependenter ab illo, ſed æquè obueniſſet, ſiuè contractus fuiſſet, ſiuè non, ergo &c. Rurſus depoſitarius non tenetur ad onera, & pericula, quæ obueniunt ex facto partis deponentis, ſiquidem quod tua cauſa factum eſt, non debet mihi imputari, *l. nam poſtea in fin. ff. de iure iur.* ergo neque ad ea, quæ obueniunt ex facto Principis. Conſequentia probatur, quià ex præſumptione iuris factum Principis æquiparatur facto partis *Bart. in l. eleganter in fin. ff. de pignoratitia actione*. Tandem illud decrementum in hypotheſi, de qua hic agitur, fuit inductum ex imperfectione materiæ non aſcendentis ad valorem, quem prius ex vſu fori habebat, ſed quod prouenit ex imperfectione materiæ ſtat infortunio concedentis *d. l. item quæritur §. ſi gemma ff. locati* vbi dicitur, quod, ſi peremptio vitio materiæ facta ſit, non ſit ex locato actio; neque obſtat id, quad ſubditur *ex eadem l. item quæritur* nempè *huic ſententiæ addendum eſt, niſi periculum in ſe quoque artifex receperit, tunc etiam ſi vitio materiæ id euenerit, erit ex locato actio*; non obſtat, inquam, quià, vt bene notat *Gloſa ibi verb. niſi periculum* per ly *periculum* intelligitur lato modo caſus fortuitus, nam periculum, vt præciſè periculum importat quodamodò culpam, ex qua obligatur, etiam ſi expreſsè non aſſumpſerit tale periculum!

Nomine periculi non venit caſus fortuitus.

Æquè periculũ obueniſſet, ſiuè pecunia fuiſſet tradita, ſiuè non.

Quę proueniunt ex imperfectione materiæ ſtant infortunio concedentis.

Ratio ſecundæ partis eſt, quià volun-

lun-

Digitized by Google

luntates legitimè contrahentium omnimodè conſeruandæ ſunt *l. de ſocietate C. pro ſocio* ſed ex eo, quod campſor ſe obligarit ad omnes caſus fortuitos voluntatem ſuam expreſſit de ſubeundo onere etiam in eiſdem caſibus fortuitis, inter quos potiſſimũ eſt dimminutio ex facto Principis, ergo &c. Vide *Alexandrum in l. Titius col. 2. ff. de lib. & poſth.* vbi loquitur de inſolito, & improuiſo, *& Ioannem de Ripa in ſuo tractatu de teſt. in ſecunda part. col. 3. fol. 8. verſic. quæro primo.*

---

§. XIX.

An pecunia decreſcat tradenti eam ad cambium, ſi decreſcat, antequam alter reſtituerit, an verò recipienti.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Rationes pro vtraque parte diſputandi. 2.
Decrementum in data hypotheſi cedit campſori. 3.
Campſor non retinet pecuniam nomine tribuentis, ſed proprio. 4.
Soluuntur rationes dubitandi. 5.

1 DIſquiſitio XIX. Tradiderat Titius hic Mediolani valorem centum nummorum aureorum in moneta minuta, puta in tot ſolidis, vt correſpondens pretium per ſuum reſpondentem ſibi Romæ reſtitueret, in ordine ad quod campſor literas dederat. Antequam literæ Romam mitterentur, ex facto Principis pecunia tradita fuit pro medietate in valore dimminuta. Contendebat campſor decrementum cedere tradenti talem pecuniam, eo quià contractus nondum erat perfectè completus. Quæritur quid iuris? Pro quo

2 Aduerte, ſeu potius recole ea, quæ dicta ſunt ſub hoc eodem *tit. Contractus V. de cambijs* 1. *prænot.* 1. *num.* 4. in cambio transferri dominium per ſolam traditionem rei permutatæ etiam ante complementum per traditionem pecuniæ promiſſæ ex altera parte iuxta *l. cum precibus C. de rerum permut.* vbi dicitur, quod, ſi res ex cauſa permutationis tradita alteri vendatur, nec recipiens impleuerit conuenta, contrà emptorem nulla actio competat, ſed contra eum, qui recepit, vt ſoluat conuenta, quod manifeſtè infert tranſlationem dominij rei traditæ; quod

In cambio transfertur dominiũ pecuniæ traditæ etiã ante complementum ex altera parte.

idem habetur in *Gloſa in l. permutationem C. eodem* vbi legitur. *In venditione non transfertur dominium, niſi pretio ſoluto, licet res tradita ſit, ſecus in permutatione, vt inſtit. de rer. diuſ. §. per traditionem, & §. venditæ.* His poſitis

Reſpondeo, decrementum cedere campſori recipienti. Ratio eſt, quia, ſi res decreſcit, decreſcit domino, ſicuti, ſi res perit, domino ex vulgatis iuribus perit, ſed ex præallegatis iuribus recipiens pecuniam, vt alibi reſtituat, fit dominus talis pecuniæ, ſiquidem per traditionem in eundem transfertur dominium, ergo &c. Confirmatur. Valor rei inſpicitur ſecundum tempus contractus, & valor rei, quandò agitur de euictione ex empto, inſpicitur tempore, quo euincitur, ſecus de euictione ex ſtipulatu, vt euenit in caſu noſtro, *l. Titius primo, & ibi Bartolus in 2. not. ff. de act. empt.* ſed contractus cambij tunc perficitur, quandò pecunia traditur, & literæ recipiuntur, vt ad locum mittantur, vbi facienda eſt reſtitutio, ergo ſecundum illum valorem illius temporis, pro quo contractus initus eſt, compenſanda eſt. Confirmatur ſecundò, quia, ſi poſt traditam pecuniam valor eiuſdẽ augeretur campſor non teneretur ad compenſationem augmenti, ergo nec eximeretur in hypotheſi decrementi ab onere ſoluendi receptum ſecundum valorem tempore contractus. 3

Valor rei inſpicitur ſecundum tẽpus contractus, quandò euincitur ex ſtipulatu.

Adde primò, quod campſor recipiens pecuniam eam non retinet nomine tribuentis, ſed immediatè ius acquirit nomine proprio de illa diſponendi, & quidem ſecundum valorem, quem habebat tempore traditionis, ergo, ſi decreuit, ſibi decreuit, non tradenti, adeòque tenetur ad reſtitutionem ſecundum conuenta tempore contractus. 4

Campſor non retinet pecuniam nomine tribuentis, ſed proprio.

Adde ſecundò, quod tradens pecuniam ad cambium, vt ſibi alibi reſtituatur, ius habet, & actionem ad complementum contractus per alteram partem faciendum, ſed contractus initus eſt ſecundum valorem, quem habebat pro illo tẽpore ante dimminutionem, ergo ius habet ad complementum ſecundum illum valorẽ non dimminutum. Minor probatur, quià ex dictis *tom. primo ſub titulo Contractus I. Prænot.* 4. in contractibus innominatis, quandò vnus ſatiſfecit, alter non, actionem habet, qui ſatiſfecit ad complementum. Minor etiam euincitur, quià valor inſpicitur ſecundum tempus contractus *l. ſi procuratorem in principio ff. mandat.* & in ſtipulationibus terminus, in

Digitized by Google

in quo contrahitur, eſt magis inſpiciendus, quam terminus ad quem *l. ſi filius familias ff. de verb. oblig.*

Ad id, quod in contrarium aſſerebatur,
5 quod contractus non eſt perfectè completus, dicendum eſt gratis omninò hoc aſſeri, cum per traditionem ex vna parte pecuniæ, & literarum dationem ex altera contractus huiuſmodi compleantur, vt ex allegatis iuribus in notabili. Deindè quandò ex vna parte ſatisfactum eſt, ius habet, qui ſatisfecit ad complementum, quod, ſi valet in contractibus innominatis, à fortiori valet in nominatis, quibus fortius ius aſſiſtit, vt alibi dictum eſt.

---

§. XX.

Cui cedat periculum pecuniæ reſtituendæ poſt ſolutionem factam per campſuarium, & literarum dationem à campſore.

SVMMARIVM.

Exponitur caſus in particulari. 1.
Si reſpondens in decoctionem deuenerit, pecunia non perit campſario, ſed eſt per campſorem reſtituenda. 2.
Vergente reſpondente in decoctionem campſor, qui recepit pecuniam in determinata ſpecie, tenetur eandem reſtituere ſecundum valorem, quem habebat tempore receptionis. 3.
Traditis nummis argenteis in vno loco cum onere, vt alibi reſtituantur in eadem ſpecie, ſi interim decreſcant, reſtituendi ſunt ſecundum valorem, quem prius habebant in loco, quo ſunt reſtituendi, ſi decreuerint dumtaxat in loco, in quo literæ fuerunt datæ, & ab eodem remiſſæ inanes. 4.
Secus ſi decreuerint in vtroque. Ibid.
Campſor non eximitur ab onere reſtitutionis, etiam ſi reſpondens, ad quem literæ diriguntur, & vergit in decoctionem, ſit debitor eiuſdem campſoris, & acceptet literas. 5.
Qualitas debitoris non inducit nouationem, nec delegationem. 6.
Si reſpondens decoxerit, & literæ redijerint inanes, non tenetur campſor ad reſtitutionem prouiſionis. 7.

DIſquiſitio XX. Titius poſt traditionem pecuniæ ſuæ factam cam-
1 pſori, vt alio in loco reſtituat, in quo ea indiget, acceptiſque ab eodem literis directis ad reſpondentem campſoris eiuſdem, eaſdem miſit, ſed, cum reſpondens in decoctionem deuenerit, literæ inhabiles, & ſine effectu redierunt: Orta hinc fuit controuerſia, an illa pecunia perierit Titio, an verò ſit per campſorem eidem compenſanda, & reſtituendum intereſſe ſolutum.

Reſpondeo, illam pecuniam nullatenus perijſſe Titio, ſed per campſorem 2
reſtituendam. *Sigiſmundus Scaccia tract. de commertijs §. 2. gloſ. 5. num. 246., & n. 315., & 322., Ioannes Baptiſta Lupus in c. Nauiganti §. 2. ſub nu. 20. de vſuris, Baldus conſ. 349. factæ fuerunt ſub num. 2. lib. 1.*, atque hanc eſſe communem mercatorum Genuenſium conſuetudinem teſtatur *Rota Genuenſis deciſ. 2. erat ſub nu. 40., & 41.*

Probatur primò, quià campſor, qui accepta pecunia dedit ſoluenti literas cambij non liberatur ab onere reſtitutionis, etiam ſi ille, ad quem literæ diriguntur, eas acceptet, non tamen ſoluat *Rota in vna Romana literarum cambij ven. 3., & 12. Martij 1595. nu. 1., & ſeq. coram Sacrato, & in alia Romana literarum cambij ven. 11. Decembris 1602. num. 1. coram Cardinali Aragonio impreſſ. apud Marcheſ. de commiſ. part. 1. §. 2. n. 49. fol. 872., & in vna Romana Cambiorum Lunæ 9. Iunij 1605. coram Cardin. Ludouiſio in recollectis per Statil. Pacif.* ergo à fortiori non liberatur, quandò ille, ad quem literæ fuerunt directæ, non acceptauit, ex quacunque cauſa prouenerit, quod non acceptarit *ead. Rota Genuenſis deciſ. 4. dum indicauit nu. 7. & 8.*

Probatur ſecundò, quià præciſa acceptatio literarum facta per creditorem non habet nec in ſe, nec ex diſpoſitione iuris vim ſolutionis, vt latè *Raphael de Turri diſp. 2. q. 12. num. 7.* quià illa acceptatio literarum eſt veluti ſcriptura debiti contracti, cum debitum cambij contrahatur, & probetur per literas cambij *Scaccia §. 2. gloſ. 5. num. 315.* ergo, cum aliundè non ponatur aliquid, quod habeat vim ſolutionis, ſemper obligatus remanet principalis debitor, quouſque ponatur ſolutio, vel aliquid, quod vim habeat ſolutionis. Confirmatur, quià creditor acceptans illas literas eaſdem non acceptat, vt per illas eximatur à iure, ſed vt nudum mandatum iniunctum ei, cui diriguntur, vt ſoluat, & ipſe fungitur præciſè munere nuntij, ergo, ſi non acceptentur, nec ſoluatur debitum in eiſdem contentum non eximitur mandans ab onere compenſationis. Conſequentia probatur, quià purum mandatum ad ſoluendum, non habet vim ſolutionis, niſi fuerit per executionem conſummatum, vel per quid aliud Cardinalis

Acceptatio literarum eſt veluti ſcriptura debiti cõtracti.

Digitized by Google

nalis in clem. prima 3. oppoſ. de procurat. nec quis mandatum dicitur acceptare recipiendo literas mandati, niſi quid aliud faciat *idem Cardin. ibidem.* Confirmatur ſecundò, quià in quolibet contractu debet ex vi propria conſurgere obligatio ex vtraque parte *Vulpianus l. labeo 2. ff. de verb. ſignif. & l. 3. ff. de pollicitationibus,* ſed ex parte reſpondentis nulla inducta fuit obligatio, ſed tantum ex parte campſoris recipientis pecuniam, ergo obligatio reſtituendi adhuc remanet apud eundem campſorem, qui non liberatur ab onere reſtitutionis, niſi reſpondens ſoluerit. Minor probatur, quia ipſe reſpondens nullum præſtitit conſenſum, nec creditor præſumitur, quandò etiam reſpondens acceptaſſet, acquieſcere acceptationi, niſi quatenus ſequatur ſolutio de facto; ipſa enim acceptatio facta per reſpondentem, vt bene notat *Scaccia loc. cit. num.* 303. non eſt nouus contractus inter ipſum acceptantem, & creditorem, ſed eſt pars contractus literarum cambij. Confirmatur tertiò, quià, ſi campſor, qui pecuniam ab altero recepit, & literas dedit, vt alibi reſtituatur, ſubſtituiſſet aliquem, quem ſciret, non ſoluturum, non eximeretur ab onere reſtitutionis, ergo neque eximendus eſt à tali onere, ſi ille, ad quem literas direxit, propter decoctionem factus ſit impotens ad ſoluendum. Antecedens patet ex verbis Bullæ Pij V. relatæ *ſub hoc eodem titulo Contractus V. de Cambijs l. Prænot. 6. num.* 1. in quibus vſuraria declarantur cambia, per quæ *ij, qui pecuniam recipiunt, literas quidem ſuas cambij tradunt, ſed ità mittuntur, vt tranſacto tempore, vndè proceſſerant inanes referantur.* Conſequentia probatur, quià, in tantum in caſu antecedentis non eximitur ab onere reſtitutionis campſor, in quantum non eſt in loco, in quo pecunia eſt reſtituenda, reſpondens, qui reſtituat, ſed etiam quandò reſpondens fuit decoctus, ibi non eſt, qui reſtituat, ergo &c.

Non cõſurgit obligatio ex parte reſpondentis.

Argumẽtum deductum ex Conſtit. Pij V.

Dices primò, in primo caſu non eximi ab obligatione reſtituendi, eo quia ſciebat reſpondentem non eſſe ſoluturum, in ſecundo autem eximi, eo quià non dubitabat de ſolutione futura per eundem reſpondentem, cum pro eo tempore, quo literas dedit, in communi æſtimatione ille eſſet idoneus. Sed contrà, quià notitia, vel ignorantia præcedens de impotentia reſpondentis ad ſummum infert dolum, vel negationem doli in principali debitore literas mittente, non autem ipſum deobligat, vel eximit ab obligatione reſtituendi, ſi reſpondens ſoluendo non ſit. Ratio eſt, quià onus reſtituendi non ſolum conſurgit ratione iniuſtæ acceptionis, ſed etiam ratione rei acceptæ, quæ vtique eſt in debitore, quouſque, vel per ipſum, vel per alium loco eiuſdem fiat ſolutio in effectu, vel aliquid ponatur loco ſolutionis; nec ex eo, quod habeat ignorantiam de impotentia reſpondentis, tollitur, quin habeat rem alienam, & teneatur ratione rei acceptæ, ſiquidem ignorantia non facit meũ, nec tuum, quod meum, vel tuum non eſt; ſi enim ego tradam in extinctionem debiti, vel aliquod, quod non ſit meũ, vel aliquod creditum, quod non ſit ſubſiſtens, quamuis ignorem meum nõ eſſe, vel non ſubſiſtere, propriè non dicor extinguere, eo quià ignorantia non facit meum, nec ſubſiſtere, quod meum non eſt, nec ſubſiſtit. Hinc etiam dico in terminis huius inſtantiæ, quod ignorantia, quæ præſumitur in campſore de impotentia reſpondentis ad ſoluendum propter decoctionem non efficiat, quod ille, qui non eſt ſoluendo, ſi non ſoluerit, extinguat debitum, quod ipſius campſoris eſt; ſicuti enim ignorantia non facit meum, quod meum non eſt, ità non facit, quod meum non eſt ratione debiti fiat meum.

Ignorantia præcedens de impotentia reſpõdentis eximit quidem à dolo non ab onere reſtituendi.

Ignorantia non facit meũ nec tuũ, quod meum, vel tuum non eſt.

Dices ſecundò ex dictis *in præcedenti diſquiſit. n.* 2. in cambio per ſolam traditionem pecuniæ dominium eiuſdem acquiritur etiam ante complementum per traditionem pecuniæ promiſſæ ex altera parte *l. cum precibus ff. de rerum permut.* ergo, cum loco, & ſcontro eiuſdem pecuniæ per campſorem acquiſitæ quoad dominium fuerint literæ expeditæ, & acceptatæ à creditore, periculum earundem debet pertinere ad ipſum creditorem. Conſequentia probatur, quia, cum dominium pecuniæ fuerit acquiſitum per campſorem, ſi illa pecunia, vel decreſcat, vel pereat, decreſcit, & perit eidem, ergo etiam, cum literæ fuerint acceptatæ per creditorem, ſi decreſcant, vel pereant, decreſcunt, & pereunt eidem. Sed contrà neganda eſt conſequentia, quià literæ non dantur, vt complementum contractus, ſed vt nudum mandatum ad complementum, nec creditor eas recipit abſolutè cedendo iuri, ſed tantum conditionatè, ſi per eas fiat ſolutio, quæ propterea, ſi ſuum non conſequantur effectum, non demunt ius creditoris ad exigendam pecuniam traditam, vel æquiualentem; nec ex hoc ſequitur, quod dominium pecuniæ

Literæ non dantur, vt complementum contractus, ſed vt purum mandatum.

non

Digitized by Google

non fuerit perfectè acquiſitum per campſorem, ſed tantum, quod ratione eiuſdem dominij acquiſiti ſubierit onus, intuitu cuius teneatur aliter ſatisfacere, ſi ſatisfactio non ponatur per ſolutionem literarum.

Duplex ratio dubitandi proponitur.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an, ſi creditor ſoluerit campſori pecuniam in determinata ſpecie, & campſor literas dederit ad reſpondentem, qui interim, ac literæ mittuntur, vergat in decoctionem, teneatur idem campſor pecuniam, quam acceperat reſtituere ſecundum valorem, quem habebat tempore traditionis, an ſecundũ valorem dimminutum, ſi contigerit intrà illud tempus ex facto Principis illum valorem dimminui. Secunda eſt, an ſi reſpondens, ad quem per campſorem diriguntur literæ pro ſolutione, fuerit debitor eiuſdem campſoris, & literas acceptarit, eximatur principalis debitor ab onere reſtitutionis, ſi idem reſpondens ante literarum ſatisfactionem ad decoctionem deuenerit.

Ad primam dicendum eſt, teneri reſtituere ſecundum valorem, quem habebat tempore ſolutionis factæ per creditorem. Eſt conformis ijs, quæ diximus *in praeced. §. num. 2., & 3. iuxtà Gloſam in l. permutationem C. de rer. permut.*, & ratio eſt, quia per talem ſolutionem translatum eſt dominium pecuniæ in campſorem *l. cum precibus C. eod. tit.* cui propterea debet cedere quodcunque incrementum, vel decrementũ ex vulgatis iuribus; Nec obſtare poteſt, ſi afferatur, per non ſolutionem literarum ob decoctionem reſpondentis fieri reſolutionem prioris contractus, qui proinde ſe habet, ac ſi non fuerit initus; inuoluit enim ex ſe implicitè pactum merè conditionale, ſi reſtitutio fiat per ſolutionem literarum eo modo, quo conuentum eſt, quo pacto non purificato contractus euaneſcit, & redditur ab initio nullus, nullumque transfert dominium abſolutum, & proindè incrementum, vel decrementum ad eum pertinet, cuius erat pecunia, cum etiam eiuſdem remaneat. Lege ea, quæ diximus *tom. primo ſub tit. Contractus II. de empt. & vendit. Praenot. 4. num. 9. verſ. aduerte ſecundò in fine*.

Non eſt reſolutio prioris contractus, ſed mera compenſatio pecuniæ.

Sed contra, quià omninò gratis dicitur eſſe reſolutionem prioris contractus, ſed eſt mera compenſatio pecuniæ verè, & propriè ſolutæ per creditorem, quæ compenſatio, ſeu reſtitutio, cum facta non fuerit per reſpondentem in loco, ad quem literæ fuerunt directæ, facienda eſt per principalem debitorem, quod euincitur ex eo, quod diximus ſuprà, transferri ſcilicet dominium per ſolutionem ex parte vnius factam in permutationibus, nec abſolutè verum eſt, inuolui implicitè pactum de ſubſiſtentia contractus merè conditionale, ſi reſtitutio fiat per ſolutionem literarum, nam licet in pactis reſpectiuis quamuis nudis iuxtà dicta *tom. primo ſub tit. Contractus I. de contractibus vt ſic Praenot. 4. num. 5. verſ. 3. pars* ſemper inſit tacita conditio ea ſeruandi, ſi alter ex contrahentibus ipſa ſeruarit, in contractibus tamen nominatis, niſi aliud exprimatur, ea tacita conditio, ſeu implicitum pactum intelligenda ſunt, vt conferant ius, non ad reciſcionem contractus, ſed ad complementum eiuſdem, & ad reparationem damnorum, ſi quæ contigerunt ex culpa alterius ob non implementum; vndè bene dicitur *l. rebus certa lege C. de rer. permut.* quod re tradita, vt impleantur conuenta, præſcriptis verbis actio competat, *& vt l. cum precibus C. eodem tit.* habetur, quod, ſi res ex cauſa permutationis tradita alteri vendatur, nec recipiens impleat conuenta, contrà emptorem nulla actio competat, ſed contrà eum, qui recepit, vt impleat conuenta, & ratio in eadem lege adducitur, quià ſcilicet *ab eo ſuſcepit dominium, cui res tradita titulo permutationis*, ergo per traditionem rei ex vna parte dominium eiuſdem rei acquiritur per recipientem, adeòque decrementum ad ipſum debet ſpectare, & cum debeat adimplere conuenta, debet adimplere ſecundum valorem tempore conuentionis.

Diſcrimen inter pacta nuda, & pacta veſtita.

Confirmari poteſt aſſertum, quià creditor per illam permutationem, & ſolutionem per ſe ipſum factam acquiſiuit ius ad ea, quæ continentur in literis datis, quæ ſupponuntur eſſe v. g. centum nummi aurei, ſibi ſoluenda, vel per reſpondentem Romæ, vel per campſorem Mediolani, ſed literæ continent valorem ſecundum tempus ſolutionis factæ per creditorem, ergo ius habet, vt reſtituantur ſecundum illum valorem. Minor probatur, quià ſoluens abdicando à ſe dominium pecuniæ, quam ſoluit, debet acquirere ius proportionatum, quod reſultat ex literis datis. Quod ſi ſupponas, campſorem recepiſſe tot nummos argenteos, qui interim in valore legali decreuerint, & literas dediſſe, vt tot redderentur Romæ in eadem ſpecie; tunc diſtinguendũ eſſe arbitror; vel enim valor dumtaxat dimminutus eſt in loco,

Soluendæ ſunt literæ iuxtà ſũmam, quã continent.

Digitized by Google

rum antecedentèr initorum, quod poſteà illa pecuniarum multitudo apparuerit, eo modo, quo omninò per accidens eſt reſpectu contractuum emptionis, & venditionis celebratorum tempore penuriæ cum incremento pretij, quod poſteà ſuperueniat maxima mercium copia in illo genere, nec illa copia, quæ ſuperuenit, vitiat pretium contractuum antecedentèr initorum, ſiquidem illud pretium pro illo tempore iuſtum erat. Sed contrà, quià, quamuis attentis illis circunſtantijs pretium illud præſumatur iuſtum, quià tamen illæ circunſtantiæ obuenerunt ex malitia, & dolo occultantis non iuſtificant actum, quantum eſt ex parte occultantis, quinimmò ſunt cauſa læſionis reſpectu campſuariorum, quæ certè læſio non adeſſet, ſi non fuiſſet illa occultatio. Res eo modo ſe habet, quo iuxtà dicta *tom. primo ſub tit. Contractus II. de emptione, & venditione prænot.* 7. ſi quis fraudulentèr impediret, ne merces aliquæ inducerentur in vrbem, in qua magna eſt ipſarum penuria, vt interim merces ſuas in illa ſpecie maiori pretio venderet, certè videretur vendere iuſto pretio attenta illa penuria, quià tamen ipſe ex dolo penuriam induxiſſet, non eximeretur à labe iniuſtitiæ, &, ſi pretium illud, quod exigit in illa penuria, excederet ſupremum, quod fuiſſet, ſi illa penuria non interueniſſet, teneretur ad reſtitutionem.

Penuria pecuniarum non iuſtificat actum ex parte occultantis ex malitia, & dolo.

Dices ſecundò, ex ſparſim alibi dictis, & fuſiùs dicendis, dum de reſtitutione, ordo iuſtitiæ exigit, vt primò reſtituat, qui habet rem, in qua alter læſus eſt, ſecundò vt in ſubſidium dumtaxat ipſius ille, qui fuit cauſa iniuſtæ acceptionis, ſed ipſe campſor occultans reſpectu cambiorum cum alijs initorum non habet exceſſum, in quo campſuarij læſi ſunt, ergo ipſe non tenetur reſtituere, niſi ad ſummum in ſubſidium illorum, qui exceſſum receperunt. Sed contrà, quià tunc tantum primo loco tenetur reſtituere, qui habet rem acceptam, quandò illam iniuſtè detinet, non autem quandò detinet ex legitimo contractu ritè celebrato ſecundum æqualitatem requiſitam ex vſu fori; tunc etenim reſpectu ipſius attentis illis circunſtantijs, de quibus ſupra, & iuſtitia ſeruatur, nec vllus exceſſus ſuprà debitum eiuſdem iuſtitiæ conſideratur, adeòque non eſt, cur obligetur ad aliquam reſtitutionem, eo modo, quo nulla eſt iniuſtitia, nullumque onus reſtitutionis reſpectu illius, qui neſciens de aliorum monopolio ſe accomodat in venditione rerum ſuarum vſui fori, ſecundum quem communitèr illæ res in illa ſpecie venduntur tanti, quanti ſtatutum eſt vendi per monopolium, de quo ipſe non habet ſcientiam; neq; vrgeas, ſi contractus ille habet æqualitatẽ ex vſu fori ſtantibus illis circunſtantijs, ergo campſuarius non habet ius ad aliquam compenſationem, ſiquidem nulla eſt obligatio reſtitutionis, vbi in contractu ſeruatur æqualitas requiſita ex iuſtitia ad contractum; contrà enim adhuc impugnaberis; nam licet reſpectu illius contractus ſeruetur proportionata æqualitas, non ſeruatur tamen talis æqualitas, ſeu iuſtitia ad conſtituendum proportionatum pretium pro tali contractu, quod certè non prouenit à contrahentibus tali pretio iam inducto, ſed ex malitia inducentis tale pretium, adeòque campſuarij cognita tali malitia ex cauſa incrementi quoad pretium ius habent, vt per ipſum compenſentur, qui contrà iuris ordinem cauſam dedit, non aduerſus alios, qui contraxerint iuxtà æqualitatem debitam ex vſu fori pro illo tempore.

Qui rem detinet, non tenetur primo loco reſtituere, niſi quãdo iniuſtè detinet.

Dices tertiò, quod, quamuis contractus ex intentione, & bona fide contrahentium non ſit iniuſtus, ſit tamen iniuſtus in ſe ob inæqualitatem ſuprà ſupremum; bona autem fides licet excuſet à noxa in contrahendo, non tamen excuſat ab onere reſtitutionis cognita inæqualitate contrahentes cum illo exceſſu, ea proportionali ratione, qua quis bona fide emens rem aliquam pretio citrà infimum exiſtimans illud eſſe iuſtum cognito poſteà errore, ſeu iniuſtitia tenetur congruum pretium erogare. Sed contrà, quià contractus ne dum ex bona fide contrahentium, ſed etiam in ſe ipſo eſt iuſtus, vtpotè celebratus ſecundum æqualitatem, quæ tunc temporis communis erat ex vſu fori, communis etenim æſtimatio pro aliquo determinato tempore conſtituit debitam æqualitatem inter rem, & pretium iuxtà modum contrahendi debitum in tali genere; vndè, ſi quæ eſt inæqualitas, non eſt in ipſo contractu ſuppoſitis illis circunſtantijs comparatiuè ad contrahentem, ſed eſt in modo, quo conſtituitur tale pretium, & inducuntur tales circunſtantiæ augentes motiuum pretij comparatiuè ad ipſas inducentem ex dolo, & fine iniquè lucrandi. Ex quo patet diſcrimen inter contractus, de quibus hic loquimur, & contractum illum emptionis,

Ille contractus non solũ eſt iuſtus ex bona fide contrahentium, ſed etiam ob æqualitatem iuſtam pro illo tempore.

de

Digitized by Google

de quo in inſtantia, cum pretio citeriori ad infimum; in illis etenim interuenit æqualitas non ſolum iuxtà æſtimationem priuatam contrahentium, ſed etiam iuxtà communem ex vſu fori, quæ legitimè pretium conſtituit; in iſto verò interuenit ſolumodò æqualitas apprehenſa, & priuata iuxtà æſtimationem contrahentis, quæ non ſatis eſt ad conſtituendum legitimum pretium, non autem vera, & communis ex vſu fori.

Secunda ratio eſſe poteſt, quià ex alibi dictis, ſi quis currenti pretio licet per monopolas conſtituto, cum quibus tamen non conuenit, quinimmò ignorat pretium adauctum eſſe ex conſpiratione, vendat ſuas merces, nullam labem contrahit, nec obligatur ex iuſtitia ad aliquam reſtitutionem, ſeu compenſationem, ergo, neque obligabitur ad aliquam reſtitutionem, nec aliqua labe inficietur, qui ſtatuto pretio ex vſu fori cambia init, quamuis tale pretium adauctum fuerit ex doloſa occultatione determinati campſoris. Conſequentia probatur, quià, in tantum in præcedenti hypotheſi venditor non tenetur ad aliquam reſtitutionem, ſeu compenſationem, in quantum ex vſu fori ſeruat æqualitatem, nec concurrit ad conſpirationem pro augmento pretij, ſed etiam alij campſores ab occultante contrahunt ad æqualitatem ex vſu fori tunc contingentem, nec communicant cum illo in augmento pretij, ergo &c. Confirmatur, quià, ſi quis impediret, ne merces aliundè in vrbem traicerentur eo fine, vt ipſe poſſet ſuas in illa ſpecie maiori pretio vendere, vel commutare, & alius, qui non concurrit ad impediendum talem traiectionem, venderet res ſuas pretio, quo venduntur durante penuria, nulla labe inficeretur, nec ad aliquam reſtitutionem teneretur, etiam ſi illud pretium excederet ſupremum in hypotheſi, quod merces aliundè eſſent tranſlatæ, ergo &c.

Ignorans pretium adauctũ eſſe ex conſpiratione nullam labẽ contrahit, ſi vendat illo pretio.

§. XVIII.

An, ſi pecunia in valore legali decreſcat, quæ fuerat depoſita penes campſorem, vt illas implicaret in cambijs, quaque campſor in proprijs negotijs vſus fuerat, antequam implicaretur in cambijs, decreſcat campſori, an deponenti.

SVMMARIVM.

Proponitur difficultas in caſu particulari. 1.
Rationes dubitandi pro vtraque parte. 2.
Depoſitum duplex, aliud regulare, aliud irregulare. 3.
Depoſitum, vel poteſt eſſe tale titulo depoſiti, vel ſocietatis. 4.
Campſor ex vi depoſiti præcisè præſcindendo ab ordine ad cambium, ſi vtatur depoſito in ordine ad proprios vſus, tenetur idem reſtituere ſecundum valorem, quem habebat tempore, quo illo vſus eſt. 5.
Si campſor depoſitam habuerit pecuniam titulo ſocietatis præcisè, & illa vſus fuerit in proprios vſus, tenetur reſtituere ſecundum valorem, non quem habebat, ſed diminutum. 6.
Valet etiam, ſi eandem aſſecurarit, & valor fuerit ex facto Principis dimminutus. 7.

DIſquiſitio XVIII. Depoſuerat quidam Nobilis valorem centum nummorum aureorum in pecúnia minuta, nempe in tot ſolidis materiæ imperfectæ, quorum vſus communis erat in Prouincia Mediolanenſi, vt illis negotiaretur in cambijs apud campſorem. 1
Antequam implicarentur in negotijs, ad quæ erant deſtinati, campſor illis vſus eſt in proprias vtilitates eo animo, vt adueniente opportunitate cambiorum æqualem quantitatem ſubſtitueret. His ſic ſtantibus emanauit edictum Principis, quo immutatus fuit valor talis pecuniæ, & redactus ad medietatem valoris, quem prius habebat. Orta fuit controuerſia, an valor ille fuerit dimminutus deponenti, an verò campſori, adeo vt, ſi deponens velit retrahere, teneatur campſor, vel reſtituere ſecundum valorem, quem habebat pecunia, quandò depoſita fuit, an verò tantum ſecundum valorem dimminutum.

Status difficultatis proponitur.

Ratio dubitandi ex eo conſurgit, 2

K 2 quod,

Digitized by Google

quod, cum campſor ea pecunia vſus fuerit in propriam vtilitatem pro tempore maioris valoris, eamque vtilitatem conſecutus fuerit, videtur teneri ad compenſationem ſecundum eum valorem, ſecundum quem percepit illam vtilitatem; illam etenim percepit ex re aliena pro tempore, pro quo tanti illa pecunia valebat, quanti valoris erat vtilitas, quam ex ipſa percepit.

Rationes hinc inde militantes. Rurſus, cum illa pecunia depoſita amplius non extet, ſed fuerit conſumpta pro tempore tanti valoris, videtur reſtituenda ſecundum illum valorem, quem habebat pro tempore, pro quo fuit conſumpta. Ex alia parte, cum depoſitum, qua depoſitum eſt, non importet translationem dominij in depoſitarium, non videtur importare, quod ſi res pereat, vel decreſcat, debeat perire, vel decreſcere depoſitario, ſed deponenti, nam ſi res perit, domino perit. Rurſus, quia depoſitum, qua depoſitum eſt, non exigit, niſi vt res eadem ſecundum numerum, & quantitatem reſtituatur, nec depoſitarius tenetur ad caſus fortuitos *l. 1. §. quod autem dolus ff. depoſiti*, nec hanc conditionem deperdit in pecunijs ex eo, quod depoſitarius eiſdem vtatur, nam in rebus vſu conſumptibilibus, cuiuſmodi eſt pecunia, depoſitarius habet facultatem vtendi, ſi ſciat, ſe certò habiturum, quandò depoſitum repetetur, tantundem eiuſdem menſuræ, & bonitatis *Silueſter verbo depoſitum num. 10., Molina diſp. 524., Leſſius lib. 2. c. 27. dub. 2. nu. 8.* nec item talem conditionem deperdit ex eo, quod ex pecunijs depoſitis quid lucretur, nam illud lucrum eſt potius fructus induſtriæ, quam pecuniæ. Pro ſolutione

3 Aduerte depoſiti duplex quodamodò eſſe genus; aliud, quod dicitur, irregulare, aliud regulare. Primum eſt, quod fit cum translatione dominij, vt aſſerunt *Rol. à Val. conſ. 17. in cauſa ſub num. 6. verſ. quibus lib. 1., Caroc. part. 1. quæſt. 2. num. 21. f. 4.* qua ratione videtur deponi pecunia numerata, idem *Caroc. d. p. prima quæſt. 3. nu. 6.* quinimmò *Baldus in l. incendium C. ſi certum petatur* aſſerit, quod in dubio videtur translatum dominium in depoſitarium, quia conſuetum eſt, quod reddatur, & detur ad numerum, & præſumitur, quod conſuetum eſt, vndè, ſi depoſitarius in hac hypotheſi eam pecuniam contractat, non facit furtum *Baldus in d. l. incendium per l. penul. ff. de cond. ob cau.* Ratio horum omnium videtur in eo fundari, quia huiuſmodi depoſitum induit naturam mutui *Bartolus in l. 4. ſi quis nec cauſam num. 3. & 4. ff. ſi certum petatur. Nauarrus in man. Confeſ. c. 17. de pec. circa depoſita num. 180. in fin. Dec. in l. certi conditio §. vlt. num. 4. ff. ſi certum petatur*, & depoſitarius tenetur tantundem reſtituere, & per interitum pecuniæ depoſitæ non liberatur, quià genus perire non poteſt. Secundum genus eſt, per quod non transfertur dominium rei depoſitæ, & tunc eſt, quandò deponitur res non mutabilis, qualis eſt veſtis, equus & ſimilia *Scaccia tractatu de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampl. 3. num. 21.* & etiam quandò deponitur pecunia in ſacculo obſignata *Baldus in l. incendium C. ſi certum petatur* tunc enim videtur deponens prohibuiſſe, niſi aliud diceretur expreſſe *l. ſi ſacculum ff. depoſiti, & l. licet §. ei ff. eod. tit.*

Aduerte ſecundò, deponentem in data hypotheſi diſquiſitionis poſſe dupliciter conſiderari; primò, prout depoſuit illam pecuniam quodamodò titulo ſocietatis, vt campſor illam negotiaretur in cambijs periculo eiuſdem deponentis; Secundò, pro vt illam depoſuit, vt campſor nomine proprio negotiaretur aſſumendo in ſe quodamodò periculum eo modo, quo diximus tom. primo, dum de triplici contractu. 4

Dupliciter poteſt eſſe depoſita pecunia, vel titulo ſocietatis, vel depoſiti præcisè.

Primo modo, quamuis videatur deponens non transferre dominium in campſorem, ſed apud ſe ipſum retinere quoad vſque in negotiatione cambiorum implicetur, pro vt tamen pro tempore antecedente ad negotiationem cambij campſor ea vtitur in propriam vtilitatem alio contractus genere probabiliter ſibi ſuadens, quod depoſitor non ſit inuitus, tunc videtur ex præſumptione iuris pro illo tempore quoad effectum quaſi gaudere dominio, quatenus lucrum, quod ex illius vſu acquirit, ſibi acquirit, dummodò certus ſit, quod tempore implicationis ad cambia, vel reſtitutionis, ſi caſus euenerit, ſimilem pecuniam ſit habiturus *Coaruuias lib. 3. var. c. 15. num. vlt.* Secundo modo eodem modo ſe habet deponens, ac contrahens triplici contractu, de quo propterea eadem dicenda ſunt, quæ dicta fuerunt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris diſquiſ. 6. §. 8.* quæ ibi recole. His pro notitia ſuppoſitis.

Reſpondeo primò. Campſor ex vi depoſiti præcisè, qua depoſitum eſt, pecuniæ præſcindendo ab ordine, quem pecunia depoſita habet ad cambium, ſi ea vtatur ad proprios vſus tenetur eandem reſtituere ſecundum valorem, 5

lorem, quem habebat tempore depoſiti, ſi fuerit pecunia ad numerum, vel vſus. Ratio eſſe poteſt, quià augmentum, vel decrementum pertinet ad dominum rei, cui ſit tale incrementum, vel decrementum, ſed ex præallegatis in primo notabili, quandò deponitur pecunia numerata, dominium eiuſdem transfertur in depoſitarium, ergo eidem depoſitario pecunia creſcit, vel decreſcit, ſi incrementum, vel decrementum ſit poſt acquiſitum ab eodem dominium.

Augmentum, vel decrementum pertinet ad dominũ rei, cui ſit augmentum, vel decrementum.

Dices primò, quotieſcunque depoſitum ſit in re ſecundum determinatam quantitatem, numerum, pondus, & menſuram, non eſt onus reſtitutionis, niſi rei eiuſdem, vel æqualis in eadem quantitate, pondere, & menſura, ergo, cum genus illud non pereat, poteſt cõgruè, & iuſtè ſatisfacere tot retribuendo in eadem quantitate, numero, & menſura, quot accepit, adeòque ipſe ſtare non tenetur decremento. Sed cõtra, ea, quæ dicuntur, procedunt dumtaxat in depoſito regulari, non irregulari, de quo nos loquimur, in quo, cum transferatur dominium, reſtituendum eſt ſecundum valorem, quem habebat idem depoſitum tempore translationis, ſeu tempore vſus; neque abſolutè verum eſt in depoſito irregulari reſtituendam ex neceſſitate eſſe ſolummodò eandem rem ſecundum eandem quantitatem, numerum, & menſuram, niſi ſumatur *ſecundum* quantitatem, & menſuram legalem, ſeu vſualem, & ſic, cum valor legalis in data hypotheſi nõ ſit idem, ac antea, debet adæquari per maiorem numerum eiuſdem pecuniæ, vel compenſari in pecunia alterius ſpeciei ad æqualitatem valoris, quem habebat. Hæc omnia è contrario ſenſu deduci poſſunt ex ijs, quæ diximus *tom. primo ſub tit. Contractus III. prænot.* 10. *aſſert.* 4. *n.* 4. *verſ. probatur quarta particularitèr p.* 183., quæ ibi recole; compenſatio etenim in rebus translatis ſecundum dominium facienda eſt ad æqualitatem iuxtà valorem legalem, non ſecundum materialem quantitatem.

Non valent, quæ dicuntur in depoſito irregulari.

Dices ſecundò, ſi deponens eas non tradidiſſet campſori, illi decremento ſubiacuiſſet, ergo etiam eidem debet ſubiacere, quamuis eas tradiderit. Conſequentia probatur, quià ipſas tradendo, cum non tradiderit titulo lucratiuo, non habet maius ius acquirendi, ac ſi non tradiderit, ergo &c. Sed contrà, neganda eſt conſequentia, quià quamuis non tradiderit titulo lucratiuo, quia tamen à ſe abdicauit dominium cum iure acquirendi æquiualens, habet ius ad recipiendum æquiualens pro tempore, pro quo abdicauit. Deindè, ſi non tradidiſſet, ſubiacuiſſet decremento, quià eſſet Dominus, decrementum etenim rei ſpectat ad dominum eiuſdem rei, & per conſequens, ſi tradiderit, non debet ſubiacere, quia amplius non eſt dominus.

Dices tertiò, depoſitarius, qua depoſitarius eſt, ſimplicitèr cuſtos eſt, ſed cuſtos, qua cuſtos eſt, incremẽtum rei, qua res eſt, non acquirit, ſed ad ſummum incrementum ex induſtria dependenter à tali re, ergo nec ſubiacere debet decremento rei, qua res eſt, ſed tantum decremento, prout prouenit ex defectu debitæ cuſtodiæ, & diligentiæ. Sed contrà, depoſitarius, qua depoſitarius eſt depoſiti regularis eſt quidem ſolum ſimplicitèr cuſtos, non ſic depoſitarius depoſiti irregularis, qua ratione gaudet dominio rei depoſitæ, quæ propterea, ſi incrementum ſumit, ipſi cedit, ſi decrementum, eidem imputatur, & licet teneatur rem depoſitam ad inſtantiam deponentis reſtituere, non propterea deſinit eſſe dominus, ſicuti ex eo, quod mutuatarius debeat mutuum reſtituere ad inſtantiam mutuantis, non propterea ceſſat eſſe dominus rei mutuatæ.

In data hypotheſi non eſt ſimplicitèr cuſtos, ſed dominus

Probatur ſecundò, iuſtitia commutatiua reſpicit, ne quis plus habeat, quam habere debeat, ſed, ſi decrementum in hypotheſi noſtræ ſententiæ cederet deponenti, non depoſitario, hic plus haberet, quam habere debeat, ergo &c. Minor probatur, quià pro quinquaginta, quæ deberet reſtituere, recepiſſet centum, quibus in vſu gauiſus eſt; Neque dicas primò, depoſitarium gauiſum fuiſſe centum fuiſſe fructum induſtriæ ipſius eo modo, quo dictum fuit fuiſſe fructum induſtriæ miniſtri deferentis pecunias nomine ſui principalis ad creditorem in alium locum, qui, ſi in itinere commutauit cum alia pecunia diuerſæ ſpeciei, & lucrum aliquod inde acquiſiuit, lucrum illud ſibi acquiſiuit, non dominò; contrà enim impugnaberis, quia illi centum pro illo tempore, quo fuerunt exacti, non ſunt propriè fructus induſtriæ, ſed iuſta cõpenſatio pecuniæ, cuius vſu gaudet depoſitarius, quæ propterea ex vi dominij cedit eidem depoſitario, non ex vi præcisè induſtriæ; ex quo patet diſcrimen ab eo, qui alio defert pecunias ſui domini, eaſdemque in itinere commutat cum lucro; nam hic non acquiſiuit domi-

Depoſitarius plus haberet, quã habere debeat.

Diſcrimen inter famulum lucrantem ex pecunia domini cõmutata, & inter depoſitarium &c.

Digitized by Google

dominium pecuniæ, quam defert, vndè, ſi quid acquirit per commutationem, acquirit non ex vi dominij, ſed dumtaxat ratione induſtriæ annuente potius, quam reluctante domino, qui, cum abdicarit à ſe pecuniam alio deferendam ſecundum valorem, quem habet in loco, in quo abdicat, non videtur curare, quod alibi commutetur cum lucro, dummodò deferatur ad locum, ad quem eſt deſtinata ſecundum illum valorem, ſecundum quem ipſe erogauit.

6 Reſpondeo ſecundò. Si campſor pecuniam depoſitam quodamodò acceptarit titulo ſocietatis, vt illa negotiaretur in cambijs periculo deponentis, & interim ante celebrationem cambiorum ea vſus fuerit in propria commoda accedente edicto Principis, per quod diminuatur valor eiuſdem pecuniæ modo, quo ſuprà, non tenetur compenſare in reſtitutione, niſi iuxtà valorem dimminutum. Prima ratio deſumi poteſt *ex l. Quintus ff. depoſiti* vbi habetur, *qui promiſit prouidentiam pecuniæ depoſitæ tenetur ad vſuras, ſi eas perceperit, vel in ſuos vſus conuerterit*, ergo ex hoc iure pariformiter ſe habet ſuppoſita acceptatione pecuniæ titulo ſocietatis campſor, qui implicat pecuniam in negotiatione cambiorum, ac qui illam conuertit in ſuos vſus, ſed quandò eſt implicanda in negotiatione cambiorum titulo ſocietatis, ſi ex facto Principis dimminuatur in valore, diminuitur deponenti, non campſori, ergo &c. Conſequentia prima, & ſecunda probatur, quià qui æqualibus gaudet priuilegijs in ordine ad aliquem contractum, ſiuè vnum fiat, ſiuè alterum æqualibus debet ſubeſſe oneribus, ergo &c. Subſumpta minor probatur, quià pecunia expoſita titulo ſocietatis periculo eius manet, qui eam exponit, quantum eſt ex vi contractus; vnde benè dicitur, quod ſocietas non valet, cum vnum ex ſocijs lucrum conſequi poteſt, nullum autem damnũ pati *Gloſ. in c. plerięq; 14. quæſt. 3., Baldus, & alij in l. 1. C. pro ſocio Ioannes Cephal. conſ. 248. num. 34. vol. 2.*

Pecunia expoſita ſocietati periculo eius manet, qui eam exponit.

Dices primò, ex dictis in præcedenti reſponſione. Ex vſu, quem habuit campſor in proprium commodum, arguitur, quod dominium pecuniæ in ipſum fuerit translatum, & propterea, ſi valor decreſcit, ipſi decreſcat, ſed etiam in hypotheſi huius ſecundæ reſponſionis campſor vtitur eadem pecunia in propriam vtilitatem, ergo &c. Sed contrà; vſus quidem in rebus vſu conſumptibilibus, & præcipuè in pecunia numerata arguit quidem acquiſitionem pecuniæ in eo, qui vtitur, & conſumit in propriam vtilitatem, quandò res, ſeu pecunia ſimpliciter tribuitur ad vtilitatem depoſitarij ſine alio reſpectu, vt euenit in hypotheſi præcedentis reſponſionis, non ſic autem, quandò conceditur ſub alio reſpectu principalitèr intento, qui eſſentialiter non infert abdicationem dominij à concedente, vt euenit in caſu præſenti, in quo, cum pecunia concedatur titulo ſocietatis, per quam res tradita manet periculo concedentis, cum damna, & lucra in ſocietate communicentur *Bartolus in l. vnus in princip. ff. pro ſocio*, & ſocietas non valeat, in qua quis partem lucri vult percipere capitali ſuo ſaluo *Decius conſ. 116.* hinc eſt, quod ſemper tranſeat cum illo reſpectu, niſi aliter per ſpeciales conuentiones actum ſit; vndè vſus eſt in hoc caſu ex tacita conceſſione dantis non recedendo tamen à reſpectu principali, ad quem, & ob quem data res, ſeu pecunia fuit, & in vſu ſic accepto ſemper præſumitur, quod ſit ſubſtituenda alia res ſecundum valorem, quem ſortiretur res ipſa in vſu conſumpta, ſi non fuerit conſumpta, vt ſaluetur reſpectus principalis, ad quem fuit conceſſa.

Damna, & lucra in ſocietate cõmunicatur.

Dices ſecundò. Poteſt deponens, antequam pecunia per campſorem implicetur in negotiatione cãbiorum, ipſam de manu eiuſdem reuocare, ergo, ſi fuerit implicata in vſus campſoris, perindè erit, ac ſi fuerit conceſſa ſine titulo ſocietatis, adeòque cum translatione dominij, & ſic, ſi decreuerit in valore, dicendum erit decreuiſſe eidem campſori modo, quo diximus in præcedenti reſponſione. Sed contrà, quia, quamuis poſſet reuocare, hoc eſſet per reciſcionem quodamodò contractus ſocietatis antecedentèr initi ante eiuſdem complementum, vndè pro illo tempore, pro quo non fuit reuocata, pecunia remanebat apud campſorem titulo præciſè ſocietatis, quæ non importat translationem dominij, adeòque non facit decrementum pertinere ad campſorem, qui non eſt dominus; nec vſus aliquid infert, quod opponatur huic reſponſioni, cum ſit dumtaxat ex permiſſione dantis firmo tamen manente pro illo tempore contractu ſocietatis, ad quem principalitèr data eſt pecunia.

Vſus eſt ex permiſſione dantis firmo tamen manẽte pro illo tempore cõtractu ſocietatis.

Ratio ſecunda eſſe poteſt, quià per traditionem pecuniæ titulo ſocietatis non eximitur tradens à periculo peremptionis eiuſdem pecuniæ, ſi ob naufra-

Digitized by Google

fragium, vel aliud-infortunium deperdatur, ergo neque eximitur ex eo, quod ex facto Principis, vel ob aliam cauſam etiam in valore decreſcat. Antecedens patet *ex Gloſa in l. ſocietatem C. pro ſocio conformitèr ad l. verum §. intereunt ff. eodem tit.* Conſequentia probatur, quia quotieſcunque periculum quoad totum ſtat penes vnum, debet etiam quoad partem, ſeu diminutionem valoris manere penes eundem, &c, ſicuti quod operatur augmentum in fauorem domini, quantum ad augmentum, ità diminutio quantum ad diminutionem *arg. l. ſi ex toto ff. de legatis* 1.

Dices *ex gloſ. cit. in l. ſocietatem C. pro ſocio* iuxtà *l. 1. §. fin. ff. eodem* pecuniam, quæ traditur in ſocietatem in dubio præſumi communicatam, adeòque in diuiſione ſocietatis debere inter contrahentes diuidi, ergo decrementum totum non debet pertinere ad concedentem, ſed tantum pro parte. Sed contrà, placet reſponſio, quam adducit *Iacob. de Aret. apud eandem gloſ. in margine* negans talem præſumptionem communicationis, eo quià ſequeretur, quod præſtans operas haberet lucrum, & alius damnum, & ſic eſſet inæqualitas. Ad textum *ex l. 1. ff. pro ſocio* reſponde, illum procedere, quandò ſocij ſua bona communicant in initio contractus ſinguli tribuendo ad proportionem, qui propterea debent etiam ad proportionem communicare in diuiſione. Lege textum, qui ſic habet. *In ſocietate omnium bonorum omnes res, quæ coeuntium ſunt continuo communicantur.*

Reſpondeo tertiò, ſi campſor reci-
7 piens titulo ſocietatis pecuniam, eandem aſſecurauit modo, quo diximus, dum de triplici contractu *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. VI. §. 8.* & pecunia decreuerit in valore ex facto Principis, adhuc non tenetur reſtituere ſecundum valorem, quem prius habebat tempore traditionis, ſed dumtaxat ſecundum valorem dimminutum, niſi fuerit expreſſum, quod teneatur ex quocunq; caſu diminutionis etiam inopinato. Ratio primæ partis eſt, quià illud decrementum ex facto Principis obueniens præter conſuetum reputatur inter caſus fortuitos inſolitos, cum eidem hominis prouidentia non poſſit reſiſtere *l. 1. §. ſi eo tempore ff. de adminiſ. rer. ad ciuit. pertin. l. quæ fortuitis C. de pign. act. & c. cum Ioannes de homicidio*; caſus autem fortuitus inſolitus non nocet obliganti

Dimminutio ex facto Principis computatur inter caſus fortuitos inſolitos.

ſe ad conſueta *l. fiſtulas §. fin. cum Gloſ. in verbo immoderatè ff. de contrah. empt. Bartolus in l. Seio. §. medico ff. de an. leg.* Rurſus campſor per aſſecurationem aſſumit dumtaxat in ſe pericula rei, ſeu pecuniæ aſſecuratæ, ſed appellatione periculi non venit caſus fortuitus *gloſa in l. opus ff. loc.* quod aliqui limitant, niſi tale verbum nihil operaretur, quia tunc comprehendit etiam caſum fortuitum *l. item quæritur §. ſi gemma ff. locat.* quod certè non euenit in caſu noſtro, in quo aſſumptio periculi poteſt aliquid operari, vt per ſe patet. Rurſus pericula, quæ in ſe aſſumit aſſecurans, ea ſunt, quæ obuenire poſſunt, vel ex traiectione, vel ex negotiatione, ad quam traditur pecunia aſſecurata, non quæ æquè obuenire poſſunt, ſiuè pecunia eſſet tradita campſori aſſecuranti, ſiuè remaneret penes tradentem; non enim congruè onus aſſecurationis imponitur pro periculo, quod non obuenit intuitu contractus, vel dependenter ab illo; ſed illud decrementum ex facto Principis non obuenit, nec occaſione contractus, nec dependenter ab illo, ſed æquè obueniſſet, ſiuè contractus fuiſſet, ſiuè non, ergo &c. Rurſus depoſitarius non tenetur ad onera, & pericula, quæ obueniunt ex facto partis deponentis, ſiquidem quod tua cauſa factum eſt, non debet mihi imputari, *l. nam poſtea in fin. ff. de iure iur.* ergo neque ad ea, quæ obueniunt ex facto Principis. Conſequentia probatur, quià ex præſumptione iuris factum Principis æquiparatur facto partis *Bart. in l. eleganter in fin. ff. de pignoratitia actione*. Tandem illud decrementum in hypotheſi, de qua hic agitur, fuit inductum ex imperfectione materiæ non aſcendentis ad valorem, quem prius ex vſu fori habebat, ſed quod prouenit ex imperfectione materiæ ſtat infortunio concedentis *d. l. item quæritur §. ſi gemma ff. locati* vbi dicitur, quod, ſi peremptio vitio materiæ facta ſit, non ſit ex locato actio; neque obſtat id, quod ſubditur *ex eadem l. item quæritur* nempè *huic ſententiæ addendum eſt, niſi periculum in ſe quoque artifex receperit, tunc etiam ſi vitio materiæ id euenerit, erit ex locato actio*; non obſtat, inquam, quià, vt bene notat *Gloſa ibi verb. niſi periculum* per ly *periculum* intelligitur lato modo caſus fortuitus, nam periculum, vt præciſè periculum importat quodamodò culpam, ex qua obligatur, etiam ſi expreſsè non aſſumpſerit tale periculum!

Nomine periculi non venit caſus fortuitus.

Æquè periculũ obueniſſet, ſiuè pecunia fuiſſet tradita, ſiuè non.

Quę proueniunt ex imperfectione materiæ ſtant infortunio concedentis.

Ratio ſecundæ partis eſt, quià volun-

lun-

Digitized by Google

luntates legitimè contrahentium omnimodè conſeruandæ ſunt *l. de ſocietate C. pro ſocio* ſed ex eo, quod campſor ſe obligarit ad omnes caſus fortuitos voluntatem ſuam expreſſit de ſubeundo onere etiam in eiſdem caſibus fortuitis, inter quos potiſſimũ eſt dimminutio ex facto Principis, ergo &c. Vide *Alexandrum in l. Titius col. 2. ff. de lib. & poſth.* vbi loquitur de inſolito, & improuiſo, *& Ioannem de Ripa in ſuo tractatu de teſt. in ſecunda part. col. 3. fol. 8. verſic. quæro primo.*

---

§. XIX.

An pecunia decreſcat tradenti eam ad cambium, ſi decreſcat, antequam alter reſtituerit, an verò recipienti.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Rationes pro vtraque parte diſputandi. 2.
Decrementum in data hypotheſi cedit campſori. 3.
Campſor non retinet pecuniam nomine tribuentis, ſed proprio. 4.
Soluuntur rationes dubitandi. 5.

1 DIſquiſitio XIX. Tradiderat Titius hic Mediolani valorem centum nummorum aureorum in moneta minuta, puta in tot ſolidis, vt correſpondens pretium per ſuum reſpondentem ſibi Romæ reſtitueret, in ordine ad quod campſor literas dederat. Antequam literæ Romam mitterentur, ex facto Principis pecunia tradita fuit pro medietate in valore dimminuta. Contendebat campſor decrementum cedere tradenti talem pecuniam, eo quià contractus nondum erat perfectè completus. Quæritur quid iuris? Pro quo

2 Aduerte, ſeu potius recole ea, quæ dicta ſunt ſub hoc eodem *tit. Contractus V. de cambijs 1. præuot. 1. num. 4.* in cambio transferri dominium per ſolam traditionem rei permutatæ etiam ante complementum per traditionem pecuniæ promiſſæ ex altera parte iuxta *l. cum precibus C. de rerum permut.* vbi dicitur, quod, ſi res ex cauſa permutationis tradita alteri vendatur, nec recipiens impleuerit conuenta, contrà emptorem nulla actio competat, ſed contra eum, qui recepit, vt ſoluat conuenta, quod manifeſtè infert tranſlationem dominij rei traditæ; quod

In cambio transfertur dominiũ pecuniæ traditæ etiã ante complementum ex altera parte.

idem habetur in *Gloſa in l. permutationem C. eodem* vbi legitur. *In venditione non transfertur dominium, niſi pretio ſoluto, licet res tradita ſit, ſecus in permutatione, vt inſtit. de rer. diuſ. §. per traditionem, & §. venditæ.* His poſitis

Reſpondeo, decrementum cedere campſori recipienti. Ratio eſt, quia, ſi res decreſcit, decreſcit domino, ſicuti, ſi res perit, domino ex vulgatis iuribus perit, ſed ex præallegatis iuribus recipiens pecuniam, vt alibi reſtituat, fit dominus talis pecuniæ, ſiquidem per traditionem in eundem transfertur dominium, ergo &c. Confirmatur. Valor rei inſpicitur ſecundum tempus contractus, & valor rei, quandò agitur de euictione ex empto, inſpicitur tempore, quo euincitur, ſecus de euictione ex ſtipulatu, vt euenit in caſu noſtro, *l. Titius primo, & ibi Bartolus in 2. not. ff. de act. empt.* ſed contractus cambij tunc perficitur, quandò pecunia traditur, & literæ recipiuntur, vt ad locum mittantur, vbi facienda eſt reſtitutio, ergo ſecundum illum valorem illius temporis, pro quo contractus initus eſt, compenſanda eſt. Confirmatur ſecundò, quia, ſi poſt traditam pecuniam valor eiuſdẽ augeretur campſor non teneretur ad compenſationem augmenti, ergo nec eximeretur in hypotheſi decrementi ab onere ſoluendi receptum ſecundum valorem tempore contractus. 3

Valor rei inſpicitur ſecundum tẽpus cõtractus, quandò euincitur ex ſtipulatu.

Adde primò, quod campſor recipiens pecuniam eam non retinet nomine tribuentis, ſed immediatè ius acquirit nomine proprio de illa diſponendi, & quidem ſecundum valorem, quem habebat tempore traditionis, ergo, ſi decreuit, ſibi decreuit, non tradenti, adeòque tenetur ad reſtitutionem ſecundum conuenta tempore contractus. 4

Campſor non retinet pecuniam nomine tribuentis, ſed proprio.

Adde ſecundò, quod tradens pecuniam ad cambium, vt ſibi alibi reſtituatur, ius habet, & actionem ad complementum contractus per alteram partem faciendum, ſed contractus initus eſt ſecundum valorem, quem habebat pro illo tẽpore ante dimminutionem, ergo ius habet ad complementum ſecundum illum valorẽ non dimminutum. Minor probatur, quià ex dictis *tom. primo ſub titulo Contractus I. Prænot. 4.* in contractibus innominatis, quandò vnus ſatisfecit, alter non, actionem habet, qui ſatisfecit ad complementum. Minor etiam euincitur, quià valor inſpicitur ſecundum tempus contractus *l. ſi procuratorem in principio ff. mandat.* & in ſtipulationibus terminus,

in

Digitized by Google

in quo contrahitur, eſt magis inſpiciendus, quam terminus ad quem *l. ſi filius familias ff. de verb. oblig.*

Ad id, quod in contrarium aſſerebatur, quod contractus non eſt perfectè
5 completus, dicendum eſt gratis omninò hoc aſſeri, cum per traditionem ex vna parte pecuniæ, & literarum dationem ex altera contractus huiuſmodi compleantur, vt ex allegatis iuribus in notabili. Deindè quandò ex vna parte ſatisfactum eſt, ius habet, qui ſatisfecit ad complementum, quod, ſi valet in contractibus innominatis, à fortiori valet in nominatis, quibus fortius ius aſſiſtit, vt alibi dictum eſt.

---

§. XX.

Cui cedat periculum pecuniæ reſtituendæ poſt ſolutionem factam per campſuarium, & literarum dationem à campſore.

SVMMARIVM.

Exponitur caſus in particulari. 1.

Si reſpondens in decoctionem deuenerit, pecunia non perit campſario, ſed eſt per campſorem reſtituenda. 2.

Vergente reſpondente in decoctionem campſor, qui recepit pecuniam in determinata ſpecie, tenetur eandem reſtituere ſecundum valorem, quem habebat tempore receptionis. 3.

Traditis nummis argenteis in vno loco cum onere, vt alibi reſtituantur in eadem ſpecie, ſi interim decreſcant, reſtituendi ſunt ſecundum valorem, quem prius habebant in loco, quo ſunt reſtituendi, ſi decreuerint dumtaxat in loco, in quo literæ fuerunt datæ, & ab eodem remiſſæ inanes. 4.

Secus ſi decreuerint in vtroque. Ibid.

Campſor non eximitur ab onere reſtitutionis, etiam ſi reſpondens, ad quem literæ diriguntur, & vergit in decoctionem, ſit debitor eiuſdem campſoris, & acceptet literas. 5.

Qualitas debitoris non inducit nouationem, nec delegationem. 6.

Si reſpondens decoxerit, & literæ redijerint inanes, non tenetur campſor ad reſtitutionem prouiſionis. 7.

1 DIſquiſitio XX. Titius poſt traditionem pecuniæ ſuæ factam campſori, vt alio in loco reſtituat, in quo ea indiget, acceptiſque ab eodem literis directis ad reſpondentem campſoris eiuſdem, eaſdem miſit, ſed, cum reſpondens in decoctionem deuenerit, literæ inhabiles, & ſine effectu redierunt. Orta hinc fuit controuerſia, an illa pecunia perierit Titio, an verò ſit per campſorem eidem compenſanda, & reſtituendum intereſſe ſolutum.

Reſpondeo, illam pecuniam nullatenus perijſſe Titio, ſed per campſorem 2
reſtituendam. *Sigiſmundus Scaccia tract. de commertijs §. 2. gloſ. 5. num. 246., & n. 315., & 322., Ioannes Baptiſta Lupus in c. Nauiganti §. 2. ſub nu. 20. de vſuris, Baldus conſ. 349. facta fuerunt ſub num. 2. lib. 1.*, atque hanc eſſe communem mercatorum Genuenſium conſuetudinem teſtatur *Rota Genuenſis deciſ. 2. erat ſub nu. 40., & 41.*

Probatur primò, quià campſor, qui accepta pecunia dedit ſoluenti literas cambij non liberatur ab onere reſtitutionis, etiam ſi ille, ad quem literæ diriguntur, eas acceptet, non tamen ſoluat *Rota in vna Romana literarum cambij ven. 3., & 12. Martij 1595. nu. 1., & ſeq. coram Sacrato, & in alia Romana literarum cambij ven. 11. Decembris 1602. num. 1. coram Cardinali Aragonio impreſſ. apud Marcheſ. de commiſ. part. 1. §. 2. n. 49. fol. 872., & in vna Romana Cambiorum Lunæ 9. Iunij 1605. coram Cardin. Ludouiſio in recollectis per Statil. Pacif.* ergo à fortiori non liberatur, quandò ille, ad quem literæ fuerunt directæ, non acceptauit, ex quacunque cauſa prouenerit, quod non acceptarit *ead. Rota Genuenſis deciſ. 4. dum indicauit nu. 7. & 8.*

Probatur ſecundò, quià præciſa acceptatio literarum facta per creditorem non habet nec in ſe, nec ex diſpoſitione iuris vim ſolutionis, vt latè *Raphael de Turri diſp. 2. q. 12. num. 7.* quià illa acceptatio literarum eſt veluti ſcriptura debiti contracti, cum debitum cambij contrahatur, & probetur per literas cambij *Scaccia §. 2. gloſ. 5. num. 315.* ergo, cum aliundè non ponatur aliquid, quod habeat vim ſolutionis, ſemper obligatus remanet principalis debitor, quouſque ponatur ſolutio, vel aliquid, quod vim habeat ſolutionis. Confirmatur, quià creditor acceptans illas literas eaſdem non acceptat, vt per illas eximatur à iure, ſed vt nudum mandatum iniunctum ei, cui diriguntur, vt ſoluat, & ipſe fungitur præcisè munere nuntij, ergo, ſi non acceptentur, nec ſoluatur debitum in eiſdem contentum non eximitur mandans ab onere compenſationis. Conſequentia probatur, quià purum mandatum ad ſoluendum, non habet vim ſolutionis, niſi fuerit per executionem conſummatum, vel per quid aliud *Cardinalis*

Acceptatio literarum eſt veluti ſcriptura debiti cõtracti.

nalis in clem. prima 3. oppoſ. de procurat. nec quis mandatum dicitur acceptare recipiendo literas mandati, niſi quid aliud faciat *idem Cardin. ibidem.* Confirmatur ſecundò, quià in quolibet contractu debet ex vi propria conſurgere obligatio ex vtraque parte *Vulpianus l. labeo 2. ff. de verb. ſignif. & l. 3. ff. de pollicitationibus*, ſed ex parte reſpondentis nulla inducta fuit obligatio, ſed tantum ex parte campſoris recipientis pecuniam, ergo obligatio reſtituendi adhuc remanet apud eundem campſorem, qui non liberatur ab onere reſtitutionis, niſi reſpondens ſoluerit. Minor probatur, quia ipſe reſpondens nullum præſtitit conſenſum, nec creditor præſumitur, quandò etiam reſpondens acceptaſſet, acquieſcere acceptationi, niſi quatenus ſequatur ſolutio de facto; ipſa enim acceptatio facta per reſpondentem, vt benè notat *Scaccia loc. cit. num. 303.* non eſt nouus contractus inter ipſum acceptantem, & creditorem, ſed eſt pars contractus literarum cambij. Confirmatur tertiò, quià, ſi campſor, qui pecuniam ab altero recepit, & literas dedit, vt alibi reſtituatur, ſubſtituiſſet aliquem, quem ſciret, non ſoluturum, non eximeretur ab onere reſtitutionis, ergo neque eximendus eſt a tali onere, ſi ille, ad quem literas direxit, propter decoctionem factus ſit impotens ad ſoluendum. Antecedens patet ex verbis Bullæ Pij V. relatæ *ſub hoc eodem titulo Contractus V. de Cambys l. Prænot. 6. num.* 1. in quibus vſuraria declarantur cambia, per quæ *ij, qui pecuniam recipiunt, literas quidem ſuas cambij tradunt, ſed ità mittuntur, vt tranſacto tempore, vndè proceſſerant inanes referantur.* Conſequentia probatur, quià, in tantum in caſu antecedentis non eximitur ab onere reſtitutionis campſor, in quantum non eſt in loco, in quo pecunia eſt reſtituenda, reſpondens, qui reſtituat, ſed etiam quandò reſpondens fuit decoctus, ibi non eſt, qui reſtituat, ergo &c.

Non cōſurgit obligatio ex parte reſpondentis.

Argumētum deductum ex Conſtit. Pij V.

Dices primò, in primo caſu non eximi ab obligatione reſtituendi, eo quia ſciebat reſpondentem non eſſe ſoluturum, in ſecundo autem eximi, eo quià non dubitabat de ſolutione futura per eundem reſpondentem, cum pro eo tempore, quo literas dedit, in communi æſtimatione ille eſſet idoneus. Sed contrà, quià notitia, vel ignorantia præcedens de impotentia reſpondentis ad ſummum infert dolum, vel negationem doli in principali debitore literas mittente, non autem ipſum deobligat, vel eximit ab obligatione reſtituendi, ſi reſpondens ſoluendo non ſit. Ratio eſt, quià onus reſtituendi non ſolum conſurgit ratione iniuſtæ acceptionis, ſed etiam ratione rei acceptæ, quæ vtique eſt in debitore, quouſque, vel per ipſum, vel per alium loco eiuſdem fiat ſolutio in effectu, vel aliquid ponatur loco ſolutionis; nec ex eo, quod habeat ignorantiam de impotentia reſpondentis, tollitur, quin habeat rem alienam, & teneatur ratione rei acceptæ, ſiquidem ignorantia non facit meũ, nec tuum, quod meum, vel tuum non eſt; ſi enim ego tradam in extinctionem debiti, vel aliquod, quod non ſit meũ, vel aliquod creditum, quod non ſit ſubſiſtens, quamuis ignorem meum nõ eſſe, vel non ſubſiſtere, propriè non dicor extinguere, eo quià ignorantia non facit meum, nec ſubſiſtere, quod meum non eſt, nec ſubſiſtit. Hinc etiam dico in terminis huius inſtantiæ, quod ignorantia, quæ præſumitur in campſore de impotentia reſpondentis ad ſoluendum propter decoctionem non efficiat, quod ille, qui non eſt ſoluendo, ſi non ſoluerit, extinguat debitum, quod ipſius campſoris eſt; ſicuti enim ignorantia non facit meum, quod meum non eſt, ità non facit, quod meum non eſt ratione debiti fiat meum.

Ignorantia præcedens de impotentia reſpōdentis eximit quidem à dolo non ab onere reſtituendi.

Ignorantia non facit meũ nec tuũ, quod meum, vel tuum non eſt.

Dices ſecundò ex dictis *in præcedenti diſquiſit. n. 2.* in cambio per ſolam traditionem pecuniæ dominium eiuſdem acquiritur etiam ante complementum per traditionem pecuniæ promiſſæ ex altera parte *l. cum precibus ff. de rerum permut.* ergo, cum loco, & ſcontro eiuſdem pecuniæ per campſorem acquiſitæ quoad dominium fuerint literæ expeditæ, & acceptatæ à creditore, periculum earundem debet pertinere ad ipſum creditorem. Conſequentia probatur, quia, cum dominium pecuniæ fuerit acquiſitum per campſorem, ſi illa pecunia, vel decreſcat, vel pereat, decreſcit, & perit eidem, ergo etiam, cum literæ fuerint acceptatæ per creditorem, ſi decreſcant, vel pereant, decreſcunt, & pereunt eidem. Sed contrà neganda eſt conſequentia, quià literæ non dantur, vt complementum contractus, ſed vt nudum mandatum ad complementum, nec creditor eas recipit abſolutè cedendo iuri, ſed tantum conditionatè, ſi per eas fiat ſolutio, quæ propterea, ſi ſuum non conſequantur effectum, non demunt ius creditoris ad exigendam pecuniam traditam, vel æquiualentem; nec ex hoc ſequitur, quod dominium pecuniæ non

Literæ non dantur, vt complementum contractus, ſed vt purum mandatum.

Digitized by Google

non fuerit perfectè acquiſitum per campſorem, ſed tantum; quod ratione eiuſdem dominij acquiſiti ſubierit onus, intuitu cuius teneatur aliter ſatisfacere, ſi ſatisfactio non ponatur per ſolutionem literarum.

Duplex ratio dubitandi proponitur.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an, ſi creditor ſoluerit campſori pecuniam in determinata ſpecie, & campſor literas dederit ad reſpondentem, qui interim, ac literæ mittuntur, vergat in decoctionem, teneatur idem campſor pecuniam, quam acceperat reſtituere ſecundum valorem, quem habebat tempore traditionis, an ſecundũ valorem dimminutum, ſi contigerit intrà illud tempus ex facto Principis illum valorem dimminui. Secunda eſt, an ſi reſpondens, ad quem per campſorem diriguntur literæ pro ſolutione, fuerit debitor eiuſdem campſoris, & literas acceptarit, eximatur principalis debitor ab onere reſtitutionis, ſi idem reſpondens ante literarum ſatisfactionem ad decoctionem deuenerit.

Ad primam dicendum eſt, teneri reſtituere ſecundum valorem, quem habebat tempore ſolutionis factæ per creditorem. Eſt conformis ijs, quæ diximus *in praeced. §. num. 2., & 3. iuxtà Gloſam in l. permutationem C. de rer. permut.*, & ratio eſt, quia per talem ſolutionem translatum eſt dominium pecuniæ in campſorem *l. cum precibus C. eod. tit.* cui propterea debet cedere quodcunque incrementum, vel decrementũ ex vulgatis iuribus; Nec obſtare poteſt, ſi aſſeratur, per non ſolutionem literarum ob decoctionem reſpondentis fieri reſolutionem prioris contractus, qui proinde ſe habet, ac ſi non fuerit initus; inuoluit enim ex ſe implicitè pactum merè conditionale, ſi reſtitutio fiat per ſolutionem literarum eo modo, quo conuentum eſt, quo pacto non purificato contractus euaneſcit, & redditur ab initio nullus, nullumque transfert dominium abſolutum, & proindè incrementum, vel decrementum ad eum pertinet, cuius erat pecunia, cum etiam eiuſdem remaneat. Lege ea, quæ diximus *tom. primo ſub tit. Contractus II. de empt. & vendit. Praenot. 4. num. 9. verſ. aduerte ſecundò in fine.*

Non eſt reſolutio prioris contractus, ſed mera compenſatio pecuniæ.

Sed contrà, quia omninò gratis dicitur eſſe reſolutionem prioris contractus, ſed eſt mera compenſatio pecuniæ verè, & propriè ſolutæ per creditorem, quæ compenſatio, ſeu reſtitutio, cum facta non fuerit per reſpondentem in loco, ad quem literæ fuerunt directæ, facienda eſt per principalem debitorem, quod euincitur ex eo, quod diximus ſuprà, transferri ſcilicet dominium per ſolutionem ex parte vnius factam in permutationibus, nec abſolutè verum eſt, inuolui implicitè pactum de ſubſiſtentia contractus merè conditionale, ſi reſtitutio fiat per ſolutionem literarum, nam licet in pactis reſpectiuis quamuis nudis iuxtà dicta *tom. primo ſub tit. Contractus I. de contractibus vt ſic Praenot. 4. num. 5. verſ. 3. pars* ſemper inſit tacita conditio ea ſeruandi, ſi alter ex contrahentibus ipſa ſeruarit, in contractibus tamen nominatis, niſi aliud exprimatur, ea tacita conditio, ſeu implicitum pactum intelligenda ſunt, vt conferant ius, non ad reſciſcionem contractus, ſed ad complementum eiuſdem, & ad reparationem damnorum, ſi quæ contigerunt ex culpa alterius ob non implementum; vndè bene dicitur *l. rebus certa lege C. de rer. permut.* quod re tradita, vt impleantur conuenta, præſcriptis verbis actio competat, *& vt l. cum precibus C. eodem tit.* habetur, quod, ſi res ex cauſa permutationis tradita alteri vendatur, nec recipiens impleat conuenta, contrà emptorem nulla actio competat, ſed contrà eum, qui recepit, vt impleat conuenta, & ratio in eadem lege adducitur, quià ſcilicet *ab eo ſuſcepit dominium, cui res tradita titulo permutationis*, ergo per traditionem rei ex vna parte dominium eiuſdem rei acquiritur per recipientem, adeòque decrementum ad ipſum debet ſpectare, & cum debeat adimplere conuenta, debet adimplere ſecundum valorem tempore conuentionis.

Diſcrimen inter pacta nuda, & pacta veſtita.

Confirmari poteſt aſſertum, quià creditor per illam permutationem, & ſolutionem per ſe ipſum factam acquiſiuit ius ad ea, quæ continentur in literis datis, quæ ſupponuntur eſſe v.g. centum nummi aurei, ſibi ſoluenda, vel per reſpondentem Romæ, vel per campſorem Mediolani, ſed literæ continent valorem ſecundum tempus ſolutionis factæ per creditorem, ergo ius habet, vt reſtituantur ſecundum illum valorem. Minor probatur, quià ſoluens abdicando à ſe dominium pecuniæ, quam ſoluit, debet acquirere ius proportionatum, quod reſultat ex literis datis. Quod ſi ſupponas, campſorem recepiſſe tot nummos argenteos, qui interim in valore legali decreuerint, & literas dediſſe, vt tot redderentur Romæ in eadem ſpecie; tunc diſtinguendũ eſſe arbitror; vel enim valor dumtaxat dimminutus eſt in loco,

Soluendæ ſunt literæ iuxtà ſũmam, quã continent.

in quo campſor recepit, & literas dedit, & non in loco, ad quem literæ diriguntur, & eſſent nummi illi ex conuentione ſoluendi, vel dimminutus eſt in vtroque; ſi primum; abſolutè aſſero, reſtituendos eſſe ſecundum valorem, quem habent in loco, in quo eſſent reſtituendi; ſi ſecundum, reſtituendos eſſe dumtaxat ſecundum valorem dimminutum.

Ratio primæ partis eſſe poteſt, quià
4 creditor ius habet, vt reſtituantur in loco, ad quem literæ diriguntur, & ſecundum valorem, quem ibi habent, ſiquidem campſor onus in ſe ipſo ſuſcepit illuc virtualitèr traiciendi, & perſoluendi, ergo, quamuis ibi non perſoluantur ex impotentia reſpondentis, perſoluendi tamen erunt ſecundum valorem, quem ibi habent per campſorem, licet ſolutio non fiat in tali loco. Conſequentia probatur, quià contractus ex ſuperius dictis non reſoluitur, ergo adimplendus eſt ſecundum illas conuentiones, ſecundum quas eſt initus, nec ex impotentia ad aliquam conditionem adimplendam oritur ius ad non adimplendas alias, quæ adimpleri poſſunt, quia quotieſcunque conditio aliqua non adimpleta non vitiat actum, ſi non valet actus, vt agitur, valet, vt valere poteſt *l. non Codicillum C. de teſtamentis*; neque dicas, valorem attendendum eſſe ſecundum conſuetudinem, ſeu legem loci, in quo fit ſolutio, adeòque, cum ſolutio fiat in loco, in quo minoris pecunia valet, faciendam eſſe ſecundum valorem dimminutum; item, cum actum fuerit de determinata pecunia in ſpecie, ſufficere, quod in tali ſpecie reſtituatur nullo habito reſpectu, vel ad vnum, vel ad alterum locum; contrà enim impugnaberis, quiàomnino gratis dicitur, attendi debere valorem ſecundum conſuetudinem loci, in quo fit ſolutio, cum fieri debeat ſecundum conſuetudinem loci, in quo creditor ius habet, vt fiat, niſi ſponte ceſſerit illi iuri, eo quià conuentum eſt de ſolutione in tali loco facienda, quod, ſi alibi fiat, eſt contrà conuenta ex impotentia; Idem dicendum eſt ad id, quod ſubditur; licet enim conuentum fuerit de determinata pecunia in ſpecie, hæc tamen attendenda eſt ſecundum valorem, quem habet in loco ſolutionis faciendæ ex conuentione.

Conditio non vitians actum ipſum non inualidat, ſed inualidatur.

Valor attendi debet ſecundum conſuetudinem loci, in quo creditor ius habet.

Ratio ſecundę partis eſt primò, quià, ſi pecunia per creditorem ſoluta decreſcat in valore legali, decreſcit campſori, qui recepit, ergo etiam, ſi pecunia, quæ debetur in ſpecie, & eſt reſtituenda per reſpondentem campſoris nomine eiuſdem eidem creditori, decreſcat, decreſcit eidem creditori. Conſequentia probatur, quià per contractum cambij, ſicuti ille acquiſiuit ius in pecunia numerata, ita iſte ius in pecunia conuenta, & reſtituenda, ergo ſi ratione talis iuris acquiſiti pecunia in primo caſu decreſcit campſori, qui recepit, eodem iure debet decreſcere creditori, qui debet recipere; Neque dicas, decreſcere campſori, quià hic acquiſiuit perfectum ius in re, & dominium per traditionem factam, non ſic creditori, quià, cum pecunia reſtituenda nondum ſit tradita eidem, non eſt acquiſitum ius in re, nec propriè dominium; contrà enim impugnaberis, quià, quamuis pecunia hactenus non fuerit tradita, quià tamen eſt in ſpecie determinata debita, tradenda eſt ſecundum valorem, quem acquirit, vel amittit eadem ſpecies pro tempore, quo eſt reſtituenda, ſiquidem talis pecunia in ſpecie eidem debetur. Ratio eiuſdem ſecundæ partis eſt ſecundò, quià ad iuſtitiam contractus requiritur, quod æqualis ſit vtriuſque contrahentis conditio, æqualis ſpes, æquale periculum, ſed talis non eſſet, ſi decrementum pecuniæ receptæ cederet recipienti, & decrementum reſtituendæ non cederet creditori, ergo &c.

Alia ratio ad confirmationem aſſerti.

Ad ſecundam dicendum eſt, debitorem non eximi ab onere reſtitutionis, 5
etiam ſi reſpondens, ad quem literæ diriguntur, & vergit in decoctionem, ſit debitor eiuſdem debitoris, & acceptet literas *Scaccia tract. de commer. §. 2. gloſ. 5. num.* 324. per ea, quæ docuit ſupra *num.* 280. Ratio in vniuerſum ea eſt, quæ fuit ſuperius adducta in probatione reſponſionis, tum per ea, quæ ibi fuerunt allegata ex Rota, tum per ea, quibus dictum fuit acceptationem literarum non habere ſecundum ſe vim aliquam ſolutionis; neque qualitas debitoris in eo, qui literas recipit, & acceptat reſpectu ſcribentis eaſdem maius robur addit in ordine ad liberandum eundem ſcribentem ab onere reſtitutionis, ſiquidem illa non inducit, nec poteſt inducere nouationem, ſeu delegationem, quæ ſolummodò ex infrà dicendis habent vim ſolutionis, & robur eximendi debitorem à debito; non, inquam, poteſt inducere, quià ad ipſam requiritur, quod creditor reſpectu principalis debitoris, ſeu primi ſit creditor ex priori cauſa; non enim nouari dicitur, niſi vetus; Neque dicas,

Acceptatio literarum non habet ſecundum ſe vim aliquam ſolutionis.

Digitized by Google

Qualitas debitoris non inducit nouationē, nec delegationē.

6 cas, qualitatem debitoris in acceptante literas habere maiorem vim ſolutionis ad eximendum ſcribentem, quià ipſe ſcribens habet ius ad ipſum obligandum ad ſolutionem ratione crediti, quod habet aduerſus ipſum, quod ius, cum transferat in ſuum creditorem, & ab hoc acceptetur in extinctionem crediti, certè ipſum ſcribentem liberat ab onere vlterioris ſolutionis; contra enim impugnaberis, quià ius, quod habet debitor principalis, ſeu ſcribens literas aduerſus ſuum debitorem, quamuis vim tribuat eidem ſcribenti ad obligandum eundem debitorem, non tamen vim habet ſecundum ſe ad eximendum ipſum debitorem principalem ab onere reſtitutionis verſus creditorem, ſi ille ad quem literæ diriguntur, vel ex impotentia, vel ex alia cauſa non ſoluerit. Ratio eſt, quià creditor non ſupponitur acceptare illud ius in compenſationem iuris, quod acquiſiuit ratione pecuniæ ſolutæ, niſi conditionatè, ſi ſcilicet in effectu, quod eſt debitum, intuitu illius iuris perſoluatur, nec alitèr, nec alio modo.

Creditor non acceptat debitorē debitoris niſi conditionatè.

Hæc, quę hactenus dicta ſunt, quandò poſt acceptationem literarum reſpondens campſoris decoxit, intelligenda ſunt cum hac reſtrictione, vt non procedant, ſi creditor cambij dilationem fecerit eidem reſpondenti ad ſoluendum, intrà quod tempus decoxerit; tunc etenim periculum eidem concedenti dilationem imputandum eſt, non campſori; à quo non prouenit, quod facta non fuerit ſolutio *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 5. num. 325.* vide, quæ infra latius dicentur *de cambijs 2. prænot. 21. num. 5. per tot.*

Creditor cambij non habet ius ad exigendum, ſi moram fecerit in exigendo.

7 Reſpondeo ſecundò ad diſquiſitionem, in ea hypotheſi, qua reſpondens decoxerit ante literarum ſolutionem, & literæ ſine effectu redierint ad locum, in quo datæ ſunt, non teneri campſorem, qui literas dedit, reſtituere prouiſionem, aliaque emolumenta, quæ ex cambio inito recepit. Probatur primò, quià contractus ipſe non eſt irritus, nec per non ſolutionem reſpondentis vis ipſius perimitur, ſed tantum confertur ius ad complementum, ergo non eſt, cur ſuos effectus non debeat ſortiri. Conſequentia probatur, quià contractus ſecundum ſe validus ſuos parit effectus, eſtque obligatorius ex vtraque parte quoad ea, quæ ex natura ſua pertinent ad eundem contractum; Neque dicas, non poſſe obligare quoad ea, quæ grauant creditorem, ſi ex contractu non eſt conſecutus finem, ad quem contractum iniuit; contrà enim impugnaberis, quià, quod non fuerit creditor finem conſecutus, non tollit, quin contractus fuerit legitimè initus, adeoque obliget ad ea omnia, quæ ex tali contractu valido proueniunt, & ſicuti ex ſuperius dictis ipſe creditor ex vi contractus ius habet, vt per campſorem compleatur contractus per ſolutionem ad æqualitatem, ac ſi fieret in loco per reſpondentem, ad quem literæ fuerunt directæ, ità ipſe campſor ius videtur habere, vt conſequatur intereſſe, aliaque commoda prouenientia ex tali contractu, quamuis ex impotentia reſpondentis non adimpleat in loco, in quo adimplere teneretur, ſi reſpondens non fuiſſet decoctus, ſi enim ſubeſſe tenetur oneribus contractus, cur non poterit gaudere fructibus eiuſdem?

Contractus non eſt irritus, ſed obligat ad complementum.

Probatur ſecundò, quià campſor ſubit omnia onera, quæ ex cambio proueniunt, adeò vt, ſi pecunia decreſcat, eidem intelligatur decreſcere iuxtà ſuperius enuntiata, item complere per ſe ipſum contractum, ſi per reſpondentem non fuerit completus &c. ergo non eſt, cur non acquirat omnia iura ex eodem prouenientia, qui enim ſentit incommoda, ſentire debet & commoda, & qui in vno grauatur in alio debet releuari *l. eum qui ff. de iure iu. auth. contra qui propriam C. de non num. pec.* Neque obſtat, ſi dicatur, in hoc contractu non adeſſe commutationem pecuniæ vnius loci pro pecunia in alio; Non obſtat, inquam, quià ex eo, quod re vera conuentio facta fuerit pro permutatione in alio loco, ad quem ſine fictione literæ fuerunt directæ, habetur pro cambio locali, & omninò per accidens eſt, quod executio, ſeu conſūmatio contractus fiat in eodem loco, ſi ſeruentur omnes conditiones, quæ ſeruatæ fuiſſent in loco, ad quem fuerunt literæ directæ; quamobrem fundamentum acquirendi eſt validitas contractus ſufficiens ad talem acquiſitionem, vt videtur implicitè innuere *Malletus de præceptis Decalogi malleat. 58. Bractaa 11.* vbi in caſu ibi propoſito aſſerit campſorem, non poſſe tantum lucrum exigere, dum recipit pecuniam in loco, in quo ipſe prius ſoluerat, quantum exegiſſet, ſi facta fuiſſet ſolutio in loco, in quo fieri debebat, rationemque adducit, quia ille contractus, de quo loquitur, non eſt verus, legitimus, & validus contractus, ergo à contrario ſenſu, cum contractus, de quo hic agimus, ſit verus, & validus, poteſt parere eoſdem effectus,

Qui in vno grauatur debet in alio releuari.

Digitized by Google

fectus, idemque lucrum, quod peperiſſet, ſi fuiſſet in loco, in quo facienda erat ſolutio, conſummatus.

§. XXI.

An Creditor literarum cambij, ſi acceptet alias literas cambij à debitore ſui debitoris liberet ſuum debitorem à debito.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Creditor literarum cambij, ſi acceptat alias literas cambij à debitore ſui debitoris, & debitor debitoris vergat in decoctionem non habet regreſſum aduerſus ſuum debitorem, ſed actionem aduerſus debitorem debitoris. 2.
Diſcrimen, quod intercedit inter caſum præſentem, & caſum præcedentis diſquiſitionis. 3.
In hoc caſu intercedit nouatio. 4.

1 DIſquiſitio XXI. Titius vigore literarum cambij erat debitor Antonio de centum nummis aureis ſoluendis in proximis nundinis celebrandis Romæ v. g. & Andræas in eiſdem Nundinis erat debitor eiuſdem Titij in totidem alijs. Hoc poſito Andræas ad inſtantiam Titij fecit literas Antonio dictorum centum nummorum aureorum, vt ſoluantur v. g. Venetijs per Teodoricum Campſorem, & per hoc idem Titius habitis literis de ſolutione facienda Venetijs liberatus fuit in cauta forma à debito, quod habebat cum Antonio, ſed, antequam literæ deuenirent, ſeu acceptarentur a Teodorico Venetijs, Andræas decoxit, & ideò Teodoricus noluit eiuſdem Andreæ literas acceptare. Quæritur, modò, an Antonius poſſit habere regreſſum contrà Titium, ad cuius inſtantiam datæ fuerunt literæ per Andræam decoctum Theodorico. Latè proponitur hæc difficultas per *Scacciam tract. de commert. §. 2. Gloſ. 5. num. 244. & ſequent.* vbi propendet in ſententiam aſſerentem, Antonium non habere regreſſum aduerſus Titium, multoſque Doctores allegat in hanc ſententiam propendentes, & *num. 246.* contrariam ſententiam adducit, eiuſdemque rationes refert, & confutat.

Reſpondeo cum eodem, Antonium
2 non poſſe habere regreſſum contrà Titium, ſed actionem dumtaxat habere aduerſus Andræam. Ratio ex eo deducitur, quia in hac hypotheſi facta fuit nouatio, & obligatio Titij transfuſa eſt in Andræam cum plena liberatione eiuſdem Titij, & id de conſenſu omnium prædictorum, quo caſu etiam de iure nouo, quamvis expreſsè nec actum, nec dictum ſit, oritur nouatio ex incompatibilitate duarum actionum.

Promiſſio mercatorum facta creditori ad inſtantiã debitoris cedit loco ſolutionis.

Dices primò, ex dictis in præcedenti diſquiſitione etiam ſi per campſorem pro pecunia à me ipſi tradita literæ dentur ad ſuum reſpondentem Romæ, vt ibidem eandem ſoluat, & literæ acceptentur à reſpondente, non tamen ſoluantur, eo quià ipſe reſpondens vergat in decoctionem, non propterea eximitur campſor à debito, nec ab onere reſtitutionis, nec illæ literæ habentur pro ſolutione in numerata pecunia, ergo nec in præſenti hypotheſi illa datio literarum poteſt habere vim ſolutionis, & liberationis. Sed contra, neganda eſt conſequentia, eo quià in hypotheſi reſponſionis præſentis intercedit nouatio, ſeu delegatio, quæ non poteſt intercedere in hypotheſi præcedentis, quod ſic euincitur. Ad nouationem, ſeu dele-
gationem ſupponitur vetus contractus, 3
qui per alium nouatur *Surdus conſil. 145., Scipio ſub num. 13. verſ. his verò num. 20. verſ. quartò extant, & verſ. quintò hoc ſub num. 21. & 23. lib. 1.* & ideò ex primæua actione agi non poteſt, ſed ex noua *Scaccia de commert. §. 2. Gloſ. 5. num. 290. verſ. exemplifica ſecundò*, & ſic per nouationem fit ſecundus contractus deſtructiuus primi, vt in ſimilibus terminis videtur colligi *ex l. 24. elegantèr ff. de pignor. act.* & ita
fuiſſe iudicatum per Senatum Mantua- 4
num teſtatur *Surdus deciſ. 266. quæſtio ſub num. 3. verſ. credidit*, quæ omnia verificantur in caſu, de quo hic agimus, cum ſupponatur primus contractus inter Titium debitorem, & Antonium creditorem, & ſecundus inter Andræam, & eundem Antonium, non autem verificari poſſunt in caſu præcedentis diſquiſitionis, in quo interuenit ſolummodò vnus, & idem contractus, adeòque firma remanet obligatio prima, cum per alium non tollatur, nec præcisè tolli poteſt per acceptationem literarum, quia illa acceptatio non eſt nouus contractus, ſed eſt pars contractus literarum cambij.

Intercedit nouatio, ſeu delegatio.

Per nouationẽ fit nouus contractus deſtructiuus primi.

Dices ſecundò ea, quæ dicta ſunt in probatione, verificari ſolum, quandò cedula bancharia depoſita eſt penes Bancherium, qui ſoluere debet, acceptantem, & ſtipulantem, quæ non veriſi-

riſi-

Digitized by Google

rificantur in hypotheſi reſponſionis, in qua Teodoricus, qui ex mandato Andreæ ſoluere debebat literas non acceptauit, ex quo nouit Andræam vergentem in decoctionem. Sed contrà, quià ad Nouationem ſolum requiritur, quod vnus pro altero accipiatur in debitorem, per quam acceptionem onus ſoluendi, quod erat in primo, transfertur in ſecundum; quod deindè ille, ad quem per ſecundum literæ diriguntur, eaſdem non acceptet, nec ſoluat, tribuit quidem creditori regreſſum contrà ſecundum, qui dedit literas, non contrà primum, qui per nouationem liberatus eſt *Petrus de Vbal. tract. de duobus fratr. part. 8. princip. quæſt. 32. nu. 33. tom. 6. par. 1. fol. 159., Alexander conſ. 94. viſo puncto num. 3.* ibi *contraxi cambium lib. 3., Surdus conſ. 145., Scipio ſub num. 9. & 10. lib. primo* nam nouatio æquiualet ſolutioni *Gloſ. in rubr. ff. de ſolut.*, & delegatio fit ſimilis ſolutioni, eiuſque loco cedit *Surdus deciſ. 23. Creditores num. 1.* adeòque delegans amplius non poteſt moleſtari, etiam ſi contingat delegatum facultatibus deficere, quià facta delegatione prior ipſo facto remanet liberatus *Rota Genuenſis deciſ. 60. in cauſa Stephani n. 10. in fine Decius conſ. 99. in cauſa ſub num. 4.*

Per nouationē ſolum requiritur, vt vnus pro alio accipiatur.

Probatur ſecundò. In cambijs primum extinguitur per ſecundum, ergo etiam per aſſignationem mei crediti acceptatam à creditore aduerſus alterum extinguitur debitum, quod prius cum eodem creditore contraxeram vigore literarum cambij. Antecedens probatur latè per *Michaelem Salonium in ſecundam ſecundæ D. Thomæ poſt quæſt. 78. in diſput. de cambijs quæſt. 4. art. 2. controu. 12. ſub num. 2. fol. 586.* nec diſſentit *Bonmſignius tract. de Cambijs c. 4. verſ. così anche*. Conſequentia probatur, quià, quandò per meum debitorem, maximè ſi ſit mercator, fit promiſſio de ſolutione mei debiti erga meum creditorem, & hic acceptat talem promiſſionem, & recipit ab eodem meo debitore literas, conſtituitur quodamodò nouum cambium, per quod meus debitor aſſumit onus ſoluendi per literas, quas ad alium dirigit, quaſque creditor acceptat.

Conſtituitur nouum cambiũ.

Hoc à fortiori procederet, ſi Andræas, qui aſſumpſit onus Titij, eſſet campſarius ex illis, de quibus dicitur infra *de cambijs 2. prænot. 21. num. 6.* quià inter mercatores pactum habetur loco ſtipulationis *Stracch. tract. de decoct. part. 5. num. 5. verſ. incurrit tom. 6. part. prima fol. 320.* & mercator eo ipſo, quod promiſit pro meo debito, & acceptatur per creditorem promiſſio, extinguitur onus debitoris *Paulus de Caſtro in l. 58. qui vſuſfructum ff. de verb. oblig. num. 3. quæſt. vltima*, & circa hoc de communi praxi in tota Italia teſtatur *Rota Genuenſis deciſ. 4. dum indicauit ſub num. 9. & 10.*

---

§. XXII.

An ceſſio nominis debitoris abſentis facta creditori eximat debitorem ab onere reſtitutionis.

SVMMARIVM.

Exprimitur caſus in particulari. 1.
Ceſſio nominis debitoris abſentis non eximit creditorem à iure aduerſus debitorem principalem. 2.
Stante ceſſione nominis debitoris abſentis facta creditori non extinguitur primæua ipſius actio. 3.
Cedens ſubiacet periculo rei ceſſæ, niſi ceſſionarius fuerit in cauſa periculi per non implementum eorum, quæ implere tenebatur. 4.

DIſquiſitio XXII. Titius eſt debitor verſus Franciſcum duorum mille 1
aureorum, & ſimul, & ſemel creditor Antonij æqualium aureorum. Volens Titius ſe eximere à debito cum Franciſco cedit eidem nomen Antonij ſui debitoris abſentis, eidemque mandat, quod ſoluat Franciſco duos mille aureos, quos ſibi debet. Hic multiplex oritur ratio dubitandi, & primò, an per talem ceſſionem eximatur Titius ab onere reſtitutionis erga Franciſcum creditorem. Secundò, an creditor poſſit agere aduerſus Titium primæua actione. Tertiò, an periculum nominis debitoris ceſſi per Titium in quocunque caſu remaneat cedenti.

Reſpondeo primò, Titium per talem 2
ceſſionem non eximi ab onere reſtitutionis erga Franciſcum *Surdus conſil. 145., Scipio ſub num. 4. verſic. 3. quod verſus finem, Scaccia §. 2. Gloſ. 5. num. 250.* Probatur primò, quià per huiuſmodi ceſſionem, nec delegatio inducitur, nec nouatio, vt latè deducit *Surdus loc. cit.* & infertur ex dictis per *Ioannem Andræam in addit. ad Specul. tit. de ceſſion. act. §. 1. in fine in verbo deſunt lit. B. lib. 2.* vbi habet eum, cuius nomen ceditur, cum ſit abſens, non poſſe dici, quod

con-

Digitized by Google

Non inducitur delegatio, nec nouatio.

conſentiat, ex quo infero, ergo quoad ipſum non poteſt dici, quod fiat nouatio, nam nouatio importat nouum contractum diſtinctum à primo *Surdus conſ. 145., Scipio ſub nu. 13. verſ. bis verò num. 20. verſ. 4. extant, & verſic. 5. hoc ſub num. 21. lib. 1., Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 5. num. 315.* contractus autem nouus non poteſt eſſe ſine conſenſu *Vulpianus l. 3. ff. de pollicitationibus*; nam conſenſus eſt forma ſubſtantialis contractus *l. 1. ff. de pactis l. conſenſu ff. de act. & oblig., Felinus cap. fin. num. 4. de iudic.* ergo in huiuſmodi ceſſione non demitur onus, quod habet principalis debitor ad ſoluendum, ſiquidem, vbi noua non conſurgit obligatio, vel ratione nouationis, vel delegationis, remanet prima in ſuo robore *Surdus eodem conſ. 145. ſub num. 6.*

Nouatio importat nouum contractum diſtinctum à primo.

Dices ex eo, quod Antonius debitor Titij non poſſit ſolutionem debiti recuſare, videri obligatum ad præbendum conſenſum, adeòque ex diſpoſitione iuris præſumi pro conſenſu, ſiquidem præſumitur conſentire, qui ius non habet ad diſſentiendum, quinimmò tenetur actu conſentire *Ioannes Andræas in addit. ad Specul. in rubr. de action. & oblig.* Sed contrà, nam, quamuis teneatur ſoluere exigente creditore, niſi data fuerit dilatio ad ſoluendum ad aliquod tempus, obligatio tamen ad ſoluendum non habetur pro ipſa actuali ſolutione, nec pro conſenſu ad ſoluendum alteri ab ipſo creditore, nam ad delegationem, ſeu nouationem requiritur nouus, & diſtinctus contractus à primo, qui nequit eſſe ſine nouo conſenſu eius, qui de nouo obligatur; quare obligatio, quam habet debitor ad ſoluendum, eſt pars prioris contractus, & ex vi illius, non ex vi nouationis, &, ſi ſolutio requiratur per creditorem ſui creditoris, requiritur procuratorio nomine non in rem propriam, ſed alienam licet ſibi ceſſam.

Obligatio ad ſoluendũ non habetur pro ipſa actuali ſolutione.

Probatur ſecundò, quià ceſſio nominis proprij debitoris facta creditori, nec in ſe, nec ex diſpoſitione iuris habet vim ſolutionis, nec ſatisfactionis, ergo non eximit debitorem cedentem ab onere reſtitutionis. Antecedens probatur latè per *Surdum conſ. 145. ſub nu. 5. verſ. 2. contrà Decium conſ. 99. in cauſa ſub num. 4.* & non inefficacitèr, nam per eum non ſoluitur, nec formalitèr, nec æquiualentèr, qui onus non aſſumit ſoluendi, nec iura præſumunt ſolutionem reſpectu abſentis, cui imponitur onus eiuſdem, niſi intercedat nouatio, quæ ex ſuperius dictis non poteſt eſſe ſine conſenſu.

Dices, ſolutionem præciſè conſiſtere in ipſa ceſſione nominis debitoris acceptata à creditore, nam ius, quod habet cedens aduerſus ceſſum, eſt ius reale pretio æſtimabile, per quod æquè ſeruata æqualitate poteſt extingui ius creditoris ceſſionarij, ac per pecuniam, cum creditum ceſſum ſubſtituatur loco pecuniæ ſoluendæ, præcipuè, ſi ipſe ceſſionarius ſpontè acceptet, nec requiritur conſenſus ceſſi, cum ceſſionarius acquirat omnia iura, quæ habebat cedens. Sed contrà, nam ceſſionarius non præſumitur abſolutè acceptare, ſed tantum conditionatè, ſi ceſſus conſenſerit, non recedendo interim à primæuis iuribus, quæ habebat aduerſus cedentem; vndè iure merito *Iacobus de Aren. tract. de ceſſion. act. nu. 75. tom. 3. part. 2. fol. 77., Ioannes de Graſſis tract. de ceſſio. iu. §. 2. ſub num. 11. tom. 3. part. 2. fol. 73.* docuerunt, quod ceſſionarius in data hypotheſi dicitur agere procuratorio nomine; neque inferas, hoc idem dici poſſe, ſi ceſſus conſenſerit, & fuerit præſens, ſiquidem ceſſionarius ageret ſolummodò per iura acquiſita antecedentia; non inferas, inquam, nam in hoc ſecundo caſu interuenit nouatio, & delegatio *Ioannes Andræas in addit. ad ſpecul. tit. de ceſſ. act. §. 1. in fin. in verbo deſunt. lib. 2., Paulus de Caſtro in l. 58. qui vſumfructum verſus fin. ſub num. 3. ibi aut. habebat ff. de verb. oblig., Dec. in l. 15. ſingularia ſub num. 26. ibi ſecundò principalitèr, & num. 27. ff. ſi certum petatur*, quæ nouatio, & delegatio *ex cit. iur.* habetur pro ſolutione iuxtà *Gloſ. in rubr. ff. de ſolut.* quæ nouatio, ſeu delegatio non interuenit non interueniente eo, cuius nomen ceditur, nec conſentiente.

Ceſſionarius non præſumitur acceptare abſolutè, ſed tantum conditionatè.

Reſpondeo ſecundò, ſtante tali ceſ-
ſione nominis debitoris abſentis facta 3
creditori non extinguitur primæua actio, quam habebat idem creditor aduerſus ſuum debitorem, ſed remanet in ſuo robore. Ità Doctores citati pro prima reſponſione. Probatur, per talem ceſſionem non liberatur cedens ab onere reſtitutionis, quod habet aduerſus ceſſionarium, ergo ceſſionarius poterit eadem actione agere aduerſus ipſum cedentem, qua poterat antecedenter agere. Conſequentia probatur, quià, vbi non ceſſat obligatio, nec deſinit primæua actio, quæ in eadem fundatur.

Vbi non ceſſat obligatio, nec deſinit primæua actio:

Reſpondeo tertiò, cedentem ſubiacere periculo rei ceſſæ, niſi ceſſionarius
fuerit in cauſa periculi per non adim- 4

ple-

Digitized by Google

plere tenebatur. *Decius conſ. 99. ſub nu.4.*, *Scaccia tract. de commerc. §.2. Gloſ.5. num. 253.*, *Surdus conſ. 145. ſub num. 6.* Probatur. Ad eum pertinet periculum, ad quem pertinet dominium rei, ſed in hypotheſi reſponſionis dominium adhuc pertinet ad cedentem, ergo &c. Minor probatur, tùm quia ceſſio non habet vim ſolutionis; tum quia ceſſionarius ſolum habet actionem procuratorio nomine; tùm quia non interuenit nouatio, nec delegatio, quæ ex diſpoſitione iuris habent in huiuſmodi ceſſionibus transferre dominium.

Ceſſionarius habet actionem ſolũ procuratorio nomine.

Dixi *niſi ceſſionarius fuerit in cauſa periculi per non adimplementum eorum, quæ ex vi ceſſionis adimplere tenebatur*, nam, quamuis ceſſionarius non acquirat abſolutè dominium rei ceſſæ, ex vi tamen ceſſionis ſibi factæ, & acceptatæ tenetur ea præſtare, quæ importat onus iniunctum, & acceptatum; vndè merito docet *Franciſcus Bec. conſ. 105.*, *Ioannes ſub num. 25. ibi hoc idem clarè*, & cum eo *Scaccia d. §. 2. Gloſ. 5. num. 254.* quod, ſi ceſſionarius fuerit in mora ad excutiẽdum nomen debitoris, adeo vt ratione moræ fuerit debitor factus impotens, qui prius non erat, periculum rei ceſſæ pertineat ad ipſum ceſſionarium, non ad cedentem. Ad hoc autem, vt ceſſionarius non dicatur in mora, ſeu in culpa, & negligentia, duo tenetur præſtare, & excutere nomen debitoris vtendo ſollicita diligentia in agendo contrà ipſum, & diligentiam producendo vſque ad finem per conſecutionem ſolutionis, vel per ſententiam declaratoriam, quod debitor fuerit excuſſus, & repertus non ſoluendo. Ratio eſſe poteſt, quià ceſſionarius ſe habet, vt procurator, qui debet conſummare mandatum ſuſceptum, & non conſumando præſumitur in dolo *l. dolus ff. mandati*, *Rota Genuenſis deciſ. 93. nomine num. 9.* & regulare eſt in iuribus, in quibus datur regreſſus à mandatario in mandantem, vt fiat prius excuſſio non ſolum debitoris, ſed etiam fideiuſſoris ſeruato ordine, qui de iure in his ſeruandus eſt *Salicetus in auth. ſed hodie num. 1. C. de action. & oblig.*, *Petrus de BellaPert. in auth. hoc ita verſ. ſed ponamus C. de pign.* quinimmò docent multi, ad regreſſum vltrà excuſſionem in bonis requiri etiam excuſſionem in perſona, quatenus debitor fiat incarcerari, vel ſaltem conſtet, fugam arripuiſſe, vel ſaltem capi nõ poſſe, & hoc cõgrua quidem ratione, quià, cum ceſſionarius ſit procurator, debet gerere vices cedentis, quantum fieri poteſt *Baldus in l. ſi quis num. 2. verſ. quæro ff. de Procurat.* ex quibus infert *Montic. tract. de inuent. c. 9. ſub num. 80.* quod debitor, cuius nomen ceditur, remaneat quodamodo obligatus, & cedenti, & ceſſionario, quatenus apud ipſum cedentem remaneat actio directa, & efficax, & quodamodò apud ceſſionarium vtilis, & poſſeſſio.

Enumerantur ea, quæ debet præſtare ceſſionarius, ne dicatur eſſe in mora.

---

§. XXIII.

An ceſſionarius per modum participationis cedens alteri ſimplicitèr eundem numerum ſibi ceſſum, ſi hic ſecundus attenta pari ceſſione per modum participationis non habet numerum ſibi ceſſum, poſſit agere contra cedentem.

SVMMARIVM.

Proponitur in terminis ſtatus difficultatis 1.
Ceſſionarius per modum participationis cedens alteri ſimplicitèr eundem numerum ſibi ceſſum non poteſt conueniri ab hoc altero, ſi hic ſecundus non habeat numerum ſibi ceſſum 2.
Ceſſio in dubijs interpretatur contrà ceſſionarium 3.

Diſquiſitio XXIII. Seius ceſſerat Teodorico certum Phylipporum numerum, quorum erat idem Seius creditor aduerſus Caium veriſimilitèr, ſeu quorum præſumebatur probabilitèr creditor, cum computa non eſſent liquidata; ceſſerat, inquam, ità tamen, vt eſſent periculo, & commodo eiuſdem Teodorici, quatenus ad eundem pertinerent, ſiuè illi Phylippi eſſent plures, ſiuè pauciores, quià tamen Caius ex eodem motiuo æqualem Phylipporum numerum alijs etiam debebat, Seius viſus eſt Theodoricum facere ceſſionarium participem pro facto illius numeri Phylipporum. Rurſus Teodoricus ceſſit Sempronio eundem certum numerum Phylipporum concepta ceſſione ſua hac forma, *e mi obligo per quanto tocca al mio fatto, e caſo proprio, e del predetto Seio li ſaranno certi, e ſicuri, donde nò, li pagarò de miei beni &c.* Tandem Sempronius eo modo, quo ſibi fuerunt ceſſi à Teodorico, ceſſit Ambroſio. His poſitis cum Ambroſius non poſſet illos Phylippos in integrum exigere, eo quià facta liquidatione, & ſtante participatione non aſcendebat ad illũm numerum, contendebat contrà hæredem eiuſdem Theodorici, qui 1

ſe

ſe obligauerat pro facto proprio, & Seij, vt integram ſummam ſibi ceſſam conſequeretur. Quæritur modo an talis actio ſit iuſta, & de iure ſuum debeat conſequi effectum. Rationes pro vtraque parte latè adducit *Scaccia tract. de commert. §. 2. Gloſ. 5. num. 274., & ſequent. vſque ad num. 280. excluſiuè*, qui tamen nihil determinat.

Reſpondeo, probabilius eſſe, actionem iniquam eſſe, nec de iure debere
2 ſuum effectum ſortiri. Ratio multiplex eſſe poteſt. Prima eſt, quià qualitas participationis adiecta ceſſioni minuit eandem ceſſionem *Scaccia tract. de commert. §. 2. Gloſ. 5. num. 274.* & efficit, vt tot debeant ſolui ceſſionario, ſi tot ex computis reſultent, maximè cum ex facto Seij, ad quod ſe obligauit Teodoricus, ceſſio quoad plus, vel minus ſtare debeat periculo, & commodo eiuſdem Teodorici, ergo, ſi ex computis non tot reſultent, quot fuerunt enuntiata, ceſſio per modum participationis non obligabit ad enuntiata, ſed ad numerum, qui ex computis reſultabit; neque dicas, Teodoricum videri ceſſiſſe ſimplicitèr ex eo, quod ſe obligauerit ad factum proprium, & Seij aſſumendo in ſe quodamodò periculum, dum dixit *mi obligo, che li ſaranno certi, e ſicuri, donde nò, li pagarò de' miei beni*; contrà enim impugnaberis, nam obligatio eſt quoad factum Seij, & dependentèr ab illo quoad factum proprium, quod totam vim habet ab eodem; cum igitur ceſſio Seij non fuerit abſoluta, ſed tantum per participationem, præſumendus eſt Theodoricus ſe obligaſſe tantum ad modum eiuſdem ceſſionis, cum credi probabilitèr nequeat, quod voluerit maius onus quoad rem ſibi ceſſam aſſumere, quam ſit ius, quod quoad illam acquiſiuit, nec promiſſio de euictione pro dato, & facto ſuo in rebus, ſeu iuribus ab alijs acquiſitis extendenda ſunt vltrà ius ab alijs acquiſitum, quando ius illud eſt per participationem, niſi aliud fuerit expreſſum.

Qualitas participationis adiecta ceſſioni minuit vim eiuſdem ceſſionis.

Nemo præſumitur velle maius onus, quam ſit ius, quod acquiſiuit.

Ratio eſſe poteſt ſecundò, quià re-
3 gularitèr ceſſio in dubijs interpretatur contra ceſſionarium *Scaccia tract. de commert. §. 2. gloſ. 5. num. 276.* qui pro ſe citat *Franc. Bec. conſ. 105. in fin.* ſed an ceſſio facta per Teodoricum Sempronio, & per Sempronium Ambroſio ſit ceſſio ſimplex, & abſoluta, an verò per participationem, eſt maximè ſub dubio, ergo interpretanda eſt contrà ceſſionariū, quod fuerit per participationem, non abſoluta; neque obſtare poſſunt illa verba addita in contractu ceſſionis factæ per Theodoricum Sempronio *mi obligo, che li ſaranno certi & ſicuri, donde nò; li pagarò de' miei beni*; non, inquam, obſtare poſſunt, nam ea verba referuntur non ad quantitatem determinatam abſolutè, ſed ad quantitatem, prout ex facto Seij, & prout reſultabit ex computis, prout ſuprà dicebamus.

refe- tur qua- tate pro fact-

Dices, qui alteri cedit ius ſuum acceptanti præſente ceſſo, & conſentiente, quamuis non teneatur probare ceſſum eſſe ſoluendo, tenetur tamen probare eſſe ſuum debitorem; ergo, ſi cedat quoad illam quantitatem, tenetur probare, debitorem eſſe quoad illam, adeoque, ſi non erit debitor quoad eandem, ceſſionarius habebit regreſſum aduerſus cedentem. Sed contrà, quià non tenetur cedens probare ceſſum eſſe ſuum debitorem, niſi eo modo, & ſecundum eam quantitatem, ſecundum quam ceſſit; non ceſſit autem abſolutè, & ſimplicitèr, ſed limitatè, & per modum participationis, adeòque non tenetur probare, niſi quoad hunc modum.

---

§. XXIV.

An liberetur debitor à debito, ſi campſor ad ipſius inſtantiam promittat creditori ſe ſoluturum, ſed ante ſolutionem vergat in decoctionem.

SVMMARIVM.

Proponitur ratio difficultatis 1.
Debitor per promiſſionem ſolutionis, factam per publicum campſorem creditori, antequam campſor vergeret in decoctionem, liberatur à debito, nec amplius ad ipſum datur regreſſus 2.
Mercatores, & campſores promittentes pro alio non ſe habent, vt merè fideiuſſores 3.
Limita in caſibus adductis per Manticam 4.

Diſquiſitio XXIV. Titius debitor Antonio de centum nummis aureis mandauit Teophilo Campſori, vt eidem Antonio ſolueret, vel promitteret pro ſe de ſolutione talis ſummæ. Promiſit Teophilus Antonio, ſed ante poſitam ſolutionem decoctus fugijt, ſeu ceſſit foro. Controuerſum fuit, an Titius fuerit liberatus ab onere ſolutionis, an verò Antonius habeat regreſſum 1
ad

Digitized by Google

ad ipſum pro ſolutione. Omiſſis ijs, quæ latè congerit *Scaccia loc. cit. n. 293. & ſeq.* diſputans pro vtraque parte.

2 Reſpondeo, debitorem liberari, nec amplius dari regreſſum pro ſolutione ad eundem *Bartolus in l. 15. ſingularia num. 49. ff. ſi certum petatur Afflictus deciſ. 353. dubia num. 5. Stracch. tract. de decoct. part. 5. ſub num. 5. verſ. incurrit num. 6. part. 1. fol. 320.* Colligitur ex ijs, quæ dicta ſunt ſupra *ſub hoc eodem tit. §. 21. num. 2., & ſequentibus*, quæ ibi recole. Vlterius ſic euincitur, quià per delegationem, & nouationem propriè extinguitur debitum, cum delegatio, ſeu nouatio propriè vim habeat ſolutionis iuxtà ſuperius allegata *Gloſa in rubr. ff. de ſolution.* ſed in hypotheſi, de qua loquimur, interuenit delegatio, & nouatio, cum vnus in ordine ad ſoluendum ſubſtituatur loco alterius, & ſubſtitutus non ſit ex eadem, ſed ex alia cauſa, ergo &c.

Promiſſio campſoris eximit debitorem ab onere debiti.

Dices primò, hæc vera eſſe, quandò campſor promittens pro debitore eſſet ex priori cauſa debitor eiuſdem debitoris, eo quia tunc propriè fieret nouatio, ſecus autem, quandò non eſſet debitor, cum tunc campſor intercederet tantum, vt fideiuſſor, per cuius acceſſionem non extinguitur onus principalis, pro quo fideiubet. Sed contrà, quià, quamuis non eximeretur debitor ab onere ſolutionis, quandò promittens, qui non eſt campſor, nec mercator, non eſſet debitor eiuſdem debitoris, vt iuxtà communem opinionem docet Scaccia, fallit tamen, quandò promittens eſt campſor, vel mercator *Paulus de Caſtro in l. 58. qui vſufructum num. 3. quæſt. vltima ff. de verb. oblig.* quià promiſſio facta per campſorem pro alieno debito habet vim ſolutionis *Rota Genuenſis deciſ. 4. dum indicauit ſub nu. 9.*, & ſpeciem quoad effectum inducit delegationis, etiam ſi delegetur is, qui non eſt debitor delegantis, dummodò is promittat, & debitor acceptet *Afflictus decis. 353. nu. 3. in fin., Stracch. tract. de decoct. part. 5. nu. 5. verſ. incurrit tom. 6. part. 1. fol. 320.*, qui etiam docet, pacta inter mercatores haberi loco ſtipulationis. Qua propter meritò docet *Scaccia §. 2. Gloſ. 5. n. 296.* ex communi Campſorum ſtilo, & praxi ſoluentem tractas ſuper alio retinere obligatum illum alium, & non ſcribentem nulla facta diſtinctione, an ille alius ſit, vel non ſit debitor facientis tractam.

Pacta inter mercatores habent vim ſtipulationis.

3 Dices ſecundò, promiſſionem campſoris, cum non contineat plus, quam obligatio debitoris, non videri in dubio inducere receſſum ab obligatione eiuſdem debitoris, ſiquidem, vt aſſerit *Bartolus in conſ. 99. tertius lib. 1.*, & cum eo *Paulus de Caſtro in d. l. qui vſufructum ſub num. 3. quæſt. vlt.*, ſi quis tertius promittat creditori id, quod debitor ipſi debet, promittens cēſetur fideiuſſor, qui propterea conueniri non poteſt, niſi prius excuſſo principali debitore. Sed contrà, hæc, quæ dicuntur, ceſſant in obligationibus aſſumptis à campſoribus, & mercatoribus, & ab eiſdem acceptatis, de quorum ſtylo eſt, & communitèr receptum, vt aſſumendo in ſe onus pro alio illum alium liberent ab onere, nec debent cenſeri præcisè, vt fideiuſſores, quandò debitum alterius in ſe transferunt, & promittunt ſolutionem loco debitoris, quià eligere debitorem campſorem, ſi hic promittat pro alio, importat nouationem *Alexander in l. 58. qui vſumfructum n. 6. verſ. idem etiam eſſet ff. de verb. oblig., Pariſ. conſ. 107. quæritur ſub n. 18. lib. 3., Mantic. de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 1. c. 7. in fin. ſub nu. 35.*, & liberat ipſum debitorem, quod aſſerit *Scaccia d. §. 2. gloſ. 5. nu. 245.* eſſe vtile ſcire, quià in dies frequentèr hoc euenit, vt ſcribit *Paulus de Caſtro d. l. 58. quis vſumfructum.* Quod, ſi ſupponas, ex modo promittendi campſorem acceſſiſſe dumtaxat, vt fideiuſſorem, adhuc contrà ipſum agi poteſt etiam debitore principali non excuſſo propter fidem, quæ præſtatur campſoribus publicis promittentibus *Gloſ. penult. in verbo moderno auth. de fideiuſs. in fin. col. 1., Vincentius de Franchis deciſ. 303., Benedictus n. 3. in fin.* nec incongrua ſane ratione, nam debitor cenſetur liberatus, quandò campſor obtulit pecuniam creditori *Baldus conſ. 349. factæ fuerunt ſub num. 3. verbo amplius ſciendum eſt lib. 1.* ergo etiam cenſetur liberatus, quandò campſor abſolutè pro ipſo promiſit, qui ſemper præſumitur habere promptam pecuniam, & abſolutam *Scaccia d. §. Gloſ. 5. num. 297.* iuxta mentem *Bero. conſ. 194. in præſenti cauſa nu. 1. lib. 1.*

Dices tertiò ex ſuperius dictis *ſub hoc eodem tit. de cambijs 1. §. 20.* campſor, qui accepta pecunia dedit ſoluenti literas cambij non liberatur ab onere reſtitutionis, etiam ſi ille, ad quem literæ diriguntur, quique etiam ſupponitur campſor, eas acceptet, non tamen ſoluat, vt per iura ex Rota Romana ibidem allegata, ergo neq; liberabitur ab onere reſtitutionis ergà ſuum creditorem debitor, etiam ſi aſſignet campſorem, qui pro ipſo promittat, non tamen ſoluat. Conſequentia probatur, quià

ex vno capite ille, qui acceptat literas cambij, ſupponitur campſor, & ipſa acceptatio habet vim promiſſionis, ex alio in ordine ad hunc effectum parum refert, quod debitor ſit campſor, vel non ſit talis. Sed contrà neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis eſt, quià literarum acceptatio nudè ſumpta non habet vim promiſſionis, nec ſolutionis iuxtà allegata *ſub eodem §. 20. verſ. probatur ſecundo*, nec eſt nouus contractus, ſed pars prioris contractus literarum cambij, vt ibidem aduertebamus ex doctrina Scacciæ. Recole, quæ ibi dicta ſunt.

Literarũ acceptatio non habet vim promiſſionis

4 *Mantica tract. de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 17. in fin. ſub num. 35.* aſſerit non ſemper campſorem promittentem pro debitore ipſum liberare ab onere ſolutionis, ſed quandòque accedere tantum, vt fideiuſſorem. Ad dignoſcendum autem, quandò accedat vt liberator, & quandò vt ſimplex fideiuſſor, affert varios dicendi modos, quibus campſor poteſt promittere, iuxtà quos diuerſas infert obligationes, ſic ſi debitor dicat *Do tibi talem campſorem pro me, & hic promittat, & tu acceptes* aſſerit, quod campſor accedit abſolutè, vt liberans debitorem, & aſſumens in ſe onus illius, ſi verò dicat, *do tibi talem campſorem pro tanta quantitate promittentem, & propter me* aſſerit accedere ſimpliciter, vt fideiuſſorem; à quo ſenſu non longè videtur abeſſe *Baldus in conſ. 349. facta fuerunt ſub nu. 3. verbo ſciendum eſt lib. 1.* dum dicit, quod campſor promittens creditori debitoris de ſoluendo ſine expreſſione liberationis debitoris non liberet eundem debitorem, eo quià tunc ſolum addita eſt obligatio nouæ perſonæ, & ideò durat creditori actio prima, ſi verò campſor ſit ſimul promittens, & offerens ex tunc præſumatur nouatio, & liberatio primi debitoris. Sed quidquid ſit de huiuſmodi dicendi modis, certum eſt, quod, ſi non exprimatur, quod campſor accedat ſolum, vt fideiuſſor, ſemper præſumatur, quod accedat, vt liberator, eo quià, vt ſuprà ex allegatis iuribus dicebam, promiſſio campſoris ex communi mercatorum ſtylo, & inueterata conſuetudine habetur pro actuali ſolutione, & nouatione, vt teſtantur Doctores, de quibus ſuprà.

Varij caſus, in quibus non liberant, ſed accedunt ſolum, vt fideiuſſores.

Regulariter accedunt, vt liberatores, niſi aliud exprimatur.

§. XXV.

Quid agendum, quandò reſpondens campſoris non acceptat literas cambij, & quid in hoc caſu operetur proteſtatio.

SVMMARIVM.

Exponitur caſus in particulari. 1.

Reſpondente non acceptante literas cambij creditor vti debet remedio proteſtationis. 2.

Proteſtatio facienda eſt intra triginta dies à die ſolutionis faciendæ. 3.

DIſquiſitio XXV. Soluerat Seius cuidam campſori centum nummos 1 aureos Mediolani, vt eoſdem Romæ reſtitueret; Dederat campſor literas ad ſuum reſpondentem Romam dirigendas, ſed antequam illuc peruenirent, vel reſpondens decoxit, vel, poſtquam peruenerint, noluit literas acceptare. Quæritur, quod ſit tunc per Seium peragendum?

Reſpondeo vti debere remedio proteſtationis, ſine qua in foro externo 2 Seius amitteret ius ad lucrum illorum nummorum aureorum, & ad intereſſe vſque ad integram ſolutionem. Colligitur ex *Rota Genuenſi deciſ. 8. in cauſa Bartolomæi num. 19.* iuxta ſtatuta eiuſdem Vrbis *lib. 2. cap. 4.*, quæ licet videantur ſolum obligare in eodem Statu Genuenſi, ex communi tamen conſuetudine vbiq; recepta, vt teſtatur *Scaccia d. §. 2. gloſ. 5. n. 316.* extenduntur ad omnem locum, idem *Scaccia §. 7. gloſ. 5. num. 4.*, nec incongrua ſanè ratione, tùm quià poſſet ſubeſſe dolus; tùm quià, ſi non fieret huiuſmodi proteſtatio, campſor poſſet præſumere, quod literæ per ipſum datæ eſſet ſolutæ; tùm quià tandem ità in iure ſtatutum eſt.

Ex ijs nonnulla pro claritate dedu- 3 cenda ſunt, & primò, quod huiuſmodi proteſtatio facienda eſt intra triginta dies à die ſolutionis faciendæ, alias creditor non videtur habere ius ad redimendum lucrum pretij campſori ſoluti iuxtà eadem *ſtat. Genuenſia lib. 4. c. 15.*, quæ ſtatuta, cum concordent cum diſpoſitione iuris communis, habent communem in omni loco inducere obligationem *Scaccia d. §. 2. gloſ. 5. num. 318.*

Secundò huiuſmodi proteſtationem fieri

Digitized by Google

Poteſt fieri proteſtatio etiam à procuratore, cum ſufficienti mandato, & ab adiecto ſolutioni.

fieri poſſe non ſolum ab ipſo creditore, ſed etiam ab ipſius procuratore cum ſufficienti mandato, quinimmò ab adiecto ſolutioni, adeò vt, ſi per aliquem ipſorum omittatur, varia transferat onera, ſic in particulari, ſi ipſe creditor non proteſtetur, & non remittat literas proteſtatas intra terminum dictorum dierum triginta, lucrum cambij amittit, & ius agendi in ordine ad futurum intereſſe, quod idem dicendum videtur, ſi omittantur proteſtationes per procuratorem creditoris, vel per adiectum ſolutioni; in hoc tamen caſu poſſet creditor agere contra Procuratorem, ſeu adiectum ex culpa, vel mora in proteſtando &c. Non immoror in hac materia de proteſtationibus, eo quià vberrimus de ipſis, tùm quoad earum naturam, & conditiones, tùm quoad ordinem infrà occurret ſermo.

CON-

Digitized by Google

CONTRACTVS V.

De Cambijs II. ideſt de ſecunda ſpecie cambij in particulari de loco ad locum per literas.

NOn abs re hoc genus cambiorum localium in particulari examinandum proponimus; peculiares etenim continet difficultates, quæ non niſi peculiari, diſtinctoque examine attingi valent, & ſuperari. Plura, quæ ſunt communia huic cambiendi generi, cambijſque manualibus, ſeu minutis in præcedentibus prænotionibus, & diſquiſitionibus attigimus, nunc quæ ſpecialia ſunt, & per quæ ſpecialitèr localia à manualibus diſtinguuntur, ſunt inquirenda, in quibus, quià regularitèr plures interueniunt perſonæ, nempe campſor, campſarius, correſpondens campſoris, & correſpondens campſarij, item literæ, & alia plura, ideò horum omnium qualitates, conditiones, & ordines diſcuſſioni ſubijcimus, omittentes ea, in quibus communicant cum cambijs minutis, vel quià iam diſcuſſa ſunt, vel ſaltem facile ex diſcuſſionibus præcedentibus deduci poſſunt.

PRÆNOTIO I.

Quot modis fiat cambium locale, & an vtile, & licitum ſit.

Campſor, vel poteſt prius tradere, vt recipiat, vel prius recipere, vt tradat. 1.
Rationes dubitandi pro vtroque modo. 2.
Cambium, quo campſor prius recipit, vt reſtituat, vtile, & licitum eſt. 3.
Non iuſtificatur lucrum ex hoc cambio ex eo, quod pecunia præſens magis valeat, quam abſens. 4.
Nec obſtat, quod abſentia ſit in fauorem campſuarij. 5.
Iuſtificat lucrum virtualis traiectio in fauorem campſuarij. 6.
In onere virtualis traiectionis interuenit locatio operarum. 7.
In hodiernis cambijs hæc ratio virtualis traiectionis attenditur. 8.
Eliduntur rationes Mercati. 9.
Iuſtificatur etiam lucrum in cambio ratione aſſecurationis, quam præſtat campſor. 10.
Iuſtificatur etiam lucrum in cambio ratione inæqualis valoris in loco ſolutionis, & reſtitutionis, & quomodo. 11.
Non eſt idem valor legalis pecuniæ minutæ in loco, vbi nummus aureus pluris æſtimatur, ac vbi minoris. 12.
In ſuppoſitione, quod valor legalis pecuniæ aureæ ſecundum ſe ſit diuerſus in diuerſis locis compenſatio facienda eſt pro exceſſu. 13.
Data inæqualitate valoris legalis pecuniæ in loco ſolutionis, & in loco reſtitutionis poteſt adhuc campſor exigere lucrum virtualis traiectionis, ſi inæqualitas ſit ſolummodò materialis, & in numero, ſecus ſi formalis, & in valore. 14.

Cam-

Digitized by Google

Cambium, quo campſor prius dat, vt alibi recipiat, non eſt illicitum, nec vſurarium. 15.
Saluatur etiã in hoc caſu virtualis traiectio, qua campſor hùc virtualitèr transfert pecuniam abſentem campſuarij. 16.
Non eſt titulus ſufficiens ad iuſtificandum lucrum in hoc cambio præciſa abſentia pecuniæ. 17.
Excluditur titulus carentiæ pecuniæ adductus à Leſſio, vt iuſtificatiuus lucri. 18.
Niſi fortaſsè intelligatur illatiuè ob lucrum ceſſans, vel damnum emergens. 19.
Limita tamen poſt conſtitutionem Pij V. 20.
Quatuor cauſæ extrinſecæ variantes rerum valorem. 21.

1 MVlta quoad propoſitam difficultatem fuerunt in præcedentibus actitata, ad quæ vos remitto, ne repetam, quæ iam dicta ſunt, & de vno ſine vtilitate in alium transferam locum, ſeu vt vulgo dicitur de carta in papirum. Singularitèr hic ſciendum eſt, duobus modis poſſe huiuſmodi cambia celebrari; primò, quatenùs campſor prius à campſario recipit pecuniam, vt alium in locum reſtituat; Secundò, quatenùs campſor prius tradit campſario in hoc loco, vt deindè eandem in alio recipiat cum incremento. Circà hos duos cambiendi modos præſens reuoluetur prænotio, & quidem circa primum prima ratio dubitandi erit, an cambium tali modo initum ſit vtile, & licitum. Secunda ex ſuppoſitione, quod ſit licitum, quinam ſint tituli ipſum iuſtificantes. Tertia, quid ſentiendum ſit in hoc cambiendi genere, quandò valor pecuniæ non eſt æqualis in loco, in quo traditur, & in loco, in quo debet reſtitui. Quarta, an vbi eſt lucrum titulo maioris valoris poſſit etiam eſſe ex alio titulo traiectionis virtualis, & qua ratione, & his ſimilia ex ipſis deducenda.

In cambijs, vel campſor prius recipit, vt reſtituat, vel prius tradit, vt poſtea recipiat.

2 Circà ſecundum modum primò inquiretur, an cambium ſic initum licitum ſit cum lucro reſpectu campſoris prius dantis. Secundò, explicabuntur tituli, ſi qui ſunt, iuſtificantes. Tertiò, in hoc ſecundo modo cambiendi, an interueniat locatio operarum, an verò ſolummodò pecuniæ abſentis pro præſenti, vel è contrà permutatio.

Dubitationes circa vtrumq; modum.

3 Aſſertio I. Cambium per literas primo modo vtile nedum eſt, ſed etiam licitum ſecundum ſe *Nauarrus in manual. Confeſſ. c. 17. de vſura circa cambia n. 289.* qui etiam teſtatur de communi *in c. nauiganti num. 21. verſ. decimo quinto de vſuris. Ioannes Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 10. tit. de cambijs c. 5. quæſt. 2. in fine. Laurentius de Rodulph. c. contulit part. 3. ſub num. 1. de vſuris. Archiepiſc. Florent. tract. de vſuris §. 48., Lugus de Cambijs diſp. 28. ſect. 3. num. 32., Molina diſp. 403., Leſſius de iuſt. & iu. c. 23. dub. 3.*

Probatur prima pars, quià maximè confert bono Reipublicæ, eiuſdemque Ciuibus, vt pecuniam, qua quis indiget in alio loco ad propria munera obeunda, facile inuenire poſſit ſine periculo traiectionis, ſine viarum incommodis, alijſque paſſim obuenientibus. Item valdè expedit Reipublicæ commodo, vt merces, quibus caret, facilè iuuehi poſſint in Prouinciam, ſeu Regnum, quod facilè haberi non poſſet ſine virtuali pecuniæ traiectione. Tandem, quià quandòque non congruit, vt extrahatur de Regno pecunia, & tamen ex neceſſitate eſſet extrahenda, ſi cambia localia non adeſſent; hoc aſſertum ſic euincitur, quià, cum aliqua Prouincia multis careat, tum ad bona naturæ, tum perſonæ neceſſaria, certè inuehi non poſſent ſine extractione pecuniæ, niſi cambiorum praxis eſſet inducta.

Vtilitates, quæ Reipublicæ proueniunt ex cambio per literas, quo campſor prius recipit.

Probatur ſecunda pars. Permutatio, qua permutatio eſt pecuniæ præſentis pro abſenti non eſt opus illicitum, nec deprauatur, ſi debita ſeruetur æqualitas attentis debitis, & omnibus conditionibus, ſed huiuſmodi eſt cambium, de quo hic loquimur, in quo illud lucrum, quod per campſorem acquiritur, non tollit æqualitatem requiſitam, quandòquidem correſpondet alijs iuribus pretio æſtimabilibus, ſeu obſequijs, quæ præſtat campſor in fauorem Campſarij, ergo &c. Minor patebit ex ſequenti aſſertione, in qua aſſignabuntur tituli iuſtificantes acquiſitionem illius lucri.

Permutatio qua permutatio eſt, nõ eſt actio illicita.

Aſſertio II. Regularitèr non eſt titulus ſufficiens ad iuſtificandum incrementum, quod exigit campſor in cambio locali, ille, quo dicitur, quod pecunia præſens magis valeat, quam abſens. *Thomas Mercatus tract. de Cambijs c. 5. num. 2., Salonius de Cambijs quæſt. 4. art. 2. num. 10.* 4

Probatur primò, quià in data hypotheſi aſſertionis campſor non dat pecuniam præſentem, vt recipiat abſentem, ſed vice verſa recipit præſentem, vt abſentem eroget, & nihilominus lucrum ipſe recipit, ergo ex iſto titulo non iuſtificatur illa lucri acquiſitio. Conſequentia probatur, quia ratio, cui innititur ſententia iuſtificans hunc titulum ea eſt, quià pecunia præſens eſt æſtimabilior, & pretioſior, quam ſit

abſens

abſens *Silueſter verbo vſura 3. quæſt. 4. circa finem, Nauarrus in comment. de Cambijs num. 62.* Sed hæc ratio non fauet campſori recipienti pecuniam præſentem, quin potius derogat eiuſdem iuri, vt ex ſe patet, ergo &c.

Quandòque pluris æſtimatur pecunia abſens, quę præſens præcipue apud mercatores.

Probatur ſecundò, quia quandòque eſt magis pretio ęſtimabilis apud campſores pecunia abſens, quam præſens; cum illam aliò ad negotiationes tranſmittant, & tamen ſemper campſores lucrum exigunt, ergo motiuum præſentiæ, vel abſentiæ pecuniæ in data hypotheſi non eſt ſufficientèr iuſtificatiuum illius luceri, quod per Campſorem acquiritur.

5

Dices primò, quod, quamuis campſori expediat habere ſuam pecuniam abſentem proptèr rationem in probatione adductam, poſſit tamen lucrum inde reportare, quià illa abſentia eſt in vtilitatem campſuarij, quod autem fit in vtilitatem alterius per eum ſoluendum eſt, in cuius vtilitatem fit *Baldus, & Felinus in c. primo de teſtamentis* ad quod etiam facere videtur textus *in c. ſtatutum §. profectò de reſcriptis in 6.* vbi dicitur, quod teſtis productus, etiam ſi iuret ex vtraque parte compenſandus ſit in expenſis, ſi quas fecit, per eum, qui illum produxit, & ratio adducitur, quia ſcilicet ad ipſius inſtantiam, & in eius vtilitatem fuit adductus, ergo etiam cum abſentia pecuniæ ſit in vtilitatem Campſuarij erit per ipſum compenſanda. Sed contra, quià, quamuis illa abſentia cedat in vtilitatem campſarij, non proptereà eſt pretio aliquo per eundem compenſanda, quià abſens, vt abſens præciſè non exigit maius pretium, niſi fortaſſis in loco, in quo eſt, habeat maiorem æſtimationem, ſecundum quam pluris taxetur, & vtilitas, quam indè percipit campſuarius, non eſt maioris pretij digna, ac exigat pecunia ipſa ſecundum ſe ſumpta, ſicuti ex eo, quod quis ſit maiorem vtilitatem percepturus ex re empta, quam alius, non debet in illius emptione maius pretium erogare, quam ille alius, ſed tantum ſecundum quod exigit res ipſa empta. Ad id, quod dicitur ex textu *in c. ſtatutum de reſcriptis in 6.* de teſte producto dicendum eſt ipſum debere compenſari per producentem, eo quià opus per ipſum teſtē exercitum eſt meritorium lucri propter expenſas, quas fecit veniens ad iurandum, vel propter incommoda, quæ ſubit in examine, vel propter damna, quibus ſubiacet, quæ, cum ſint ſecundum ſe meritoria lucri, ſunt compenſanda vtique per eum, qui produxit. Quod ſi dixeris, etiam campſorem opus exercere meritorium lucri per traiectionem virtualem pecuniæ in locum abſentem; ſtatim impuguaberis primò, quià iam titulus acquiſitionis non eſſet præciſè ex abſentià, vel præſentia, de qua hic agitur, ſed ex tali traiectione, de qua infrà erit ſermo. Secundò, quià illa abſentia eſt de intrinſeca ratione cambij localis, ratione cuius proptereà non poteſt exigere aliquod lucrum diſtinctum ab ipſo cambio.

Teſtis productus etiam ſi iuret ex vtraq; parte cõpenſandus eſt per illũ, per quem fuit productus.

Reſponſio ad textum in c. ſtatutum de reſcriptis in 6.

Abſentia eſt de intrinſeca ratione cambij localis.

Dices ſecundò, campſorem, quamuis recipientem pecuniam præſentem poſſe nihilominus lucrum aliquod exigere ratione pecuniæ abſentis, quam debet erogare, quià in ſe aſſumit pericula illius pecuniæ abſentis alibi reſtituendæ. Sed contrà primò etiam, quià iam illud lucrum eſſet non ratione abſentiæ præciſè, ſed ratione periculorum, quæ aſſumeret. Secundò, quià, vt videbimus infrà, non eſt de intrinſeca ratione huius contractus, quod pericula pertineant ad campſorem, adeòque quod lucrum acquiratur ratione huiuſmodi periculorum eſt præter naturam contractus.

Probatur tertiò. Non licet in mutuo exigere aliquod lucrum ratione diſtantiæ temporis præciſè, vt latè diximus ſub tit. *Contractus III. ſparſim per prænot. & diſquiſ.* ergo neque licebit in cambio lucrum acquirere ratione pecuniæ abſentis à loco. Conſequentia probatur, quia non minus quoad effectus, & incommoda dici poteſt pecunia abſens, quæ diſtat loco, ac quæ diſtat tempore, ergo, ſi ratione diſtantiæ temporis præciſè non licet aliquid exigere ſupra ſortem in mutuo, neque ratione diſtantiæ loci, ſeu abſentiæ licebit lucrum acquirere ex cambio; tota etenim ratio, cui innititur contraria ſententia in eo fundatur, quod pluris valet pecunia præſens, quam valeat abſens. Antecedens probatur, tum quià æquè ſubiacere videtur periculis pecunia, quæ diſtat loco, ac quæ diſtat tempore; tum quià æquè non habetur in promptu, quæ ſolum habetur poſt aliquod tempus, ac quæ debetur in alio loco.

Paritas ex diſtantia temporis ad diſtantiã loci.

Æquè ſubiacet periculis pecunia, quæ diſtat loco, ac quæ diſtat tempore.

Dices primò. Ex Conſtitutione Piana præallegata ſub hoc eodem titulo *de Cambijs I. Prænot. 6. num. 11.* habenda eſt ratio longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinata eſt, nulla verò fit expreſſio de longinquitate, & vicinitate temporis, ergo, quià diſtantia loci confert ad lucrum,

Digitized by Google

crum , non ſic diſtantia temporis . Sed contra recole, quæ dicta ſunt *tit. cit. Prænot. 6. n. 11.* vbi dictum eſt illa verba, *cauendum eſt, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum*, non eſſe referenda ad maius, vel minus pretium cambij taxandum, ſed tantum ad aſſignandum terminum competentem pro ſolutione, ex quo efficax ſic efformo argumentum ad rem noſtram. Maior, vel minor longinquitas locorum, in quibus deſtinata eſt ſolutio, non confert ad maius, vel minus pretium, ſeu lucrum cambij, ergo neque abſentia præciſè conferre poteſt ad lucrum ſimpliciter. Conſequentia probatur, quiâ, ſi ratio abſentiæ eſſet lucratiua, ſeu formalis ratio lucrandi, non eſſet, cur ratio maioris abſentiæ non eſſet magis lucratiua, ſicuti enim ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, itâ magis ad magis, & minus ad minus *l. nec in ea §. ius occidendi ff. de adul., & ſtu., & l. 1. §. quod ait Prætor in fin. ff. de ſuperficiebus*.

Maior, & minor vicinitas eſt in ordine ad aſſignandum terminũ ſolutione.

Dices ſecundò, mutuum, quà mutuum eſt non eſſe fructiferum, benè tamen cambium. Sed contrà, cambium eſt quidem fructiferum, ſed eſt tale ratione alicuius conditionis annexæ, quæ debet eſſe fructifera, & meritoria alicuius lucri, cęteroqui non haberet quid magis, quam haberet mutuum, ſicuti autem abſentia quoad tempus non iuſtificat lucrum in mutuo ſuprà ſortem, ità nec diſtantia quoad locum ceſſante quocunque periculo iuſtificare poteſt lucrum in cambio, & ſic aliundè petenda eſt ratio iuſtificans in cambio illud intereſſe, quod exigitur per campſores.

Cambiũ eſt fructiferum ratione conditionis annexa.

6 Assertio III. Virtualis traiectio ab vno in alium locum in fauorem campſuarij eſt ſecundum ſe ratio iuſtificatiua illius lucri congrui, quod exigitur per campſores *Angelus verbo vſura n. 53., & ibi Scholiaſtus ipſius Iacobus Vngarelus. D. Antoninus tertia parte tit. 8. c. 3. in principio, Silueſter verb. vſura 4. num. 8. prope medium*, à quibus diſcordare non videtur *Mercatus tract. 2. de cambijs c. 5.* quamuis exiſtimet, hunc titulum ſecundum præſentem praxim non conſiderari.

Probatur primò. Ipſa realis traiectio, ſi fieret, eſſet re vera meritoria mercedis, & pretij, importat etenim laborem, & expenſas, ergo etiam erit meritoria mercedis, & pretij ipſa virtualis traiectio eo modo, quo fit per campſores. Conſequentia probatur, quia in ordine ad effectum, & vtilitatem campſuarij virtualis traiectio æquiualet reali, & quamuis campſor re vera non traiciat, hoc omninò per accidens eſt, & ipſius induſtriæ imputandum, nec per hoc tollitur ius, quod habet ad lucrum ratione traiectionis, nam oneri ipſius incumbit traiçere, quod, ſi deindè ab hoc onere ſe eximat per aliquod æquiualens quoad effectum ſine labore, & expenſis, fortuna ipſius eſt, & induſtria. Ad hoc confirmandum adducit *Lugus de iuſt., & iu. diſp. 28. de Cambijs ſect. 3. n. 53.* exemplum de eo, qui, cum Romæ exiſtens habeat litem ſibi intentatam Mediolani, cumque Mediolanum aliquem mittere deberet, conuenit cum alio de determinato pretio, vt hic alius perſonam aliquam mittat, vt liti aſſiſtat. Hic certè alius poteſt conuentum illud pretium exigere, quamuis non ſit miſſurus Mediolanũ, qui aſſiſtat, cum Mediolani habeat famulum, qui poteſt aſſiſtere. Rurſus communiter afferunt exemplum de Agaſone, & nuntio, qui, cum aſſumpſerit onus pro determinato pretio tranſferendi in locum remotum pecuniam alterius, poteſt illud pretium exigere etiam ſi actu non transferat, ſed ex induſtria alium inueniat, qui accepta hic illa pecunia paratus ſit illam in loco, ad quem eſſet transferenda, erogare, quod certè lucrum, ſeu pretium tanquam iniquum non damnant *Lugus de Cambijs diſp. 28. ſect. 3. nu. 53., Salas tract. de Cambijs dub. 8. n. 2., & alij communiter*.

In ordine ad effectum æquiualet virtualis traiectio reali.

Paritas ad rem noſtram confirmandam accomoda.

Probatur ſecundò. Locatio propriæ operæ, & induſtriæ eſt iuſtè ſecundum 7
ſe meritoria lucri ad proportionem eiuſdem operæ, & induſtriæ, ſed in illa virtuali traiectione pecuniæ de vno in alium locum, ſeu in onere aſſumpto illius virtualis traiectionis propriè reſultat locatio operæ, & induſtriæ ad traijciendum, ergo &c. Minor probatur, quiâ campſor obligans ſe ad traijciendum, obligat ſuas operas, & induſtriã, non minus, ac ſe obliget nauta ad transferendas merces, ſed hic dicitur locare ſuam operam, & induſtriam, ergo & ille; Neque obſtare poteſt, quod nauta impendat operam, & laborem, non ſic campſor; non, inquam, obſtare poteſt, nam, licet hic non impendat formalitèr, impendit tamen æquiualentèr, & in ordine ad effectum perindè ſe habet, ac ſi formalitèr impenderet, nec campſuarius debet magis curare, quam quod habeat pecuniam in loco, in quo ipſa indiget, ſiuè vno, ſiuè alio modo ibi habeat. Quod, ſi inſtes, campſorem ex motiuo præciſè vtilitatis alterius ſcilicet campſuarij non poſſe

Obligans ſe ad traijciendũ obligat ſuas operas, & induſtriam.

Digitized by Google

quid exigere, ſicuti nec poteſt exigere mutuans ex præciſo motiuo vtilitatis mutuatarij, adeòque ex eo, quod campſuarius habeat pecuniam in loco, in quo indiget, non poſſe campſorem quid exigere, niſi operam, ſeu laborem impenderit, ratione cuius illud conſequatur, ſeu mereatur; ſtatim impugnaberis, quià nos non dicimus, campſorem exigere præcisè ratione vtilitatis campſuarij, ſed ratione muneris, quod præſtat in fauorem eiuſdem campſuarij, quod munus prout actu fit, licet non ſit actu connexum cum labore, & operibus, eſt tamen connexum cum induſtria, quæ æquiualet eidem labori, & operibus, quæ induſtria conſiſtit in eo, quod ibi habeat pecuniam paratam, quò deberet transferre, vel fortè etiam cum fortuna, quatenus campſor forte reperitur ibi habere pecuniam quò ex vi cambij deberet tranſmittere. Quid enim vetat, quominus, quis habens res ſuas Romæ ex induſtria ibi acquiſitas poſſit eaſdem eodem pretio ibi alienare, ac ſi eaſdem illuc traieciſſet?

Non exigit ratione præcisè vtilitatis campſuarij, ſed ratione muneris, quod præſtat,

8 Mercatus *tract. 2. de cambijs c. 5.* vt aſſerebam in aſſertione mox poſita, quamuis hunc titulum approbet tanquam rationi, & æquitati conſonum, in praxi tamen his temporibus non conſiderari multis rationibus conatur euincere, & primò, quià in cambijs, quæ fiunt Antuerpiæ in Hiſpalim, qui prior ſoluit Antuerpiæ pecuniam, etiã ſi ipſe inquirat, lucratur ſeptem, vel octo pro centenario Hiſpali, & tamen alter virtualitèr traijcit, non ipſe, ergo non conſideratur, vt titulus lucri hæc virtualis traiectio. Secundò, quià intrà fines eiuſdem Regni ex Hiſpali in Metinam ità variantur lucra, vt quandòque acquirat, qui dat, quandòque qui accipit, quandòque neuter, cum tamen ſemper lucrari deberet, qui vel realitèr, vel virtualitèr traijcit. Tertiò, quià ex vno loco in alium determinatum ſemper deberet eſſe æquale lucrũ, ſi eſſet propter traiectionem, cum ſemper ſit idem iter, eædem expenſæ, & æqualia pericula, & tamen pro varietate temporum huiuſmodi lucrum eſt inæquale. Hæc ille. Nihilominus hæ rationes non lædunt titulum lucrandi ratione virtualis traiectionis; non quidem primum, quia, qui primò ſoluit Antuerpiæ, & lucratur Hiſpali, vel lucratur ex fortuna, quatenus ſe exponit periculo, vel amittendi, vel ſpei acquirendi, & ſors ei ad lucrum illorum ſeptem, vel octo pro centenario confert, vel lucratur ex maiori valore, quem habeat pecunia Hiſpali; ac habeat Antuerpiæ; ſi primum; nulla eſt repugnantia, quin ipſe, qui prius ſoluit, lucretur ex fortunæ alea, & alter, qui prius recepit cum onere alio transferendi pecuniam receptam lucretur ex illa virtuali traiectione quamuis poſteà amittat ex alio titulo; ex duplici enim titulo etiam in eodem contractu poteſt eſſe acquiſitio, & deperditio, vt per ſe patet; ſi ſecundum, dici etiam poteſt, quod vterque ſub diuerſo titulo lucretur, campſor ſcilicet ratione virtualis traiectionis, campſarius verò ratione maioris valoris ſuæ monetæ Hiſpalis, quò virtualitèr transfertur *Silueſter verbo vſura 4. quæſt. 8. prope medium*, vbi citat Laurentium de Rodulphis, Archidiaconum, & omnes Summiſtas, Deindè dici poteſt campſorem in data hypotheſi vltrà pretium traiectionis poſſe exigere, & iuſtè de facto exigere compenſationem maioris valoris pecuniæ reddendæ in alio loco *Molina diſp. 406., Salas de Cambijs dub. 12., Lugus de cambijs diſp. 28. ſect. 5. num. 37.* nec præſumendum eſt, campſorem cedere illi iuri, quod habet ad maiorem valorem alibi; neque obſtare poteſt *Sotus lib. 6. de iuſt. quæſt. 12. art. 2.* aſſerens, campſorem lucrantem Antuerpiæ aliquod ſuprà volorem, quem moneta ibi habet, & iuxtà valorem maiorem, quem habet Hiſpalis non poſſe ſimul lucrari titulo traiectionis, eo quia, quandò quis traijcit ſuis expenſis pecuniam ad locum, vbi plus valet, ille maior valor ipſi accreſcit, non traijcienti; ea proportionali ratione, qua quis traijciens pecuniam ſuam ad locum, in quo pluris valet miniſterio baiuli ſibi ipſi exceſſum illum acquirit, non baiulo; Non, inquam, obſtare poteſt, eo quià, qui traijcit per baiulum traijcit ſuo periculo, non vero, qui traijcit miniſterio campſoris, qui propterea exceſſum illum ratione maioris valoris, quem pecunia ibi habet, poteſt exigere. Hæc appoſui, vt aliquaitèr ſatisfacerem Mercato; cæterum quid ſit dicendum, infrà vberius aperiam,

Rationes, ob quas Mercatus aſſerit traiectionẽ non conſiderari in cambio.

Ex duplici titulo in eodem contractu poteſt eſſe acquiſitio, & deperditio,

Qui traijcit miniſterio campſoris traijcit ipſius periculo,

9 Non ſecundum, quià, cum varia ſit, vt aſſeritur, fortunæ alea, ratione cuius quandòque lucratur campſor, quandòque campſuarius, quandoque neuter nulla eſt difficultas, quin, quandòque ex duplici titulo quis lucretur, & quandòque vno lucretur, & deperdat altero, vno ſcilicet certo, altero incerto, certo, inquam, quatenus campſor, ſicuti certò aſſumit onus obſequij erga campſarium præſtandi in virtuali traiectio-

Satisfit rationibus eiuſdem Mercati,

Digitized by Google

iectione, ità certò pro eodem munere, ſeù obſequio debet compenſari, cum ſit lucri ſecundum ſe meritorium; incerto, quatenus ſe exponit fortunæ aleæ lucrandi, ſi pretium fuerit adauctum, amittendi, ſi illud fuerit dimminutũ iuxtà vſum fori in tali, vel tali tempore ſoluendum; neque hæc incertitudo lucrandi, vel non lucrandi minuit certum ius, quod habet campſor ratione certæ virtualis traiectionis, ſeu obſequij in traijciendo; vndè in hoc caſu duplex quodamodò virtualitèr contractus interuenit, alter locationis operarum, alter innominatus fortunæ aleæ; ex primo certò lucratur, quià certò operatur; ex ſecundo quandòq; ſic, quandòque non, prout rei probat euentus, ſeu fortuna arridet, ſeu non &c.

Poteſt, quis lucrari ex duplici titulo, altero certo, altero incerto, & quomodo.

Duplex contractus alter locationis, alter innominatus fortunæ aleæ

Non tertium, quia, quamuis eadem ſit via, eademque locorum longinquitas, vel vicinitas, non tamen ſemper ſunt eadem pericula, eędemque circunſtantiæ, ex quibus, ſicuti rerum pretia variantur, ita & cambiorum lucra, ſeu intereſſe pro cambijs diuerſificantur; poteſt enim, vel in loco, in quo pecunia recipitur, vel in illo, in quo eſt reſtituenda quandoque eſſe, vel campſorum inopia, vel pecuniarum, vel copia campſorum, & inopia pecuniarum, ſeu petentium pecunias, ex quibus pretia variantur iuxtà alibi dicta *Salas de Cambijs dub. 8., Medina quæſt. 4. de Cambijs Nauarrus c. 17. num. 289., & ad c. fin. de vſuris num. 21.*

Quamuis eadem via, non tamen ſemper eadem pericula.

10 Assertio IV. Iuſtificatur etiã lucrũ, quod acquiritur ex cambio, ratione aſſecurationis, ad quã ſe obligat campſor in traijciendo *Lopez in inſtruc. negot. lib. 2. de cambijs c. 4., Gaſpar Rodericus de redit. 3. quæſt. 5. num. 17. Bannes ſecunda ſecundæ tom. 2. tract. de cambijs dub. 5., Molina diſp. 403.*, vbi aſſerit in traiectione campſorem poſſe lucrari ratione periculorum, quæ aſſumit, *Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 23. dub. 3.*, qui tamen aſſerit, aſſecurationem virtualitèr contineri in onere traijciendi ea ductus ratione, quià prius acceptat dominium pecuniæ, quam recipit, cum quo inuoluitur onus aſſecurationis pecuniæ reſtituendæ, ſeu quam traicit.

Probatur fideiuſſio, qua fideiuſſio eſt, eſt onus pretio compenſabile reſpectu fideiuſſoris *l. ſi verò §. Marcellus ff. mandat., Baldus in l. antiquæ C. eod. tit.*, ergo etiam aſſecuratio, quę aſſecuratio eſt, eſt meritoria &c., nam non minus onus ſubit, qui aſſecurat, ac qui fideiubet; Neque obſtat, quod campſor teneatur ad aſſecurationem ex vi contractus preciſè, & ex vi dominij pecuniæ, quod acquirit per receptionem eiuſdem à campſuario; non, inquam, obſtat, nam, quamuis ex vi contractus obligetur, non tollitur tamen, quin contractus ipſe ineatur attentis omnibus circumſtantijs, & oneribus, quæ aſſumit campſor in eodem contractu, & per conſequens iure etiam compenſationis propter illa, eo modo quo conductus ad certa miniſteria, ſeu onera ſubeunda intelligitur conductus cum iure compenſationis quoad illa omnia, & in coutractu conductionis ea omnia præſumuntur conſiderari; vndè non incongruè idem *Leſſius loc. cit.*, qui aſſeruit onus aſſecurationis contineri in obligatione transferendi, modo aſſerit campſorem non minus poſſe exigere pretium, quam ſi duplici obligatione ſe adſtringeret, traiectionis ſcilicet, & aſſecurationis, & ſic longè maius lucrum poteſt exigere ratione huius duplicis obligationis, ac ſi obligaretur tantum ad traiectionem, & non ad aſſecurationem.

Aſſecuratio, qua aſſecuratio eſt nõ minus eſt meritoria lucri, ac fideiuſſio.

Maius lucrum poteſt exigi ratione traiectionis, & aſſecurationis ſimul quã ratione ſolius traiectionis.

Probatur ſecundò, quià baiulus alio deferens pecuniam alicuius, eandemque quoad pericula in via aſſecurans iuſtè poſſet exigere intereſſe non ſolum, qua delator eſt, ſed etiam, qua aſſecurator, ac longè maius, ac ſi ſolum eſſet delator, ergo etiam campſor poteſt exigere, cum vtrumque illud munus in ſe ipſo ſuſcipiat, minus tamen, quam ipſe baiulus, eo quià non tot incommoda ſumit, nec ſubit tot pericula, ac ſubeat ille; Neque dicas compenſabile eſſe onus aſſecurationis in baiulo ſuprà onus delationis, quià ex vi delationis præcisè, cum non acquirat dominium pecuniæ deferendæ, non obligatur ad aſſecurationem, non ſic eſſe compenſabile in campſore, quià ex onere præcisè traiectionis obligatur ad illam; contrà enim impugnaberis, quià, vt aſſerebam, quamuis oneri traiectionis ratione dominij acquiſiti in campſore annectatur onus aſſecurationis, in illo tamen onere traiectionis conſideratur etiam onus, quod eidem annectitur, adeòque ratione illius iuſtè poteſt exigi incrementum ad proportionem; vndè non congruè videtur aſſerere *Lugus de Cambijs diſp. 28. ſect. 5. num. 35.*, quod pretium iuſtum cambij cenſeatur, quod eſt pretium iuſtum illius induſtriæ traijciendi, ſed debuiſſet aſſerere, quod eſt pretium iuſtum illius induſtriæ ſimul cum onere, quod eidem annectitur aſſecurationis &c.

Iuſtum pretium cambij cenſetur, quod eſt pretium iuſtum induſtrię in traijciendo, cũ onere aſſecurationis.

Assertio V. Quandò valor pecuniæ eſt inæqualis in loco, in quo prius ſoluitur, & in loco, in quo eſt reſtituenda, & maior, vbi primo ſoluitur campſori, iuſtificatur lucrum titulo maioris valoris pecuniæ, ſi verò fuerit minor adhuc iuſtificatur, quatenus campſor poteſt exigere compenſationem illius maioris valoris, quem habet pecunia in loco, in quo eſt reſtituenda *Salas de Cambijs dub.8. num. 3., Leſſius c.23. dub. 4. num. 34., Mercatus tract. de Cambijs c. 5., & 6., Filiarchus de ſeptem. præcep., Dec., & cambijs c.23., Malletus tit. Cambium num. 13., Silueſter verb. vſura 4. quæſt. 8., Graffius deciſ. aur. lib. 2. c. 110.*, & alij ſatis communitèr. Pro notitia

Aurum, & argentum quiuis comparatiuè ad monetas minutas in diuerſis locis ſit diuerſum in valorem, comparatiuè tamen ad ſe ſemper eſt idem.

Aduerte ex communi mercatorum, ſeu campſorum praxi, vt benè notat *Molina hic diſp. 407.*, in commutationibus pecuniarum de loco ad locum potius haberi rationem auri, & argenti, quam æris, quod in ratione monetæ in diuerſis locis regularitèr eſt diuerſum; aurum autem, ſeu argentum quamuis comparatione minorum monetarum maiorem valorem habeat in vno loco, quam in altero, comparatiuè tamen ad ſe ſemper eundem valorem retinet, vnde penes mercatores in ordine ad cambia, aliaſque negotiationes de loco in locum pecunia minuta non fit menſura auri, & argenti, ſed potius è contra aurum, & argentum fit menſura pecuniarum minutarum. Quià vero, vt aſſerebam, comparatione minorum monetarum valor auri, & argenti videtur diuerſus, iuſtè voluerunt huiuſmodi negotiatores, quod eædem pecuniæ minores in diuerſis regionibus in ordine ad merces emendas, & ad cambia minuta exercenda non eundem valorem haberent, ſed diuerſum in ea proportione, in qua numerus pecuniarum minutarum, qui in vna regione adæquat valorem pecuniæ aureæ, & argenteæ, ſuperatur à numero monetarum, quæ in alia regione perſoluuntur pro eadem moneta aurea, ſeu argentea. Hæc fermè ad verbum Molina, qui ſupra, quæ comprobat multis exemplis de Marauedinis Caſtellæ in ordine ad real Luſitanum. Vide quæ ibi latè habet. Hoc idem, licet ſub diuerſis terminis videtur docere *Mercatus tract. de cambijs c.5. in fin., & c. 6.*, vbi aſſerit non eſſe idem pretium legale pecuniæ, & æſtimationem illius, ſicque manente eodem valore auri, & argenti vbique variari iuxta varietatem regionum, in quibus maior, vel minor copia eſt, ſolummodò æſtimationem; affert exemplum in argenteo, qui valet in Hiſpania pretio legali triginta quatuor dipondios, & totidem valet in India, & tamen minus æſtimantur in India propter copiam, quam in Hiſpania. His ſic pro notitia breuiter delibatis.

Nō idem pretium legale pecuniæ, & æſtimatio illius.

Lucrum eſt comparatiuè ad pecunias æneas quarum valor eſt diuerſus in diuerſis locis.

Probatur prima pars aſſertionis, quia, vel cambium fit in argento, vel auro cum pacto, vt totidem in auro, vel argento in loco reſtitutionis tradantur, vel fit in auro cum poteſtate campſori reſtituendi in pecunijs minutioribus, vel in pecunijs minutioribus, vbi ſunt maioris valoris, vt reſtituantur aliæ in loco in quo ſunt minoris valoris; ſi primo modo; probatur quod campſor poſſit lucrari titulo valoris monetarum; nam illa commutatio auri, vel argenti, quæ fit ex hoc loco in alium eſt ad æqualitatem, & tamen comparatiuè ad pecunias æreas, quæ correſpondent auro, vel argento in hoc loco, & in alio campſor, qui recipit, lucratur illum exceſſum, quem habent hic monetæ minutæ comparatiuè ad aurum ſuprà monetas minutas in loco reſtitutionis, ergo campſor in data hypotheſi titulo diuerſæ æſtimationis pecuniæ poteſt lucrari. Antecedens euincitur ex prænotatis, nam aurum, vel argentum ſecundum ſe vbique eſt eiuſdem valoris legalis.

Rationes quas in contrarium affert Nauarrus.

Non acquieſcit nec aſſerto, nec rationi, *Nauarrus c. vlt. de vſuris num. 60., & 61.*, aſſerens non eſſe commutationem ad æqualitatem, ſed mutuum iniuſtum, & fœnus improbum, quod multis conatur rationibus euincere, & primò, quia in tali cambio non ſaluatur iuſtum pretium, nec proportionata æqualitas requiſita ad iuſtitiam commutatiuam, ſiquidem qui recipit pecuniam, vbi pluris æſtimatur, vt reddat vbi minoris eſt æſtimationis, plus recipit, quam ſoluit. Hoc argumento etiam vtitur, *Salonius de cambijs quæſt. 4. art. 2. cont. 3. nu. 7.* Secundò, quia monetæ minutæ in ordine ad quas ſolummodò pecunia aurea, vel argentea eſt inæqualis valoris, eiuſdem ſunt valoris, tam in loco receptionis, quam in loco reſtitutionis, & tamen moneta aurea puta dupla Hiſpanica ad iuſtum pondus in loco, vbi maioris eſt æſtimationis commutatur pro pluribus monetis minutis, ac in loco, vbi minoris æſtimatur, & eſt reſtituenda, ſic in particulari aſſerit, quod *real* in Luſitania ſit eiuſdem valoris cum Marauedino in regno Caſtellæ, & tamen in Luſitania ducatus commutatur pro quadringentis *real*, & in Caſtella tantum pro trecen-

centum ſeptuaginta Marauedinis, ergo commutando ducatum in Luſitania pro alio recipiendo in Caſtella perinde eſt, ac ſi in Luſitania ſolueret quadringentos Marauedinos, vt reciperet in Caſtella tantum centum ſeptuaginta, quod manifeſtè redolet inæqualitatem oppoſitam iuſtitię commutatiuæ. Tertiò, quia, ſi menſura tritici pluris valeret in loco, in quo recipitur, ac in loco, in quo eſt reſtituenda, iniuſta eſſet commutatio, ſi vna in illo loco reciperetur pro alia æquali in iſto recipienda; Quis autem traderet hic modium tritici, vbi, v.g. valet triginta libras imperiales, vt modium eiuſdem reciperet in alio loco, vbi valet dumtaxat viginti? Pro ſolutione

Affertur argumentum deductū ex paritate rei venalis, cuius valor in diuerſis locis eſt diuerſus.

Aduerte, cum *Molina hic tract. 2. diſp.* 407. regularitèr non eſſe eundem valorem legalem monetæ minutæ in loco, in quo nummus aureus, vel argenteus pluris æſtimatur, ac in loco, vbi idem nummus aureus, vel argenteus pro minori habetur, quod explicat in terminis particularibus in Marauedino Caſtellano comparatiuè ad *real* Luſitanum, nam ille ſemper fuit maioris valoris etiam antequam nummus argenteus in Luſitania eueheretur ad valorem quadraginta *real*, ſiquidem *real* Luſitanus modo in valore eſt quadrageſima pars argentei, & antiquitus trigeſima pars, & ſexta eiuſdem; Marauedinus verò in Regno Caſtellæ non niſi trigeſima quarta pars; vndè etiam habet, quod quandò regalis argenteus in Luſitania euectus eſt ad valorem 40. *real*, tunc ijdem *real* incæperint decreſcere in valore, & quod pro minoribus emebatur, incæperit maiori eorundem numero comparari. Quibus ſuppoſitis ad rationes Nauarri, aliorumq; ſic occurro, & quidem ad primum penes negotiatores, ſeu campſores aſſero, ſemper praxim fuiſſe, vt prænotaui, vt aurum, & argentum ſemper eundem valorem vbique haberet, ex quo ſequitur, vt vnius pro altero ſecundum ſe etiam in diuerſis locis æqualis ſit commutatio; neque obſtat, ſi dicatur, quod, quamuis vtriuſque ſit idem valor legalis, ſit tamen inæqualis in vtroque loco æſtimatio, vt ex *Mercato tract. de Cambijs c.* 5. ſuprà innuebamus, ex quo *Salonius cit. quæſt.* 4. *art.* 3. *controu.* 3. *num.* 7. aſſerit, quod, cum attendendus ſit in huiuſmodi commutationibus non ſolum valor legalis, ſed etiam æſtimatio, inæqualitas deſumeretur ex diuerſa æſtimatione; Non obſtat, inquam, nam campſores, ſeu negotiatores in permutationibus poſſunt iuſtè ſine iniuſtitiæ ſcrupulo, velle ſe dumtaxat accomodare valori legali vtriuſque pecuniæ recipiendæ, & reſtituendæ, nullatenus attendendo ad communem æſtimationem, quod ſic euincitur, nam poteſt licitè in cambijs moneta omninò pura computari pro impura, quandò vtriuſque eſt idem valor legalis etiam non facta compenſatione exceſſus valoris naturalis *Bannes ſecunda ſecundæ tom. 2. tract. de cambijs ſect. 2. num. 19. verſ. contraria ſententia*, quod nos etiam docuimus *hoc tom. 2. ſub tit. Contractus V. de cambijs I. prænot. 4. aſſert. 3. num. 10.* ergo etiam poteſt campſor in cambijs licitè commutare pecuniam auream in vno loco cum alia in alio, quandò vtriuſque eſt idem valor legalis non attendendo ad diuerſam æſtimationem, quam habeant in diuerſis locis. Hæc conſequentia probatur, quia, ſi diuerſus valor naturalis non officit iuſtitiæ contractus, quandò legalis eſt idem, non video, cur poſſit officere diuerſa æſtimatio, maximè cum magis conferat ad valorem bonitas naturalis, quam diuerſa æſtimatio.

12

Non eſt idem valor legalis pecuniæ minutæ in loco, in quo pluris aurea æſtimatur, ac in loco, in quo minoris.

Explicatur exēplo Marauedini, & real Luſitani.

Poſſunt campſores ſe accomodare valori legali pecuniæ, non attendendo æſtimationi.

Poteſt commutari pecunia pura cum impura ſine labe iniuſtitiæ, quando vtriuſq; eſt idem valor legalis.

13

In ſuppoſitione inæqualitatis quoad monetā auream in diuerſis locis facienda eſt compenſatio pro exceſſu.

Quod, ſi velis ſupponere, quandòque eſſe diuerſum valorem legalem pecuniæ aureæ, vel argenteæ in vno loco ab alia ſimilis ſpeciei, bonitatis, & ponderis in alio loco, non ſolum comparatiuè ad pecunias æreas, & minutas, ſed etiam comparatiuè ad ſe, tunc non renuerem concedere, compenſationem faciendam eſſe pro exceſſu, quem habet moneta aurea, vel argentea in loco, in quo recipitur, & in quo pluris valet ſuprà valorem legalem, quem habet ſimilis pecunia in alio loco, in quo eſt reſtituenda, ſecus non ſaluaretur ęqualitas requiſita ad iuſtitiam commutatiuam, quod eſt id, quod intendebant *Salonius de cambijs quæſt. 4. art. 2. contr. 3.*, *& Nauarrus cit. c. vlt. de vſuris*; vndè in hac hypotheſi, ſi quod lucrum in cambio acquiritur, non correſpondet diuerſitati monetæ ſecundum ſe, cum pro illa fieri debeat compenſatio, ſed virtuali traductioni, & induſtriæ, quod eſt id, quod volunt *Salas de cambijs dub. 8. num. 3.*, *Lugus diſp. 28. de cambijs ſect. 5. num. 36.* dum dicunt campſorem non accipere in data hypotheſi aliam mercedem pro translatione pecuniæ, ſed contentum eſſe pro mercede emolumento, quod habet ex illo maiori valore, quinimmò ſubdunt illum maiorem valorem, quem habet moneta, quam recipiunt, non debere excedere valorem iuſtæ mercedis, ſecus id, quod

ſuper-

Digitized by Google

ſuperexcederet mercedem, eſſet compenſandum.

Ad ſecundum patet reſponſio ex ijs, quæ prænotata ſunt; falſum quippe eſt monetas minutas in omni loco eſſe eiuſdem omninò valoris legalis, quandò comparatiuè ad eaſdem nummus aureus, vel argenteus eſt inæqualis valoris præcipuè in ordine ad commutationes de loco ad locum; ſic, vt ſiſtamus in exemplo allato de Marauedino reſpectiuè ad *real* æneum Luſitanum, ex quo regalis argenteus in Luſitania ad maiorem valorem euectus eſt comparatione eorundem *Real*, eo ipſo in Luſitania ijdem *real* decreuerunt in valore comparatiuè ad Marauedinos Luſitanos, quià, vt dicebam ſuperius, *real* eſt quadrageſima tantum pars regalis argentei, Marauedinus verò non niſi trigeſima pars eiuſdem, quod exemplificari etiam poteſt in monetis aliarum regionum, quandò moneta aurea, vel argentea inæqualitèr eiſdem correſpondet.

Pecuniæ minutæ in omni loco non ſunt eiuſdē omninò valoris legalis.

Ad tertium neganda eſt conſequentia, quia valor tritici non eſt idem vbique, adeòque permutatio eiuſdem menſuræ facta in vno loco, in quo pluris valet cum alia æquali menſura in alio loco, in quo minoris habetur, non eſt ad æqualitatem; valor autem legalis auri, & argenti idem ſupponitur in omni loco, vt ſuprà probatum eſt, adeòque &c.

Diſparitas quoad triticum, & quoad pecunias aureas in diuerſis locis.

Si ſecundo modo procedat aſſertio *prout in verſ. probatur prima pars* indicaui, tunc diſtinguendum eſt, vel enim monetæ minutæ in vtroque loco ſunt eiuſdem valoris legalis, adeò vt V. g. tanti valeat nummus in loco, in quo accipitur, quanti in loco, in quo eſt reddendus, vel valoris inæqualis; ſi primo modo procedat, & nummus aureus, vel argenteus comparatiuè ad eaſdem in loco receptionis, & reſtitutionis ſit inæqualis valoris, maioris ſcilicet, vbi recipitur, & minoris, vbi redditur, quatenus in loco, in quo datur, valet quadraginta *real*, in loco, in quo reſtituitur, trigintaquatuor Merauedinos, & nihilominus Marauedinus cum *real* in valore ſibi æquiualeant in vtroque loco, firmitèr tenendum eſt, ex vi valoris monetæ aureæ, vel argenteæ præciſe campſorem non poſſe lucrari illum exceſſum, quem habet pecunia aurea, vel argentea reſpectu pecuniarum minorum in loco, in quo recipitur ſupra valorem, quem habet eadem pecunia aurea, vel argentea comparatiuè ad eaſdem minores in loco, in quo eſt reſtituenda in eiſdem pecunijs minutioribus *Nauarrus de vſuris c. vlt. in commentarys num. 60. & 61., & in ſumma c. 17. nu. 295., Sotus lib. 6. de iuſt. quæſt. 12. art. 1.* nec in hoc diſſentire arbitratur Molinam *Lugus de Cambijs diſp. 28. ſect. 3. num. 50. in fine*; ſi ſecundo modo procedat aſſertio, dicendum eſt, campſorem lucrari quidem illum exceſſum, qui tamen merè materialis eſt, nam quamuis hic recipiat pecuniam auream, vbi eidem correſpondent plures monetæ minutæ, & reddat alibi pauciores monetas minutas, quæ ibidem correſpondent eidem aureæ, quia tamen illæ minores, quas reddit in alio loco, æquiualent in valore illis pluribus, quæ correſpondent aureæ in loco, in quo primò traditur, non eſt ibi aliquod lucrum formale. Prima pars facile euincitur, quia in huiuſmodi permutationibus, nec ſaluaretur æqualitas quoad valorem legalem, nec quoad communem æſtimationem, ergo, niſi compenſaretur ille exceſſus, contractus eſſet omninò iniuſtus. Antecedens facilè euincitur, quia monetæ minutæ cum proportione ſumptæ in vtroque loco habent eundem valorem taxatum à Principe, & in communi æſtimatione ſunt æquales, ergo, ſi plures acciperentur in vno loco, ſeu in eodem loco aliquid correſpondens pluribus, & redderentur minores in alio loco non ſeruaretur æqualitas requiſita ad iuſtitiam, ſiquidem perinde eſſet, ac ſi in hoc loco reciperentur centum, vt alibi reſtituerentur ſeptuaginta. Ad hoc tendunt omnia argumenta, quæ ſupra afferebantur ex Nauarro, quibus probabat monetam auream in vno loco non poſſe commutari cum alia in alio, in quo eſt inæqualis valoris; Ex ijs patet diſcrimen, quod intercedit in caſu, quo permutatur pecunia aurea inæqualis valoris, ſeu maioris in vno loco cum alia aurea eiuſdem ſpeciei, & ponderis in alio, ac in caſu, quo permutatur pecunia aurea in vno loco, cui correſpondent plures monetæ minores cum alia in alio loco, cui correſpondent longè pauciores monetæ minutæ, quæ tamen cum proportione ſumptæ ſunt eiuſdem valoris cum alijs in primo loco; patet, inquam, diſcrimen, quià quoad monetas aureas adinuicem comparatas licet non ſit eadem æſtimatio, eſt tamen idem valor legalis, cui ſine iniuſtitiæ ſcrupulo ſe accomodare poſſunt contrahentes; quoad pecuniam verò auream comparatam ad pecunias minores, & pauciores illis, quæ extraherentur in loco,

Suppoſita æqualitate valoris legalis monetarum minutarum in vtroque loco non poteſt commutari pecunia aurea cum alia aurea in alio loco quando ſunt diuerſi valoris legalis.

Si pecuniæ minutæ ſint æquales in numero, commutatio fieri poteſt.

Explicatio argumentorū Nauarri accomodata noſtro inſtituto.

Diſcrimen inter caſū hic propoſitum, & præcedentem.

vbi

Digitized by Google

vbi traditur pecunia aurea, neq; ineſt eadem æſtimatio, neque idem valor legalis, adeòque &c. Secunda etiam pars facile deducitur, quià, quamuis in tali contractu interueniat aliqua inæqualitas materialis ratione diuerſi numeri, adeſt tamen æqualitas formalis quoad valorem legalem, & communem æſtimationem, nam ſeptuaginta, v.g. in loco, in quo redduntur, æqualis ſunt valoris, & æſtimationis cum centum in loco, in quo fuerunt recepti, ſic in indiuiduo aſſerit *Lugus d. diſp. 28. ſect. 3. num.* 50. quod quandò Iulius argenteus valet in vno loco quadraginta monetas æneas, & in alio non niſi triginta, quæ tamen omnes monetæ æneæ in vtroque loco ſint diuerſæ bonitatis, & valoris idem ſit valor eiuſdem Iulij argentei, & minores in vno loco æquiualeant pluribus in alio.

Cum inæqualitate materiali quoad numerum poteſt compati æqualitas formalis quoad valorem.

Si tertio modo procedat aſſertio eiſdem omninò rationibus, diſtinctionibus, & concluſionibus procedendum eſt, quibus in ſuperiori, ſeu ſecunda parte diſcutienda, diſtinguenda, & probanda progreſſi fuimus; vel enim monetæ minutæ in vtroque loco licet inæquales in numero ſunt æquales in valore ſecundum quod in illis fit cambium, vel non ſolum ſunt inæquales in numero, ſed etiam in valore; ſi primo modo; ratione monetæ præciſè non poteſt lucrum acquiri, quià adeſt omnimoda æqualitas; ſi ſecundo modo licet fiat acquiſitio materialis ratione maioris numeri non fit tamen formalis ratione valoris, quià pecuniæ pauciores, quæ ſunt reſtituendæ, ſunt ſecundum ſe eiuſdem valoris cum illis pluribus, quæ fuerunt receptæ.

Eiſdem argumentis diſtinctionibus, & reſtrictionibus procedit, quibus ſuperior pars.

Probatur ſecunda pars aſſertionis, in quam propendent *Leſſius de iuſt., & iure c.23. dub. 4. num.34., Lugus de cambijs diſp. 28. ſect.5. nu.37., Salas de cambijs dub.* 12., *Nauarrus in man. c.17. nu.*295. hoc pacto. Poteſt licitè campſor nolle ſuam pecuniam exiſtentem in alio loco commutare pro alia exiſtente in hoc loco, niſi attendatur æqualitas non ſecundum valorem legalem, ſed ſecundum maiorem æſtimationem, quam habet pecunia eiuſdem in loco abſenti, & nulla eſt iniuſtitia in tali contractu, ſi campſarius ſpontè annuat tali æſtimationi, ergo iuſtè poterit lucrari, ſeu exigere illum exceſſum, quem habet pecunia in loco, in quo per ſe ipſum eſt reſtituenda, ſupra valorem, quem habet in loco, in quo ipſe recipit. Antecedens probatur primò, ex dictis ſub *hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs I. Prænot. 3. aſſert. 1. num. 2.* vbi ſtatutum eſt non attento valore legali æquali quoad vtramq; pecuniam poſſe dominum pecuniæ purioris lucrum acquirere, & exigere quantum ſufficit ad adæquandum valorem naturalem in permutatione cum alia impurioris materiæ licet eiuſdem valoris legalis cum illa *Molina tract. 2. diſp. 401. verſ. dicendum deinde eſt, Rebellus ſecunda parte de obligationibus iuſt. lib. 11. de cambijs quæſt. 5.* ergo etiam non attento valore legali vtriuſque poteſt licitè campſor, nolle ſuam pecuniam abſentem commutare, niſi ſumatur ſecundum communem æſtimationem, quam ibi habet, & compenſetur exceſſus per quid æquiualens &c. quandoquidem valorem naturalem, ſeu ex vſu fori non ſolum variat diuerſa bonitas, ſed etiam diuerſa æſtimatio orta, vel ex inopia, vel ex copià, vel rerum commutabilium, vel campſorum, vel campſuariorum, vt infrà. Secundò, quià, ſicuti merces in diuerſis locis habent diuerſum valorem, & æſtimationem, & iuſtè venduntur ſecundum illam æſtimationem, quam habent in loco venditionis, ità pecuniæ, quæ in diuerſis diuerſam habent æſtimationem, iuſtè permutantur, ſi permutentur ſecundum æſtimationem, quam habent in loco, qui eſt terminus ad quem permutationis, ſeu traditionis, præcipuè cum pecuniæ abſentes ſint quaſi merces reſpectu præſentium *Caietanus c. 7., Nauarrus in manual. c.17. num. 291., Silueſter verb. vſura 4. quæſt. 8. §. 1.*

Poteſt in contractibus cambij attendi æſtimatio naturalis non attento valore legali.

Non ſolum diuerſa æſtimatio, ſed etiam diuerſa bonitas variat valorem rei naturalem.

His, quæ modo dicuntur, obſtare videntur ea, quæ ſupra dicta ſunt; ſi enim quià aureæ, vel argenteæ pecuniæ valor æqualis eſt vbique, fit commutatio ad æqualitatem; quandò per campſuarium prius traditur aurum in loco, in quo pluris æſtimatur, & recipitur in loco, in quo minoris æſtimatur, cur ad conſtituendam æqualitatem non requiritur, quod fiat etiam commutatio ſine compenſatione exceſſus, quandò idem aurum traditur in loco, in quo minoris æſtimatur, & recipitur in loco, in quo pluris habetur? Certè in vtroque caſu auri legalis valor æqualis eſt vtrobique. Sed ſi bene perpendantur: hæc ad inuicem non obſtant, nam æqualitas indiferens eſt, vt deſumatur, vel ſecundum valorem legalem, quem habet pecunia in vtroque loco, vel ſecundum communem æſtimationem non attento valore legali, vnde campſuario conſentiente poteſt campſor licitè, vel ſtare valori legali, vel attendere

com-

Digitized by Google

cõmuni æſtimationi, quam habet pecunia in loco, in quo debet reddere, quod eſt, id, quod innuebat *Nauarrus in man. de ſeptimo præcept. Decal. c. 17. n. 295.* aſſerens *non obſtare, quod auctoritate publica conſtitutum ſit pretium monetæ publicæ, quod non poſſit mutari priuata, neque quod aurei non valeant plures Iulios, vel Regales tempore inopiæ eorum, quam copia, quià id verum eſt eo reſpectu, quo eſt pretium, & quoad effectum cogendi quem ad accipiendum eos pro pluri, non tamen eo reſpectu, quo ſunt merx, & campſibiles, & quoad effectum vendendi volenti eos quærere.*

Campſuario conſentiente poteſt campſor licitè ſtare vel valori legali, vel communi æſtimationi.

14 Assertio VI. In hypotheſi inæqualitatis valoris pecuniæ datæ per campſuarium, & alibi reſtituendæ per campſorem iuxtà antecedentem aſſertionem probabilius eſt, quod, ſi maior fuerit valor pecuniæ in loco, in quo primò traditur campſori per campſuarium, poſſit adhuc campſor exigere intereſſe virtualis traductionis, ſi ſit reſtituenda in pecunijs minutioribus, quæ ſint quoad numerum pauciores eiſdem pecunijs minutis correſpondentibus pecuniæ aureæ in loco, in quo facta eſt ſolutio primò per campſuarium, dummodò ſint quoad valorem æquales, item ſi ſit reſtituenda in alia pecunia aurea ſimilis ſpeciei, cui in loco reſtitutionis correſpondeant pecuniæ minutæ pauciores in numero, æquales tamen in valore; ſecus verò attenta naturali æquitate, ſi alia pecunia aurea eiuſdem ſpeciei eſſet reſtituenda, quæ eſſet inæqualis in valore, tum in ordine ad acceptam in primo loco, tum in ordine ad pecunias minutiores, quæ non ſolum in numero eſſent pauciores, ſed etiam in valore deteriores. Prima pars eſt *Silueſtri verb. vſura 4. quæſt. 8.* à quo non diſſentit *Leſſius de iuſt. & iu. c. 23. d. 4. num. 34., & alij.* Secunda pars eſt *Salas de cambijs dub. 8. num. 3. verſ. ego tamen exiſtimo,* cum quo conuenit *Lugus d. diſp. 28. de cambijs ſect. 5. num. 36.*

Probatur prima pars, quià ſi pecunia in vtroque loco eſſet æqualis valoris poſſet iuſtè campſor nemine reluctante totum pretium integrum exigere traiectionis, ergo etiam poterit ſine labe iniuſtitiæ exigere intereſſe traiectionis, ſi maior fuerit valor pecuniæ in loco, in quo primò traditur iuxtà modum explicatum *in prima parte aſſertionis.* Conſequentia probatur, quià ille maior valor eſt omninò materialis, & appellat ſolam numeri diuerſitatem, non valorem legalem, nec diuerſam ex vſu fori æſtimationem, & perindè eſt formalitèr loquendo, ac ſi idem pro eodem formalitèr reſtitueretur, licet non materialitèr.

Perindè eſt, ac ſi idem formaliter reſtitueretur, licet materialitèr diuerſum.

Probatur ſecunda pars, quià omninò incongruum videtur, quod pro eadem numero commutatione duplex intereſſe exigatur, alterum pro obſequio in traducendo, alterum pro inæqualitate pecuniæ, quæ accipitur in ordine ad eam, quæ traditur, nimis enim anxietati campſorum laxarentur habenæ ad lucrandum ſuprà id, quod exigit ipſorum miniſterium; & licet vtraque ratio videatur ſecundum ſe meritoria lucri, prout tamen confluit in vnam, & eandem permutationem non videtur vtraque compenſanda, nam beneficium traiectionis videtur ſufficientèr compenſari per illum exceſſum valoris *Salas de cambijs d. dub. 8. num. 3.* Dixi *attenta æquitate naturali*, nam in rigore iuris videtur poſſe ex vtroque lucrari, cum ſint duo tituli ſecundum ſe lucratiui.

Attenta æquitate naturali incongruè videtur poſſe duplex ſtipendium pro eodem contractu exigi.

Probatur ſecundò eadem ſecunda pars, quià in data hypotheſi ſolum interuenit permutatio pecuniæ præſentis pro abſenti; vbi autem eſt ſimplex commutatio non poteſt haberi ratio de intereſſe locationis operarum *Silueſter verb. vſura 4. quæſt. 8. in fin.* Verum tamen eſt, quod in hoc caſu id, quod exigeretur, eſſet potius pretium, ſeu intereſſe traductionis, quam lucrum ex inæqualitate monetæ, eo quià, vt diximus, in hoc caſu non poteſt exigi ille exceſſus, niſi compenſetur; videtur tamen prima fronte lucrum ex inæqualitate, eo quià reſultat ex pecunia permutata, non expreſſo onere traiectionis.

Hæc procedunt, quandò valor pecuniæ aureæ, ſeu argenteæ, quæ primò traditur per campſuarium campſori, eſt maior iuxtà modos explicatos in ordine ad eam, quæ eſt recipienda; modo remanet ſub examine, quid ſit agendum, quodue lucrum acquirendum, quandò pecunia, quæ primò traditur per campſuarium campſori, eſt in valore minor reſpectu recipiendæ per eundem campſuarium. Dicendum quippe eſt, ſi ſit minor tam in numero, quam in valore, poſſe exigere nedum compenſationem exceſſus, quem habet pecunia reſtituenda ſuprà acceptam, ſed etiam intereſſe traiectionis; ſi verò ſit tantum minor in numero, non verò in valore, poſſe dumtaxat exigere intereſſe traiectionis *Leſſius dub. 4. num. 34., Molina diſp. 406., & 410., Salas dub. 12. qui pro ſe citat Caietanum, Bannes; Sà, & alios*

Digitized by Google

alios plures. Silueſter verbo vſura 4. quæſt. 8. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià commutatio debet eſſe ad æqualitatem, ergo, vbi talis æqualitas non eſt, poteſt campſor exigere, quod conſtituatur, quod fieri nequit, niſi per illam compenſationem exceſſus, quod eſt ex vi contractus præcisè. Rurſus, cum idem campſor obſequium re vera præſtat in virtualitèr traijciendo dignus eſt mercede ſua, ergo eandem poteſt exigere. Ratio ſecundæ partis deducitur ex ijs, quæ dicta ſunt in probatione primæ partis præſentis aſſertionis.

15 Assertio VII. Cambium, quo campſor prius hic dat, vt alibi recipiat cum lucro, non eſt illicitum, nec vſurarium *Bannes ſecunda ſecundæ tom. 2. tract. de cambijs dub. 5., Valentia ſecunda ſecundæ diſp. 5. quæſt. 23. puncto 4., Graffius part. prima deciſ. lib. 2. c. 110., Ioannes Andreas c. Nauiganti de vſuris. Angelus quæſt. de cambijs art. 4. difficul. 2. Conradus de contractibus quæſt. 99.* contrà *D. Antoninum 3. part. tit. 8. c. 3. in principio Sarmientum 7. ſelectarum c. 2. num. 7. & 8., & alios.*

Probatur, quià in hoc cambiendi genere poteſt optimè ſaluari debita æqualitas inter datum, & accipiendum, etiam ſi campſor prius det, vt poſteà recipiat, ergo non eſt ex genere ſuo illicitum, nec vſurarium. Conſequentia tenet, quià permutatio, cuius ſpecies præcipua eſt cambium, non eſt alligata ad hoc, vt vnus, vel alter ex contrahentibus debeat prius tradere, ſed indiferens eſt ad vtrumque. Antecedens probatur, quià poteſt tantum per campſorem tribui, quantum eſt per campſarium reſtituendum, &, ſi ſuprà datum aliquid accipiat, poteſt correſpondere alijs rationibus ſecundum ſe meritorijs illius exceſſus, ea proportionali ratione, qua diximus *tomo primo, dum de mutuo, & vſuris* poſſe quid ſine vſuræ ſcrupulo accipi vltrà ſortem, ſi correſpondeat alicui rationi diſtinctæ ab eodem mutuo meritoriæ ſecundum ſe illius exceſſus.

Non tollitur æqualitas ex eo, quod campſor prius det, quā recipiat.

16

Adhuc eſt ius acquirendi lucrum ob virtualem traiectionem, qua campſor pecuniā abſentem transfert in locum præſentē.

Dices primò, illud lucrum non poſſe correſpondere traiectioni, nec reali, nec virtuali, quæ eſt vnus ex titulis lucrandi ſuprà aſſignatis, eo quia tunc campſor non videtur tranſportare pecuniam, cum illam non det, ſed potius recipiat in loco diſtanti. Sed contrà, quià, quamuis campſor pecuniam campſuarij alio non traijciat, virtualitèr tamen pecuniam eiuſdem campſuarij abſentem traijcit in locum præſentem, in quo ea indiget, quamobrem ipſam ſoluendo hic, vt recipiat abſentem, perindè eſt, ac ſi eandem abſentem huc traijceret, & ſicuti, ſi realitèr traijceret, eſſet dignus mercede traiectionis, ità, dum traijcit virtualitèr, meretur etiam mercedem, licet non tantam, quantam mereretur, ſi realitèr hoc præſtaret. Quod, ſi dixeris, videri potius campſuarium pecuniam campſoris alio traijcere, quam campſorem illam campſuarijs huc transferre, adeòque potius campſuarium dignum eſſe mercede, quam campſorem, vel campſorem non poſſe dici traijcere ex alio loco pecuniam abſentem campſuarij, eo quia nemo poteſt transferre pecuniam alterius, niſi eam antea acceperit; ſtatim impugnaberis, quià, quamuis videatur campſarius pecuniam campſoris hic exiſtentem alio transferre, re tamen vera, cum cambium fiat inſtante campſuario, & in gratiam eiuſdem, & cum campſor præſtet operam æquiualentem translationi, potius videtur hic beneficium impendere campſuario dignum mercede, quam campſuarius campſori, nec refert, quod quandòque ex ſua pecunia abſente campſor vtilitatem aliquam percipiat, quam non perciperet, ſi eſſet præſens; non refert, inquam, quià hoc imputandum eſt fortunæ eiuſdem campſoris, de qua re infrà. Ad id, quod ſubditur, dicendum eſt, nullum poſſe quidem ex alio loco transferre huc pecuniam alterius realitèr, niſi anteà illam accipiat, poſſe tamen æquiualentèr. Hoc explicat, & exemplificat *Lugus de Cambijs diſp. 28. ſect. 4. num. 51. verſ. contraria ſententia* in baiulo, qui, ſi conuenerit cum aliquo de pecunia illius transferenda Roma Mediolanum aſſumptis in ſe periculis viarum, & incommodis traiectionis, poteſt quidem ab eodem exigere mercedem aſſecurationis, & traductionis, etiam ſi ante actualem traductionem totidem alias pecunias ex ſuis illi perſolueret hic Mediolani retento ſibi iure illas Romæ exigendi, qui certè contractus licitus eſt, nec ab aliquo reprobatus.

Non obſtat, quod indè reſultet vtilitas campſoris, cum hoc ſit imputandum fortunæ eiuſdem.

Dices ſecundò, non apparere in hoc contractu alium titulum acquiſitionis illius lucri præter expectatam ſolutionem, quod redolet vſuram ex mutuo, nam ex eo, quod prius campſor det, quam accipiat, & inde lucrum reportet, manifeſtè apparet, lucrum conſurgere ex eo, quod campſor ſolutionem expectat. Sed contrà, quià omninò falſum eſt, quod illud lucrum ob expectatam præcisè ſolutionem exigatur,

Digitized by Google

Non eſt acquiſitio lucri ob expectatam ſolutionem, ſed obſequiū virtualis traiectionis.

ſed exigitur ob illud obſequium ob virtualem traiectionem, quam æquiualentèr præſtat campſor in fauorem campſuarij modo ſuprà explicato, cuius veritatis ſignum euidens eſt, quod dilatio ſolutionis non eſt ex natura contractus Cambij ſecundum ſe, ſed per accidens ratione abſentiæ; vnde, ſi poſſet ſtatim reſtitui, adhuc eſſet cambium, & poſſet illud lucrum exigi.

ASSERTIO VIII. Præter titulum virtualis illius traiectionis in fauorem campſuarij mox explicatum ſunt aſſignabiles alij tituli ex quibus poteſt iuſtificari cambium, de quo nos loquimur, cum lucro.

Aſſignātur varij tituli iuſtificantes lucrū in hoc cambio.

Probatur explicando ſingulos, qui poſſunt conferre ad huiuſmodi iuſtificationem, illoſque refellendo, qui ad illam non ſunt ſufficientes

17 Silueſter *verb. vſura 4. quæſt. 4. verſus finem. Caietanus tractat. de cambijs c. 7., Valentia ſecunda ſecundæ diſp. 5. quæſt. 23. punct. 4. concl. 4.* aſſignant pro iuſto titulo illius lucri abſentiam pecuniæ campſuarij à loco contrahentium, eo quià pecunia abſens cæteris paribus minoris æſtimatur, ac pecunia præſens, cum non præbeat ex natura ſua eam facilitatem, & commoditatem, quam præbet præſens. Sed in primis monent *Lugus d. diſp. 28. de Cambijs ſect. 4. nu. 5., & alij* hunc titulum non diſtingui à titulo virtualis, ſeu æquiualentis traiectionis, & meritò, nam, cur pecunia abſens comparatiuè ad præſentem eſt minoris æſtimationis, niſi quià, vt aſſerebatur, non præbet illam facilitatem, & commoditatem, quam præſens? ergo, ſi per virtualem traiectionem fiat præſens, eandem facilitatem præbebit, adeòque poſito intereſſe virtualis traiectionis non erit, cur quid aliud perſoluatur. Hoc videtur ſenſiſſe *Leſſius de iuſt. c. 23. dub. 4.* licet poſteà videatur diſtinguere dum *num. 29.* dicit, *ſed etiam, ſi concederemus campſorem non traycere pecuniam alterius in hoc cambio, tamen ex permutatione aliquod lucrari poteſt, quià pecunia procul abſens à loco contrahentium minoris æſtimatur cæteris paribus, quam præſens,* ſed quoad hoc infra impugnabitur. Hoc idem ſenſit *Thyliarchus de ſept. præcept. Decal., & camb. l. 5. c. 18.* dum dixit, *quod res abſens dupliciter poſſit emi, & vendi primo loco, in quo eſt, & ibi aſſignatur, vbi eſt, & ſic tanti debet emi, quanti ibi valet; ſecundò, vt conducibilis ad locum, vbi fit contractus emptionis, & ſic minus valet propter expenſas, & pericula viæ.* Deinde hic titulus, præſcindendo ab onere traiectionis, tanquam iuſtificatiuus lucri confutatus fuit ſuprà *in hac eadem pranot. aſſert. 2.*

Leſſius *lib. 2. de iuſtitia c. 23. de cambijs dub. 4. num. 43.* aſſignat tanquam 18
titulum ſufficientem ad iuſtificandum lucrum in his cambijs carentiam pecuniæ campſorum prius ſoluentium, & id, quod eſt huic carentiæ coniunctum, nempè periculum, ne reſtituatur, & priuationes commoditatum pecunia ſoluta negotiandi; vnde aſſerit, quod mercatores, ſeu campſores in his omnibus cambijs, quo longius eſt tempus in quod eam concedunt, eo plus exigant lucri, quo breuius, eo minus. Sed hic titulus ſumptus ſecundum ſe præcisè non eſt aptus ad iuſtificandum lucrum; tum quià quæcunque lucri acquiſitio ex ſola temporis dilatione vſuraria eſt, vt latè diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris ſparſim per prænot., & diſquiſit.* tùm quia in cambio, qua cambium eſt, non requiritur temporis interuallum, niſi quatenus neceſſarium eſt ad tranſmittendas literas, & aptandas pecunias *idem Leſſius c. 23. dubit. 6. num. 54.* ex quo infert, quod, ſi plus temporis concedatur ad ſolutionem, id non ſit ex natura cambij, ſed ex quadam tacita conuentione mutui; ex quo apparet, quam longè à veritate aberrent campſores, ſeu Negotiatores, qui teſte *eodem Leſſio hic dub. 4. num. 43.* ſibi ſuadent omnia cambia huius temporis iniqua eſſe, ſi deſit hic titulus, vel non ſit iuſtus, quorum etiam falſitas ex ijs apparet, quæ diximus, dum de emptione, & venditione, nempe non poſſe quid, ſuprà æqualitatem exigere ex eo, quod ſolutionem expectent ad aliquod temporis. Fortè ex maiori temporis protractione illatiuè poſſet inferri iuſtitia illius maioris lucri ob lucrum ceſ-
ſans, vel damnum emergens ex eo, 19
quod, cum mercatores ad negotiationes pecunias congerant, eaſdemque crebrò lucris exponant, videntur maioris lucri ceſſationi ſubeſſe ex diuturniori tempòre, quo pecunia ad id muneris idonea carere debeat. Sed quamuis ex hac ratione attenta præcisè natura contractus poſſet lucrum deduci, ſi reuera illud eſſet deductum in pactum, & verè realiter ex illa temporis protractione eſſet ſecutum; attenta tamen nunc temporis conſtitutione Pij V. prout latè egimus ſub hoc *eodem tit. Contractus V.*
de Cambijs I. Pranot. VI. aſſert. 1. nu. 4. lu- 20
crum aliquod determinatum ob temporis moram, nec poteſt deduci in pactum, nec licitè exigi, prout latè ibi de-

Carentia præcisè pecuniæ ad aliquod tempus non eſt pretio compenſabilis.

Turpitèr errant in hoc titulo mercatores.

Illatiuè ex carentia pecuniæ poteſt deduci lucrum ob damnum emergēs, vel lucrum ceſſans.

Digitized by Google

deduximus ex *Leſſio lib. 2. de iuſt.*, *& iu. c. 23. dub. 11. num. 90.*, *Scortia theorem. 308.*, *& alijs ibi allegatis*; quamuis poſſit in pactum deduci intereſſe incertum ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, prout conſtabit ex futuro euentu. Recole, quæ ibi dicta ſunt, & vlterius *in eadem Pranot. aſſert. 3. num. 6.* extende, & amplia, prout ibi.

Idem *Leſſius loc. cit.* ſecutus Caietanum *tract. de Cambijs c. 5.*, *Sotum 6. de iuſt. quaſt. 12. art. 2.*, *Bannes ſecunda ſecunda tom. 2. tract. de cambijs dub. 8.*, *Tabienam verb. vſura 15.*, *& alios* alium aſſignat lucrandi titulum, nempe maiorem æſtimationem pecuniæ in loco, vbi datur, quam vbi redditur, ſiuè ea æſtimatio ſit intrinſeca, ſiuè extrinſeca. Nomine æſtimationis intrinſecæ intelligit pecuniæ valorem taxatum à Principe, vel communi lege in tali loco; nomine verò æſtimationis extrinſecæ intelligit valorem, qui prouenit non à cauſis, ſeu motiuis intrinſecis, ſed ab extrinſecis, & fortuitis, quæ maior, vel minor eſſe poteſt, prout aliquæ, vel plures concurrunt huiuſmodi cauſæ, vel pauciores, ſeu nullæ augentes, vel diminuentes valorem extrinſecum. Quatuor autem aſſignat huiuſmodi cauſas, licet *Nauarrus in Enchiridion de de ſept. precept. Decal. c. 17. num. 294.* extendat ad octo, qui tamen in ijs octo enumerat intrinſecas cum extrinſecis.

Æſtimatio pecuniæ duplex altera intrinſeca, altera extrinſeca, & quid vtraq; ſit explicatur.

21

Enumerantur cauſa extrinſecæ variantes rerum pretia.

Prima igitur ex extrinſecis eſt copia, vel inopia pecuniæ; quo enim maior eſt copia pecuniæ, eo minor apud Mercatores eſt eiuſdem æſtimatio, & quo maior eſt inopia, eo maior eiuſdem valor, tùm in ordine ad merces comparandas, tùm in ordine ad alia humana commertia, quod elucet ex eo, quod vbi minor eſt copia nummorum, eo minori pretio merces comparentur, vt experientia ſit manifeſtum. Secunda eſt maior, vel minor numerus petentium ad cambium, ſicuti enim multitudo ementium facit creſcere merces, & paucitas eorum eaſdem decreſcere, ità maior petentium cambium numerus adauget cambiorum pretium, ſeu intereſſe, minor diminuit. Tertia multitudo, vel inopia dantium ad cambium, ſeu campſorum propter eandem rationem, ſi cum proportione ſumatur, qua augetur, vel minuitur pretium cambiorum in ſuperiori cauſa. Quarta neceſſitas pecuniæ; quo enim magis neceſſaria eſt ad aliquos ſumptus, eo maiori in æſtimatione habetur. His ſic explicatis dicit campſorem ratione vtriuſq; æſtimationis in data hypotheſi poſſe aliquod lucrari. Sed quoad hunc titulum recole, quæ ſuperius dicta ſunt *in aſſert. 5. & 6.*, & hic cum proportione applica.

Ex dictis collige, in hoc contractu cambij, quo campſor prius dat, vt alibi recipiat, non minus interuenire locationem operarum, ac interueniat in cambio, quo campſor prius recipit, vt alibi ſoluat; cum enim æquiualentèr præſtet obſequium traductionis pecuniæ campſuarij à loco diſtanti in præſentem, per huiuſmodi contractum videtur quodamodò locaſſe, ſeu locare ſuas operas in ordine ad hoc miniſterium, vt per ſe patet.

PRÆNOTIO II.

An poſſit campſor lucrari, quandò recipit pecuniam in loco, in quo ea indiget, vel dat, vt recipiat in alio loco, vbi ſimilitèr indiget, & quid ſi fiat in obſequium vtriuſque.

SVMMARIVM.

Senſus difficultatis propoſitæ. 1.

Poteſt campſor lucrari, etiam ſi recipiat cambium in loco, quo eo indiget, vel in loco, in quo non indiget, vt recipiat, vbi indiget. 2.

Valet, ſiuè campſor fuerit præuentus, ſiuè præuentor. 3.

Explicatur ſenſus illius proloquij, Merces vltroneæ vileſcunt. 4.

Si cambium ſit in fauorem vtriuſque poteſt campſor exigere pretium traiectionis, ſi campſarius non diſſentiat. 5.

Si neuter velit cambire ſine ſtipendio traiectionis poſſet vterquè exigere, vel mutuo ſe liberare. Ibid.

Nullum fœnus commiſit, qui indigens pecunia alibi eandem hic ſoluit Mediolani, vt inueniat alterum, qui indigeat in alio loco, vt cum incremento eam ſoluat in loco, in quo ipſe indiget. 6.

PLura quoad propoſitum titulum ſparſim ſuprà præiecimus; nunc ex profeſſo titulus examinandus. Senſus difficultatis hic eſt. Indiget campſor Mediolani exiſtens centum nummis aureis Romæ. Titius primò confert eidem eoſdem nummos aureos hic Mediolani cum onere eoſdem Romæ reſtituendi. Porrò conſummato hoc contractu idem campſor indiget hic Mediola-

1 Difficultas in ſuis terminis proponitur.

 diola-

diolani alijs centum nummis aureis; Titius indigens æqualibus nummis Romæ eoſdem antecedenter ſoluit Mediolani Campſori, vt eoſdem Romæ recipiat. Quæritur hic, an idem campſor poſſit ex ijs cambijs lucrari.

Latè proponunt hanc difficultatem *Lopez 2. inſtruct. negotian. c. 4., Valentia ſecunda ſecundæ diſp. 5. quæſt. 23. punct. 4. concl. 4., Graffius tom. 1. lib. 2. c. 110. nu. 6., Vega in Epitom. verbo. cambium caſu 16. num. 3., Emanuel in ſum. part. 2. c. 104. num. 1.* qui omnes indiſtinctè concludunt, campſorem poſſe quoad explicata cambia lucrum acquirere, nihil obſtantè commoditate, quam inde percipit.

Variè diſtinctiones, quas adducit Rebellus ad præſentem.

Rebellus *de oblig. iuſt. p. 2. lib. 11. quæſt. 7.* ex ſuppoſitione, quod huiuſmodi cambia ſint in fauorem vtriuſque contrahentis, vtitur diſtinctionibus, & primò aſſerit, quod, ſi neuter contrahentium ab altero præueniatur, & vterque æqualia onera, & commoda ex illis percipiat, nullus poſſit iuſtè mercedem cambij exigere; ſi verò vnus præueniat, & rogat alium, præuentum aſſerit poſſe aliquid pro intereſſe cambij exigere, non tamen tantum, quantum poſſet exigere, ſi non eſſet in æquali neceſſitate conſtitutus.

Ioannes Medina *quæſt. 5. de cambijs §. ius fortè* aſſerit, indigentem mille nummis aureis, ſi ſit Mediolani, v. g. in Ciuitate Romæ non poſſe ſine labe vſuræ eoſdem mille nummos aureos tradere mercatori hic Mediolani, qui quærat alium, qui eos indigeat in Hiſpania, vt cum incremento illos ſoluat Romæ, vbi eiſdem indiget.

Lugus, qui prius *diſp. 28. ſect. 3. nu. 36.* docuerat cum *Salas de cambijs dub. 3.* campſorem, quandò magis indiget pecunia in loco, vbi accipit, quam in loco, vbi eam reddit, non poſſe exigere mercedem translationis, ſed debere eſſe contentum illa commoditate, quamuis poſtea aſſerat in hoc non poſſe ſtatui regulam generalem; modo *hac eadem diſp. 28. ſect. 4. num. 57.* abſolutè docet ſine vlla reſtrictione campſorem poſſe in hac hypotheſi exigere intereſſe traiectionis pro cambio, etiam ſi ipſe præueniat. Sit tamen

Non valdè ſibi conſtans eſt Lugus circà hanc difficultatem.

ASSERTIO I. Poſſunt campſores, etiam ſi recipiant pecuniam, vbi ea indigent,
2 vt alibi reſtituant, vbi non indigent, vel tradant, vbi non indigent, vt recipiant, vbi indigent, exigere intereſſe traiectionis, ſiue ſint præuenti, ſiue ſint præuentores. Ita auctores omnes ſupra allegati in principio prænot. contrà Ioannem Medinam præcipuè quoad illas particulas, *ſiuè ſint præuenti, ſiuè ſint præuentores*.

Probatur primò, quià commoditas, ſeu vtilitas, quam haurit campſor, vel ex pecunia præſenti, vbi eam recipit, & indiget; vel ex abſenti, vbi eam etiam recipit, eaque eget, non demit ius, quod habet ex obſequio, quod præſtat in fauorē campſuarij, traiectionis, quodq; eſt ſecundum ſe pretio æſtimabile, ergo non obſtante tali commoditate, ſeu vtilitate intereſſe pro illa traiectione poteſt exigere. Antecedens probatur, onus, quod ſubeunt traijciendi conſideratum ſecundum ſe eſt dignum mercede, nec reſpectu campſuarij ponitur aliqua inæqualitas ex eo, quod indè campſor trahat aliquod emolumentum, nam, vt aſſerit *Silueſter verb. vſura 4. quæſt. 8.* hoc non eſt ex conditione campſuarij, cui nulla fit iniuſtitia, ſed ex conditione campſoris. Hoc euidentèr euincitur exemplo depoſitarij; qui, ſi aliquam vtilitatem ex ſua induſtria, vel ex alio iuſto capite acquirat ex re depoſita, poteſt iuſtè illam vtilitatem detinere, cum hoc ſit ex conditione ipſius, non deponentis, nec illa vtilitas percepta conſtituit aliquam inæqualitatem erga eundem deponentem.

Quod recipiat vtilitatem non eſt ex conditione campſuarij, ſed campſoris.

Exemplum depoſitarij ad rem noſtram accomodum.

Probatur ſecundò exemplo, quod communitèr circumfertur ab auctoribus, de equo ex vno in alium locum conducto cum onere in conductore eum remittendi proprijs expenſis ad locum, à quo fuit conductus, in quo caſu, ſi conductor inueniat alium conductorem, qui eo indigeat, vt ſe conferat ad locum, in quem eſt remittendus, poteſt iuſtè conuenire cum eodem ſecundo conductore de iuſto pretio conductionis, ſeu locationis, & tamen inde haurit vtilitatem, ſecundum quam leuatur ab onere remittendi proprijs expenſis, non alia ratione, niſi quia adeſt æqualitas inter vſum equi conceſſum ſecundo conductori, & pretium, quod locator, ſeu primus conductor pro eo accipit *Salas de cambijs dub. 11. num. 2., Molina tract. 2. de iuſtitia diſp. 406., Bartolomæus Medina 1. ſummæ c. 14. §. 24.*, & nos etiam docuimus ſuprà, ergo etiam, ſi campſor ex pecunia per campſuarium recepta aliquam vtilitatem percipiat, poterit tamen lucrum, ſeu intereſſe pro obſequio traiectionis præſtito in fauorem campſuarij iuſtè detinere, ſiquidem illud obſequium ſecundum ſe eſt mercede dignum, & meritorium lucri non obſtante illa vtilitate, inde percepta, quæ eſt ex conditione eiuſdem campſoris.

Obligatus ad reducendū equum, ſi inueniat, qui velit conducere, poteſt pretium exigere.

Dices

Digitized by Google

Dices; ex dictis *in præcedenti prænot. aſſert. 6. verſ. probatur ſecunda pars* incongruum omninò eſt,quod pro eadem numero commutatione duplex intereſſe exigatur, alterum pro obſequio in traijciendo, alterum pro inæqualitate pecuniæ, eo quia laxarentur campſoribus habenæ ad lucrandum ſuprà id, quod exigit eorum miniſterium, ergo etiam omninò incongruum erit, quod pro eodem cambio percipiatur tùm ſtipendium locationis operarum, ſeu obſequij, tùm vtilitas illa, quam indè haurit idem campſor ex leuamine propriæ indigentiæ, ſiquidem illud leuamen correſpondet pretio, quod ex diuerſa pecuniæ æſtimatione hauriret.

Chriſtiana caritas exigeret, vt aliquid de rigore remittatur.

Sed contrà, quià in primis attento rigore iuris ibi diximus poſſe ex vtroque titulo lucrari, cum vterque ſit ſecundum ſe lucratiuus; vnde ſolum eſt, vt aſſerit *Salas dub. 11. de cambijs num. 3.* decentia moralis, & Chriſtiana charitas, vt de huiuſmodi rigore fiat aliqualis remiſſio, ſubditque *Molina de iuſt. diſp. 40. p. 1.* hæc verba; *Eum tamen, qui remittere nollet, non damnes culpa ſaltem læthalis.*

Acquireret ex duplici motiuo, & traiectionis, & propriæ conditionis.

Deindè diſpar omninò eſt ratio in primo, & in ſecundo caſu, nam in primo vtrumque lucrum acquireret ex vi permutationis præciſè, in ſecundo, de quo hic agimus, ex vi permutationis ſolum acquireret ſtipendium obſequij, & quod reliquum eſt non eſſet ex vi pecuniæ commutatæ, ſed ex conditione ipſius campſoris; in primo lucrum vtrumque, & præcipuè maioris æſtimationis conſurgit ex communi vſu fori, quod propterea videtur detrahendum, nam contra communem æſtimationem eſſet ſuprà æqualitatem debitam, in ſecundo lucrum illud eſſet ſollummodò priuatum eiuſdem campſoris, & ideò tunc, vt benè aſſerit *Lugus diſp. 28. ſect. 3. num. 36.* non debet minus accipi pro traiectione, & cambio, quia vtilitas peculiaris locatoris, ſeu campſoris non cogit ad minuendum de pretio communi cambij, ſeu locationis.

3 Expoſitio rerum venalium non minuit ius venditoris ad illas vendendas iuſto pretio.

Probatur ſecunda pars præcipuè quoad illam particulam, *ſiuè præuentores*, circà quam ſolummodò poteſt eſſe difficultas. Publica expoſitio rerum venalium ad venditionem non minuit ius venditoris ad illas vendendas ad æqualitatem ſecundum communem vſum fori, vt eſt in confeſſo apud omnes, cæteroqui mercatores, qui res ſuas exponunt, deberent detrahere de iuſto pretio, quod exigitur pro talibus rebus ex communi vſu eiuſdem fori, quod nemo aſſeret, ergo etiam præuentio ad cambiendum non adimet ius lucrandi in cambio ad æqualitatem iuxtà vſum fori.

Publica expoſitio æquiualet præuentioni.

Conſequentia probatur, quià quoad effectum publica expoſitio ad vendendum æquiualet præuentioni. Confirmatur, poteſt quis alterum præuenire, an velit res ſuas emere, nec tamen in venditione tenetur ob talem præuentionem detrahere de iuſto pretio earundem ad æqualitatem ex vſu, ſeu iuxtà vsũ fori, ſic mercatores regularitèr præueniunt offerendo res vendibiles, nec tamen priuantur iure exigendi integrum pretium ex vſu fori, ergo etiam campſor poterit alterum præuenire inuitando ad cambium, nec tamen tenebitur ad detrahendum de iuſto pretio eiuſdem cambij.

4 Dices, ex communi proloquio *Merces vltroneæ vileſcunt*, ergo, ſi fiat per campſorem præuentio dandi ad cambium, vel recipiendi, quod eſt vltronea oblatio, idem debet in pretio cambij decreſcere.

Explicatur ſenſus illius proloquij *Merces vltroneæ vileſcũt*.

Sed contrà, quià ſenſus illius communis proloquij hic eſt, quod merces vltroneæ vileſcant, & diminuant in valore extrinſeco, ſi venditor annuat illi diminutioni, quo in caſu poteſt emptor in pretio decreſcere, & pro viliori emere, non autem, quod venditor teneatur, ſi nolit, pro minori vendere. Quid enim me cogit ex eo, quod exhibuerim rem meam alteri ad venditionem ad recedendum à communi pretio fori pro illa? per exhibitionem ſiquidem, ſeu per præuentionem præciſè ego nulla lege coarctor ad vendendum quoad ſubſtantiam, ergo multo minus ad vendendum hoc, vel illo pretio.

5 Assertio II. Quamuis cambium ſit in fauorem vtriuſque contrahentis, quatenus vnus eſt in indigentia hic, vbi recipit pecuniam, alter alibi, vbi eſt reſtituenda, poteſt tamen campſor iuſtè exigere ſtipendium traiectionis, ſi alter non diſſentiat, quamuis præuenerit, & item poteſt, ſi non exigat campſor, campſuarius præuentus illud exigere ſine iniuſtitię labe non renuente eodem campſore; quod ſi neuter vellet cambire ſine ſtipendio traiectionis poſſet vterque illud exigere, vel mutuo ſe ab onere ſtipendij liberare. Prima, & ſecunda pars eſt *Salas dub. 11. de cambijs nu. 3. verſ. idem, quod dicit. Lugi d. diſp. 28. de cambijs ſect. 4. num. 57.* aduerſus Rebellum *de obligat. iuſtit. part. 2. lib. 11. quæſt. 7., Mercatum lib. 2. de cambijs c. 2. ad finem., Medinam quæſt. 5. de cambijs.* Secunda pars eſt conformis iuri, & æquitati naturali, & admittitur

tur ab iiſdem Lugo, & Salas.

Probatur prima pars. Vtilitas, quam haurit campſor in receptione pecuniæ hic ad leuamen ſuæ indigentiæ ex vna parte non minuit ius, quod habet acquirendi ſtipendium ob obſequium præſtitum, ſeu præſtandum in traiectione, vt ſuprà probauimus; ex alia non tenetur conſulere vtilitati alterius, ergo, quamuis ex illo cambio reſultet commodum vtriuſque contrahentis, poterit adhuc campſor ſtipendium traiectionis exigere. Antecedens probatur argumento à fortiori deducto ex dictis in ſuperiori aſſertione, nam, ſi quandò ex illa permutatione emergit ſolum vtilitas campſoris, adhuc poteſt ipſe exigere ſtipem traiectionis, ergo multo magis poterit eandem exigere, quandò vtilitas etiam ex illa emergit campſuarij. Conſequentia probatur, quià vtilitas alterius contrahentis conſurgens ex contractu potius tribuit ius magis lucrandi in altero, quam minuat. Quis enim diceret, quod ex eo, quod emptor ex emptione rei meæ multa commoda ſit reportaturus, minuatur in me ius exigendi pretium illius ad æqualitatem ex vſu fori?

Campſor quamuis ipſe ſit indigens non tenetur conſulere vtilitati alterius.

Si poteſt exigere, quandò traiectio eſt in vtilitatem traijcientis poteſt à fortiori exigere, quandò eſt in vtilitatem alterius.

Dices ex *Mercato c.4. de cambijs, Lopez lib. 2. de contractibus c.13., Garzia de contractibus 6.c.33. diffic.2.* exigente campſore ſtipendium traiectionis non ſaluari in huiuſmodi permutationibus æqualitatem requiſitam ad iuſtitiam commutatiuam, ſicuti quantum vnus præſtat in fauorem alterius, tantum alter reddit in fauorem eiuſdem, ergo, cum æqualia ſint vtriuſque onera, & commoda, non debet vnus ab altero grauari per exactionem ſtipendij, cæteroqui inæqualitas conſtitueretur. Sed contrà, quià, quamuis vtriuſque onus ſit ad inuicem compenſabile, quià tamen campſor in ordine ad contractum poteſt à propria vtilitate præſcindere, eandemque non computare, cum hoc ſit ex propria conditione, non alterius contrahentis, poteſt præcisè velle conſiderare contractum ſecundum ſe, vi cuius, ſicuti poteſt ſtipendium exigere, ità etiam poteſt exigere emergente illa propria vtilitate, cum ſit præcisè ex conditione ſui ipſius. Dici etiam poteſt illas commoditates, cum ſint præter naturam contractus, & prouenientes ex ſpeciali cauſa, ſeu conditione contrahentium non eſſe conſiderabiles, niſi quatenus ipſi volunt conſiderari, vnde optimè ſaluatur æqualitas, ſi tantum datur, quantum accipitur, &, ſi campſor vlterius exigat ſtipendium locationis operarum, exigit dependenter ab eiſdem operibus, quæ ſecundum ſe pretio æſtimabilia ſunt non conſiderata illa vtilitate, quæ tantum conſiderari debet ex conuentione contrahentium.

Inſtantia deſump. ab æqualitate onerum, & commodorum.

Poteſt campſor à propria vtilitate præſcindere, cum ſit ex propria conditione.

Quæ dicta ſunt in hypotheſi aſſertionis de campſore in ordine ad campſuarium proportionali ratione intelligenda ſunt de campſuario in ordine ad campſorem, nam, cum ille ſoluit hic, vbi campſor indiget, vel recipiat hic, vt alio transferat, vbi idem campſor opus habet, præſtat in fauorem eiuſdem campſoris munus traijciendi ex alio loco in locum præſentem, vel ex hoc loco in locum abſentem, cuius propterea muneris poteſt ſtipendium exigere, & ſic quodamodò in ordine ad hoc miniſterium de campſuario ſit campſor.

Proportio de campſore in campſuarium, & è conuerſo.

Probatur ſecunda pars. In data hypotheſi non minus ius habet vnus, vt ſibi detur ſtipendium traiectionis, quam habeat alter, & traiectio ipſa eſt in vtilitatem vtriuſque, ergo vterque poteſt exigere illud. Antecedens probatur, quià onus, & commodum vtriuſque ſupponitur eſſe æquale, ergo æquale ius in vtroque oritur, ergo vterque poteſt exigere æqualem compenſationem, quod fieri poteſt, vel per remiſſionem eiuſdem ſtipendij ex vtraque parte, vel per exactionem eiuſdem ex vtraque, quæ potiſſimum valent, quandò vterque vult, quod in contractu conſideretur ſuum ius, & onus.

Cum ſit idem ius & onus poteſt eſſe æqualis obligatio.

Dices, repugnat bellum, quod ex vtraque parte ſit iuſtum, ſed ſi alter ab altero poſſet iuſte mercedem cambij exigere, quaſi bellum iuſtum ex vtriuſque parte oriretur, ergo &c. Sed contrà negatur indè ſequi quaſi bellum ex vtraque parte iuſtum, quià bellum eſt quodamodò per coactionem, nullus autem poteſt alterum cogere ad dandum ſtipendium, cum vterque poſſit nolle cambire.

Non ſequitur iuſtū bellum ex vtraque parte.

Assertio III. Nullum fœnus committit, qui indigens mille nummis aureis Romæ eoſdem ſoluit negotiatori Mediolani, qui quærat alterum, qui eis indigeat in Hiſpania, vt cum incremento illos ſoluat Romæ, vbi eis indiget *Molina apud Salas dub. 11. de cambijs num. 3.* contrà *Medinam quæſt. 5. tit. de cambijs.*

Probatur, quià ex vno capite ille vtitur iure ſuo tradendo ſuam pecuniam ad cambium, nec apparet ex alio vllum fundamentum, ex quo conſurgat fœnus, ergo talis contractus vſurarius non eſt. Antecedens quoad primam partem

tem

Digitized by Google

tem probatur, quià, ſi quis non indigens Romæ illis nummis aureis illum contractum iniret nulla vſuræ labe notaretur, vt optimè notat *Salas loco citato*, ergo neque etiam ſi indigeat, prout euincitur ex ſuperiori aſſertione. Quoad ſecundam item euincitur. Peto enim quodnam ſit fundamentum illud fœnoris? Forte illud erit, quod ille indigens tranſportet pecuniam ſuam, cum lucro Romam? Sed debile fundamentum. Quis enim diceret, me vſurarium contractum inire, ſi, cum indigeam rem aliquam Romam tranſmittere cum ſumptibus, inueniam, qui eadem re indigeat in alio loco, & velit ſimilem mihi Romæ reſtituere, vbi indigeo ſine ſumptibus? Replicabis fortaſſe, fundamentum fœnoris in eo conſiſtere, quod per alium inuitet ad cambium. Sed hoc inane quoque fundamentum ruit ex ijs, quæ ſuprà latè probauimus; non enim inuitatio ad aliquem contractum ineundum ſecundum ſe licitum adimit ius lucrandi ſecundum naturam eiuſdem contractus.

Inuitatio ad aliquem contractum ineundum non adimit ius lucrandi, ſi contractus ſit lucratiuus.

PRÆNOTIO III.

An inito cambio cum onere reſpectu campſuarij ſoluendi lucrum poſſit idem campſuarius ob moram campſoris in ſoluendo conuenire de ceſſatione illius lucri conuenti.

SVMMARIVM.

Non licet conuentio de ceſſatione lucri debiti ob moram propter carentiam præcisè pecuniæ. 1.

Duplex ſenſus, iuxta quem Lugus coboneſtat illam lucri remiſſionem. 2.

Vterque reijcitur. 3.

Exprimitur caſus difficultatis propoſitæ in proprijs terminis. 4.

Ob dilationem ſolutionis præcisè non poteſt campſarius conuenire cum campſore de remiſſione illius lucri, quod ſine illa dilatione iuſtè poteſt acquirere. 5.

Non eſt præſumenda libera, & voluntaria ceſſio. 6.

PRoponit hanc difficultatem ex mente Salas *Lugus diſp. 28. ſect. 4. nu. 58.* ſub his terminis. *Tu indiges pecunia Neapoli, quam Romæ offers campſori, vt eam tibi Neapolim ſoluat oblato lucro; campſor vero dicit, non poſſe eam ſtatim Neapoli reddere, ſed poſt tres menſes; tu admittis dilationem ſolutionis, ità tamen, vt campſor nullum etiam lucrum pro cambio exigat.* Oritur hic difficultas, an hoc pactum licitum ſit, an vſurarium. Pro parte negante refert *idem Lugus Salam dub. 31.*, *Emanuelem Rodriquez, Angles, Lopez, & Vegam*. Pro affirmante Garziam, cui ipſe adhæret.

1 Qui ſuſtinent carentiam pecuniæ ſecundum ſe ſumptam eſſe titulum iuſtificatiuum lucri in cambio, non incongruè inferre poſſent illam conuentionem campſuarij de non ſoluendo lucro ob moram campſoris vtique vſurariam non eſſe, ſed licitam eidem campſuario; nam iſta ceſſatio à ſolutione lucri conuenta non eſſet ob temporis dilationem præcisè, ſed ob carentiam pecuniæ, &, ſi campſarius in illa hypotheſi acquirit aliquod pretio æſtimabile, nempè illam lucri remiſſionem, æquale onus induit, ratione cuius carere debet ſua pecunia per illos tres menſes. Sed hæc ſubſiſtere non poſſunt; nam in quocunque mutuo liceret mutuanti lucrum aliquod exigere, quandòquidem, qui mutuat ſemper per aliquod temporis ſpatium carere debet pecunia mutuata. Deindè in quacunque ſolutionis dilatione poſſet lucrum acquiri, quod confutatum eſt *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris diſquiſ. 4. §. 8. num. 2.*

Carentia pecuniæ præcisè ſecundũ ſe ſumpta non eſt iuſtificatiua lucri.

2 Lugus, qui ſuprà, duplici titulo mutata intentione illud lucrum cohoneſtare contendit; & primò aſſerit, quod campſarius in hypotheſi propoſiti dubij poteſt quodamodò fieri campſor, &, cum cognoſcat campſorem indigere illa pecunia in Ciuitate Romæ, poteſt illi offerre virtualem traiectionem ſuæ pecuniæ ex Neapoli Romam anticipando ſolutionem per tres illos menſes, poſt quos ſit Neapoli illam recepturus; ex quo poſteà videtur inferre, quod, cum illa traductio ſit pretio æſtimabilis, per hanc quodamodò compenſet illam lucri remiſſionem. Secundò aſſerit, quod, quamuis non vendat campſori traiectionem ſuæ pecuniæ, poſſit tamen nolle emere traiectionem pecuniæ campſoris, &, quamuis primò voluerit traiectionem emere, cognita poſteà indigentia campſoris poſſit priori intentione mutata nolle emere, ſed tantum velle permutationem facere pecuniæ pro pecunia æquiualenti, quod licitum eſſe aſſerit. Sed in primis Lugus tranſit à quæſtione in quæſtionem; primò enim in facti ſerie ſupponit indigentiam in campſuario, & oblationem per eundem factam campſori; 3

Duplex ſenſus Lugi, ſecundum quem intendit cohoneſtare illã ceſſationem lucri.

Tranſit Lugus à quæſtione in quæſtionem

modo

modo mutat, & ſupponit ipſum campſorem Romæ indigentem. Certè eſt quid diuerſum, inquirere in ſui fauorem, qui pecuniam ex vno loco in alium transferat nullo habito reſpectu ad indigentiam translatoris, ac offerre traductionem indigenti in alio loco, quamuis ex tali traductione reſultet etiam commodum offerentis; primum enim nullum importat onus compenſationis in campſore, ſiquidem campſor ſe habet præciſè, vt campſor, & induit præciſè munus traductoris in fauorem campſuarij, & proptereà iuſta mercede traductionis, ſi in data hypotheſi priuatur, priuatur ſolum ob temporis dilationem, quod eſt id, quod intendit Garzias; Secundum autem importat campſorem de campſore fieri campſuarium, & beneficium traiectionis recipere, quod certè in ipſum transfert onus compenſationis, ſed hic ſtatus non eſt præſentis quæſtionis, quæ mutat faciem, & diuerſa eſt à propoſita in titulo.

Incommoda, ſequerentur ex opinione Lugi mox poſita.

Cæterum, ſi vim aliquam haberet ſenſus Lugi, nunquam campſor poſſet exigere pretium traductionis; poſſet enim campſuarius mutata intentione abſolutè dicere, dum ſoluit hic pecuniam, vt alibi recipiat, ſe traijcere ex alio loco pecuniam campſoris hic, & ſic, vel exigere ſtipendium talis traductionis, vel compenſare cum onere, quod ſubit campſor, pecuniam eiuſdem transferendi in alium locum, quod nullus dicet

Inſiſtendo igitur in proprijs terminis propoſiti dubij difficultas conſiſtit in
4 hoc, an ſtante iure, quod habet campſor ex vi prioris conuentionis exigendi ſtipendium traductionis, ſi immediatè traijciat, poſſit licitè ſine labe vſuræ eodem priuari, ſeu fieri poſſit conuentio de priuatione illius, ſi non immediatè traijciat, ſed conueniat de traiectione poſt illos tres menſes, quod eſt, vnico verbo, inquirere an poſſit priuari iure, quo iuſtè gaudet, ſtipendij traiectionis ob conuentionem dilationis traijciendi ad tres menſes, in quo ſenſu eſt controuerſia inter Salas, & auctores ſuprà allegatos, & inter Garziam.

Exprimitur ſenſus, ſecundum quem examinatur titulus prænotionis.

Aſſertio, ob illam dilationem ſolutionis præciſè non poſſe campſuarium
5 conuenire cum campſore de remiſſione illius lucri, quod ſine illa dilatione iuſtè poſſet acquirere. Ità auctores, qui ſuprà

Probatur, quià quæcunquè acquiſitio lucri ob ſolam temporis dilationem eſt omninò illicita & vſuraria, ſed campſuarius in data hypotheſi acquireret aliquod lucrum ex ſola temporis extenſione, ergo &c. Maior latè probata eſt, tùm in quæſtionibus de mutuo, & vſuris, tùm in controuerſijs de emptione, & venditione. Minor probatur, quià illa remiſſio ſtipendij reſpectu campſuarij æquiualet lucro, ac perindè ſe habet reſpectu ipſius, ac ſi lucrum prius per campſorem acquiſitum iterum ex iuſtitiæ debito reaſſumeret, ſed illam ex pacto acquireret ob ſolam temporis dilationem, ergo &c. Minor probatur, nam non eſt aſſignabile aliud caput, ob quod illam poſſit acquirere.

Acquireretur in data hypotheſi lucrum ſola temporis dilatione.

Dices primò, illam acquirere poſſe, vel ex motiuo lucri ceſſantis, vel ex motiuo damni emergentis. Sed contrà primò, quià ex vi conſtitutionis Pij V. prohibita eſt quæcunq; conuentio de lucro certo etiam ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vt latè dictum eſt ſuprà in explicatione eiuſdem conſtitutionis. Propter hanc Pianam conſtitutionem euincitur etiam, non poſſe acquirere in pænam ob moram ſolutionis, cum hoc etiam expreſsè in illa prohibeatur; ſecundo conſiderandum eſt an illa lucri ceſſatio, vel damni emergentia verè ſit ſecutura, & an fuerit in pactum expreſsè deducta, ſine quo &c.

Prohibita eſt quæcunque conuentio de lucro certo etiam in ordine ad lucrũ ceſſans.

Dices ſecundò, illam iuſtè poſſe acquirere ex motiuo gratuitæ ceſſionis, 6
ſeu liberæ donationis, vel realis, vel ſaltem præſumptæ campſoris, cum in illam remiſſionem conſentiat, cum potuerit diſſentiri recedendo à contractu. Sed contrà, nam omninò gratis præſumitur ſimplicitèr voluntaria, & libera illa remiſſio, præcipuè, cum in contractibus oneroſis, in quibus interueniunt pacta, & conuentiones, non præſumantur donationes, niſi exprimantur *Nauarrus c. 23. num.* 88. & licet campſor ſciens non renuerit illi conuentioni, ex hoc tamen non arguitur, quod omninò liberè annuerit, ſed tantum inuoluntariè mixtè, ea proportionali ratione, qua mutuatarius ſciens ſe vſuris per mutuantem grauari illis non renuit, ex quo tamen non arguitur liber omninò conſenſus.

In contractibus oneroſis non præſumitur donatio, niſi exprimatur.

Probatur ſecundò, quià campſuarius prius ſoluens pecunias hic expectans ſolutionem, ſeu reſtitutionem ad trimeſtre alibi impoſito onere campſori ratione talis expectationis remittendi intereſſe traiectionis perinde eſt, ac ſi mutuaret illam pecuniam eidem campſori, vt illam alibi reſtitueret poſt tale tempus, ſed quidquid pretio æſtimabile ſuprà ſortem exigitur ex mutuo eſt vſurarium, ergo etiam erit vſuraria illa

Eſſet potius mutuum palliatũ, quam cambiũ.

ſtipen-

ſtipendij remiſſio, quæ exigitur ex illa ſolutione anticipata, ſiquidem illa etiam eſt pretio æſtimabilis, & iure aliunde debita ipſi campſori.

Dices, illam anticipatam ſolutionem non æquiualere mutuo, ſiquidem mutuum eſt de tempore ad tempus, illa verò de loco ad locum. Sed contrà, quià non repugnat in mutuo, quin pecunia in vno loco accepta ex conuentione ſit in alio reſtituenda, ergo, ſi interueniant cæteræ conditiones, quæ exiguntur ad mutuum, non erit, quin illa anticipata ſolutio ſit verè mutuum, quamuis palliata titulo cambij; conditiones autem deficientes à natura mutui aſſignabiles non ſunt.

Non repugnat mutuum cum conuentione, quod res mutuata alibi reſtituatur.

PRÆNOTIO. IV.

De praxi cambiorum localium.

SVMMARIVM.

Quatuor interueniunt perſonæ in cambio locali, & explicatur. 1.

Reſpondens campſoris poteſt etiam fieri reſpondens campſarij. 2.

Interueniunt etiam regularitèr literæ, iuxtà quarum tenorem ſoluenda ſunt cambia. 3.

Munus Bancheriorum ſingularitèr explicatur. 4.

Regularitèr aſſumuntur à Republica præſtita eidem fideiuſſione, ſeu legitima cautione. 5.

Non ſunt meri depoſitarij, & explicatur. 6.

Explicatur praxis, iuxtà quam regulantur cambia in diuerſis mundi partibus, & nundinis iuxtà diuerſa pecuniarum genera. 7.

IAM incipimus explicare ea in communi, quæ concurrunt ad cambia conſtituenda, ſingula in particulari in ſequentibus explicaturi, vbi erit ſermo de formulis literarum, de pactis, quæ in huiuſmodi contractibus interueniunt, de promiſſionibus, & proteſtationibus, & alijs, ſi quæ &c.

In primis igitur, vt alibi innui, regularitèr in hoc cambiorum genere qua-
1 tuor perſonæ interueniunt, campſor, campſuarius, reſpondens campſoris, & reſpondens campſuarij. Sit exemplum. Indiget quis mille nummis aureis Mediolani habendis in Hiſpania, eos hic Mediolani ſoluit campſori, vt datis literis in Hiſpania reſtituat; iam adeſt campſor, & campſarius; certè literæ, quæ per campſorem expediuntur, ad aliquem dirigendæ ſunt, & ecce reſpondens campſoris, &, cum ille, ad quem diriguntur in Hiſpania alicui commiſſam ſibi ſummam debeat ſoluere, alter adeſſe debet, qui recipiat, & ecce reſpondens campſuarij, quinimmò per ipſam actualem receptionem per iſtum factã perfectiſſimè conſummatur cambium. Hæc, quæ dicuntur de campſario prius ſoluente Mediolani, vt recipiat in Hiſpania, proportionali ratione intelligenda ſunt de campſore prius ſoluente campſario, vt ab eodem alibi recipiat, & tunc reſpondens campſoris, qui in Hiſpania recepit illam ſummam à reſpondente campſuarij, alteri iterum tribuit ſummam receptam, vel quærit tradere ad cambium, à quo accipit obligationem, quam iterum remittit ad campſorem, qui ex illis cambijs, & recambijs regularitèr intereſſe acquirit, & lucrum. Porrò contingere poteſt, quod campſarius, qui prius recipit à Campſore hic Mediolani determinatam ſummam, non habeat in Hiſpania, nec pecuniam, nec reſpondentem, qui pro illo ſoluat; qua propter hic Mediolani fit conuentio inter ipſum campſarium recipientem, & campſorem, qui ſoluit hoc modo. Campſor ipſe ſuum exhibet campſario reſpondentem, qui 2
pro ipſo literas recipiat, & debitum in eiſdem commiſſum ſibi ipſi ſoluat, & tunc reſpondens campſoris duplicem quodamodò perſonam virtualitèr rapræſentat, alteram reſpondentis campſoris, ſub quo reſpectu acceptat à ſe ipſo obligationem ſoluendi illam ſummam, alteram reſpondentis campſuarij, ſub quo reſpectu acceptat literas eiuſdem campſuarij, & ſe obligat ad illam ſummam ſibi ipſi ſoluendam. Prout deindè rapræſentat perſonam reſpondentis campſoris, & recipit illam obligationem ſoluendi eandem, per inde eſt, ac ſi eſſet noua pecunia in Hiſpania campſuario ſoluta, ſeu data ad cambium Mediolani ſoluendum remittit ad ſuũ principalem, nempè ad campſorem, cuius eſt reſpondens, vt debitum per eandem obligationem contractum tanquam recambium à campſario recipiat cum nouo lucro. De iuſtitia, vel iniuſtitia horum cambiorum, & recambiorum erit ſermo infrà ex profeſſo; nunc enim ſolum intendimus explicare praxim, qua negotiatores vtuntur, eiuſdemque notitiam legentibus exhibere.

Deindè ex dictis liquet in huiuſmodi cambiorum praxi interuenire literas, 3
quas, qui prius recipit pecunias, dat, vt alibi reſtituantur ſoluenti. Huiuſmodi

Cãpſor, campſarius, reſpondens campſoris, & reſpondens cãpſuarij.

Quandòque reſpondens campſoris poteſt eſſe reſpondens etiam campſuarij.

Modus, quo fiunt recambia explicatur.

literæ aliquandò ſecundum quod in eis præſcribitur, ſunt immediatè, ac fuerint receptæ, executioni mandandæ, aliquandò vero poſt aliquod temporis poſt diem, à quo fuerunt præſentatæ, vel ex præſcriptione dantis eaſdem literas, vel ſecundum vſum fori ex conſuetudine recepta in loco, in quo ſunt executioni mandandæ. Circa huiuſmodi literas innumera pullulant dubia, de quibus ſingulis ex profeſſo inferius.

Literæ, vel immediatè ſunt executioni mandandæ, vel iuxtà præſcriptum.

4 Præter quatuor perſonarum genera, de quibus ſupra, aliud hominum genus quandòque interuenit, qui bancherij communitèr appellantur. Munus ipſorum eſt negotiatorum, ſeu mercatorum pecunias, quaſi in depoſito apud ſe recipere, eaſdemque, vel ipſis mercatoribus ad ipſorum exigentiam reſtituere, vel alijs ex eorum mandato tradere. Ad hoc munus regularitèr à Republica, ſeu à Principe aſſumuntur, quibus

Munus bancheriorum quale ſit.

5 propterea aſſolent, & tenentur fideiuſſores, ſeu legitimam cautionem dare de fideliter munere obeundo. Dixi *quaſi in depoſito*, quià præcisè depoſitarij non ſunt, quandoquidem illi non acquirunt dominium rei depoſitæ, niſi quatenus depoſitum eſt irregulare, prout latè probatum eſt ſupra, iſti verò verè acquirunt dominium rei acceptæ, ſeu pecuniæ, vndè ſi perit, ipſis perit, non mercatoribus deponentibus. Huiuſ-

6 modi Bancherij aſſolent pecunijs apud ſe depoſitis negotiari, vel dando ad cambium, vel merces emendo, vt vendant, vel implicando in alijs contractibus lucratiuis. Quandoque, & crebrò eſt bancheriorum genus, qui ſolent in locis, vbi nundinæ celebriores celebrantur, pecunias campſorum recipere, illorum literas ad ſe directas ſoluere, & nomine ipſorum ab alijs pecunias tenere, rationeſque dati, & accepti apud ſe habere, qui propterea in fine nundinarum ab vnoquoque ex deponentibus mercedem ſui laboris, ſeu vt alij dicunt, prouiſiones accipiunt plus, vel minus, ſecundum quod plura, aut minora negotia pro eiſdem geſſerunt. De commodis, & oneribus, de iuſtitia, vel iniuſtitia eorum, quæ ipſi gerunt, ex profeſſo erit ſermo infra.

Bancherij dominium pecuniæ depoſitæ apud ſe acquirunt.

Hoc vnum ſolum hic monendum cenſeo, quandòque per deponentes pecunias Bancherijs conſignari, vel in pecunia numerata, quatenus eam effectiuè recipiunt, quandoq; non effectiuè, ſed in literis cambij, qui etiam proportionalitèr, vel primo, vel ſecundo modo poſſunt ſoluere, atque etiam in ordine ad duplicem hunc modum deponendi dubia infrà examinabuntur.

Depoſitum fit, vel in pecunia numerata, vel in literis cambij.

Pro pleniori notitia huiuſmodi praxis, cum varia pecuniarum genera in diuerſis locis pro huiuſmodi cambijs adhibeantur, ſemper attendendum erit, quonam nummorum genere cambia regantur, quod, vt faciliùs intelligatur, nota praxim, quam refert *Leſſius lib. 2. c. 23. dub. 5. num. 51.* qua Antuerpiæ ad loca præcipuè Europæ reguntur, quod aſſerit fieri groſſis. Res ità ſe habet. Antuerpia Venetias dabat campſor nonnaginta, & vnum groſſos & tres quartas, vt vnum ducatum Venetijs reciperet, qui ducatus Venetijs æſtimatur in bancho centum viginti quatuor ſolidos, qui ſunt Venetijs congrua menſura ducati in cambijs. Antuerpia Mediolanum dabat centumquinque groſſos, vt Mediolani reciperet ducatum, qui tunc temporis ibi valebat libras quinque imperiales, & ſexdecim ſolidos. Antuerpia Florentiam dabat centum groſſos cum dimidio recepturus ducatum intrà menſem, & ſic ſucceſſiuè Antuerpia in alia loca ad proportionem valoris, quem ibi habet ducatus comparatiuè ad valorem pecuniarum minutarum; quæ ibi currunt, quem cognoſcere mei muneris non eſt, vndè vos ad praxim, & æſtimationem, quam habent in vnoquoque loco remitto. Conſulite eundem *Leſſium loco citato*, qui ibidem enumerat praxim quoad loca celebriora, ſed arbitror pretium ab eodem aſſignatum quoad eadem loca ſucceſſu temporum variatum. 7

Explicatur praxis pecuniarum, ſecundum quas reguntur cambia in diuerſis participibus.

PRÆNOTIO V.

An quandò pro campſario reſpondet Procurator campſoris cambium cum lucro ſit iuſtum, an verò vſurarium.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus in terminis particularibus. 1.
Duplex ſententia, eaque contraria refertur. 2.
Rationes pro ſententia negante. 3.
Rationes pro ſententia affirmante. 4.
Nulla interuenit in facto expoſito iniuſtitia, nullaque vſura. 5.
Dummodò intentio contrahentium non ſit corrupta. ibid.
Reſpondetur argumentis pro contraria ſententia adductis. 6.
Obligatio ſumpta in vno loco ſoluitur virtu-

Digitized by Google

tualitèr in alio. 7.

Conſtitutio Pij V. non aduerſatur huic cambiendi generi. 8.

Pius V. approbauit hoc genus contrahendi pro mercatoribus Bononienſibus. 9.

Verificantur ea, quæ dicta ſunt, etiam ſi reſpondens campſoris ſit ipſius famulus, vel ſocius in negotiatione. 10.

FActi ſeries latè propoſita eſt in præ-
cedenti prænotione *num*. 1. propè
medium, & alibi fusè relata, & exa-
minata. Vt clarius tamen procedam,
& non confundam terminos, ex quibus
inordinatè acceptis non vulgaris oriri
poteſt confuſio in decidendo, & potius
ingenia obtenebrari circà factum, quam
elucidari quoad ſententiam, eandem
facti ſeriem iterum in his terminis pro-
pono. Theodoricus nummularius Me-
diolanenſis titulo cambij tradit Sem-
1 pronio centum nummos aureos Medio-
lani onere eidem Sempronio impoſito
ſibi, ſuiſque miniſtris Romæ ſoluendi
eoſdem, exigitque Theodoricus à Sem-
pronio, qui nec ibi pecuniam habet,
nec reſpondentem, literas Romam ad
negotiorum geſtorem ipſius Theodori-
ci, quibus literis Sempronius ſe debi-
torem demonſtrat eiuſdem Theodorici.
Interim Theodoricus ad eundem ſuum
negotiorum geſtorem per ſuas peculia-
res literas ſcribit, vt nomen Sempronij
recipiat, & in tabulis referat, ſed ità vt
Sempronij nomine, qui Romæ nihil
habet in nummis, pro Sempronio cen-
tum aurei accepti referantur Theodo-
rico Romæ, quo nec pergit Sempro-
nius, nec quidquam re ipſa recipit à
Theodorico, ſeu eius negotiorum ge-
ſtore, tametſi iſte in tabulis perſcribat
de Theodorici ære Romano à Sempro-
nio perſolutum eſſe Theodorico. Vr-
gente iam tempore ſolutionis negotio-
rum geſtor Theodorici Romæ literas
Mediolanum ad Sempronium dat, qui-
bus appellatur Sempronius, cogitur-
que Theodorico Mediolani maiorem
pecuniam, quam acceperat, numerare.

In varias circà expoſitam facti ſeriem
2 abiuere Doctores ſententias. Prima do-
cet, huiuſmodi cambia nullo modo li-
cere *Sotus lib. 6. de iuſt., & iu. quæſt*. 10.
art. 1., *Tabiena in verbo vſura* 15. *nu*. 4.
§. 3., *Mercatus de cambijs c*. 7., *D. Anto-
ninus* 3. *part. tit*. 8. *c*. 3., *qui pro ſe innu-
meros non vulgaris nominis auctores refert*,
Silueſter verb. vſura 4. *num*. 9., *Gaſpar Ro-
dericus de annuis redit quæſt*. 6. *num*. 17.,
Palatius de contractibus c. 3., *Rebellus part*.
2. *lib*. 11. *quæſt*. 6. *num*. 20.

Secunda ſuſtinet, iuſtitiam talis con-
tractus, *Leſſius c*. 23. *dub*. 7., *Diana tom*. 1.
tract. 7. *de contract. reſol*. 1., *Sigiſmundus
Scaccia lib. de commert*., & *cambys* rela-
tus *à Lugo de cambijs diſp*. 28 *ſect*. 7. *n*. 77.,
qui etiam alios innumeros refert pro
hac ſententia, quamuis aliquos imme-
ritò. Quid igitur hac in re concluden-
dum. Rationes pro vtraque ſententia
adamuſſim licet maiori, qua potero
breuitate, referam, quidue poſtea ſen-
tiam, ſeu cui adhæream, breuitèr ex-
ponam.

Pro ſententia negante iuſtitiā huius
contractus hæc militant. Primò, quia 3
ad actus iuſtitiæ commutatiuæ requi
ritur nedum alteritas contrahentium,
ſed etiam rerum, quæ cadunt ſub eiſ-
dem contractibus, ſeu actibus iuſtitiæ
commutatiuæ, ſed in cambijs, de quo-
rum natura hic agimus, nec contrahen-
tium eſt alteritas, nec rerum, ergo &c.
Minor probatur quoad primam par-
tem, quià in loco, ad quem per Sem-
pronium diriguntur literæ, & in quo
fieri debet ſolutio, non interueniunt
duæ perſonæ diſtinctæ, prout requiri-
tur ad actum ſolutionis, qui eſt actus
iuſtitiæ commutatiuę, quandòquidem,
qui recipit literas, rapræſentat quidem
perſonam campſoris, eam verò campſa-
rij potius fingit, quam referat, & eius
nomine apparentèr tantum operatur,
verè tamen, & realitèr agit ex commi-
ſione campſoris, intantum enim agit,
in quantum ab eodem committitur,
ergo non interueniunt duæ perſonæ
realitèr diſtinctæ, ſed tantum fingun-
tur duæ, vbi eſt dumtaxat vna reali-
tèr. Confirmatur eadem minor quoad
primam partem. Eadem perſona camp-
ſoris ſi eſſet in loco, in quo facienda eſt
ſolutio, non poſſet ſuſtinere illas duas
perſonas ſoluentis, & recipientis ſolu-
tionem, ergo nec ipſius reſpondens, qui
tantum facit id, quod faceret ipſe
campſor, ſi ibi adeſſet. Probatur ea-
dem minor quoad ſecundam partem,
quià tàm pecunia, quæ datur Sempro-
nio, quàm illa, quæ recipitur à Teodo-
rico, eſt eiuſdem Teodorici, vt per ſe
patet.

Ad actū iuſtitiæ commutatiuæ non ſolum requiritur alteritas perſonæ, ſed etiam rei.

Videtur fictio perſonarum, non realitas.

Semper eſt pecunia eiuſdē Theodorici campſoris.

Secundò. Campſor in hypoteſi huius
dubitationis ſe habet potius, vt mutua-
tor acquirens lucrum ex mutuo, quam
nummularius exigens intereſſe ex cam-
bio, ergo vſurariè, non licitè contrahit.
Antecedens probatur, nam, cum pecu-
nia tradatur, & recipiatur in eodem
loco cum augmento, contractus, de
quo hic agitur, æquiualet illi, quo
Theodoricus mutuaret illam ſum-
mam, quam dicit cambire Sempronio

Non videtur intercedere diſcrimen inter hoc cambiū, & mutuum.

Digitized by Google

poſt aliquod tempus cum lucro, ſeu augmento reſtituendam; nec obſtare poſſunt literæ, quæ conficiuntur, & rationes illæ, & computationes, quas peragit reſpondens Theodorici, quia hæc omnia ſunt tegumenta malitiæ, & pallia iniquitatis; Cæterum re vera Sempronius recipit pecuniam à Theodorico in hoc loco, & in eodem eidem reſtituit cum augmento, quod eſt improbum fœnus.

Quodcunque in hoc contractu interuenit videtur fictitium

Tertiò. In hoc contractum genere quidquid eſt, fictitium eſt, & commentitium, ergo irritus, & inanis contractus. Antecedens probatur, quia eſt fictio perſonarum, actionum, & materiæ; perſonarum quidem, quià Theodoricus, ſeu eius reſpondens ſupponitur ſuſtinere duplicem perſonam Romæ alteram dantis, alteram recipientis pecuniam, & tamen nec Theodoricus, nec ipſius reſpondens ibi dat, nec recipit; actionum, quià Romæ nulla fit numeratio pecuniæ; fictio item materiæ, quià Sempronius nonniſi fictè transfert aliquam pecuniam in Theodoricum, vel in eius reſpondentem, ergo &c.

Pecunia præſens non poteſt commutari cum alia, vbi non eſt.

Quartò. Nemo poteſt validè permutare rem præſentem cum alia in loco abſenti, in quo nec verè eſt, & certò ſcitur a commutante ibi non adeſſe abſolutè, ſed in hypotheſi, de qua hic agimus, pecunia Sempronij Romæ, vbi eſſet reſtituenda, abſolutè non eſt, & certo ſcitur à Theodorico ibi non eſſe, ergo non fit valida permutatio.

Campſor quandòque duplex exigeret ſtipendium

Quintò, quia in hoc cambiorum genere campſor præter intereſſe cambij, quinimmò, & eius etiam reſpondens exigit aliquod ſtipendium; ille quidem propter officium illud, quod præſtat ſcribens ad ſuum reſpondentem, vt ſibi ipſe perſoluat in fide, & nomine proprio campſoris, iſte verò propter factoriam, & ſuum officium, quæ omnia præſeferunt apertiſſimam iniquitatem.

Obſtat definitio Pij V.

Sextò, ex decreto Pij V. in conſtit. quam ſupra allegauimus hoc cambiendi genus tanquam improbum, & fœneratitium damnatur; aſſerit enim *damnamus omnia cambia, quæ confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, ſeu ad alia loca cambia celebrare ſimulent, ad quæ loca ij, qui pecunias recipiunt, literas quidem ſuas cambij tradunt, ſed non mittuntur, vel ità mittuntur, vt tranſacto tempore inanes, vnde proceſſerant, reuertantur, aut etiam nullis huiuſmodi literis traditis, pecunia ibi denique cum intereſſe repoſcitur, vbi contractus fuerat celebratus. Nam inter dantes, & accipientes vſque à principio ità conuenerant, vel certè talis intentio erat, neque quiſquam eſt, qui in nundinis, aut locis ſupradictis ſolutionem faciat*. Quibus verbis, quid clarius ad rem præſentem?

Senſus PP. Societatis Ieſu iuſſu P. Generalis expoſitus.

Septimò, ex auctoritate Congregationis decem, & ſeptem PP. Societatis Ieſu tempore, & iuſſu Euerardi Mercuriani Generalis eiuſdem Societatis habitæ, in qua omnes vnanimes contractum illum tanquam improbum fœnus exploſerunt, cuius congregationis meminit *Comitolus reſponſ. mor. lib. 3. quæſt. 15. num. 4.* licet *Salas de cambijs dub. 17. num. primo* exiſtimet, illam Patrum Congregationem locutam de cambijs ſiccis, non de cambio, prout in re præſenti.

Pro ſententia affirmante hæc adduci ſolent rationes. Primo arguit *Salonius quæſt. 4. de cambijs art. 2. controu. 12. nu. 5.* Poteſt campſor dare literas ad proprium reſpondentem, quibus ex pecunia ſua, vel alterius idem reſpondens cambium ab ipſo campſore collatum perſoluat tranſmiſſo eodem debito per alias literas ab ipſo reſpondente ad eundem campſorem, ergo etiam poterit campſor ad eundem reſpondentem dare, quibus ex ſua propria pecunia idem debitum perſoluat, & literis datis ad eum poſteà remittat, cuius nomine facta fuit illa ſolutio. Conſequentia probatur, quià in contractibus ciuilibus, quod quis poteſt præſtare per alios, poteſt etiam præſtare per ſemetipſum.

In contractibus ciuilibus quod quis poteſt præſtare per alios, poteſt etiā per ſemetipſum.

Arguit ſecundò ex generali regula ab omnibus indiferentèr recepta cambium illud eſſe licitum, in quo nec aliquid recipitur ob ſolam temporis dilationem, nec campſuarius grauatur ſuprà id, quod exigit ipſa natura cambij, ſed neutrum in aſſignato cambio ex his duobus ſequitur, ergo &c. Minor probatur, quià campſuarius non ſoluit, niſi illud intereſſe, quod ſolueret, ſi proprium factorem ibi, vbi pecunia eſt perſoluenda, haberet, qui ex propria pecunia ſolueret.

Nec eſt grauamen ſuper naturam cambij, nec quia exigitur ex ſola temporis dilatione.

Arguit tertiò, ex communi praxi vbique ferè recepta, à locorum ordinarijs cognita, & non reprobata, ſecundum quam huiuſmodi cambia ineuntur, quinimmò huic communi conſuetudini fortius robur àddit *Comitolus cit. quæſt. 25. lib. 3. num. 10.* dum aſſerit priuilegio per Pium V. Bononienſibus conceſſo ipſam non ſolum non eſſe reprobatam, ſed etiam poſitiuè approbatam; facit enim Pius V. Bononienſibus poteſtatem menſam campſoriam in propria Ciuitate erigendi cum remiſſione lite-

Praxis vbiq; recepta nec à locorum ordinarijs reprobata.

Digitized by Google

literarum ad eos, qui pecunias ſuas huic, illiuè tradunt; & licet Comitolus aſſerat, Priuilegium illud Bononienſibus conceſſum explicandum eſſe per poſteriorem Bullam editam pro omnibus ab eodem Pio V.; fallit tamen, quià illa Bulla non concedit priuilegium exercendi cambia illicita ex natura ſua; hoc enim nequit Pontifex concedere, ſed declarat, cambia illa eſſe licita, quæ propterea non tollitur per aliam ſubſequentem, & licet Bulla continens illud priuilegium velit, vt per campſorem bis pecunia numeretur, primo in loco, vbi celebratur contractus; ſecundo etiam in loco, in quo Procurator Cāpſoris perſonam etiam ſumit Campſuarij, hæc tamen duplex numeratio ſaltem implicitè habetur, nam Procurator Campſoris nomine campſuarij habentis fidem campſoris ſoluit eidem campſori, & vt ſoluat, ſumit ad cambium ex commiſſione campſuarij, & ſoluendum ab eodem campſuario. Facit etiam quam maximè ad horum confirmationem id, quod refert idem Comitolus, ſe accepiſſe à viris probis, & fide dignis Matriti, & Valentiæ anno Domini 1574. regnante Gregorio XIII. nempè, cum orta eſſet controuerſia, an per Bullam Pij V. hoc genus cambiendi eſſet prohibitum, Cardinales Congregationis ab Archiepiſcopo Panormitano conſultos reſpondiſſe non eſſe per Pij V. conſtitutionem in prohibitione comprehenſum. Facit item id, quod refert *Lugus diſp. 28. ſect. 7.* deciſum in quadam Theologorum Congregatione Romæ habita iuſſu Pontificis *nihil in prædicto caſu, & circumſtantijs contineri, quominus licitè practicari poſſit*.

Approbatio Pij V. ad mercatores Bononienſes.

Reſcriptum Sacræ Congregationis in hoc cambiendi genere ad Archiepiſcopum Panormitanū.

Arguit quartò *Leſſius lib. 2. c. 23. dub. 7. num. 61.* Quia ſi ex aliquo capite illud cambiendi genus eſſet iniuſtum, iniuſtitia maximè ex eo reſultaret, quod campſarius non habet pecunias in loco, in quo cambium reſtituendum eſt, ſed hæc non reſultat, ergo &c. Minor probatur, quià ad iuſtitiam contractus nō requiritur, quod campſarius ibi habeat pecuniam actu, ſed ſufficit, quod habeat virtute, ſcilicet vel in virtute crediti apud amicum, vel in facilitate habendi correſpondentem, qui pro eo ſoluat. Quid autem magis confert ad validitatem, & iuſtitiam contractus, quod hunc potius, quam illum amicum, vel reſpondentem habeat? quod hac, vel illa pecunia perſoluatur? & ſi poteſt perſolui a tertio, cur non poterit perſolui ab ipſo campſoris reſpondente, prout induit perſonam amici, vel reſpondentis eiuſdem campſuarij? Quod, ſi dixeris, reſpondentem campſoris perinde ſe habere, ac ſi eſſet ipſe campſor, qui non poteſt eſſe ſimul ſolutor, & receptor, maximè ſi huiuſmodi reſpondens eſſet famulus, vel merus executor campſoris, quià tunc ex ſpeciali ratione cenſetur eadem perſona cum campſore; ſtatim impugnaberis, quià licet ſub vno reſpectu verè ſe habeat, vt campſor, ſub alio ræpreſentat diuerſam perſonam ab illo, in quo nulla eſt repugnantia, ſicuti non eſt repugnantia, quod vna & eadem perſona, etiam in ordine ad idem creditum ſimul ſit mutuator, & fideiuſſor reſpectu eiuſdem mutuatarij, maximè ſi ipſe mutuatarius, ſicuti & campſuarius non obligaretur ad acceptandum, vel mutuatorem pro fideiuſſore, vel reſpondentem campſoris pro ſuo reſpondente.

Non requiritur, quod campſarius habeat pecuniam actu, ſed ſufficit, quod habeat virtute.

Non repugnat, quin eadem perſona duplicem ræpræſentet.

Arguit quintò, idem Leſſius. Poteſt mercator requiſitus ad mutuandum centum nummos aureos nolle eos mutuare, ſed exhibere exigēti in mutuum tot merces, quot ſufficiant ad hauriendos illos nummos titulo venditionis, & deinde pecunia præſenti eaſdem merces emere, quod nos etiam latè probauimus *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. diſquiſit. 1. §. 7.* Item poteſt exigenti mutuum, ſe exhibere paratum ad emendas aliquas merces præſenti pecunia ab ipſo exigente, qui, ſi non habeat, poteſt eidem offerre merces, quas alibi habet, vendendas credito, & poſteà eaſdem non renuente eo, qui exigit, redimere pecunia præſenti iuxtà communem æſtimationem, ergo etiam poteſt campſor modo, quo hic agimus, cambire. Conſequentia probatur, quià hic vterque contractus in effectu eſt omninò ſimilis, nam ſi mercator dicit ſe nolle mutuare, ſed paratum eſſe ſe tradere credito ſuas merces, & deindè illas redimere pecunia præſenti, etiam campſor dicit ſe nolle mutuare, ſed paratum ſe eſſe ad emendam pecuniam abſentem campſuarij pecunia præſenti; ſi ille dicat non habente illo, qui mutuum exigit, ſe habere alibi merces, quas offerat vendendas credito, & ſimul offerat pretium pro redemptione earum præſenti pecunia, & iſte dicit ſe habere alibi pecunias vendendas, ſeu permutandas, quas offert credito, & paratum ſe eſſe exigenti credito ibi vendere, & præſenti pecunia eaſdem redimere, ergo &c. Neque valet, ſi dicatur, campſuarium

Argumentum à paritate deſumptū valde accomodū.

non

Digitized by Google

non liberè, ſed coactè exigere, & accipere tale cambium, quod propterea non ſubſiſtit, vel pretium in hoc cambio eſſe iniuſtum, quià pecunia, quam campſuarius campſori vendit, maioris eſt æſtimationis ob ſumptus, quibus idem campſuarius eam comparare debet, ſicuti merces maioribus laboribus, & expenſis comparandæ ſunt maiori pretio dignæ; vel cambium hoc ex diſpoſitione Pij V. eſſe ſiccum, eo quia literæ, quæ mittuntur, reuertantur inanes cum onere in campſuario ſoluendi intereſſe; Non valet, inquam; non primum, nam hoc modo dici poſſet, quod emens credito merces, & poſteà vendens pecunia præſenti venditori inualidè contraheret, vtpotè non liberè, ſed coactè, quod falſum loco citato probauimus. Deindè, ſi hoc valeret, in quibuſcunque emptionibus factis in neceſſitate eadem inualiditas conſurgeret. Videndum igitur eſt, an in contractu ſeruetur æqualitas requiſita ad iuſtitiam contractus, quæ, ſi fuerit, non præſumenda coactio, ſed ſufficiens libertas, cæteroqui in quocunque contractu, in quo vnus ex contrahentibus exigente altero aliquid ſupra id, quo ille vellet contrahere licet intrà limites iuſti, ſemper poſſet dubitari de inualiditate, quia poſſet dici, ibi adeſſe coactionem, quod nullus dicet; non ſecundum, quia non ideò res habent maiorem æſtimationem, quia pluribus ſumptibus ſint comparatæ, quandò habent valorem communem, & taxatum ex vſu fori; non tertium, quia literæ illæ non reuertuntur inanes; cum virtualitèr ſaltem, & implicitè pro ipſis facta fuerit ſolutio in loco, ad quem fuerunt directæ, & non amplius ipſæ, ſed aliæ factæ titulo recambij reuertantur. Cauerem tamen quoad hanc Leſſij probationem caute procedendum eſſe, ne præuium interueniat pactum de retrouenditione cum intentione lucri; hoc enim iuſtiſſimè damnatum eſt per Sanctiſſimum Innocentium XI. in Congregatione nuperimè edita die 2. Martij 1679. propoſitione 40.

Liberè omninò, & non coactè exigit, vt patet exemplo.

Non præſumenda eſt coactio, vbi ſeruatur æqualitas requiſita ad contractum.

Literæ non reuertuntur inanes, cum non ſint amplius eædem.

Quid iam in tot Doctorum ſibi aduerſantium numero ego concludam? Quid tot inter rationes ſibi obuiantes tanquam tutius ſeligam? Certè Auctores præallegati licet rationes vnuſquiſque pro ſua parte efficaces videatur afferre, non modicum tamen hæſitant in concludendo. Adhæreo ſine hæſitatione ſecundæ ſiſtendo in puris terminis dubitationis propoſitæ. Quamobrem ſit

Assertio. In hoc cambiendi genere, prout exponitur in facti ſerie, nulla interuenit vſura, nulla iniuſtitia ex eo, quod correſpondens campſoris ſimul agat partes eiuſdem, & ſimul gerat vices campſuarij iuxtà modum explicatum, dummodò ſeruentur aliæ conditiones requiſitæ ad naturam cambij localis, & intentio contrahentium non ſit corrupta. Rationes pro ſecunda ſententia adductæ aſſertionem concludentèr euincunt, quamobrem non eſſet vlterius immorandum. Dixi tamen, *dummodò ſeruentur aliæ conditiones requiſitæ &c.* quod annui ad indicandum, debere ſeruari æqualitatem valoris inter pecuniam datam, & recipiendam, intereſſe, quod per campſorem exigeretur, non debere excedere valorem mercedis iuxtà communem æſtimationem eiuſdem ex vſu fori, campſorem debere probabilitèr credere campſuarium habere pecunias, vel in re, vel in credito in loco, in quo debet reſtituere, & locum, in quo ſunt ſoluendæ pecuniæ, diſtare à loco, in quo dantur literæ. Dixi, *& intentio contrahentium non ſit corrupta,* nam ſi campſor intenderet præcisè mutuum, & intentione principali lucrum ex illo acquirere, quamuis mutuum palliaret illo cambiendi genere, & iniquè contraheret, & vſurariorum labe inficeretur. Non inefficax argumentum ad magis roborandam noſtram aſſertionem erit ſolutio rationum, quæ pro prima ſententia allatæ ſunt. 5

Aſſignantur conditiones requiſitæ ad validitatem contractus.

Ad primam igitur dico, & adeſſe ſufficientem alteritatem perſonarum, & rerum; perſonarum quidem, quià vna, & eadem perſona ſub diuerſa conſideratione, & prout gerit vices diuerſorum in ordine ad huiuſmodi contractus poteſt ſimul eſſe creditor, & debitor, & emere, & vendere ſibi ipſi *l. in tribus ff. de iudic. c. ex literis de probat.* actor ſimul, & reus *l. item eorum §. ſi decuriones ff. quod cuiuſq. vniu. c. relatio 21. quæſt. 1. c. nec Moiſes de conſec. diſt. 2. l. ſi conſul ff. de adopt. l. 1. §. ſi ſeruus ff. de ſtip. ſer.*, & in exercenda voluntaria iuriſdictione poteſt multiplici officio fungi *l. ſi conſul ff. de adopt.*, & palam eſt, non repugnare actum tradendi centum nummos aureos Petro nomine Antonij, & actum recipiendi alios centum a Petro nomine eiuſdem Antonij *Nauarrus parte ſecunda conſil. lib. 5. de vſuris conſ. 1. num. 9.*; neque abſolutè verum eſt, reſpondentem campſoris potius fingere, quam referre 6

In ordine ad diuerſos contractus idem poteſt eſſe creditor, & debitor, actor & reus.

perſo-

Digitized by Google

perſonam campſuarij, & apparentèr tantùm operari nomine ipſius; non, inquam, abſolutè verum eſt, nam quamuis in tantum agat, in quantum à campſore ei committitur, non tollitur tamen, quin vices agat eiuſdem campſuarij, & ipſius munera obeat, nam hoc, quod eſt agere in fauorem campſuarij ex commiſſione campſoris, eſt quodamodò ſolum admittere ipſum campſorem tanquam fideiuſſorem pro campſario eo modo, quo quis dat alteri pecuniam ob fideiuſſionem per alium præſtitam, ſine qua non daret, per quod non tollitur, quin principalitèr det in fauorem recipientis, & ipſum conſtituat principalitèr debitorem. Ad id, quod ſubditur, dicendum eſt, ſi campſor eſſet in loco, in quo facienda eſt reſtitutio, adhuc poſſe per ſe ipſum duplicem illam perſonam referre; ſicuti enim in loco, in quo primò ſoluit campſuario, & gerit perſonam campſoris tribuendo illam pecuniam, & ſimul campſuarij, quatenus nomine eius traijcit debitum in ſuum reſpondentem, vt bene notat *Leſſius hic diſp. 23. dub. 7. num. 83. verſ. vbi aduerte*, cur etiam in loco ſolutionis, ſi ibi adeſſet, non poterit agere partes campſuarij eius nomine ſoluendo ſibi ipſi, & ſimul campſoris recipiendo id, quod per ſe ipſum ſoluit nomine eiuſdem campſuarij? Certè ex præallegatis iuribus ſub diuerſo reſpectu idem poteſt ſimul eſſe creditor, & debitor. Quod, ſi dicatur *ex l. ſi frater à fratre ff. de rebus credit.* neminem poſſe ſibimet ipſi mutuare, emere, vel vendere, nec ſibimet ſe obligare, ſicuti nec ſibimet imperare, iubere, vel ſe cogere *l. penu. ff. de recep. arb., & l. ille à quo §. tempeſtiuum ff. ad Trebel.* reſpondendum erit, hæc ad ſummum verificari, quandò vnam, & eandem perſonam agit ſub vno, & eodem reſpectu *Nauarrus loc. cit.* Rerum item eſt ſufficienter alteritas, nam ibi re vera adeſt duplex moneta diuerſorum dominorum, vna, quam Theodoricus dat hic Mediolani Sempronio; altera, quam Sempronius Romæ redit per ſuum reſpondentem, qui virtute intelligitur eam ſumere ad cambium, vt ſoluat pecuniam Mediolani receptam in Ciuitate Romana. Res ita ſe habet. Tenetur campſuarius monetam receptam Romæ reſtituere. Quid præſtat, cum ibi non habeat? Adhibet reſpondentem campſoris, qui, ſicuti à tertia quadam perſona poteſt cambium requirere, vt ſoluat illud debitum, ità quocunque alio omiſſo à ſe ipſo requirit & ſoluit, & ſic illa pecunia ità virtualitèr ſumpta fit campſuarij, cuius nomine accepta eſt, & per ipſam poſtea ſoluitur debitum præcedens factum hic Mediolani cum campſore. Sicuti igitur, ſi ab alio illa pecunia, quæ Romæ reſtituitur, non ab ipſo reſpondente fuiſſet ad cambium recepta, eſſet diuerſa ab ea, quæ per campſuarium hic fuit recepta à Campſore, ità diuerſa præſumi debet, prout attinet ad rem præſentem, illa, quam à ſe ipſo acceptam ad cambium ſoluit reſpondens campſoris in extinctionem debiti campſuarij. In hanc explicationem propendet *Salas de cambijs dub. 17. nu. 8. ad ſecundum.*

Agere in fauorem campſuarij inſtante campſore eſt ipſum campſorem admittere, vt fideiuſſorem.

Aſſignatur ſufficiens alteritas ad validam permutationem.

Explicantur ea, quæ dicuntur in terminis particularibus.

Ad ſecundam dicendum eſt, gratis 7
omninò dici eſſe potius mutuatorem, quam campſorem, quià nec formalitèr, nec æquiualentèr pecunia cambita ſoluitur in eodem loco, tum quià ſoluitur Romæ, & cambitur Mediolani; tum quià obligatio, quam aſſumpſit Sempronius de ſoluendo Romæ Theodorico pecuniam Mediolani acceptam, extincta omninò eſt per ſolutionem factam de commiſſione Theodorici ipſius reſpondenti, qui illam à ſe ipſo recepit ad cambium, vt ſolueret Theodorico, vel ſibi ipſi nomine Theodorici, & ſic prius extincta ſupponitur obligatio (& per conſequens facta ſolutio Romæ) quam ex vi prioris contractus inierat Sempronius cum Theodorico, quam noua obligatio conſurgat in eodem Sempronio vi ſecundarum literarum, quæ Romæ remittuntur eidem Mediolanum, vt fiat ſolutio per eundem Sempronium Theodorico ob debitum de nouo contractum in acceptione cambij per reſpondentem ipſius Sempronij ad ſoluendum prius debitum Mediolani contractum; ex quo patet, quam à veritate aberrent, qui exiſtimant, miſſiones illas literarum, & remiſſiones debitorum eſſe ambages, & figmenta ad palliandas vſuras; re vera etenim fit ibi ſolutio, vbi facienda eſt, & literæ ipſæ ſuum conſequuntur effectum. Quamobrem attendenda eſt contrahentium intentio, ne ſit corrupta, vt prænotaui in aſſertione, nam ſi huiuſmodi contractus fieret in fraudem vſurarum, quatenus Theodoricus intenderet accipere pro vſuris illud intereſſe vltrà ſortem fingendo illum contractum apparentem cambij, tunc certè ex intentione peruerſa vſurariè contraheret; Quandò tamen non conſtat de tali peruerſa intentione ſemper præſumendum eſt ſine illa contrahere, cum quilibet præſumatur bonus, niſi conſtet de contrario

Soluitur pecunia in vno loco, & recipitur in alio.

Non ſunt ambages, nec figmenta ad palliandas vſuras, ſed iuſtus titulus.

Quiſque præſumendus eſt cum recta intentione contrahere niſi probetur contrarium.

l. me-

merito ff. pro ſocio c. 1. de reg. iur. præcipuè, cum poſſit intentum habere recipiendi illud lucrum pro intereſſe cambij verum cambium ineundo.

Ad tertiam patet reſponſio ex reſponſione præcedentium; non enim eſt perſonarum fictio, quià verè reſpondens campſoris vices etiam gerit campſuarij, & verè recipit à ſe ipſo cambium, quo debitum eiuſdem campſuarij extinguit dando ſibi ipſi, vt procuratori campſoris; non actionum, quià quamuis non fiat numeratio formalitèr, fit tamen æquiualentèr per hoc, quod ad cambium pecuniam reſtituendam accipiat, & aſſignet in extinctionem debiti creditori, quod certè fieri verè, & realitèr poſſe nemo dubitat. Quis enim diceret, etiam ſi non interueniat numeratio, non fieri veram ſolutionem, ſi chirographa continentia pecuniam debitam conſentiente creditore eidem aſſignentur? non tandem materiæ propter rationes aſſignatas in reſponſione ad primam rationem.

Poteſt fieri ſolutio etiam ſine actuali numeratione, & quomodò.

Ad quartam dicendum eſt, certè neminem poſſe rem præſentem validè cum abſenti commutare, vbi nec verè eſt, & certò ſcitur a commutante ibi nō adeſſe actu, nec virtute, quatenus nec eſſe poteſt, benè tamen, vbi ſcitur, non eſſe actu, poſſe tamen adeſſe, vel ope amicorum, vel miniſterio alterius gerentis vices non habentis, ea proportionali ratione, qua emi poteſt res actu non exiſtens, probabilitèr tamen futura, vt habetur *l. ſi iactum ff. de act. empt., & l. nec emptio ff. de contrah. empt.* Quamuis igitur in caſu noſtro ſciat campſor, certò in loco ſolutionis campſuarium non habere actu pecuniam reſtituendam, ſcit tamen certò habiturum tempore eiuſdem ſolutionis futuræ, quatenus ſcit proprium reſpondentem ſubiturum vices campſuarij, & pro ipſo virtualiter ſoluturum, & ſicuti, ſi ſciret alium à proprio reſpondente pro campſuario ſoluturum eius rogatu, validè contraheret, quamuis ipſe campſuarius non haberet pecuniam, qua ſolueret, cur etiam, dum ſcit debitum per proprium reſpondentem eſſe ſoluendum, quamuis ſciret tempore contractionis talis debiti campſuarium ibi non habere actu, quo ſolueret, non poterit validè contrahere? Dici etiam poteſt cum *Leſſio d. c. 23. dub. 7. num. 61.* ipſum campſorem vendere ipſi campſuario ſuam pecuniam abſentem credito, qua poſtea ipſe campſuarius per reſpondentem campſoris tanquam per geſtorem in hac parte propriorum negotiorum ſol-

Poteſt eſſe commutatio quamuis ſciatur res non eſſe actu.

Campſor vendit campſuario ſuam pecuniā abſentem credito.

uit debitum antecedenter contractum; & ſic certò ſcit campſuarium habiturum in loco, in quo facienda eſt ſolutio, quo poſſet ſoluere, & extinguere debitum.

Ad quintam dicendum eſt, ad hoc nata eſſe cambia, vt gignant campſori intereſſe propter officia, & obſequia, quæ præſtat, & ſicuti in hypotheſi, de qua loquimur, duplex interuenit cambium, ità nulla eſt difficultas, quin duplex intereſſe poſſit exigi, quinimmò etiam aliquid ex eo, quod aſſignet campſario factorem, cum non teneatur hoc gratis facere, & ſecundum ſe hoc ſit opus pretio æſtimabile, ſicuti eſſet opus pretio æſtimabile, ſi pro campſario alium quæreret factorem à proprio reſpondente, vt latè diximus ſuprà *de Cambijs l. diſq. §. 6. num. 2.* Hanc etiam ob cauſam ipſe reſpondens campſoris poteſt à campſuario aliquid exigere pro factoria, quam in ipſius obſequium impendit, non enim tenetur gratis aliorum negotia peragere, niſi fortaſſis aſſignato ſtipendio conductus eſſet à campſore ad quæcunque negotia peragenda, ſiuè propria ipſius campſoris, ſiuè etiam aliena ex ordine eiuſdem. In hanc reſponſionem propendet *Salonius quæſt. 4. de cambijs art. 2. controu. 12. ad vltimam.*

Ex duplici cambio duplex intereſſe poteſt exigi.

Reſpondens campſoris poteſt aliquid exigere propter factoriam.

Ad ſextam dicendum eſt, cambium, de quo loquimur, non eſſe ex illis, quæ per extrauag. *Pij V.* damnantur; nam Pontifex ibi dumtaxat prohibet cambia ſicca, quæ talia ſunt, quià ficta, cuiuſmodi non eſt expoſitum cambium, quod eſt reale per literas, per quas realitèr datur pecunia, & etiam realitèr ſoluitur, nec literæ remittuntur inanes ad ipſum campſorem, ſed ſoluuntur in loco, quo ſunt ſoluendæ eidem campſori, vel de conſenſu ipſius procuratori proprio, quod eiuſdem effectus eſt *l. 1., & tot. tit. ff. de Procuratoribus*, & iuxtà hunc ſenſum Eminentiſſimi Congregationis Cardinales ad Archiepiſcopum Panormitanum reſponderunt in hæc verba. *Congregatio auctoritate S. D. N. cenſuit huiuſmodi cambium literis Pij V. felicis recordat. minime comprehendi.* 8

Reſpondetur argumento deſumpto ex conſtitutione Pij V.

Ad ſeptimam dicendum eſt in primis, Congregationem illam PP. Societatis Ieſus non facere pluſquam opinionem, &, ſi illi hoc genus cambiorum damnarunt, per tot aliorum doctiſſimorum virorum auctoritates, per Sacræ Congregationis declarationes, quibus maior vis ineſt, per communem praxim vbique ferè receptam locorum ordinarijs non renuentibus, & ſi verum eſt, 9

Approbatio Pij V. ad mercatores Bononienſes.

quod

Digitized by Google

quod dicitur per auctores maximæ notæ, de conceſſione facta Bononienſibus à Pio V., per diploma Pontificium fuit approbatum, quæ certè omnia præponderant auctoritati illius Congregationis PP. Ieſuitarum. Deinde, vt notat Salas de cambijs *d.dub.* 17., illa Congregatio locuta eſt de cambio ſicco, non de illo, de quo nos loquimur in præſenti.

10 Collige ex dictis, ea, quæ dicta ſunt de reſpondente campſoris, prout etiam in præfato caſu, rapræſentat perſonam campſuarij, verificari de eodem reſpondente, etiam ſi ſit famulus eiuſdem campſoris, & negotietur ſolummodò ex perſona eiuſdem, vel ſocius in negotiatione; nam ſicuti ſub diuerſa conſideratione idem campſor poteſt fungi duplici officio, & eſſe ſimul creditor, & debitor, ità etiam eiuſdem famulus poteſt ſub diuerſa conſideratione, & reſpectu ſuum principalem rapræſentare ex illius commiſione modo campſorem, modo campſuarium, modo creditorem, modo debitorem.

Valent etiam ſi reſpondens campſoris ſit famulus ipſius, vel ſocius.

PRÆNOTIO VI.

An cambium ſecundum, quod fit Romæ in hypotheſi præcedentis aſſertionis, quo aliæ literæ à reſpondente campſoris remittuntur Mediolanum habeat eaſdem prælationes, quas habebat primum celebratum Mediolani.

SVMMARIVM.

Explicatur, in quo ſenſu explicanda ſit difficultas propoſita. 1.
Rationes dubitandi pro prælatione. 2.
Rationes dubitandi pro negatione eiuſdem prælationis. 3.
Sententia noſtra pro negatione talis prælationis, ſi attendatur præcisè natura contractus. 4.
Reſpondetur rationibus dubitandi pro prima parte. 5.
Si reſpondens campſoris, qui ſimul eſt campſuarij, poſt ſolutionem virtualem, & datas ſecundas literas fugiat, Sempronius ad nibil tenetur verſus Theodoricum. 6.

1 SEnſus difficultatis hic eſt. Celebrato primo contractu, quo Theodoricus Mediolani ſoluit Sempronio centum nummos aureos reſtituendos Romæ per reſponſalem eiuſdem Theodorici virtute literarum ad ipſum ex commiſſione ipſius directarum, reſponſalis ipſe, qui nomine Sempronij acceptat literas, & ſoluit, & nomine Theodorici recipit ſolutionem, nouum quodamodò cambium init, quo literas dat Sempronio, vt ſoluat Theodorico æqualem ſummam ei, quam ipſius nomine ſoluit. His ſic ſtantibus Sempronius poſt primum cambium Mediolani à Theodorico acceptum, & ante ſolutionem Romæ factam per reſponſalem eiuſdem Theodorici nouum cambium Mediolani accepit à Fabio centum item aureorum, & poſteà decoxit, ità vt non habeat, quo vtrique poſſit ſatisfacere, ſcilicet cambio accepto à Fabio, & cambio ſibi Roma per reſponſalem Theodorici tranſmiſſo. Hic oritur difficultas, quinam ex ijs habeat ius prælationis, vt ſatisfiat, an Theodoricus, qui primo pecunias conceſſerat ad cambium Sempronio, an verò Fabius.

Senſus difficultatis exponitur in particulari.

Ratio dubitandi in fauorem Theodorici ex eo conſurgit, quod videatur ius habere ſemper dependenter à primo contractu, quo ſoluit Mediolani Sempronio illos centum nummos aureos, adeòque omnia iura illius primi contractus, quouſque ipſe contractus per vltimam ſolutionem, & ea, quæ ab ipſo originem traxerunt, perficiantur, retinere, cum antecedentia trahant ad ſe conſequentia, quæ ab illis oriuntur *l. quamuis & ibi Baldus C. de fideicom. l. 2. ff. de iuriſd. om. iud., Baldus in l. quoties la 2. in fin. C. de fideicom.* vnde per primum contractum recurſus, qui Romæ celebratur per ſuum reſponſalem, ſuccedit in primo iure, quod habebat, quandò primo ſoluit Mediolani, quià, ſicuti qui ſoluit debitum alterius, acquirit iura creditoris, cui ſoluit *Bartolus poſt gloſ. in l. Ariſto. ff. quæ res pign. oblig. poſ.* ità idem Theodoricus, qui per ſuum reſponſalem debito eiuſdem Sempronij prius contracto cum ſe ipſo ſatiſfecit, in priori iure videtur ſuccedere, illamque prælationem iure acquirere, quam prius habebat vi prioris contractus. Accedit, quod hoc cambium recurſus dicitur cambium continuationum; continuatio autem ità coniungit, vt vnum è duobus fiat *c. literas de tempor. ordin. l. 1. §. ſi verò C. de caduc. tol. Gloſ. in §. item Lapilli inſtit. de rer. diu., Baldus in l. quemadmodum in extr. ff. ad l. Aquil., Bartolus in l. ſi ità ſtipulatus §. Chriſogonus ff. de verb. oblig. Hy. Mar. conſ. 75. num. 7. vol. 1.* quæ autem fiunt vnum ex duobus eadem iura quoad vtrumque acquirunt, quæ habebat primum illorum, cui fit acceſio ſecundi 2

Iura primi contractus videntur originaliter ineſſe ſecundo.

Contractus recurſæ dicitur etiã quandòque contractus continuationum.

Digitized by Google

l. hæres meus §. fin. de leg. 3. §. literæ quoque inſtit. de rer. diuiſ.

3 In fauorem Fabij hæ rationes dubitandi potiſſimum militant. Primò, quià per ſolutionem factam Romæ per reſponſalem campſoris vt agentem vices Sempronij extinctum abſolutè intelligitur ius antecedens eiuſdem campſoris. *Lugus diſp.28.ſect. 7. n.*100., *Nauarrus conſ. lib.2.conſ. 1. lib.5. de vſuris num.7.*, *Salonius de cambijs quaſt.4. art. 2. controu.* 12., *Leſſius lib. 2. de iuſt. c.23. dub.7.* ius autem ſemel, & abſolutè extinctum non amplius obligat, nec reuiuiſcit *Gloſa, & Cardin. Clem. c. gratiæ de reſcriptis*. Secundò, quia ſi Sempronius per ſuum reſponſalem, ſi haberet, qui eſſet alius à reſponſali campſoris, ſolueret debitum contractum Mediolani cum campſore reſponſali eiuſdem campſoris, & idem reſponſalis Sempronij literas remitteret ad Sempronium cum onere ſoluendi debitum ſecum contractum ob priorem ſolutionem factam in fauorem ipſius reſponſali campſoris, ſoluendi, inquam, ipſi campſori, ipſe campſor non haberet ius anterius reſpectu alterius, qui per nouum cambij contractum tradidit pecuniam eidem Sempronio poſt primum cambium celebratum cum ipſo campſore, ſed antecedenter ad ſolutionem pro ipſo factam per proprium reſponſalem reſpondenti campſoris, ergo neque tale ius anterioritatis habebit, quandò per proprium reſpondentem facta eſt Romæ ſolutio, ſi &c. Conſequentia probatur, quià reſpondens campſoris perinde ſe habet in ordine ad hunc effectum, ac ſi eſſet alia perſona diſtincta a reſpondente eiuſdem campſoris, cum ſub illo reſpectu non rapræſentet campſorem, ſed campſuarium. Antecedens item ſic euincitur, quià ſecundus contractus eſſet omninò diſtinctus à primo, & per accidens omninò eſt, quod reſponſalis campſoris literas remittat ad eundem campſorem.

Per ſolutionem virtualē extinguitur primum cābium.

Reſpondens cāpſoris in ordine ad effectum ſolutionis perinde ſe habet ac ſi eſſet alia perſona.

ASSERTIO. In hypotheſi præſentis dubij propoſiti potiora iura prælationis aſſiſtunt Fabio, quam Theodorico attenta præciſè natura contractus. *Lugus diſp. 28. ſect. 7. num. 100. verſ. vnde ſi Petrus*. Faciunt maximè pro probatione aſſertionis mox adducta in fauorem eiuſdem Fabij, & vlteriùs ſic

Probatur, Campſor acceptatis literis campſuarij per ſuum reſpondentem, & facta illa virtuali ſolutione per eundem reſpondentem, ſeu acceptata obligatione ſoluendi non haberet amplius directam, & nomine ſuo actionem aduerſus campſuarium, ſi ipſe reſpondens decoqueret, vel fugeret *Leſſius d. c.23. dub.7. num.71.*, *Salas de cambijs dub.17.* ergo, quià per talem virtualem ſolutionem ius campſoris antecedens omninò ſupponitur extinctum, ergo in illo iure non poteſt vim habere poſterior contractus, cum nihil poſſit vim habere in eo, quod non eſt; neque dicas, ſoluentem debitum alicuius creditori eiuſdem extinguit quidem debitum verſus eundem creditorem, & tamen ratione illius debiti acquirit omnia iura anterioritatis, & prælationis in ordine ad alia debita poſteriora, quæ habebat prior creditor, ergo in iure extincto, quod erat antecedens, poſſunt habere vim poſteriores contractus; contrà enim impugnaberis, quià ſoluens debitum creditori iuxtà ſenſum inſtantiæ intendit præciſè emere ius, quod habebat creditor, nec vllo modo extinguere debitum, nec abſoluere debitorem, ſed eundem obſtrictum tenere eodem vinculo, quo prius obligabatur mutata ſolummodò perſona creditoris, in cuius locum ipſe ſoluens ſuccedit; reſpondens autem campſoris, prout agit vices campſuarij, eiuſdemque perſonam rapræſentat, intendit præciſè extinguere debitum, & demere per ſolutionem illud primum cambium initum Mediolani, & pecunia ad cambium accepta à ſe ipſo non ius ad primum cambium emere, ſed conſtituere nouum cambium diſtinctum à primo, quod fit per nouas literas, & nouam obligationem, quod certè eſt quid diuerſum à primo caſu.

Extinguitur actio directa aduerſus cāpſuarium.

Reſpondens cāpſoris intēdit præciſè extinguere primum cambii.

Confirmatur vlterius aſſertio, & ſimul magis roboratur reſponſio mox adducta ad inſtantiam. Si penitus per ſolutionem per reſpondentem campſoris nomine campſuarij factam non adimeretur primum cambium Mediolani celebratum deſtructo quocunque iure ipſius, ſemper verum eſſet, quod pecunia Mediolani accepta eſſet ex vi eiuſdem contractus in ſuo robore permanentis in eodem loco reſtituenda cum actuario, in quo fuit accepta, ſed hoc manifeſte redolet contractum vſurarium, ergo, ne aſſeratur contrà ſuperius dicta contractus, de quo agimus, vſurarius, dicendum eſt obligationem non eſſe ex vi prioris contractus, cum ſupponatur extinctus, ſed ex vi alterius de nouo celebrati Romæ cum onere reſtitutionis Mediolani faciendæ. Maior probatur, quià, ſi prior contractus in ſuo robore duraret, ſolutio fieret vi eiuſdem, & ad tollendam obli-

Argumentum à reali ad virtualē ſolutionē

obli-

obligationem ipſius, &, cum ſciretur in prima celebratione eiuſdem ſolutionem non ponendam Romæ, ſed Mediolani ex vi eiuſdem contractus, ſequitur, quod eſſet reſtitutio facienda in loco, in quo accepta eſt pecunia; quamobrem ad hæc incommoda vitanda dicendum eſt, extinctum eſſe prius ius campſoris, & aliud ex nouo contractu acquiſiuiſſe, quod, cum ſit ſecundum ſe poſterius iure acquiſito per Flauium, non habet prælationem aduerſus ipſum.

Abſurda, quæ ex oppoſito ſequerentur.

Nunc ad rationes dubitandi pro parte aduerſa reſpondendum, & quidem ad primam dicendum eſt, non niſi occaſionalitèr, non formalitèr ius, quod habet campſor dependere à priori contractu, niſi intercedat fideiuſſio; occaſionalitèr, inquam, quatenus ex occaſione primi nouum debitum contrahitur a campſuario, & per conſequens nouum ius conſurgit in campſore, quod autem occaſionalitèr ab alio dependet, non habet omnia iura primi, non quatenus aliquod ius, quod eſſet in primo permaneat in ſecundo, quandoquidem illud omninò extinctum eſt, & ſic rationes illius nec perſeuerant in iſto, nec aliquam vim ipſi tribuunt, ea proportionali ratione, qua, ſi ego v. g. aſſumerem aliquam pecuniam in debitum ad extinguendum aliud debitum, ius quod conſurgeret in creditore ratione noui debiti, dependeret quidem quodamodò à iure prioris creditoris, quatenus pecunia aſſumeretur in ordine ad illud extinguendum, quià tamen dependeret ſolum occaſionalitèr, non per aliquam vim, quam conferat ipſi, ideò non tribuit eidem iura anterioritatis, & prælationis, quæ in ſe habebat, ex quibus poteſt reſponderi ad id, quod ex allegatis iuribus ſubdebatur, nempè antecedentia trahere ad ſe conſequentia; reſponderi inquam, poteſt hæc vera eſſe, quandò antecedentia permanent, vel aliquam vim tribuunt ſubſequentibus, non quandò illa abſolutè deſinunt, & iſta nullam vim habent ab illis, cum ſolum dependeant occaſionalitèr. Ad id, quod dicitur de ſoluente debitum pro alio creditori, & in iſtius iure ſuccedente, iam reſponſum eſt ſupra.

Secundum cābium nō niſi occaſionalitèr dependet à primo, niſi intercedat fideiuſſio.

Antecedentia non trahunt ad ſe ſubſequentia, niſi antecedentia perſeuerent.

Ad ſecundam dicendum eſt, cambium recurſus dici cambium continuationum, non quatenus ſit vnum, & idem cambium continuatum cum eiſdem iuribus, ſed quatenus ex priori conſequitur, & ad extinctionem illius ponitur, & id, quod erat debitum reſpectu prioris, ſit creditum reſpectu poſterioris, vndè dicitur actio continuata, qua vnum ex alio, & aliud ex altero ſucceſſiuè fit, quamuis vnum non ſit alterum, nec habeat proprietates alterius; nec poteſt dici, quod fiat acceſſio ſecundi primo, quatenus idem ſecundum induat conditiones primi, & qualitates, nam hæc ad ſummum valent, quandò id, quod accedit ex natura ſua ſequitur ſuum principale, & non ſeparatur ab eo *l. fin. & ibi Bartolus in 1. not. C. per quas perſonas no. acqui.* non quandò non ſortitur naturam eius, cui accedit *Bertachinus in repert. prima parte verb. acceſſorium*, vt in caſu noſtro.

Dicitur contractus continuationū, quatenus vnus ad alium ſubſequitur.

Ad magis corroboranda ea, quæ hucuſque dicta ſunt in fauorem Fabij, his attende. In acquiſitione rei per viam præſcriptionis cum principali non venit ſimul id, quod accedit, quandò tempore incohatæ præſcriptionis principali non inerat acceſſorium, ſed tantum ex poſt facto incipit ineſſe, quoniam tunc opus eſt quoad illud noua præſcriptione *l. qui fundum §. fin. ff. de vſuc. pro empto, & benè facit l. rerum miſtura in fin. de vſuc. & ità concludit Ludouicus Romanus in ſui ſingul. num. 587.* ergo etiam in acquiſitione alicuius iuris, ſeu crediti per viam emptionis, ſeu permutationis ex vi eiuſdem non acquiritur cum principali id, quod ad illud accedit, ſed neceſſaria eſt noua emptio, vel permutatio, quandò tempore primæ emptionis acceſſorium non inerat alteri iuri principali, quod acquiritur, ſed ex poſt facto ad illud ſequitur, ſed ius in hypoteſi aſſertionis ex ſecundo cambio non inerat primo, quandò celebratum eſt, ſed ad illud ſubſecutum eſt, ergo non venit ex vi primi cambij, ſeu emptionis per ipſum factæ, adeoque eſt ius omninò diſtinctum, & ſeparatum à primo, adeoque ab illo nullam vim habere poteſt.

In acquiſitione rei per præſcriptionem non venit ſimul id, quod accedit.

Colligе ex dictis, quod, ſi reſpondens Theodorici, qui ſimul factus eſt reſpondens Sempronij, poſt ſolutionem illam virtualem factam ſibi, vt procuratori Theodorici ex pecunijs Theodorici datis ſibi, vt Procuratori Sempronij ad ſecundum cambium in ordine ad extinguendum primum, ſi inquam, fugiat, vel vergat in decoctionem, Sempronius ad nihilum teneatur verſus Theodoricum ratione primi cambij, ſed tantum ad id, quod ab ipſo, vel eius procuratore accepit ad ſecundum cambium, quià primum omninò ex- 6

Digitized by Google

tinctum eſt. Quod, ſi ſupponas, reſpondentem literas Sempronij non acceptaſſe Theodorici nomine, ſed ſuo, (quia ipſe independenter à Theodorico habet pecuniam, & creditum) & ſe obligaſſe ſoluere Theodorico primum cambium, tunc, ſi ante ſolutionem fugiat, aut vergat in decoctionem, Theodoricus ſolum haberet actionem directam contrà reſpondentem, non contrà Sempronium, quia pro primo cambio iam eidem ſatisfeciſſet Sempronius datis literis ad reſpondentem, quas reſpondens acceptauit, & debitorem ſe conſtituerat Theodorici. Dixi *non habere actionem directam*, quia indirectè poſſet procedere contra Sempronium, vt in debitorem ſui debitoris, vt ſcilicet nomine reſpondentis, qui eſt ſuus debitor, repeteret à Sempronio id, quod ipſe Sempronius reſpondenti debebat.

Poteſt habere actionē indirectam, vt in debitorē ſui debitoris.

PRÆNOTIO VII.

An intereſſe primi Cambij ſoluendum in loco, in quo ipſum cambium debet ſolui, poſſit ſimul cum illo fieri capitale ſecundi.

SVMMARIVM.

Ratio dubitandi pro ſententia negatiua. 1.
Intereſſe primi cambij ſimul cum capitali eiuſdem poteſt conſtituere integrum capitale, ex quo exigatur intereſſe ſecundi cambij. 2.
Reſpondetur rationi dubitandi. 3.
Duplex modus, quo ex intereſſe poſſit percipi intereſſe. 4.

IN hypotheſi caſus propoſiti in prænotione V. Sempronius ſe obligauerat ad ſoluendum cambium acceptum Mediolani non ſolum quoad capitale Romæ, ſed etiam quoad intereſſe eiuſdem, adeo vt, ſi capitale eſt centum nummorum aureorum, ſe obligauerit pro intereſſe ad ibi ſoluendos centum, & quinque. Hinc dedit Sempronius literas reſpondenti Theodorici Romæ, vt ſibi ſolueret centum, & quinque, centum ſcilicet pro cambio, & quinque pro intereſſe eiuſdem cambij. Hinc orta eſt difficultas, an, ſi reſpondens remittat nouas literas pro ſecundo cambio eidem Sempronio continentes centum & quinque, idem Sempronius teneatur ad intereſſe non ſolum pro illis cētum, ſed etiam pro illis quinque, qui erant intereſſe primi cambij.

Ratio dubitandi ex eo oritur, quod intereſſe non videtur poſſe parere intereſſe, ſicuti nec vſuræ poſſunt vſuras gignere *l. vt nullo modo C. de vſuris* ibi *Iuſtinianus Imperator apertiſſima lege definit, vſuras quidem ſemper vſuras manere, & nullum vſurarum aliarum incrementum ſentire, ſorti autem antiquæ tantummodò incrementum vſurarum accedere* item eſt textus *in l. ſi non ſortem §. 1. de condit. indeb. & l. placuit ff. de vſuris*, ergo pro intereſſe primi cambij non poteſt in ſecundo intereſſe exigi. Nihilominus ſit 1

Vſuræ non videntur poſſe vſuras gignere, nec intereſſe aliud intereſſe.

ASSERTIO. Intereſſe primi cambij ſimul cum capitali eiuſdem poteſt conſtituere integrum capitale, ex quo adæquatè, & ſimul ſumpto exigatur intereſſe ſecundi. Eſt conformis ijs, quæ diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de Emphyth. & Cenſib. prænot. 21. ſect. 9. aſſert. 1. num. 88.* 2

Probatur primò. Ex intereſſe præcisè primi cambij præſcindendo à ſorte principali eiuſdem poteſt fieri nouum cambium, & ex illo proportionatum intereſſe exigi, ergo etiam ex intereſſe eiuſdem primi ſimul cum capitali poterit conflari maius capitale, ex quo in ſecundo cambio maius intereſſe exigatur. Antecedens patet, nam vel illud intereſſe eſt per campſorem, vel eius reſpondentem exactum, vel eſt tantummodo creditum; ſi exactum, ſicuti per pecuniam aliam præſentem poteſt cambium conſtitui cum alio, & intereſſe illius exigi, cur non poterit etiam conſtitui per illud intereſſe exactum, ſiquidem tunc non habet amplius rationem intereſſe, ſed fit menſura aliarum rerū venalium, ſeu pecuniarum commutabilium? ſi eſt tantumodò creditum, ſicuti ex primo capitali credito poteſt fieri ſecundum cambium, vt patet in præcedentibus prænotionibus, cur etiā ex illo intereſſe tanquam pecunia credita conſiderata præcisè ſecundum ſe non poterit nouum cambium conſtitui? & ſi poteſt nouum conſtitui, cur non poterit ſimul cum capitali prioris fieri maius capitale ex quo conſtituatur cambium ſecundum? Certè id, quod modo eſt intereſſè reſpectu vnius, poteſt eſſe capitale reſpectu alterius, ſicuti qui eſt ad vnum filius poteſt eſſe ad alterum Pater.

Poteſt illud intereſſe exactum, vel creditum habere rationem pretij reſpectu alterius.

Si ex illo poteſt nouum cambiū conſtituitur per illud non poteſt augeri primum?

Probatur ſecundo paritate deſumpta ex contractibus cenſualibus. Ex iure naturæ non repugnat ex penſionibus iam maturatis, & nondum ſolutis augeri cenſum iam conſtitutum in eodem fundo, & ex eo ſic conflato exigi ad pro-

Paritas deſumpta ex contractibus cenſualibus.

proportionem maiores penſiones *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 10. c. 14., Salonius de cenſib. art. 3. cant. 17., Bonacina diſp. 3. quæſt. 4. punct. vnico nu. 39.* ergo etiam attenta natura cambij nulla erit repugnantia, quin ex intereſſe, & debito poſſit capitale cambij augeri, & ſic ratione talis augmenti maius intereſſe exigi in ſecundo cambio.

3 Ad rationem dubitandi afferendum eſt, ad ſummum repugnare vſuras, ſeu intereſſe, qua vſuræ, & intereſſe ſunt, parere vſuras, ſeu intereſſe, in quo ſenſu procedunt allegata iura, non autem, ſi accipiantur ſub alio titulo, ſub quo conſiderentur, vt pecunia debita ſecundum ſe apta implicari ex induſtria creditoris in commercium, ſeu contractum lucratiuum, & ſic de facto accipitur intereſſe illud prioris cambij, quod prout conſtituit, vel nouum capitale cambij, vel prout auget antiquum non conſideratur amplius, vt intereſſe, ſed vt pretium alterius cambij, vel augendi, vel conſtituendi.

Non conſiderantur amplius, vt vſurę, ſed vt pecunia debita.

Dices, omninò diſſonum videri iuri rationis, quod ex intereſſe nondum quoad poſſeſſionem acquiſito per campſorem poſſint fructus acquiri ab eodem in ſecundo cambio. Sed contrà, quia eo ipſo, quod reſpondens campſoris recipit literas campſarij continentes non ſolum capitale, ſed etiam intereſſe prioris cambij, & virtualitèr ſoluit vtrumque accepto à ſe ipſo cambio campſor acquirit per ſuum Procuratorem ius poſſeſſionis in illud intereſſe, ea proportionali ratione, qua creditor acquirit ius in pecuniam ſolutam a debitore in manus ſui procuratoris, qui intelligitur recipere nomine creditoris, tanquam ſui principalis procuratorio nomine. Deindè dies ſolutionis cedit in fauorem creditoris, & ſi poteſt creditor etiam ante traditionem pecuniæ credita vti ad emendum aliquid, vel à debitore, vel ab alio, qui acceptet pro pretio illud creditum, cur non poterit eadem vti ad emendum maius ius in augmento capitalis ad maius cambium?

Campſor acquirit ius poſſeſſionis per ſuũ Procuratorẽ, & quomodo.

4 Collige ex dictis, dupliciter poſſe intelligi, quod ex intereſſe primi cambij poſſit in ſecundo exigi intereſſe; primò, quatenus campſor facta conuentione cum campſario de dandis eidem centũ nummis aureis ad cambium, & onere acceptato à campſuario ſoluendi pro intereſſe quinque, campſor ſoluit hic Mediolani tantum nonaginta, & quinque, & campſarius dat literas pro centum computatis illis quinque, quos ſoluere deberet pro intereſſe; certum tunc eſt, quod dum reſpondens remittit ad eundem campſarium in ſecundo cambio literas continentes centum, remittat etiam tanquam capitale intereſſe primi, & cum in ſecundo intereſſe ſit ſoluendum pro centum, qui remittuntur, ſoluitur pro intereſſe etiam primi, quod poſteà computatum eſt in ſortem principalem. Secundò, quatenus facta conuentione de dandis centũ, & quinque pro intereſſe eorundem campſarius dat literas ad reſpondentem campſoris continentes centum, & quinque, qui, ſi poſteà remittat centum & quinque in nouis literis, tunc non ſolum erunt ſoluendi illi centum, & quinque, ſed etiam intereſſe non ſolum centum, ſed centum, & quinque, cum centum & quinque ſit capitale ſecundi cambij, vt explicatum eſt. Hic tamen aduerte, quod, ſi reſpondens campſoris in ſecundo cambio remitteret non ſolum literas continentes centum, & quinque, ſed etiam intereſſe ſecundi cambij puta centum, & decem cum vigeſima parte vnius nummi aurei, tunc per campſarium non eſſet ſoluendum intereſſe pro omnibus centum, & decem cum illa vigeſima parte, ſed pro centum, & quinque tantum, nam reliqui quinque ſunt intereſſe ſecundi, pro quibus proptereà non poteſt exigi aliud intereſſe, ſecus pro eodem contractu exigeretur intereſſe ſuprà intereſſe, quod eſt id, quod damnatur *in l. vt nullo modo C. de vſuris.*

Explicatur duplex modus acquirendi intereſſe de intereſſe.

PRÆNOTIO VIII.

An campſor in hypotheſi difficultatis propoſitæ in prænotione V. poſſit per ſe ipſum præſtare ſine literis id, quod præſtat per ſuum reſpondentem cum literis.

SVMMARIVM.

Multiplex articulus excitatur pro expoſita difficultate. 1.

Ex præciſa non poſitione literarum in data hypotheſi cambium non redderetur illicitum, nec vſurarium. 2.

Scriptura non eſt de eſſentia contractus cambialis. 3.

Campſor proficiſcens ad locum deſtinatæ ſolutionis, & per ſe ipſum exercens munera reſpondentis poteſt licitè exigere prouiſiones, quas ille exigeret. 4.

Si campſor, & campſarius ſimul proficiſcerentur ad locum deſtinatæ ſolutionis, & campſarius quæreret à campſore

nouum

nouum cambium ad extinguendum primum, non poſſet campſor exigere prouiſionem. 5.

EXigit titulo Cambij à Teodorico per ſe Sempronius centum illos nummos aureos reſtituendos Romæ cum intereſſe, cui annuit Theodoricus, ſed cum Sempronius non habeat reſpondentem, qui ſoluat, Theodoricus ſe ipſum exhibet dicens. Tempore ſolutionis ego Romæ adero, & tunc dabo tibi titulo noui cambij alios centum nummos aureos, quibus poteris Romæ primum cambium Mediolani celebratum extinguere, ſed eos poſtea Mediolani ſolues cum intereſſe.

Circa hoc multiplex eſſe poteſt ratio
1 dubitandi. Primò, an ſubſiſtat illud cambium locale, in quo literæ non interuenirent.

Secundò, an in data hypotheſi idem Theodoricus poſſit ex illo munere, & obſequio, quod præſtaret, illas prouiſiones, quæ darentur ſuo reſpondenti, ſi illud munus, & obſequium exequeretur per ſe ipſum, conſequi.

Tertiò, an ſi tàm Theodoricus, quàm Sempronius eſſent tempore ſolutionis cambij Mediolani celebrati ſimul Romam profecturi poſſet iuſtè Sempronius ad nouum cambium à Theodorico alios centum nummos aureos accipere ad extinguendum prius cambium cum onere illos reſtituendi Mediolani, & an in hoc caſu poſſet item Theodoricus prouiſiones exigere, & quid ſi ſolum Theodoricus Romam accederet, non Sempronius?

Quartò, an Sempronius Theodorico Romam proficiſcenti poſſit committere, vt ſuo nomine nouum cambium à ſe ipſo accipiat ad extinguendum antecedens, quod ipſe poſteà ſoluet Mediolani.

2 Assertio I. Ex præciſa non poſitione literarum in data hypotheſi cambium non redderetur illicitum, nec vſurarium. *Nauarrus c. 17. num. 289., & num. 21. verſicul. decimoquinto, Sigiſmundus Scaccia tract. de commerc. §. 1. quæſt. 5. num. 10., & 11., Lugus d. diſp. 28. ſect. 7. num. 87.*

3 Probatur primò, quià ſcriptura non eſt de eſſentia contractus cambij, ſed requiritur ſolum ad probationem, & ceterem contractus executionem in foro exteriori *l. cum inſtrumentis, & ibi Doctores C. de fid. inſtrum., & l. cum res per Baldum in 1. col. C. de probat.*, ergo ex præciſa non poſitione literarum cambium non redditur illicitum, nec vſurarium. Confirmatur, quià literæ, quæ dantur, ſe habent, vt purum mandatum ad ſoluendum *Scaccia §. 2. gloſ. 5. num. 315.* ſed purum mandatum æquè haberi poteſt, vel per nuntium, vel per perſonalem commiſſionem mandantis, vel per literas, vt eſt in confeſſo apud omnes, præcipuè cum mandare, & rogare quoad hunc effectum paria ſint *l. 1. §. fin. ff. mandati ſecundum Bartolum in l ſi negotium C. de negot. geſt.* rogare autem poteſt quis per ſe ipſum, ergo &c.

Scriptura non eſt de eſſentia contractus cambialis.

Scripturæ ſe habent, vt purum mandatum.

Probatur ſecundò, quià, ſi campſuarius inito illo cambio, quo accepit centũ nummos aureos Mediolani à Theodorico, & hoc non renuente, ſed potius approbante perſonalitèr Romam adiret ad reſpondentem Theodorici, vel ad alium, cui committeret, vt nomine proprio nouum cambium acciperet, vel à ſe ipſo, vel ab alio, & extingueret primum nullo reclamante validè, & licitè contraheret, nec tamen literas dediſſet, ergo, nec inualidè contrahere dicendum eſt ex eo, quod accepto cambio à Theodorico eidem Romam proficiſcenti committat, vt per ſe ipſum illud munus exerceat, quod exerceret eiuſdem reſpondens, ſi perſonalitèr id ei commiſiſſet. Quid enim vetat, quin, ſi poteſt alicuius miniſterio ad hoc munus vti, poſſit etiam vti ſua ope?

Poteſt campſarius per ſe ipſum præſtare, quod præſtat per literas.

Dices, cambia localia ſine literis tanquam vſuraria à Pio V. declarari in ſua Conſtit., de qua ſupra, ibi, *aut etiam nullis huiuſmodi literis traditis pecunia ibi denique cum intereſſe repoſcitur, vbi &c.* & poſteà ſubdit. *Quæ omnia nos vſuraria eſſe declaramus, &, ne fiant, diſtinctius prohibemus*. Sed contra Pontifex non damnat huiuſmodi cambia, quià literæ deficiant, ſed quia ſupponit mutua cambiorum titulo palliari ex eo, quod ſit conuentio inter contrahentes de reſtitutione facienda in loco, in quo pecunia accipitur ſine intentione contrahendi ſecundum contractum, ſed in vigore primi, ibi, *nam inter dantes, & accipientes vſque à principio ità conuenerant, vel certè talis intentio erat, neque quiſquam eſt, qui in nundinis, aut locis ſupradictis huiuſmodi literis receptis ſolutionem faciat*, Quamobrem eodem iure, quo prohibetur in hac ſuppoſitione cambium ſine literis, prohibetur etiam cum literis, non ratione defectus, vel exiſtentiæ earundem, ſed defectu reſpondentis, qui recipiat literas, eaſque ſoluat.

Pontifex exigit literas, ne mutuum cambiorum titulo pallietur.

Assertio II. Theodoricus Romam 4
pro-

Digitized by Google

proficiſcens in data hypotheſi, & per ſe ipſum exercens munera, quæ præſtaret ipſius reſpondens, poſſet licitè exigere prouiſiones, quas poſſet exigere ipſe reſpondens *Lugus d. diſp. 28. ſect. 7. num. 85.*

Vbi eadẽ ſunt munera, ibi idem ius exigendi.

Probatur primò, quia reſpondens Campſoris gerens etiam vices Campſuarij iuſtè poteſt exigere illas prouiſiones, ergo etiam eaſdem iuſtè poterit exigere Theodoricus campſor in data hypotheſi. Conſequentia probatur, quià illa eadem munera, quæ præſtaret reſpõdens campſoris nomine campſuarij, nomine eiuſdem præſtaret ipſe campſor, nam, ſi ille acceptaret literas, & ſe obligaret ad ſoluendum, quærens procuratorio nomine, qui det ad nouum cambium, vel dans per ſe ipſum, hæc omnia præſtat campſor per ſe ipſum, ergo ſi illa reſpectu reſpondentis ſunt digna pretio prouiſionis, iſta reſpectu campſoris erunt æquè meritoria talis pretij.

Probatur ſecundò, quià in data hypotheſi Theodoricus Romam proficiſcens eſſet procurator Sempronij, illiuſque negotiorum in hoc genere geſtor, ſed quicunque negotiorum geſtor pro alio, & illius procurator poteſt iuſtè exigere mercedem laboris, induſtriæ, & obſequij in negotio gerendo, & procuratorem ſe exhibendo, cum ad hæc non teneatur, ergo &c. Confirmatur, quià ex ſupradictis campſor pro munere, quod præſtat in fauorem campſuarij in quærendo, & aſſignando illi reſponſalem poteſt aliquid iuſtè exigere, ergo etiam poterit aliquod exigere pro munere, quod præſtat aſſignando ſe ipſum pro reſponſali, & munera gerendo, quæ gereret alius, ſi pro reſponſali aſſignaretur; neque enim ex munere campſoris præciſè tenetur ad hæc onera obeunda.

Campſor exerceret munus procuratoris, & geſtoris negotiorum reſpectu campſuarij.

5 Assertio III. Si Theodoricus, & Sempronius in data hypotheſi Romam ſimul proficiſcerentur celebrato prius cambio Mediolani, & deinde idem Sempronius per ſe ipſum quæreret à Theodorico nouum cambium ad extinguendum primum celebratum Mediolani, Theodoricus non poſſet ab illo exigere prouiſionem, ſed dumtaxat intereſſe ſecundi cambij.

Probatur primò, Theodoricus nullum habet ius ad prouiſiones pro primo contractu celebrato Mediolani, ergo neque pro ſecundo Romæ inito. Antecedens non vertitur in dubium, quià campſori pro ineundis cambijs præciſè debetur tantum intereſſe eorundem cambiorum, non prouiſiones, nam ea, quæ præſtat præciſè, vt campſor, præſtat ex officio campſorio, quod gerit. Conſequentia probatur, quia etiam in ſecundo cambio, quod Romæ celebratur ſe gerit præciſè, vt campſor, & ſicuti, ſi alteri illos nummos aureos daret ad cambium, non poſſet exigere prouiſiones, ità dans eidem Sempronio non poteſt illas accipere, cum nil aliud præſtet, quam nouum cambium concedere.

Prouiſiones non debentur campſori præciſè pro celebratione cambij.

Probatur ſecundò, quià tota ratio in reſpondente campſoris agente etiam vices Campſuarij exigendi prouiſiones eſt fundata in muneribus, quæ præſtat in fauorem eiuſdem campſuarij, quærendi nouum cambium, & ſe conſtituendi debitorem nomine ipſius pro illo, ſed in data hypotheſi hæc omnia præſtat per ſe ipſum Sempronius Cãpſuarius, ergo ratione ipſorum non poſſunt ab illo exigi prouiſiones. Ex quibus patet, quod, ſi ſolus Theodoricus Romam accederet, & ex commiſione Sempronij munera illa reſponſalis, de quibus mox dictum eſt, exerceret per ſe ipſum, poſſet prouiſiones exigere, quia procuratorio nomine illa obiret, ad quæ obeunda non tenetur.

Ceſſant rationes, quę militant pro reſpondente, quando campſuarius agit per ſe ipſum.

Assertio IV. Non eſt iniquus contractus cambij, quo Theodoricus Romam proficiſcens ex commiſſione Sempronij nouum cambium à ſe ipſo acciperet ed extinguendum primum Mediolani celebratum cum onere reſpectu Sempronij reſtituendi illud Mediolani. Aſſertio patet ex dictis ſuperius, ſic nihilominus adhuc

Probatur. Reſpondens campſoris ex cõmiſione Campſuarij celebrans hunc ſecundum contractum cum ſe ipſo non inualidè, nec illicitè contrahit, vt probatum eſt *ſuprà Prænot. 5.* ergo neque inualide contrahet ipſe campſor, ſi Romæ proficiſcens celebret etiam cum ſe ipſo ſecundum contractum ex commiſſione eiuſdem Campſuarij in ordine ad extinguendum primum. Conſequentia probatur, quià, ſi reſpondens ſub diuerſo reſpectu poteſt rapræſentare duplicem perſonam agentis ſcilicet campſoris, & campſuarij, cur idem campſor ſub diuerſo etiam reſpectu non poterit ſimul, & ſemel rapræſentare perſonam campſoris, & campſuarij? & ſi ille, vt rapræſentans vtramque perſonam, & fungens vtroque officio validè, & licitè contrahit, cur etiam validè, & licitè non poterit contrahere, dum ſimul, & ſemel vtroque munere fungitur?

Poteſt non minus rapræſentare duplicem perſonã tùm cãpſor tum agens ipſius.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆNOTIO IX.

An, ſi reſpondens Campſoris, qui ſuſcipit etiam partes Campſuarij, non habeat Romæ nec pecunias proprias, nec campſoris, habeat tamen credita, vel propria, vel campſoris in alio loco exigibilia, poſſit validè, & licitè ſecundum cambium per illa inire Romæ in fauorem campſuarij.

SVMMARIVM.

Rationes dubitandi pro vtraque parte. 1.
Iuſtum probabilitèr eſt cambium initum ad locum, vbi reſpondens nec habet pecuniam ſuam, nec campſarij, nec ibi creditum, ſed tantum in alio loco. 2.
Reſpondens campſoris transferendo creditum alibi exigibile in Sempronium validè contrahit ad effectum per hunc nouum contractum extinguendi primum. 3.
Soluuntur obiectiones Comitoli. 4.
Reſpondetur rationi dubitandi in principio propoſitæ. 5.

CОntraxerat modo, quo ſuprà, Sempronius cum Theodorico accipiens ab iſto titulo cambij centum illos aureos inita conuentione de dirigendis literis ad reſpondentem eiuſdem Theodorici, qui tamen non habebat nec pecunias proprias, nec campſoris, nec credita propria, nec campſoris Romæ exigibilia, ſed tantum credita alibi, ſed certè liquida, & non difficilis exactionis, quæ omnia certè non ignorabat Theodoricus. Oritur hic iam difficultas, an licitum fuerit primum cambium in his terminis celebratum, & ex ſuppoſitione, quod licitum, & reſpondens campſoris transferendo vnum ex illis creditis alibi exiſtens in Sempronium intelligatur validè nouum cambium in fauorem Sempronij inire, quantum ad effectum extinguendi cambium Mediolani celebratum.

1 Ratio dubitandi pro prima parte in eo conſiſtit, quod fictum omninò eſt cambium, in quo campſuarius in loco ſolutionis, nec actu habet pecuniam, nec virtute, vt colligitur ex *Nauarro in Manuali d. c. 17.* & ex verbis Bullæ Pij V. præallegatæ, ſed in hac ſuppoſitione Sempronius Romæ nec actu, nec virtute haberet pecunias reſtituendas, ergo &c. Rurſus ſi campſarius Romæ non haberet pecuniam nec in ſe, nec in alio, & illuc literas dirigeret, inualidè omninò contraheret, quamuis ipſe realiter haberet Neapoli, vel pecuniam, vel creditum exigibile, ergo &c.

Pro ſecunda parte difficultas in eo conſiſtit, quod reſpondens campſoris transferens in Campſuarium vnum ex illis creditis alibi exiſtentibus non videtur campſuario dare pecunias nec actu, nec virtute Romæ, quià creditum, quod eſt exigibile Romæ, ibi non eſt pecunia, nec etiam virtute, quià ibi non poteſt reduci ad pecuniam actu, ergo non poteſt intercedere in hac ſuppoſitione ſecundum cambium reale, adeoque &c. Nihilominus ſit

Assertio I. Non improbabile eſt primum cambium iuxtà ſenſum expoſitum celebratum Mediolani eſſe iuſtum, & validum. In hanc ſententiam propendere videtur *Lugus de Cambijs d. diſp. 28. ſect. 7. num. 91.* 2

Probatur primò, quià illud creditum, quod aſſignari poteſt Campſuario, licet alibi exiſtens eſt tamen actu Romam reducibile, & ibi æquiualere poteſt pecuniæ numeratæ, ergo reſpondens campſoris illud Romæ aſſignando Campſuario cenſebitur æquiualentèr ibi conferre pecuniam in ſecundum cambium, quo poſſit primum extinguere. Antecedens probatur, quià illud creditum, cum ſit ſecundum ſe liquidum, & facilis exactionis, eſt Romæ vendibile, ergo Romæ eſt reducibile ad pecuniam actu, & poteſt æquiualere pecuniæ numeratæ, ergo Sempronius, ſeu reſpondens, vt agens vices ipſius accipiendo illud creditum Romæ, quod ibi eſt pretio æſtimabile, cenſebitur æquiualentèr accipere pecuniam correſpondentem illi credito, illaque extinguere primum cambium.

Creditum illud licet alibi exiſtens eſt tamen reducibile ad locum deſtinatæ ſolutionis.

Probatur ſecundò. Si campſor, vel eius reſpondens, quamuis non habeant pecuniam Romæ, habeant tamen ibi merces venales eaſdem aſſignando Sempronio pro nouo cambio, & pro extinguendo primo perinde ſe habent, ac ſi æquiualentèr aſſignarent pecuniam numeratam, & hoc ſufficiens eſt ad iuſtificandum primum contractum, vt ex communi aſſerit *Lugus d. diſp. 28. ſect. 7. num. 91.* ergo hoc idem dicendum eſt per aſſignationem crediti liquidi alibi exiſtentis, ſiquidem, ſi merces, per venditionem ſunt reducibiles actu in pecuniam numeratam, etiam illud creditum, cum ſit Romæ vendibile, poteſt in pecuniam actu reduci, quinimmò ſunt virtute pecunia Romæ.

Si merces ſunt reducibiles in pecuniam numeratam etiam creditum alibi exiſtens.

Dices,

Digitized by Google

Quamuis merces non ſint pecunia, nec materia proxima cãbij, ſunt tamen remotè, & virtute,

Dices, per mercium aſſignationem non conſtitui ſecundum cambium, quia de ſui conceptu hoc eſt permutatio pecuniæ pro pecunia, vt latè diximus ſupra *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs I. Prænot. I.* ergo, dum aſſignantur merces pro pecunia, non conſtituitur cambium, ſed potius venditio expectata ſolutione. Sed contra, quià non aſſignantur merces, quatenus hæ debeant eſſe materia ſecundum ſe cambij, ſed quatenùs virtualitèr continent pecuniam, cum per ſe venditione in illam poſſint reduci, & acceptantur, vt virtualitèr pretium, ſeu pecunia, in quam poſſunt reduci. Deindè, quandò etiam dantur literæ ad reſpondentem campſoris habentem pecuniam, ibi actualitèr non interuenit aliqua pecuniæ traditio, vel numeratio, ſed ſolum fides, & creditum eiuſdem reſpondentis, qui ex quo habet pecunias, & acceptat literas, ſeque obligat ad ſoluendum intelligitur ſufficientèr per æquiualentiam ſoluere; ergò etiam, quandò literæ dantur ad eundem habentem merces ſoluendi in loco ſolutionis præſumendum eſt ſufficientèr ſoluere, etiam ſi actualitèr ibi pecuniam non ſoluat, ſed aſſignet propriam fidem, ſeu creditum fundatum in exiſtentia valoris mercium, cum æquè apud negotiatores, & campſores in æſtimatione habeantur, qui multis abundant mercibus in nundinis, ac qui multis diteſcunt pecunijs, ergo, ſi iſti acceptando literas, & aſſignando propriam fidem ſine actuali numeratione re vera conſtituunt ſecundũ cambium, etiam illi dicendi erunt ſufficientèr conſtituere illud per aſſignationem propriæ fidei etiam ſine actuali numeratione, & ratio eſt, quià, ſicuti ſuppoſita exiſtentia pecuniæ in reſpondente hic ſufficientèr ſupponitur ſoluere, quià in propria fide conſtituit nouum cambium, quo primum extinguitur, ità ſuppoſita mercium exiſtentia, quæ in negotiatorum exiſtimatione æquiualet pecuniæ actuali ſufficientèr ſupponenda eſt poſita ſolutio ex eo, quod in propria etiam fide fiat nouum cambium, quo prius deleatur, quià illa exiſtentia mercium, ſi non eſt pecunia actu, eſt tamen pecunia virtute, quod ſufficit ad validitatem ſecundi contractus.

Æquali ſunt in æſtimatione abundantes mercibus, ac abundantes pecunia.

Poteſt quis in propria fide ſine numeratione cãbium cõſtituere.

3 ASSERTIO II. Reſpondens campſoris transferendo creditum alibi exigibile in Sempronium validè cõtrahit quantum ad effectum per hunc nouum contractum extinguendi cambium Mediolanenſe. Rectè ſequitur hæc aſſertio ex prima, nam cambium Mediolanenſe non ſubſiſteret, niſi in loco reſtitutionis, ſeu Romæ fieret re vera ſolutio, vel actu, vel virtute, ſed, ſi non ſubſiſteret ſecundum cambium, quo reſpondens campſoris tranſtulit in Sempronium creditum alibi exiſtens Romæ, non fieret vera ſolutio, nec actu, nec virtute, ergo &c. Minor probatur, quià ſolutio ibi non eſt, vbi non interuenit pecunia, nec æquiualens pecuniæ, quę ſunt materia ſolutionis, ſed, ſi illud cambium non ſubſiſteret non interueniret nec pecunia, nec pecuniæ æquiualens, vt per ſe patet, cum campſuarius nullum ius acquireret, quo valeret extinguere, ergo &c.

Rectè hæc aſſertio procedit ex prima.

4 Conſultò hanc aſſertionem, vt à prima diſtinctam appoſui ad confringendas nonnullas rationes, quibus *Comitolus reſp. mor. lib. 3. quæſt. 16.*, conatur euincere, creditum non poſſe eſſe materiam contractus cambiorum; nam arguit primò. Materia cambij debet eſſe corporea, & metallica publico ſigno impreſſa, ſed creditum eſt quid omninò incorporeum, ergo creditum, qua creditum eſt, non poteſt eſſe materia cambij. Quod, ſi aſſeratur creditum ſumi fundamentalitèr pro ipſa ſcilicet pecunia, quam continet, ſtatim reaſſumit argumentum hoc pacto; falſum omninò eſt ex alio loco, in quo eſt, pecuniam Romam transferri, cum ibi adhuc maneat, ergo per ipſam non poteſt conſtitui nouum cambium Romæ.

Materia cambij ex Comitolo debet eſſe corporeæ, & creditum eſt incorporeum,

Ad hoc reſpondeo, creditum, prout ad præſens inſtitutum pertinet, ſumi fundamentalitèr pro pecunia, quæ, quamuis realitèr ex alio loco non transferatur, transfertur tamen virtualitèr, quatenus campſuarius ex illa alibi exiſtente poteſt pretium actualitèr Romę acquirere per venditionem eiuſdem, vel per commutationem, quod ſufficiens eſt ad validitatem cõtractus, ad quem non requiritur pecunia actu, ſed tantum virtute, cęteroqui non eſſet etiam validùs contractus, quo procurator habens pecuniam reſponderet pro campſuario, quandoquidem pecunia actu non interuenit, nec numeratur, quod potiſſimum verificatur ex mente eiuſdem Comitoli, qui aſſerit, materiam proximam huius contractus eſſe actualem numerationem, quæ certè non interuenit, etiam cum reſpondens habet ibi pecuniam, vbi deberet ſoluere, quod tamen ex ſuperius dictis falſum omninò eſt.

Materia non debet eſſe pecunia actu, ſed virtute.

Digitized by Google

Arguit ſecundò. Creditum nihil aliud eſt, quàm ius, ſiuè facultas agendi contrà campſuarium, ſeù contrà debitorem, ſed hæc facultas, ſeu poteſtas non poteſt diſcedere à creditore, ergo non poteſt in alium transferri. Sed hoc argumentum nimis probat; probat enim, quod creditum non poſſit vendi, non poſſit alteri cedi, nec ſubſtitui ad extinguendū debitum creditoris, quod eſt contrà omnia iura. Quamobrem dico, hanc facultatem eſſe abdicabilem à creditore, & in alium transferibilem ſuppoſita debita, & congrua compenſatione, vel libera ceſſione creditoris, qui, ſicuti, vel titulo donationis poteſt omnia ſua bona, & iura in alium transferre, vel titulo iuſtitiæ iura ſubrogare pro bonis, vel ſubſtituere ad eximenda onera, ità poteſt, & creditum donare, vel ſubrogare in extinctionem debiti, vel alio modo &c.

Facultas agendi contrà campſuarium eſt abdicabilis ab ipſo campſore.

Ad rationes dubitandi, quæ in capite prænotionis propoſitæ ſunt, patet ex dictis, quid reſpondendum, & quidem ad primam dic, quod, quamuis non habeat actu pecuniam, habeat tamen virtute, & licet aliqui apud *Lugum loc. cit.* dicant pecunias virtuales Romæ eſſe dumtaxat credita Romæ exiſtentia, & exigibilia, cæteroqui in ordine ad exiſtentiam Romæ non haberent quid amplius credita ibi exigibilia, quam alibi exiſtentia; nihilominus dicendum eſt, credita eſſe hic, vel alibi arguere ſolummodò eſſe magis, vel minus proximè exigibilia, non tollere tamen eſſe Romæ exigibilia, vel per venditionem, vel per commutationem, vt ſupra. Ad ſecundam idem ferè reſpondeas, nam creditum, quod habeat alibi, puta Neapolim ipſe campſuarius, poteſt Romæ vendi, vel commutari, & ſic virtualitèr cedi in extinctionem primi cambij; ſi enim reſpondens agens nomine campſuarij ex eo, quod poſſit ſuum creditum, vel campſoris alibi exiſtens vendere poteſt licitè inire ſecundum cambium in fauorem campſuarij, & primum extinguere, cur non poterit hoc præſtare immediatè per ſuum creditum alibi exiſtens ipſe campſuarius?

Credita alibi ſunt pecunia hic exigibilia, minus tamen proximè ac ſi eſſent credita hic.

Ad rationem dubitandi pro ſecunda parte iam ex dictis patet reſponſio.

PRÆNOTIO X.

An, ſi in loco ſolutionis apud reſpondentem campſoris non ſit nec pecunia, nec aliud creditum præter illud, quod contraxit campſuarius per primum cambium, poſſit licitè illud creditum transferri in eundem campſuarium, & ex illo conſtitui ſecundum cambium cum extinctione primi.

SVMMARIVM.

Vtraque ſententia cum ſuis rationibus exponitur. 1.

Cambium huiuſmodi eſt omni iure illicitum, & vſurarium, ſecundum Lugum. 2.

In hypotheſi propoſiti dubij reſpondens nec realitèr, nec virtualitèr ſolueret in loco deſtinatæ ſolutionis. 3.

Satisfit rationi dubitandi in principio propoſitæ. 4.

Ex antecedenti ortum trahit præſens prænotio, circà quam non- 1
nulli ſuppreſſo nomine apud *Lugum d. diſp. 28. de cambijs ſect. 7. num. 92.* exiſtimant, licitè poſſe per illud creditum nouum cambium iniri, & extingui antiquum ea ducti ratione, qua aſſerunt ità ſe habere illud creditum, ac ſi eſſet pecunia Romæ ſoluta per ipſum campſuarium, vndè, ſicuti ex ea, ſi ibi eſſet ſoluta, nemine reluctante poſſet reſpondens campſoris iterum cum eodem campſuario inire ſecundum cambium, vel cum ſe ipſo, vt actore etiam eiuſdem, vt reſtituatur Mediolani, ita ex eodem credito, etiam non numerata pecunia poſſit idem ſecundum cambium cum eodem campſuario, vel ſecum nomine eiuſdem inire.

Lugus tamen ex aduerſo *d. ſect. 7. num. 93.* contrarium ſentiens refert in quadam Congregatione Theologorum iuſſu Sanctiſſimi edita Romæ anno 1631. etiam agentes cauſam pro iuſtificatione contractus recurſæ ſe declaraſſe nolle defendere iuſtitiam cam- 2
bij, quo pro reſtitutione pecuniæ in cambium datæ aſſignaretur creditum, quod campſor acquiſiuit ex tali cambio, cum hoc in illo ſenſu eſſet omninò illicitum, & ſiccum. Hęc Lugi opinio varijs rationibus tum ab ipſo tum ab alijs, qui eam ſequuntur, comprobatur.

Pro-

Digitized by Google

Probatur primò ex abſurdo, quod indè ſequeretur, nam poſita iuſtitia talis contractus omnia cambia quantumuis ſicca poſſent iuſtificari, & ex conuentione partium quæcunq; iniuſtitia elidi, quinimmò ſemper præſumendum eſſet, in cambijs, in quibus nulla interuenit pecunia ex parte campſarij, ſed ſola fides eiuſdem apud campſorem, ſemper iuſtitiam ineſſe, cum nullus ità inſanæ mentis adeſſet, qui, cum poſſet obligationem, quam aſſumit campſarius ratione cambij accepti, ſub diuerſis reſpectibus ponere tanquam fundamentum iuſtificationis conſtituendo eandem, vt ſecùndo tranſlatam in campſarium tanquam pretium ſecundi cambij, & vt poſteà cadentem ſub iure campſoris tanquam creditum eiuſdem reſtituendum per Campſuarium Mediolani, vellet iniquè, & de facto iniquè contraheret, certè enim in quocunque cambio locali ſemper interuenit pecunia reſpectu dantis ad cambium, & obligatio reſpectu recipientis; ſi ergo illa obligatio, quæ reſpectu primi cambij eſt veluti merces eiuſdem, reſpectu poſterioris, vt ceſſa per campſorem Campſario eſt veluti pretium eiuſdem poſterioris, & vt iterum aſſumpta per campſarium in ordine ad reſtitutionem Mediolani faciendam ſe iterum habet vt mercem, eſt ſufficiens ad iuſtificandum contractum ſub his reſpectibus, ad quid contrahentes inualidè, & vſurariè contrahere, cum ſine alia obligatione per primam ſolum ſub varijs reſpectibus poſſent vſuras elidere, & licitè contrahere?

Abſurda, quæ ex aduerſo appoſitæ concluſionis deducuntur

Confirmatur, quia poſita iuſtitia illius contractus per ſolam intentionis mutationem mutuatores effugerent quamcunque labem vſurarum, ſiquidem quærenti mutuum poſſent reſpondere ſe nolle mutuare, ſed paratos eſſe dare ad cambium, quod, cum poſſet ſaluari per illam obligationem aſſumptam ſine alio onere, non eſſet, qui, cum paratus eſſet ad mutuum recipiendum cum vſuris, nollet ſub alio titulo mutuum ipſum recipere, cum maius onus
2 pro hoc titulo non ſubiret, & ſic actum eſſet de vſuris.

Poſita contraria ſententia mutuatores per ſolā mutationem intentionis effugerent labes vſurarum.

3 Probatur ſecundò. Cambium non poteſt eſſe licitum, niſi interueniat duplex pecunia ſaltem virtualitèr, vna ex parte campſoris, quæ datur in loco celebrationis contractus, altera campſuarij reſtituenda in loco ſolutionis, ſed in hypotheſi noſtræ aſſertionis nulla pecunia interuenit ex parte campſuarij, nec ius aliquod, quod correſpondeat pecuniæ, ratione cuius poſſit primum cambium extinguere, ergo &c. Minor probatur, quia pro cāpſuario nil aliud poteſt interuenire, quàm creditum campſoris, ſi ab hoc in illum transferatur, ſed hoc creditum, quantum ad effectum extinguendi primam obligationem, non poteſt transferri in ipſum campſuarium, ergo &c. Minor probatur, quià, ſi campſor transfert illud creditum in campſuarium, ergo eo ipſo liberat eundem ab obligatione, quam contraxerat in primo cambio, ergo non erit poſteà neceſſe, quod campſuarius reddat Campſori id, quod priùs ab eodem acceperat ad extinguendum debitum contractum, cum hoc extinctum ſupponatur per illam translationem crediti, quod habebat campſor.

Non interueniret duplex pecunia, nec realitèr, nec virtualitèr.

Dices, quod, quamuis non eſſet neceſſe, quod campſuarius poſteà redderet campſori id, quod primò acceperat formalitèr, eſſet tamen neceſſe, quod redderet æquiualentèr per obligationem, quam de nouo aſſumeret ad ſecundum cambium, per quam ſe redemit ab obligatione, ſeu debito primi. Sed contrà; peto enim, ex quonam oriatur illud onus obligationis de nouo ſubeundæ Romæ de ſolutione Mediolani ponenda, ſeu de ſecundo cambio ineundo? Si dicas, ex liberatione per campſorem facta eidem campſuario; contrà eſt, quià liberatio potius ſoluit illam obligationem, quam firmet, ſeu de nouo ſtatuat. Si repetas, illam liberationem eſſe conditionatam; in tantum enim campſor liberat, in quantum campſuarius ſe obligat ad nouam obligationem aſſumendam de ſecundo cambio, & de reſtitutione Mediolani ponenda; contrà adhuc eſt; nam in primo contractu Mediolani celebrato, vel campſor obligauit Campſuarium ad ſoluendas Romæ alias pecunias, vel reales, vel æquiualentes, vel ſolum ad contrahendam Romæ nouam obligationem de ſolutione ponenda Mediolani; ſi primum aſſeratur, contractus omninò fuit irritus & ſiccus, cū campſuarius Romæ, nec haberet pecunias, nec aliquid, quod poſſet permutare cum pecunia; ſi ſecundum, quæro, à quonam campſuarius recipiat illam obligationem, qua de nouo ſe obſtringit ad ſecundum cambium; ſi dicas, accipere à ſe ipſo, ergo pro illa non obligabitur ad aliquid Mediolani reſtituendum, ſiquidem ratione rei ſuæ nemo obligatur ad reſtitutionem alteri faciendam; ſi dicas, accipere à campſore; contrà eſt, quià campſor non dat 4

Liberatio potius ſoluit priorem obligationē quam firmet.

Campſor nō imponit obligationem ad reſtituendum alibi, ſed potius ibi

illud ius, ſeu obligationem, ſed potius obligat campſarium ad illam exequendam, cogit enim ipſum, vt, ſicuti promiſerat Mediolani, ſe obliget ad nouũ cambium Romæ ſoluendum Mediolani, quomodò ergò campſor creditum, ſeu obligationem cedit Campſario Romæ, quam ibi vult ad executionem remitti? Ita ferè Lugus loc. cit.

Non poteſt fieri ſolutio, niſi campſarius transferat in cãpſorem aliquid, quod eſſet in ipſius dominio.

Probatur tertiò. Non ſubſiſtit cambium locale, niſi ad locum, ad quem dirigitur, fiat eiuſdem ſolutio, vel formalitèr, vel ſaltem virtualitèr, ſed in hypotheſi aſſertionis, nec realitèr, nec virtualitèr Romæ, vbi pecunia eſset reſtituenda, fit ſolutio, ergo &c. Minor probatur, quia ſolutio illa non poteſt fieri, niſi campſarius transferat in campſorem aliquid, quod prius eſſet ſub dominio, & poteſtate eiuſdem campſarij, ſed hic campſarius nihil poteſt transferre in campſorem, quod prius fuerit ſub ſuo dominio. Maior patet, quia, ſicuti venditio eſt translatio dominij rei venditæ in emptorem, ità ſolutio eſt translatio rei, quæ ſoluitur in creditorem; translatio autem eſt à dominio transferentis in dominium eius, in quem transfertur; hoc explicari poteſt in caſu, in quo campſarius ſolueret debitum per cambium initum per pecunias receptas iterum à campſore in loco reſtitutionis pręter illas, quas priùs receperat in loco celebrationis contractus ad extinguendum hoc priùs debitum; quandò enim campſarius recipit à Campſore in loco reſtitutionis pecunias, quibus poſſit ſoluere primum cambium, iam intelligitur pro eo inſtanti campſarius acquiſiuiſse dominium illarum pecuniarum receptarum in ſecundo cambio, & ſic pro illo inſtanti remanet debitor tùm pecuniæ primò, tùm ſecundo receptæ, poſtcà verò ſoluens pecunias, quas ſecundo receperat in extinctionem primi cambij transfert dominiũ illarum, quod prius acquiſierat, in campſorem, & ſic extinguitur primum cambium, & ſolum remanet debitor ſecundi.

Nihil poteſt transferre, quod prius à campſore non acceperit.

Minor probatur, quià Campſarius nihil poteſt transferre pro ſolutione in campſorem, quod prius ab ipſo non acceperit, & factum fuerit ſub dominio proprio, ſed illud, quod in data ſuppoſitione potuit accepiſſe à Campſore, non poteſt in eundem transferre, ergo &c. Minor probatur, & quidem peto, quidnam ſit illud, quod potuit accipiſſe, quodque poteſt transferre in campſorem? Certè aliud non eſt, nec eſſe poteſt, quàm creditum emergens ex primo contractu, ſed hoc transferre non poteſt in campſorem, nam creditum ſoluendum in loco reſtitutionis conceſſum campſuario, ſi transferatur iterum in eundem campſorem in eodem loco obligat iterum campſarium, ergo iterum campſarius remanet debitor ſummæ acceptæ in eodem loco reſtitutionis, debitum enim, & creditum ſunt eſſentialitèr correlatiua, ergò, ſi ſimul contraheret obligationem reſtitutionis ex vi ſecundi contractus in loco celebrationis primi duplici onere reſtitutionis adſtringeretur pro eadem ſumma vno in loco ſolutionis primi, altero in loco celebrationis eiuſdem, quo quid abſurdius?

Debitum & creditum ſunt eſſentialitèr correlatiua.

Hæc omnia colligo ex eodem Lugo, & alijs eiuſdem ſectatoribus. Contrarium tamen alij ſuſtinent cum quibuſdam conditionibus, & explicationibus de quibus latè agam infrà, ſub hoc eodem titulo de Cambijs II. Diſq. II. §. V. per totum, ad quem locum remitto Lectorem.

PRÆNOTIO XI.

An dans pecuniam ad cambium locale poſſit exigere à campſario pignus, & fideiuſſionem.

SVMMARIVM.

Poteſt iuſtè campſor dans prius pecuniam exigere à campſario pignus, ſeu fideiuſſionem. 1.

In hoc tamen caſu non poſset exigere idem intereſſe, quod exigeret ſine fideiuſſione, & pignore. 2. Limita tamen iuxtà ibi expoſita, ibid.

Campſor, ſi ipſe fideiubeat, poſset tantũ exigere, quantum alius fideiuſsor. 3.

Qui prior dat pecuniam alteri ad cambium poteſt pro illo fideiubere apud illum, cui debitum traijcitur, & exigere pretium fideiuſſionis. 4.

Excipe, niſi reſpondens eſſet famulus eiuſdem campſoris. 5.

ASSERTIO. Poteſt iuſtè campſor dans prius pecuniam à campſario exigere pignus, ſeu fideiuſſionem, *Boninſignius c. 7. num. 23., Leſſius lib. 2. de cambijs c. 23. dub. 8. num. 77., Salas de cambijs dub. 21.* 1

Probatur, in reliquis contractibus onerofis, qui prius alteri ex contrahentibus dat id, quod ſuum eſt, poteſt in ſecuritatem reſtituendi, vel ſoluendi exigere pignus, vel fideiuſſionem, ergo etiam hoc idem poterit exigere in contractu

tractu

tractu cambij. Antecedens patet in contractibus mutui, & venditionis expectata ſolutione. Conſequentia probatur, quia non minùs ſubit periculum ſortis amittendæ, qui dat pecuniam ſuam ad cambium, ac qui dat titulo mutui, vel venditionis credito, ſiquidem non minus mutuatarius, ac emptor credito poteſt vergere in decoctionem, & fallere mutuantem, & venditorem, ac poſſit vergere in decoctionem, & fallere campſorem campſarius, ergo, ſi ab illis poteſt iuſtè exigi pignus, vel fideiuſſio, poterit etiam ab iſto.

2 Hinc oritur difficultas primò, an ſi pro cambio exigatur pignus, ſeu fideiuſſio idem intereſſe poſſit exigi, ac exigeretur ſine pignore, vel fideiuſſione. Negat *Toletus lib. 5. c. 42. num. 2.* eductus ratione, quod campſor pignus, vel fideiuſſorem exigens minori periculo pecuniam ſuam exponat, vt etiam aſſerit *Salas tract. de cambijs dicto dub. 21. num. 4.* cui adhæret, nec propter incongruam rationem, quia inter cætera, quæ conferunt ad exigendum lucrum in cambijs ſunt pericula, quæ ſubeunt campſores in exponendis pecunijs ſuis fidei campſuariorum, vt ſupra attigimus *ſub hoc eodem titulo Contractus V. de Cambijs I. Prænot. III. in princip.* ergo ceſſante hoc periculo intuitu pignoris, vel fideiuſſionis tantū erit diminuendum, quantum exigeret illud periculum, ſi ibi adeſſet, & non eſſet ſublatum. Hęc, quæ dicimus, procedunt, quandò intereſſe cambiorum vniuerſali lege ex vſu fori taxatum determinatè non eſt, tunc enim ratio maiorum, vel minorum periculorum in quocunque contractu in particulari conſideranda eſt, & iuxtà illa lucrum taxandum; quandò verò intereſſe cambiorum vniuerſali lege ſtatutum eſt, tunc quamuis ſint minora pericula, vel ratione pignoris, vel ratione alterius cautionis, adhuc tamen poteſt campſor velle integrum pretium à lege taxatum iuxtà vſum fori, vt multis rationibus, & exemplis probaui *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs I, in Diſquiſ. §. 10.*, quæ ibi recole, & ratio eſt, quia quod in vniuerſum communi lege ſancitum eſt non variatur ob priuatam alicuius contractus particularis circunſtantiam, *Scaccia de commert. §. 3., Gloſ. 3. num. 12., Diana part. 1. tract. 8. de contract. reſol. 7., Romualdus Coli tract. de cambijs num. 19.*

3 Secunda difficultas eſt, an, ſi campſor non renuente campſario in ſe ipſo periculum illud ſuſcipiat, cui exponit ſuam pecuniam dando eam ad cambium, poſſit pro tali periculo in ſe ipſo ſuſcepto tantum exigere, quantum poſſet exigere alter fideiuſſor ab ipſo. Campſorem poſſe aliquid exigere propter illam periculi ſuſceptionem ſatis liquet ex præcedentibus; ſi enim maiori lucro meritorium eſt cambium, in quo pericula non auferuntur, ac ſi per fideiuſſionem auferantur, eo quià propria pecunia illis remanet obnoxia, ergo multo magis erit illius lucri meritorium cambium, in quo expreſsè ipſe campſor, cuius eſt pecunia, in ſe ipſo ſumit illa pericula, quibus cambium ſecundum ſe ſubiacet. Difficultas igitur potiſſimum eſt, an ſolummodò tantum poſſit exigere, quantum ſunt æſtimabilia illa pericula, quæ in ſe ipſo ſuſcipit, an verò, quid aliud propter alium contractum, quem init aſſecurationis, & tantum, quantum exigeret alius fideiuſſor ab ipſo, ſi adhiberetur. Sentiendum in hoc eſt, poſſe tantum exigere, quantum poteſt exigere alius fideiuſſor ab ipſo, ſi æqualia ſint pericula reſpectu vtriuſque, magis, vel minus prout maiora, vel minora ſunt pericula, nec quid plus, ac importent eadem pericula. Ratio eſt, quià contractus aſſecurationis eſt propter pericula, & aſſecurans pretium exigit propter onus, quod aſſumit in ordine ad eadem, ſed onus, quod aſſumit tàm aſſecurans, quàm fideiuſſor proportionantur periculis, à quibus aſſecurat, ſeu pro quibus fideiubet, ergo, ſi hæc reſpectu vtriuſque ſunt æqualia, æquale erit onus, adeoque etiam ęquale ius ad exigendum pretium oneris, ſi illa inæqualia, etiam inæquale ad proportionem onus, & ius vtriuſque; neque ex eo, quod contractum expreſſum quoad hoc ineat, poteſt quid magis exigere; non, inquam, quià contractus non eſt maiori pretio dignus, ac ſint digna onera, quæ in ipſo aſſumuntur, cum contractus fiat pro illis, ſicuti contractus venditionis non eſt magis pretio dignus, ac ſit res vendita.

Tertia difficultas eſt, an, qui prior dat pecuniam ſuam alteri titulo cambij poſſit pro campſario fideiubere apud eum, cui debitum traijcitur, & pro tali fideiuſſione aliquid exigere. 4 Reſpondendum eſt, affirmatiuè, quia onus illud fideiuſſionis eſt ſecundum ſe pretio æſtimabile, & ad illud obeundum campſor non tenetur ex vi contractus, ergo ratione illius oneris poterit iuſtam mercedem exigere. Antecedens patet, quia pro quacunque fide-

Onus illud fideiuſſionis eſt pretio ſecūdum ſe æſtimabile.

Digitized by Google

fideiuſſione nemine reluctante aſſignatur ſtipendium , & , ſi alius ab ipſo campſore fideiubens pro campſario meretur pretium fideiuſſionis, cur non poterit pro tali munere idem conſequi ipſe campſor ? Certè poſita per ipſum fideiuſſione, ſi campſarius non ſolueret ſuo reſpondenti , poterit hic conuenire campſorem fideiubentem , quem certè non poſſet conuenire , ſi non fideiuſſiſſet , vel alius ab ipſo hoc munus præſtitiſset.
5 Hic tamen aduertendum eſt, quod, ſi reſpondens campſuarij eſſet famulus , vel factor campſoris non poſset apud illum campſor fideiubere pro campſario , nec aliquid pro fideiuſſione exigere, quià non ſe obligaret alteri pro campſario , nec nouum periculum ſubiret , quandoquidem famulus , ſeu factor , apud quem fideiuberet , reputatur vna , & eadem perſona cum ſuo domino , ſeu principali , & quidquid peragit , nomine eiuſdem peragit , ſeu procuratorio nomine pro illo . Quod , ſi ſupponas factorem , ſeu reſpondentem campſoris non pecunijs ipſius campſoris , ſed proprijs ſoluturum , tunc abſolutè dicendum eſset , & poſse fideiubere, & pro fideiuſſione pretium exigere , quià tunc perindè ſe haberet reſpondens campſoris , ac, ſi non eſset eiuſdem reſpondens , ſed in ordine ad hoc munus alià perſona omninò diſtincta . Non negauerim tamen , quod , quamuis reſpondens campſuarij eſſet famulus , vel factor campſoris adimplens onera impoſita ex pecunijs eiuſdem , poſſet campſor æſtimare periculum , cui ſuam pecuniam prius numerando expoſuit , non tamen fideiuſſionem , vt notat *Leſſius d. c. 23. de cambijs dub.* 8. *num.* 78. ex cuius mente hæc expoſui .

Excipe, niſi reſpondens eſſet famulus eiuſdem campſoris.

PRÆNOTIO XII.

De varijs ſcripturarum generibus , ſeu formulis regularitèr interuenientibus in cambijs localibus .

SVMMARIVM.

Scriptura regularitèr requiritur in cambijs ad probationem , & celerem contractus executionem . 1.
Primus modus concipiendi ſcripturam eſt per publicum inſtrumentum . 2.
Primum exemplar inſtrumenti contractus cambialis . 3.
Secundum exemplar ſimilis inſtrumenti . 4.
Secundus modus concipiendi ſcripturam per Apodiſſam . 5.
Formularia apodiſiæ quoad cambia . 6.
Quid ſit cartularium , & quotuplex . 7.
Cartularia habent vim publici inſtrumenti , & probatur . 8.
Explicantur variæ particulæ Apodiſiarum . 9.
Alia Apodiſiarum exemplaria . 10.
Quid ſignificet illa particula pro numerato . 11.

QVamuis ſuprà attigerimus , ſcripturam non eſſe de ſubſtantia contractus cambiorum localium , regularitèr tamen interuenit ad probationem , & celerem contractus executionem ſaltem in foro exteriori , vt notat *Nauarrus in man. c.* 17. *num.* 289. , *Scaccia tract. de commert.* §. 1. *quæſt.* 5. *num.* 11. , & 13. Quamobrem ad plenam huius materiæ cognitionem , & explicationem , placet modos huiuſmodi ſcripturas concipiendi ex campſorum praxi , & formulis conſuetis inueſtigare . Tres igitur ſpeciales modos concipiendi ſcripturas adinuenio, ſcilicet per publicum inſtrumentum , per apodiſſam priuatam , & literas . De primo , & ſecundo modo erit ſermo in præſenti prænotione , de tertio fuſiſſimè in ſubſequentibus . 1

Aſſignatur tres modi cõcipiendi ſcripturam in cambijs.

Exordiamur à primo, qui tunc eſt , cum Campſarius pro publicum inſtrumentum promittit pretium cambij cõuentum ſoluere intra tempus aliquod per ipſos contrahentes determinatum in tali loco alicui certæ perſonæ in inſtrumento nominatæ , ſeu correſpondenti campſoris , & vlterius promittit ſolutionis , quam faciet , tranſmittere autenticum teſtimonium eidem campſori , alias , ſi defecerit in ſoluendo, & in ſolutionis fide tranſmittenda, ſe obligat ad ſoluendum in loco contractus campſori vna cum intereſſe . Suppoſita hac campſarij obligatione per vim publici inſtrumenti contracta tenetur ſoluere cambium, etiam ſi nullæ literæ eidem præſententur, & etiam ſi non ſit requiſitus ad ſolutionem , cum debeat ſoluere perſonę illic commoranti, nõ ei, qui debeat illuc accedere . Ad huiuſmodi pleniorem notitiam duo formularum exemplaria à *Scaccia tract. de commert.* §. 1. *quæſt.* 5. *nu.* 12. adducta placet per extenſum referre . 2

Primus modus eſt per publicũ inſtrumentum.

Primum igitur , quod extraxiſſe refert ex Tribunali A. C. Romæ eſt ſequentis tenoris . 3

D. Guldiſaluus Ximenæ fatetur habuiſſe ad cambium à DD. Iulio Boſcò , & Paulo Ganotto Mercatoribus Romæ negotiantibus ducatos centum auri Cameræ veteris valoris ,

Digitized by Google

Exemplar primum inſtrumẽti contractus cambialis.

ris, quos ſoluere, ſeu ſolui facere promittit in oppido Madriti D. N. Mercatorum prædictorum correſponſali ad rationem quadringentorum ſeptuaginta Merapetinorum monetæ illarum partium pro ſingulis ducatis intrà tres menſes proximos, & infrà alium immediatè ſequentem menſem certificare ipſos Mercatores in Curia de ſolutione huiuſmodi in partibus facta, alias ſoluere hic Romæ vna cum cambijs, & intereſſe pro quibus omnibus &c.

4 Secundum exemplar, quod, quamuis videatur eſſe de cambio nundinali, eſt tamen mutatis terminis alijs accomodabile, etiam ſimplicitèr locali, quodque vidiſſe Genuæ teſtatur idem *Scaccia loc. cit. num.* 14., eſt huiuſmodi, videlicet

5 *Titius Spontè &c., & omni meliori modo &c. ſciens Seium eius precibus, & requiſitione feciſſe literas cambij pro Ciuitate Neapolim pro ſcutis mille auri in auro Italiæ pro eis ſoluendis Sempronio directas Meuio cum ordine, quod ſolutis dictis ſcutis mille ſe prouideat Bezenzoni, Lugduni ſeu alibi pro illorum ſolutione, & volens dictus Titius cautelare dictum Seium confitetur, recognoſcit & promittit D. Seio præſenti &c. ſoluere, & exburſare ad omnem eius voluntatem, & ſimplicem requiſitionem dictos ſcutos mille. Item vna cum omnibus cambijs, & recambijs, expenſis, & intereſse ſuper eis ſecuturis, etiam ad rationem cambiorum, & recambiorum, donec dicti ſcuti mille auri in auro Italiæ, & damna, & intereſse ſuper eis ſecuta ſint ſoluta, & cum pacto, quod ſine alia literarum confectione teneatur ad cambia, & recambia, caſu, quo non ſoluerit in primo foro conuento, & cum pacto, quod intereſse conuertatur in capitale, & ex intereſse conuerſo in capitale ſoluatur aliud intereſſe, & ſic deinceps, ità quod pecuniæ datæ ad cambium poſſint chiuuire, & rechiuuire, & poſſit ipſe accipere pecunias cambio nomine ipſius debitoris, immò poſſit in ſe ipſo cambire pro qualibet mundi parte, & pro quouis foro, & pro ſingulis prædictis poſſit habere licentiam expeditam, & ſic ſtatutus eſt terminus &c. quo termino elapſo &c. ſub &c. renuntians &c., & cum iuramento &c., & omne alteri iuri &c., quæ omnia &c. ratis &c., & proindè &c. de quibus omnibus &c. pro eo fideiuſſit, promiſſit, vt principalis principalitèr, & inſolidum N. renuntians iuri de principali &c.*

Secundum exemplar contractus cambialis.

An cambium conceptum ſub hac formula, & conditiones in eo contentæ licitum, & licitæ ſint, an verò illicitum, ſeu illicitæ alibi examinatum eſt, & infrà fuſiùs examinabitur; quamobrem in his non immorando ad vlteriora procedo; mens enim in hac prænotione eſt praxim exponere, non iuſtitiam, vel iniuſtitiam examinare.

Secundus modus concipiendi ſcripturas pro cambijs eſt per priuatam apodiſiam, qua facta inter contrahentes conuentione receptor pecuniarum confeſſionem facit de receptione, & de conditionibus mutuo contrahentium conſenſu appoſitis, & obſeruandis, atque hæc ſcriptura dicitur priuata, quià non munitur publici Tabellionis nomine, nec ſigno, ſed ſolummodò priuata debitoris confeſſione, & nomine conficitur, & ſignatur. Huiuſmodi concipiendi priuatas apodiſias duo exemplaria ex vſu Genuenſium inuenio apud Scacciam loco cit., quæ hic ad clariorem ſtudioſorum inſtructionem per extenſum refero. 6

Apodiſſa quid ſit, explicatur.

Primum eſt huiuſmodi. *Noi Tomaſo, & Alfonſo Franſoni inſolidum in virtù di queſta diciamo d'hauer riceuuto in cartolario d'argento da voi Sig. Domenico N. ſcudi duoi milla, quali promettiamo, e ci oblighiamo negotiare ſopra cambij delle fiere di Piacenza à di quel luogo, ò luoghi doue per la natione noſtra ſi faranno dette fiere per Milano ad vtile voſtro ſotto noſtro nome, & à noſtro proprio riſico, e periculo, & ſpeſe per vn' anno cominciato in pagamenti d'Agoſto di detto anno, e da finire in pagamenti d'Agoſto dell' anno 1613. al qual tempo promettemo, e ci oblighiamo reſtituire detti ſcudi duoi milla con tutti li guadagni, e beneficij, che ſopra eſſi ſaranno ſtati, il qual pagamento però douemo fare in quella qualità di moneta d'argento, ò d'oro, che all' hora ſi pagaranno li cambij di dette fiere obligando perciò noſtre perſone &c., & beni ſotto hipotheca. Dichiarando, che per il ſudetto tempo, & quello di più reſtaſſero detti denari appreſſo di noi habbiamo da pagar à voi Sig. Domenico N. per conto di detti guadagni, & vtili ſolamente à ragione di cinque per cento l'anno, eſſendoſi così conuenuti, e che tutto quello poteſſero eſſere di più li ſudetti cambij delli detti cinque per cento netti d'ogni ſpeſa, ſpetti à noi per la ſudetta promeſſa, che facciamo di negotiarli, ò farli negotiare ſopra cambij à detto noſtro riſico, & pericolo, & ſpeſe, e quando rendeſſero meno delli detti cinque per cento l'anno ſenza contarli ſpeſa alcuna ragionando li cambij, come ſaranno li conti, cioè à Milano per fiera, & in fiera per Milano, s'intenda, che noi ſudetto Tomaſo, & Alfonſo Franſoni inſolidum non habbiamo à pagare ſe non quel tanto haueſſero riſpoſo, ò riſpondeſſero, che così habbiamo accordato, e per*

Digitized by Google

ſede ſarà la preſente firmata di mano del noſtro Alfonſo.

Noi Tomaſo, & Alfonſo Franſoni promettemo, e ci oblighiamo à quanto di ſopra ſi contiene di propria mano del noſtro Alfonſo.

7 Pro intelligentia huius Scripturæ, & particularum in ipſa contentarum nonnulla hic inquirenda ſunt, & primo quid ſit cartularium,& quotuplex, cui breuitèr reſpondeo eſſe librum, qui habetur in bancho S. Georgij Genuæ, in quo ſcribuntur data, & accepta inter creditores, & debitores, qui contrahunt in dicto bancho; hic liber eandem vim habeat ad probandum, quam habent publica, & authentica inſtrumenta *Paulus de Caſtro conſ.* 285. *viſis, & ponderatis ſub num.* 1. *verſ. prima, quià cartularium lib.* 1., *Scaccia de commert.* §.7. *gloſ.* 3. *nu.* 1. Quatuor enumerantur per Scacciam loc. cit. huiuſmodi cartulariorum genera, quæ tamen aſſerit, ſe ex auditu referre, non ex viſu, adeoque ſe de illis habere fidem, non ſcientiam, & per hoc ſatisfit ſecundæ parti quæſtionis propoſitæ. Primum dicitur cartularium primum de numerato, ſecundum dicitur cartularium ſecundum de numerato. Tertium dictum cartulariũ monetæ aureæ. Quartum cartularium ſcutorum cambiorum. In primo, & ſecundo cartulario conſtituitur debitum, & creditum ſolummodò de *contanti*, & determinatè in moneta cauallotorum, quamuis aliæ monetæ ſuperioris valoris ibi deponantur. Deſcribitur cauallotorum moneta in hoc cartulario per libras eos computando ad rationem librarum; quod ideò inductum exiſtimo, ne per diminutionem, ſi quandoque contingeret, valoris eorumdem, præiudicium inferatur creditori eorundem. Huiuſmodi cartularia, quamuis duo dicantur, ſunt tamen quoad effectum vnum, & idem, & ſolum multiplicantur ad commoditatem concurrentium ad deponendas pecunias in banco. In tertio cartulario cõſtituitur creditum, & debitum in ſcutis aureis ad rationem ſolidorum 68. pro quolibet ſcuto, & nomine ſcutorum aureorum intelliguntur ſolummodò illi, qui ſunt de quatuor ſtampis, vndè creditor in huiuſmodi cartulario poteſt exigere tot ſcutos aureos in auro quinque ſtamparum, quot depoſuit, & poteſt nolle accipere in alia materia. In quarto conſtituitur debitum, & creditum etiam partitæ de *contanti* in ſuis argenteis, vndè creditori debentur in hoc genere, & non in alio.

Liber cartulariorum habet vim publici inſtrumenti.

Enumerantur variæ ſpecies cartulariorum.

Quomodò diſponuntur in cartularijs credita, & debita.

8 Inquirendum etiam eſt ſecundo ex occaſione præcedentium, an, ſi campſor ſit creditor cambij, & nullam aliam habeat probationem, præterquam ex aliquo ex prædictis cartularijs poſſit ex vi præcisè extractus cartularij agere contrà campſarium debitorem. Ex dictis liquet, quid reſpondendum, nam cum extracta cartulariorum habeant vim publici inſtrumenti, certè ex vi illorum poteſt procedi, ſicuti poteſt procedi ex vi publici inſtrumenti, quod paratam habet executionem.

Ex cartularijs ſufficienter probatur creditum.

9 Inquirendum etiam eſt tertiò, quid importent illæ particulæ *regolando i cambij, come faranno i conti, cioè à Milano per fiera, & in fiera per Milano*, & quid illæ aliæ *negotiare ſopra i cambij delle fiere per Milano*. Breuitèr reſpondeo ad primum, illas particulas importare cambia regenda eſſe iuxtà computa, quando Mediolani titulo cambij primò ſoluuntur nummi, vt reſtituantur in nundinis, vel primò ſoluuntur, ſeu dantur cambio in nundinis, vt Mediolani reddantur, quandoque enim cambiorum pretia, vel ob campſariorum, vel campſorum copiam, ſeu inopiam, vel pecuniarum multitudinem, vel deficientiam variantur, vndè ſtatuitur, quod intereſse deſumendum ſit, iuxtà quod ex vſu fori taxatur pretium, dum cambium fit Mediolani pro nundinis, vel in nundinis pro Mediolano. Ad ſecundum dicendum eſt, illas particulas importare quantitatem intereſse, quod exigitur ex negotiatione, quandò cambia in nundinis celebrantur, vt Mediolani fiat ſolutio.

Intereſſe deſumẽdum eſt, ſecundũ, quod cambia currunt in locis ſolutionum.

Secundum exemplar apodiſſæ, ſeu ſcripturæ priuatæ eſt, quod continetur in libro argentarij, & nummularij publica auctoritate deputati, qui liber plenè probat, atque eſt huiuſmodi.

1601. 18. *Septembris.*

10 *Tiberius Cazaretus pro Ioanne Baptiſta N. Sano, & Ioanne Baptiſta N. ad cambium pro Bizanzij foro proximo Sanctorum ad ſolidos* 65. 6. *ſingulo ſcuto marcarum, videlicet in auro decem ſeptem mille tredecim, ſol. quatuordecim, den. nouem.*

Ioannes Baptiſta N. Ianus, & Ioannes Baptiſta N. pro dicto Tiberio Cazareto pro numerato in auro libras decem ſeptem mille trecedim, ſol. quatuordecim, den. nouem.

Io: Baptiſta N. Ianus, & Io: Baptiſta N. ſocij pro Tiberio Cazareto pro valuta de ſcutis octo millibus octingentis quinquaginta vno, ſol. 8. *ad ſol. ſexaginta nouem litera dictorum Ioannis Baptiſtæ N. Iani, & Io:*

Digitized by Google

Io: Baptiſtæ N. proximæ præteritæ feriæ Auguſti Placentiæ, in ſe cambiatis, valent in auro libras triginta milla quinquagentas triginta ſeptem ſol. 6. 7.

Tiberius Cazaretus pro Ioanne Baptiſta N. Iano, & Ioanne Baptiſta N. ſocijs, & quolibet eorum inſolidum pro valuta de ſcutis octo millibus noningentis quadraginta octo ſol. 13. 4. marcharum ad cambium pro feria proximè ventura Sanctorum Bizantij ad ſolidos ſexaginta octo, & denarios tres ſingulo ſcuto marcarum valent in auro libras triginta mille quingentas triginta ſeptem ſol. 6. 7.

II Implexa explico, & confuſa declaro. Dicitur *Tiberius pro Ioanne Baptiſta &c.*, quæ particulæ indicant Tiberium ſoluiſſe libras mille v. g. Ioanni Baptiſtæ. Dicitur in ſecunda ſcriptura *Ioannes Baptiſta &c. pro Tiberio pro numerato*, quod ſignificat Ioannem Baptiſtam enuntiatam ſummam in effectu à Tiberio habuiſſe, pro qua propterea ſumma Tiberius remanet creditor eiuſdem Ioannis Baptiſtæ. Reliqua ſuis locis cum ſuis exceptionibus, & ampliationibus explicabuntur.

Quid ſignificet illa particula pro numerato.

PRÆNOTIO XIII.

De tertio modo concipiendi ſcripturam cambij ſcilicet per literas.

SVMMARIVM.

Prima formula literarum, quandò campſor priùs accipit, vt alibi reſtituat. 1.
Secunda formula literarum, quandò campſor prius recipit, vt alibi ſoluat. 2.
Formula literarum, quæ dicuntur d'auiſo. 3.
Explicantur contenta in eiſdem literis. 4.
Quid veniat nomine ſcuti, & quot ſolidi conſtituant ſcutum. 5.
Variæ acceptiones ſolidi. 6.
Illa particula ſopra di voi *importat fideiuſſorem.* 7.
Quid ſit vndecena di Gabella. 8.
Formula literarum d'auiſo, *quando campſarius ſcribit ad ſuum reſpondentem.* 9.
Diſcrimen, quod intercedit inter trahere, & remittere. 10.
Formula literarum reſponſiuarum. 11.
Alia formula literarum reſponſiuarum. 12.

Subſtituuntur literæ ad explicandam mẽtem ſcribentis.

NEceſſitas literarum in cambio locali ex eo conſurgit, quod non commodè reſpondenti poteſt innoteſcere voluntas eius, qui ad ipſum dirigit pro ſolutione, vndè literæ ſubſtituuntur, quæ explicent mentem ſcribentis, quandoquidem non poteſt per verba ad aures conceptus ſuos aperire, nec ſemper nuntios habet, qui referant, vel, ſi habeat, non ſemper eorum fidei negotia pecuniaria ſunt committenda. Sicuti autem in cambijs quandoque campſor prius accipit in vno loco, & in alio reſtituit, quandoque prius in vno tradit, vt in alio recipiat, ità quandoque campſor prius ad reſpondentem ſuum literas dirigit, quandoque campſarius. Porrò vterque quandoque literam vnam dumtaxat mittit, quandoque duplicem, quandoque per eaſdem obligat ad ſolutionem ſine temporis intermiſſione, quandoque aſſignato certo temporis interuallo. Tandem, ſicuti alia ſunt cambia localia ſimpliciter, alia localia *con le continuationi, ò con le ricorſe*, ità literæ pro vtriſque cum ſuis diſcriminibus ſunt dirigendæ. Quamobrem ex mercatorum praxi placet in particulari ſingularum literarum formulas aſſignare, & quæſtiones circà ipſas, ſi quæ inſurgent, dirimere.

Prima formula ſit literarum quoad cambia, in quibus campſor, ſeu nummularius prius accipit in vno loco cum onere reſtituendi in alio loco, qui proptereà, vt refert *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 10. c. 5. quæſt. 4.* ad ſuum reſpondentem ſcribit in hunc modum: I

Formula primæ literarũ cambij.

Hiſce primis literis viſis, & perlectis ſoluat Titio, vel Iulio eius filio, vel procuratori centum aureos, quià hic Romæ ab eo totidem accepi.

Huiuſmodi literę Romæ ſupponuntur datæ Lugdunum; vbi nota dici, *hiſce primis literis viſis*, quæ clauſulæ important quandoque pro eodem cambio plures, & plures literas dari *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 10. c. 5. quæſt. 4., Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 6. num. 1., & 2.* Quamuis autem non ſit determinatus numerus literarum, quæ mittantur; ex communi tamen praxi recepta, tres tantum fieri ſolent *Baldus conſ. 348. facta fuerunt ſub num. 3. verſ. fin. lib. 1.* quamuis, quandoque etiam fiant quatuor, quæ tamen omnes concipiuntur ſub eadem verborum formalitate. Si autem inquiras, cur tot literæ fiant pro eodem cambio, reſponſum accipies, hoc fieri primò, ne fides cambij pereat; ſecundò, ne, ſi primæ, vel aliæ amittantur, aditus occludatur ſolutioni. Vide, quæ latè dixit *Scaccia loc. cit. de commert.*

Pro eodẽ cambio plures literę dantur, & quare.

Secunda formula ſit literarũ quoad cambia, in quibus campſor prius ſoluit, vt alibi recipiat, quæ ex *Azorio inſtit. mor. part. 3. lib. 1. c. 6. in principio* eſt huiuſmodi. 2

Digitized by Google

Formula literarū, quandò campſor prius ſoluit, vt alibi recipiat.

His primis literis cambij viſis, & perlectis ſolues Seio Procuratori Titij campſoris centum aureos, quià hic Romæ totidem à Titio accepi die 23. menſis Martij 1678. Has literas campſarius tradit campſori, vt ipſe eas ad locum mittat, ad quem diriguntur, vt earum fide, & auctoritate Procurator Campſarij ſoluat, ſeu reſtituat Procuratori Campſoris. Literæ adeo claræ ſunt, vt non egeant explicatione.

Tertia formula ſit literarum, quas vocant *d'auiſo*, quandò campſor prius
3 ſoluit, vt alibi recipiat, quaſque ipſe campſor mittet ad ſuum reſpondentem ſimul cum literis campſarij debitoris conceptis, vt in formula præcedenti, hæcque eſt huiuſmodi.

1678. *Adì 27. Maggio in Milano.*

Formula literarū, quæ dicuntur *d'auiſo*.

Magnifico Signore. In coteſta proſſima futura fiera vi rimetto per mio conto ſcudi 101.9.9. *da Titio per lettera di Pietro, ne procurarete accettatione, & pagamento dandomene credito, & facendomene rimeſſa quà per voſtra lettera, ò d'altri ſopra di voi leuandone la voſtra prouiſione d'vn terzo, & vndecena di Gabella.*

Franceſco ad Antonio.

Explico ſingula in huiuſmodi lite-
4 rarum tenore concepta. Dicitur, *vi rimetto*, quæ particula ex communi negotiatorum acceptione ſolet importare, quod ille, qui prius dat, tranſmittat ſuum creditum ad locum, in quo facienda eſt ſolutio; ille etenim dicitur remittere iuxtà communem loquendi vſum mercatorum, qui alio transfert, quod remittit, & quamuis videatur indiferenter æquè poſſe remitti, ſiuè creditum, ſiuè debitum, iuxtà communem tamen acceptionem Mercatorum remittere eſt de credito, ſicuti trahere de debito. Iuxtà hunc ſenſum loquuntur *Nauarrus conſ.* 21. *Reuerendiſs. lib.* 5. *de vſuris, Alexander Raudenſis in opus. ſuper Banc. D. Ambroſij, Joannes Baptiſta Cauat, tract. de cambijs in præiud. quæſt.* 2. *fol.* 212., *Boninſignius tract. de cambijs c.* 4. Clariorem reddit hanc explicationem particula, quæ ſequitur *per mio conto*, quæ videtur importare remiſſionem eſſe ex credito, vel propter creditum remittentis.

Remittere propriè eſt de credito, trahere de debito.

Dicitur *ſcud.* 101. 9. 9. Nomine ſcu-
5 ti in campſorum, ſeu mercatorum vſu venit nummus aureus, vt multis cit. refert *Scaccia de commert. §.2. Gloſ.3. nu.* 8., *& ſeq. ſparſim*, quod præcipuè probat ex eo, quod 65. nummi aurei conſtituunt vnum marcum, quod etiam conſtituunt 65. ſcutū aureum, nomine illius numeri 9., & 9. veniunt nouem ſolidi, & nouem denarij: Quod, ſi inquiras, quot ſolidi requirantur ad conſtituendum vnum ſcutum, & quot denarij ad faciendum vnum ſolidum: tunc *Scaccia loco cit.* reſpondet cum diſtinctione, vel enim eſt ſermo de ſolido aureo antiquo, vel de ſolido aureo, quo nunc vtuntur campſores pro calculo, & diuiſione ſcuti marcharum, vel pro ſolido æneo. Iuxta primum ſenſum confundit ſolidum aureum cum nummo aureo iuxtà mentem *Rolandi à Valle tract. de dot. quæſt.* 53. *n.* 7. *tom.* 9., *Coaruuij tract. de vet. coll. numiſ. c.* 3. *ſub n.* 3. *verſ. primum*, &, cum ſuperius idem *Scaccia nu.* 8. pro eodem acceperit ſcu-
tum, & nummum aureum, non videtur congruè in hypotheſi tenoris præcitatæ literæ *d'auiſo* iuxtà hunc ſenſum habere locum illas particulas *ſcudi* 101. 9. ſi enim ille numerus 9. importat ſolidos aureos, qui idem ſunt cum nummis aureis, & cum ſcutis, ad quid ponitur diſtinctus ab eiſdem ſcutis? Iuxta ſecundum ſenſum dicit, quod ſolidus non ſit idem, ac aureus, ſed dicit imaginariè ſumi pro vigeſima parte ſcuti aurei, quatenus ſic confingitur à Mercatoribus, vndè ſubdit, quod viginti ſolidi conſtituunt vnum ſcutum marcharum, & denarij duodecim conficiant vnum ſolidum aureum. Iuxtà tertium ſenſum, quià ſolidi in diuerſis locis diuerſum habeant valorem, iuxtà diuerſitatem talis valoris, in eiſdem diuerſimodè etiam ſcutum cōſtituunt, & de hoc erit ſermo vberius infra, & iuxta hunc ſenſum denarius eſt duodecima pars vnius ſolidi ænei, vt refert *Lancellotus Gal. tract. de ſtatut. in verbo ſolidos in princip. nu.* 9. *tom.* 2., *Rebuff. de liter. oblig. art.* 5. *gl.* 1. *num.* 3. *verſus fin. tom.* 1. Verum tamen eſt, quod alicubi, vt refert idem *Scaccia de commert. d. §.2. gloſ.3. nu.* 24. in Repub. Lucenſi denarius eſt tantum ſexta pars ſolidi, quamobrem hac in re ſtandum eſt conſuetudinibus locorum.

Nomine ſcuti ex vſu mercatorum venit nummus aureus.

Explicantur variæ acceptiones ſolidi aurei, & ænei.

Dicitur, *da Titio per lettera di Pietro*, quæ particulæ indicant reſpondentem campſoris enuntiatam ſummam exigere debere à Titio, tanquam à reſpondente Campſarij, nempè Petri, cuius Petri ſunt literæ, quæ diriguntur ad eundem campſoris reſpondentem, vigore quarum hic debet ſummam requirere, & proindè ſubditur in eiſdem literis *d'auiſo* hæc clauſula, *ne procurarete accettatione, & pagamento*, vi cuius etiam indicatur, literas eſſe acceptandas, & proindè etiam ipſum Titium, vt debitorem conſtituendum, vt poſſit

Literæ ſunt acceptandæ, & debitor cōſtituēdus antequā vigore earundē agatur.

po:

Digitized by Google

poſteà procedere ad exactionem.

Dicitur *dandomene credito*, *& facendomene rimeſſa*, quæ particulæ indicant ius, quod acquirit campſor aduerſus ſuum reſpondentem ortum ex eo, quod hic exegerit à Titio nomine campſoris illos ſcutos 101. 9.9. quorum proptereà in libris rationum debet conſtituere creditorem eundem campſorem, nõ aduerſus campſarium, qui ſtatim ab illo onere liberatur, ac acceptatæ fuerunt literæ per reſpondentem campſoris, ac ſolutæ per Titium, ſed aduerſus ſe ipſum, qui aſſumit illud onus, à quo poſteà liberatur per remiſſam, quam facit eidem Campſori per nouas literas, quæ ad eundem diriguntur, vi quarum idem campſor ab alio, qui conſtitutus eſt debitor, cuique ſunt literæ præſentandæ, exiget illam ſummam, quam ſuus reſpondens prius ſuo nomine receperat, & proindè ſubditur illa particula; *e facendomene rimeſſa*.

Reſpondens campſoris, qui recepit pecuniam vi primarũ literarũ, liberatur per nouas literas, quas remittit.

Dicitur, *per voſtra lettera, ò d'altri ſopra di voi*, quæ particulæ duo indicant diſiunctiuè, ità vt fiat remiſſio ad creditorem, vel vno, vel altero modo. Primum, quòd ipſe reſpondens campſoris, qui conſtitutus eſt debitor per illam receptionem, nouas literas det per ſe ipſum, ſi habeat creditum in loco, in quo facienda eſt reſtitutio campſori. Secundum, quod, ſi ipſe reſpondens non habet creditum, procuret per aliũ habentem creditum remitti literas, quibus ipſe campſor poſſit exigere ſolutionem. Subditur illa particula *ſopra di voi*, qua innuitur velle camp-
7 ſorem, vt reſpondens aſſumat in ſe onus fideiuſſoris reſpectu illius, ad quem literæ remiſſæ diriguntur, adeò vt, ſi vergat in decoctionem, vel fiat impotens ad ſoluendum, periculum maneat pęnes ipſum reſpondentẽ; nec hæc particula ſuperflua videtur, nam, ſi creditor ordinaret ſimplicitèr remiſſam non imponendo illud onus reſpondenti, periculum eſſet pęnes ipſum creditorem per ea, quæ habentur *in l. eius, qui & ibi Gloſa in verb. ignoraſſent Bartolus, & alij ff. ſi cert. petatur, & l. vnica C. de ſatiſdan.* dummodò tamen ille, cui datur cambio nõ ſit iuxtà communem opinionem proximus decoctioni, & impotentiæ per ea, quæ habentur *l. quod ſi forte §. ſunt quidam ff. de ſolut. Paulus de Caſtro in l. cum quis num. 3., & 4. & l. ſi cum Cornelius in fin. ff. de ſolut.*

Illa particula *ſopra di voi* importet onus impoſitum fideiuſſionis.

Dicitur *leuandone la voſtra prouiſione* de qua latè dictum eſt *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. in diſquiſit. §. 9., & 10., & ſequentibus*, quæ ibi recole; non enim vacat hic repetere.

Dicitur tandem, *& vndecena di Gabella*, pro quo aduerte, inter cæteras re- 8
gulas ſtatutorum Genuenſium hoc poſitum eſſe, vt qui dat cambio ſoluat pro illo Gabellam ad rationem duorũ ſolidorum aureorum prò ſingulo centenario, &, cùm iuxtà ſuperius dicta viginti ſolidi aurei correſpondeant ſcuto aureo marcharum, hinc eſt, quod duo ſolidi correſpondeant decimę parti vnius ſcuti marcharum, vndè lÿ *vndecena*, idem ſonat, ac vna decima pars eiuſdem ſcuti; dicitur autem *vndecena* ex ſtilo conciſo, & modo loquendi mercatorum Genuenſium. Quod autem debeatur hæc *vndecena* Gabellæ per ipſum campſorem, qui dat cambio, non per campſarium, qui recipit, colligitur ex ijs, quæ docent *Bertachinus tract. de Gabel. part. 7. princip. num. 1. tom. 12. & Bertaz. de clauſ. clauſul. 30. gloſ. 12. ſub num. 1.* nempè in contractibus emptionis, & venditionis, & contractibus debiti Gabellam deberi per emptorem, & creditorem; campſor autem, ſeu qui dat cambio eſt emptor, & creditor, ergo &c. Vide, quæ latè tradidimus *tom. 1. ſub tit. Contractus 4. Prænot. 21. ſect. 8. num. 84.* Non negauerim tamen, quod, ſi praxis iam inualuerit, vt per eum ſoluatur Gabella, qui ad cambium recipit, huiuſmodi praxis ſit obſeruanda per ea, quæ tradidit *Rota diuerſ. deciſ. 63. propoſito verſic. non obſtant teſtes in vna Iamenſi pecuniaria Lunæ 2. Maij 1611. coram Card. Lancelloto.*

Quid ſit vndecena Gabellæ.

Gabella in contractibus debetur per campſorem, & creditorem.

Quarta formula literarum, quæ etiam appellantur *d'auiſo*, quandò ille, qui hic Mediolani v. g. recepit à campſore, ſcribit ſuo reſpondenti ad finem, vt poſteà ſoluat literas *di cambio*, quæ ei præſentabuntur, eſt huiuſmodi:

1678. *Adì 28. Maggio in Milano.*

Titio ad Antonio. 9

Magnifico Sig. Come vedrete per mie di cambio vi hò tratto ſcudi 101. 9.9. *in Seio contimi da Franceſco, ſarete contento pagarli, darmene debito, e con voſtre ſpeſe valeruene quà da me, che li compirò. Dio vi guardi.*

Aliæ literæ, quæ dicuntur d'auiſo.

Attende verbis. Dicitur, *come vedrete per mie di cambio*, quibus innuitur, has literas non eſſe, vi quarum debeat ſoluere, ſed eſſe præuentorias ad literas ſoluendas, quæ ſub alijs terminis concipientur, vt ſub ſua formula videbimus infrà, vndè hæ ſunt ſimplicitèr literæ *d'auiſo*.

Dicitur, *vi hò tratto ſcudi* 101. 9.9.

S 2 vbi

10 vbi nota diſcrimen, quod intercedit inter remittere, & trahere ex vſu negotiatorum; nam remittere, vtſupra explicabamus, eſt proprium creditoris transferentis pecunias ſuas ex hoc loco ad alium vtique per reſpondentem recipiendas, trahere verò eſt proprium debitoris trahentis in reſpondentem onus à ſe ipſo contractum, vt pro ſe ipſo ſoluat. *Fabianus Genuenſis tract. de Cambijs c. 5. num. 54. tom. 6. parte prima Alexander Rhaudenſis ſuper banchum D. Ambroſij num. 36., Bonin ſignius tract. de cambijs c. 6. verſ. ne anche. Nauarrus conſ. 31. Reuerendiſ. verſ. Antonio dà lib. 5. de vſuris*; ex quo verbo trahere deducitur poſtea illud verbum ſubſtantiuum *tratta Rota Genuenſis in deciſ. 6. Ioannes, & ſub num. 6. deciſ. 23. Antonius Carcaſola initio.*

Diſcrimen, quod intercedit inter trahere, & remittere.

Dicitur *in Seio*, quæ particula indicat reſpondentem eius, qui recipit prius pecunias ad cambium, & cui literæ huiuſmodi *d'auiſo* diriguntur pro ſolutione facienda, debere ſolutionem facere eidem Seio tanquam procuratori eius, qui primò ſoluit. Subditur, *contimi da Franceſco*, per quod exprimitur eundem Franciſcum prius cambium perſoluiſſe, ſeù cambio dediſſe, adeoque ipſum eſſe creditorem illius enuntiatæ ſummæ, cuius propterea reſpondenti nempe Seio æquiualens eſt reſpondendū nomine eiuſdem Franciſci. Illæ particulæ *ſarete contento pagarli, darmene debito &c.* non indigent explicatione.

Dicitur, *e con voſtre ſpeſe*, vbi inquirendum remanet, an harum expenſarum nomine veniant ſolummodò prouiſiones, & *vndecena di Gabella*, vbi hæc impoſita eſt, an verò, quid aliud? Reſpondeo breuitèr, ſi ex ſtatuto municipali, vel ex ſtilo mercatorū in huiuſmodi contractu quid aliud impenditur, ex vi illorum verborum etiam eſt impendendum, adeo vt reſpondens verum, & legitimum ius ad illud habeat *Ioannes Baptiſta Lupus in c. fin. §. 2. ſub num. 21. de vſuris*, ſi verò nec ſtilus extet, nec ſtatutum, importat ſolummodò expenſas pro prouiſione. *Scaccia de commerc. §. 4. gloſ. vnica ſub num. 2. verſ. ſecundus caſus eſt.*

Nomine expenſarum venit, quidquid ex ſtatuto, ſeu ſtilo mercatorum eſt ſoluendū.

Dicitur, *valeruene quà da me*, quæ verba important, vt ille, qui ſoluit tractam, poſſit reflectere ſimilem tractam in eum, qui primò in eum traxerat, in ordine ad quem per eam reflexionem ſe releuet de ſumma, quam ipſe ſoluerat nomine eiuſdem.

Qui ſoluit tractam poteſt reflectere eandem tractam in eum, pro quo ſoluit.

Quinta formula eſt literarum, quæ ſunt reſponſiuæ ad literas, quæ continentur ſub tertia formula in hac prænotione præſignata, quæ eſt ſequentis tenoris videlicet:

Adì 27. Settembre 1678. in Lione,
Antonio à Franceſco.

Magnifico Signore. Per riſpoſta del voſtro ſpaccio dirò, che hò riſcoſſo li ſcudi 101, 9. 9., che per voſtro conto mi hauete rimeſſi datouene credito, e contradebito di ſcudi 101. 1. 1. à ſoldi 69. ve li rimetto da Meuio per lettera d'Antonio, procurateuene pagamento eſtinguendo il conto, che con la prouiſione, e gabella trouarete ſtar giuſto. A Dio. 11

Particulæ huiuſmodi literarum ſic conceptæ ferè omnes ex dictis innoteſcunt; remanet ſolum explicandum, primò, cur ſolum dicatur *datouene credito, e contradebito di ſcudi* 101.1.1. cum fateatur reſpondens, ſe recepiſſe ſcutos 101. 9. 9; dicendum quippè eſt ſolidos octo, & denarios octo iuſtè detentos eſſe pro prouiſione, & vndecena Gabellæ, quapropter ſubiungit reſpondens campſori, *che con la prouiſione, & gabella trouarete ſtar giuſto.*

Dicitur *à ſoldi 69.* quæ verba indicant praxim quandam apud mercatores Genuenſes, qui confingentes valorem ſcuti aurei ad valorem ſexaginta octo ſolidorum in reditu nundinarum illud, quod lucrantur, augent in numero ſolidorum, vndè pro ſcuto conſtituunt ſexaginta, & nouem ſolidos. Hæc praxis valet ſolummodò quoad ratiocinium Genuenſium. Computationem quandam diuerſam quidem in modo, ſed non in re confingunt mercatores Genuenſes, ſed quia nec ad Theologos, nec ad Iuriſtas ſpectat eorum ratiocinia, & computa examinare, ideò in huius explicatione non immoror.

Praxis mercatorum Genuēſium, quoad valorem ſcuti aurei.

Sexta formula eſt literarum, quæ etiam ſunt reſponſiuæ ad literas, quæ continentur ſub quarta formula, quæ dicuntur literarum *d'auiſo*, quoad tractam, non quoad remiſſam, atque hæ ſunt huiuſmodi.

Adì 27. Settembre 1678. In Lione;
Antonio à Titio.

Magnifico Signore. Per riſpoſta del voſtro ſpaccio delli 28. Maggio dell'anno corrente dirò d'hauerui dato debito di ſcudi 101. 9. 9., che mi hauete tratto in Seio, e più ſoldi ſei per mia prouiſione, e ſoldi due di Gabella de cambij, che in tutto ſono ſcudi 101, 18. 11. li quali vi hò tratto à ſoldi 69. in lo mio Titio di coſtì per li 24. di queſto, che pagarete ſaldandone il conto; A Dio. 12

Explicationem omnium, & ſingularum

rum particularum in hac formula contentarum habes ex ſuperius dictis, quare non eſt, cur in hoc immoremur.

Septima formula literarum, quæ dantur per eum, qui recepit pecuniam abeo, in quem facta fuit tracta reflectendo nouam tractam in alium fauore eius, qui primò traxerat, nam formula præcedens erat dumtaxat *d'auiſo*, atque hæc eſt ſequentis tenoris videlicet,

Adi 7. di Nouembre in Lione,

Meio à Sempronio ſcudi 101. 1. 1.

A 24. del preſente pagate per queſta prima di cambio à Franceſco ſcudi 101. 1. 1. *à ſoldi 69. per ſcudo in ſcudi d'argento conforme al decreto del Sereniſſimo Senato per la valuta hauuta da Seio, e ponete come s'auiſa. A Dio,*

Explicantur particulæ. Dicitur *à ventiquatro del preſente*, vbi præſcribitur determinatè tempus ſolutionis, quod præteriri neutiquam poſſe videtur, quandò enim nihil præſcribitur, tempus ad ſoluendum quandoque extenditur ad quindecim dies, quandoque ad decem, & regularitèr ad tempus, quo ex conſuetudine recepta in tali loco, ſeu ex vſu fori permiſſiuè ampliatur ſolutio.

Explicatur particulæ dictarum literarũ.

Dicitur, *in ſcudi d'argento conforme al decreto del Sereniſſimo Senato*; pro quo nota, quod, cum Senatus Sereniſſimus Genuæ proſpiceret, quod propter tam crebras pecuniarum negotiationes difficiles forent ſolutiones omnes in ſcutis aureis ad commodiorem negotiatorum vſum, & faciliora commercia ſtatuit, vt ſolutiones huiuſmodi fieri poſſint in ſcutis argenteis eiuſdem Reipublicæ propter eam rationem, qua computatis omnibus ſcutus argenteus ibidem in valore æquiualeat ſcuto aureo quinque ſtamparum, vt notat *Scaccia de commert. §. 5. gloſ. 3. num. 2.* quod, an verum ſit, videant mercatores; non enim mei muneris eſt in particulari examinare valorem omnium monetarum comparatiuè ad alias; quæ enim facti ſunt, non cadunt ſub Theologica trutina &c.

Decretũ Sereniſſimi Genuenſis Senatus.

Agunt hic fusè aliqui de modis, quibus creditores, & debitores cambiorum ſcribunt partitas debiti, vel crediti in ſuis libris rationum, ſed quia hoc eſt inſtruere mineruam, campſores ſcilicet, qui magis callent hanc artem, quam Theologi, ſeu iuris interpretes, non hos, quorum munus non eſt ratiociniorum rationes cognoſcere, ideò conſulto omitto. Si quis ambit hanc artem calere conſulat *Boninſegnium tract. 4. de cambijs c. 4. verſ. pagate in fiera, Michaelem Salonium ad D. Thomam ſecunda ſecundæ poſt quæſt. 78. in diſp. de Cambijs quæſt. 4. art. 2. contr. 12. ſub num. 1. verſ. receptis*.

PRÆNOTIO XIV.

De alijs literarum formulis ad cambia diuerſa.

SVMMARIVM.

Duplex modus celebrandi cambium con la *ricorſa*. 1.
Exemplaria literarum quoad primum modum. 2.
Explicantur particulæ dictarum literarum. 3.
Duplex ſolutio, altera formalis, altera æquiualens. 4.
Exemplaria literarum quoad eundem modum. 5.
Formula literarum, quæ per reſpondentem campſoris remittuntur ad campſarium. 6.
Alia formula, quæ per ipſum campſorem immediatè remittuntur literæ ad campſarium. 7.
Formula literarum quoad ſecundum modum. 8.
Explicatur quomodò res ſe habeat in remiſſione huiuſmodi literarum. 9.

Procedit potiſſimùm titulus quoad formularia cambiorum *con la ricorſa*, circà quæ contendunt aliqui apud *Scacciam de commert. §. 1. quæſt. 5. num. 83.*, & præcipuè, *Nauarrus conſ. 31. poſt initum lib. 5. de vſuris*, qui hanc praxim didiciſſe teſtatur à Mercatoribus, contendunt, inquam, aliquod diſcrimen intercedere inter cambium, quod dicitur *con ricapitare le lettere ſopra il Datore*, & inter cambium, quod dicitur *con le contationi*, & cambium, quod dicitur *con la ricorſa*, quod diſcrimen ſupponunt in eo conſiſtere, quod in primo campſarius vnam dumtaxat ſoluit prouiſionem, ſcilicet correſpondenti, in ſecundo duplicem, alteram ſcilicet eidem correſpondenti, alteram campſori; in tertio verò hoc eſt diſcrimen à præcedentibus, quod campſor obligat Campſarium ad trahendum ſolummodò debitum, quod contraxit in correſpondentem eiuſdem campſoris. Sed quidquid ſit de huiuſmodi diſcrimine, quod non videtur facere ad rem noſtram, præcipuè cum de his fuerit alibi actitatum, non immoror ad inueſtigandam veritatem huius diſcri-

Tria cãbiorum nomina, & diuerſitas.

mi-

Digitized by Google

minis. Quamobrem ad difficultates propoſiti tituli immediatè me confero.

Duos igitur modos, quos etiam iuuat deducere ex præallegatis, inuenio
1 celebrandi contractus *con la ricorſa*, adeoque duas etiam formulas concipiendi literas iuxtà eoſdem modos. Primus eſt, quo campſor, qui prius ſoluit ex commiſſione campſarij aſſumit in ſe ipſo onus ſibi ipſi ſatisfaciendi, quod dupliciter contingere poteſt; primo, quatenus ipſe campſor poſt datam pecuniam campſario accipit ab eodem literas; quas dirigit ad ſuum reſponſalem, & ipſo mediante ſibi ipſi ſoluit in loco conuento pro reſtitutione, prout explicant, *Nauarrus conſ. 31. verſ. inter omnia lib. 5. de vſuris*, *Alexander Rhaudenſis in opuſc. ſuper Ban. S. Ambroſij n. 37. in fine, & 38.*, & nos etiam docuimus *ſub hoc eodem tit. Contractus I. de Cambijs II. Prænot. 5.*, vbi iuſtitiam talis contractus commendauimus. Secundo, quatenus ipſe campſor data, v.g. Mediolani pecunia Campſario, & ab eodem acceptis epiſtolis ſe transfert ante tempus reſtitutionis ad locum deſtinatæ ſolutionis, ibique ex commiſſione campſuarij ſibi ipſi ſoluit, atque etiam de hoc modo locuti fuimus *ſub hoc eodem tit. de Cambijs II. Prænot. 8. per tot., & præcipuè aſſert. 4.*, vbi hunc cambiendi modum approbauimus.

Duplex cambiendi modus *con la ricorſa*, & explicatur primus.

Secundus modus eſt, quo campſarius, qui contraxit debitum propter cambium acceptum nō renuente campſore aſſumit onus ſibi ipſi ſoluendi in loco deſtinatæ ſolutionis, quod licitum etiam ſuppoſuimus, cum onere poſteà faciendi remiſsam pecuniæ ſibi ſolutæ ad eundem campſorem per literas alterius.

Secundus modus contrahendi *con la ricorſa* explicatur.

2 Exemplar literarum quoad primum modum vnum, vel alterum referam ad pleniorem rei notitiam, quod deſumam ab Auctoribus primæ notæ. Primum ſit quoad literas, quando campſor ſibi ipſi ſoluit mediante ſuo reſponſali, quod poteſt eſſe huiuſmodi.

1678. *Adi 17. Luglio in Milano.*

Pietro ad Andrea à Roma.

Alli 28. di Settembre del corrente anno pagate per queſta prima di cambio à voi ſteſſo ſcudi 101. 9. 9. de marche per la valuta hauuta in contanti dal voſtro Franceſco, ponete à mio conto. A Dio.

3 Vbi pro intelligentia aduerte, quod Franciſcus ſit Campſor, qui prius ſoluit Petro Mediolani, & proindè dicitur in litera, *per la valuta hauuta in contanti dal voſtro Franceſco*. Item, quod Petrus ſit campſarius, qui pecuniam recepit hic Mediolani cum onere eam reſtituendi, & proindè ipſe ſcribit literas. Tandem Andræas eſt reſponſalis Franciſci, qui ex commiſſione habita à Petro Campſario ſoluit ſibi ipſi vt agenti vices Franciſci, quod in rigore eſt ſoluere eidem Franciſco.

Nota iam verba. Dicitur *pagate*; quod dupliciter fieri poteſt, vel per formalem ſolutionem, quatenus de facto 4
accipit pecuniam, vel propriam, vel ab alio acceptam nomine campſarij, & ſibi ipſi ſoluit, vt Procuratori Campſoris, vel per æquiualentem, quatenus nulla interueniente pecunia per ſolam literarum acceptationem modo, quo explicuimus ſupra *Prænot. 5.* nomine campſarij ræpræſentat perſonam ſoluentis; & nomine campſoris perſonam recipientis ſolutionem.

Duplex ſolutio, altera formalis, altera æquiualet.

Dicitur *à voi ſteſſo*, quæ verba diriguntur ad illum, ad quem literæ diriguntur, qui eſt Andræas correſpondens campſoris, non quomodocunque, ſed prout ræpreſentat perſonam campſoris, cui propterea vltimato intelligitur fieri ſolutio. Non immoror, quia de hoc fusè egi *in d. Prænot. 5.*

Dicitur *ponete à mio conto*, quæ verba indicant Petrum campſarium ex vi illius æquiualentis ſolutionis factæ per Andræam ſuo nomine conſtitui de nouo debitorem reſpectu eiuſdem de illa ſumma, quam ipſe Andræas anteà æquiualenter ſoluit; idem enim eſt ponere aliquem debitorem, quam ipſum habere obligatum pro ſuo vero debitore per ea, quæ ſcripſit *Scaccia §. 2. gloſ. 9. nu. 1.*, & quamuis huiuſmodi particulæ videantur ſuperfluæ, eo quia obligatus remanet ex vi mandati *l. ſi quis mihi l. ſi mandauero ff. mandati*; nihilominus tales non ſunt, eo quia ex vi ipſarum mandans obligatur etiam ex expreſſa liquidatione, quæ vim auget.

Ponere aliquem debitoré, & habere ipſum obligatū paria ſunt.

Secundum exemplar ſit literarum, quandò campſor profecturus ad locum 5
deſtinatæ ſolutionis debet ſibi ipſi ex commiſſione campſarij per ſeipſum ſoluere.

1678. *adì 14. Maggio in Milano.*

Pietro à Franceſco à Roma.

Alli 26. d'Agoſto dell'anno corrente pagate per queſta prima di cambio à voi ſteſſo ſcudi 101. 9. 9. di marche per la valuta hauuta in contanti dal voſtro Franceſco, ponete à mio conto. A Dio.

Habitis huiuſmodi literis, vel per Andræam reſpondentem Franciſci iuxtà formam, & exemplar poſitum ſupra, quod eſt primum in hac prænotione,

vel

Digitized by Google

vel per eundem Franciſcum immediatè iuxtà exemplar mox poſitum, ijſque adimpletis, quæ in præcitatis literis, continentur, fiunt nouæ literæ ab vtroque, ſeu vel ab vno, vel ab altero, prout ſolutio, vel ab vno, vel ab altero iuxtà modum præſcriptum adimpleta eſt, & diriguntur pro ſolutione ad campſarium, & ſic quaſi per circuitum cambium reducitur ad initium, à quo proceſſerat. Quamobrem exemplaria literarum remittendarum, ſiuè ab vno, ſiuè ab altero hic referuntur.

Cambiũ *con la ricorſa* quaſi per circuitũ reducitur ad initiũ.

6 Primum exemplar fit de ijs, quæ per reſpondentem campſoris, ſcilicet per Andræam remittuntur ad Petrum Campſarium.

1678. adì 30. Settembre in Roma.

Andrea à Pietro à Milano.

Magnifico Sig. Per riſpoſta della voſtra data ſotto li 17. di Luglio dico hauer pagato à me ſteſſo li ſcudi 101. 9. 9. *che mi hauete tratto; datouene debito, e contradebito di ſcudi* 101. 18. 5. *che vi hò tratto à ſoldi 68. nel noſtro Franceſco, li pagarete ſaldandone il conto, che con le ſpeſe trouarete ſtar giuſto. A Dio.*

Pro claritate nota illa verba *datouene debito, e contradebito di ſcudi* 101.18.5. per quæ innuitur ſuprà ſortem cambij, quæ eſt ſcutorum 101.9.9. exigi nouem ſolidos detractis à denarijs quatuor, quæ ſunt pro prouiſione, & pro onere Gabellæ, nam Genuenſes, alijque calculant ſolidos ſex, & denarios octo pro prouiſione, & ſolidos duos pro Gabella, ſicque additis ſolidis ſex prouiſionis, & duobus Gabellæ conſtituuntur ſolidi decem, & ſeptem, additis deindè illis denarijs nouem illis octo, qui ſimul cum ſolidis ſex calculantur pro prouiſione, conſtituuntur denarij decem & ſeptem, quorũ duodecim conſtituunt vnum ſolidum, qui additus decem & ſeptem conſtituit decimum octauum, & reliqui quinque remanent in ſua ratione denariorum, & ſic ſunt ſolidi decem & octo, & denarij quinque ſuprà ſcutos 101.

Explicatur à quo prouematillud incremẽtũ, quod reſultat in his literis ſupra id, quid continebatur in primis.

7 Secundum exemplar fit de ijs, quæ per ipſum campſorem ſcilicet per Franciſcum remittuntur ad eundem Petrũ Campſarium, & poſſunt eſſe huiuſmodi.

Adì 30. Agoſto 1678. in Roma.

Franceſco à Pietro à Milano.

Per riſpoſta della voſtra delli 14. *Maggio dico hauer pagato à me ſteſſo li ſcudi* 101. 9.9. *che mi hauete tratto, datouene debito di ſcudi* 101. 18. 5. *per la prouiſione, e gabella, che vi hò tratto in me ſteſſo, li pagarete &c.*

Quoad ſecundum modum, de quo dictum eſt *ſuprà nu. 3.* exemplaria literarum poſſunt eſſe eadem mutatis nominibus, ac ſuperius relata, maioris tamen claritatis gratia placet vnum, vel alterum adducere. Primum fit.

Adì 14. Luglio 1678. in Milano.

Pietro à Pietro à Roma.

Alli 28. Agoſto dell' anno corrente pagate per queſta prima di cambio à voi ſteſſo ſcudi 101. 9. 9. di marche, la valuta hauuta in contanti da Franceſco, e ponete à conto mio. A Dio.

Hæc litera, quæ à Petro Mediolani exiſtente ad ſe ipſum Romam dirigitur eſt litera tractæ in ſe ipſum, cum ipſe in ſe ipſum trahat debitum, quod prius contraxit Mediolani ſoluendum Romæ. Poteſt tamen commutatis terminis, & datore literarum per æquiualentem literam remiſſæ fieri huiuſmodi ſolutio, quatenus Franciſcus campſor, qui prius dedit cambio Petro ſcribat literam remiſſæ ad eundem Petrum, per quam eidem imponat, vt à ſe ipſo exigat, illos ſcutos 101. 9. 9., & poſteà eoſdem ad ſe remittat in hunc modum.

Explicatur quomodò fiant, & ordinentur huiuſmodi literæ.

Adì 14. Luglio 1678. in Milano.

Franceſco à Pietro à Roma.

Magnifico Signore. Vi rimetto per conto mio ſcudi 101. 9. 9. *da voi ſteſſo per lettera del voſtro di quà, datemene credito, e contro debito ſopra di voi fatemene rimeſſa quà. Dio vi guardi.* Patent particulæ ex ſe ipſis, nec indigent diſcuſſione.

His ſic peractis. Si Petrus in ſe ipſum traxit illos centum, & vnum ſcutos cum nouem ſolidis, & denarijs nouem iuxtà literas tractæ ſuperius poſitas ex Ciuitate Romæ ad ſe ipſum Mediolanũ trahit per nouas literas illam ſummam cum onere prouiſionis, & gabellæ in hunc modum. 8

Adì 30. Agoſto 1678. in Roma.

Pietro à Pietro in Milano.

Pagate per queſta prima di Cambio à Franceſco ſcudi 101. 18. 5. *à ſoldi 68. per ſcudo, la valuta contanti, e ponete come s'auiſa. A Dio.*

Si verò ipſe Campſor, ſeu Franciſcus per ſuas literas poſt ſolutionem primam factam a ſe ipſo Mediolani in fauorem Petri remiſſerit eidem Petro enunciatam ſummam exigendam à ſe ipſo iuxtà formam in præcedenti præſcriptam, tunc Petrus eandem remittit eidem Franciſco cum iure exigendi à ſe ipſo ſimul cum proportione &c. in hanc formam. 9

Adì

Adì 30. Agoſto 1678. in Roma.
Pietro à Franceſco in Milano.

Magnifico Sig. Vi hò dato credito di ſcudi 101. 9. 9. che mi hauete rimeſſo per conto voſtro, contro quali vi rimetto ſcudi 101. 18. 5. à ſoldi 68. dal noſtro Pietro per mia lettera, procuratene il pagamento eſtinguendo il conto &c.

Literæ remiſſæ coniungi debent cum alijs tractæ, & quomodò.

Hic tamen aduerte, quod, quamuis hæc litera mox poſita, qua Petrus remittit illam ſummam Franciſco, & illa præcedens, qua Franciſcus eam remittit ad eundem Petrum Romam ſint propriè literæ remiſſæ, ad conſequendum tamen ſuum effectum debeant coniungi cum illis tractæ, quas Petrus Mediolani ad ſe ipſum mittit Romam, vel Roma ad ſe ipſum Mediolanum refert, nam vigore primæ tractæ in ſe ipſum ſoluit Romæ, & vigore ſecundæ Mediolani; vndè literæ Franciſci videntur ſolùm literæ *d'auiſo*, quod in ſimilibus aduertendum eſt; atque hæc ſufficiant quoad praxim huiuſmodi literarum. Ad vlteriora quoad iura procedimus.

PRÆNOTIO XV.

De Proteſtationibus in Cambijs, & in reditu literarum.

SVMMARIVM.

Aſſignantur modi, & cauſæ, ob quas contingere poſſunt proteſtationes. 1.
Rationes dubitandi circa hunc modum. 2.
Numerantur effectus, quos parit proteſtatio. 4.
Facta proteſtatione poteſt agere creditor nonſolum ad primum, ſed etiam ad ſecundum intereſſe. 5.
Extende etiam ad intereſſe ex intereſſe. 6.
Sententia aſſerens ad exigendum intereſſe de intereſſe neceſſariam eſſe notificationem de pecunia accipienda ad cambium. 7.
Sententia aſſerens neceſſariam eſſe talem denuntiationem quoad lucrum ceſſans, non quoad damnum emergens. 8.
Probabilius eſt etiam ſine notificatione poſſe creditorem agere ad huiuſmodi intereſſe tàm pro damno emergente, quàm pro lucro ceſſante. 9.
Reſpondetur rationibus primæ ſententiæ. 10.
Satisfit rationibus ſecundæ ſententiæ. 11.
Diluuntur rationes pro tertia ſententia. 12
Facta conuentione de intereſſe incerto ob moram in ſoluendo poteſt creditor agere ad intereſſe commune, & ſingulare. 13.
Proteſtatio ità neceſſaria eſt, vt ſi illam creditor non adhibeat, amittat ius ad lucrum, & ad intereſse vſque ad integram ſolutionem. 14.
Non eſt idem literas redire cum proteſtatione, ac redire inanes, & aſſignantur diſcrimina. 15.
Non poſſunt literæ redire cum proteſtatione, quandò alter à mandatario illas acceptat, & ſoluit. 16.
Mandatario creditoris non proteſtante damnum infertur ipſi mandatario, non proteſtanti. 17.
Formula proteſtationum, quæ fiunt in nundinis. 18.
Quod ſit præſtandum poſita illa proteſtatione. 19.
Formula proteſtationum extrà nundinas. 20.
Formula proteſtationum in cambijs con la ricorſa. 21.
Poſità præciſè negatione acceptationis literarum poteſt creditor proteſtari. 22.
Pro executione literarum redeuntium cum proteſtatione in diuerſis locis diuerſa ſeruanter, & quomodò. 23.
Quid ſit ſoluere literas ſuper proteſtu. 24.
Proponuntur variæ dubitationes in ſolutione literarum ſuper proteſtu. 25.
Soluens literas ſuper proteſtu iuſtè acquirit actionem vtilem negotiorum geſtorum reſpectu eius, in cuius honorem ſoluit. 26.
In quo conſiſtat actio negotiorum geſtorum. 27.
Soluenti ſuper proteſtu non competit actio mandati. 28.
Ex ſuppoſitione, quod mandatarius acceptet remiſſas mandantis, non videtur poſſe reijcere tractas. 29.
Recuſante mandatario ſoluere literas poteſt alius quicunque ſoluere ſuper proteſtu. 30.
Mandatarius habens actionem negotiorum geſtorum verſus mandantem poteſt eandem actionem in alium reflectere. 31.
Vt literæ habeantur acceptatæ ſuper proteſtu non ſufficit, quod in dorſo ipſarum ſcribantur accettate ſotto preteſto, *ſed requiritur, quod proteſtatio fiat in authentica forma. 32.*
Acceptans literas ſuper proteſtu debet ſibi prouidere pro tracta pro eodem loco, vndè proceſſit. 33.
Recuſante mandatario ſoluere liberè præferendus eſt ille, qui vult liberè ſoluere, nullo volente ſoluere liberè præferendus eſt ille, qui debet cambium recipere, in defectum iſtius præfertur ille, in quem facta fuit tracta. 34.
Soluens ſuper proteſtu obligatum retinet eum, qui literas dedit, non eum, cui ſolutionem facit. 35.

Mul-

Digitized by Google

MVlta attigimus ex occaſione de huiuſmodi proteſtationibus *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs I. in Diſquiſ. §. 25. per totum;* nunc ex profeſſo hæc materia examinanda eſt ijs omiſſis, quæ ibi fuerunt actitata.

1 Multifariam, multiſque modis, & multas ob cauſas contingit fieri huiuſmodi proteſtationes. Primò, quandò ille, cui debitor cambij ſcribit, vt ſoluat, non acceptat literas, nec alius appareat, qui eas velit ſoluere, tunc enim reſpondens creditoris, vel ipſe creditor poteſt, & debet proteſtationem facere, vt agat poſteà contrà debitorem. Secundò, quandò debitor in nundinis cambiorum non reperit creditorem, cui ſoluat, tunc enim, & ipſe proteſtatur, quod è contra dicitur, quandò in eiſdem creditor non inuenit debitorem, qui ſoluat. Tertiò, quandò campſor in cambio recurſæ, cui per literas campſarij committitur ſolutio ſibi ipſi facienda, eaſdem non vult acceptare; tunc enim proteſtatur contrà eaſdem literas iuxtà formam infrà præſcribendam; Quartò, quandò ille, ad quem diriguntur literæ vergit in decoctionem, & fit impotens &c. atque hæc omnia fiunt in ordine ad releuandum proteſtantem à damnis, & oneribus, quæ ex cambijs orirentur.

Caſus, in quibus fiunt ex cōmuni praxi proteſtationes.

2 Vniuerſam materiam circà has proteſtationes in hac vnica prænotione maiori, qua potero, breuitate perſtringam, nihil tamen omittens eorum, quæ ex communi praxi ſolent in præſenti intercedere. Primò igitur inquirendum eſt, quem effectum pariat proteſtatio facta per reſpondentem creditoris, vel per ipſum creditorem, quandò ille, cui debitor ſcribit, vt ſoluat, non acceptat literas, & quid operatur, quandò creditor in nundinis non reperit debitorem, vel debitor non inuenit creditorem &c. Secundò, an neceſſaria ſit huiuſmodi proteſtatio in dictis caſibus, adeòvt, ſi omittatur, ille, qui proteſtari deberet, non poſſit conſequi huiuſmodi effectus. Tertiò, an ſit idem literas cambij redire cum proteſtatione, ac redire inanes. Quartò, quænam ſint formulæ proteſtationis ſingillatim quoad omnes caſus. Quintò, quid ſit ſoluere literas cambij, ſeu tractam ſuper proteſtu, & quid operetur, & alia huiuſmodi.

Rationes dubitandi circà hanc materiam proponuntur.

3 Assertio I. Proteſtatio facta per reſpondentem creditoris, vel per ipſum creditorem, quandò mandatarius literarum eas non acceptat, efficit primò, vt ipſe creditor poſſit executiuè agere contrà principalem debitorem. Secundò, ſi proteſtatio fuerit de intereſſe, quod poſſit agere non ſolum ad primum, ſed etiam ad ſecundum intereſſe, & vlterius vſque ad poſitam ſolutionem. Prima pars eſt communis per ea, quæ tradidit *Scaccia §. 2. gloſ. 5. num. 316., & §. 7. gloſ. 5. num. 4., Rota Genuenſis deciſ. 8. in cauſa Bartholomæi num. 19.* Secunda pars licet maximè controuerſa apud Doctores, quorum aliqui volunt ſolummodò poſſe exigi primum intereſſe, eſt tamen *Cagnoli in l. vnica C. de ſent. quæ pro eo num. 45. in ſecunda dubitatione Gabriel in concl. lib. 3. tit. de ſolut. concl. 10. in fin. limit. 3. ſub num. 6., Ioannis Baptiſta Lupi in l. curabit §. 6. ſub num. 10. verſ. ſed contrarium, & num. 20. verſ. ſed aduertendum C. de act. empt. inter tract. diuerſ. tom. 7.*

Probatur prima pars, quia debitor, ſeu campſarius accipiendo ad cambium, literaſque conficiendo implicitè, & virtualitèr promittit campſori, quod mandatarius ſoluet in loco, & tempore conuento ſolutionis, ergo, quia ex vna parte campſor acceptat mandatarium, tenetur ipſum prius inquirere, an velit ſoluere literas eidem præſentando, vel per ſe ipſum, vel per ſuum Procuratorem, eoque nolente contra ipſum proteſtari, quià verò ex altera parte campſarius virtualitèr promittit pro ipſo mandatario modo, quo ſuprà, ipſe eo reluctante tenebitur, adeòque creditori contra eundem concedetur actio tanquam contra promiſſorem pro mandatario reluctante. Conſequentia probatur, quià promittens pro alio tenetur in ſubſidium eius, pro quo promittit, & prius excutiendus eſt mandatarius, acceptatus, quam detur regreſſus contra mandantem.

Campſarius conficiendo, literas virtualitèr promittit campſori, quod mandatarius, ſoluet.

Dices hac ratione, etiam poſſet eſſe actio contra debitorem mandantem, quamuis nulla facta fuerit proteſtatio, ſiquidem ex ipſa iuris diſpoſitione promittens pro mandatario ſemper obligatur, ſicque proteſtatio eſſet ſuperflua. Sed contrà, quia poſt admiſſas literas cambij in perſonam reſpondentis campſarij ex communi praxi, & ex diſpoſitione iurium municipalium ferè in quocunque loco ſtatutum eſt, vt ab eodem reſpondente inquiratur ſolutio, non quomodocunque, ſed modo, quo ex vſu fori, & communi praxi fieri ſolet, adeòque in caſu reſiſtentiæ, ſeu non acceptationis literarum per proteſtationem, quod ea ratione inductum exiſtimo, vt poſſit innoteſcere debitori mandanti mora

Non eſt ſuperflua proteſtatio, & quare.

reſpondentis, ſeu renitentia, & non acceptatio literarum, hocque definitum eſt *in ſtatutis Genuenſibus lib. 2. c. 4.* ex quorum ſtilo in hanc formam proceditur.

4 *Præcipitur de mandato MM. DD. Auditorum Rotæ executiuæ Genuæ Petro, vt intrà horas 24. ſecuturas à præſenti præcepto, & limitatoà ſtatuto Genuæ de cauſis breuioribus debeat ſoluiſſe Franciſco ſcutos* 101. 9. 9., *Marcarum, de quibus in literis cambij factis ſub die &c. Octobris &c. directis Placentiam Titio, & ſubſcriptis per ipſum Petrum, quæ literæ exhibentur, & hoc quià redierunt cum proteſtatione, vt ex ipſa proteſtatione ſubſcripta per Dominum Ioannem Pincetum Notarium, quæ etiam exhibetur, & interim compareat ad recognoſcendum cum iuramento, an dictæ literæ ſint ſcriptæ, vel ſubſcriptæ eius manu, opponendum &c. & alias &c. Item, quod debeat conſtituere procuratorem &c.* & poſteà proceditur vſque ad definitiuum, & executiuum iudicium.

Proteſtatio requiritur ad procedendum executiuè.

Reſponderi etiam poteſt ad inſtantiam proteſtationem requiri ad procedendum executiuè, quod fieri non poſſet ex vi ſimplicis mandati. Dici tandem poſſet ſine proteſtatione ex vi mandati poſſe eſſe actionem quoad ſortem, quæ ſemper debetur, non autem quoad intereſſe.

5 Probatur ſecunda pars. Ex mora in ſoluendo, ſeu ex non acceptione literarum, à qua prouenit talis mora, non ſolùm oritur damnum, ſeu ceſſatio lucri pro primo anno non ſolutionis, ſed etiam pro ſecundo, & tertio, & ſic ſucceſſiuè, donec ponatur ſolutio, ergo poſita proteſtatione ſuper intereſſe poterit non ſolum agere pro primo intereſſe, ſed etiam pro ſecundo, & ſic ſucceſſiuè. Antecedens patet, ſi enim dilatio ſolutionis ad annum ob lucrum ceſſans, vel damnum emergens tribuit ius ad illud intereſſe, cur dilatio ſucceſſiua ad alium annum non tribuet ius ad ſimile intereſſe? Conſequentia etiam patet, quia, vbi viget eadem ratio, viget etiam idem ius, vt ex vulgatis iuribus ſentiunt omnes Doctores, &, ſi contractus eſt ſecundum ſe lucratiuus talis intereſſe pro tali tempore, cur etiam non erit lucratiuus interueniente eadem cauſa pro alio ſimili proportionato tempore?

Eadem omninò ratio eſt pro primo, ac pro alijs annis ſubſequentibus.

Dices, pro vlteriori intereſſe à primo anno obſtare iura, quæ prohibent in contractibus infinitatem *l. vnica C. de ſententia pro eo*. Sed contrà primò, quia infinitas, ſi quæ oritur, non eſt ex natura contractus, ſed ex voluntate debitoris non ſoluentis, qui debet ſibi imputare, quod ad vlteriora protendat ſolutionem intereſſe per non ſolutionem capitalis, quod mirum non debet apparere in contractibus lucratiuis; ſi enim pro tali contractu intereſſe iuſtè exigitur pro primo anno, cur non poteſt exigi pro ſecundo? ſecundo hac ratione etiam in contractibus cenſualibus non poſſent exigi penſiones ſucceſſiuè de anno in annum, ſi obſtaret ratio infinitatis, quod nullus audebit aſſerere.

Infinitas non eſt ex natura contractus, ſed ex voluntaria mora debitoris non ſoluentis.

Dixi, *quod poſſit agere non ſolum ad primum, ſed etiam ad ſecundum intereſſe, & ſucceſſiuè*, quod intelligendum eſt, non ſolum de intereſſe, ſeu lucris annalibus, quandò ex vi contractus intereſſe non ſoluitur, non niſi de anno in annum, ſed etiam de intereſſe ad breuius tempus, quandò ex vi contractûs talis ſolent exigi lucra bis, vel ter in anno, vt contingit in lucro cambiorum, iuxtà quod implicantur pecuniæ ad cambium in pluribus nundinis, quæ in eodem anno celebrantur *Scaccia §. 2. gloſ. 4. num. 3.*

Actio non ſolum eſſe poteſt ad lucra annualia, ſed etiam ad intereſſe breuioris temporis.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an in data hypotheſi poſſit creditor agere non ſolum ad primum, & ſecundum intereſſe, & ſic ſucceſſiuè, ſed etiam ad intereſſe primi intereſſe, & ſic deinceps. Secunda, an poſſit agere ad huiuſmodi intereſſe, & ad intereſſe ipſius primi intereſſe, etiam ſi non notificauerit debitori ſe accepturum pecunias cambio, ſeu ab alio intereſſe, vel paratum eſſe ad ſucceſſiuè implicandas pecunias eidem datas in negotiatione cambiorum continuò, & ſucceſſiuè; item ex occaſione poteſt alia hic emanare difficultas, an actio creditoris poſſit eſſe non ſolum ad intereſſe commune, ſed etiam ad conuentionale, & ad ſingulare.

Siſtamus primò in prima, circà quam *Rebuffus in l. vnica in gl. in verbo dupli ſub num. 2. verſ. præterea intereſſe. Ioannes Baptiſta Lupus in l. curabit §. 6. ſub nu. 20. verſ. ſed aduertendum C. de act. empt. inter tract. diuerſ. tom. 7., Rota Genuenſis in hoc parum ſibi conſtans deciſ. 87., Ioannes Stephanus num. 8. in fin., & num. 9. cum alijs pluribus* ſuſtinent abſolutè, non poſſe exigi intereſſe ex intereſſe primò, quià non datur acceſſio acceſſionis nec vſuræ ex vſuris capiuntur; quod ſi dicatur, intereſſe conuerti in capitale modo, quo ſuprà nos explicuimus, ſtatim reſpondent dicentes, hoc eſſe anatociſmum, ſuperfætationem, &

Rationes, pro contraria ſententia afferuntur.

fœ-

fœnoris renouationem, quæ eſt per iura proſcripta; hanc damnant *Hieronymus Groſſotus in l. lecta num. 6. ff. ſi certum petatur tom. 2. fol. 118., Coaruuias var. reſol. lib. 3. c. primo ſub nu. 5. verſ. ſupereſt. Boninſignius tract. de vendit. ad temp. c. 3. nu. 15., Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 5. tit. de vſuris c. 2. quæſt. 3. verſ. ſed re vera*, & circa hoc eſt textus apertus *in l. fin. C. de vſuris* prohibens vſuras vſurarum, & quod vſura nequeat conuerti in capitale extat alius textus *in l. placuit ff. eodem tit.* E contrà verò *Ruin. conſ. 113. quamuis num. 4. verſ. non obſtat lib. 1., Cagnolus in l. vnica num. 46. verſ. numquid C. de ſentent. quæ pro eo, & in l. curabit nu. 69. C. de act. empt., & ſub num. 46.* refert ità pluries fuiſſe deciſum per Senatum Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ. *Menochius de arbit. Iud. c. 119. reuocauit num. 31., & ſeqq. verſ. dubitatio cent. 6.* ſuſtinent, creditorem non ſolum intereſſe, ſed etiam inrereſſe de intereſſe

6 poſſe exigere. In hac ſententiarum diuerſitate non recedo ab hac ſecunda opinione per ea, quæ latè traddi *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de Emphyth., & Cenſibus Prænot. 21. ſect. 9. per tot.* & ſuperius in hoc eodem tom. *de Cambijs I. in Diſquiſ. §. 3.* quibus hanc vnicam rationem addo, quia in tantum poteſt ſucceſſiuè exigere intereſſe ſortis principalis vſque ad poſitam ſolutionem, in quantum ob dilationem ipſi damnum emergit, vel lucrum ceſſat, cum probabilitèr implicaret in alias negotiationes cambiorum, ex quibus quotannis, vel ſingulis nundinis poſſet ſimile lucrum acquirere, ſed etiam poſſet ſimile lucrum, ſeu proportionatum exigere ex ipſo intereſſe, ſi hoc eſſe perſolutum, cum hoc etiam probabilitèr implicaret in negotiationem aliorum cambiorum, vel in augmentum primi, ergo &c. Neque dicas, lucrum non poſſe exigi ex non contractu, ſeu quod idem eſt, id quod exigitur ratione contractus non poſſe aliquem exigere eo non celebrato, ſed in ordine ad intereſſe, quod ex ſorte principali exigitur, cambium aliquod celebratum non eſt; ergo ex illo non poteſt exigi aliud intereſſe; contrà enim impugnaberis, nam non exigitur, vt lucrum contractus, ſed vt vera compenſatio lucri ceſſantis, vel damni emergentis, quæ poteſt eſſe ob ſolam dilationem reſolutionis primi contractus, quamuis expreſsè contractus non ineatur, & licet dixerimus ſuperius ſub hoc *eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. in Diſquiſ. §. 13.* poſſe tantum exigi, quantum importat lucrum ceſſans, vel damnum emergens, cum tamen hoc lucrum ſit propter id, quod exigeretur ex cambio facto, etiam per intereſſe, tanquam per partem conſtituentem ſortem principalem debet eſſe ad proportionem eius, quod ex tali cambio ſic conſtituto exigeretur.

Eadem ratio de lucro ſortis, ac de lucro intereſſe.

Exigitur non ex contractu, ſed vt mera compenſatio lucri ceſſantis.

Quod, ſi vlterius vrgeas, quod hac ratione in quolibet contractu deberentur vſurę vſurarum, ſeu intereſſe alterius intereſſe, quia quilibet creditor poneret intereſse in ſorte, ſeu illud calcularet in ſortem, ſicque, v. g. in contractu cenſuali dum penſiones per aliquot annos non ſoluerentur, poſset cenſuarius actiuus non ſolùm penſiones correſpondentes ſorti exigere, ſed etiam correſpondentes penſionibus antecedenter non ſolutis; ſtatim reſponſum accipies, quià hæc calculatio, ſeu conuerſio interuſurij in ſortem fieri non poteſt in quolibet contractu, ſed in cambijs ſpeciatim, quià creditor, vt plurimum in ijs patitur certitudinalitèr, & non per poſſibilitèr tantum intereſse, item huiuſmodi intereſse in ijs regularitèr eſt certum, & liquidum, quià in quolibet foro imponitur pretium pro cambijs. Tandem, quià in cambijs miſſis literis cum ſolita dilatione nundinarum, & locorum regularitèr fit extinctio primi cambij, & renouatio ſecundi, quæ regularitèr non militant in aljis commertijs. Ad quæ corroboranda multum faciunt ea, quæ dicta ſunt *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs I. Prænot. 7. aſſert. 2. num. 4.* quæ ibi recole.

Specialis ratio per quam calculatio, ſeu conuerſio interuſurij fiat in cambio, & non in alijs.

Ad rationes, quæ in contrarium pro prima ſententia afferebantur, dicendum eſt hic non adeſſe anatociſmum, neque ſuperfæcationem, eo quià anatociſmus eſt vſura vſuræ, quæ omni iure prohibita eſt, hic autem non interuenit vſura, nedum vſura vſuræ, ſed intereſſe, quod omni iure debitum eſt, non prohibitum *Cagnolus l. vnica ſub num. 46. verſ. 3. quià C. de ſent. quæ pro eo Scaccia de commert. §. 7. gloſ. 2. num. 49. verſ. ad adducta*, in quo ſenſu explicandi ſunt reliqui textus in confirmationem contrariæ ſententiæ adducti.

Reſpondetur rationibus in contrarium propoſitis.

Accedamus iam ad ſecundam, in qua etiam auctores inter ſe diſſidentes inuenio. Michael Salonius *ad D. Thomam ſecunda ſecundæ quæſt. 78. art. 2. controu. 8. ſub. nu. 17. verſ. fauet Mobedana deciſ. 3. de Denunt., Rota in vna Romana ſubhaſtationis bonorum coram Card. Lan-*

Digitized by Google

cellotο Lunæ 7. Iunij 1597. *verſ. non obſtat* ſuſtinent ad hoc, vt creditor poſſit exigere intereſſe de intereſſe, teneri notificare debitori, ſe accepturum pecunias cambio, vel paratum eſſe ad ſucceſſiuè implicandas pecunias in negotiationes cambiorum, qui duplici ratione mouentur primò, quia ex iuſtitia tenetur creditor ea præſtare in fauorem debitoris, quæ ſibi non nocent, & eidem debitori valdè prodeſſe poſſunt iuxtà vulgatam iuris regulam, ſed illa notificatio non obeſt creditori, & maximè proficua eſſe poteſt debitori, quatenus poteſt ſoluere debitum per minores ſumptus, ergo &c. Secundo, ſi creditor poteſt ſe indemnem conſeruare cum minori diſpendio debitoris, quam accipiendo ad cambium, non tenetur debitor, niſi ad illud minus, quo poſſet eſſe indemnis creditor, non autem ad illud maius, quo ſe conſeruet accipiendo ad cambium *Molina de iuſt. tom. 2. de Contractibus diſput. 315. verſ. illud eſt*, ſed creditor per illam denuntiationem, ſeu notificationem poteſt fieri indemnis per minora incommoda, & onera debitoris, quatenus hic illa poſita poſſet ſoluere, ergo &c.

7 Sententia aſſerens ad exigendum intereſſe de intereſſe neceſſarium eſſe notificari debitori pecuniam accipiendam eſſe ad cambia, & recambia,

8 Alij diſtinguentes inter intereſſe lucri ceſſantis, & intereſſe damni emergentis ſentiunt, quod in ordine ad intereſſe pro lucro ceſſante requiratur illa denuntiatio cum notificatione, non ſic in ordine ad intereſſe pro damno emergente. Ità ſentire videtur licet in terminis de mutuo. *Michael Salonius in ſecunda ſecundæ D. Thomæ quæſt. 78. art. 2 initio num. 9. in quarta concl. iuncto num. 5. in fine verſ. his poſitis tom. 2., Nauarrus in c. ſi fœneraueris num. 50. verſ. ad ſecundum* 14. *quæſt.* 3. ad quod duplici ratione videntur moueri, primò quia lucri, & damni diſpar eſt ratio *l. Proculus ff. de damn. infect., Oſaſchus deciſ. 95. anno ſub num. 42. verſ. non obſtant. Ioannes Baptiſta Lupus in l. curabit §. 6. num. 3. in fin. C. de act. empt. inter tract. diuerſ. tom. 7.* & magis patitur, qui damnum tolerat, quam qui lucrari prohibetur *Gail. in pract. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 7. num. 2.* quare plura ad exigendam compenſationem lucri ceſſantis requiruntur, ac ad compenſationem damni emergentis, & creditor in ordine ad illam poteſt facilius fraudes committere, quam in ordine ad iſtam. Secundò, quià, vt mox attigi, euitare damnum minus propinquum eſt vſuræ, quam ſit facere lucrum *Spec. tit. de vſuris num. 7. verſ. nec eſt vſura lib. 4.* quod multis euincit exemplis, *Scaccia tract. de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampl. 8. num. 275. & ſeqq.* quæ ibi pro clariori notitia recole; ex quibus *Ioannes Baptiſta Lupus in l. curabit §. 6. nu. 3. C. de act. empt. inter tract. diuerſ. tom. 7., Gail. in pract. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 6. num. 6.* docent ſpeciatim etiam in materia cambiorum plura requiri ad probandum lucrum ceſſans, quam damnum emergens, adeòque &c.

Plura videntur requiri ad compenſationem lucri ceſſantis, quam damni emergentis.

Alij tandem, inter quos, *Petrus de Ancharano conſ. 376. num. 2. in fin., Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 5. tit. de vſuris c. 4. quæſt. 3., Scaccia de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampliat. 8. num. 263.* docent indifferentèr, non eſſe neceſſariam illam denuntiationem cum notificatione, vndè, ſi creditor illam faceret, abundaret in cautela, & rationem indè affert *Scaccia, qui ſupra*, fundatam in eo, quod qui patitur damnum, vel ceſſationem lucri ob dilationem debitoris in ſoluendo non patitur ex defectu illius denuntiationis, ſeu notificationis, ſed ex mora debitoris, adeòque &c.

In hac opinionum diuerſitate ſentiendum exiſtimo, etiam non poſita illa denuntiatione, ſeu notificatione poſſe creditorem agere ad huiuſmodi intereſſe, ſiuè prout correſpondet damno emergenti, ſiuè vt correſpondet lucro ceſſanti, quod exigeret ex vi alterius cambij, ſi ſimul cum illo intereſſe ſoluto, & ſorti adiecto fuiſſet initus. Ita ſentiunt ſine vlla reſtrictione auctores adducti pro tertia ſententia. Probatur, quià quotieſcunque quis detinet rem alteri debitam inuito domino, & illa detentio propter moram eſt cauſa damni, vel lucri ceſſantis tenetur ad damna, ſeu lucra, ſi ceſſarint, reparanda, etiam ſi damna illa, ſeu lucra dominus non denuntiauerit, ſed campſarius non reſtituens ſortem cambij tempore conſtituto detinet rem alterius inuito Domino, & ex ſuppoſitione, quod iſtè ſit campſor implicaturus in alias negotiationes cambiorum eſt cauſa damni, ſeu lucri ceſſantis, ergo &c. Maior patet, & probatur ſolùm quoad illam particulam ampliatiuam *etiam ſi damna illa, ſeu lucra dominus non denuntiauerit*, in qua ſolùm poteſt eſſe difficultas; tum quia ex vulgatis iuribus dies ſolutionis interpellat pro ipſa ſolutione, tùm quia lucrum ipſum ceſſat, ſeu damnum ſequitur non ex defectu denuntiationis, ſed ex ipſa mora in ſoluendo, nec ius aliquod obligat ad talem denuntiationem. Quod, ſi di-

9 Poteſt exigi intereſſe, etiam ſine notificatione etiam pro lucro ceſſante.

Dies ſolutionis interpellat pro ipſa ſolutione.

Digitized by Google

ſi dixeris, ius ipſum exigere, vt quo minus poſſit, grauetur debitor, nam, ſicuti ſi poſſet aliundè creditor ſimplicitèr damnum reparare, ſeu lucri ceſſationem impedire, nullam compenſationem pro his poſſet exigere, ità, ſi poſſet pro minori reparare, & impedire, & per conſequens minus grauare debitorem, non poſſet, niſi pro illo minori eandem compenſationem exigere, ſicut enim ſe habet ſimplicitèr ad ſimplicitèr, ità magis ad magis, & minus ad minus; cum igitur per denuntiationem illam poſſet fortaſsè minus grauare debitorem, quandòquidem illa habita reſtitueret ſortem, & intereſſe cum minoribus ſumptibus, ac incommodis, ac ſi deberet ſoluere intereſſe de intereſſe, hinc eſt quod teneatur ad illam denuntiationem; ſi, inquam, hæc dixeris, ſtatim impugnaberis, quià, cum debitor ſciat in hypotheſi huius controuerſiæ creditorem aſſuetum eſſe in huiuſmodi cambijs negotiari, poteſt manifeſtè ſibi ſuadere, quod pecuniam illam, ſi habuiſſet, in iſtis implicaturus eſſet, & ex eo, quod ille præciſè ſit inuitus ad dilationem, arguere deberet debitor, quod ideò ſit inuitus, quia per non ſolutionem, ſeu dilationem ſolutionis impeditur, ne poſſit munus negotiationis exercere, ſecus, ſi hoc onus eſſet in creditore monendi debitorem moroſum, deberet etiam eſſe onus in eodem monere de iure, quod habet exigendi ab eodem debitore moroſo compenſationem illius lucri, ſeu damni reparationem per ea, quæ docet optimè *Scaccia d. §. 1. quæſt. 7. ampl. 8. num. 265.* nec incongrua ratione, nam in tantum per aduerſarios tenetur creditor notificare illud, quod moralitèr exigeret creditor, ſi ſuam ſortem cum intereſſe haberet, in quantum ex illa notificatione poſſet debitor ſibi conſulere ſatisfaciendo, ſed etiam ex notificatione iuris ad illud exigendū propter moram poſſet ſibi prouidere, ſiquidem hac non poſita poſſet dubitare, an teneatur, nec ne? ergo &c. Nullus autem aſſerit creditorem teneri monere debitorem, in qua parte iuris cautum ſit, quod debitor moroſus teneatur ad lucri ceſſantis compenſationem, ergo neque tenebitur &c.

Ex eo, quod ſciat creditorem aſſuetum eſſe negotiari eſt præſumptio, quod ex pecunia credita eſſet negotiaturus.

Non tenetur creditor monere moroſum debitorem de iure, quod habet ad compenſationem.

Probatur ſecundo, præcipuè in ordine ad intereſſe lucri ceſſantis, in quo potior eſt ratio dubitandi. Lucrum ceſſans ob alterius culpam, ſeu moram non minus eſt compenſationis meritorium, ac ſit damnum emergens, ergo iuſtè poterit creditor tantum pro intereſſe illius lucri ceſſantis exigere, quantum exegiſſet, ſi illud non ceſſaſſet. Antecedens probatur, quia ex communi praxi vbique ſine controuerſia recepta negotiatores non ſolùm exigunt compenſationem damni, ſed etiam lucri ceſſantis reparationem. Deindè cõmuniter Doctores recipiunt hunc caſum. Si vidua ſecundum ſe diſpoſita ad emendum pecunia dotali prædium aliquod fructiferum impediatur, ne emat ob moram hæredis mariti in reſtituendo dotem, poteſt iuſtè exigere intereſſe pro illo lucro ceſſante, quod exigeret ex prædio *Paulus de Caſtro in l. diuortio ſub nnm. 6. ff. ſolut. matrimon., Surdus tract. de alimentis tit. 1. quæſt. 45. ſub num. 40. verſ. ſed quod, & alij communiter*, quod etiam ampliat *Coaruuias var. reſol. lib. 3. c. 1. ſub num. 3. verſ. 6. in fine*, quoad fæminam etiam diuitem, ergo à fortiori hoc dicendum eſt quoad campſores, qui ex proprio munere aſſueti ſunt proprias pecunias in negotiationes implicare, & ex illis lucrum acquirere.

Vidua impedita per hæredes mariti emere pecunia dotali prædium poteſt exigere fructus prædij.

Ad rationes, quæ in contrarium afferebantur pro prima ſententia præcipuè in ordine ad primam, patet ex 10
mox dictis, quid ſit reſpondendum; vndè ad illud axioma, quo dicitur, *quod ibi non nocet, & alteri prodeſt, agendum eſt*, dico primò verificari, quotieſcunq; ex negatione illius actionis ille, cui prodeſſet talis actio, ſi poneretur, non poſſet ex ſe ipſo ſibi conſulere, vel non haberet per ſe, quidquid haberi poteſt per illam actionem, cum autem debitor in noſtra hypotheſi ſciat, vel ſcire teneatur, quid ſibi prodeſſe poſſit, ſi ſoluat, vel obeſſe, ſi non ſoluat, non tenetur creditor hæc illi notificare, ſicuti non tenetur quis damnum, quod eidem impendit, notificare alteri, ſi hic alter præuideat illud, vel teneatur præuidere. Secundò, dici non poteſt in caſu noſtro, quod illa denuntiatio, ſi fieret, non noceret creditori, quandòquidem teneretur curam habere, & expenſas facere denuntiationis, vt ſcribit *Scaccia loco citato*. Ad ſecundam dicendum eſt, debitorem non teneri, niſi ad illud minus, quandò per illud creditor poteſt ſe indemnem conſtituere, & non vult culpa quodamodò prouenientè ab ipſo, non quandò culpa prouenit ex defectu debitoris, qui, cum poſſit ſibi conſulere, & præcauere à maiori onere, nec conſulit, nec præcauet, nec creditor tenetur magis conſulere indemnitati debitoris, quam hic ſibi ipſi conſulat, cum æquè poſſit ſibi conſu-

Non tenetur damnum notificare alteri, quandò hic alter illud prævidet, vel tenetur prævidere.

Poteſt æquè ſibi prouidere habita illa notificatione, ac ſine illa.

Digitized by Google

conſulere habita illa notificatione, quam ſine illa per ſolam ſcientiam, quam habere tenetur, quod creditor non debeat ſibi præiudicare, vt illi proſit.

Ad rationes dubitandi pro ſecunda
11 ſententia dicendum eſt quoad ea, quæ pertinent ad præſentem ſtatum, non eſſe diſparem rationem de lucro ceſſante, ac de damno emergente, licet illud ſit de acquirendo, iſtud de iam poſſeſſo amittendo, nam non minus eſt compenſabile lucrum ceſſans in ijs contractibus, in quibus negotiatores ſolent lucrari, ac ſit compenſabile damnum emergens, vndè, ſi quoad aliquas alias rationes differunt, prout refert *Scaccia loc. cit. num. 276., & ſeqq.* in hoc tamen non differunt, vndè meritò *Iaſon. in l. repræhendenda in fine num. 10. C. de inſtit. & ſubſtit., & Rebuffus in l. vnica poſt not. in gloſ. prout ſub num. 20. verſic. oppono C. de ſent., quæ pro eo* docent damnum, & lucrum non differre, quandò lucrũ eſt radicatum, prout euenit in caſu noſtro. Ad id, quod ſubditur, dicendum eſt, vitare damnum minus propinquum eſſe vſuræ, ac acquirere lucrum, quia facilius damnum innoteſcit, quam ius ad acquirendum lucrũ, cum ex peruerſitate operantis poſſit palliari aliquo titulo apparenti, qui tamen in ſe iuſtus non ſit, vndè plures quidem probationes requiruntur ad probandum lucrum ceſſans, ac damnum emergens; per hoc tamen non tollitur, quod, ſi lucrum verè ceſſet, & probetur, vt infrà, non ſit congruo pretio compenſabile.

Damnũ, & lucrũ non differunt, quandò lucrum eſt radicatum.

Plura requiruntur ad probandum lucrum ceſſans, ac damnum emergẽs.

Diluamus iam ea, quæ pertinent ad
12 tertiam ex occaſione propoſitam difficultatem. Pro qua aduerte, intereſſe commune illud eſſe, quo iuxta commune prudentum, & peritorum iudicium lucrum, quod eſſet exigendum ex contractu, ſi fieret, tanti æſtimatur, & valet, & ſi non celebretur contractus, vel non acquiratur lucrum ob factum iniuſtum, culpam, vel moram alterius ſit tanti ex communi vſu fori compenſabile; intereſſe conuentionale illud eſt, quod ex conuentione mutua contrahentium ſtatutum eſt, adeo vt ex vi eiuſdem conuentionis tantum debeatur, ſi contractus celebratus eſt, vel compenſetur æquale, ſi ex defectu vnius idem contractus adimpletus nõ eſt; Intereſſe ſingulare eſt æſtimatio vtilitatis ſingularis conſequendæ, ſi contractus ponatur, vel compenſandæ, ſi ob actionem iniuſtam alterius non ponatur, cuius exemplum affert *Rebuffus in d. l. vnica in gloſ. 1. num. 87., & 88. C. de ſententia, quæ pro eo* in eo, qui alteri vendit ſuum librum plenum apoſtillis, & remiſſionibus, qui certè non eſt ſolùm æſtimandus ſecundum communem valorem, ſed etiam ſecundum priuatam Domini vtilitatem.

Quid ſit intereſſe cõmune, conuentionale, & ſingulare.

Quibus ſuppoſitis; Ad difficultatem reſpondeo, ſi in celebratione primi contractus facta fuerit aliqua conuentio, quod campſarius in defectum ſolutionis tempore conuento teneatur aliquod determinatum ſoluere, & hoc ſiue lucrum ceſſauerit, ſiue non, & in hoc caſu non poteſt campſor agere ad hoc intereſſe per ea, quæ latè tradidi *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambij I. Pranot. 6. aſſert. 4. num. 4.* ſi verò facta fuerit conuentio, quod ob moram teneatur ad intereſſe incertum, vel damni, vel lucri, prout conſtabit ex euentu futuro tunc poterit agere ad tale intereſſe, prout &c. *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 23. de cambijs dub. 11. num. 90. Scortia teorem. 308. Filliutius c. 11. n. 48.* ſed quoad hoc reducitur intereſſe, vel ad commune, vel ad ſingulare. Quid 13
enim eſt conuenire de intereſſe incerto, prout rei probabit euentus, quam conuenire de lucro ceſſante, vel damno emergente? Si verò quoad intereſſe nulla facta fuerit conuentio, nec quoad certum, nec quoad incertum modo mox explicato poteſt agere, vel ad intereſſe commune, vel etiam ad ſingulare. Ratio eſt, quia creditor, ſi pecuniam per campſarium recepiſſet, eamque in negotiationem cambiorum cõtuliſſet, conſequutus fuiſſet intereſſe, vel ſecundum eam quantitatem, ſecundum quam ex vſu fori alij ſimilis conditionis conſequuntur, vel ſecundum eam, quam ex propria induſtria attentis circumſtantijs moralitèr fuiſſet conſecuturus, ergo in defectum reſtitutionis tempore opportuno, ob quem non potuit pecuniam in negotiationem conferre, poterit ad intereſſe agere ſecundum quantitatem, vel ex vſu fori, vel ex propria induſtria, adeòque, vel ad commune, vel ad ſingulare; vnuſquiſque enim poteſt ea commoda percipere ab altero, ob cuius culpam non contrahit, quæ potuiſſet percipere, ſi contraxiſſet. Dixi, *vel ad commune, vel ad ſingulare* ſub diſiuncto, quia vtrumque ſimul non poteſt percipere, cæteroqui plus acquireret, quam deperderet ex alterius culpa.

Poteſt agere ad intereſſe commune, & ſingulare.

Poteſt ad vtrumq; agere ſub diſiuncto, non copulatiuè.

Assertio II. Proteſtatio ità neceſſaria eſt, vt ſi creditor illam non adhi- 14
beat, amittat ius ad lucrum, & ad intereſſe

tereſse vſque ad integram ſolutionem. Ità *Rota Genuenſis deciſ. 8. in cauſa Bartholomæi nu. 19., Scaccia §. 7. gloſ. 5. nu. 4.* qui teſtatur de communi conſuetudine vbique recepta per ea, quæ nos tradidimus ſupra *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs I. in Diſquiſit. §. 25. num. 2.*

Proteſtatio inducta eſt ad euitandũ dolum, & ad tollendas præſumptiones.

Probatur ex diſpoſitione iuris, vel ex communi conſuetudine habente vim legis ſtatuente hanc proteſtationem tùm ad euitandum dolum, qui ſubeſse poſset, tùm ad tollendam præſumptionem in debitore, quá poſset ſibi ſuadere, literas per ſe ipſum datas eſse perſolutas, tùm ad eum finem, vt habeant executionem paratam, quæ non concederetur, ſi literæ non eſsent proteſtatæ, ergo &c.

Dices, intereſse cambiorum exigi etiam poteſt, quamuis lucrum, quod ceſsat, non ſit notificatum debitori, eo quià, vt ſupra diximus, lucrum non ceſſat ex negatione denuntiationis, ſed ex mora eiuſdem debitoris in ſoluendo, ſed etiam quandò literæ proteſtatæ non ſunt, lucrum non ceſſat ex defectu proteſtationis, ſed ex non ſolutione poſita, ergo etiam illis non proteſtatis poterit intereſſe exigi vſque ad integram ſolutionem. Sed contrà. Diſparitas quoad notificationem intereſse ceſſantis, & quoad proteſtationem literarum non acceptarum conſiſtit in eo, quod notificatio eſt ſolummodò ad id, quod debitor ſcit, vel tenetur ſcire, proteſtatio autem eſt in ordine ad id, quod debitor non tenetur ſcire, vndè iura diſpoſuerunt tanquam formam pro notificatione qualificata ipſam proteſtationem. Deindè in non notificatione illa quis dolus poteſt ſubeſſe? Certè ipſe debitor præſumere poteſt, quod, ſi non ſoluat tempore debito, intereſse creditori ceſsabit, cum ſit ſolitus negotiari; in defectu autem proteſtationis poteſt ſubeſse dolus in damnum debitoris, quatenus creditor poteſt literas non præſentare ad effectum poſteà exigendi lucrum poſt multum temporis. Porrò ex diſpoſitione iuris, vel ex cõmuni conſuetudine inducta eſt proteſtatio ad conſtituendum debitorem in mora, non ſic autem illa notificatio, cum dies ſolutionis interpellet pro ipſa ſolutione. Tandem iura municipalia locorum, & communis praxis vbique recepta hoc obtinuere, quod requiratur tanquam forma ſaltem extrinſeca proteſtatio, nullibi autem reperitur, quod vel de iure, vel ex conſuetudine requiratur illa notificatio.

Diſparitas quoad notificationẽ intereſſe ceſſantis, & quoad proteſtationem literarũ non acceptarũ.

In non notificatione nullius dolus ſubeſſe poteſt.

Assertio III. Idem non eſt literas redire cum proteſtatione, ac redire inanes. *Scaccia tract. de commert. §. 7. gloſ. 2. num. 12.* 15

Probatur, & explicatur; literas redire cum proteſtatione tunc eſt, quandò mandatarius debitoris literas non acceptat, vel non ſoluit tempore conuento, vel ob impotentiam, eo quia vergat in decoctionem, vel quia cum poſſit, non vult ſoluere; ex quo mandatarius creditoris mouetur ad proteſtandum contrà debitorem de intereſſe, damnis, & impenſis, & deindè remittit eaſdem literas cum proteſtatione ad creditorem, vi cuius proteſtationis hic poteſt agere ad idem intereſſe, ad compenſationem damnorum &c. Literas verò redire inanes tunc eſt, quandò non acceptantur in loco ſolutionis, nec ſoluuntur, & redeunt ad locum, vndè proceſſerant ſine vllo fructu, ſeu iure ad conſequendum intereſſe, damnorum reparationem &c. Quibus poſitis ſic argumentor. Literas redire cum pleno iure ad conſequendum intereſſe, & lucrum, & redire ſine tali iure ſunt omninò quid diuerſum, ſed quandò redeunt cum proteſtatione redeunt cum illo iure conſequendi intereſſe, quandò redeunt inanes, redeunt ſine illo iure, ergo &c.

Quandò redeunt cum proteſtatione redeũt cum pleno iure ad intereſſe, quãdò redeũt inanes, redeunt ſine illo.

16 Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an literæ poſſint redire cum proteſtatione, quando mandatarius, ad quem literæ diriguntur, eas non acceptat, nec ſoluit, alius tamen ab ipſo ſine ordine ad eas acceptat, & ſoluit. Breuitèr occurro cum reſponſione negatiua. Ratio eſt, quià creditor non habet ius, niſi, vt ſibi debitum ſoluatur in loco conuento ſolutionis, ergo poſita ſolutione ex vi literarum, vel per vnum, vel per alium ſibi facta non habet amplius ius ad exigendum aliquod pro intereſſe illius ſolutionis non poſitæ, adeòque inutilis videtur proteſtatio. Sed de ijs infrà vberius.

Creditor non habet ius, niſi vt creditum ſoluatur in loco conuento ad ſolutionem.

17 Secunda difficultas eſt in explicando, cui damnum inferatur, ſi mandatarius creditoris non proteſtatur, quandò literæ, vel non acceptantur, vel non ſoluuntur. Breuitèr reſpondeo, damnum pertinere, ſeu inferri ipſi mandatario non proteſtanti. Ità ſtatuitur in iuribus municipalibus Genuæ *lib. 4. c. 15., Scaccia §. 2. gloſ. 5. num. 318. & 319.* Ratio eſſe poteſt primò, quià obligatus ex ſuo munere ad aliquod præſtandum, id non præſtat, ſi ex omiſſione talis muneris ſequatur aliquod damnum tertio, verſus quem obli-

Digitized by Google

obligatur, tenetur ad compenſandum tale damnum eidem, ſiquidem qui cauſa damni eſt damnum dediſſe videtur, ſed mandatarius campſoris ex proprio munere, quod aſſumpſit Procuratoris creditoris tenetur ad proteſtandum contrà moroſum debitorem, vel non acceptatorem literarum, ergo, ſi omittat proteſtari, & ex tali omiſſione creditor non conſequatur illud intereſſe, quod conſequeretur poſita proteſtatione, tenebitur ad illud compenſandum. Secundò, certum eſt creditorem non debere priuari ſine ſua culpa illo iure, quod acquirit ex vi celebrationis contractus, ergo in illo debet compenſari; non à debitore, qui non tenetur, niſi poſita proteſtatione, & certioratione, ſine qua eſt excuſandus, cum poſſit præſumere literas eſſe acceptatas, & ſolutas, hæcque rationabilis præſumptio excuſat à mora, ergo ab ipſo mandatario non proteſtante &c.

Obligatus ex munere ad aliquid præſtandum, ſi nõ præſtet, tenetur ad damna ob non adimpletum munus.

Rationabilis præſumptio excuſat à mora.

Assertio IV. Iuxtà diuerſa cambia, quæ poſſunt fieri, vel in nundinis, vel extra nundinas, vel cum recambijs, ſeu cambijs *con la ricorſa*, vel ſine illis variæ eſſe poſſunt proteſtationum formulæ, quas per extenſum in particulari refero.

18 Prima ſit pro cambijs, quæ fiunt in nundinis. *Al nome di Dio, l'anno 1678. correndo l'indittione duodecima il dì 15. di Nouembre, conſtituito alla preſenza di me N.N. Notaro, & Cancelliero infraſcritto, e di teſtimonij ſotto nominati, Antonio dimanda pagamento à Pietro di ſcudi cento d'oro di marche per lettere di Roma di Franceſco, riſponde non volerli pagare, la qual riſpoſta fatta detto Antonio per ogni meglior modo, ragione, via, e forma, per le quali meglio hà potuto, e può, ſolẽnamente, e debitamente hà proteſtato, e proteſta contro detto Franceſco, e qualſiuoglia ſuoi beni, e contro tutti coloro, quali per detto cambio, e debito foſſero obligati, & altri, à quali ſpetta, & appartiene queſto cambio, e debito, e che poteſſe ſpettare, & appartenere così al preſente, come in l'auuenire di tutti li danni, & intereſſi, miſſioni, cambij, recambij, ſpeſe fatte, e da farſi in l'auuenire per detto Antonio per non eſſerli ſtata pagata detta partita pendente la fiera de Santi fatta nella preſente Città di Milano, e pigliare detta partita à ſpeſe, e danni, & intereſſi di detto Franceſco, ò d'altri, à quali detto cambio, ò debito apparteneſſe, ò poteſſe appartenere in qualſiuoglia modo in l'auuenire à cambio, ò recambio, ò per Roma, ò in qualſiuoglia parte del Mondo, delle quali coſe detto Antonio hà richieſto me già detto Notaro, & Cancelliero, che gliene facci publico inſtromento, il quale li hò dato ſotto queſta forma fatto nella detta Città di Milano l'anno, indittione, meſe, e giorno predetti preſenti Nicolao Lombardo, e Fabiano Piſtori teſtimonij chiamati.*

Formula proteſtationum nundinalium.

Qua poſita proteſtatione Antonius remittit ad creditorem literas cum eadem, &, ſi aliam pecuniam pro illa non ſoluta accipit ad cambium pro alijs nundinis etiam notificat, vt per creditorem poſſit exigi intereſſe de eadem. Vt autem innoteſcat, quodnam, vel quantum intereſſe poſſit exigere ex non ſolutione, exigit à mediatoribus nundinarum fidem de quantitate lucri, quod in eiſdem exactum eſt, vt ad proportionem intereſſe pro tali determinato cambio poſſit computari. 19

Præſtita proteſtatione, quod ſit agendũ.

Secunda formula de cambijs, quæ fiunt extrà nundinas eadem eſſe poteſt, quæ mox poſita variatis dumtaxat ijs, quæ ſpectant, vel non ſpectant ad nundinas, vndè, vbi in ſuperiori dicitur *per non eſſerli ſtata pagata detta partita pendente la fiera de Santi fatta nella preſente Città di Milano* hic dicendum *per non eſſere ſtate accettate le lettere, ò pagate dentro al tempo conuenuto, ò per eſſere fallito quello, che doueua contribuire il danaro auanti la preſentatione, ò accettatione di dette lettere*; in reliquis eadem ſeruanda ſunt. 20

In proteſtationibus extra nundinas nonnulla mutanda.

Tertia formula de cambijs *con la ricorſa* eadem etiam eſſe poteſt cum prima, cum hoc tamen diſcrimine, quod in illa dicitur, quod reſpondens creditoris literas præſentat reſponſali debitoris, & ab eodem exigat creditum, & deindè proteſtetur contrà principalem debitorem, in hac dicendum eſt eundemmet campſorem, ſeu creditorem, vel eius agentem ſibi ipſi præſentare literas, & à ſe ipſo requirere, an velit eas acceptare, ſibique reſpondere, an non, quod ſi nolit, proteſtationem faciet contrà debitorem principalem, qui literas dederat; vndè, ſi ibi dicitur *Antonio dimanda pagamento à Pietro di ſcudi cento d'oro di marche per lettere di Roma da Franceſco, riſponde non volerli pagare, la qual riſpoſta fatta detto Antonio per ogni meglior modo &c. hà proteſtato, e proteſta contro detto Franceſco &c.*, hic mutatis terminis dicendum erit *Antonio dimanda pagamento à ſe ſteſſo di ſcudi cento d'oro di marche per lettera di Roma da Franceſco, riſponde non volerli pagare &c.* in reliquis eandem formulam ſerua, ac in præcedenti, & ſucceſſiuè ea, quæ ſubduntur *in verſ.* 21

Formula proteſtationum in cambijs *con la ricorſa*.

qua

qua poſita proteſtatione.

De iure communi ſufficit non acceptatio ad poſſe proteſtari.

22 Hic oritur difficultas, an poſita ſolummodò reſponſione procuratoris, ſeu agentis debitoris, quod nolit literas acceptare, vel ſoluere, poſſit creditor, vel eius Procurator immediatè proteſtationem contrà principalem debitorem facere, an vero requiratur, quid aliud. Reſpondeo regularitèr aliud non prærequiri, niſi in aliquarum regionum ſtatutis, vel iuribus municipalibus aliquod ſancitum reperiatur, de quibus viderint illi, qui in eiſdem contrahere debent. Nobis ſufficiat ea attingere, quæ de iure communi, vel ex communi praxi regularitèr obſeruari ſolent.

Romæ executio conceditur ad formam Cameræ.

23 Succeſſiuè alia ſuboritur difficultas in inquirendo, quid peragendum ſit pro executione literarum, quando redeunt cum proteſtatione. Iuxtà diuerſas regiones diuerſus ordo in huiuſmodi executione literarum ſeruatur. Romæ literis cambij redeuntibus cum proteſtatione alitèr non conceditur executio, ac concedatur alijs obligationibus formæ Cameræ, prout notat *Scaccia §. 7. gl. 2. ſub nu. 5. verſ. at hic in Vrbe*. Bononiæ redeuntibus literis cum proteſtatione immediatè ſine vlla præuia intimatione, ſeu citatione facta debitori conceditur earundem executio, vt in capitulis cambiorum eiuſdem Ciuitatis approbatis à Pio V. in ſua conſtitut. ad inſtantiam Mercatorum Bononienſium edita ſub die 25. Nouembris 1559. quæ incipit, *ex debito Paſtoralis offitij*. Ibi, *quanto alle liti, e queſtioni, che per conto di detti cambij potrebbono accadere, ſe alcuna lettera di cambio fatta in Bologna ritornarà di qualſiuoglia luogo ricuſata, ò non pagata con il proteſto; il creditore, in mano del quale ritornarà detta lettera, debba preſentarſi innanzi al Giudice, & Conſole del foro della Mercantia, ſe all' hora vi ſi troueranno, altrimente innanzi ad vno de' Notarij di detto foro, e dimandare l'eſſecutione di tale lettera contra quelli, che l'hauranno fatta. I quali Giudici, ò Conſoli, ouero il detto Notaro ſenz' altra intimatione, ò citatione in continenti debbano dargli la detta eſſecutione, & poſſa il creditore con vno de meſſi della corte andare di ſubito alla caſa del debitore, e fare l'eſſecutione de' ſuoi beni per aſſecuratione d'eſſo creditore per quella ſomma, che canterà la lettera di cambio, e per le ſpeſe, danni, & intereſſi ad arbitrio del Giudice, e Conſole*.

Bononiæ conceditur ſine præuia intimatione.

Genuæ diuerſimodè proceditur in executione, & quomodò.

Genuæ alitèr proceditur in executione huiuſmodi literarum redeuntium cum proteſtatione, quandòquidem, antequam concedatur executio, præmittitur præceptum debitori de mandato DD. Auditorum Rotæ executiuæ Genuæ, vt termino vigintiquatuor horarum debeat perſoluiſſe, alitèr immediatè conceditur licentia expedita, prout habetur in ſtatutis *Genuenſibus lib. 2. c. 4.* vbi adeſt rubrica de cauſis breuioribus; huiuſmodi autem terminus potiſſimũ conceditur, vt compareat ad recognoſcendum cum iuramento, an dictæ literæ ſint ſcriptæ, vel ſubſcriptæ eius manu, &, ſi comparuerit, & recognouerit, immediatè conceditur licentia expedita; ſi non comparuerit, & non recognouerit, habentur, & pronuntiantur pro recognitis, & ſic expeditur executio; ſi verò intrà terminum præfixum comparuerit, ſed negauerit literas manu ſua ſcriptas, vel ſubſcriptas eſſe, tunc per creditorem faciendæ ſunt probationes efformato articulo ſuper literas, & iuxtà, quod ex dictis teſtium, vel probationibus alijs emerget, debitor liberabitur, vel condemnabitur quoad executionem.

Aſſertio V. Soluere literas ſuper proteſtu nihil aliud eſt, quam eum, ad 24
quem literæ diriguntur, nolle acceptare mandatum, vi cuius ipſi imponitur à ſcribente, vt ſoluat enuntiatam ſummam in literis, & ponat tanquam debitorem alium ab ipſo ſcribente, vndè ſuper hoc proteſtatur, ſed velle tantum per modum tertiæ perſonæ ſoluere eas in honore dictarum literarum, & habere ſolùm obligatum ſcribentem, non eum, quem ſcribens vult delegare *Rota Genuenſis dec. 6. num. 7., & 8. item deciſ. 23., Antonius Carcaſola init., & n. 16. in fine*. Aſſertio non indiget probatione, ſed tantumodò clariori explicatione, quam in particularibus terminis propono.

Explicatur modus in particulari quo ſoluuntur literæ ſuper proteſtu.

Titius accepta pecunia, puta centum nummis aureis titulo cambij à Theodorico hic Mediolani, reſtituenda Romæ tempore conuento literas ſuas dat, & dirigit ad Antonium ſuum reſponſalem, quibus imponit, vt dictos centũ nummos aureos ſoluat eidem Theodorico, vel eius reſpondenti, & conſtituat debitorem pro tali ſumma, quam ſoluet, Sempronium. Literas ſibi præſentatas non acceptat Antonius ſub eo onere, vt conſtituatur debitor Sempronius, ſed tantum cum proteſtatione, quod ſoluit, & acceptat in honore literarum dicti Titij, ſicque per talem ſolutionem non obligat Sempronium, ſed obligatum retinet eundem Titium, in cuius honorem, & venerationem ſol-

V uit,

uit, & per hoc dicitur, quod literas ſoluerit ſuper proteſtu.

25 Ex hoc modo ſoluendi ſuper proteſtu multæ ſuboriuntur difficultates, quas hic congero, & diluo.

Prima eſt, an non acceptans mandatum, ſed tantum ſoluens literas ſuper proteſtu acquirat actionem negotiorum geſtorum in ordine ad mandantem.

Secunda, an in hac hypotheſi non ſolum acquirat actionem negotiorum geſtorum, ſed etiam actionem mandati.

Tertia, an ſoluens ſuper proteſtu non acceptando mandatum in ordine ad ponendum alium pro debitore, nec acceptando literas *d'auiſo* illius, qui ex ordine mandantis conſtituendus erat debitor, cum ex alio capite hic, qui erat conſtituendus debitor, remittat alias pecunias eidem mandatario, an, inquã, ſic ſoluens, & non acceptans, licitè, & iuſtè operetur, an iniquè, quod eſt idem, ac quærere, an licitè poſſit ſeruare ordinem illius, qui conſtituendus eſt debitor in recipiendo eius pecuniam, & ſpernere ordinem in ſoluendo pro ipſo.

Quarta, an recuſante mandatario acceptare literas, & ſoluere, poſſit etiã alius ab ipſo in honorem literarum eaſdem ſoluere ſuper proteſtu, & eaſdem actiones acquirere, quas acquireret ipſe mandatarius, ſi ſolueret ſuper eodem proteſtu.

Quinta, an acquirens ex ſolutione literarum ſuper proteſtu actionem illam vtilem poſſit eandem in alios reflectere, ſeu alijs cedere.

Sexta, an ſolutio præſumatur facta ſuper proteſtu, quandò mandatarius in dorſo literarum ſcribit *acceptata ſuper proteſtum*, & poſteà in ſolutione proteſtationem non repetit.

Septima, an in ſolutione ſuper proteſtu eædem requirantur ſolemnitates, quæ requiruntur in ſimplicibus proteſtationibus, quæ fiunt per creditores; ſeu per reſpondentes creditorum, quandò literæ ſimplicitèr non acceptantur.

Octaua, an ſoluens ſuper proteſtu teneatur pro tracta, quam ſoluit, ſibi prouidere pro eodem loco, vnde tracta proceſſit.

Nona, in explicando, quinam ordo ſeruandus ſit in ſolutione huiuſmodi literarum, quandò mandatarius non vult ſoluere, niſi ſuper proteſtu.

Decima, an ſoluens ſuper proteſtu non ſolùm obligatum retineat eum, cuius nomine ſoluit, ſed etiam illum; cui ſoluit.

Accedamus iam ad diluendam primam, pro qua dicendum eſt, ſoluen- 26
tem ſuper proteſtu modo explicato iuſtè acquirere actionem vtilem negotiorum geſtorum reſpectu eius, in cuius honorem ſoluit. *Rota Genuenſis deciſ. 19. ſub num. 4. verſ. ex quibus remanet*. Ratio in promptu eſt, quià mandatarius per talem ſolutionem ſuper proteſtu optimè conſulit negotijs mandantis, eiuſque indemnitati prouidet, cumque ſoluendo liberat à ſuo creditore, quæ, ſi non præſtaret, in maximum vergeret præiudicium eiuſdem, cum amplius ipſius literis fides non adhiberetur, ſed hoc eſt benè gerere illius negotium, ergo &c. ſed qui benè gerit alterius negotium, acquirit contra eum actionem negotiorum geſtorum, *Rota Genuenſis*

Conſulit negotijs mandantis, eiuſq; indemnitati.

deciſ. 32. in fine principij, ergo &c. Dein- 27
dè, ſi ipſe non ſolueret ſuper proteſtu, literæ redirent proteſtatæ cum verecundia dantis, & ſcribentis, ergo &c. Quod, ſi inquiras, in quonam conſiſtat hæc actio negotiorum geſtorum. Reſpondeo in eo conſiſtere, quod, ſi geſtor aliquid in alterius negotijs impenderit, vel ſe alicui obligauerit propter alterum licet ignorantem, habeat ius, vt ſibi tantundem reſtituatur *l. ſi quis abſentis ff. de negot. geſt.* & quidquid eo nomine eidem geſtori abeſt, vel abfuturum eſt *d. l. ſi quis abſentis in fine*, quæ etiam verificantur quoad expenſas, quæ fiunt ob honores eius, cuius negotium geritur *l. quæ vtiliter ff. eod. tit.*; neque dicas, hoc ius mandatarium non poſſe acquirere, quià per mandantem hoc onus eidem impoſitum non eſt; contrà enim impugnaberis, quià actio negotiorum geſtorum competit geſtori ſoluenti pecuniam nomine alterius, etiam ſi debitor nihil eidem mandauerit *l. cum pecuniam ff. de eod. tit.* & naturalis ſimul, & ciuilis ratio ſuadet, alienam conditionem meliorem quidem, etiam ignorantis, & inuiti quemque facere poſſe, deteriorem non poſſe *l. ſolummodò ff. eod. tit.* quinimmò hæc actio conceditur geſtori non ſolùm, ſi effectum habuit negotium, ſed etiam ſi vtiliter cæpit, etiam ſi effectum non habuerit idem negotium *l. ſed non vltrò §. is autem ff. eod. tit.* Quod ſi vlterius vrgeas, Antonium non poſſe habere actionem negotiorum geſtorum, quia non obſeruat mandatum præcipientis; contrà adhuc impugnaberis, quia mandatum non tenetur ſuſcipere, adeòque nec obſeruare *l. ſi mandauero §. vltimo ff. man-*

Actio negotiorũ geſtorũ, in quo conſiſtat.

Ciuilis, & naturalis ratio ſuadet, vt aliena conditio melior fiat, non deterior.

Digitized by Google

ff. mandati; quandoquidem mandatum nullum eſt, niſi ſit gratuitum, quia oritur ex officio, ſeu amicitia *l. 1. ff. eod. tit.* vndè in hoc caſu non agit, vt mandatarius, cum contrà mandatum expreſsè proteſtatus fuerit, ſed vt negotiorum geſtor præcisè, ex quo ruit id, quod nonnulli aſſerunt, nempè euinci Antonium acceptaſſe mandatum cum diuiſione, dum ſecundum vnam partem adimpleuit ſoluendo, non ſecundum alteram non conſtituendo Sempronium debitorem pro tali ſumma; ruit, inquam, nam ſub nulla ratione mandatum recipit, cum contra illud proteſtetur, ſed quidquid agit, agit ſub alio reſpectu, ſub quo etiam ageret, ſi mandatum non habuiſſet.

Non agit, vt mandatarius, cum contrà mandatum proteſtatus fuerit.

28 Ad ſecundam *Rota Genuenſis deciſ. 19. ſub num. 4. verſ. ex quibus remanet* in hac hypotheſi ſolutionis ſuper proteſtu concedit non ſolùm actionem negotiorum geſtorum ad repetendum quidquid ſolutum eſt, ſed etiam actionem mandati. Sed contrarium abſolutè tenendum eſt, *Scaccia §. 2. gl. 5. nu. 376.* qui tamen non conſequentèr loquitur in probatione; aſſerit enim in hac hypotheſi non eſſe duo mandata, ſed vnum, ſeu haberi pro vno, quia in mandatis factis eodem tempore, & cum quadam connexione hoc inditum eſt, vt mandatarius teneatur omnia indiuiſibilitèr ſeruare, ex quo videtur innuere, ex illis non eſſe concedendam illam duplicem actionem. Sed debuiſſet Scaccia aduertere ad ea, quæ ſuperius dixerat *ſub num. 366. verſ. primò hoc eſſe verum*, per quæ aſſerit in hoc caſu non eſſe vnum mandatum indiuiſibile, ſed duo, vel ſi vnum eſſe abſolutè diuiſibile. Quomodò iam ea in vnum congerit? Probatur iam aſſertum ad hominem contrà Rotam Genuenſem loco præallegato. Ex eadem Rota *deciſ. 23., Antonius Carcaſola ſub num. 17.* ſoluens ſuper proteſtu de mandatario fit negotiorum geſtor, ergo non amplius gerit vices mandatarij, adeòque nec aquirit actionem mandati. Conſequentia probatur, quia quandò ex vno fit alterum non remanet amplius illud vnum ſecundum ſuum eſſe, quod prius habebat, ſic dum ex ligno fit ignis non remanet amplius lignum, ergo dum ex mandatario fit negotiorum geſtor non remanet amplius mandatarius; neque dicas, hæc vera eſſe dumtaxat, quandò illud vnum, ex quo fit alterum, ſimul non poteſt compati cum eodem, vt in exemplo allato de ligno ex quo fit ignis, non quandò illa duo ſimul ſe compatiuntur, vt in caſu noſtro; non enim eſt aliqua repugnantia, quin idem ſimul, & ſemel poſſit eſſe mandatarius, & negotiorum geſtor; contrà enim impugnaberis primò, quia dato etiam, quod in ordine ad idem opus, ſeu eandem actionem poſſit quis ſimul eſſe mandatarius, & negotiorum geſtor, non tamen poteſt in rigore dici, quod ex vno fiat alterum, ſi remaneat ſecundum ſuum eſſe, quod prius habebat, nec debemus declinare à proprietate ſermonis, ſi nullam habet oppoſitionem cum aliquo iure; verba enim non ſunt deflectenda à propria ſignificatione, niſi diſſonantia ad ius aliter ſuaderet. Secundò, quia propriè non dicitur negotiorum geſtor, niſi qui eſt ſine mandato *Spec. de inſtru. edi. §. 14. verſ. ad primum*, vbi dicitur quod executor teſtamentarius non poteſt eſſe negotiorum geſtor, quia eſt cum mandato. Probatur ſecundo directè. Non poteſt quis gaudere actione propter aliquod munus, contrà quod expreſsè proteſtatur, quodque manifeſtè impugnat, ſed ſoluens ſuper proteſtu manifeſtè recuſat mandatum, contra quod proteſtatur, ſe nolle vigore eiuſdem ſoluere, ergo non poteſt ex illo actionem acquirere, adeòque nec agere vigore mandati. Maior probatur, quia nullus poteſt ex actione lucrum quærere, vi cuius non agit, immò ab eadem expreſsè refugit.

Arguitur Scaccia inconſequentiæ.

Non videtur quis ſimul poſſe eſſe in ordine ad eandem actionem negotiorum geſtor, & mandatarius.

29 Ad tertiam, ex ſuppoſitione quod ille, quem mandans imponit mandatario conſtitui debitorem de illa ſumma, quam ſcribit, remittat, ſeu remiſſerit alias pecunias eidem mandatario, quas hic acceptarit, & ille poſſit dici reſpectu ipſarum creditor, dicendum eſt, quod mandatarius habitis ab ipſo literis *d'auiſo* iuſte, & congruè non poſſit ſpernere illius ordinem in ſoluendo, dum obſeruat in recipiendo, adeòque quod non poſſit in illo ſenſu literas ſoluere ſuper proteſtu. Duplici potiſſimum ratione moueor ad hoc aſſertum; primò, quia depoſitarius pecuniæ alienæ, & vices gerens domini illius pecuniæ tenetur ex vi muneris illam ſoluere cuicunque idem Dominus per expreſſum mandatum diſpoſuerit eſſe ſoluendam, ſed ille mandatarius ex eo, quod recipiat, vel receperit pecuniam ad ſe remiſſam de mandato illius, qui modò ſcribit literas illas *d'auiſo*, conſtituitur, vel conſtitutus eſt depoſitarius eiuſdem, ergo ex vi illarum literarum tenetur illas ſimplicitèr ſoluere, illumque pro illa ſumma debito-

Depoſitarius pecuniæ alienæ tenetur ex vi muneris illam conferre cuicunq; dominus voluerit.

Digitized by Google

bitorem conſtituere, & poſteà, vel ſimul compenſare cum credito, quod habet. Confirmatur, quià acceptando pecuniam, quæ ad ſe remittitur tanquam ad mandatarium, per illum actum acceptationis facto acceptat mandatum, ergo ex vi eiuſdem obligabitur ad reſtituendam pecuniam ei, cui mandans diſpoſuerit ſolui, ſiquidem acceptando mandatum ſe conſtituit fidelem adminiſtratorem bonorum illius, vt ea diſpenſet, iuxtà quod ille diſponit. Secundò, quià, ſi iuſte poteſt ſeruare ordinem mandantis in recipiendo pecuniam ad ſe remiſſam ab illo, & non ſeruare in ſoluendo, fides mercatorum corrueret, commertia proſternerentur, nec vllus, quamuis creditor, ius haberet, ſibique fideret trahendi in ſuos reſponſales aliquam ſummam, cum ſemper anxius eſſe poſſet, quod illi non eſſent ſoluturi, vnde ex ijs, & ſimilibus per ſtatuta Genuenſia *lib. 4. c. 14. §. & ſi quis faceret* ſtatutum eſt, vt ſi quis mandantis habeat pecuniam, & per hunc ad ipſum aliqua ſumma trahatur, teneatur illius ordinem ſeruare ſuper illa tracta.

Si poſſet ſeruare ordinem, in recipiendo, & non in ſoluendo fides mercatorum corrueret.

30 Ad quartam aſſerendum eſt, recuſante mandatario acceptare literas, & ſoluere, poſſe quemcunque alium in honorem earundem literarum eas ſoluere ſuper proteſtu, per quod eaſdem actiones acquireret, quas acquireret idem mandatarius, ſi ſuper eodem proteſtu perſolueret. Ratio eſſe poteſt, quia ex ſuperius dictis poteſt quis ſoluere pecuniam nomine alterius, ſi hoc redundet in ipſius vtilitatem, etiam ſi ille, cuius nomine ſoluit, nihil ipſi ſoluenti mandauerit *l. cum pecuniam ff. de negot.* ſed ſoluere ſuper proteſtu literas maximam redundat in vtilitatem ſcribentis, non ſoluere maximum in ipſius dedecus, eo quia literæ redirent proteſtatæ cum ipſius verecundia, ergo poteſt quicunque ſoluere ſuper proteſtu in honorem literarum alterius, vndè iure merito in capitulis editis pro nundinis Genuenſibus num. 35. ſtatutum eſt, *che ſia lecito à qualſiuoglia pagar ſopra preteſto, & in l ſoluendo ff. de neg. geſt.* habetur quod *naturalis ſimul, & ciuilis ratio ſuadet alienam conditionem meliorem quidem etiam ignorantis, & inuiti quemque facere poſſe*, vt dictum eſt ſuprà. Quibus poſitis ſic argumentor. Negotiorum geſtor ex diſpoſitione iuris habet, qua talis ſimpliciter eſt, actionem negotiorum geſtorum, ergo cuicunq; competit eſſe negotiorum alienorum geſtorem, competit etiam actio, ſed ſoluere ſuper proteſtu in honorem alterius eſt vtiliter gerere ipſius negotium, ergo ex tali ſolutione acquiret ſoluens actionem negotiornm geſtorum. Deindè vbi eſt eadem omninò ratio, ibi eſt idem omninò ius *l. à Titio in fin. ff. de verb. oblig. l. illud ff. ad l. Aquil. gloſ. fin. inſtit., qui, & ex qui cau. mar. non poſ.* ſed pro alio ſoluente literas mandantis ſuper proteſtu in fauorem eiuſdem mandantis, & ſcribentis militat eadem ratio, quæ militaret pro mandatario, ſi hic eaſdem ſolueret ſuper proteſtu, ergo &c. Minor probatur, quia tota ratio habendi rationem negotiorum geſtorum in mandatario, eſt, quia ſoluendo ſuper proteſtu vtiliter gerit negotium mandantis conſulendo eiuſdem indemnitati, ſed hoc idem præſtat alius ab ipſo, ergo &c. Neque obſtat, quod ipſe habeat ſpecialem rationem hoc munus peragendi ex diſpoſitione mandantis ex vi ſcilicet mandati, quam rationem non habet alius ab ipſo; non obſtat, inquam, tum quià mandatarius non ſoluit vigore mandati, cum contrà ipſum expreſſe proteſtetur, tum quia poteſt quis eſſe geſtor negotiorum alterius ſine mandato, nec propterea amittit actionem mandati ex allegatis iuribus; tum quia tandem habere mandatum ſoluendi non tribuit maiorem actionem, ſed ſolummodò prælationem ad ſoluendum, prout infrà vberius examinabitur.

Si alter ſoluat redundat in vtilitatem mandantis, & ſcribentis.

Mandatarius non ſoluit vigere mandati.

Ad quintam dicendum eſt, mandatarium habentem actionem negotiorũ geſtorum aduerſus mandantem ob ſolutionem literarum eiuſdem ſuper proteſtu, poſſe eandem actionem in alium reflectere, ſeu eidem cedere *Rota Genuenſis decis. 32. cum alias ſub n. 2. & 3.* Ratio eſt, quia actio negotiorum geſtorum nihil aliud eſt, quam ius, quod acquirit geſtor, vt tantum ſibi reſtituatur, quantum per ſe impenſum eſt, & quidquid eo nomine eidem geſtori abeſt, vel abfuturum eſt *l. ſi quis abſentis ff. de negotijs geſtis*, ſed geſtor hoc ius poteſt in alium reflectere, & alteri cedere, ergo &c. Minor probatur, tum quia hoc ius eſt ius omninò reale, non mere perſonale, cum tribuat actionem aduerſus omnia bona illius, aduerſus quem eſt illud ius, ſeu actio, non præcisè aduerſus perſonam, &, quandò etiam eſſet aduerſus perſonam, non eſſet alligatum ad vnum creditorem, ſed poteſt quiſque omnia ſua iura realia, & etiam perſonaliter ſibi non alligata in alium transferre, ergo &c. tum quia poteſt illud creditum, & quidquid ex 31

Eſt ius omninò reale, non merè perſonale.

illo

illo oritur, quod acquiſiuit per ſolutionem ſuper proteſtu per nouas literas ad alterum remittere, vel ad extinguendum debitum cum ipſo contractum, vel ad acquirendum nouum ius aduerſus ipſum, ſed hoc nihil aliud eſt, quam reflectere in alium actionem illam negotiorum geſtorum, ergo &c. Dixi, *iura perſonalia ſibi non alligata*, pro quo aduerte iura perſonalia eſſe in duplici differentia; alia perſonalia ex parte creditoris, alia perſonalia tantũ ex parte debitoris; primi generis ſunt iura, v. g., quæ quis habet ex beneficio Eccleſiaſtico ſibi collato ad annuos redditus, iura fideicommiſſaria, & his ſimilia; Secundi generis ſunt ea omnia, ex quibus obligatur perſona debitoris ad aliquod, & in quibus actio eſt aduerſus perſonam, non aduerſus rem immediatè, cuiuſmodi ſunt omnia illa iura, quæ dicuntur ad rem, non in re; prima non ſunt transferibilia in alium auctoritate poſſidentis, eo quia ſunt ipſi alligata, ſecunda autem transferri poſſunt, nam licet obligent tantum perſonam debitoris, indifferentia tamen ſunt, vt reſpiciant vnum, vel alterum creditorem, cum vna, & eadem perſona poſſit eſſe, vel vni, vel alteri obligata; ex quibus corruunt ea, quæ dixit *Comitolus reſp. mor. lib. 3. quæſt. 15. num. 5. verſ. horum ipſe verborum*, nempè creditum formaliter ſumptum, cum nil aliud dicat, quam ius, ſeu facultatem agendi contrà debitorem, non poſſe diſcedere à creditore; corruunt, inquã, quæ enim repugnantia, quin poſſit quis poteſtatem, quam habet agendi contra alium titulo crediti, in alterum transferre, vel titulo liberæ ceſſionis, vel debiti compenſationis, vel ſolutionis &c. ad extinguendum aliquod onus?

Perſonalia, vel ex parte debitoris, vel ex parte creditoris.

Hæc actio, ſeu facultas non eſt alligata perſonæ, ſed transferibilis.

32 Ad ſextam dicendum eſt, non ſufficere ad hoc, vt literæ habeantur pro acceptatis ſuper proteſtu, quod mandatarius inſcripſerit in dorſo earundem literarum illa verba, *acceptata ſuper proteſtu*, ſed de iure communi requiri, quod huiuſmodi proteſtatio, ſeu acceptatio ſuper proteſtu fiat ſub publica, & authentica forma; de iuribus verò municipalibus peculiarum regionum, vel ex capitulis in eiſdem diſpoſitis, & communi praxi firmatis alia plura requiruntur, prout videre erit in ſingulis, *Scaccia de commerc. §. 2. gloſ. 5. n. 384. 385. 386., & ſeqq.* Quæſtio hæc eſt de facto, ideò in rationibus non immorandum diutius, ſic tamen fit euidens reſponſio. Vbicunque circa proteſtationes in aliquo actionum genere quid ſpeciale ſtatutum non eſt, ſtandum eſt diſponſioni iuris communis quoad proteſtationes in genere ſimplicitèr *c. 1. de cog. feu. Gloſa, & Doctores in c. 1. de gra. ſuc. in feu., Baldus in l. 2. C. de ſuis, & leg.*, *& in l. cum oportet in princip. de bon. quæ lib. Alexander in l. ſi mihi, & Titio de verb. oblig.* ſed de iure communi proteſtatio in genere debet eſſe denuntiatio publicè facta cauſa iuris conſeruandi in futurum, quod ei proteſtanti competit, vel competere poteſt *Cardin. in clem. 1. 13. quæſt. de procur. Vide Bartolum in l. non ſolum §. morte de oper. no. nunt. & Doctores in c. cum M. de conſtit.* ergo, vbi per ſtatuta particularia locorum aliquid ſtatutum non eſt circà proteſtationes cambiorum, vel circà ſolutiones ſuper proteſtu, debent hæc fieri in publica, & autentica forma, præcipuè cum proteſtatio clam facta ab eo, qui palam proteſtari poteſt, non valeat *Bartolus, & Doctores in l. quæ in aliena §. fin. ff. de acquir. hæred., Antonius Butr., & Abbas in c. tua nos de ſponſal. Socin. conſ. 263. vol. 2. conſ. 27. vol. 3., Aym. Crau. conſ. 120. nu. 3. vol. 1.* nec incongrua ſanè ratione hæc ſtatuta ſunt, nam facile irrepere poſſent fraudes ad arbitrium proteſtantis, quibus obuiare voluere iura requirendo publicam, & authenticam formam. Dixi *ex municipalibus iuribus aliquarum regionum longè plura requiri*. Sed quià nimis arduum eſſet ſingula recenſere, quæ in ſingulis regionibus præcipiuntur, ideo ijs omiſſis, cum poſſit vnuſquiſque in illis ſtilum, & praxim recognoſcere, me ſpeciatim ad ſtatuta Genuenſia refero, quæ *lib. 4. cap. 14. §. qui voluerit*, definiunt, vt acceptans literas ſuper proteſtu teneatur intra horas 24. in actis Notarij proteſtari interueniente eo, qui literas præſentauit, & & vltra prædicta teneatur, etiam in ſolutione denuò proteſtari, alitèr hæc acceptatio intelligatur liberè facta, quod etiam fuerat antecedentèr deciſum partibus pro vtraque parte informantibus communi Rotæ Genuenſis voto *deciſ. 6., Ioannes verſus finem ſub num. 20.* Hæc, quæ dicta ſunt ex iuribus municipalibus Genuæ, locum tantum habent in ſolutione ſuper proteſtu facta in Ciuitate, non autem in ſolutione facienda in nundinis, pro qua ſufficit, quod proteſtatio fiat durante illa feria, & notetur in libro Cancellarij, qui poſtea faciat verbum cum eo, cui facta fuit ſolutio, ſic teſtante *Scaccia d. §. 2. gloſ. 5. n. 386. verſ. ſecus in accepta-*

Vbi nil ſtatutum eſt in particulari ſtandum eſt iuri cõmuni.

Quæ ſeruanda ſunt ex ſtatutis Genuẽſibus in acceptationem literarum ſuper proteſtu.

Digitized by Google

ceptatione iuxtà capitula nundinarum Genuenſium nu. 34.

Ad ſeptimam ex mox dictis patet, quid ſit reſpondendum.

33 Ad octauam dicendum eſt, acceptantem literas ſuper proteſtu regularitèr debere ſibi prouidere pro tracta, quam ſoluit pro eodem loco, vndè proceſſit, reflectendo ſimilem tractam in eundem, qui ſibi traxit. Ratio in vniuerſum eſſe poteſt, quià, qui ſoluit ſuper proteſtu, ſoluit vt geſtor negotiorũ reſpectu ſcribentis, vt latè ſupra probauimus, adeòque intelligitur vtilitèr velle, & debere gerere negotium eiuſdem, ſed regularitèr non vtilitèr gereret illius negotium, ſi ſibi prouideret pro alio loco, in quo eſſet difficilis ſolutio reſpectu eiuſdem ſcribentis. Dixi, *regularitèr*, nam, ſi ſibi impoſitum eſſet à mandante, vt pro alio loco de illa ſumma ſibi prouideret, poſſet vtique alibi, ſeu in loco deſtinato ſibi conſulere; addita etiam eſt illa particula, *regularitèr*, nam, ſi ex aliquo capite impediretur ad trahendam illam pecuniam ad ipſum ſcribentem, poſſet non atrahere, teneretur tamen in hoc caſu in tempore debito notitiam dare eidem ſcribenti de ſolutione facta ſuper proteſtu, & de non acceptatione debitoris ſibi ceſſi, ne periculum interim immineat, vt debitor, quem delegauerat, vergat in decoctionem, & fiat impotens ad ſibi ſoluendum, nam hoc non eſſet vtilitèr gerere negotium eiuſdem ſcribentis, ſeu mandantis.

Vtilius gerit negotium mandantis, ſi pro eodem loco ſibi prouideas.

Excipitur tamen in aliquo caſu particulari.

34 Ad nonam, iuxta ſtatuta Genuenſia *lib. 4. c. 14. §. ſi tracta*, dico hunc ordinem ſeruandum eſſe, vt mandatario recuſante ſoluere liberè præferendus ſit ille, qui velit liberè ſoluere, ſecundò, vt nemine volente ſoluere liberè, præferatur ille, qui debet cambium recipere, tertio, vt in defectum iſtius cæteris omnibus præferatur ille, in quem facta fuit tracta. Ratio primæ partis eſt, quia ex præſumpta voluntate ſcribentis ille præferendus eſt, qui vtilius gerit negotium eiuſdem ſcribentis, ſed vtilius gerit negotium eiuſdem ille, qui acceptat liberè, quià adamuſſim obſeruat ipſius mandatum, ergo &c. Ratio ſecundæ partis fundatur præciſè in diſpoſitione illorum ſtatutorum, cæteroqui non video ſpecialem rationem pro ipſo, cum aliud ius non habeat, niſi vt ſibi enuntiata ſumma perſoluatur, & mandatarius ex eo, quod ſibi ſit impoſitum onus ad ſoluendum, cæteris paribus videtur ex voluntate ſcribentis ius habere ad talem ſolutionem.

Ex præſumpta voluntate ſcribẽtis præferendus eſt, qui vtilius ipſius negotium gerit.

35 Ad vltimam dicendum eſt, ſoluentem ſuper proteſtu retinere dumtaxat obligatum eum, qui literas dedit, non eum, cui ſolutionem facit. Ratio in promptu eſt, quia ille, qui recipit pecuniam, recipit non vt debitor, ſed vt creditor, & per talem receptionem non ſubiacet alicui oneri, ſed tantum extinguit ius, quod habebat aduerſus debitorem, cuius nomine fit ipſi ſolutio, ergo ex vi illius receptionis nullo iure obligatur verſus ſoluentem; atque hæc ita vera ſunt, vt etiam in ſolutione facta liberè ex mandato alicuius campſoris recipiens eandem ſolutionem deuinctus non remaneat ſoluenti. Neque obſtat, ſi dicatur, mutuantem mandato alterius ſibi primo obligare mutuatarium, & non niſi mandantem obligatione ſecundaria, actione ſcilicet mandati iuxta *l. ſi literas C. mandati*, non obſtat, inquam, nam mutuatarius non habet aliquod ius, quod extinguat per illud mutuum acceptum, ſed onus reſtituendi aſſumit, ratione cuius obligatur verſus mutuantem, at ille, cui fit ſolutio ex vi cambij ſupponitur creditor, adeòq; ius habere, quod per illam receptionem extinguatur; vndè nõ eſt, cur per illam nouo onere obſtringatur.

Qui recipit pecuniam nõ recipit, vt debitor, ſed vt creditor.

PRÆNOTIO XVI.

An, ſi pro cambio datus ſit fideiuſſor, & campſarius ob moram ſolutionis obligetur ad intereſſe, & ad intereſſe de intereſſe, intelligatur etiam fideiuſſor obligatus ad idem intereſſe ſucceſſiuè, vſque ad integram ſolutionem.

SVMMARIVM.

Si fideiuſſor fuit adiectus dumtaxat pro certa, & determinata ſumma ſortis per campſorem ſolutæ non tenetur in defectum principalis debitoris, niſi ad eandem ſummam, non ad intereſſe. 1.

Si fuerit adiectus in ſecuritatem contractus, & eorum, quæ naturaliter ab ipſo conſequuntur, remanet obligatus, & ad ſortem, & ad intereſſe. 2.

Si fuerit adiectus pro ſecuritate contractus non facta mentione de ijs, quæ ad eundem conſequuntur, nec expreſſa excluſione eorum, ex præſumptione iuris videtur etiam obligatus ad intereſſe. 3.

Fideiuſſor, qui in fauorem recipientis adijcitur contractui, vel adijcitur

Digitized by Google

citur pro certa, & determinata ſumma, pro illa ſcilicet, quæ primò per campſorem ſoluitur, vel per alium in celebratione contractus, vel adijcitur pro ſecuritate contractus, & eorum, quæ ex eodem naturaliter procedunt, & ſubſequuntur, vel adijcitur pro ſecuritate quidem contractus nulla facta mentione de ijs, quæ ad eundem conſequuntur, non tamen expreſſa eorundem excluſione. Porrò contractus, cui adijcitur, vel eſt contractus bonæ fidei, vel ſtricti iuris, de quorum natura in particulari latè locuti ſumus *tom. 1. ſub tit. Contractus l. Prænot. 3. aſſert. 2. n. 6.* quæ ibi recole. Contractum cambij eſſe contractum bonæ fidei latè docet *Scaccia de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampl. 8. n. 287., & ampl. 10. num. 5. 8. 9.* quandòquidem ſuſtinet, cambium reduci ad contractū emptionis, & venditionis *eodem §. 1. quæſt. 4. n. 21. in quarta opinione*, à quo non declinare videtur *Iaſon in §. quadrupli autem in fin. num. 90. inſtit. de act.* Quibus pro claritate ſuppoſitis ſit

Contractus cambij eſt cōtractus bonæ fidei.

ASSERTIO I. Si fideiuſſor fuit adiectus dumtaxat pro certa, & determinata ſumma ſortis per campſorem ſolutæ non tenetur in defectum principalis debitoris, niſi ad eandem ſummam, non autem ad intereſſe. Eſt communis.

1

Probatur primò. Fideiuſſor non ad quid amplius tenetur, quam ad id, ad quod ſe obligauit in fideiuſſione reſtrictiuè, ſed quandò adijcitur contractui pro certa, & determinata ſumma ſortis per campſorem ſolutæ in onere fideiuſſionis aſſumptæ ſe tantum obligauit ad illam ſummam, ergo ad quid amplius non tenetur, adeòque nec ad intereſſe ex illa ſumma. Maior ex ſe patet, tum quia in contractibus onus non imponitur, niſi illud onus neceſſariò ſequatur ex contractu, vel niſi contrahens, cui imponitur onus, conſentiat in ipſum, ſed onus ad intereſſe pro ſorte non neceſſario ſequitur ad fideiuſſionem pro ſorte præciſè, cum poſſit ſine læſione fideiuſſionis quis obligari pro ſorte, & nolle obligari pro intereſſe eiuſdem, & ex eo, quod ſe determinauerit reſtrictiuè ad illam determinatam ſummam ſortis, ſupponitur non conſenſiſſe ad obligationem pro intereſſe, ergo &c. tum quia fideiuſſor ad vnum actum non intelligitur ad alium licet pro eadem perſona, niſi largè ſe obligauerit *Bartolus in l. qui in aliena ff. de acquir. hæred. Gloſ. in l. quod Seruius verſ. poteſt ibi rebus ſic ſtantibus ff. de condi. ob cauſ.* præcipuè cum fideiuſſor non obligetur in plus ex mora principalis *l. 1. de in lit. iur., Bartolus in l. quæro loca, Alexander poſt gloſ. in l. 3. ff. qui ſatisd. cog.* ergo &c.

Fideiuſſio eſt cōtractus ſtricti iuris, nec extenditur vltrà expreſſa.

Fideiuſſor ad vnum actum non intelligitur obligatus ad alterum.

Probatur ſecundò, quia fideiuſſor, qui non ſe ſimplicitèr obligat ad dotem, ſed ad expreſſam quantitatem, licet hæc ſit pro dote, non tenetur ad fructus, & intereſſe dotis, ſed dumtaxat ad expreſſam quantitatem, ergo etiam, qui non ſe ſimplicitèr obligauit ad cambium, ſed ad expreſſam quantitatem, licet hæc ſit pro cambio, non tenebitur ad fructus, & intereſſe cambij, ſed dumtaxat ad illam ſummam, quam expreſſit. Antecedens latè traditur per *Hieron. Gabriel. conſ. 152. iure communi nu. 7., & 8. lib. 2.* Conſequentia tenet, niſi aſſignetur diſparitas.

Exemplū de fideiuſſore dotis.

ASSERTIO II. Fideiuſſor, ſi fuerit adiectus in ſecuritatem contractus, & eorum, quæ naturaliter ab ipſo conſequuntur, remanet non ſolùm obligatus pro ſorte, ſed etiam pro intereſſe eiuſdem vſque ad integram ſolutionem. 2

Probatur, quià intereſſe, quod exigitur ex cambio conuento tempore non ſoluto, venit ſecundum naturam actionis *Gloſ. 4. in l. centum Capuæ ff. de eo, quod cert. loc.* ſed ex vi fideiuſſionis ſub terminis in aſſertione conceptis fideiuſſor obligatur ad ea, quæ ſunt ſecundum naturam actionis, ibi, *& eorum, quæ naturaliter ab ipſo conſequuntur*, ergo ex vi fideiuſſionis obligatur ad intereſſe, quod &c. *l. mora ff. de verb. obl. Gloſa in d. l. centum Capuæ ff. de eo, quod cert. lo.*; neque obſtat, ſi dicatur fideiuſſorem non obligari ex mora principalis, ſed ex mora ſua in obligatione facta *Bartolus in l. cum filius §. ſi ſtipulatus ff. de verb. oblig., Alexander in l. centum Capuæ ff. de eo, quod cert. lo. & in l. fin. eodem tit. & in l. quæro in princ. ff. locati*; non obſtat; inquam, primò, quià hæc ad ſummum valent, quandò fideiuſſor non ſe obligauit etiam ex mora principalis, non autem, quandò ſe obligauit etiam ex illa, ibi, *& eorum, quæ naturaliter ab ipſo conſequuntur. Gloſ. in d. l. centum Capuæ.* Secundò, hæc procedunt ſolummodò in actionibus ſtricti iuris, vt v. g. cum quis condemnatus ad reſtitutionem certæ rei non paret ſententiæ condemnatoriæ, propter quod defertur actori iuramentum in litem propter dolum condemnati, tunc enim fideiuſſor, qui promiſit iudicatum ſoluere, tenetur ſolùm ad veram rei æſtimationem, non ad id, quod iuratur in litem *Bartolus in*

Intereſſe ex contractu venit ſecundum naturam actus.

Procedūt ſolummodò in actionibus ſtricti iuris.

l. 1.

Digitized by Google

l. 1. ſub n.2., Paulus de Caſtro ſub n. 1. ff. de in lit. iur., & in l. centum Capuæ ſub n.8. ff. de eo quod cert. lo.

Fideiuſſio eſt promiſſio indemnitatis.

Probatur ſecundò aſsertio. Fideiuſſor adiectus in ſecuritatem contractus, & eorum, quæ naturalitèr ab ipſo conſequuntur, eſt fideiuſsor indemnitatis pro tali contractu. Quid enim eſt fideiubere pro contractu, & ſubſequentibus, quam conſtituere velle indemnem in tali contractu eum, qui in illo creditor eſt? ſed fideiuſsor indemnitatis tenetur etiam ad lucrum ceſsans *l. quià poterat iuxtà l. apud Iulianum ff. ad Trebel. l. quæro ff. locat., Baldus in l. ſi pro ea c.2.9. C. mandati,* & promiſſio indemnitatis continet factum, & intereſse *Baldus in l. quamquam C. de ſentent. quæ ſine cert. quant. profer.* ergo obligatur ad lucrum ceſsans, & ad quodcunque intereſse, quod naturalitèr ab ipſo contractu conſequitur.

3 Assertio III. Si fideiuſsor fuerit adiectus pro ſecuritate contractus, nec facta mentione de ijs, quæ ad eundem conſequuntur, nec expreſsa excluſione eorum ex præſumptione iuris videtur etiam obligatus ad intereſse.

Fideiuſſor in dubio intelligitur etiam obligatus ad vſuras.

Probatur primò, quià fideiuſsor in dubio intelligitur etiam obligari ad vſuras *l. quæro, & ibi Gloſ., & Doctores in principio ff. locati, Cynus, & Doctores in l. fideiuſſor C. de fideiuſſionibus, & Doctores in c. conſtitutus eodem tit. verſ. acceſſiones, & in l. centum Capuæ ff. de eo, quod cert. loc., & Alexander in l. ſi cum dotem §. ſin autem in ſæuiſſimo ff. ſolut. matrim.,* quæ potiſſimum verificantur, quandò expreſsè non ſe obligauit ad ſortem tantum *Gloſ., & Doctores in d. l. quæro ff. locati, & Alexander in d. §. ſin autem,* quinimmò fideiuſsor obligatus ſimplicitèr pro contractu cenſetur obligatus in omnem cauſam, & caſum, quo pro tali contractu principalis tenetur, maximè ſi caſus ſecundum naturam actionis ſit *l. ſi ſeruum §. nunc videamus l. mora rei ff. de verb. oblig. l. quæro ff. locati, Paulus Caſtrenſis conſ. 23. col. 3. in extrem. vol. 1., Ay. Crau. conſ. 45. num. 6. vol. 1. conſ. 272. n.2., & 3. vol. 2.* & licet *Dynus in l. mora ff. de verb. oblig., & in l. centum Capuæ per Bartolum ff. de eo, quod cert. loc.* aſserat, fideiuſsorem intercedentem ante moram obligari tantum ad vſuras, non ad intereſse, hoc tamen intelligendum eſt, quandò intereſse eſt extra naturam actionis, vel quandò intereſse patitur poſt ſolutionem *Alexander poſt Bartolum in l. qui ſibi §. qui ſtichum ff. de ſolut., Bartolus in l. Iulianus ff. de verb. oblig.* cæterùm, quod ad intereſse, ſeu ad acceſſionem teneatur fideiuſsor propter moram rei principalis docet *Abbas in c. conſtitutus de fideiuſs., & quod plenè nos in l. centum Capuæ ff. de eo, quod cert. lo. & in c. conqueſtus de vſuris,* & planè habetur in *l. fideiuſſores ff. de fideiuſs. & mand.*

In hoc caſu intereſſe nõ eſt extrà naturam actionis.

Probatur ſecundò. Fideiuſsor, qui ſe ſimplicitèr obligat pro reſtitutione dotis non ſolùm tenetur ad ſubſtãtiam dotis, ſed etiam ad fructus, & intereſſe eiuſdem dotis, ſi tempore debito illa non reſtituatur *Hieronymus Gabr. conſ. 112. iure communi n. 7. & 8. lib. 2.* ergo etiam, qui ſe obligat ad reſtitutionem cambij, non ſolùm tenebitur ad reſtitutionem ſortis, ſed etiam ad intereſse, ſi ex mora illud iuſtè conſurget. Conſequentia probatur, quià in tantum obligatus ad reſtitutionem dotis obligatur etiam ad fructus ob moram dotis non ſolutæ, in quantum illi fructus conſequuntur ex natura actionis ad dotem non ſolutam, ſed etiam intereſſe conſurgens ex dilatione ſolutionis ſortis in cambio conſequitur ſecundum naturam actionis ad eandem ſortem non ſolutam, ergo &c.

Exemplũ deductũ à paritate dotis ad rem noſtram accomodum.

PRÆNOTIO XVII.

Quonam tempore ſint perſoluendæ literæ, quæ diriguntur pro cambijs.

SVMMARIVM.

Tempus ſolutionis in cambijs celebratis in nundinis pro aliqua Ciuitate debet eſſe iuxtà quod ſtatuunt capitula earundem nundinarum. 1.

Si talia capitula nihil ſtatuant attendenda eſt vicinitas, & longinquitas loci, & ſtatuendus terminus iudicio peritorum. Ibid.

Tempora definita ad ſolutionem per capitula nundinarum Genuenſium in ordine ad diuerſa loca. 2.

Cambia ad nundinas ſoluenda ſunt, vel in principio, vel in medio, vel in fine earundem extrà præſcriptum capitulorum. 3.

Si capitula nihil ſtatuant, facienda eſt ſolutio iuxtà conſuetudinem, & regularitèr in fine nundinarum. 3.

Hæc procedunt, quandò ſolutio facienda eſt per Bancherios; quandò enim facienda eſt per alios non exercentes tale munus aſſignantur octo dies poſt præſentationem literarum. 4.

In cambijs non nundinarijs quoad tempus ſolutionis attendenda ſunt verba, quibus lite-

Digitized by Google

literæ concipiuntur. 5.
Aſſignantur varij modi, quibus literæ concipiuntur quoad tempus ſolutionis. 6.
Quandò dicitur à lettera viſta *ſtatim ponenda eſt ſolutio, quamuis in rigore admittat extenſionem ad triduum*. 7.
Quando dicitur, ad vſo, *ſolutio facienda eſt iuxtà præſcriptum, ſeu praxim*. 8.
Capitula Bononienſia quoad huiuſmodi tempus ſolutionis. 9.
Quandò dicitur, à piacere del tale, *ad eius arbitrium ſolutio facienda eſt, non tamen ità rigoroſè, quin differri poſſit ad duos, vel tres dies*. 10.

Tempus diuerſum quoad cambia nundinaria, & nõ nundinaria.

IVxtà diuerſa cambiorum genera præſens difficultas poteſt examinari, vel enim cambia ſunt nundinaria, vel non nundinaria; ſi nundinaria, vel talia, quatenus ſunt à nundinis ad Ciuitates, aliaque loca, quæ propriè dicuntur cambia de reditu feriarum, vel talia, quatenus ſunt à locis, in quibus non celebrantur nundinæ ad ipſas nundinas, vel talia, quatenus celebrantur in nundinis vnius loci pro nundinis alterius. Si non nundinaria, vel præſcribitur in celebratione ipſorum tempus ſolutionis per terminos expreſſos, vel iuxta morem regionum, vel alio quocunque modo. Iuxtà has omnes acceptiones per ſequentes aſſertiones rem definio.

1 Assertio I. In Cambijs celebratis in nundinis pro aliqua Ciuitate, ſeu loco quoad tempus ſolutionis eorundem, vbi aliud non ſtatuitur, obſeruanda ſunt capitula nundinarum, in quibus cambia ipſa celebrantur, quod, ſi pro aliquibus locis capitula ipſa nihil ſtatuant, attendenda eſt vicinitas, vel longinquitas loci, vt proportionatus terminus ſolutionis poſſit ſtatui, & talis terminus erit ſeruandus, qualis iudicio peritorum ſtatuetur attenta eadem vicinitate, vel longinquitate ad proportionem temporis, quod aſſignatur pro locis, pro quibus eadem capitula determinant. Vt autem hic terminus in particulari cognoſcatur, conſulantur capitula ſingularum nundinarum. Nobis ſufficiat pro exemplo aliqua hic referre, quæ ſtatuunt capitula nundinarum Genuenſium, prout refert *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 5. num. 12.*

Attendenda eſt vicinitas, & longinquitas loci, ad quem literæ diriguntur.

2 *Pro Cambijs celebratis Placentiæ ſoluendis Genuæ, Mediolani, Bergomi aſſignantur dies viginti*.

Statuta Genuenſia quoad ſolutionem in diuerſis locis.

Pro cambijs ſoluendis Florentiæ, Romæ, Venetiarum, Lucæ, Bononiæ dies viginti quinque.

Pro cambijs ſoluendis Neapoli, Valentiæ, Barcinoni, Cæſaraugustæ dies triginta.

Pro cambijs ſoluendis Antuerpiæ, Coloniæ, Lecchij, Bari dies triginta quinque.

Pro cambijs Panormi, Meſſanæ, Madriti dies quadraginta quinque.

Pro cambijs Siciliæ, Oliſippi, ſeu Lisbonæ duo menſes.

Qui dies, ſeu tempora aſſignata pro ſingulis locis computanda ſunt à die contractus celebrati incluſiuè; non ità tamen hæc tempora, ſeu præfiniti termini obligant, vt non poſſint ex conſenſu partium extendi, vel reſtringi, dumodò tamen tantum temporis aſſignetur, vt literæ ad locum, vbi deſtinantur, poſſint peruenire, vel ob temporis extenſionem non augeatur pretium eiuſdem. Hic tamen vnum aduertendum eſt, vbi ſiſtatur in terminis aſſignatis per præfata capitula, & vbi creditor velit immediatè in talibus terminis recipere ſolutionem, debeat ante diem ſolutionis literas præſentare ad effectum, vt prius acceptentur, ſine qua acceptatione non eſt onus in eo, ad quem literæ diriguntur, eas perſoluendi, vt latè diximus ſuprà.

Debent literę antecedenter præſentari, vt pareatur pecunia.

Dixi, *quod ſi pro aliquibus locis capitula ipſa nihil ſtatuant, attendenda eſt vicinitas, vel longinquitas loci, vt proportionatus terminus &c.* quod eſt iuxtà mentem Pij V. prout latè ſupra explicuimus *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs I. Pranot. 6. aſſert. 7. nu. 11.*

Assertio II. Quoad cambium contractum ex aliqua Ciuitate, ſeu loco pro nundinis alterius loci nundinarij ſolutio facienda eſt, vel in principio, vel in medio, vel in fine nundinarum, prout capitula earundem pręſcribunt, vel, ſi hæc nihil circa hoc præſcribunt, iuxtà conſuetudinem in ijs receptam, quam regularitèr exiſtimo obtinuiſſe, vt ſolutio fiat in fine nundinarum *Molina diſp. 409. in princip. vers. obſeruandum deindè eſt*, cui non eſt diſcors *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 5. nu. 14.* Aſſertio non indiget probatione, cum conſiſtat in facto, vndè ſolummodò ſunt conſulenda capitula, & praxis ſingulorum locorum nundinariorum, ad quæ literæ diriguntur, & iuxta ea, ſeu illam res dirimenda. Dixi tamen regularitèr conſuetudinem vbique obtinuiſſe, vt ſolutio fiat in fine nundinarum, quod ideò inductum exiſtimo, quia in principio nundinarum regularitèr non adeſt tanta pecuniarum copia, & è conuerſo maxima mercium multitudo, vt pecunia numerata omnia expediantur, ſeu expediri poſſint, vndè pro 3

Regularitèr fit ſolutio in fine nundinarum

Aſſignatur ratio, ob quam inducta eſt conſuetudo, vt ſolutio fiat in fine nundinarum.

 illo

illo tempore plurima chyrographis peraguntur, quibus expeditis, vel in parte peractis poſteà cambia pecunia numerata perſoluuntur, & ſic mos obtinuit apud mercatores, vt pro illo tempore, quo alijs peractis cambia ad eas nundinas directa perſolui debent, & literas ad alias nundinas expediri, menſæ dicantur ſterni ſolutionibus in nundinis, & cambia aperiri.

4 Hic tamen vnum aduertendum eſt, quod, ſi cambium contractum in aliqua Ciuitate, vel loco non nundinario ad nundinas ſoluendum ſit in eiſdem nundinis, non per Bancherium, ſed per alium tale munus non peragentem, tunc ſolutio fieri debeat infrà octo dies currentes à die præſentationis, ſeu acceptationis literarum incluſiuè, & hoc ſecundum conſuetudinem, ſeu ordinationem per capitula feriarum condita à Genuenſibus, prout obſeruat *Scaccia tract. de commert. §. 2. gloſ. 1. nu. 14.* quoad alia tamen loca à Genua, in quibus circa hoc nihil præſcriptum ſit, obſeruanda etiam eſt quoad hoc praxis, & conſuetudo ibi recepta.

Capitula feriarum Genuenſia aſſignant octo dies poſt præſentationem.

Hæc, quæ dicta ſunt de ſolutione cambij celebrati à loco non nundinario ad nundinas intelligenda proportionalitèr ſunt de ſolutione cambij de nundinis ad nundinas, in quibus ſolutio facienda eſt iuxta tempus, quod præſcribitur per capitula earundem nundinarum, & vbi nihil præſcribatur, iuxtà tempus per conſuetudinem præſcriptum, quod regularitèr eſt, vt aſſerebam, in fine nundinarum, cum eadem militet ratio de cambio de non nundinis ad nundinas, quæ de nundinis ad nundinas, & parum referre debeat, quod cambium ſit in vno, vel in alio loco incohatum, attendendus enim eſt terminus ad quem ſolutionis, niſi aliud fuerit præſcriptum in ipſa celebratione contractus.

Quæ dicta ſunt valent etiam de cambijs à nundinis ad nundinas.

5 Assertio III. In cambijs non nundinarijs attendenda ſunt verba, quibus literæ ſunt conceptæ ad diſtinguendum tempus ſolutionis; ſi enim expreſsè dicatur, *pagate à lettera viſta*, ſtatim, & incontinenti ſolutio facienda eſt, ac literæ fuerint exhibitæ *Vincentius de Franchis deciſ. 303., Benedictus initio. Michael Salonius ad D. Thomam ſecunda ſecundæ poſt quaſt. 78. in diſp. de cambijs quaſt. 4. art. 2. controu. 18. nu. 2. vers. obſeruemus 2. tom. 2. Ioannes Baptiſta Cauat. tract. de cambijs in prælud. verſ. 7., Romualdus Coli tract. de cambijs cap. 9.* ſi vero dicatur, *ad vſo, ò à ſuo tempo*, tunc ſolutio facienda eſt iuxtà praxim ſingularum platearum, in quibus ſolutio facienda eſt *Rota Genuenſis deciſ. 32. cum alias num. 5. in fine. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 10. tit. de cambijs c. 5. quaſt. 4.* ſi verò dicatur *ad vſo*, & in loco, in quo facienda eſt ſolutio, nulla adſit conſuetudo, tunc attendenda eſt praxis locorum propinquiorum, & regularitèr ſolutio facienda videtur infra octo, vel decem dies computandos à die, quo literæ recipiuntur, & ratæ habentur *Azorius loc. cit.* ſi verò dicatur, *pagate*, ſimplicitèr nullo addito termino ſolutionis, tunc ſolutio ex præſumptione facienda eſt eo modo, ac ſi diceretur *ad vſo, ò à ſuo tempo*, quidquid in contrarium aſſerat *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 5. num. 3. verſ. primus caſus*, contendens illam particulam, *pagate*, vtpotè diſpoſitiuam tollere quamcunque moram, ſeu dilationem ſolutionis; ſi tandem dicatur, *à giorni ſei viſta, à giorni quattro viſta, à giorni due viſta*, & his ſimilia, tunc ſolutio facienda eſt poſt dies enuntiatos à die exhibitionis literarum computandos, vt eſt in confeſſo apud omnes; ſi tandem dicatur *à piacere del tale*, facienda eſt ſolutio ad eiuſdem arbitrium.

6

Particula diſpoſitiua tollit quamcũque moram.

Explico ſingula in particulari, & difficultates, quæ circa ſingula emanant, dirimo. Dixi, quod, quandò dicitur, *pagate à lettera viſta*, ſtatim facienda eſt ſolutio, quia contractus adimplendi ſunt ſecundum diſpoſitionem contrahentium, & ſecundum conditiones per eoſdem appoſitas, cum ex conuentione legem accipiant *l. ſi vt certo §. nunc videndum ff. commodat i l. 1. §. ſi conuenerit ff. depoſiti, & in reg. contractus in 6. Bartholomæus Soc. conſ. 167. incip. non inutilis ver. poſtremò, & conſ. 154. incip. conſultationem circà principium in 2. part.* ſed quandò dicitur, *à lettera viſta*, intelligitur tempus immediatum ad viſionem literarum ex communi omnium acceptione, ſecundum quam idem eſt dicere *à lettera viſta*, ac ſtatim poſt viſionem, &, ex eo, quod apponatur in literis illa particula, euincitur contrahentes ita conueniſſe, ergo &c.

Hic immediatè oritur difficultas, an illa particula, *à lettera viſta*, ita adamuſſim, & in rigore accipienda ſit, vt nullam admittat temporis dilationem. 7
Nonnulli, inter quos *Molina d. diſp. 409.* ità ſtrictè illa verba accipiunt, vt excludant quamcunque etiam breuiſſimam moram. Azorius verò *inſtit. mor. lib.*

lib. 10. part. 3. de cambijs c. 5. quæſt. 4. in fine. Scaccia tract. de commert. §. 2. gloſ. 5. nu. 5. verſ. verum interpretatiuo vſu, & alij plures minus rigidè procedentes extendunt ad tres, vel quatuor dies poſt literarum exhibitionem, & acceptationem, à quibus vtpotè minùs ſeuerè ſentientibus non recedendum exiſtimo, nec incongruè, quia illa particula *ſtatim*, aut *à lettera viſta*, non ſumitur indiuiſibilitèr, ſed ſummariè *l. momentaneæ C. vndè vi Bartolus in l. res, quæ §. res autem de iure Fiſci, & in l. 1. in ſecunda col. verſic. quid dicemus puto ff. iudic. ſol.*, & ſumenda eſt arbitrio boni viri *l. ſi ità quis §. ſi iactum ff. de verb. oblig. Abbas in cap. potuit de locato*, & in contractibus regularitèr ponitur pro triduo *Gloſ. in verbo. triduo in l. 3. C. de errore aduo. in auth. de exhib., & introd. re, & ij, qui conue. & reconue. §. 1. in gloſ. not. hæc tria in l. potens C. de pactis in gloſ. in verb. ſtatim, in l. lecta ff. ſi cert. pet. & in l. quod dictum de ſol. Ioannes de Porta in l. fructus ff. ſolut. matrim., Alexander poſt Bart. in l. 1. §. cui præſens ff. de verb. oblig.* vndè hæc modica mora non eſt in ordine ad huiuſmodi effectus propriè mora *Scaccia in tract. de iudic. cauſ. lib. 1. cap. 42. ſub num. 5., Alber. de Roſa in l. 1. C. de verb. ſignif. Laur. de Fano in l. quorum 25. col. ff. de prænot.* Conſulerem tamen in hoc caſu mandatarium ad conſulendum ſuo nomini, & æſtimationi, vt nullam ſolutioni moram interponeret, quia expedita ſolutio famam auget, & creditum negotiatoribus.

Particula ſtatim nō ſumitur indiuiſibiliter, ſed ſummariè.

Dixi, quod ſi dicatur, *ad vſo*, ſeu
8 *à ſuo tempo*, ſolutio facienda ſit iuxtà praxim, & conſuetudinem ſingularum nundinarum, quæ praxis in eiſdem conſulenda eſt. Nobis ſufficiat vnum exemplum, ſeu pro vno exemplo adducere praxim, quæ obſeruatur in Ciuitate Bononiæ iuxtà capitula eiuſdem Ciuitatis approbata per Pium V. in ſua Conſtitutione ad Mercatores Bononienſes edita ſub die 25. Nouembris 1569. quæ quoad præſens inſtitutum ſic præſcribunt.

Da Roma, e Genua à Bologna dieci giorni
9 *viſta.*

Da Milano, Venetia, Fiorenza, Piſa, Luca, & altri Luoghi di Toſcana otto giorni viſta.

D'Ancona, la Marcha, la Romagna, & altre terre di Lombardia otto giorni viſta.

Da Napoli giorni quindeci viſta.

Da Palermo, Meſſina, Bari, & altre terre del Regno meſe vno viſta.

Da Lione, Biſanzone, Spagna ſecondo le Fiere.

Da Anuerſa, Parigi, e tutte le terre della Fiandra, e della Francia due meſi fatta.

Da Londra, e da Leuante meſi trè fatta.

Iuxtà hanc diſtributionis normam, tempora etiam ad ſolutionem diſtribuenda ſunt pro locis, prò quibus non facta eſt huiuſmodi diſtributio ſeruata proportione ad ea, quæ dicta ſunt determinatè pro locis aſſignatis.

Dixi, quod, ſi dicatur ſimplicitèr, *pagate*, nulla addita reſtrictione, vel extenſione eodem modo ſolutio ſit facienda, & pro eo tempore, quo, ſeu pro quo facienda eſt, quandò dicitur, *pagate ad vſo*. Ratio eſt, quia verba indefinitè prolata in contractibus recipiunt interpretationem, & declarationem ſecundum iuris, & ſtatutorum diſpoſitionem, & ſecundum loci conſuetudinem, *Socinus 1. vol. conſ. 19. col. 2. in fine*, ergo per illud verbum, *pagate*, indefinitè poſitum importatur ſolutio facienda ſecundum vſum; neque obſtat, ſi dicatur, illud verbum, *pagate*, vtpotè diſpoſitiuum nullam admittere moram, præcipuè cum ſit imperatiuum præſentis temporis; non obſtat, inquam, nam, quamuis ſit imperatiuum præſentis temporis, quià tamen reſpicit obiectum, quod indiferens eſt, vt ponatur, vel de præſenti, vel de futuro vtpotè in mitiorem partem interpretandum *Antonius de Butrio in c. ſi diligenti de for. compet., Alexander in l. Imperator ff. de iu. fiſ.* trahi debet ad futurum, *Baldus in l. fin. 6. col. verſ. recipiatur, ergò verbum præſentis C. de codic.*

Verba indefinitè prolata recipiunt interpretationem iuxta ſtatuta, & conſuetudinem.

Dixi, quandò dicitur, *à giorni tanti viſta*, ſolutionem faciendam eſſe poſt dies enuntiatos, quia, vt aſſerebam ſuperius, contractus adimplendi ſunt ſecundum conditiones, & tempora per contrahentes ipſos apposita, nec à mente contrahentium recedendum eſt, vbi nulla eſt oppoſitio cum iure prohibente, eo quià ex allegatis iuribus contractus ex conuentione partium legem recipiunt. *Michael Salonius in ſecunda ſecundæ D. Thomæ poſt quæſt. 78. in diſp. de Cambijs quæſt. 4. art. 2. controu. 18. nu. 2. tom. 2., Romoaldus Coli tract. de cambijs cap. 9., Azorius inſtit. moral. part. 3. lib. 10. tit. de Cambijs cap. 5. quæſt. 4.*

Dixi tandem, quandò dicitur, *à piacere del tale*, ſoluendum eſſe cambium 10
ad eiuſdem arbitrium. Patet hoc dictum ex ſe, quod tamen non ità ſtrictè accipiendum eſt, vt poſſit immediatè cogere ad ſolutionem, ſed prius literæ præſentandæ ſunt, & acceptandæ, &

Digitized by Google

poſteà per tantum temporis expectanda eſt ſolutio, vt poſſit pecunia adaptari arbitrio boni viri; ſi enim admittitur hæc extenſio, quandò dicitur, *à lettera viſta*; quæ particula eſt reſtrictiua, cur non erit admittenda, dum dicitur *à piacere del tale*? qui certè debet ſe accomodare iuribus, & conſuetudinibus in ſimilibus caſibus.

PRÆNOTIO XVIII.

De Probationibus, quæ requiruntur ad hoc, vt poſſit exigi intereſſe ex mora.

SVMMARIVM.

Mora requiritur ad exigendum intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis. 1.
Mora rationabilitèr excuſabilis, ſi eximit ab onere lucri ceſſantis, eximit debitorem ab obligatione ſoluendi intereſſe, etiam ob damnum emergens. 2.
In foro conſcientiæ mora inexcuſabilis non eximit ab onere ſoluendi intereſſe, etiam ſi concludentèr non probetur. 3.
In foro tamen externo ad obligandum, mora debet concludentèr probari. Ibid.
In foro exteriori nemo debet ſubire pœnam pro delicto, niſi plenè probetur. 4.
Vt debitor moroſus obligetur ad intereſſe, non eſt neceſſaria litis conteſtatio, nec creditoris interpellatio præcipuè indicialis, quandò certa dies præfinita eſt ad ſolutionem. 5.
Vltrà moram, & probationem moræ eſt neceſſaria prompta occaſio ad negotiandum, & probatio eiuſdem. 6.
In cambijs de nundinis ad nundinas ſufficientèr probatur quantitas intereſſe ex quantitate lucri, quod in eiſdem exigitur. 7.
In cambijs verò non nundinalibus probatur ex quantitate, quæ ex vſu fori in ſimilibus percipitur. Ibid.
Ad exigendam compenſationem lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis debet creditor probare, quod ex defectu ſolutionis non potuit lucrari. 8.
Si accepit alias pecunias ad damnum euitandum tenetur euidentèr concludere ſe in eam cauſam accepiſſe, cum aliter non potuerit. Ibid.

1 QVæſtionem ampliſſimam aggredimur, circà quam difficultates non modicas excitarunt ingenia, & primò ſuppoſito, quod mora neceſſaria ſit ad exigendum intereſſe, prout definitur in *l. lecta ff. ſi certum petatur*, & docent *Rebuffus in l. vnica in præfat. nu. 25. in fin. C. de ſent. quæ pro eo, Hieron. Gabr. conſ. 78. in vſu eſt num. 4. lib. 1., Rota coram Caualerio in Leodienſi pecuniaria Lunæ 30. Martij 1615. verſic. item quod, & in fin.* & quod debeat eſſe inexcuſabilis, *Forcatius tract. de mora part. 3. num. 1. tom. 6. part. 2.* ſi loquamur in ordine ad intereſſe lucri ceſſantis, *Archiepiſcopus Florent. tract. de vſuris cap. 2. §. 22. num. 39. tom. 7., Rota Genuenſis deciſ. 99. in cauſa num. 2. in fin., & nu. 3., Afflictus deciſ. 20. quidam nobilis num. 3.*

Inquiritur primò, an mora, quamuis non ſit inexcuſabilis, eximat debitorem ab obligatione quoad intereſſe ratione damni emergentis creditori propter ipſam moram, cuius quæſiti ſenſus eſt, an, ſi debitor ob ſuperuenientem paupertatem factus ſit impotens ad ſoluendum, & interim creditor ob eius moram paſſus fuerit damnum irreparabile, vigeat ius in eodem creditore ad exigendum intereſſe pro illo damno, quod ex tali mora paſſus eſt. Variæ rationes dubitandi proponuntur.

Secundò, an ad exigendum intereſſe pro mora etiam inexcuſabili quoad lucrum ceſſans requiratur probatio eiuſdem moræ concludentiſſima.

Tertiò, an ad hoc, vt mora inducat obligationem quoad intereſſe, exigat, vt debitor moroſus fuerit ab homine interpellatus, & an ſufficiat interpellatio extràiudicialis, & ſine litis conteſtatione.

Quartò, an ad exigendum intereſſe pro lucro ceſſante requiratur præcisè mora, an verò etiam occaſio parata ad negotiandum, & lucrandum, & an requiratur probatio concludens talis occaſionis paratæ.

Quintò, an probari debeat quantitas intereſſe, & quid, ſi probetur intereſſe, & non probetur quantitas.

Sextò, an requirantur aliæ conditiones, vt debeatur intereſſe propter moram, & quænam iſtæ ſint. Incipiamus à primo

ASSERTIO I. Ex ſuppoſitione, quod mora rationabilitèr excuſabilis eximat ab obligatione debitorem ſoluendi intereſſe quoad lucrum ceſſans, eximit etiam quoad damnum emergens. Eſt contra *Scacciam tract. de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampliat. 8. num. 101. verſ. ſecus etiam.* 2

Probatur primò. Mora nocere non debet, cum debitor id, quod promiſit, iuſta, & idonea fuit ratione, cauſaque impeditus, ne præſtaret *l. 2. §. ſi quis iudicio in verb. quod diximus ff. ſi quis caut. l. qui Romæ §. Callimachus ff. de verb. oblig. l. quod te mihi ff. ſi certum petatur l. ſciendũ ff. de vſuris, Bartolus in l. iuſtè l. in extr. ff. de acquir. poſſeſſ., Alexander in l. 1. §. item*

ſi ità

Digitized by Google

ſi ità not. ff. ad leg. falcid., Bartolus conſ. 7., Alexander conſil. 109. *vol.* 5., *Andræas Alciatus conſ.* 101. *num.* 11. ergo, ſi excuſatur à præſtatione, nec mora ei nocere poteſt, excuſabitur etiam à quocunque onere, quod conſurgere poſſet ex tali mora, ſi eſſet inexcuſabilis, cæteroqui fruſtrà diceretur, quod excuſaret, ſi ad illa onera moroſus teneretur; nec poteſt dici, quod excuſetur quidem ab onere quoad intereſſe lucri ceſſantis, non quoad intereſſe damni emergentis, cum hoc efficacius obliget, cum ſit de iure quæſito, & poſſeſſo, illud de acquirendo, & nondum poſſeſſo; non, inquam, dici poteſt, eo quià, quandò eſt cauſa legitimè, & rationabiliter excuſans ab aliquo onere adimplendo in ordine ad quodcunque præſumitur excuſare, nec ille, qui excuſatur, poteſt dici cauſa iniuſta damni, quod ſequitur, cum illud reparare non poſſit ſatisfaciendo, & cauſa, quæ excuſat à reſtitutione, excuſet etiam à quibuſcunque damnis, quæ ex reſtitutione non poſita obueniunt, vndè creditoris ius non viget, vbi ceſſat onus in debitore, qui propterea creditor debet proprio infortunio imputare, quod debitor factus fuerit impotens ad ſoluendum, &, ſicuti, ſi damna ipſi obuenirent ex eo, quod implicauerit pecuniam in negotiationem, per quam in malam frugem abierit, deberet illa damna ſuo infortunio imputare, ità etiam ſi damna illi obueniant ex eo, quod in negotiatione cambiorū ſuos nummos cōtulerit, quos ex inopia debitoris non poſſit redhibere, debet illa damna infauſtæ ſuę ſorti tribuere.

Debet infauſtæ ſuæ ſorti tribuere, quod debitor factus ſit impotens ad ſoluendum.

Dixi *ex ſuppoſitione*, *quod eximat ab obligatione quoad lucrum ceſſans*, quod affirmant *Scaccia tract. de commert.* §. 1. *q.* 7. *part.* 2. *ampl.* 8. licet diſsentiat quoad damnum emergens *D. Antoninus tract. de vſur. tom.* 2. §. 22., quod tamen non ita libenter admitterem, quandoquidem ex parte creditoris viget titulus exigendi illud intereſse, nempè lucrum ipſum ceſsans, & damnum emergens à cuius ſolutione, ſeu onere ſolutionis non videtur ſimplicitèr eximere impotentia debitoris, ſed ſolummodo ad tempus impotentiæ, ſicuti, ſi quis pro aliquo anno non ſoluat annuos redditus, quos debet ex impotentia, non eximitur tamen ab onere ſoluendi ceſsante impotentia; ita etenim videtur debita compenſatio lucri, quod ceſsat creditori ex mora debitoris, ac ſint debiti annui redditus &c. In hoc tamen alijs conſiderandum relinquo.

Probatur ſecundo, debitor ex legitima cauſa, quę ſupponitur in hypotheſi datæ aſſertionis, excuſatur à ſolutione intereſſe ex interpoſita mora in ordine ad lucrum ceſſans, vt pleno ore fatetur, *Scaccia de commert. loco citato*, ergo etiam excuſari debet ex eadem cauſa à ſolutione intereſſe in ordine ad damnum emergens. Conſequentia probatur, tùm quia cauſa, quæ excuſat, ſe tenet ex parte eiuſdem debitoris, non creditoris, eſt etenim inopia propria illius, ſed æquè eſt inopia in ipſo; ſiuè lucrum ceſſet creditori, ſiuè damnum emergat, ergo &c. tum quia ipſa lucri ceſſatio eſt aliqualis damni illatio, & non minus ſupponiur creditor inuitus ad moram ex eo, quod ipſi damnum obueniat, & ſupponatur talis ad eandem ex eo, quod lucrum, quod eſſet conſecuturus, ceſſet, parumque quoad hoc referre debet, quod illud ſit circa iam quæſita, iſtud circa acquirenda, cum potiſſimum negotiatores iam quæſita exponant in ordine ad acquirenda.

Si excuſatur pro lucro ceſſante, cur non pro damno emergente?

Probatur tertiò ad hominem aduerſus eundem Scacciam, quià in tantum ex ipſo propter moram inexcuſabilem tenetur debitor ad intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis, in quantum in detentione, ſeu non reſtitutione æquiparatur furi, hoc ipſe docet *in eodem* §. 1. *quæſt.* 7. *part.* 2. *ampl.* 8. *ex Medina in ſuis tractatibus tom.* 1. *tit. de reb. per vſuram acquiſitis verſ. maius dubium fol.* 320. qui per conſequens docet, quod, ſi non reſtituat Domino non inuito, non teneatur ad intereſſe, ſed qui non reſtituit ex mora excuſabili non reputatur, vt fur, neque furi æquiparatur, ergo ad nullum intereſſe tenebitur, neque damni emergentis, ſiquidem debitor, ſiuè ad lucri ceſſantis, ſiuè ad damni emergentis reparationem tenetur ſolùm ex iniqua detentione. Confirmatur, quià ad nullum intereſſe tenetur, ſiuè damni emergentis, ſiuè lucri ceſſantis, qui rem detinet conſentiente Domino, ſeu ſaltem conſentire obligato, ſiquidem, ſi non aſſentiretur, & eſſet inuitus, eſſet irrationabilitèr inuitus, non enim iuſtè poſſet diſſentiri, qui tenetur aſſentiri, & diſſenſus in hac hypotheſi per inde debet reputari, ac ſi non eſſet poſitus, ſed debitor in hypotheſi impotentiæ detinet rem non diſſentiente iuſtè, & rationabilitèr Domino, ſiquidem non habet ius ad repetendam rem ab impotente reſtituere pro tempore im-

Qui non reſtituit ex mora excuſabili non æquiparatur furi.

Digitized by Google

impotentiæ, ergo &c.

Assertio II. In foro conſcientiæ mora inexcuſabilis non eximit ab onere ſoluendi intereſſe, etiam ſi concludenter non probetur, in foro tamen externo ad obligandum mora debet concludentèr probari. Ità *Scaccia de Commert. §. 1. quæſt. 7. p. 2. ampl. 8. num. 102.*, *Rota diuerſ. deciſ. 539. fuit reſolutum n. 1. part. prima, & in vna Laudenſi pecuniaria Lunæ 30. Martij 1615. in verſ. item quod.*

3

Ratio primæ partis eſt, quià mora ipſa inexcuſabilis ſecundum ſe facit currere vſuras, & intereſſe *in Specul. de iud. §. 2. verb. porrò, & infrà verb. vſura l. lecta, & ibi Bartolus ff. ſi certum petatur*, quod præcipuè verum eſt in contractibus bonæ fidei, *Bartolus in l. Lucius ff. depoſiti*, & intereſſe debetur, quià mora interuenit, non quià non probetur, vt in pari caſu diximus ſuprà, dum de denuntiatione lucri ceſſantis, vel damni emergentis facienda moroſo debitori, ergo in foro conſcientiæ, in quo præcisè attenditur cauſa ſolutionis, prout eſt in ſe meritoria, vel non meritoria compenſationis, ſoluendum erit intereſſe, ſi mora ſufficiens ad obligandum ad idem verè interueniat, quamuis eadem mora in foro exteriori non probetur. Confirmatur, quià probatio facit rem apparere, non eſſe, cum probatio cadat ſuprà exiſtentiam rei, ſed in foro conſcientiæ res attenditur ſecundum quod eſt, non ſecundum quod apparet, ergo, ſi mora, quæ eſt cauſa exigentiæ quoad intereſſe verè adeſt, licet per probationem non appareat, verè in foro conſcientiæ obligabit.

In contractibus bonæ fidei mora inexcuſabilis facit currere vſuras.

Probatio facit rem apparere non eſſe.

4

Ratio ſecundæ partis eſt, quià in foro exteriori nemo debet propter delictum pænam ſubire, niſi plenè probetur delictum, ſed obligatio ſoluendi intereſſe ob moram inexcuſabilem eſt quodamodò pæna delicti, ergo non debet quis obligari in foro externo ad illud, niſi mora illa inexcuſabilis concludenter probetur. Minor probatur, quià moroſus æquiparatur furi, *Bartolus in l. quod re ff. ſi cert. pet.*

Moroſus æquiparatur furi.

Dices primò, ſi onus illud ſoluendi intereſſe eſt pæna delicti, ergo in foro conſcientiæ contra ſuperius dicta in probatione primæ partis debitor ad illam non tenebitur, niſi plenè probetur. Conſequentia ſic euincitur, quià etiam in foro interno nemo obligatur ad pænas externas, niſi delictum externè manifeſtetur, ſic qui commiſit aliquod delictum, cui adiuncta eſt pæna excommunicationis, non tenetur ſe in foro externo prodere pro excommunicato, niſi denuntietur, vt talis; ſic delinquens culpa aliqua graui, cui ſit annexa priuatio beneficiorum, quæ obtinet, & inhabilitas ad ea impoſterum obtinenda, non tenetur beneficia deponere, & ſe tanquam inhabilem habere ad illa, niſi plenè probetur delictum, & ob illud in pænas illas declaretur incidiſſe, ergo &c. Sed contrà; delictum quodamodò eſt in duplici genere, aliud, quod præter malitiam delinquentis habet connexionem cum grauamine alterius, contrà quem delinquit, non quomodocunque, ſed lædendo ius, quod habet ex iuſtitia commutatiua, à qua habet, vt minus non habeat, quam habere debeat; aliud quod habet præcisè malitiam delinquentis, nec cum vllo alterius grauamine coniungitur; primum non ſolùm eſt contrà iuſtitiam legalem, ſed etiam contrà commutatiuam; ſecundum dumtaxat contra legalem. Ratione primi tenetur, etiam ſi non probetur delictum ad illud intereſſe, quià ius alterius, quod læditur per iniquam detentionem, ſemper clamat pro Domino, & quodam innato iure fertur in ipſum. Ratione ſecundi non ità, quia iura non diſponunt, vt qu[illegible] ſubeat in foro externo pænas propter delictum occultum, maximè cum non coniungantur cum alicuius grauamine. Primi generis eſt delictum moroſæ detentionis, de quo hic loquimur; ſecundi generis ſunt delicta illa, quæ allata ſunt in inſtantia ad probationem conſequentiæ.

Duplex genus delicti in ordine ad præſens inſtitutum & verumque explicatur.

Dices ſecundò, ergo debitum illud ſoluendi intereſſe ob moram non eſt pæna delicti, ſed compenſatio pro iure, quod amittitur ex illa mora, ergo ceſſat illa ratio, quod debeat concludentèr probari mora ex eo, quod pæna non debeatur, niſi propter delictum probatum. Sed contra, quamuis ſit compenſatio iuris, quod amittitur ex illa mora, illa tamen mora, vt inducat obligationem illius compenſationis, debet eſſe culpabilis, & iniurioſa creditori, non enim ex quacunque mora onus conſurgit ad intereſſe, & ſic ſub illa ratione, ſub qua eſt iniurioſa, & culpabilis eſt concludenter probanda, & licet illa obligatio reſtitutionis non ſit ſimplicitèr pæna, ſed debitum onus compenſationis, ſiuè lucri ceſſantis, ſiuè damni emergentis, quià tamen prouenit ex delicto, nempe ex iniurioſa detentione rei alteri de-

Mora ad inducendum obligationem debet eſſe culpabilis, & iniurioſa creditori.

Digitized by Google

debita, exigit probationem eiuſdem delicti, vt in foro externo obligatio conſurgat, & compenſatio debeatur.

5 Assertio III. Ad hoc, vt debitor moroſus obligetur ad intereſſe, non eſt neceſſaria litis conteſtatio, nec creditoris interpellatio præcipuè iudicialis, quandò certa dies præfinita eſt ad ſolutionem *Gabr. in concl. lib. 3. tit. de ſolut. concl. 9. num. 9., & ſeqq. Marcbus Antonius Bauerius tract. de mora part. 3. num. 1., & ſeqq. fol. 408., Scaccia tract. de commertijs §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampl. 8. num. 106., & nos etiam ſupra attigimus.*

Litis conteſtatio non conſtituit debitorem in mora.

Probatur prima pars, quià conteſtatio litis non eſt neceſſaria ad conſtituendum debitorem in mora, præcipuè in illis contractibus, in quibus ſolet exigi intereſſe, & ex dilatione reſtitutionis ſortis compenſatio lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis, *Lupus in l. curabit §. 7. ſub num. 10. verſ. & licet C. de act. empt., Bauerius d. tract. de mora p. 1. num. 19.* ergo non requiritur ad hoc, vt debitor teneatur ad ſolutionem intereſſe pro mora. Antecedens probatur, quià in ijs contractibus, in quibus mercatores ſoliti negotiari, & lucrari lucrum acquirunt, eoſdemque iterant ex ſuo munere ad iterata lucra, ipſa non reſtitutio tempore conuento conſtituit culpabilem detentorem, & creditorem inuitum.

Creditor deſignãdo diem præſumitur implicitè indicare debitori ſe vltrà diem fore inuitum.

Probatur ſecunda pars. Dies ipſa ſolutionis in huiuſmodi contractibus interpellat pro homine, vt de communi teſtatur *Iaſon in l. vinum not. 3. num. 9. ff. ſi cert. pet.* ergo non eſt neceſſaria creditoris interpellatio, quandò ſtatutus eſt determinatus dies ad ſolutionem. Confirmatur, quià ex eo, quod creditor ſolitus negotiari ſtatuat determinatum diem ad ſolutionem, præſumitur ex tunc pro tempore ſolutionis ſignificare debitori ſe fore inuitum, ſi ſolutio vltrà illum terminum protrahatur, *Molina de iuſt. tom. 2. de Contractibus diſp. 315. verſ. ſecunda concluſio, & ſeqq. col. 271. & 272.*, & tunc implicitè interpellare, *Scaccia d. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampl. 8. num. 106.*

Dies incerta pro conditione habetur.

Hic tamen aduerte, quod, ſi dies ad ſolutionem deſtinata ſit incerta, tunc requiratur interpellatio creditoris, quia dies incerta pro conditione habetur *l. extraneum etiam cum quis moreretur C. de hæred. inſtit.*, & is, qui eſt obligatus conditionalitèr, & poteſt ignorare euentum conditionis, non obligatur illam adimplere, quin prius interpelletur per eum, in cuius fauorem adimplenda eſt, *Ripa in l. quod te ſub num. 64. in 6. concl. ff. ſi certum pet.* ex quo merito docent Doctores, vt, vbi quis tenetur ex obligatione non propria, ſed alterius, debeat ob iuſtam ignorantiam non ſolùm interpellari, ſed debeat fieri eidem fides obligationis, *Iaſon in l. ſi ex legati cauſa in fin. verſ. vltimo Bar. ff. de verb. oblig., Alexander. conſil. 135. viſo proceſſu verſus fin. ſub num. 4. verſ. nec obſtat lib. 7.* quæ optimè referri poſſunt ad ea, quæ diximus ſupra de fideiuſſore obligato non ſolùm ad ſortem, ſed etiam ad intereſſe pro principali debitore, qui certè interpellandus eſt per creditorem, & certiorandus de mora debitoris, vt poſſit ab ipſo exigi intereſſe.

6 Assertio IV. Non ſolùm eſt neceſſaria mora, & probatio eiuſdem ad inducendum onus pro intereſſe, ſed etiam exiſtentia promptæ occaſionis ad negotiandum, ſeu lucrandum, eiuſdemque probatio, dummodò ille, qui patitur moram, non ſit mercator in conſpectu omnium ſolitus negotiari, & ſit in loco, in quo frequentes ſunt negotiationes. *Paulus de Caſtro in l. 3. §. fin. num. 3. ff. de eo, quod cert. loc., Afflictus deciſ. 20. quidam nobilis num. 2., Mobedana deciſ. 3. alias 208., Dux Seſſæ de vſuris. Rota in vna Romana bonorum de Ceulis Veneris 13. Ianuarij 1600. coram Penia, in altera Romana ſocietatis Veneris 23. Iunij 1600. Coram Card. Millino Stracch. tract. de mercat. part. 4. tit. de contract. mercat. ſub nu. 3. tom. 6. part. 1. fol. 298., Menoch. de arbitr. iud. caſ. 119. ſub nu. 9. verſ. hanc primam in fin. cent. 6.*

Sine occaſione promptæ ad negotiandum non præſumitur lucrum ceſſare ob moram.

Probatur primò quoad primam partem. Ratio acquirendi intereſſe eſt propter compenſationem lucri ceſſantis in detrimentum creditoris ob illam interpoſitam moram, ſed, ſi non foret exiſtentia illius promptæ occaſionis ad negotiandum, & lucrandum, nullum lucrum ceſſaret creditori ob illam moram, ergo nulla eſſet ratio acquirendi, & exigendi intereſſe. Maior ob omnibus admittitur. Minor probatur, quià ſine occaſione lucrandi nemo lucrari poteſt, nec ſufficit lucrum per poſſibile, ſed requiritur lucrum per futurum, quod nequit eſſe ſine occaſione, vt ſentiunt auctores præallegati; neque obſtat, ſi dicatur, intereſſe exigi ſolum propter detentionem ſortis contrà voluntatem expreſſam, vel ſaltem præſumptam creditoris; non obſtat, inquam, quià, vbi nullum ſequitur damnum, vel intereſſe creditori, illa detentio vtpotè contrà voluntatem creditoris eſt quidem iniurioſa eidem,

ſed,

Digitized by Google

ſed, cum non ſit contrà iuſtitiam commutatiuam, non eſt talitèr iniurioſa, vt inferat obligationem alicuius compenſationis, cum in nullo ipſe creditor ſit læſus; vndè, quià talis detentio eſt contrà voluntatem Domini, eſt quidem peccaminoſa, quià tamen non eſt læſiua, non obligat ad compenſationem.

Probatur ſecundò quoad ſecundam partem, quià ad intereſſe exigendum ità requiritur mora in debitore, ſicuti exiſtentia promptæ occaſionis in creditore, ſed quoad moram ad inducendum onus in foro externo requiritur probatio concludens eiuſdem, ergo etiam quoad promptam occaſionem requiritur æquiualens probatio.

Vbi agitur de intereſſe in præiuditium alterius, qui dicit probare debet.

Dices, requiri concludentem probationem pro mora, quià eſt delictum, quod non punitur, niſi probetur, non ſic autem in occaſione promptæ negotiationis, quæ ſecundum ſe nullum importat delictum. Sed contrà, quià, quamuis non ſit delictum, non implementum tamen illius promptæ occaſionis in creditore prouenit ex debitoris delicto, vndè, ſicuti id, à quo prouenit, exigit probationem, ità eandem exigit id, quod ab ipſo prouenit. Deindè eſto, quod ex hoc capite non exigeretur probatio exiſtentiæ illius promptæ occaſionis, exigitur tamen ex eo, quod, vbi agitur de intereſſe in præiuditium alterius, qui dicit, probare debet ex vulgatis iuribus, quo non probante ille alter abſoluitur, nec incongrua ſane ratione, nam ſecus facilis aperiretur aditus lucrandi ſine titulo, ſi ſolo exigentis aſſerto ſtandum eſſet.

Probatur tertiò quoad particulam conditionalem *dummodò ille &c.* Primò *ex l. 3. ff. de eo, quod certo loco §. nunc de officio*, vbi ſic legitur. *Quod ſi merces ſolebat comparare, an lucri ratio habeatur, an ſolùm damni? puto, & lucri habendam eſſe rationem*, quo quid clarius? Secundò *ex illo Matthæi* 25. vbi ſic habetur *oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs, & veniens ego recepiſſem, vtique quod meum eſt cum vſura*; ex quibus euincitur nummularios crebrò exigere intereſſe ex pecunia, quam habent, adeòque illis deberi intereſſe, ſi ex alterius culpa illam non habeant; vndè eo ipſo, quod nummularij ſunt, ius videntur habere ad illud intereſſe. Tertiò *ex Abbate in cap. 7. per veſtras nu. 6. de donat. inter vir., & vxorem, & in cap. conqueſtus num. 6. de vſuris, ex Surdo conſ. 327. Rotæ Lucenſis ſub nu. 53. verſ. iuſtificatur lib. 3., Nauarro in cap. ſi fæneraueris not. 15. nu. 44. verſ. quinta quod 14. quæſt. 3.*

Probatur quartò quoad idem ratione, quià ad iuſtificandam exigentiam intereſſe probationes per coniecturas liquidæ ſunt *Alexander conſ. 53. 2. part., Federicus de Senis conſ. 119. ſi nulli dubium, Franciſcus Aretin. in l. inditia C. de rei vendit.*, & à communitèr accidentibus validè concludunt. *Gabriel. d. lib. 3. tit. de ſolut. concl. 10 nu. 1., Surdus conſil. 327., Rota Lucenſis num. 54. lib. 3.*, ſed circunſtantia mercatoris aſſueti ex negotiationibus lucrari eſt coniectura euincens, quod fuiſſet negotiaturus ex illa, ſi pecuniam habuiſſet, & mercatores regularitèr ſic negotiantur, ergo, ſi valet à coniecturis, & communitèr accidentibus probatio quoad hoc, dicendum erit, quod ſufficientèr probetur lucrum ceſſans, ſi probetur eum, cui pecunia debetur, eſſe mercatorem aſſuetum negotiationibus, ſeu lucris. Confirmatur, quia in dubio, an res aliquà ità ſe habeat, vel aliter præſumendum eſt, quod ſe habeat ſecundum ea, quæ vt plurimum, & regularitèr accidunt, non ſecundum ea, quæ minus frequentèr, & per accidens contingunt, ſed mercatores aſſueti negotiari regularitèr, & vt plurimum res exponunt negotiationibus, & lucro, ergo in dubio ſemper præſumendum eſt pro futura implicatione, adeoque ſat erit probare, quod fuerit creditor mercator aſſuetus negotiationibus. Huic confirmationi potiſſimum adhæret *Rota Romana deciſ. 774. num. 2.* loquens in ſolito non tenere pecunias ſuas otioſas, & ab hac opinione in puncto iuris non diſcedit *Menochius de arbit. Iud. caſ. 118. num. 6. in fine, ibi conſtare itaque debet*. Confirmatur ſecundo ex cõmuni praxi Mercatorum Genuenſium, qui, quia ſemper ſupponuntur parati ad dandas, vel accipiendas pecunias cambio, ad exigendum intereſſe lucri ceſſantis non probant exiſtentiam promptæ occaſionis ad lucrandum, ſed præciſè, ſe eſſe Mercatores aſſuetos negotiationibus, quod ſufficere pluribus in locis definiuit *Rota Genuenſis, & præcipuè deciſ. 1. ſub nu. 43. 44., & 45. deciſ. 199., Paulus ſub nu. 8. verſ. altera vero, & deciſ. 19. Nos Auditores nu. 9. in fine*, & latè probatum eſt in *Rota Romana coram Card. Lancelloto Luna 7. Iunij 1610.*

Probatio valet à coniecturis, & à communiter accidentibus.

In dubio præſumédum eſt ſecũdum ea, quæ communiter accidunt.

Genuenſes probant ſolùm ſe eſſe negotiatores ſolitos negotiari.

Dices, hæc, quæ dicuntur, valere, reſtrictiuè in Ciuitate Genuæ, in qua forus cambiorum ſemper paratus eſt dare, & accipere pecunias cambio qua-

Digitized by Google

qualibet die, & hora in Platea Banchorum, non in alijs locis, in quibus occaſiones dandi, & recipiendi non ità ſunt paratæ. Sed contrà primò, quia in aſſertione dixi, *& ſic in loco, in quo frequentes ſunt negotiationes*, quæ particula ſtat reſtrictiuè. Secundò, quià, quamuis in alijs Ciuitatibus non ſint ita promptæ occaſiones cambiendi, ſeu negotiandi ex cambijs, ſunt tamen aliæ occaſiones mercandi, emendi annuos redditus, negotiandi in ſocietatibus officiorum, & his ſimilibus. Tertiò, procedit aſſertio de Mercatore aſſueto negotiationibus, qui certè talis dici non poſſet, niſi frequentes haberet, & ſolitas occaſiones lucrandi. Cæterum, ſi ſupponas in omni genere in loco, in quo adeſt creditor, raras eſſe occaſiones negotiandi, eundemque creditorem ad alia loca pecuniam non ordinare pro lucris, tunc certè deberet probare exiſtentiam promptæ occaſionis, ſine qua ſaltem in foro externo non poſſet exigere compenſationem lucri ceſſantis.

Mercator dicitur aſſuetus negotiationibus, qui frequentes habet occaſiones.

7 ASSERTIO V. Si creditor eſſet pecuniam, ſi per debitorem reſtitueretur, implicaturus in negotiationes cambiorum de nundinis ad nundinas ſufficiētèr probaret quantitatem intereſſe, quod poteſt exigere ob lucrum ceſſans ex quantitate lucri, quod exigitur in eiſdem nundinis, ſi verò eſſet implicaturus in cambia de nundinis ad alia loca non nundinaria, vel de vno in alium locum ſufficientèr probaret ex quantitate, quæ ex vſu fori in ſimilibus cambijs percipitur; ſi in alijs negotiationibus, in quibus lucrum eſſet incertum, & poſſet aſcendere ad plus, vel deſcendere ad minus ſtandum eſt in taxatione quantitatis arbitrio Iudicis, vel peritorum in tali negotiatione attentis omnibus circunſtantijs, ſpe lucri probabili, & periculo ſortis.

Probatur primò quoad primam, & ſecundam partem in ordine ad negotiationes cambiorum, quæ fuiſſet creditor initurus. Tutior regula aſſignari non poteſt pro huiuſmodi quantitate taxanda, quam illa, quam praxis ipſa approbat non reprobata, ergo, ſi creditor probet in cambijs de nundinis ad nundinas tantum fuiſſe exactum, & non plus, nec minus, & tantum exigi in cambijs de loco ad locum non nundinarium poterit ad proportionem illorum exigere intereſſe alio non probato pro ſuis cambijs, quæ iniuiſſet. Hac regula, teſte *Scaccia §. 1. quæſt. 5. part. 2. ampl. 8. nu. 243.* vti conſueuerunt Mercatores Genuenſes, qui, vt ſe eximant ab hac difficili liquidatione quantitatis, producunt notulam cambiorum, & recambiorum cum reditibus cuiuſq; fori, vel teſtibus comprobatam, vel fide Cancellarij eiuſdem fori obſignatam, & ad proportionem eiuſdem taxari contendunt intereſſe pro ſuo lucro ceſſante.

Tutior regula eſt ipſa praxis.

Genuenſes producunt notulam reddituũ ad probandum.

Probatur ſecundò, in ordine ad alias negotiationes, in quibus &c. In ijs, quæ actu non ponuntur, ſed, ſi ponerentur, penderent à ſpe futuri euentus *ex dictis tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 13. num. 8.* non tantum debet accipi pro lucro ceſſante, quantum eſt intereſſe, quod ſperaretur, ſi poneretur contractus, ſed deducenda ſunt ea, quæ exigeret æſtimatio laborum, incertitudo eiuſdem lucri, expenſæ inſumendæ, & alia huiuſmodi, ſed hæc congruentius taxari non poſſunt, quam per arbitrium Iudicis, & in arte peritorum, ergo &c. Minor probatur, quia, ſicuti pretia cuiuſcunque rei taxantur arbitrio prudentum attentis omnibus circunſtantijs, quæ augere poſſunt, vel diminuere valorem eiuſdem rei, vt latè probauimus *eodem tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. Prænot. 2. num. 1.* ità non aptius pretium pro iure lucri ceſſantis taxari poteſt, quam eorundem iudicio attentis præallegatis conditionibus, & circumſtantijs. Confirmatur conſtante de damno, ſeu intereſſe, & non probata quantitate taxatio ſuper eadem damna, & intereſſe fit per Iudicem arbitrio boni viri, qui facta per ſe, & iudicio illius prudentis viri tali taxatione admittit poſteà damnificatum, ſeu læſum in intereſſe ad iuramentum, vt latè ſecutus eſt *Scaccia in ſuo tract. de Iudic. cauſ. lib. 2. cap. 7. n. 761. & cap. 9. nu. 427.* ergo etiam conſtante de lucro ceſſante, & non de quantitate eiuſdem, taxatio facienda erit per eundem Iudicem adhibito iudicio prudentis viri in illa arte, vel per arbitrium præciſè peritorum.

Taxatio facienda eſt arbitrio boni viri, vel Iudicis.

ASSERTIO VI. Ad exigendam compenſationem lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis debet creditor probare, 8
quod, ex quo non habuit pecuniam ſibi debitam, non potuit lucrari, ſeu damnum euitare, & item, ſi ex non ſolutione debitoris tempore conuento compulſus fuit alias pecunias ſub intereſſe accipere, vel in ordine ad ceſſationem lucri, vel ad damnum euitandum, tenetur concludentèr euincere, ſe ideo accepiſſe, quià debitor non

Digitized by Google

ſoluit, quandò ſoluere debebat, & expreſſim in eam cauſam accepiſſe. Prima pars latè fuit definita pluribus in locis per Rotam Romanam, & præcipuè *in vna Romana fructuum, & intereſſe die* 10. *Decembris* 1614. *coram Pamphilio verſ. præterea, & in altera Lucana locationis Veneris* 18. *Martij, &* 29. *Aprilis* 1611. *Coram Card. Lancelloto*. Secunda pars etiam definita fuit per eandem Rotam Romanam *diuerſ. deciſ.* 775. *dubitatum ſub nu.* 1. *in Mediolanenſi pecuniaria Mercurij* 27. *Martij* 1602. *coram Litta in impreſſis Lugduni* 1612. Tertia pars eſt *Mobedanæ deciſ.* 1., & 2. *tit. de vſuris alias* 102., & 103., & latius eam ſuſtinuit eadem Rota Romana *in vna Romana cambiorum de Grandis Veneris* 15. *Maij* 1592. *coram Card. Millino*.

Damnũ, quod poteſt alitèr euitari, non inducit onus cõpenſationis.

Probatur prima pars, quià ex alibi dictis *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot.* 13. *nu.* 5., & 8. quotieſcunque damnum illud, ſeu lucri ceſſatio poteſt aliundè reparari, creditor non poteſt intereſſe pro illis exigere, ergo debet determinatè probare, quod, ex quo pecuniam illam à debitore non habuit, paſſus ſit illam ceſſationem lucri, & damnum. Conſequentia probatur, quià non poſita tali probatione ſemper poſſet eſſe dubium, quod potuerit aliunde reparare, poſſet enim habere alias pecunias otioſas, quibus, ſi vellet, poſſet &c. quo in caſu certè non deberetur eidem intereſſe per ea, quæ latè ſcribit *Toletus de inſtruct. Sacerd. lib.* 5. *cap.* 33. *de lucro ceſſante ſub num.* 1. Confirmatur, quià poſita etiam prompta occaſione lucrandi, & habita per debitorem pecunia poſſet contingere, quod creditor pecuniam in illa occaſione non implicaret, vel quià non conueniat in pretio, vel in alia conditione, vel quia velit in vſus non vtiles conuertere, ergo debet probare determinatè, quod ideò non fuerit lucratus, vel damnum fuerit paſſus, quia non habuit illam pecuniam.

Probatur ſecunda, & tertia pars ſimul. Ad exigendum intereſſe pro lucro ceſſante, vel damno emergente ob non reſtitutionem pecuniæ tempore debito debet probari in indiuiduo, & determinatè illud lucrum ceſſaſſe, vel damnum emerſiſſe ex illa non reſtitutione præcisè, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo ad hoc, vt creditor compulſus ob non reſtitutionem aliam pecuniam ſub intereſſe recipere, poſſit intereſſe à debitore exigere, debet probare concludentèr, ſe ideò recepiſſe, quià debitor ſibi non ſoluit in termino præfixo, & expreſſim in eam cauſam recepiſſe. Conſequentia probatur, quia non probato præcisè, & in indiuiduo illo fine receptionis alterius pecuniæ ſub intereſſe non reſultat euidenter, quod ex illa non poſitione reſtitutionis illud lucrum eidem ceſſarit, vel damnum emerſerit, ſi quidem potuiſſet ad cambium ob alias cauſas recipere. *Rota Rom. in vna Romana Cambiorum de Grandis Veneris* 15. *Maij* 1592. *num.* 1. *coram Cardin. Millino*, & fortè etiam potuit non accepiſſe ab alio illam pecuniam, ſed extraxiſſe ſuam pecuniam otioſam, & fallere debitorem, aſſerens ſe illam ad cambium ſub vſuris accipiſſe, vt benè notat *Scaccia de commertijs §.* 1. *quæſt.* 7. *part.* 2. *ampl.* 8. *num.* 248. Confirmatur, quia probata acceptione pecuniarum ſub intereſſe per creditorem, & non probato fine in indiuiduo, ob quem accepta eſt, non eſt probatio liquida, & concludens pro tali fine, ſed probatio non liquida non releuat *Mobedana deciſ.* 1., & 2. *tit. de vſuris*, ergo &c.

Poſſet creditor fallere debitorem multis modis.

Hic immediatè oritur difficultas, an, quando debitor eſt moroſus, & creditor compellitur ob moram aliam pecuniam ſub intereſſe accipere ad reparanda damna ſibi imminentia, vel ob alium finem teneatur ante acceptionem denuntiare debitori, ſe illam pecuniam accepturum ſub intereſſe, niſi reſtituat. Sed huic difficultati iam ſatisfactum eſt *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot.* 15. quare vlterius non immoror.

PRÆNOTIO XIX.

An detur exceptio pecuniæ non numeratæ contra literas cambij.

SVMMARIVM.

Variæ perſonæ, circà quas poteſt eſſe dubium, an detur hæc exceptio. 1.

Ad exceptionem non numeratæ pecuniæ requiritur confeſſio facta per inſtrumentum. 2.

Priuilegium exceptionis non numeratæ pecuniæ per l. ſi ex cautione C. de non num. pec. *locum non habet contrà literas cambij in fauorem acceptantis literas, ſiuè ſimpliciter, ſiuè ſuper proteſtu aduerſus eum, cui facta fuit acceptatio, & cui facienda ſolutio.* 3.

Nec in fauorem datoris literarum aduerſus eum, qui ſoluit literas cambij, ſiuè purè, ſiuè ſuper proteſtu quicunq; ille ſit. Ibid.

Nec

Nec in fauorem eiuſdem contrà ſtipulatorem, ſeù creditorem ex cambio, ſiuè dicatur in literis per la valuta hauuta, *ſiuè dicatur* per cambiati con noi, ò conti con altri. *Ibidem.*

In his omnibus locum habet diſpoſitio in l. in contractibus §. ſuper cæteris C. de non num. pecu. 4.

Literæ cambij, vel ex conſuetudine, vel ex iuribus municipalibus habent executionem paratam. 5.

Diſſoluitur argumentum deſumptum à paritate mutui. 6.

Aliud argumentum diſſoluitur. 7.

Satiſfit auctoritati Baldi. 8.

PLura attigimus de exceptione numeratæ pecuniæ quoad eiuſdem naturam, proprietates, & effectus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſura Prænot. 5. per totum, & ſub eodem tit. in Diſquiſ. 2. §. 1. vſque ad 4. incluſiuè*, quare in ipſius explicatione non immorandum in præſenti. Tota difficultas reducitur ad hoc caput, an, ſicuti hæc exceptio datur in mutuo, & dote, ità etiam concedenda ſit in contractu cambij, circà quam latè contendunt *Scaccia §. 2. Gloſ. 8. à num. 1. vſque ad 14., Turri de Cambijs diſp. 2. quæſt. 16. per totam*, qui pro vtraque parte rationes afferens tandem varijs appoſitis conditionibus, & diſtinctionibus iuxtà eaſdem diuerſimodè concludit. Pro notitia.

An detur exceptio etiam in contractu cambij.

1 Aduerte, controuerti poſſe, an hæc exceptio non numeratæ detur, vel dabilis ſit in ordine ad diuerſas perſonas, primò in ordine ad acceptantem literas cambij, ſiuè ſimplicitèr, ſiuè ſuper proteſtu, ſiuè ad ipſum pertineat tracta ratione curæ, ſiuè ratione intereſſe aduerſus eum, cui facta eſt acceptatio, & cui facienda eſt ſolutio vigore dictarum literarum; Secundò, in ordine ad datorem literarum cambij aduerſus eum, qui ſoluit literas cambij ſiuè ſimplicitèr, ſiuè ſuper proteſtu, ſiuè ille, qui ſoluit ſuper proteſtu fuerit is, ad quem tracta fuit directa, ſiuè is, cui remiſſa fuit deſtinata, ſiuè tertius quidam ab ipſis. Tertiò, in ordine ad datorem earundem literarum aduerſus ſtipulatorem, ſeù creditorem ex eodem cambio, ſiuè in literis fuerit expreſſa cauſa ſpecialis, *per la valuta hauuta*, ſiuè generalis: *cambiati, vel conti con noi, ò pure conti con Antonio.*

Aſſignantur perſonæ, contrà quas poteſt eſſe dubiū, an detur hæc exceptio.

2 Aduerte ſecundò, ſeù potius recole ex dictis *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſura Prænot. 5. num. 4.* ad hoc, vt detur exceptio non numeratæ requiri confeſſionem recipientis factam eſſe inſtrumento, aut coram teſtibus, eo quia confeſſio priuata nihil probat, & in foro externo non eſt ſufficiens ad conferendum ius excipiendi *Gloſ. in l. ſi ex cautione C. de non numerata pecunia. Molina tract. 2. diſp. 302. in principio*, cæterùm innumerę contentionum iniquarum ſuborirentur radices, & occaſiones; ex quo tamen capite non poteſt excludi priuilegium exceptionis quoad literas cambiorum, eo quia huiuſmodi literæ ex recepta conſuetudine habent vim publici inſtrumenti *Zauatellus conſ. 153. nu. 1. Baldus conſ. 384. num. 3. lib. 1.* Quibus ſuppoſitis ſit

Ad exceptionem non numeratæ requiritur cōfeſſio.

Assertio. Priuilegium exceptionis non numeratæ pecuniæ, quod conceditur per *l. ſi ex cautione C. de non numer. pecun.* locum non habet contrà literas cambij, nec in fauorem acceptantis literas, ſiuè ſimplicitèr, ſiuè ſuper proteſtu aduerſus eum, cui facta fuit acceptatio, & cui eſt facienda ſolutio, nec in fauorem datoris literarum aduerſus eum, qui ſoluit literas cambij, ſiuè purè, ſiuè ſuper proteſtu quicunque ille ſit, nec in fauorem eiuſdem contrà ſtipulatorem, ſeù creditorem cambij, ſiuè dicatur in literis *per la valuta hauuta*, ſiuè dicatur, *per cambiati con noi, ò conti con altri*. Ità in vniuerſum, *Turri de cambijs diſp. 2. quæſt. 16. à num. 56. vſque ad num. 85.* aduerſus *Scacciam loc. cit. in princip. Prænot.* 3

Dixi, *quod conceditur ex l. ſi ex cautione C. de non num. pecun.* quià non renuo concedere locum habere contrà huiuſmodi literas diſpoſitionem iuris *in l. in contractibus §. ſuper cæteris C. de non numer. pecunia*, vi cuius conceditur cuicunque debitori ex quacunque cauſa, & contractu poſſe excipere contrà ſtipulatorem, ſeù creditorem de non numerata pecunia intrà dies triginta, poſt quos etiam ſtatuta Genuenſia concedunt præceptum executiuum. Attende verba *d. l. vel ſi qua alterius cuiuſcunque contractus gratia*, vbi *Bartolus, Salicetus, & alij*, aſſignant tale tempus in contractu cambij ad excipiendum, vltra quod maiorem extenſionem non admittunt. Hæc, quæ dicuntur ex vi *præcit. l. in contractibus §. ſuper cæteris C. de non num. pecun.* verificantur non ſolùm quoad literas cambij, contrà quas facta non fuit proteſtatio, ſed etiam reſpectu illarum, contrà quas fuit proteſtatum per ſtipulatorem, vel per eum, cui facienda erat ſolutio vigore earundem literarum, cum lex illa ad quoſcunque contractus ſine reſtri- 4

Diſpoſitio iuris in l. in contractibus explicatur.

ctione referatur, & licet ex vi ſtatutorum Genuenſium, de quibus ſuprà, huiuſmodi literæ ſic proteſtatæ intrà horas viginti quatuor exequi debeant, non excludunt tamen illam exceptionem, *Antonius de Canario in tract. de execut. inſtrum. quæſt. prima num. 2., Cynus in l. ità nobis 28. C. de adultis*, cum illæ non recipiant altiorem indaginem, quamuis à facto dependeant, dummodò ſtatim probari poſſint, *Felinus in c. ex parte il 2. in 7. 15., & 19. limitatione, & ibi Decius num. 48. de offic. deleg., Romanus conſ. 244. num. 6.*

Temperat hæc, quæ hic dicuntur *Turri de Cambijs diſp. 2. quæſt. 16. ſub n. 85. verſic. temperarem*, adeò vt non procedant, ſi datores literarum fuerint Mercatores, ſeù Bancharij, eo quià, cum eiſdem aſſiſtat fides publica, non videntur poſſe vti hujuſmodi exceptionibus *Baldus l. fruſtra C. de non numer. pecun. Iaſon l. ſingularia num. 89. ff. ſi certum pet.* præcipuè, cum in ijs non poſſit eſſe præſumptio, quod confeſſionem liberatoriam emiſerint ex facilitate, & ſpe futuræ numerationis, & vt eam facilius aſſequantur.

Mercatores non videntur poſſe vti priuilegio exceptionis, cum ipſis aſſiſtat fides publica.

Sed non libentèr acquieſcerem huic limitationi; primò, quià quandòq; in maioribus conſtituuntur indigentijs ob ſuperuenientem literarum numerum, vel ob alias negotiationes initas Mercatores, & Bancherij, quam aliæ priuatæ perſonæ, adeò vt fundare poſſint rationabilem præſumptionem, quod literas confecerint ſpe concepta conſequendi poſteà pecuniam, quam confeſſi ſunt recepiſſe, ergo, ſi propter hoc motiuum indigentiæ, ex qua oritur facilitas illa faciendi &c. conceditur priuilegium exceptionis alijs perſonis, hoc denegandum non eſt Mercatoribus, & Bancherijs, cum pro eiſdem militare etiam poſſit idem ius, ſeù motiuum indigentiæ, ſeù facilitatis propter indigentiam.

Militare etiam poteſt pro Mercatoribus motiuum indigentiæ.

Secundò, quià priuilegium generalitèr conceſſum ſine vlla reſtrictione non limitatur quoad aliquas perſonas in particulari, nec eſt excluſiuum aliquarum ex eo, quod pro eiſdem non militet motiuum conceſſionis, ergo &c. Antecedens probatur *ex l. 1., & ſeqq. ff., & C. ad macedonium*, quibus deobligantur filij familias à reſtitutione mutui accepti ex motiuo indemnitatis parentum, vt latè diximus *tom. primo ſub tit. Contractus 3. de mutuo, & vſuris Prænot. 4. aſſert. 3. num. 5. & 6.* nam filij, vt reſtituere poſſent mutuum, parentibus necem moliebantur, & tamen, ſi reſpectu aliquorum ceſſet tale periculum, ſeù motiuum ob cauſas non exceptas in iure, puta ob vehementem propenſionem filiorum in Patres, ob ingenuam ipſorum indolem, & ſimilia non excluduntur à iure non reſtituendi conceſſo per idem Senatus conſultum Macedonianum, ergo &c. Confirmatur hæc exceptio conceſſa eſt contractui ſecundum ſe præciſo ordine, vel ad hanc, vel ad illam perſonam determinatè, ergo, cuicunque competit tali pacto contrahere, competet etiam ius illud exceptionis, etiam ſi quoad ipſum ex aliqua præſumptione ceſſare videatur motiuum conceſſionis, dummodò à iure expreſsè non prohibeatur illo iure exceptionis vti, ea proportionali ratione, qua ex vſu fori legitimè conſtituto alicui rei venali in ſpecie determinato pretio attentis omnibus circunſtantijs, laboribus in acquirendis mercibus in illa ſpecie, officio mercandi, & ſimilibus poteſt quis res in illo genere, quas habet, etiam ſi laborem in illis acquirendis non impenderit, officium mercandi non exerceat &c. tali determinato pretio vendere ſine aliqua labe, quia pretium illud vniuerſaliter conſtitutum eſt, nec eſt aliqua prohibitio vetans &c. ergo &c.

Exceptio conceſſa eſt contractui ſecundũ ſe, non in ordine ad determinatas perſonas.

Ad id, quod ex Baldo, & Iaſone affertur de publica fide, quæ aſſiſtit Mercatoribus, & Bancherijs, dicendum eſt, hanc fidem ipſis adhiberi, quatenùs, eorum libris creditur tanquam publicis inſtrumentis, per quod tamen non tollitur, quin ex facilitate illa ſupra ponderata potuerint ſub ſpe futuræ numerationis literas conficere, & fateri numerationem, quamuis illa facta non ſit, & poſtea intra tempus à iure præſcriptum vti remedio exceptionis, vnde in hac hypotheſi fides per ipſum mercatorem adhibita potius eſt promiſſori, ob cuius promiſſionem literas confecit, & confeſſus eſt, quam per promiſſorem eidem fatenti, & datori literarum adhibita, & per conſequens locum hic non habent ea, quæ ex Baldo, & Iaſone afferuntur.

Publica fides, quæ adhibetur mercatoribus eſt, quia, eorum libris creditur.

Probatur iam prima pars aſſertionis *ex l. fruſtrà C. de non numerata pecunia*, vbi ſic dicitur. *Fruſtra opinaris exceptione non numeratæ pecuniæ te eſſe munitum, quandò vt fateris in eius vicem, qui erat obligatus, ſubſtitueris te debitorem*, quò in loco Gloſa rationem adducit illis verbis; *neque enim hoc actum eſt, vt ſibi numeraretur pecunia, neque ex perſona ipſius obligatio ſumpſit initium*, ſed acceptator literarum, ſiuè ſimplicitèr, ſiuè

ſuper

Digitized by Google

ſuper proteſtu ſubſtituit ſe debitorem in vicem mandantis, ſeu datoris literarum, ergo fruſtra opinatur, ſe eſſe munitum exceptione non numeratæ pecuniæ; neque opponas *l. tàm mandatori, C. eodem tit.*, vbi ſic legitur *tàm mandatori, quàm fideiuſſori non numeratæ pecuniæ exceptio exemplo rei principalis competit*; non, inquam, hæc opponas, nam tam mandatori, quam fideiuſſori in hypotheſi *l. tàm mandatori* competit ius exceptionis, quià agunt præcisè in perſona debitoris *Gloſa in eadem l. tàm mandatori*, cui ſimplicitèr accedunt; acceptatori autem literarum hoc ius non competit, quià agit in perſona propria, præcipuè cum hic ſe obliget ex conſtituto, vt longa explicationis ſerie contendit probare *Turri de Cambijs diſp. 2. quæſt. 16. num. 57., & ſeqq. vſque ad num. 73.* applicans ea omnia, quæ requiruntur ad ædictum Prætoris de conſtituta pecunia, quæque compræhenduntur *in tot. tit. ff. de conſtituta pecun.* ad acceptatorem literarum. Sed adhuc remanet difficultas, cur mandator, & fideiuſſor dicatur agere in perſona debitoris præcisè, non ſic acceptator literarum in perſona mandantis, & cur hic dicatur, ſe obligare ex conſtituto, non ſic ille, quod erat per eundem Turri explicandum ad iuſtificandum dictum, quod acceptator literarum cadat ſub diſpoſitione *l. fruſtra* non ſub diſpoſitione *in l. tàm mandatori*. Gloſa *in eadem l. fruſtra verbo debitorem* videtur innuere, acceptatorem literarum non agere in perſona mandantis, ſed ſe obligare ex conſtituto, quia præſumitur facta numeratio per creditorem eidem mandanti, ibi, *ſecus ſi nec illi*, ideſt mandanti, *erat numeratum, vt tit. eod. l. tàm mandatori*, fideiuſſorem verò, & mandatorem agere in perſona debitoris, & non ex conſtituto, quia non eſt præſumptio, quod facta fuerit numeratio. Sed adhuc remanet inquirendum, cur in iſtis ſit præſumptio numerationis, non in illo? quod certè debebat Gloſa explicare ad iuſtificandum aſſertum. Turri *loc. cit. ſub num. 40. in reſp. ad tertium* aſſerit, acceptatorem literarum ſe obligare ex conſtituto, & non in perſona mandantis, non ſic fideiuſſorem, ſeù mandatorem, eo quia eſt præſumptio in iſtis, quod id peragant ex nimia facilitate confitendi, quatenùs, cum ſubeant onus illius immediatè, & ille ob indigentiam facile fateatur numerationem, videtur congrua ratione inferri, quod, ſicut iſte poteſt excipere, ità & illi nomine iſtius poſſint excipere, quæ ratio non militat in acceptatore literarum, qui ſuam fundat acceptationem ſuper aliena ciuili, & naturali obligatione. Sed adhuc perſiſtimus in petitione principij. Quæro enim, cur ex nimia facilitate confitentis in fideiuſſore, & mandatore fiat illatio exceptionis, non ſic in receptatore literarum? Certè, & hic accedit pro principali reo, ſicuti & illi, & ſi illi poſſunt ſupponere facilitatem in confitente, cur non & iſte? Alij dicunt, acceptatorem literarum non agere in perſona mandantis, & ſe obligare ex conſtituto, quià per acceptationem extinguitur obligatio principalis debitoris, & in ipſum ſolummodò tranſit, quod non militat in fideiuſſore, & mandatore. Sed hæc etiam explicatio non ſubſiſtit, quia per ſimplicem acceptationem literarum, vt ſuprà planè docuimus, non deobligatur principalis debitor, niſi ponatur, vel formalis, vel ſaltem virtualis ſolutio. Deindè ſe obligante aliquo pro alio ex conſtituto adhuc is, pro quo conſtituit, obligatus manet, *Vulpianus l. qui autem §. conſtituere ff. de conſtit. pecun. l. item illa §. vetus ff. eod tit.* Quamobrem tutius crediderim, acceptatorem literarum non habere remedium exceptionis, & teneri ex propria, & præcipua obligatione, quià acceptando literas ex interuallo non intercedit ad firmandum contractum, quo prius pecunia datur à creditore ad cambium datori literarum, ſine quo non fieret cambium, ſicuti intercedit fideiuſſor, ſeu mandator, in quorum fide pecunia ad cambium conceditur, ſine qua non concederetur, ſed intercedit ex poſt facto, conſtituto ſcilicet iam cambio, & in fide ſolius datoris literarum, non in ſecuritatem creditoris, ſeu concedentis ad cambium, adeòque obligatio, quam aſſumit, eſt obligatio propria, & præcipua ſuperueniens contractui iam conſtituto, nec vllo modo reſpicit creditorem, in cuius ſecuritatem non accedit, contrà quem proptereà non poteſt excipere. Deindè ipſe acceptator literarum eo ipſo, quod ſimplicitèr acceptat, videtur ſimpliciter renuntiare remedio exceptionis, & cum acceptet poſt factum contractum cambij inter creditorem, & datorem literarum ex interuallo, vtique renuntiat, renuntiatio autem ex interuallo facta valida eſt, & ſubſiſtens, vt de communi omnium Doctorum conſenſu teſtatur. *Scaccia tract. de commert. §. 2. gloſ. 8. num. 3. verſ. reſtringe hanc*

am-

Acceptator literarum ſe obligat ex conſtituto.

Cur fideiuſſor dicatur agere in perſona debitoris, non ſic acceptator literarum in perſona mandantis.

Propria mens circa propoſitam difficultatem exponitur.

Acceptator literarum eo ipſo, quod acceptat videtur renunciare remedio exceptionis.

Digitized by Google

ampliationem. Molina de iuſt. tom. 2. de contractibus diſp. 302. verſ. vtrum, nec incongrua ſanè ratione, nam quoad hoc locum habent ea, quæ ex Turri innuimus de non exiſtentia illius facilitatis in confitendo, eo enim ipſo, quod poſt contractum illam obligationem in acceptatione literarum aſſumpſit, videtur ſupponere ea omnia interueniſſe, quæ erant neceſſaria ad complementum illius contractus, & vigore complementi ſe obligare.

Probatur ſecunda pars quoad datorem literarum aduerſus eum, qui ſoluit literas cambij. Quia ſolutor literarum cambij, ſiuè ſit ſolutor ſimplicitèr, ſiuè ſuper proteſtu ius acquirit, & actionem mandati, vel ſaltem negotiorum geſtorum, vt ſuprà latè probauimus, & dator literarum dumtaxat obligatur, vel actione mandati, vel actione negotiorum geſtorum, ſed in obligationibus ex actione mandati, vel negotiorum geſtorum ceſſat hæc exceptio, quæ ſolùm datur in mutuo, nec eædem rationes militant in iſtis, quæ militant in eodem mutuo, ergo &c. Minor probatur tum *ex l. generalitèr C. de non numer. pecun.* tùm quià rationes, quæ militant in mutuo, eſt facilitas in debitore, & dolus in creditore ob quæ per iura conceſſa eſt exceptio non numeratæ pecuniæ, ſed hæ non militant quoad datorem literarum in cambio, & ſolutorem earundem, ergo &c. Minor probatur; nam ſoluens non irretitur dolo, cum ſtet fidei, & confeſſioni datoris, & dator ipſe, ſi quam facilitatem habet in confitendo, eſt in ordine ad creditorem, à quo pecunia erat accipienda, ſeu in cuius fide confeſſus eſt recepiſſe ſub ſpe futuræ numerationis, contrà quem propterea acquirit ius exceptionis, non in ordine ad ſolutorem literarum, contra quem propterea non poteſt excipere.

In obligationibus ex actione mandati, & negotiorum geſtorum ceſſat exceptio.

Dices, dator literarum reſpectu eius, qui ſoluit, eſt verè, & propriè mandator, ſed mandatori, & fideiuſſori competit exceptio non numeratæ pecuniæ, ergo &c. Minor probatur *ex cit. l. tàm mandatori C. de non num. pecun.* Sed contra, quià quamuis dator literarum ſit mandator reſpectu acceptantis literas, eaſque ſoluentis, non tamen propriè acquirit ius exceptionis, quod conceditur mandatori *in cit. l. tàm mandatori C. de non num. pecun.* non ſolùm, quià non eſt mandator occaſione mutui, de qua procedit ſolummodò diſpoſitio iuris *in illa l. tàm mandatori*, ſed etiam, quià remedium exceptionis, quod conceditur mandatori, & fideiuſſori, eſt ſolummodò, quandò agunt, & excipiunt in perſona eius, in cuius fauorem mandant, & fideiubent, vt latè probauimus ſuprà; hic autem non ageret excipiendo in perſona eius, cui facta fuit ſolutio, ſed in perſona propria. Deindè quoad acceptantem literas, & ſoluentem acquiritur ſolummodò actio mandati, & negotiorum geſtorum, contrà quem propterea ex ſuperius allegatis non conceditur exceptio.

Probatur tertia pars, quià in contractibus emptionis, & venditionis non datur exceptio non numeratæ pecuniæ, ſed agitur ſolùm ex empto *arg. l. Iulianus §. ſi quis colludente cum tot. tit. ff. de action. empt.* ergo neque in contractu cambij dabitur talis exceptio, ſed actione cambij per datorem literarum agendum erit contrà ſtipulatorem. Conſequentia probatur, quià ex vno capite iuxtà ea, quæ ſuprà attigimus, contractus cambij magis accedit ad contractum emptionis, & venditionis, quam ad naturam mutui, *Turri de cambijs diſp. 2. quæſt. 16. num. 5., Ioannes de Anan. in cap. vlt. nauiganti ſub num. 46. de vſuris, Boninſignius tract. de cambijs cap. 6. verſ. ne anche, & verſ. præſupoſto. Fabianus eodem tract. de cambijs par. 2. cap. 5. num. 56., Caietanus de cambijs cap. 7. ſub num. 2.* quinimmò nihil habet de mutuo, *Baldus in l. 2. n. 2. verſ. item cambia C. de vſur. rei iud., Medina tom. 2. tit. de rebus per vſur. acquiſ. quæſt. 5. col. 1. verſ. corrolariè. Sotus tract. de iuſt. & iu. lib. 7. quæſt. 8. art. 2. in 3. concl. col. 2., Nauarrus in cap. Nauiganti num. 9. verſ. undè primum, & ſub num. 21. verſ. hic contractus. Fabianus Genuenſis tract. de cambijs part. 2. cap. 5. nu. 55. verſ. nec etiam. Michael Salonius in ſecunda ſecundæ D. Thomæ poſt quæſt. 78. in diſp. de cambijs quæſt. 1. art. 1. ſub num. 4.* ex alio capite, cum ex conſuetudine, vel ex aliquo ſtatuto nouus contractus inducatur pro illius complemento, oritur actio ex eodem contractu, *Bartolus l. vnica num. 10. ff. de condit. ex leg.* ergo in contractu cambij non datur remedium exceptionis, ſed actionis ex eodem cambio, ſicuti conceditur actio ex empto in contractibus emptionis, ex locato in contractibus locationis &c. Ex quibus corruit reſponſio *Scacciæ tract. de commert. §. 2. gloſ. 8. num. 2. verſic. reſpondeo huic oppoſitioni*, aſſerentis contractum cambij habere mixturam mutui, cui propterea concedenda eſt exceptio non numeratæ,

Cambiū non habet mixturam mutui.

meratæ, ſicuti conceditur eidem mutuo, vel etiam ſi non habeat adnexum contractum mutui, habere tamen priuilegium exceptionis, quæ non conceditur contractui, vt contractus eſt, ſed rei, quæ poſſit cadere ſub contractum mutui; corruit, inquam, quià ſinè fundamento aſſeritur illa mixtura mutui, quam, quià ſuprà confutauimus, non immoramur, vt refelamus in præſenti. Deindè data illa mixtura, ſed non conceſſa, ſi contractus ratione mutui admixti illam exceptionem admittit, cur ratione alterius contractus, cui annectitur, illam non excludit? Tandem, ſi ſit mixtura mutui cum alio contractu ſiuè nominato, ſiuè innominato, peto, vel tranſit in tertiam ſpeciem contractus, vel remanet diſcriminatim in ratione illa duplicis contractus; ſi primum, ergo non remanet amplius mutuum, adeòque eidem non concedenda exceptio, quæ ſoli mutuo, vt tali conceditur. Si ſecundum; ergo pretium, quod exigeretur non exigeretur ex cambio, ſed ex illo duplici contractu, remanente vtroque in ſuo eſſe, & in ſua ratione formali, adeòque etiam ex mutuo, quod nullus iuſtè aſſerere poteſt. Ad id, quod dicebatur de re mutuabili, nempè ratione eiuſdem, non contractus conceſſum eſſe remedium exceptionis patet ex ſe, quam à veritate aberret; certè enim res vendibilis eſt etiam mutuabilis, & tamen quis concederet remedium exceptionis venditioni?

5 Probatur ſecundò eadem tertia pars. Data hac exceptione in cambio tota cambiorum praxis euerteretur, ſiquidem in mercatorum foro, vel ex conſuetudine vbique recepta, vel ex iuribus municipalibus inductum eſt literas cambij habere executionem paratam, nec mercatores ipſi receptis huiuſmodi literis de alia re ſunt ſolliciti, quam de fide debitoris, & nimis eiſdem durum eſſet, ſi poſt moram duorum annorum ipſis eſſet probanda ſolutio pretij. Confirmatur, quià contractus cambij naturam traxit, & ſubſtantiam ex tacito conſenſu omnium mercatorum ad differentiam mutui potiſſimum, & aliorum contractuum, quorum eſſe inductum eſt per iura, cum in iure nihil expreſsè habeatur de cambio, ergo non eſt recedendum à communi eorum conſenſu, & praxi in ijs, quæ pertinent ad idem cambium, cum igitur ex communi eorum praxi tanquam nimis durum non recipiatur onus probandi ſolutionem factam intra biennium, dicendum eſt, hanc exceptionem non habere locum in cambio, præcipuè cum pro eodem, vel ex conſuetudine vbique recepta, vel ex ſtatutis prouiſum ſit iuxtà *præcit. l. in contractibus §. ſuper cæteris C. de non num. pecun.* & creditori ipſi competat actio ex cambio, ſicuti emptori actio ex empto, locatori ex locato &c.

Literæ cambij habent executionem paratam.

Contractus cambij originem traxit ex tacito conſenſu omnium mercatorum.

Firmata ſic aſſertione, nunc oppoſitis pro contraria ſententia reſpondendum. Arguunt iam primò deſumpta paritate rationis à natura mutui. Ideò 6
in mutuo conceditur illa exceptio iuxtà *l. ſi ex cautione C. de non num. pecun.* quià homines ex indigentia, quam habent pecuniarum, maxima cum facilitate conficiunt literas confeſſionatas concepta ſpe futuræ numerationis, vt ex communi teſtatur *Turri de cambijs diſp. 2. quæſt. 16.* & quia hoc idem motiuum militat in dote, hoc idem ius pro ipſa inductum eſt, ſed etiam eadem ratio, idemque motiuum militat in cambio, in quo qui recipit ad cambium, maiorem præſefert indigentiam, quam indicet recipiendo titulo mutui, ſi quidem mutuatarius nullo alio onere premitur, quam reſtitutionis rei mutuatæ intra tempus conuentum, vel ad arbitrium mutuantis, campſarius verò vltrà onus reſtitutionis premitur etiam onere pretij pro cambio, ergo eadem diſpoſitio militat pro ipſo cambio, quæ pro mutuo *arg. l. illud ff. ad l. Aquil. l. à Titio ff. de verb. oblig., & l. de quibus, & ibi Doctores ff. de legibus.* Quod ſi dicatur, iura diſpoſitiua non extendi vltrà expreſſa, maximè ſi ſint cum reſtrictione, cuiuſmodi eſt *lex illa ſi ex cautione C. de non num. pecun.* quæ reſtringit diſpoſita ad mutuum, & vſuram; ſtatim reaſſumunt dicentes, in illo iure non fuiſſe expreſſum cambium, quià pro illo tempore, pro quo illud ius conditum eſt, nondum fuerat inuentum cambium, adeòque nil mirum, ſi non fuit expreſſum; cæterum cum eadem militet ratio, ſub eadem diſpoſitione cadere dicendum eſt, & iura vtique expreſſiſſent, ſi de illo pro illo tempore habita fuiſſet notitia. Sed contrà hoc obiectum, reſpondeo argumentum à paritate rationis non ſubſiſtere, quandò iura diſponunt cum reſtrictione ad expreſſa, & cum excluſione non expreſſorum; quod, vt euincam, vnum præ cæteris exemplum affero. Qui indiget mutuo, & petit à mercatore, qui renuit illud concedere, ſed loco mutui exhibet exigenti ſuas merces venales, certè poteſt illas accipere

Ex indigentia homines cõficiunt literas confeſſionatas ſub ſpe futuræ numerationis.

Iura diſponunt cum reſtrictione ad expreſſa.

pere iuſtè pretio ſummo expectata ſolutione, eaſdemque immediatè vendere eidem mercatori pecunia præſenti, & quidem ad pretium infimum, dummodò non præceſſerit pactum de retrouenditione, & animo non fuerit intenta redemptio, tunc etenim videretur mutuum palliatum mentale, vt tradidi *tom. primo ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. Diſquiſ. 1. §. 7. per totum*, quo poſito, quæ maior facilitas ad confitendum poteſt eſſe, quam in iſto? & tamen quis ei concederet ius exceptionis? Certè huic obſtat *arg. l. Iulianus §. ſi quis colludente cum tot. tit. ff. de act. empt.* Deindè, quamuis quoad datorem literarum in multis caſibus militet motiuum illud facilitatis in confitendo, in multis tamen, & frequentioribus caſibus illud non militat, & præcipuè quoad Mercatores, & Bancherios, quibus publica fides aſſiſtit, *Baldus l. fruſtra C. de non numerata pecunia*, & in quibus non præſumenda eſt illa facilitas, cum habeant modum celebrandi cambium, literaſque conficiendi habita cautione de pretio, nec illa indigentia intelligantur premi; & ſic non videtur dicendum, illud remedium extendi ad cambia, quamuis in aliquibus ipſorum militat eadem ratio, quæ militat pro mutuo, ſicuti non extenditur ad venditionem, quamuis in eadem quoad aliquos caſus, vt ſuprà innui, idem motiuum videatur militare.

In Bancherijs non præſumenda eſt illa facilitas.

7 Arguunt ſecundò. In literis cambij, in quibus dicitur, *Pagate &c. per altri cambiati, ò conti con noi* ex communi Mercatorum obſeruantia non reſultat numeratio pecuniæ, ergo poterit opponi exceptio non numeratæ pecuniæ, *Scaccia tract. de commert. §. 2. Gloſ. 8. num. 7. & 8.* Sed facilis eſt reſponſio, nam, ſi in literis, in quibus illa verba ponuntur, nulla confeſſio numerationis reſultat, ergo non poteſt opponi exceptio non numeratæ, ſi quidem hæc eſt ad eludendam ſimpliciter confeſſionem, quæ fit ex illa facilitate ſuprà ponderata. Deindè hac ratione militaret eadem exceptio etiam in alijs contractibus, vbi exprimerentur per verba non ſignificantia actualem numerationem, quod nemo aſſeret.

Vbi non eſt confeſſio numerationis non poteſt eſſe remedium exceptionis

8 Arguunt tertiò. Opponendo auctoritatem *Baldi conſ. 190. Sempronius num. 2. verſ. ibi item iſta priuata epiſtola lib. 2.* vbi videtur aſſerere in caſu ibi propoſito concedendam eſſe exceptionem non numeratæ pecuniæ. Sed ſi benè conſiderentur per ipſum ibi propoſita, ſenſui noſtro non officiunt. Ibi erat quæſtio inter Seium, qui erat ſimul ſtipulator, & ille, in quem facta fuerat remiſſa, & Manfredum, qui erat dator literarum, & , cum in literis exprimeretur quidem confeſſio, non autem actualis ſolutio, ſeu numeratio videbatur inferre *ex l. ſi ex cautione C. de non num. pecunia* remedium illud exceptionis; ſed immediatè ſe corrigit, dum *num. 4.* ſubdit. *Et eſt conſiderandum, quod iſte non fuit contractus mutui, immò contractus cambij, quià in eodem genere debet fieri ſolutio, vt ff. de ſolut. l. Paulus, in quo contractu ſi non ſeruantur promiſſa, agitur ad repetendum condictione ex cauſa*, vbi aduerte, quod ſi datur condictio, aſſignatur ſpecialis modus agendi diſtinctus ab exceptione, quæ proptereà iuxtà mentem eiuſdem Baldi non eſt in hoc caſu concedenda.

Caſus Baldi eſt diuerſus ab eo, qui eſt expoſitus.

PRÆNOTIO XX.

De obligationibus, quæ oriuntur ex receptione literarum.

SVMMARIVM.

Receptio literarum facta per ſtipulatorem non inducit aliam obligationem præter obligationes, quæ proueniunt ex ipſa natura contractus. 1.

Irreuocabilitas conſurgit ex ipſa natura contractus. 2.

Irreuocabilitas non ſolùm eſt quoad ſubſtantiam contractus, ſed etiam quoad locum deſtinatæ ſolutionis. 3.

Ex receptione præcisè non oritur actio negotiorum geſtorum. 4.

Nec nouatio. 5.

Nec datio in ſolutum. Ibid.

Recipiens literas remiſſæ obligatur actione mandati tàm datori, quàm ſtipulatori. 6.

Non actione negotiorum geſtorum reſpectu ipſorum, bene tamen reſpectu illorum, ad quos pertinet cambium. Ibid.

Ad inducendam actionem mandati non requiritur verbalis, & expreſſa acceptatio, ſed ſufficit receptio, & non contradictio. 7.

Diſſoluuntur argumenta in contrarium. 8.

Per receptionem literarum factam per eum, cui dirigitur tracta, & remiſſa nulla oritur actualis ſolutio, nulla obligatio excepto mandato, & actione negotiorum geſtorum, nulla nouatio, nullaque delegatio. 9.

Oritur tamen per talem receptionem compenſatio, ſi recipiens ante receptionem erat creditor ex cauſa præcedenti, etiam ſi ſpectatio remiſſæ non ſolùm verificetur ratio-

Digitized by Google

ratione proprietatis, ſed etiam ratione ſolius curæ; ſi verò recipiens erat debitor antè receptionem, oritur etiam compenſatio, in caſu tamen ſolùm, quod remiſſa ſpectet ad ipſum ratione proprietatis. Ibid.

Difficultatem hanc, quam fuſis, diſtinctiſque quæſtionibus in ordine ad diuerſos recipientes examinat *Turri à quæſt. 9. diſp. 2. vſque ad quæſt. 15.* nos vniuerſim ad hanc vnam prænotionem perſtringimus, circà quam multa in ſuperioribus iam attigimus; quià verò receptio literarum vel poteſt eſſe in ordine ad ſtipulatorem recipientem, vel in ordine ad eum, ad quem dirigitur remiſſa, vel in ordine ad eum, ad quem tracta refertur, ideò in ordine ad hos omnes examen tituli aſſumitur diſcutiendum. Pro quo ſit

1 Assertio I. Per receptionem literarum factam per ſtipulatorem nulla alia in ipſo oritur obligatio præter obligationes, quæ proueniunt ex ipſa natura contractus, *Turri de cambijs diſp. 2. quæſt. 9. num. 14.*

Probatur primò; obligatio, ſi quæ oritur, vel eſt irreuocabilitas contractus, vt voluit *Scaccia de commertijs §. 2. gloſ. 5. quæſt. 18. num 447.* vel actio negotiorum geſtorum, vt iuxtà aliorum placitum refert idem *Turri loco cit. num. 4.* vel aliqua nouatio iuxtà *leg. 1. & l. nouatione ff. de nouationibus. Immola in l. delegare ff. de nouat.* vel datio in ſolutum iuxtà *l. ſi nomen ff. de hæred. & act. vend.* vel onus non recedendi à perſonis, quibus dirigitur tracta, & remiſſa, vt voluerunt alij; ſed nulla ex his oritur ex vi præciſè receptionis literarum factæ per ſtipulatorem, ergo &c.

Non oritur primò irreuocabilitas
2 contractus, quia irreuocabilitas conſurgit ex ipſa natura contractus, quod ſic oſtendo. In contractibus, qui mutuo contrahentium conſenſu perficiuntur, quique ſunt nominati, & iuxtà à iure præſcripta celebrati, vtpotè qui pariunt actionem ciuilem, & ſibi cognomimem non datur locus pænitentiæ, nec poteſt eſſe reſolutio, niſi per mutuum vtriuſque contrahentis conſenſum per ea, quæ latè tradidi *tom. 1. ſub tit. Contractus I. de contractibus, vt ſic Pranot. 4.* vndè altero reluctante datur actio ciuilis ex tali contractu ad complementum, ſed contractus cambij eſt nominatus, & ex illis, qui conſenſu perficiuntur, ergo ex natura ſua reuocari non poteſt, niſi per mutuum vtriuſque contrahentis conſenſum. Minor probatur ex ipſa definitione cambij, qua dicitur *conuentio vltrò, citròque obligatoria dandi, reddendique tantundem in genere diuerſo pecuniarum, quæ conſenſu re, & pretio &c.* prout aſſerit *Turri de cambijs diſp. 1. quæſt. 11. num. 1.*, & nos his, vel ſimilibus verbis tradidimus *ſuprà ſub hoc eodem tit. Contractus V. de cambijs I. Pranot. 1.*

Contractus nominati pariunt actionẽ ciuilem ſibi cognominem.

Hæc, quæ dicuntur de irreuocabilitate procedunt non ſolùm quoad ipſam ſubſtantiam contractus, ſed etiam 3
quoad locum deſtinatæ ſolutionis, quoad tempus, & quoad alia conuenta per ea, quæ ſcripſit *Follerius ad Marant. in ſpec. part. 6. act. 6., Baldus conſ. 349. facta fuerunt num. 4. lib. 1. num. 3.* cuius extenſionis rationem adducit *Scaccia §. 2. gloſ. 5. num. 447.* quià mercatorum ſcriptura habetur pro ſententia, quæ ſeruanda eſt in ſingulis conditionibus, quæ in ipſa continentur, & ſua fide tranſit in rem iudicatam, *Ioannes Baptiſta Cauatus tract. de Cambijs tit. de literis verſ. quæro, an mercator*; ſed hæc ratio generalis non eſt, nam quandòque literæ conficiuntur à Campſuario, qui mercator non eſt, quamobrem ad vniuerſaliorem regulam confugiendum eſt, ſitam in eo, quod pacta ſint ſeruanda, & cuſtodienda quoad omnia, quæ continent, niſi aduerſentur naturæ contractus, cui adnectuntur, vel iuri communi ſint contraria *l. iuris gentium §. prætor ait ff. de pact. In ſpec. de ſalar. §. 3. verſ. quid ergo ſi litigator, & de fruct. & intereſ. §. 3., Hoſtienſis, Baldus in l. 1. C. de libi tol., & Alexander in l. 1. §. non autem ff. de dolo*, vndè quoad ſcripturam cambij valet illud. *Quod ſcripſi, ſcripſi* Baldus *cit. conſ. 349. num. 3.*

Mercatorum ſcriptura habetur pro ſententia.

Pacta ſunt ſeruanda.

Non oritur ſecundò actio negotio-
rum geſtorum paſſiua, ſeu quod idem 4
eſt obligatio, nam peto, vel negotium pertinet ad ipſum ſtipulatorem, quatenus remiſſa in literis contenta ad ipſum dirigitur, ſeu ad proprium reſpondentem, vt recipiat nomine ipſius ſtipulatoris, vel ad alium, ad quem referatur eadem remiſſa; ſi primum, iam patet oriri ex conditione propriæ perſonæ, ad quam ſpectat, quæ ſua ſunt, perquirere, & eo ipſo, quod contrahit ad acquirendum ius recipiendi pecuniam in loco deſtinatæ ſolutionis ex munere rei propriæ tenetur ea adimplere, quæ ad tale ius complendum requiruntur, & ſicuti mandando proprio reſpondenti, vt remiſſam recipiat ab eo, cui dirigitur tracta, non dicitur induere aliquam obligationem, ſed

Oritur ex conditione propriæ perſonæ, ad quam ſpectat remiſſa.

rei dumtaxat propriæ conſulere, ita recipiendo literas ad talem remiſſam faciendam non dicitur &c. Si ſecundum; obligatio illa non prouenit ex præciſa literarum receptione, ſed antecedenter ad illam orta eſt, ergo &c. Antecedens probatur, quià eo ipſo, quod ſtipulator cambium celebrauit nomine alterius, ad quem remiſſa, ſeu negotium ſpectat, contraxit obligationem literas recipiendi, & dirigendi ad eum, ad quem pertinet, ergo illa obligatio antecedenter ad receptionem orta eſt ex vi præciſè contractus celebrati.

Non agerer, vt ſtipulator, ſed vt perſona debitoris.

Quod, ſi aſſeras, ſtipulatorem ſaltem poſſe induere obligationem negotiorum geſtorum, quandò ad ipſum dirigetur tracta, nam tunc recipiendo literas videtur recipere mandatum de ſoluenda eadem tracta, ex quo oritur obligatio; iam patet, te recedere à terminis propoſitæ difficultatis, nam tunc ipſe ſtipulator non ageret amplius, vt ſtipulator eſt, ſed vt agens perſonam debitoris, de qua re erit ſermo infra.

Non oritur tertiò nouatio, quià ſi
5 hæc intercederet, quatenus ſtipulator creditũ, quod habebat aduerſus datorem literarum, conuerteret in cauſam cambij, non intercederet etiam ex vi præciſè receptionis, ſed ex vi conuentionis inter ipſos contrahentes initæ, vt latè docet *Turri de cambijs diſp. 2. quæſt. 9. num. 36.* ex quibus etiam excluditur illa datio in ſolutum, quæ in initio probationis allata fuit; vndè literæ quidem, ſeu receptio earundem conferunt quidem ad probandum illam nouationem, ſeu dationem in ſolutum, non autem ad illam, ſeu illas inducendas, cum antecedenter intelligantur inductæ.

Poſita etiam literarum receptione poteſt ſtipulator per nouas literas prohibere mãdatarijs, ne mandatum exequantur.

Non tandem oritur illud onus aſſertum non recedendi à perſonis, quibus dirigitur tracta, vel remiſſa, quia poſita adhuc illa literarum receptione poteſt ſtipulator per nouas literas mandatario prohibere, ne mandatum exequatur, antequam literæ cambiorum ad ipſum peruenerint. Fateor tamen, quod, ſi hoc ſine iuſta cauſa, & rationabili ſtipulator præſtaret, incongruè perageret, quia, quod ſemel fuit approbatum, non poteſt regularitèr amplius reprobari *l. Pomponius ff. de neg. geſt. l. cum mulier 49. & ibi gloſ. verbo approbauit. ff. ſolut. matrim.*, *Rota Romana apud Farinac. recent. part. 2. deciſ. 456. num. 4.* vndè excepto caſu iuſtæ, & rationabilis cauſæ reſiliendi à perſonis per prohibitionem factam modo mox dicto, aſſererem, illud onus non reſiliendi à prædictis perſonis conſurgere; dummodò tamen receptio illa literarum facta fuerit cum plena aduertentia ipſius recipientis per ea, quæ tradiderunt *Altiatus in l. deteſtatio nu. 5. ff. de verb. ſignif.*, *Rubeus in l. non ſolùm §. morte num. 262. ff. de nou. oper. nunt.*, *Menochius de arbitr. caſ. 21. num. 5. & 6.*

Literæ dantur ad executionẽ obligationis ſuſceptæ.

Probatur ſecundò aſſertio, quià literæ dantur ad ſolùm complementum contractus antecedentèr initi, & pro executione obligationis ſuſceptæ ex vi eiuſdem contractus, ergo per ſui receptionem non pariunt aliquam obligationem in recipiente ab ijs, quæ contractæ intelliguntur per eiuſdem contractus celebrationem. Conſequentia probatur, quià, cum dentur in executionem obligationis, ſupponunt iam obligationem inductam, eo modo quo præceptum executiuum alicuius ſententiæ ſupponit onus impoſitum per eandem ſententiam.

Assertio II. Si ille, ad quem dirigi- 6
tur remiſſa, recipiat literas remiſſæ ad ſe directas obligatur actione mandati non ſolùm reſpectu datoris literarum, ſed etiam reſpectu ſtipulatoris, non verò actione negotiorum geſtorum reſpectu ipſorum, benè tamen reſpectu illorum, ad quos pertinet cambium, ſi iſti fuerint aliæ perſonæ ab ipſis mandatore, & ſtipulatore.

Qui recipit literas recipit omnia, quæ in ipſis continentur

Probatur prima pars, quià recipiens literas intelligitur recipere ea omnia, quæ in eiſdem literis continentur *l. ſi filiusfamilias ff. ad Macedon.*, *& ibi Bartolus, Baldus num. 5., & cæteri in l. ſi literos C. mandati. Stracch. tract. de aſſecuratio. gloſ. 11. num. 47.* ſed in eiſdem literis continetur mandatum tum datoris earundem literarum, (qui quamuis literas dirigat, & mandatum directè, & explicitè ordinet ad eum, ad quem refertur tracta, vt ex miſſione earundem literarum, & inſcriptione innoteſcit, implicitè tamen, & indirectè, & virtualitèr dirigit etiam ad eum, cui fit remiſſa virtute mandati ad exigendum per ea, quæ tradit *Turri tract. de Cambijs diſp. 2. quæſt. 10. num. 41.*) tùm ſtipulatoris, qui non ſolùm tranſmiſit literas, quod *ex Innocentio, & Baldo in cap. coram de officio delegati* importat mandatum, ſed etiam tranſmiſit ad effectum exigendi in eis contenta, quod firmat idem mandatum *l. ad rem mobilem ff. de procurat. l. debitorum, & ibi Doctores C. de pactis*, ergo recipiens huiuſmodi literas obligatur actione mandati.

Hic oritur immediatè difficultas, 7

an

an ad inducendam præfatam actionem, ſeu obligationem mandati in recipientem requiratur expreſſa, & verbalis acceptatio, an ſufficiat tacita per poſitiuam non reiectionem earundem literarum, immo per detentionem ſimplicem ipſarum, qua in re diuiſos inuenio Doctores, dum aliqui contendunt, tacentem iuxtà vulgata iura non fateri *cap. 5. qui 44. extr. de reg. iu. in 6. l. qui tacet. 185. ff. de reg. iuris*, immo ad ſui commodum habetur pro negante, dummodò non verſemur in ijs actibus, in quibus conſentire tenetur *l. filius familias §. inuitus ff. de procurat.* vndè iure merito *Menochius de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 43. num. 23.* tacentem videri
5 diſſentiri, vbi agitur de ipſius damno, aſſentiri, vbi de ipſius commodo. Alij verò, inter quos præcipuè *Turri de cambijs d. diſp. 2. quæſt. 10. num. 39. 40., & ſeqq.* diſertis verbis, & rationibus afferunt recipiendo literas, & non contradicendo, licet non per verba expreſſa, adhuc obligari, quibus libentèr adhæreo, tum quià etiam ſi agatur de tacentis præiudicio in taciturnitate præſumitur conſenſus, quandò per contradictionem poteſt præiudicio obuiare per ea, quæ ſcribunt *Bartolus in l. qui dotis num. 13. verb. ſi verò contradicendo ff. ſoluto matrim.*, *Caſtrenſis in l. Caius col. 2. ff. de pignor. act.*, *Alexander in l. ſæpè num. 18. ff. de re ind.* tum quià recipiendo literas, & non reiciendo per actum quodamodò poſitiuum illarum receptioni videtur aſſentiri. *Doctores in d. l. qui dotis ff. ſoluto matrim.*, *Menochius de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 99. num. 22., & ſeqq.*, ex quibus facile erit reſpondere ad ea, quæ ex aduerſo opponuntur, ſi aſſeratur, ea procedere, quandò tacens non poteſt contradicere, vel non exercet aliquem actum poſitiuum, qui ex iuris diſpoſitione habeatur pro conſenſu.

In taciturnitate præſumitur conſenſus, ſi loquendo poteſt quis ſibi præcauere.

Probatur ſecunda pars aſſertionis, quià recipiens huiuſmodi literas verè gerit negotium eorum, ad quos ſpectat ipſum cambium, actio enim negotiorum geſtorum ex ſupradictis poteſt etiam cadere in ignorantem, ergo actione negotiorum geſtorum obligatur verſus eoſdem. Antecedens probatur, quia recipiendo tales literas verè agit nomine, & fauore eorum, ad quos pertinet, vt recipiat, ſed non agit vigore mandati, cum nullum mandatum, nec explicitum per expreſſam iuſſionem, nec implicitum per tranſmiſſionem literarum ipſi dederint, ergo vigore negotiorum geſtorum, cum non ſit aſſignabilis in hac hypotheſi alius modus, quo agere poſſe dicatur. Neque dicas, non agere negotium eorum per ſimplicem literarum receptionem, ſed per adimplementum literarum, & actualem exactionem contentorum in ipſis; contrà enim impugnaberis, quià adhoc, vt quis teneatur actione negotiorum geſtorum non requiritur, vt actum conſummat, quem gerit, ſed ſatis eſt, quod ea præſtet, quæ ex iniuncto munere actioni negotiorum geſtorum conueniunt, quamuis ex aliqua cauſa conſummatio operis non ſequatur, ſic in particulari docent *Bartolus in l. tutori C. de negotijs geſtis, & Salicetus ibidèm num. 6.* ſufficere ad actionem negotiorum geſtorum, quod quis acceſſerit ad negotium gerendum, quaſi geſturus, & *Turri de cambijs d. diſp. 2. quæſt. 10. num. 28.* aſſerit teneri ex ſola animi ſui præparatione, quod fortius vrget in terminis noſtræ aſſertionis, in quibus non ſolùm animum ſuum aperit, & voluntatem gerendi, ſed etiam actum poſitiuum exercet recipiendo, cui ex natura ineſt acceptatio talis muneris.

Actio negotiorum geſtorum poteſt cadere etiam in ignorantem.

Poteſt eſſe actio negotiorum geſtorum, etiam ſi opus non fuerit conſummatum.

Probatur tertia pars, quod ſcilicet actio negotiorum geſtorum non competat reſpectu datoris literarum, & ſtipulatoris. Reſpectu illorum, verſus quos oritur actio mandati, quantum eſt ex vi eiuſdem actionis, non poteſt oriri actio negotiorum geſtorum, per ea, quæ tradit *Turri d. diſp. 2. quæſt. 10. ſub num. 42. iuxtà l. Labeo 32. §. inter negotia, & ibi Gloſa verſ., Sempronio tenebatur ff. de neg. geſt.* ſed ex dictis in probatione primæ partis huius aſſertionis reſpectu datoris literarum competit actio mandati, & item reſpectu ſtipulatoris, ergo non poteſt &c. Dixi *quantum eſt ex vi eiuſdem actionis*; non enim renuo reſpectu diuerſæ actionis, vel eiuſdem in ordine ad diuerſas perſonas concedere actionem ſimul mandati, & negotiorum geſtorum per ea, quæ docent *Vulpianus l. ſi pupilli §. ſed & ſi quis in fin. ff. de negotijs geſtis, Gloſa §. ſi igitur cum quis verb. ſine mandato Inſtit. de oblig. quæ ex quaſi cont. naſcuntur.*

Actio mandati, & negotiorū geſtorū reſpectu eiuſdem non bene cōgruunt.

Aduerſus ea omnia, quæ hucuſque dicta ſunt, nonnulla obiecta afferunt, 8
vel ſita in eo, quod per literas non inducatur obligatio, niſi inter mittētem, & eum, ad quem mittuntur iuxta *l. Lucius Titius ff. de inſtit. act., & l. qui abſenti ff. de donat.* vel in eo, quod qui recipit literas remiſſæ potius ſeruit propriæ vtilitati, vt lucrum prouiſionum conſequatur, quam vtilitati eius, ad

Digitized by Google

quem ſpectat cambium, & ſic potius negotium proprium gerit, quam alienum, vel ex eo, quod actio negotiorum geſtorum preſupponat negotium ipſum geſtum iuxtà *Vlpianum l. ait Pretor. §. hac autem ff. de neg. geſtis*, vbi habet, *hac autem actio cum ex negotio geſto oriatur*, quod dici geſtum nō poteſt per ſolam literarum receptionem. Sed hæc omnia facilè eliduntur; ad primum enim dico iuxtà ſuperius attacta, literas etiam dici mitti ad eum, ad quem remiſſa dirigitur propter mandatum virtuale in eis contentum de exigendo, *Caſtrenſis in l. verò procuratori ff. de ſolut. Rota Genuenſis apud Bellonum deciſ. 93. num. 9.* adeòque &c. Ad ſecundum dicendum etiam eſt iuxtà alibi dicta, nullam eſſe repugnantiam, quem ſimul gerere negotium proprium, & alienum, & ex alieno conſequi lucrum, vt ſpecialitèr diximus in eo, qui profecturo Romam ſublocet equum a ſe ipſo conductum accepto ſtipendio ſublocationis, quamuis eundem equum proprijs expenſis, ſi non haberet conductorem, deberet tranſmittere. Ad tertium iuxtà ſuperius dicta reſpondeo, ſufficere, quātum ad obligandum recipientem actione negotiorum geſtorum, quod cæperit gerere, & acceptarit negotium per receptionem literarum, vt ſuprà latè diximus, cum per talem acceptationem acquieuerit contentis in eiſdem literis propriæ fidei commiſſis.

Poteſt quis ſimul gerere negotium propriū, & alienum.

9 ASSERTIO III. Per receptionem literarum factam per eum, cui dirigitur tracta ſimul, & remiſſa præcisè, nulla oritur actualis ſolutio, nulla obligatio excepto mandato, & actione negotiorum geſtorum, de quibus ſupra, nulla nouatio, nullaque delegatio; oritur tamen per talem receptionem compenſatio, ſi recipiens ante receptionem erat creditor ex cauſa præcedenti, etiam ſi ſpectatio remiſſæ non ſolùm verificetur ratione proprietatis, ſed etiam ratione ſolius curæ, & ſolicitudinis, ſi verò recipiens erat debitor ante receptionem, oritur etiam compenſatio, in caſu tamen ſolùm, quod remiſſa ſpectet ad ipſum ratione proprietatis. Hæc aſſertio procedit ſolummodò in caſu, quo literæ per datorem earundem immediatè tranſmittantur ad eum, cui dirigitur tracta, vel etiam per ſtipulatorem, & eidem etiam imponitur remiſſa, quatenus ex vi literarum ſibi ipſi ſoluere debeat.

Probatur in particulari quoad ſingula, & primò quoad ſolutionem actualem. Ad ſolutionem actualem; ſiuè etiam virtualem requiritur aliquis actus poſitiuus, in quo conſiſtat ſolutio *l. ſi ità ſtipulatus §. Chriſogonus ff. de verborum obligationibus*, ſed per receptionem literarum factam per eum, cui dirigitur tracta, nullus conſurgit actus poſitiuus, in quo conſiſtere poſſit ſolutio, ergo &c. Minor probatur, quià præcisè verſamur in caſu, per quem ſupponimus, nil aliud fieri, quam præcisè recipi literas ſine vlla contradictione per eum, cui dirigitur tracta, ſed in tali præciſa receptione non poteſt conſiſtere ipſa realis, ſeu virtualis ſolutio, ergo &c. Minor probatur, quià quis recipiendo literas non eximitur poſtea ab onere ſolutionis, ergo per receptionem præcisè non fit actualis ſolutio.

Ad ſolutionem requiritur aliquis actus poſitiuus.

Dices, quandò ſolutio facienda eſt per recipientem literas ſibi ipſi ſolus ſufficit conſenſus ipſius, ad quem fit tracta, ſed ex eo, quod recipiat literas ſine vlla reclamatione manifeſtè euincitur conſurgere conſenſus, ergo &c. Maior probatur, quià, cum non debeat in alium fieri translatio pecuniarum, de quibus fit tracta, ſed in ſe ipſum, non eſt neceſſe, quod pecuniam à ſe ipſo extrahat, & poſtea eam ſibi iterum tradat, ſed ſufficit, quod per conſenſum intelligatur eam à ſe ipſo recipere, qui certè conſenſus præſumitur ex eo, quod recipiat in ſe ipſo tractam, & remiſſam. Sed contra reſpondet in primis, *Turri de cambijs diſp. 2. quæſt. 10. num. 24.* non ſufficere ſolùm conſenſum ad ea peragenda, quæ factum requirunt iuxtà *Angelum l. ſolent ff. de cuſt. rerum. Baldum conſ. 48. col. 1. lib. 5., Menoch. de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 135. num. 1.*; ad ſolutionem autem requiritur factum, quod non poteſt eſſe, niſi ſit diſtinctio perſonalis inter ſoluentem, ſeu numerantem, & inter recipientem; pro quo affert eundem *Angelum l. officium ff. famil. erciſ. l. cum indebitum impuberis ff. de condit. indeb.* vndè concludit, ſolutionem ſibi ipſi factam eſſe merum figmentum, nec vllo iure poſſe ſuſtineri. Sed aduerſus hæc, quæ adducuntur per Turrim, militant ea omnia, quæ ſupra adduximus *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Pranot. 5. per totum*, vbi probauimus vnam, eandemque perſonam ſub diuerſo reſpectu poſſe emere, & ſibi vendere, eſſe ſimul debitorem & creditorem; actorem & reum, ergo etiam poterit ſibi ipſi ſoluere, adeòque ad ſolutionem non requiritur aſſerta diſtinctio

Ad ea peragenda, quæ factum requirūt, non ſufficit ſolus conſenſus.

Poteſt quis ſimul eſſe creditor, & debitor.

ctio

ctio perſonalis inter ſoluentem, & recipientem, & ſic ex hoc capite non euincitur, quod non poſſit eſſe ſaltem virtualis ſolutio; Quod, ſi dicat Turri, reſponſionem ſuam procedere dumtaxat quoad ſolutionem, prout reſpicit numerationem, non prout reſpicit alios modos, quibus circumſcripta numeratione poteſt contingere ſolutio. Peto ab eodem Turri, cur, ſi poteſt eſſe ſine diſtinctione perſonarum virtualis ſolutio, non poſſit etiam eſſe virtualis numeratio? Certè non minus eſt actus commutatiuæ iuſtitiæ ſolutio, ac ſit numeratio pro ſolutione, & ſi in virtuali ſolutione non requiritur perſonalis diſtinctio, cur dicendum erit requiri in virtuali numeratione? Quamobrem ad inſtantiam reſpondeo ex receptione quidem literarum argui conſenſum ad recipiendum mandatum, non autem ad ea exequenda, quæ in literis continentur, quare ea, ſalua dicta receptione, poteſt impunè negligere, quinimmò contrà ea eleuare proteſtum, *Turri de cambijs diſp. 2. quæſt. 11. num. 9. verſ. dicendum ſecundo in fine*, nec incongrua ſanè ratione, quià receptio literarum præcisè, & obligatio quoad ea, quæ in eiſdem continentur, ſunt duo ſeparata, & à ſeparatis non fit illatio, neque quoad poſitionem, neque quoad excluſionem *l. naturali 12. §. nihil commune, & ibi Gloſ. verb. nihil ff. de acquir. poſſeſ. l. duobus. ff. de teſt. tutel. l. Papinianus ff. de minor*. Quod, ſi ſupponas, indiſtinctè recipere literas etiam quoad contenta in eiſdem, tunc certè tenetur adimplere, & per conſenſum ad vtraque præſtitum videtur virtualitèr obligari actione mandati, ſed hoc non officit aſſertioni, quæ tantum procedit ex vi præcisè receptionis literarum, &, licet ſit obligatio ad ſoluendum, non intelligitur tamen actualis ſolutio.

Æque virtualis ſolutio ac formalis poteſt eſſe ſine diſtinctione reali perſonarum.

Dices ſecundò, recipiens literas ſine contradictione intelligitur conſentire mandato, ſeu mandatis in eiſdem literis contentis ſoluendi ſcilicet, & exigendi ſummam, de qua in eis, & obligari actione mandati, ſed quandò in eodem ſubiecto concurrit obligatio actiua, & paſſiua reſpectu eiuſdem rei intelligitur ipſo iure facta ſolutio *l. ſtychum §. additio ff. ſolut. l. debitori C. de pactis*, ergo &c. Sed contrà neganda eſt minor propter rationes ſuperius adductas, poteſt enim quis recipere literas, & eleuare proteſtum ſuper eis, quæ in eiſdem continentur. Quod, ſi dixeris, receptorem literis receptis non poſſe amplius eas recuſare, quià, quod ſimul placuit, amplius diſplicere non poteſt iuxtà vulgata iura; ſtatim impugnaberis, quià, cum poſſit eleuare ſuper contentis in eiſdem proteſtum, poteſt, ſi non ratione ipſarum, ſaltem ratione contentorum eas remittere. Deindè dici poteſt ad inſtantiam, quod quamuis per dictam literarum receptionem conſtituatur debitor, non tamen fiat creditor, antequam ſuſceptum munus adimpleuerit ſoluendo ſcilicet id, quod acceptauit, adeòque ex vi eiuſdem receptionis præcisè non conſurgit ſolutio. *Turri de Cambijs diſp. 2. quæſt. 11. ſub num. 25. verſ. ad ſecundum*.

Poteſt eleuare proteſtū, etiam poſita receptione.

Probatur ſecundò in particulari quoad negationem obligationis excepto mandato, & actione negotiorum geſtorum. Receptor literarum, qua præcisè receptor eſt, non obligatur, niſi ad obſeruantiam mandati, ergo eo adimpleto, per quod conſtituitur debitor, poterit aliud negligere, per quod conſtituatur creditor, ergo ex vi præcisè receptionis literarum, nulla alia conſurgit obligatio, quam mandati, & negotiorum geſtorum; neque dicas, literas cambij ex natura ſua ordinari ad perfectionem, & complementum contractus, adeòque præter naturam ipſius eſſe, quod in eiſdem contineatur aliquod aliud virtuale mandatum, quod mandatarius negligendo poſſit ſpernere conſummationem, ſeu complementum contractus, adeòque teneri ex vi acceptationis mandati ad ea omnia adimplenda, quæ in eiſdem literis continentur; contra enim impugnaberis, nam, quamuis ex natura ſua literæ ordinentur ad complementum contractus, non eſt tamen aliqua repugnantia, quin receptor ipſarum poſſit eaſdem recipere, prout important mandatum de ſoluendo, non autem prout important mandatum de exigendo, eo modo, quo diximus ſuprà poſſe, eum, ad quem literæ diriguntur ob reuerentiam ipſarum eas ſoluere ſuprà proteſtu, eaſdemque acceptare, vt ſoluat, & recuſare, prout important mandatum de altero conſtituendo debitore pro illa ſumma, quæ in literis continetur *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 15. aſſert. 5.* propter rationes ſuperius in hac eadem Prænot. inſinuatas, quod huiuſmodi literæ contineant, duplex quodamodò mandatum, quorum vnum poteſt de per ſe ſtare ſine altero, & à ſeparatis, ſeu ſeparabilibus non valet illatio *l. eum actum, & ibi Gloſa*

Poteſt quis recipere literas, prout cōtinent mandatum ſoluendi, nō vt continēt mandatū exigendi.

ff. de

ff. de neg. geſt. & licet mandata ſint ad vnguem exequenda, quandò ſunt acceptata; ante acceptationem tamen voluntatis ſunt, non neceſſitatis *l. commodati §. ſicut ff. commodati*; Neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, ex ſuppoſitione, quod receptor fuerit debitor ex cauſa præcedenti, & ei fiat tracta computanda in debitum vetus, cui fit & remiſſa, ſi accepta tracta negligat poſtea ſeruare remiſſam miniſterio acceptationis ſuper proteſtu eidem ſit imputandum; quandòquidem ipſo iure ſit compenſatio crediti, quod acquiſiuit ex tracta cum debito præcedenti, quod perſeuerat, quam compenſationem dator ille literarum poteſt facere etiam inuito ipſo recipiente; Non, inquam, obſtare poteſt, ſiquidem quandòque credita, & debita talis naturæ, & qualitatis ſunt, ſiuè ratione oneris adiecti, ſiuè modi, quo ſpectant, vel ad creditorem, vel ad debitorem, vt non expedita ea exequi, nec inuito ipſo receptore poſſint exequi miniſterio compenſationis per datorem literarum, *Angelus l. fin. cum ibi notatis C. de compenſat.* Sed de his erit ſermo infra vberius.

Probatur tertiò in particulari quoad negationem nouationis. Nouatio eſt prioris debiti in aliam obligationem, vel ciuilem, vel naturalem transfuſio, atque translatio, hoc eſt, cum ex præcedenti cauſa ità noua conſtituitur, vt prior perimatur, *Vulpianus l. nouatio ff. de nouat. & deleg.* ſed per receptionem literarum præciſè factam per eum, cui dirigitur tacta ſimul, & remiſſa, non fit talis transfuſio prioris debiti in aliam obligationem, nec ex præcedenti cauſa ita noua conſtituitur, vt prior perimatur, ergo &c. Minor probatur, quià per acceptationem tractæ in literis contentæ præciſè, quamuis conſurgat debitum ſtipulatoris ad fauorem acceptantis, non extinguitur tamen actio eiuſdem aduerſus datorem, donec per exactionem factam à ſe ipſo, ex qua reſultat creditum, fiat compenſatio; impoſſibile autem eſt, quod intercedat nouatio, vbi ſimul eſt prior, & noua obligatio, cum innouatione ortum vnius præſupponat extinctionem præcedentis. Melius percipientur hæc, quæ dicuntur de nouatione in ſubſequenti prænotione, vndè non immoror.

Per receptionem præciſè literarum vna obligatio in aliam nõ transfunditur.

Probatur quartò in particulari quoad negationem delegationis. Ad delegationem, qua propriè delegatio eſt, requiritur propriè, & rigoroſè promiſſio facta à delegato, *Ioannes Andreas in addit. ad ſpecul. tit. de Ceſſion. act. §. 1. in fine in verbo deſunt. lib. 2., Paulus de Caſtro in l. 58. qui vſumfructum verſus fin. ſub num. 2. ibi aut habebat ff. de verb. oblig.* quinimmò hæc promiſſio debet eſſe per ſtipulationem, *Montio. tract. de inuent. cap. 9. num. 79. tom. 8. part. 2., Rota in Romana literarum Cambij Ven. 3. & 12. Martij 1595. coram Sacrato*, ſed per receptionem literarum præciſè nulla propria intercedit promiſſio, nullaque ſtipulatio fit per eum, cui dirigitur tracta, quinimmò facta tali acceptatione poteſt ſuper contenta in literis eleuare proteſtum, vt ſuprà probauimus, ergo &c.

Ad delegationẽ requiritur promiſſio facta a delegato.

Probatur quintò in particulari quoad compenſationem illam, quandò recipiens ante receptionem erat creditor ex cauſa præcedenti. Ex vi receptionis literarum præciſè obligatur actione mandati ad ſibi ipſi ſoluendam tractam in fauorem eius, ad quem ſpectat remiſſa, ergo, cum remiſſa in ſuppoſitione aſſertionis ad ſe ipſum ſpectet, erit obligatio ad ſolutionem ſibi ipſi faciendam, ergo hæc cum præcedenti credito, ſeu actione actiua ipſo iure intelligitur compenſata. Hæc vltima conſequentia probatur, quia in debitis, & creditis cum intereſſe inter mercatores cambiorum ex præſumptione iuris ſemper interuenit illa compenſatio.

In creditis, & debitis inter mercatores fit compenſatio.

Dices primò, ex ſuperius dictis in hac eadem aſſert. in probatione primæ partis, per receptionem literarum præciſè non conſurgit, nec actualis, nec virtualis ſolutio, etiamſi eadem ſolutio per ipſum recipientem ſibi ipſi facienda ſit, ergo neque per eandem receptionem oritur aſſerta compenſatio, quamuis recipiens fuerit creditor ex cauſa præcedenti, & ad ſe ipſum dirigatur ſimul tracta, & remiſſa. Conſequentia probatur, quià ratio, quæ obſtat ſolutioni, obſtat etiam compenſationi, cum vtraque ſit actus commutatiuæ iuſtitiæ. Sed contrà, quià ea, quæ dicta ſunt de ſolutione actuali, ſeu virtuali reſpectu recipientis literas procedunt ſolummodò ex vi receptionis præciſè in ordine ad ſolutionem faciendam ex vi tractæ, & remiſſæ nullo præſupoſito poſitiuo, in quo ex interpretatione iuris conſiſtere poſſit ſolutio, non enim ipſa præciſa receptio vim habet ſolutionis, prout latè diximus *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs I. in Diſquiſ. §. 20.* hæc autem, quæ dicuntur in præſenti procedunt

ex

Digitized by Google

Procedũt hæc, quæ dicuntur dependẽtèr à cauſa præcedenti.

ex vi receptionis, ſed dependenter à cauſa antecedenti, quæ ſimul coniuncta ex interpretatione iuris,& communi Mercatorum praxi vim habent compenſationis. Si autem inquiras, cur receptio præciſè ſuppoſita præcedenti cauſa vim habeat compenſationis, non ſic receptio ſuppoſita directione remiſſæ ad ipſum recipientem vim ſolutionis? ſtatim reſpondeo, hoc prouenire, quià cauſa præcedens tribuit recipienti ſufficientem actionem actiuam, quæ ſimul cum paſſiua reſultante ex tracta recepta conſtituit ſolutionem, receptio autem literarum ſecundum ſe non eſt apta producere actionem actiuam in recipiente aduerſus eum, in cuius fauorem ſuſcipit illud onus, niſi completis ijs, quæ in literis imponuntur *l. ſi literas ibi pecuniam tradidi C. mandati*. Ex quibus hàbes, quod, ſi recipiens literas fuerit non ſolùm creditor eius ex cauſa præcedenti, ad quem ſpectat tracta, ſed etiam debitor ex alia cauſa præcedenti eius, ad quem pertinet remiſſa; tunc quidem duplex conſurget compenſatio cum extinctione debiti, & crediti præcedentis, ſed tunc ſecunda compenſatio proueniens quoad recipientem, qui eſt debitor eius, ad quem ſpectat remiſſa, non eſſet formalitèr, & immediate ex ipſa receptione, ſed ex præcedenti compenſatione propter rationes mox adductas.

Eſſet cõpenſatio non ex vi receptionis, ſed ex præcedenti cauſa.

Dices ſecundò; difficile captu eſſe oriri poſſe talem compenſationem, de qua in aſſertione, in caſu, quo remiſſa pertineret ad recipientem ratione ſolius curæ, & ſollicitudinis; quomodò enim poteſt eſſe compenſatio alicuius iuris realis exiſtentis per id, quod ſecundum proprietatem non pertinet ad eum, cum quo fit compenſatio? Sed contrà, quia, quamuis remiſſa pertineat ad recipientem literas ſolùm ratione ſollicitudinis, & curæ, quia tamen creditum præcedens reſpicit eum, ad quem pertinet eadem remiſſa quoad proprietatem ideò poteſt eſſe iuſta compenſatio, & ex communi praxi, & iuris interpretatione hæc ſupponitur fieri.

Quandò cambium conſtitutum eſt ex pecunia recipienti eidẽ competunt actiones vtiles.

Probatur tandem quoad compenſationem, quandò recipiens erat debitor antè receptionem pertinente ad ipſum remiſſa ratione proprietatis. Remiſſam pertinere ad ipſum recipientem ratione proprietatis importat cambium eſſe conſtitutum ex pecunia eiuſdem recipientis, ſed quandò cambium eſt conſtitutum ex pecunia recipientis ex iuris diſpoſitione eidem competunt abſque miniſterio vllius ceſſionis actiones ſaltem vtiles *l. quod procurator ex re 68. ff. de procurat.*, *Bartolus in l. in cauſa ff. eodem l. pen. C. ad exhibendum*, ergo, cum conſtituatur verus, & realis creditor eius, ad quem ſpectat tracta, & ex cauſa præcedenti illius ſupponatur debitor, nil obſtabit, quin receptis literis ſtatim, & immediatè fiat compenſatio.

Dixi *in caſu tamen ſolùm, quo remiſſa ſpectet ad ipſum recipientem ratione proprietatis* licet dixerim in præcedenti parte aſſertionis, quod oriatur compenſatio, etiam ſi remiſſa pertineat ad recipientem ſolùm ratione curæ, & ſollicitudinis. Ratio huius diuerſitatis ex eo oritur, quod in caſu huius vltimæ partis non acquirit recipiens actiones vtiles, niſi propriè, & realitèr fiat creditor, non fit autem creditor, niſi remiſſa, quæ ad ipſum fit, fuerit quoad ſubſtantiam ipſius datoris, & in ipſum tranſlata, quod eſt neceſſarium ad compenſationem faciendam cum debito præcedenti; in caſu verò partis præcedentis, cum habeat actiones vtiles ex vi præcedentis crediti, & efficacitèr ex vi receptionis literarum obligetur ad tractam diſſoluendam, ſufficientèr interuenit actio actiua, & paſſiua requiſita ad compenſationem, quamuis negotium ad ipſum pertineat ſolùm ratione curæ, & ſollicitudinis.

Non acquirit actiones vtiles, niſi fiat creditor.

PRÆNOTIO XXI.

De Nouationibus, & delegationibus, quæ intercedere poſſunt in Cambijs.

SVMMARIVM.

Nouatio quid ſit. 1.
Delegatio quid ſit. 2.
Proponuntur omnes rationes dubitandi. 3.
Proponitur ſpecialis caſus per extenſum, in quo dubitatur, an intercedat nouatio. 4.
Ex præciſa præſentatione literarum, & earundem receptione in terminis præmiſſis nulla oritur nouatio, nec delegatio. 5.
Argentarij quinam fuerint. 6.
Per acceptationem literarum, & virtualem ſolutionem factam per reſpondentem oritur nouatio primæ literæ, & extinguitur prima actio. 7.
Niſi primus debitor acceſſerit, vt fideiuſſor. Ibidem.
Intercedit regulariter nouatio, etiam quantum

tum pertinet ad obligandum creditorem, quandò debitor promittit ſoluere debitum intrà annum, quod, ſi non ſoluerit intrà tempus conuentum, ex nunc aſſignat creditori acceptanti bona quædam in ſolutum. 8.

In delegatione, quam facit ſui debitoris debitor ad ſoluendum creditori ſuo duplex conſurgit liberatio, altera delegantis à ſuo creditore, altera delegati à delegante poſita promiſſione, & acceptatione. 9.

VIam ſtrauere ad præſentem prænotionem tùm ea, quæ in præcedenti fuerunt ex occaſione delibata, tùm ea, quæ *ſub hoc eodem tit. de Cambijs I. in Diſquiſ. §. 22. & 23.* fuerunt actitata. Modo ex profeſſo examinanda ſunt ea omnia, quæ ad hanc materiam pertinere poſſunt, ex quorum perfecta notitia difficultates innumeræ, quæ in diſputationibus de Cambijs pullulant, & nedum Iuris interpretum, ſed etiam Theologorum torquent ingenia, diſſoluentur, & via pandetur plana huiuſmodi cambiorum negotiationi, quæ ſine hac cognitione obuiantibus ob materiæ, terminorumque confuſionem difficultatibus erat aſpera. Pro quo

Aduerte primò. Nouationem, vt etiam dixi in præcedenti prænotione,
1
ſic definiri à *Vulpiano in l. 1. ff. de Nouationibus. Eſt prioris debiti in aliam obligationem, vel ciuilem, vel naturalem transfuſio, atque translatio*; nomen enim nouatio accipit à nouo, & à noua obligatione, quæ ſuperuenit primæ, originem trahit. Dicitur *transfuſio, atque translatio*, quæ particulæ indicant nouationem intercedere poſſe, ſiuè cum eadem perſona mutata dumtaxat obligatione, quatenus ex præcedenti cauſa ita noua conſtituitur, vt prior perimatur, ſiuè cum diuerſa perſona, quatenus obligatio, quam vna perſona contraxit in aliam nouo titulo transferatur, quod potiſſimum fit per delegationem; particula enim transfuſio ex ipſa vi nominis fit in eadem perſona, vt notat *Gloſa in hac l. 1. ff. de nouat. verbo transfuſio*; translatio verò importat aliam perſonam, in quam obligatio transferatur, non enim eiuſdem ad ſe ipſum poteſt eſſe translatio. Dicitur *prioris debiti*; non enim poteſt eſſe nouatio alicuius obligationis, niſi eadem obligatio præceſſerit ad actionem, qua nouatur. Dicitur *in aliam obligationem, vel ciuilem, vel naturalem*, quæ particulæ indicant obligationem, in quam per nouationem prior tranſit, debere eſſe talis naturæ, & qualitatis, vt liget obligatum vinculo ſaltem naturali, quamuis ſine aſſiſtentia iuris ciuilis, ſi ſit merè naturalis, vel vinculo etiam iuris ciuilis, quod eidem aſſiſtit, ſi fuerit ciuilis, præcipuè cum hæc oriatur per ſtipulationem. Ad nouationem inducendam requiritur, vt hoc expreſsè agatur, cæteroqui erunt duæ obligationes *Gloſ. in ead. l. 1. ff. de nouat.* quamuis fiat cum additamento perſonæ *l. fin. C. de nouat. Turri de Cambijs diſp. 2. quæſt. 12. num. 8.*

Definitio nouationis propriè ſumptæ.

Nouatio intercedere poteſt, ſiuè cum eadem, ſiuè cum diuerſa perſona.

Ad nouationē requiritur, vt expreſsè agatur.

Aduerte ſecundò, delegationem, 2
quantum pertinet ad præſens inſtitutum, nihil aliud eſſe, quam aſſignationem alterius rei factam à primo reo, ſeu debitore creditori, vel cui creditor iuſſerit, *Vulpianus l. delegare 21. ff. de nouat., & deleg.* Hæc autem delegatio dupliciter fit, vel per ſtipulationem, vel per litis conteſtationem. *Gloſa in eadem l. delegare ff. eodem*, quamuis modo aſſerat, non fieri nouationem, nec delegationem, niſi per ſtipulationem *arg. l. 1. C. de nouat., & deleg.* ex quibus deducitur, delegationem debitoris non poſſe fieri, niſi eo conſentiente *Bartolus, Salicetus in ead. l. 1. C. de nouat.* licet poſſit fieri ceſſio iurium eo inuito *Baldus ibidem*, vel etiam venditio nominis *Salicetus qui ſuprà*, quo poſito conſenſu, ſeu promiſſione delegans facta delegatione non retinet amplius ius agendi, cum ex delegatione ſoluatur omninò prior obligatio *l. ex contractu C. eod. tit.* Quamobrem *Scaccia tract. de commerc. §. 2. gloſ. 5. nu. 281.* docet ad veram delegationem tria requiri, primò, quod delegatus ſit debitor delegantis; ſecundò, quod delegatus promittat per ſtipulationem de mandato delegantis; tertiò, quod promittat tanquam debitor. His ſuppoſitis

Dupliciter fieri poteſt delegatio.

Id, quod modò inquirendum remanet, eſt, in quibus caſibus præſu- 3
matur in cambijs intercedere nouatio, ſeu delegatio, & in quibus non; & primò omiſſis ijs, de quibus actum eſt *ſub hoc eodem tit. de Cambijs I. in Diſquiſit. §. 22. & 23.* erit inquirere, an intercedat nouatio, ſeu delegatio ex præſentatione literarum, & expreſſa acceptatione, ſi dator literarum ſit creditor eius, cui dirigitur tracta, & debitor illius, cui fit remiſſa, ſi exprimat in literis, vel alio modo ſuo debitori, vt per ſe ſoluat ſuo creditori id, quod
ipſe debet. Secundò, an intercedat 4
no-

Variæ rationes dubitandi proponūtur.

Digitized by Google

Specialis modus in quo quæritur vtrum intercedat nouatio.

nouatio, vel delegatio in hypotheſi, qua cambium,& recambiū fuit initum ſub his terminis. Titius titulo cambij ſoluerat ſcutos auri quatuor mille octuaginta, ſolidos duos, denarios quinque Auguſtino Tornerio hic Mediolani. Hic literas dedit Placentiam directas Thomæ Baudo tenoris ſequentis videlicet

Primæ literæ eractæ.

à tergo, *A Tomaſo Baudo Piacenza*
1658. *adi 13. Agoſto in Milano ſcudi 4080. ſol.2.d.5. d'oro de Marchi.*
A pagamenti proſſimi di fiera de Santi pagate per queſta prima di Cambio à voi medeſimo ſcudi quattromille ottanta ſoldi 2. d. 5. d'oro de Marchi per la valuta hauuta in contanti quì da Titio, e ponete à conto noſtro. A Dio.
Subſcrip. *Agoſtino Tornerio*

Rurſus alias literas *d'auiſo*, dedit tenoris ſequentis.

Literæ d'auiſo.

à tergo. *A Tomaſo Baudo Piacenza*
1658. *adì 16. Agoſto in Milano*
Magnifico Signore, in coteſta fiera de Santi vi hò tratto per conto noſtro da voi medeſimo ſcudi quattromille ottanta ſoldi 2. d. 5. d'oro de Marchi per la valuta hauuta in contanti quì da Titio, quali vi piacerà compirgli, e poi con voſtre ſolite ſpeſe da me quì valeruene, che li darò buon compimento auiſando. Noſtro Signore vi guardi.
Subſcrip. *Agoſtino Tornerio*

His habitis, & acceptata per Thomam Baudum Placentiæ præcantata litera cambij idem Thomas primò dedit literas *d'auiſo* Titio creditori ſub his terminis.

Literæ d'auiſo in reditu.

à tergo *A Titio*
1658. adì 10. *Nouembre in Piacenza*
Magnifico Signore. Riſpondendo alla voſtra riceuuta nella preſente fiera de Santi dirò hauerui dato ſopra di voi credito delli ſcudi 4080. ſol. 2. d. 5. d'oro di Marche, che per conto voſtro da me medeſimo rimeſſi mi hauete con letteraà d'Agoſtino Tornerio, all' incontro di quelli per farueli ſeruire, e pur ſopra di voi vi hò dato debito di ſcudi quattromille nouantatrè ſol. 14. d. 5. d'oro rimeſſiui per li 25. del preſente à ſoldi 169. 6. Imperiali per ſcudo del ſudetto Agoſtino Tornerio con mia lettera di cambio incluſa, quale procurarete riſcuotere, e poi ſaldarne il conto quale con ſcudi tredeci, e ſoldi 12. di mia ſolita prouiſione trouarete il tutto reſtar pari. Noſtro Signore vi guardi
Subſcrip. *Tomaſo Bandi*

Poſteà ſcribit literam ſpacij, de qua fit mentio in præcitatis literis *d'auiſo* di Auguſtino Tornerio in hunc modum videlicet

Literæ ſpatij in reditu,

à tergo *Ad Agoſtino Tornerio Milano*
1658. *adi 10. Nouembre in Piacenza ſcudi quattro mille nouantatrè d'oro à ſoldi 169. d 6. Imperiali per ſcudo.*
Alli 25. del preſente pagate per queſta prima di Cambio à Titio ſcudi quattro mille nouanta trè ſol. 14. d. 5. dato à ſol. 196. e mezzo Imper. per ſcudo per la valuta contami, e ponete à voſtro ſopra detto Titio di coſtì. A Dio
Subſcrip. *Tomaſo Bandi*

Rationes dubitandi.

Hæc poſtrema litera non fuit acceptata per Auguſtinum Tornerium, & ſucceſſiuè fuit eleuatum proteſtum contra eundem. In hac igitur hypotheſi erit inquirere, an interceſſerit nouatio aliqua primæ literæ ſignatæ per Auguſtinum Tornerium, ſeu obligationis primæ per ipſum aſſumptæ in fauorem Titij, adeò vt Titius ad conſequendum ſuum creditum non poſſit amplius agere contrà eundem Auguſtinum, & eius bona.

Tertiò erit inquirere, an intercedat nouatio, ſeu delegatio, quandò quis debitor alterius ex motiuo cambij promittit ſoluere creditori debitum intrà annum ea appoſita conditione, vt, ſi intrà tale tempus non ſoluerit, ex tunc aſſignet aliqua bona in ſolutum, & creditor ita acceptet, adeò vt ex vi talis aſſignationis, & acceptationis creditor non poſſit amplius agere primæua actione, cum extincta ſupponatur per nouationem, an è contrà.

Quartò, an intercedat nouatio, quandò quis debitor alterius pro cambio accepto mandat debitori ſuo, vt ſoluat campſori creditori, & hic ſecundus debitor promittit ſoluere eidem creditori acceptanti, ſed poſteà non ſoluit, adeò vt iſte ſecundus debitor intelligatur liberatus à primo ratione nouationis, ſeu delegationis, & his ſimilia. Singula expendo, pro quibus ſit

5 Assertio I. Ex præciſa præſentatione literarum, & earundem receptione in terminis præmiſſis nulla oritur nouatio, nec delegatio,& per conſequens nec liberatio datoris literarum. *Turri de Cambijs diſp. 2. quæſt. 12. num. 8. 9. & ſeqq. contrà Bartolum in l. ſingularia 15. ff. ſi certum pet. num. 19.*

Probatur primò, quià ex præmiſſis ad nouationem hodie requiritur, vt expreſsè agatur, nec ſufficit additamentum perſonæ, & ad delegationem neceſſe eſt, vt delegatus promittat non quomodòcunque, ſed per ſtipulationem *Gloſ. l. quamuis §. ſi mulier ff. ad vell. Iaſon d. l. ſingularia nu. 36. ff. ſi cer-*

tum pet., ſed ex præciſa præſentatione, & receptione litterarum, nec expræſsè agitur de nouatione, nec promiſſio reſultat in delegato per ſtipulationem, ergò &c. Minor probatur quoad primam partem, quià in prima celebratione contractus inter ſtipulatorem, & datorem litterarum non facta fuit conuentio, quòd acceptante litteras eo, cui dirigitur tracta, intelligatur prior obligatio, quàm aſſumpſit dator literarum ex vi receptionis pecuniæ ſibi traditæ per ſtipulatorem, transfuſa in aliam, nouamque obligationem, quàm poſſit aſſumere acceptans eaſdem literas per ſimplicem receptionem earundem, ergò &c. Quoad ſecundam etiam ſic euincitur, quia qui ſimpliciter acceptat, non promittit ſimpliciter, ergò multominùs intelligitur promittere per ſtipulationem. Antecedens probatur, quià ex ſuperiùs dictis in præcedenti prænotione ex acceptatione ſolùm conſurgit obligatio mandati in acceptante, ſed hæc poteſt eſſe ex ſimplici conſenſu, & talis debet præſumi, niſi aliud exprimatur, ergò per ſimplicem acceptationem non neceſſariò infertur ſimplex promiſſio. Minor probatur, quià ſunt quid diuerſum obligatio ex conſenſu, & obligatio ex promiſſione, & poteſt quis conſentire, & non promittere, quòd videtur innuiſſe Iuſtinianus, dum §. *fin. Inſtit. de obligat.* aſſignauit duo contractuum genera, alterum quod perficitur verbis, & rebus, alterum quòd ſolo conſenſu completur, vbi primum videtur requirere promiſſionem per verba, non ſic ſecundum, cum ſolo conſenſu compleatur, ergò ſemper fixum remanet, quod per conſenſum implicitè præſtitum per acceptationem litterarum non intelligatur facta promiſſio.

Ad nouationem requiritur expreſſa mentio,

Qui ſimpliciter acceptat, non promittit ſimpliciter,

Dices primò, ex dictis *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs I. in Diſquiſ.* §. 21. in caſu ibi expoſito, & acceptato verè, & realitèr interuenire nouationem, & delegationem, & tamèn ibi delegatus, ſupra quem cadit nouatio, nec conſenſit, nec promiſit, cum fuerit decoctus ante acceptationem, vel ſaltem noluit litteras acceptare, ergò ad nouationem, ſeù delegationem non requiritur, quòd delegatus promittat ſiuè ſimplicitèr, ſiuè per ſtipulationē. Recole, quæ dicta ſunt loco citato, & huc transfer, cum ſint valdè accomoda ad roborandam inſtantiam. Sed contrà primò, quià in eo loco expræſsè actum eſt de nouatione, cum conuenerint, quòd per expræſſam acceptationem factam per creditorem debitoris ſui debitoris ipſe ſuus debitor libe raretur à debito, & ex vi illius ex conuentione partium fuit liberatus in cauta forma, prout ibi ſupponitur, in quo caſu non videtur requiri promiſſio debitoris eiuſdem debitoris, quæ in tantum exigitur, in quantum creditor non præſumitur acquieſcere ſine illa promiſſione, cum autem hìc acquieſcat abſolutè tali ceſſioni, & vi ipſius liberet in cauta forma, non eſt quid deſideretur ad primam nouationem. Secundò in eo caſu ibi expoſito duplex interuenit contractus, alter cum obligatione ex cauſa præcedenti, alter, qui de nouo ibi celebratur, & per hunc ex conuentione partium ille primus nouatur, in caſu autem præſenti eſt vnus, & idem contractus, qui non poteſt nouari per acceptationem præciſam litterarum, cum hæc non ſit nouus contractus, ſed pars eiuſdem contractus.

In data ſuppoſitione debitor fuit liberatus in cauta forma.

Dices ſecundò. Mandans campſori, vt alteri ſoluat, vel promittat centum, quæ eidem alteri ipſe mandans debet, facta dicta promiſſione liberatus eſt ipſo iure *Bartolus leg. ſingularia* 15. *ff. ſi cert. petat. Aretinus conſ.* 3. *in cauſa, & puncto ad me tranſmiſſo* per ea, quæ nos etiam docuimus *ſub eodem tit. de Cambijs I. in Diſquiſ.* §. 21. *num.* 2. de communi ſtilo Mercatorùm volentium promiſſionem Mercatoris factam creditori ad inſtantiam debitoris cedere loco ſolutionis, quòd cõfirmauimus *ſub n.* 4. *verſ. maximè ſi ſit mercator* adducta ratione, quia inter Mercatores pactum habetur loco ſtipulationis, ergò ſaltem in caſu, qui frequentiſſimus eſt, & ſemper in ferijs contingit, quo mandatarius, & acceptans litteras ſit mercator, vel campſor, intercedet nouatio, ſeù delegatio ex ſimplici litterarum præſentatione, & acceptatione, etiàm ſi ille, cui facienda eſt ſolutio, non conſentiat. Sed contrà primò, quià hæc, quæ dicuntur, non ſubſiſtunt, nam mandans campſori, vt ſoluat, vel promittat, non liberatur, niſi ex cauſa præcedenti ſit creditor eiuſdem campſoris *Baldus in leg.* 2. *num.* 4. *C. de execut. rei iud. Romanus ibi in addit. ad Bart. latè articulum examinans poſt Caſtrenſem. Iaſon. d. l. ſingularia à num.* 34. *vſque ad* 39. *incluſiuè ff. ſi certum pet. Decius conſ.* 107. *tract. de decoct. part.* 5. *n.* 5. Secundò, quià dato etiàm, quòd ſit cre-

Inter mercatores pactum habetur loco ſtipulationis.

creditor eiuſdem campſoris, non ſubſiſtit liberatio, niſi promiſſio non ſolùm ſit facta ipſi mandanti, ſed etiàm ei, cui facienda eſt ſolutio, vt notat *Turri de Cambijs d. diſp. 2. quæſt. 12. num.* 18., quæ promiſſio non interuenit ex vi ſimplicis præſentationis, & receptionis litterarum in terminis præſentis aſſertionis, cum ſimplex receptio litterarum ſolùm importet conſenſum in acceptante, qui longè diuerſus eſt à promiſſione per ea, quæ docuimus ſupra in probatione. Quamobrem, vel *Bartolus, & Aretinus* in caſu inſtantiæ ſupponunt, promiſſionem factam per campſorem creditori mandantis eſſe adæquatam tàm ſcilicèt in ordine ad ipſum mandantem, quàm ad creditorem eiuſdem, & ex cauſa præcedenti, & ſic certè procedit nouatio, vel delegatio, ſed, ſi hoc, nihil contrà nos, qui procedimus tantùm in ſuppoſitione ſimplicis receptionis litterarum, per quàm &c., vel tantùm eſſe inadæquatam, in ordine ſcilicet præcisè ad mandantem, & tunc ſinè fundamento aſſeritur talis liberatio, cùm ſine conſenſu eius, ad quem ſpectat, non fiat nouatio, nec delegatio, neque hæc obſtant ijs, quæ nos docuimus *ſub præcit. tit. de Cambijs* §. 21. *ſub num.* 4; non obſtant, inquàm, tùm quià ibi erat ſermo de formali promiſſione, & actum expræſsè erat de nouatione poſita præcisè illa promiſſione facta creditori, & acceptata ab eodem etiàm ſinè interuentu eius, qui ſoluere debebat, cum debitor fuerit in cauta forma liberatus, vt ibi expræſsè dicitur; hic autem eſt ſermo non de promiſſione, ſed de ſimplici acceptatione litterarum, quæ non importat promiſſionem, ſed ſolùm conſenſum in acceptante, & expreſsè non agitur de nouatione, nec de liberatione, vndè hic non eſt nouatio, nec ex diſpoſitione iuris, nec ex voluntate expreſſa contrahentium, quin potiùs eſt præſumptio voluntatis ad oppoſitum, nec ab hac reſponſione, & conciliatione horum, quæ dicuntur in præſenti aſſertione cum dictis *in præcit.* §. 21. diſcordat *Turri hic d. diſp. 2. quæſt.* 12. *ſub num.* 21., qui ponderans caſum ab *Afflicto* relatum *deciſ.* 353. *num.* 4. conſimilem omninò ei, quem nos *in d.* §. 21. expoſuimus, aſſerit, votum eiuſdem Afflicti veriſſimum eſſe de iure, quo ſtatuit per inſtrumentum quietationis in cauta forma ſuppoſita cauſa præcedenti liberari debitorem à creditore acceptante debitorem debitoris proprij pro debito illius. Videatur idem *Afflictus, & Turri locis cit.*, & ceſſabit quæcunque ſuſpicio contrarietatis inter hæc, quæ dicuntur in hac aſſertione, & aſſerta *in dicto* §. 21.

Simplex receptio litterarum ſolùm importat conſensũ in acceptante.

Sine conſenſu nõ fit nouatio, nec delegatio

Quòd, ſi vlterius vrgeas quòd, quamuis *in dicto* §. 21. fuerit in expoſitione difficultatis ibidem propoſitæ ſuppoſita quietatio in cauta forma, in ſucceſſione tamen diſquiſitionis, & præcipuè *in probatione ad reſponſionem num.* 2. fuit abſolutè dictum *promiſſionem mercatoris factam creditori ad inſtantiam debitoris cedere loco ſolutionis*, quod pluribus citatis fuit ibi comprobatum, & *ſub num.* 4. *verſic. dixi maximè pacta inter Mercatores haberi loco ſtipulationis*, adhuc ſatisfies per ea, quę habet *Rota Genuenſis deciſ.* 4. *dum iudicauit nu.* 9., *& Romana diuerſ. deciſ.* 285. *dixerunt ſub num.* 7. *coram Cardin. Panphilio in Beneuentana cenſus* 29. *Maij* 1595., quæ etiam comprobat *Turri d. diſp.* 2. *quæſt.* 12. *num.* 23. quamuis ſuperius dixerit in eadem quæſt., & acritèr ſuſtineat ad nouationem, & liberationem debitoris requiri, vt ille, qui ceditur pro debitore, promittat, aſſerit enim tàm Rota Genuenſis, quàm Romana ex communi conſuetudine vbique recepta promiſſionem Bancherij in banco, & Mercatoris habere vim ſolutionis, quod veriſſimum in iure aſſerit *Turri loc. cit.* quamuis reſtringat aſſertum ad Bancherium in bancho, & non ampliet ad quoſcunque Mercatores, quare *in ead. diſp.* 2. *quæſt.* 17. *num.* 25., *& ſeqq.* poſteà explicat diſcrimina inter Bancherios, & Mercatores, & quinam mercatores veniant ſub hac diſpoſitione iuxtà ſuum ſenſum aperit, quæ nec incongruè, nec inutilitèr referre hic arbitratus ſum; aſſerit igitur ipſe antiquitus Romanorum iure fuiſſe argentarios, & nummularios, qui ex ſpeciali Principis, vel Reipublicæ diſpoſitione deputati publicam habere cauſam dicebantur *l. argentarius* 40. *ff. de edend.* ità vt qui eorum fidei credebant, ſecuti fidem publicam aſſererentur *l. ſi ventri* 20. §. *in bonis ff. de priuil. mercat.* atquè his erant ex diſpoſitione iuris priuilegia non modica conceſſa, prout colligitur *ex d. l. ſi ventri in bonis ff. eod. tit., & ex l. ſi hominem* 7. §. *quoties ff. depoſiti, & ex l. quod priuilegium ff. eod. tit.* Argentarijs, ſeù nummularijs correſpondent his temporibus Bancherij, & loco menſæ argentariorum ſucceſſerunt campſorum, ſeù Bancheriorum banchi *Paulus*

Promiſſio Bancherii in banco habet vim ſolutionis.

Argentarij, & nummularij quinam fuerint.

Argentarijs correſpõdet Bancherij.

lus Caſtrenſis conſ.284. lib. 1. quos cauſam à publico habere, nec ſine approbatione perſonæ, & præſtatione fideiuſſorum permiſſos eſſe docet *Straccha de decoct, parte vltima num.*25., & docet *Turri loc. cit.* obſeruata praxi, & iuribus in vnaquaque fere Europæ regione. Huiuſmodi banchi in duplici quaſi differentia ſunt, alij, qui dicuntur priuati iuris, & ſpectationis, alteri, qui iuris publici, & ſpectationis communis; Secundi ſunt, qui auctoritate publica ad bonum publicum, & vniuerſalē commoditatem erecti ſunt, in quibus omnium concurrentium pecuniæ aſſeruantur, numerantur, & depoſita fiunt, de quibus librum rationum nummularij conficiunt; Primi ſunt, qui à ptiuatis, & ad priuatum inſtituentium commodum, & vtilitatem ex Principum tamen, & publica Reipublicę permiſſione, inſtituuntur. Bancherijs huiuſmodi ſiuè publicæ, ſiuè priuatæ ſpectationis ſint publicā fidē competere aſſerit Turri, & corū promiſſiones loco ſtipulationis haberi. Mercatoribus verò huiuſmodi fidem non deberi, cum publica auctoritate non indigeant, & quamuis eorum miniſterium vtile, ac neceſſarium ſit Reipublicæ, non tamen ipſi dicuntur habere cauſam publicā *Cagnolus l.*1. *nu.* 77. *verſ. tertiò arguitur C. de edend.* vndè eorum promiſſio nec vim habet ſtipulationis, nec ſolutionis. Quibus ſuppoſitis dic iam *in præcit.* §. 21. ſermonem fuiſſe de habente publicam cauſam, cui ius aſſiſtit, in præſenti autem aſſertione ſermonem eſſe de mercatoribus, alijſque non habentibus publicum miniſterium, ſed agentibus ad priuatam commoditatem, & vtilitatem, & ſic apparentes oppoſitiones conciliabis. Quòd ſi ibi locuti fuerimus expreſſo nomine mercatoris, ideò tali vocabulo vſi fuimus, quià apud recentiores noſtri temporis iuris interpretes pro eodem nomen Mercatoris, & Bancherij vſurpatur, nec Theologi vllam differentiam aſſignarunt.

Banchi alij priuati iuris, alij publici.

Mercatores non dicuntur habere cauſam publicam

Dices tertiò *ex Baldo in l. pro debito num.*2.*C. de bon. auth. Iud. poſſid. ex Salicet. ibid. num.*4. *Petro de Vbaldis in tract. de duob. fratr. part.*8. *quæſt.*32. *num.* 33. *tom.* 6. *parte prima. Surdo conſ.* 145. *num.*9. & 10. *lib.* 1. *Scaccia de commerc.* §. 2. *gloſ.* 5. *num.* 245. Si quis cambium contraxit cum Mercatore in Ciuitate Medioloni, qui eidem fecit litteras cambij ad alium Mercatorem in Ciuitate Romæ, vt ſolueret eidem ſtipulatori literas præſentanti, & ſuper ſe reciperet cambium, & ille Mercator Romæ literas acceptauit ſibi per ſtipulatorem delatas, & antequam ſolueret, aufugit, damnum decoctionis ſpectat ad eundem ſtipulatorem, ergò ex vi præciſa acceptationis conſurgit nouatio, & liberatio. Sed contra primò, quià hæc, quæ dicuntur in allato exemplo in inſtantia, procedunt dumtaxat quoad Mercatorem acceptantem, & promittentem habentem publicam cauſam, cuius promiſſio ex communi conſuetudine iuxtà mox dicta habetur loco ſtipulationis, & dicitur Mercator ex modo loquendi confundente, & acceptante pro eodem nomen Mercatoris, & Bancherij; cæterùm in rigore eſt Bancherius, vndè non modicum miror, quòd *Turri loc. cit. num.* 19. neget de iure, & conſuetudine eſſe, promiſſionem campſoris importare liberationem debitoris à debito, dum poſteà *num.*23. dicit promiſſiones factas in bancho ſecundum communem conſuetudinem habere vim ſolutionis. Secundò, quià iura, quibus innititur Baldus ad aſſerendum id, quòd in inſtantia aſſertur, id non probant, cum reſpiciant diuerſos terminos, quod ſic euincitur, nam text. *in l. inter cauſas* §. *abeſſe ff. mandati* hæc continet *Abeſſe intelligitur pecunia fideiuſſori etiàm ſi debitor ab eo delegatus ſit creditori, licèt is ſoluendo non fuerit, quià bonum nomen facit creditor, qui admittit debitorem delegatum*, per quæ importatur formalitèr, ſeù ſupponitur delegatio, adeòque non debent extendi ad caſum, in quo nulla interueniat delegatio, cuiuſmodi eſt caſus in inſtantia expoſitus, tùm quià Mercator Romæ non ſupponitur debitor Mercatoris Mediolani mandantis ſolutionem, quod requiritur ad veram delegationem ex allegatis iuribus ſupra, tùm quià licèt fuerit acceptatio litterarum, non tamen fuit promiſſio, nec ſtipulatio requiſita ad nouationem, vt ſupra. Rurſus textus, quem ipſe adducit *in leg. omnes ff. de nouat.* ad probandum in eo caſu factam eſſe nouationem, quià eſt facta mutatio perſonę, & loci, non euincit intentum Baldi, cum ille aliud non importet, niſi quod omnis obligatio poteſt nouari, ſi expreſsè agatur, quod nouetur; cæterum non indicat, quod in caſu expoſito interueniat nouatio, cum nec partes expreſsè egerint de nouatione, nec per campſorem Mediolani intelligantur ceſſæ actiones

Ad delegationem requiritur, quòd delegatus fuerit debitor.

con-

contrà Mercatorem Romæ, ità vt per talem actionem ipſe ſe liberarit ab onere, & ceſſare fecerit primæuam actionem contrà ſe ipſum, vndè verum quidem eſt, quod nouatio importet mutationem debitoris, & loci, non tamen, quod quælibet mutatio perſonę, & loci importet nouationem, niſi intercedant aliç conditiones à iure requiſitæ, prout ſuprà. Deindè non poteſt in eo caſu abſolutè dici, quod interceſſerit mutatio debitoris, cum mutatio dicat tranſitum ab vno ad alterum per abſolutum receſſum à primo, quod non eſt in caſu noſtro, ſeù ſaltem per Baldum non probatur.

Non quælibet mutatio perſonæ importat nouationem

Probatur ſecundò aſſertio, quià ex dictis *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs I. in Diſquiſ. §. 22. per tot.* ceſſio nominis debitoris facta creditori per debitorem non importat nec nouationem, nec delegationem per ea, quæ ibi tradita ſunt ex allegatis iuribus, & Doctoribus, ergo neque acceptatio præciſa literarum eandem nouationem, ſeù delegationem importat. Conſequentia probatur, quià in tantum in ceſſione non interuenit nouatio, nec delegatio, in quantum non interuenit promiſſio debitoris ceſſi erga creditorem, nec hic præſumitur cedere primæuæ actioni contrà ſuum immediatum debitorem in caſu, quo ceſſus non ſolueret, immò acceptat ipſum dumtaxat conditionatè, ſi ſoluerit, ſed etiam in acceptatione literarum nulla interuenit promiſſio in acceptante, vt ſuprà probatum eſt, nec ſtipulator præſumitur cedere primæuæ actioni contrà datorem literarum per ſolam acceptationem earundem eius, ad quem tracta fuit directa, quinimmò ipſam acceptaſſe tantum conditionatè, non ſi acceptarit, ſed ſi ſoluerit, vel in pecunia numerata, vel ſi poſuerit aliquod, quod habeatur ex diſpoſitione iuris loco ſolutionis, ergò &c.

Stipulator non præſumitur cedere primæuæ actioni.

Dices hac ratione etiam dici poſſet, quod quandò interuenit promiſſio argentarij, vel publici Bancherij non intercederet nouatio, nec item quandò creditor acceptat literas debitoris ad alium debitorem eiuſdem debitoris etiam liberando ipſum in cauta forma ex vi talis acceptationis, eo quià in vtroque caſu poſſet dicere creditor, quod acceptat promiſſionem dumtaxat conditionatè, vel quod liberet tantum ſub conditione, ſi promiſſor, vel ceſſus ſoluerit, quod eſt contra ſuperius dicta. Sed contrà, quià in vtroq; caſu hic expoſito interueniunt ea, quæ ex diſpoſitione iuris, & ex conſuetudine vbique recepta vim habent ſolutionis ſecundum ſe, adeòque non eſt, cur præſumatur conditio aliqua, quæ tantum eſſe poteſt in caſu non ſolutionis, vel alicuius non habentis vim ſolutionis, quæ non interueniunt in caſu expoſitæ aſſertionis ex vi ſimplicis acceptionis literarum, vt per ſe patet.

Non valet dicere, quod acceptat ſolùm conditionatè.

Assertio II. In hypotheſi rationis dubitandi ſecundo loco expoſitæ propriè interceſſit nouatio primæ literæ ſignatæ per Auguſtinum Tornerium, ſeù obligationis primæ per ipſum aſſumptæ in fauorem Titij, adeò vt Titius ad conſequendum ſuum creditum non habeat amplius actionem directam contrà eundem Auguſtinum, & eius bona, ſed tantum aduerſus Thomam Baudum, & ſi quam habet aduerſus Auguſtinū, eſt ratione obligationis quaſi fideiuſſoriæ, vt infrà *Baldus in l. pro debito 6. nu. 2. C. de bon. auth. Iud. poſſid., Surdus in conſ. 145. n. 10. lib. 1., Caſtillus cont. lib. 4. c. 59. nu. 31., Leotardus de vſuris quæſt. 26. num. 9., Scortia Theorem. 291. in fin., Ghetius in ſua praxi camb. fol. mihi 23., Gait. de credit. cap. 2. tit. 7. num. 2411., Perus in prima parte fol. 151., Turri de Cambijs diſp. 2. quæſt. 7. num. 18.* quibus conſonant, ea quæ nos tradidimus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 6. per totum*. 6

Probatur primò iuxtà ea, quæ per nos dicta ſunt *cit. Prænot. 6.* nam celebrato contractu cambiali recurſæ ſtipulatoris cum datore literarum ad reſpondentem eiuſdem ſtipulatoris, ſi idem dator literarum, antequam literæ eædem ſoluantur per reſpondentem ſtipulatoris, aliam pecuniam accipiat ab altero titulo cambij, & poſt ſolutionem primarum vergat in decoctionem, ità vt vtrique ſatisfacere non poſſit, certè iſte ſecundus, cum quo ſecundum cambium contraxit, præferendus eſt primo, non niſi, quia ius primi per illam virtualem ſolutionem extinctum omninò ſupponitur per ea, quæ in probatione aſſertionis ibi dicta ſunt, & in ſubſequentibus vſque ad finem prænotionis, ergò per illam virtualem ſolutionem factam vigore primarum literarum fit nouatio, vi cuius prior illa obligatio aſſumpta per datorem literarum extinguitur. Conſequentia probatur, quià, ſi non intercederet nouatio, vi cuius extingueretur illa prima obligatio, non

Per illam virtualē ſolutionem ceſſat ius prælationis quoad primū cambiū.

non eſſet, cur ſecundus præferendus eſſet primò, cum hic haberet anteriorem actionem intuitu primæ obligationis aſſumptæ per datorem literarũ, quæ adhuc in ſuo robore perſeuераret; neque exiſtimandum eſt ibi dicta procedere in diuerſis terminis, quandoquidem ibi etiam erat ſermo de datore literarum, & ſtipulatore in ordine ad reſpondentem eiuſdem ſtipulatoris, qui acceptauit literas datoris, eaſque virtualitèr ſoluit, & tractam iterum remiſit ad eundem datorem literarum iuxtà modum expoſitum in hac aſſertione.

Probatur ſecundò, quià ex ſuperius dictis in præcedenti aſſertione, & *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. in Diſquiſ.* §. 21. propriè intercedit nouatio, ſi conſtituto cambio cum vno, datiſque literis ad reſpondentem, qui non ſolùm acceptet, ſed etiàm promittat ſoluere ei, cui ſolutio facienda eſt, & per hunc promiſſio acceptetur, ergò a fortiori intercedit nouatio in hypotheſi præſentis aſſertionis, in qua reſpondens non ſolùm ſupponitur promittere, ſed etiàm virtualitèr ſoluere ſibi ipſi iuxtà diſpoſitionem creditoris mandantis ſolutionem ſibi ipſi faciendam, & rurſus ex vi ſolutionis factæ nouas literas cambij ad eundem remittere.

Probatur tertiò, ex dictis *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. in Diſquiſ.* §. 9. quià in cambijs continuationum, ſeù in recambijs duplex poteſt exigi prouiſio, non niſi quià recambia, ſeù continuationes ſunt noua, & iterata cambia, nouique contractus, nō mera pars conſecutiua primi cambij, ergò, quià per ſecundum extinguitur primum, quod vtpotè extinctum nullam poteſt parere actionem, nullamque obligationem conſeruare in debitore. Conſequentia probatur, quià, ſi nouũ cambium non poneretur, per quòd primum extingueretur, ex eodem numero cambio duplex exigeretur prouiſio, quòd non videtur dicendum. Confirmatur, quià, ſi cambium *con la riccorſa*, non importaret duplicem contractum, ità vt per ſecundùm primus extinguatur, ipſum cambium recurſç eſſet vt vſurarium prohibitum per præallegat. Conſtit. Pij V. aſſerentis *Neque cambia alitèr, quàm pro primis nundinis &c.*, & paucis interpoſitis, *abuſu illo prorſus reiecto cambia pro ſecundis, & deinceps nundinis, ſeù terminis exercendi*, ergò, cum huiuſmodi cambium ſit non ſolùm communi conſuetudine, ſed etiàm communi Cardin. voto in Sacra Congregatione approbatum, dicendum erit, hoc prouenire, quià innouantur cambia, & primùm per ſecundùm omninò extinguitur.

In cambijs continuationum duplex poteſt exigi prouiſio.

Cambiū *con la riccorſa* importat duplicem contractum.

Dices primò, hæc, quæ dictu ſunt in præpoſitis probationibus verificari dumtaxat, quandò reſpondens vtriuſque, ſtipulatoris ſcilicèt, & datoris literarum acceptaret primas literas, illaſque virtualitèr modo explicato ſolueret nomine proprio, & ex pecunia propria, ſecùs autem, quandò ea præſtaret nomine tantum procuratorio ſtipulatoris, & ex pecunia eiuſdē, quià tunc exerceret ſolummodò nudum miniſterium reſpectu eorundem, nullamque obligationem in ſe aſſumeret, cum tota hæc eſſet in principalibus, quorum perſonas ille dumtaxat rapræſentat. Sed contrà primò, ergò iam in ordine ad reſpondentem, ſi agat nomine proprio, habetur nouatio prioris contractus transfuſa in ſecundum, & ſic cambium recurſæ ſecundum ſe importat duplicem contractum, & nouationem primi cum ſecundo, & ſolùm hæc ratio tollitur ratione circunſtantiç perſonæ agentis munus nomine principalium, quod non eſt dicendum, vt infrà; Secundò, quod reſpondens præſtet ſolùm nudū miniſterium ratione principalium, nihil aliud importat, quàm quod ſoluat, & recipiat pecunia virtuali ſtipulatoris, & non propria, ſed hoc quod eſt ſoluere, & recipere pecunia virtuali ſtipulatoris non tollit, quin re vera fiat ſolutio prioris cambij, & per ſe ipſum extinguatur, cum illa pecunia, vt virtualitèr ſoluta ſit terminus primi cambij, & vt poſteà transferenda, initium ſecundi; neque hoc nouũ in iure eſt, quod eadem pecunia quamuis ſit eiuſdem Domini poſſit eſſe in ordine ad diuerſos contractus, & terminus, & principium; & habere rationem ſolutionis, & pretij in ordine ad diuerſam emptionem, vt colligitur ex textu *in l. ſingularia* 15. *ff. ſi certum petatur*; neque ex eo, quòd ſupponatur eiuſdem ſtipulatoris, exiſtimandum eſt retinere idem ius prælationis, quià in ordine ad diuerſos contractus diuerſas qualitates induit, & de vno in alterum tranſit iuxta naturam, anterioritates, & poſterioritates eorundem contractuum; punctualis eſt doctrina quoad hoc, quod, quamuis reſpondens præſtet nudum miniſterium reſpectu ſtipulatoris, fiat nouatio prioris contractus apud *Turri*

In ordine ad diuerſos cō tractus idem poteſt eſſe terminus & principium.

de Cambijs diſp.3. quæſt.7. num. 18., vbi quærens, an ille, cui dirigitur tracta, ea acceptata obligetur, etiam ſi ad eum ſpectat ſola cura, & ſollicitudo, poſtquam firmauit poſt tractæ acceptationem eum efficacitèr obligari, ſubdit, *Et eo iuſtior erit eius obligatio ex recambio, quo certius eſt poſt cambij perfectionem, & ſolutionem, quæ in eodem recambio contingit liberari debitorem ex cambio, qui, ſi debitor perdurat, talis non eſt reſpectu cambij ad perfectionem deducti per ſolutionem, ſed vi ſui mandati executi, & ſucceſſiuè talis non eſt ad fauorem ſtipulatoris cambij, ſed ad fauorem ipſiuſmet tractam acceptantis, & ſoluentis recambij miniſterio, vt explicatum eſt ſuprà in quæſt. prox. præcedenti*. Conſonant ijs, quæ dicuntur per Turri, ea, quæ aſſerit *Lugus diſp. 28. ſect. 7. num. 100. verſ. vnde ſi Petrus*, vbi expoſito caſu conſimili illi, de quo nos hic agimus, habet. *Item fuiſſet, ſi poſtquam Antonius, vt procurator Ioannis, & Petri ex pecunijs Ioannis datis Petro ad ſecundum cambium extinguit primum, Petrus nihil deberet Ioanni ex primo cambio, ſed ſolùm, quod ab ipſo, vel eius Procuratore ad ſecundum cambium accepiſſet*, quo nihil aptius ad rem noſtram eſſe poteſt; dixerat enim antecedentèr ad hæc, quod ſi Petrus poſt primum cambium Romæ a Ioanne acceptum, & ante illud Placentiæ ſolutum, aliud cambium Placentiæ à Franciſco acciperet ab Antonio Ioannis procuratore ad extinguendum primum, & poſt hæc decoqueret, nec haberet, quo vtrumque cambium ſolueret, deberet præferri Franciſcus, vt creditor anterior Ioanne, eo quià primum cum Ioanne ex recambio extinctum ſupponatur; & cum modo ſubdat, idem dicendum quandò Antonius ex pecunijs Ioannis ſolutionem primi cambij præſtat inconcuſse firmat ea, quæ per nos hic dicuntur, & ex diametro corroborat.

Senſus Lugi valdè accomodus noſtro ſenſui.

Dices ſecundò, cambium cum recurſa ex natura ſua, & ex communi conſuetudine vbique recepta, hoc habere, vt reualidari debeat, ſeù compleri vltimate per ipſum datorem primarum literarum, cum in eis regularitèr addatur clauſula, *riualeruene ſopra di noi*, quæ particula inducit quaſi quandam obligationem fideiuſſoriam in fauorem ſtipulatoris factam per datorem literarum pro reſpondente, & ſpecialitèr in caſu noſtro per datorem primarum literarum in eiſdem fuit dictum ſcilicet in illis expeditionis, *e ponete à conto noſtro*, & in alijs *d'auiſo, e poi con voſtre ſolite ſpeſe da me qui valeruene, che li darò buon compimento auiſando &c.* vndè infert *Olea de ceſſione iur. tit. 7. quæſt. 3. nu. 25.* quod quamuis primum cambium per virtualem illam ſolutionem factam per reſpondentem modo quo ſupra, fuerit extinctum, nihilominus hypotheca in fauorem ſtipulatoris firma remaneat à die primarum literarum etiam in concurſu aliorum creditorum, quia *hypotheca ineſt primæ obligationi literarum, & expeditionis, & naturæ cambij, quod dicitur di riccorſa*, quæ omnia poſſunt ex eo magis confirmari, quod ſi obligatio ſoluendi cambium ex reditu, ſeu hypotheca in primis literis non fuiſſet per datorem earundem literarum appoſita, reſpondens ſecundum cambium, ſeu recambium non iniuiſſet cum eodem datore primarum literarum nouas literas ad ipſum dirigendo pro ſolutione facienda ſtipulatori, neque eundem datorem conſtituiſſet debitorem, quem tamen conſtituit, & cum eodem ſecundum cambium iniuit. Sed contrà, quià, quamuis ſit onus impoſitum cambio primo reualendi de ipſo ſupra ipſum datorem literarum, re tamen vera completur in nundinis per illam ſolutionem virtualem modo, quo ſupra; non negauerim tamen clauſulas illas *riualeruene ſopra di noi, ponete à conto noſtro, e poi con voſtre ſolite ſpeſe da me qui valeruene, che li darò buon compimento* inuoluere, ſeu inducere quodamodò obligationem quaſi fideiuſſoriam. *Baldus in rubr. num. 12. verſ. modo quæro C. de conſtit. pecun.*, *Follerius ad Maran. in ſpec. part. 6. act. 6. princip. num. 46. verſ. hoc in loco*, quod non denegarunt DD. Aduocati patrocinantes cauſæ dicti Auguſtini Tornerij, qui etiam dixerunt, talem obligationem initium deſumere à die primi cambij, eidemque originalitèr ineſſe, ſed dico, quod talis obligatio in ordine ad ſtipulatorem extincta fuit in illa virtuali ſolutione facta per reſpondentem, & tranſierit vigore primarum literarum, & mandati in eum dati, & per eum executi in eundem reſpondentem, adeò vt hic poſſit agere aduerſus eundem datorem primarum literarum ex vi obligationis aſſumptæ in primis literis, incipientis à die dationis earundem, non à die præciſè noui cambij initi, atque in hanc ſententiam propendiſſe videtur Excellentiſſimus Mediolani Senatus in cauſa inter Dominum Georgium de Clericis, & Lumagham occa-

Hypotheca ineſt obligationi primarũ literarũ.

Primum cambiũ reuera completur in nundinis.

Deciſio Excellentiſs. Mediol. Senatus.

Aſſertio procedit ex vi contractus præciſè nulla habita ratione ad fideiuſſionem.

occaſione literarum Velati, & Recalcati. Sed quidquid ſit de ijs, quæ nos non feriunt, noſtra aſſertio procedit ſolummodò ex vi contractus ſecundum ſe ſumpti nulla habita ratione fideiuſſionis, qui certè patitur nouationem per ſecundum initum, vt patet ex allegatis iuribus, & rationibus; vndè iure merito docuit, *Scaccia de commert. §. 2. gloſa 9. ſub num. 2. & 3. verſic. reſpondeo*, quod, ſi contractui non apponeretur illa clauſula *ponete à noſtro conto*, mandans obligaretur præciſè ratione mandati *iuxtà l. ſi quis mihi, & l. ſi mandauero ff. mandati* non autem ex expreſſa, & liquidata obligatione, ex quibus infero, quod ſi non eſſent appoſitæ ſimiles clauſulæ extingueretur quæcunque obligatio per ſimplicem executionem mandati. Cæterum ſuppoſita illa actione, ſeu obligatione quaſi fideiuſſoria non renuerem Titium ratione iuris acquiſiti per obligationem eandem aſſumptam à datore primarum literarum poſſe agere contrà eundem, & habere vi eiuſdem rationem prælationis in ordine ad quoſcunque alios creditores ex cauſa poſteriori ad celebrationem eiuſdem primi contractus, licet antecedenti ad celebrationem recambij, vt in ſimilibus expreſsè docet, *Lugus de Cambijs diſp. 28. ſect. 7. num. 101. verſ. unde ſi Petrus in fine*, qui aſſerit etiam ſic definitum in quadam Theologorum Congregatione habita Romæ die Sabbati 27. Septembris 1671. & ità etiam fuit deciſum in Excellentiſſimo Mediolani Senatu in cauſa conſimili vertente inter Hæredes Calepij, & Hæredes Cellæ ſub die 18. Ianuarij 1675. atque hoc idem eſt, quod nos diximus in aſſertione, *& ſi quam habet aduerſus Auguſtinum eſt ratione obligationis &c.* Quod ſi dixeris, quod, ſi obligatio eſſet ſolùm ratione fideiuſſionis ſtipulator non poſſet agere immediatè contrà datorem literarum, ſed deberet prius excutere reſpondentem, qui conſtitutus eſt principalis debitor iuxtà naturam fideiuſſionis; falleris in hypotheſi noſtræ aſſertionis, quia inter Mercatores, & campſores hoc vſus obtinuit, vt quæcunque promiſſio per ipſos facta de ſolutione ipſos immediatè obliget, vt pluribus Doctoribus, & iuribus allegatis docuimus *ſub hoc codem tit. Contractus V. de Cambijs I. in Diſquiſ. §. 23.*

Inter Mercatores, & campſores vſus inualuit, vt promiſſione immediatè obligentur.

Ex quibus habes primò, quod quandò diximus *de Cambijs I. in Diſquiſ. §. 21.* ſtipulatorem, qui primò dedit cambio alteri, qui poſtea ab alio cambium aliud accepit, antequam primæ literæ datæ ſoluerentur per reſpondentem, non habere ius prælationis reſpectiuè ad illum alium, qui ſecundò dederat cambium, hoc procedere præciſè ex vi contractus, qui ſecundum ſe extinguitur per illam virtualem ſolutionem, vt ſuprà. Quod ſi deindè ſupponamus receptorem primi cambij vlteriùs fideiuſſiſſe in fauorem ſtipulatoris pro reſpondente, tunc vt optimè aſſerit *Lugus loc. cit.* à die primi contractus ineſt obligatio reſpectu eiuſdem datoris literarum, ratione cuius ſtipulator præferendus eſt, cum illa obligatio originalitèr incæperit in primo contractu, & ſemper perſeuerat quouſque ponatur vltimata ſolutio.

Ratione fideiuſſionis obligatio perſeuerat, vſque ad vltimum complementum.

Habes ſecundò, quod, quamuis ratione fideiuſſionis adiectæ primo contractui illa obligatio perſeueret vſque ad vltimum, & reale complementum contractus, non tollatur tamen, quin poſſit exigi duplex prouiſio, altera pro primo contractu, qui extinguitur per illam virtualem ſolutionem, altera pro illo, qui de nouo contrahitur. Ratio eſt, quià vt ſupra innuebamus *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 11.* creditor poteſt exigere pro cambio fideiuſſores, ſeu pignora, & nihilominus exigere etiam intereſſe, & prouiſiones cambij, quandòquidem hæ dantur pro labore in numerando, pro cuſtodia, alijſque vt ſuprà *loc. cit.* quæ omnia interueniunt etiam præſtita fideiuſſione, aliaque idonea cautione.

ASSERTIO III. Intercedit regularitèr nouatio etiam quantum pertinet ad obligandum creditorem, quandò debitor promittit ſoluere debitum intrà annum, quod, ſi non ſoluerit intrà tempus conuentum, ex nunc aſſignat creditori acceptanti bona quædam in ſolutum. Ità contrà *Paulum de Caſtris in l. ſi Stychum §. idem Celſus de Nouat., Decium conſ. 12., & pro tenui per totum., Dinus de reg. iu. in 6. Teſ. Foſſan. deciſ. 147. datio inſolutum nu. 2. & ſeqq. verſic. & contrarium*, qui etiam docet ità pluries per Senatum Pedamontanum fuiſſe deciſum. 7

Dacio in ſolutum acceptata demittit creditoris

Probatur primò, quià datio in ſolutum acceptata à creditore demit ius creditoris ad præcedens creditum, & liberat debitorem à debito, adeò vt iſte ratione iſtius non poſſit amplius vexari, quandòquidem dare in ſolutum, & ſoluere idem ſunt *Baldus in l. fin.*

Digitized by Google

l. fin. C. ad leg. falcid. & not. in l. libera C. de ſen. vndè ſicuti, qui ſoluit, exſoluit debitum, ità qui dat in ſolutum idem debitum demit, quinimmò datio in ſolutum valet incommutabilitèr, & non ſubiacet pacto legis commiſſoriæ *l. cum Dominium, & ibi Baldus C. de pignor.* ſed ex conuentione partium ex nunc poſita elapſo illo anno illa aſſignatio, de qua loquimur, eſt propriè datio in ſolutum, ad quam ex mutuo conſenſu creditor, & debitor ſe obligarunt, ergo elapſo illo anno illa demit ius creditoris, & eximit debitorem a debito; neque obſtat, ſi dicatur, hæc valere, quandò illa datio in ſolutum eſt abſolutà, non quandò conditionata, vt in caſu noſtro; non obſtat, inquam, quià conditio reſpicit ſolummodò tempus, ſi ſcilicet debitor intrà illud non ſoluerit, non conſenſum ſuppoſita non ſolutione pro illo tempore; vndè purificata illa conditione per lapſum temporis, conuentio tranſit in abſolutam, & ſic obligat iuxtà præallegata iura.

Conditio non reſpicit conſenſum ſuppoſita non ſolutione.

Probatur ſecundò. Pacta conditionata purificata conditione abſolutè obligant, & fiunt abſoluta, ſed pactum illud, de quo loquimur eſt cum aſſignatione ex nunc pro tunc, & cum acceptatione, ſolumque pendet à conditione, ſi debitor intra conuentum tempus non ſoluerit, ergò purificata illa conditione ſolutionis non poſitæ ex nunc pro tunc obligant, cum conſenſus ipſorum contrahentium modo ſit abſolutus.

Dices primò, illam dationem in ſolutum eſſe ſolùm ad cautelam, & in fauorem creditoris, qui poteſt illam reicere. Sed contrà, nam datio in ſolutum non ſolum eſt ad cautelam, ſed etiam ad exonus debitoris, non eſt mera pignoris aſſignatio, ſed æquiualet actuali ſolutioni, quæ non ponitur ſolùm in ſecuritatem creditoris retinendo adhuc obligatum debitorem, ſed etiam abſolutè liberat eundem debitorem iuxtà præallegata iura.

Dices ſecundò illa conuentio inter creditorem, & debitorem videtur ſecundum ſe importare alternatiuam, &, cum ſit inducta in fauorem creditoris, electionem videtur eidem conferre, *Tiraquel de contractu lignag. §. 3. gloſ. 3. num. 16. verſ. adeo Stracch. tract. de aſſecurat. initio ante gloſ. num. 63. & ſeqq. tom. 5. part. 1. fol. 352., Bartolus in l. 6. quamuis num. 2. & 3. ff. de pignor.* ergo creditor reiecta illa datione poteſt agere primæua actione. Sed contrà neganda eſt illa alternatio, quæ in inſtantia ſupponitur, nam ſuppoſita acceptatione abſoluta illius dationis in ſolutũ eſt cum plena liberatione prioris debiti; non enim eidem debito accedit, vt pignus, ſed ponitur, vt ſolutio pro eodem; & longè eſt diuerſum aſſignare aliquod in pignus, & aſſignare tanquam datum in ſolutum; &, ſicuti, ſi debitor daret de præſenti in ſolutum aliquid creditori acceptanti, eximeretur ab onere debiti, ità eximitur de futuro purificata illa conditione. Quamobrem auctores, qui citantur in inſtantia, loquuntur ſolummodò in ſenſu, quo noua obligatio accederet priori pro ſecuritate, & cautione debiti principalis, vt ipſos legenti ſit manifeſtum. Ex quibus ſoluuntur omnia argumenta Decij aſſerentis, quod, cum illa datio ſit inducta in fauorem creditoris, non poſſit in illius odium retorqueri iuxtà *l. quod fauore C. de legibus, & cap. quod ob gratiam de reg. iu. in 6.*; retorqueretur autem, ſi præmeua actione deſtitueretur, & ex vi illius non poſſet agere in debitorem. Item in caſu ſtatuti mandantis reo condemnato non ſoluenti pænam intrà decem dies manum amputandam, debere intelligi, ſi Reſpublica, vel Fiſcus voluerit, quià tranſfuſio huiuſmodi pænæ ſemper accipitur cum tacita conditione, ſi ille, ad quem pertinet, ſic voluerit, ergo etiam idem intelligendum eſt in illa datione in ſolutum, de qua nos loquimur. Item huiuſmodi pactum comparari pacto legis commiſſoriæ reſolutiuo venditionis, quod verificatur volente venditore, non autem eo inuito *l. 2. & 3. ff. de leg. commiſ.* Tandem, quià facta conuentione inter creditorem, & debitorem de ſoluendo, vel de dando pignore, ſeù fideiuſſore intrà tale tempus non tamen liberatur debitor offerendo pignus intrà tale tempus, ſed poteſt cogi ad ſoluendum, ergo etiam in caſu noſtro &c. Soluuntur, inquam, & quidem primum non ſubſiſtit in noſtra hypotheſi, ſecundũ quam ſupponimus dationem illam non ſolùm eſſe in fauorem creditoris, ſed etiam in exonus debitoris, & eſſe potius commutationem crediti cum re, quam ſimplicem pignoris aſſignationem. Deinde id, quod aſſeritur ex allegatis iuribus, procedit, quandò creditor ipſe non præſtitit conſenſum, ſecus autem quandò ipſe annuit, & acceptauit; non enim poteſt dici retorqueri in ipſius odium, quod ipſe libere voluit, ſecus venditio aliqua facta in alicuius com-

Non accedit debito, vt pignus, ſed vt ſolutio pro eodem.

Argumenta propoſita per Decium.

Eorundem argumentorum ſolutio.

Digitized by Google

modum diceretur refundi in ipſius odium ex eo, quod non poſſet illam reſcindere, quod nemo dicet. Secundum item non ſubſiſtit, quia mandatum illud, ſeu ſtatutum mandans amputationem manus in caſu non poſitæ ſatisfactionis non eſt ex conuentione, per quam tàm reus, quàm Reſpublica, ſeu Fiſcus obligetur, ſed ex mera iuris diſpoſitione, quod non militat in caſu noſtro, qui dependet ex mutua partium conuentione, ſecundum quam vtraque pars tenetur ſtare conuentis, & ſemel præſtito libero conſenſu non eſt liberum alteri ex contrahentibus recedere, niſi non adimpleta conditione. Tertium item non ſubſiſtit, quià ex allegatis iuribus datio in ſolutum non ſubiacet pacto legis commiſſoriæ. Deindè illa conuentio non importat pactum legis commiſſoriæ, quandòquidem hoc importat conditionem expreſſam, vt, ſi intrà determinatum tempus non ſit adimpleta conuentio, à principio intelligatur irrita, vt docuimus *tom. primo ſub tit. Contractus II. de empt. & vendit. Prænot. 4. num. 9.* quod non euenit in noſtro caſu, ſecundum quem ſancitum eſt, quod non poſita conditione ſatisfactionis intrà tempus conuentum non reſcindatur datio in ſolutum, ſed potius ſuum ſortiatur effectum. Non tandem quartum ſubſiſtit, quia hic non agimus de aliquo adiecto in ſecuritatem debiti principalis, ſed potius de reciſione ipſius.

Datio in ſolutum non ſubiacet pacto legis commiſſoriæ.

Probatur tertiò, quià quandò etiam in hac hypotheſi eſſet locus alternatiuę, electio potius eſſet penes debitorē, quā penes creditorem *cap. 70. in alternatiuis, & ibi Dinus de reg. iuris in 6.*, & præcipuè ſi vtraque alternatiua eſt æqualitèr in obligatione. *Matth. Coler. tract. de proceſ. execut. part. 1. cap. 8. num. 29., Stracchа tract. de aſſecut. initio ante gloſ. num. 63. tom. 6. part. 1.* quod non inficiatur *Scaccia contrariæ ſententiæ propugnator acerrimus §. 2. gloſ. 5. num. 310.* ſed hic eſt ſermo de alternatiua æqualitèr, quandòquidem datio in ſolutum non accedit per modum ſecuritatis, ſed ſubſtituitur loco ſolutionis, vt per ſe patet, ergo &c. Confirmatur, quià, ſi quis debitor det ſuo creditori pignus cum pacto, quod teneatur ad cambia, & damna cambiorum, &, ſi in fine anni non ſatisfecerit, quod creditor poſſit pro ſuo libito vendere pignus, elapſo anno debitor intelligitur liberatus ab intereſſe cambiorum, etiā ſi creditor pignus non vendiderit *Curtius Iunior conſil. 132. habita diligenti ſub num. 4. verſic. præmiſſis*, à quo non diſſentit *Scaccia §. 2. gloſ. 5. num. 311.* ergò etiam ſi dat in ſolutum aliquid, ſi non ſoluerit intrà tempus conuentum, intelligitur liberatus à debito &c.

Electio eſſet potius penes debitorē, quam creditorem.

Assertio IV. In delegatione, quam facit ſui debitoris debitor ad ſoluendum creditori ſuo duplex conſurgit 8
liberatio, altera delegantis à ſuo creditore, altera delegati à delegante, ſi tàm delegatus, quàm ille, cui facta eſt delegatio, acceptauit, & delegatus promiſſis ſoluere, & poſtea non ſoluit. *Paulus de Caſtro in l. 58. qui vſumfructum verſus fin. ſub nu. 4. ff. de verborum oblig., Surdus deciſ. 23. creditores num. 1. in vlt. verbis, & ſeqq. Bartolus in l. ſingularia nu. 19. ff. ſi cert. pet., Scaccia §. 2. gloſ. 5. num. 302.*

Probatur prima pars ex ijs, quæ dicta ſunt ſuperius *ſub tit. Contractus V. de Cambijs I. in Diſquiſit. §. 21. & 22.* vbi ſtatutum eſt per promiſſionem alterius ſoluendi debitum ſui debitoris alteri eiuſdem creditori intercedere nouationem, & transfundi obligationem debitoris in acceptantem, & promittentem ſoluere pro illo, ſed per nouationem liberatur debitor à debito, hocque transfunditur in eum, in quem fit nouatio, ergo &c.

Probatur ſecunda pars, quià delegatus non poteſt ſimul pro eodem debito duplex onus adæquatum habere, cum onus non poſſit eſſe ſuprà debitum, ſed, ſi nō liberaretur à delegante, duplici onere pro eodem debito adæquatè premeretur, ergo &c. Minor probatur, quia per delegationem ſibi factam obligatur pro ſumma delegata verſus creditorem eiuſdem delegantis, ergò, ſi ſimul obligatus remaneret verſus delegantem, duplici obligatione pro eadem ſumma ſimul afficeretur. Confirmatur, quià per delegationem ſui debitoris transfert ius, quod habet in delegatum, ad perſonam, cui fit delegatio, ergo illud apud ſe non retinet. Conſequentia patet, quià repugnat idem ius transferri, & retineri, cæteroqui transferretur, & nō trāsferretur. Confirmatur ſecundò, quià per talem delegationem ipſe liberatur à ſuo creditore iuxtà dicta in probatione primæ partis, ergo etiam liberat ſuum debitorem à ſe ipſo. Conſequentia probatur, quia in tantum ipſe liberatur, in quantum transfert onus, quod ipſe habebat in fauorē creditoris in delegatū, ergò, ſi hic aſſumit illud onus pro delegante liberatur per hoc nouum onus à priori

Per [illegible]gationem transfertur ius delegantis in eu, cui fit delegatio.

one-

ſnere, quod habebat cum delegante, ſecus qui in vno grauatur in altero non releuaretur contrà diſpoſitionem iuris *in l. eum qui ff. de iure iurando, & in auth. contrà qui propriam C. de non num. pecun.*

PRÆNOTIO XXII.

De Bancherijs, eorumque muneribus.

SVMMARIVM.

Duplex genus Bancheriorum. 1.
Rationes dubitandi circà vtrumque. 2.
Dupliciter poſſunt deponi pecunia apud bancherios, & quomodò. 3.
Peccant Bancherij vtentes pecunia in negotiationibus proximis periculis, ſi negotiatione in ſiniſtrum abeunte fiant impotentes ad ſoluendum. 4.
Etiam ſi contingat negotiationem proſperè euadere. Ibid.
Bancherij poſſunt iuſtè exigere ſtipendium à deponentibus, quamuis magnum lucrum reportent ex pecunia depoſita. 5.
Iuſtè Bancherij intrà nundinas poſſunt exigere congruum ſtipendium in fine nundinarum. 6.
Stipendium, quod exigi poteſt à Bancherijs, taxandum eſt arbitrio prudentum. 7.
Soluendum eſt per Deponentes, non per eos, quibus facienda eſt ſolutio. Ibid.
Poſſunt Bancherij ſtipendium exigere cuſtodiæ, etiam ſi ſoluant in pecunia non numerata. 8.

BAncherij ſunt quaſi in duplici differentia, vt aſſerit *Mercatus*; Alij
1 extrà nundinas, qui ex eo, quod aliorum mercatorum pecunias quaſi in depoſitum recipiant, nullum inde intereſſe recipiunt, præter illud, quod occaſione pecuniæ apud ſe depoſitæ lucrantur ex propria induſtria; Alij in nundinis, qui pecunias recipiunt eorum, qui in ipſorum banco volunt conſignare, ſoluuntque literas eorum, qui eaſdem pecunias depoſuerunt, & recipiunt pecunias ab eiſdem ad ſe tranſmiſſas ſeruatis rationibus dati, & accepti; atque hi in termino nundinarum iuſtè exigunt mercedem ſui laboris ad proportionem negotiorum, quæ pro ſingulis exercuerunt.

Alij in nūdinis, alij extrà nundinas

2 Circa Bancherios primi generis duæ potiſſimum inſurgunt difficultates. Prima eſt, an peccent læthalitèr, ſi pecunia apud ſe depoſita vtantur in negotiationibus periculis obnoxijs, ſiue proſperè negotiatio euadat, ſiuè ſiniſtrè. Secunda, an iuſtè poſſint exigere ſtipendium à deponentibus non obſtante, quod à depoſitis maximum lucrum reportent ex ſua induſtria.

Proponuntur difficultates quo ad viroſque.

Circà Bancherios ſecundi generis aliæ oriuntur dubitationes. Prima eſt, an iuſtè poſſint exigere illud ſtipendium in fine nundinarum. Secunda quale, & quantum poſſit eſſe hoc ſtipendium, ſiuè Bancherius ſoluat literas cambij in pecunia numerata, ſiuè per alias literas. Tertia, à quonam Bancherijs debeatur illud ſtipendium, an à depoſitoribus, an ab ijs, quibus pecuniæ depoſitæ ſoluuntur. Quià tamen mox innuimus Bancherios quãdòque literas ſoluere pecunia numerata, quandòque illa non numerata, ideò pro claritate.

Obſerua duobus potiſſimum modis à deponentibus conſignari eiſdem Bancherijs pecunias. Primò, quatenus deponentes pecuniam actualem ſecundum determinatam quantitatem, & numerum eiſdem cuſtodiendam tradunt, & reſtituendam modo, quo per ipſos depoſitores præſcribetur. Secundò, quatenus non tradunt actualem pecuniam, ſed literas continentes enũtiatam ſummam, quæ poſteà nomine eorundem depoſitorum debetur bancho ab eo, qui conſtituitur debitor in eiſdem literis. Porrò, ſicuti duobus enuntiatis modis pecunia Bancherijs conſignatur, ità duobus modis contingit, vt illam reſtituant ſiuè eidem deponenti, ſiuè alteri ex commiſione eiuſdem deponentis. Primò in pecunia numerata. Secundò ſine illa, modo tamen æquiualenti reali reſtitutioni, & ſolutioni in numerata pecunia, quod multiplicitèr poteſt contingere; Primò per ceſſionem debitoris alterius eiuſdem banchi factam illi, cui pecunia eſſet ſoluenda. Secundo, per nouam tranſmiſſionem literarum ad alium locum, in quo creditor banchi illa indiget. Tertiò, per nouationem, ſeu delegationem alterius acceptati ab ipſo creditore. Quartò conſtituendo ſe debitorem pro illa ſumma pro illo, cui debetur, cum pecuniam illam velit in bancho conſignare, vel pro illis, quibus ipſe creditor pecuniam ſibi debitam cedit, ſi iſti velint in eodem bancho conſignari. Quibus ſuppoſitis ſit 3

Pecunia deponitur, & reſtituitur, vel in numerato, vel in æquiualenti.

Assertio I. Non eximitur à graui culpa Bancherius, qui pecunia apud ſe depoſita vtitur in negotiationibus proximis periculis obnoxijs, ſi negotiatione in ſiniſtrum abeunte redderetur impotens ad reſtituendum deponenti, & hoc ſiuè proſperè, ſiuè ſini- 4

Digitized by Google

ſtrè contingat negotiationem abire. *Molin. de iuſt. & iure tract. 2. diſp.* 408. *verſ. circà Bancherios.*

Probatur primò, quià Bancherij ex vi ſui muneris obligantur ad cautè cuſtodiendas pecunias ſuorum Principalium, eoſq; ſeruandos indemnes, & hæc non præſtantes deficiunt à rectitudine ex vi ſui muneris ſeruanda, & à publica fide, quæ in ipſis attenditur, ſed vtendo pecunia ſuorum Principalium in negotiationibus proximis periculis expoſitis eam non cautè cuſtodiunt, nec quantum eſt ex ſe ſeruare ſtudent indemnes deponentes, quin potius periculis expoſitis eam non cautè cuſtodiunt, nec quantum eſt ex ſe ſeruare ſtudent indemnes deponentes, quin potius periculis exponunt, ergo deficiunt à rectitudine ſuo muneri debita in præiuditium eorundem deponentium, adeòque grauitèr peccant.

Bancherij ex vi muneris obligantur ad cautè procedendũ.

Dices primò, Bancherios non eſſe ſimplices cuſtodes pecuniarum apud ſe depoſitarum, ſed conſtitui earundem dominos, qui propterea poſſunt de illis diſponere ad ſuum beneplacitum, & ſicuti non peccarent lætalitèr, ſi alijs pecunijs proprijs vterentur in ſimilibus negotiationibus, ità nec peccare videntur ſe diſponendo de pecunijs ſibi conſignatis à deponentibus, cùm illarum conſtituantur domini. Sed contrà, quamuis re vera conſtituantur domini pecuniæ apud ſe depoſitæ, retinent tamèn onus æqualem reſtituendi ad exigentiam ſuorum principalium, vndè ſe conſtituendo impotentes, vel ſe exponendo periculo proximo impotentiæ ad reſtitutionem peccant contrà rectitudinem muneris aſſumpti, & in præiudicium ſaltem probabilitèr futurum eorundem principalium, quod nouum non debet apparere, quandòquidem, vt alibi dicebamus, etiam debitor eſt dominus pecuniæ, quam habet, & tamèn, ſi illam expendat in fraudem creditorum, & fiat impotens, grauitèr peccat.

Quamuis ſit dominus non poteſt tamen diſponere in præiuditium creditorum.

Dices ſecundò. Si negotiatio proſperè euadat, nullum contingere poteſt detrimentum deponentibus, ergo ſaltem in caſu, quo res benè ſe habeat non erit campſorius ſic exponens obnoxius peccato, ſiquidem malitia tota eſt in ordine ad præiudicium creditoris. Sed contrà, quia malitia non ſolùm conſurgit ex damno actuali, ſed etiam ex morali periculo eiuſdem damni, cui ſe exponendo, ſicuti in alijs omnibus non liberatur a noxa, ita neque in hoc; & ratio eſt, quià illa expoſitio eſt ſecundum ſe mala, ſicuti eſt actio mala expoſitio rei combuſtibilis propè incendium, quamuis actualitèr per incendium non conſumetur.

Malitia conſurgit etiam ex morali periculo damni.

Probatur ſecundò, ex recepta communitèr ſententia non eximitur Bancherius à culpa læthali, ſi depoſitam pecuniam in tanta quantitate in ſuis negotiationibus expendat, vt moralitèr inhabilis reddatur ad tempore congruo ſoluendum id, quod depoſitores petierint *Molina tract. 2. de iuſt. & iur. diſp.* 408. & ratio eſt, quià depoſitores, quamuis non renuant aſſentiri licitę implicationi in fauorem depoſitarij, renuere tamen præſumendi ſunt in caſu, quo talis implicatio reſultare poteſt in ipſorum perniciem, vndè aſſenſum præbent ſolùm conditionatum, dummodò ſcilicet non reddantur inhabiles ad ſoluendum, quotieſcunque petierint, ergo etiam non eximuntur a labe peccati læthalis, ſi pecuniam ità implicent, vt ſubſit morale periculum, quod tempore congruo non erunt ſoluendo. Conſequentia probatur, quià non minus eſt præſumptio, quod creditor renuat implicationi, per quam debitor ſit impotens, ac ſit præſumptio, quod renuat implicationi, per quam eſt morale periculum impotentiæ ſecuturæ ad ſoluendum.

Deponentes aſſenſum præbent ſolum conditionatum.

Assertio II. Bancherij iuſtè poſſunt exigere ſtipendium à deponentibus, quamuis à depoſitis multum lucrum reportent ex ſua induſtria *Nauarrus in comment. c. vlt. de vſuris nu. 40. & in man. c. 17. nu. 295., Molina d. diſp. 308. verſ. circà deponentes*, ſi tamen deponentes non renuerint. 5

Probatur primò. Munus illud, quod exercent Bancherij in fauorem deponentium in cuſtodiendo, numerando, accipiendo rationes dati & accepti, & præſtando idoneam cautionem eſt ſecundum ſe pretio æſtimabile, nec demitur ius exigendi pro illo ſtipendium ex eo, quod aliundè ex ſua induſtria lucrum aliud indè reportet, ergo iuſtè illis, ſcilicet deponentibus non renuentibus, poſſunt illud ſtipendiũ exigere. Antecedens probatur, tùm quià non repugnat ex duplici titulo duplex lucrum acquiri, ſi vterque ſit lucratiuus, alterum ex induſtria, alterum ex munere, quod exequitur, quod certè munus, ſicuti in alijs pretio compenſatur, non eſt, cur non ſit compenſabile in Bancherio ipſum exercente; tùm quia ex alibi ſæpius repetitis quamuis locatio, ſeù ſublocatio equi ſit multum fauora-

Non repugnat ex duplici titulo lucrum acquiri.

Exemplū de locatione, & conductione equi.

uorabilis conductori, cum eum deberet remittere proprijs expenſis ad locum deſtinatum, pro quo locat, ſeù ſublocat, non tamen tollitur, quin pro ſublocatione poſſit exigere iuſtum ſtipendium, cum hæc ſecundum ſe ſit pretio æſtimabilis, ergo etiam, cum quis locat ſua opera, ſuamque induſtriam alteri in cuſtodiendis ipſius pecunijs, in numerando &c. poterit exigere iuſtum ſtipendium, quamuis ex tali locatione ipſi conſurgat aliquod vtile ex induſtria, quatenùs vtatur re ſibi depoſita &c.

Probatur ſecundò, quià ex alibi dictis, & præcipuè *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs I. in Diſquiſ. §. 18. n. 3.* depoſitum irregulare, cuiuſmodi eſt iſtud, induit naturam mutui *Bartolus in l. 4. ſi quis nec cauſam num. 3. & 4. ff. ſi cert. pet. Decius in L. certi conditio §. vlt. num. 4. ff. eodem tit.*, ſed in mutuo, qua mutuum eſt, non poteſt aliquid exigi, quod ſit pretio æſtimabile ſupra ſortem, nec conueniri de ceſſatione alicuius lucri, quod debeatur ex iuſto titulo, nam non minus pretio æſtimabile eſt aliquid exigere, ac eximi ab aliquo onere iuſtè debito, ergo neque deponentes poſſunt ex vi illa depoſitionis pecuniarum vltrà reſtitutionem ſortis obligare ipſum depoſitarium ad non exigendum ſtipendum proprij muneris &c. ſecus exigerent aliquod pretio æſtimabile ſuprà ſortem, nempè ceſſionem debiti ſtipendij ob munus &c.

Depoſitū irregulare induit naturam mutui.

Dixi, *ſi tamen deponentes non renuerint*, nam cum huiuſmodi depoſita ſint quodamodò in fauorem vtriuſque deponentis ſcilicet, & depoſitarij poteſt vtriuſque fauor adinuicem compenſari, & cum liberum ſit deponenti huic, vel alteri deponere, poteſt hoc ità præſtare, vt nolit huic concedere, niſi ſub titulo formali, qui cedit in ipſius commodum ratione induſtriæ, & non alio modo; neque ex hoc ſequitur, quod exigeretur aliquid pretio æſtimabile vltra ſortem ex mutuo, ſed ex maiori beneficio præſtito Bancherijs exigeretur recompenſatio ab eiſdem, quam ſi aliqui nolunt præſtare, facile inuenient alios, qui nedum non refragantes, ſed libentiſſimè annuentes præſtabunt. Quod ſi vrgeas, ergo contrà mox dicta in probatione aſſertionis ceſſio illa ſtipendij debiti ob munus non eſt lucrum ex mutuo, adeòque probatio non ſubſiſtit; ſtatim impugnaberis, quià probatio procedit in hypotheſi, ſecundum quam Bancherius obligaretur ex vi contractus ad cedendum illi iuri, cui

Huiuſmodi depoſita ſunt in fauorem vtriuſq; deponentis ſcilicet, & depoſitarij.

cæteroqui non cederet, qua ratione certè eſſet lucrum ex mutuo, hæc autem, quę hic dicuntur, procedunt dumtaxat in ſuppoſitione, ſecundum quam Bancherius comparata maiori vtilitate, quam haurire poteſt, cum illa ceſſione, & libertate concedentis ad ſibi, vel alijs concedendum, qui omnimoda cum libertate cederent, & ipſe liberè cedit ad inclinandum animum concedentis, vt potiùs ſibi, quàm alteri concedat. Dici etiàm poteſt in caſu probationis duplicem quodamodò interuenire contractum, alterum depoſiti in commodum ſoliùs deponentis; alterum mutui in commodum Bancherij, quo ſtante, & completo per conſenſum vtriuſque contrahentis non poteſt ex vi mutui deponens depoſitarium priuare iure, quòd habet ex vi depoſiti, cæteroqui ex eodem mutuo vltrà ſortem exigeret aliquod pretio æſtimabile, vt in probatione inferebamus; in caſu autem, quo deponentes ſupponantur renuere, non interuenit, niſi contractus præciſè mutui in fauorem Bancherij, quatenus ijdem deponentes non intelliguntur, niſi tali pacto contrahere, quòd vt gratis aſſertum non debet apparere; quandòquidem, vt benè aſſerit *Molina de iuſt. tract. 2. diſp. 405.* in caſu, quo duo ſimul indigent, poteſt vnuſquiſque illorum non velle celebrare contractum, niſi eum, qui in commodum alteriùs cedit, & accipere hac de cauſa competens pretiū, quamuis contractus ille habeat coniunctum aliud ſuum magnum commodum, quòd exemplificat in caſu ſupra expoſito de indigente equum reducere ad aliquem locum, & de indigente equum conducere pro tali loco, vbi indigens reducere poteſt ſolùm velle contractum locationis in fauorem illius, qui indiget conducere, & exigere ſtipendium locationis, quamuis ex tali contractu aliam magnam percipiat vtilitatem. Hoc etiàm euenire poteſt in noſtro caſu ſic volentibus deponentibus, quatenùs velint præciſè mutuum in fauorem Bancheriorum non habita ratione, quòd ipſi ex illo mutuo aliquam aliam vtilitatem indè reportent, quòd certè poſſunt velle, atque ſic nihil Bancherijs debent pro cuſtodia pecuniæ, quæ per accidens coniuncta eſt cum eo contractu. Ad hæc magis corroboranda adduci poſſunt ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs I. Prænot. 4. Aſſert. 3. num. 10.* nempè, quandò eidem pecuniæ, ſeù monetæ duplex eſt valor

Poſſunt velle præciſè mutuum in fauorem Bancheriorum non habita ratione ad commodum eorundem.

alter

Digitized by Google

alter naturalis, alter legalis, & naturalis excedit, poſse ſine labe iniuſtitiæ campſorem in ſuis negotiationibus velle attendere valori, qui magis ſibi congruit non obſtante, quòd indè aliam vtilitatem percipiat, ergò etiàm &c.

6 Assertio III. Iuſtè Bancherij ſecundi generis poſſunt exigere congruum ſtipendium in fine nundinarum modo expoſito *Molina dicta diſp. 408. verſ. quòd ſecundùm*, qui teſtatur de communi conſenſu. Fit clara concluſio ex ſuperiùs dictis. Nihilominus ſic adhuc breuitèr

Bancherij quodamodò locant ſuas operas in fauorem deponentium.

Probatur, quià locatio operum eſt ſecundùm ſe meritoria congrui ſtipendij, ſed Bancherij quodamodò locant ſuas operas in fauorem deponentium in recipiendo, numerando, cuſtodiendo pecuniam, rationem eorundem deponentium cum alijs conſcribendo, expediendo &c. ergò iuſtè poſſunt exigere congruum ſtipendium pro tali locatione, ſeù miniſterio exercito in fauorem ipſorum. Confirmatur ex communi praxi, & Mercatorum conſuetudine, ſecundùm quàm ſemper aliquid erogant in fine nundinarium Bancherijs ad proportionem miniſterij, quòd adimpleuerunt iuxtà plura, vel pauciora negotia expedita, adeò vt referat *Mercado* Bancherios quandòque exigere pro ſalario mille quingentos, aut due mille ducatos in ſingulis nundinis.

7 Assertio IV. Stipendium, quòd exigi iuſtè poteſt à Bancherijs, taxandum eſt arbitrio prudentum attentis omnibus circunſtantijs locorum, & temporum, negotiorum geſtorum, & ſimilium, & quidem ſoluendum per deponentes, non per eos, quibus ex ipſorum Deponentium commiſione, & mandato facienda eſt ſolutio. Ità *Mercatus tract. de Cambijs cap. 13. num. 6. Molina diſp. 408.*

Certior regula ad taxandum eſt æſtimatio prudentũ.

Probatur, quià vbi nihil à iure ſtatutum eſt in taxatione pretiorum, ſeù valoris rerum, ſeù laborum certior regula aſſignari non poteſt, quàm æſtimatio prudentium in ſimilibus verſatorum, qui attentis omnibus ea arbitrentur, quæ pro æquitate iuſta eſſe iudicauerint, prout in ſimilibus iura decernunt, ſtatuunt iudices, & ratio ipſa naturalis ſuadet, ergò hoc idem dicendum eſt quoad ſtipendium debitum Bancherijs ex cuſtodia, laboribus, receptione litterarum, ratione dati, & accepti &c. cum non ſit ratio diuerſitatis.

Probatur iam ſecunda pars. Quià illa onera, quæ ſubit Bancherius, ſubit ex commiſſione, & in fauorem deponentium, quorum gratia ſe obſtringit ad onus cuſtodiæ, ſolutionis &c. ergò ab eiſdem deponentibus, quorum negotium gerit, compenſandus eſt. Conſequentia tenet, quià ad eum ſpectare debent onera, ad quem commoda ſpectant.

Subit onera in fauorem deponentium.

Hic oritur difficultas, an, cum communitèr circumferatur, quòd Bancherius ſoleat pro ſingulis mille quinque, vel ſex exigere, hæc exigantur pro ſtipendio cuſtodiæ, laboris &c. an pro alia cauſa, & quanam, & in hypotheſi pro alia cauſa, an illa quinque, vel ſex debeantur vltrà ſtipendium conſuetum? *Mercatus tract. de Cambijs cap. 13. n. 4.* aſſerit, hanc vnam eſſe ex difficilioribus quæſtionibus, quæ in vniuerſa hac materia de cambijs ſatis ſecundùm ſe difficultatibus obuoluta agitari ſolent, adeò vt aſſerat communitèr quidem recipi, quòd exigantur illa ſex pro milliario, communitèr tamen ignoretur, ob quem titulum, & cauſam iuſtè accipiantur, & damnat comminitèr Theologos tanquam parum ſibi conſcios in hac arte, & imperitos, dum alium titulum non inuenientes ſtatuerunt illa ſex pro mille erogari in ſtipendium eorundem bancheriorum. Sed de his in ſequenti prænotione fuſius.

Assertio V. Poſſunt Bancherij ſti- 8
pendium exigere cuſtodiæ, & laboris, ſiuè ſoluant mandantibus principalibus in numerata pecunia, ſiuè in pecunia non numerata iuxtà aliquem ex modis, quos ſupra aſſignauimus.

Probatur, quià æquè gerit negotium deponentium numerando, ac dando alias literas, vel aſſignando &c., & in ordine ad effectum per indè eſt, ac ſi actu numeraret, ergò æquè poteſt exigere ſtipendium ſiuè numeret, ſiuè aſſignet pro numeratione &c. Conſequentia probatur, quià vbi viget idem munus, ibi idem ius oritur *leg. à Titio in fin. ff. de verb. oblig. l. illud ff. ad l. Aquil. Gloſ. fin. Inſtit. qui & ex quib. cau. mai. non poſſit §. fin.*; neq; dicas, in hac hypotheſi ceſſare in Bancherio onus numerationis, adeòque ex hoc defectu diminuendum ſtipendium, contrà enim impugnaberis primò, quià quotieſcunque pro aliquo onere ex vſu fori aliquod determinatum ſtipendium taxatum eſt, adhuc illud debetur, quamuis per accidens aliquod munus in tali onere ceſſet, ſic in particulari docuimus ſupra *de Cambijs I. in Diſquiſ. §. 10. num. 3.* poſſe exi-

Vbi viget idem munus, ibi idem ius oritur.

Digitized by Google

exigi integras prouiſiones, quamuis ratione fideiuſſionis præſtitæ, vel idoneæ cautionis ceſſare videatur periculum, ſic etiàm alibi diximus, quòd quando rebus venalibus ex vſu fori taxatum eſt aliquod pretium attento officio mercandi, quòd pretio æſtimabile eſt, adhuc per milites poſſint res ſimiles vendi taxato pretio, quamuis illi officium mercandi non exerceant; Contrà ſecundò, quià ex dictis ſupra *de Cambijs I. in Diſquiſ. §. 9.* ex recambijs, ſeù continuationibus, in quibus non eſt actualis ſolutio primi, ſed tantum virtualis poſſunt exigi integræ prouiſiones, & tamen non interuenit labor in numerando, ergò etiàm &c.

PRÆNOTIO XXIII.

De Praxi Bancheriorum exigentium quinque, vel ſex pro mille pecuniæ in Bancho depoſitæ.

SVMMARIVM.

Refertur praxis, in qua fundatur ius illa exigendi. 1.
Rationes dubitandi proponuntur. 2.
Illa quinque, vel ſex non exiguntur pro conſueto ſtipendio cuſtodiæ, laboris. 3.
Debentur non à deponentibus, ſed à datoribus litterarum. 4.
Non iuſtè exiguntur pro numeratione pecuniæ. 5.
Licitè poſſunt exigi illa ſex, vbi viget conſuetudo. 6.
Iuſtificatur illa exactio ex eo, quòd Banchum vices gerat fideiuſſoris. Ibid.
Illa quinque, vel ſex debentur Bancho per eum, pro quo fideiubet, non per eum, cui fit ſolutio. 7.
Illa quinque cedunt Bancherijs, non deponentibus. 8.
Bancherius fideiubens pro mille in literis contentis, illaque ſoluens illi, cui facienda eſt ſolutio ex commiſſione datoris litterarum poteſt ex illis detrahere illa quinque ſibi debita pro onere fideiuſſionis. 9.
Ille tamen, cui integrè debentur illi mille ius habet contrà datorem litterarum ad exigendum complementum. Ibid.

1 LAtè refert hanc praxim *Mercatus tract. de Cambijs cap. 13.*, & varias circà ipſam instituit dubitationes, quòd etiàm præſtat *Sotus 6. de iuſt., & iu. quæſt. 11. art. vnica per totum*. Aſſerit igitur idem *Mercatus num. 3.* Bancherios, qui dicuntur nundinarum, duo quodamodò lucra ſolere exigere, ſeù duplex quaſi ſtipendium, alterum in fine nundinarum, de quo locuti fuimus in præcedenti prænotione pro laboribus, expenſis, cuſtodia, ratione dati, & accepti, ſcripturis acceptatis, & datis ad proportionem onerum, & negotiorum, quæ geſſerunt; alterum, quo communitèr exiguntur in aliquibus locis ſex pro ſingulo milliario, cuius titulum aſſerit ignorare Theologos, & vix poſſe aſſignari contendit, atque de hoc erit ſermo in præſenti. Pro quo

Aduerte, originem traxiſſe hoc lucrum, ſeù ſtipendium ex eo, quòd qui dat literas ad aliquas nundinas, cum regularitèr non habeat in eiſdem pecunias, quibus ſoluat, obligatur ad eas cambio accipiendas, quòd durantibus nundinis proptèr maiorem pecuniæ æſtimationem ad plura aſcendit, ac aſcenderet, ſi eſſent ipſæ nundinæ terminatæ, vndè ad ſe eximendum ab hoc grauiori onere literas ad Banchum dirigit, vbi acceptantur, in libris rationum datur debitum, & conſtituitur creditor ille, qui eas obtulit, totius ſummæ in illis literis contentæ cum ſex pro ſingulo milliario, ſed ex eis in pecunia numerata nihil exigitur, niſi in fine nundinarum, propter eà creditor ex illo credito, quòd habet in Bancho, negotiatur emendo merces, & pro earum ſolutione aſſignando creditum, quòd in ipſo habet, quòd in multorum ſententia non eſt emere credito, cum cedula Bancharia habeat vim actualis ſolutionis in numerata pecunia, vt alibi planè docuimus. Hæc tamen ſolutio non æquè confert creditori, ac ſi emeret actuali numeratione, quandòquidem venditores ſolent inquirere, quonam modo emptores ſint merces ſoluturi, & ſcientes, quòd ſi ſolutio in Bancho ſit facienda, ſint detrahendi illi ſex pro mille, & expectanda ſolutio vſque ad finem nundinarum, merces cariori pretio vendunt, vt ſe reintegrent. Ex eo autem, quòd Banchum

Origo, à qua orta eſt illa praxis.

ſit illud, in quo girantur huiuſmodi 2
negotiationes, multæ circà ipſum oriuntur hic rationes dubitandi, & primò, an iuſtè, & quo titulo poſſit exigere illa quinque, vel ſex pro mille. Secundò, an poſſit ſolummodò exigere ab illis, qui nullum in Bancho depoſitum habent, an verò ab ipſis etiàm deponentibus, quandò extrahere volunt ſummam depoſitam non ſolùm in pecunia numerata, ſed etiàm per miſſionem litterarum, vt alteri perſoluatur. Tertiò, an illa quinque, vel ſex ſoluere

Rationes dubitandi proponuntur.

de-

debeat formalitèr, vel virtute ille, cuius nomine pecunia illa primò in Bancho conſignatur, an ille, cui ſolutio eſt facienda. Quartò, quid agendum ſit, quandò in Bancho conſignata ſunt tantummodò mille, & commiſſio eſt de mille ſoluendis.

3 Assertio I. Illa quinque, vel ſex pro milliario non exiguntur pro ſtipendio conſueto cuſtodiæ, laboris, receptionis literarum, & dationis &c. *Mercatus de Cambijs cap. 13. num. 6.*

Bancherius ſatisfit in fine nundinarum nullo habito reſpectu ad illa quinque. Probatur primò. Ex vno, & eodem opere non poteſt exigi duplex ſtipendium, ſed ſi illa quinque, vel ſex pro milliario eſſent pro cuſtodia, labore &c. exigeretur duplex ſtipendium, ergò &c. Minor probatur, quià in fine nundinarum magnificè ſatisfit pro huiuſmodi cuſtodia, labore &c. nulla habita ratione ad illa quinque pro milliario, ergò, ſi vltrà id, per quòd ſatisfit in fine nundinarum, exigerentur etiàm pro cuſtodia illa quinque, vel ſex pro mille, exigeretur duplex ſtipendium pro eodem munere.

4 Probatur ſecundò, quià ſtipendium pro cuſtodia, labore &c. ſemper debetur a deponentibus pecunias in Bancho, ſed illa ſex pro mille non ſemper debentur ab eiſdem deponentibus, ſed ab eis, qui literas direxerunt ad Banchum, & pro quibus ipſe Bancherius quodamodò conſtituitur fideiuſſor, quinimmò, vt aſſerit idem Mercatus, nedum non ſunt ſoluenda ab eiſdem deponentibus, ſed potiùs quandòque ipſis debentur, ergò non ſunt proptèr ſtipendiũ ſolitum cuſtodię, laboris &c.

Debētur à datoribus litterarum.

5 Assertio II. Illa quinque, vel ſex pro mille non iuſtè exiguntur pro numeratione præcisè *Sotus de iuſt., & iu. lib.6. quæſt. 11. verſ. poſtquàm fundamenta propè medium.*

Probatur primò, quià numeratio ipſa comprehenditur inter munera, & laborem, ob quæ ipſe Bancherius recipit ſtipendium à dependentibus, ergò ex eadem non poteſt recipere illa quinque, vel ſex pro mille. Conſequentia probatur, quià pro onere, ad quòd iam tenetur, non poteſt iuſtè exigere nouũ ſtipendium, ergò, ſi ex aſſumpto munere Bancherij tenetur non ſolùm cuſtodire, ſed etiàm numerare, non poteſt pro ipſa cuſtodia, ſeù numeratione exigere illa &c. Neque dicas, numerationem illam non eſſe in fauorem deponentium, ſed eorum, quibus numerat, a quibus propterea poteſt exigere &c.; contrà enim impugnaberis, quià, quamuis ſit in fauorem illorum, quibus numerat, quià tamen ex aſſumpto onere ad hoc tenetur, non poteſt aliquid exigere, ea proportionali ratione, qua aſſumptus ad publica onera accepto pro illis ſtipendio non poteſt aliquid exigere, quamuis ea onera adimpleat in fauorem alicuius. Deindè, vt infrà videbimus, illa quinque, vel ſex non poteſt exigere ab ijs, quibus ſoluit, ſeù numerat, ſed ab ijs, pro quibus quodamodò fideiubet.

Numeratio cõpræhenditur inter onera ad quæ tenetur Bancherius.

Probatur ſecundò, quià, vt aſſerit idem *Sotus*, hoc ius exigendi quinque, vel ſex pro mille ex iuris diſpoſitione, ſeù communi conſuetudine ſolùm competit publicis Bancherijs, non priuatis perſonis, ſed hoc falſum eſſet, ſi oriretur illud ius ex motiuo numerationis, ſiquidem nedum Campſerij, ſed etiàm priuatæ perſonæ in ſolutione formali litterarum numerant, ergò &c. Confirmatur, quià, quandò in nundinis adeſt inopia numeratæ pecuniæ pretium ipſum cambij augetur, vt ſoluatur in numerato, adeò vt quandoque exhibeantur decem, vel triginta pro milliario, quòd eſt id, quòd licèt ſatis obſcurè innuebat *Mercatus de Cambijs cap. 13. num. 6. propè medium*, ergò illa quinque, vel ſex non exiguntur pro illa numeratione. Antecedens probatur, quià ſicuti in alijs rebus pretia augentur extante penuria earundem, ita non eſt, cur augeri non debeat pretium cambiorum, quando eſt penuria pecunię numerandæ. Conſequentia etiàm ſic euincitur, quià non eſt, cur fixum, & inuariatum debeat ſemper permanere intereſſe numerationis, quandò eadem numeratio ex diuerſis motiuis, & temporis circunſtantijs ex vſu fori diuerſum acquirit pretium, & valorem, ergò, ſi fixum remanet, quòd ſolùm quinque, vel ſex exigantur, dicendum eſt non exigi proptèr eandem numerationem.

Assertio III. Non eſt damnanda, vbi viget, illa conſuetudo recipiendi quinque, vel ſex pro mille in ordine ad Mercatores, alioſque, qui nullam habent depoſitam pecuniam in Bancho, & iuſtificatur ex eo, quòd Banchum ipſum pro ipſis munus gerat quodamodò fideiuſſoris *Mercatus de Cambijs cap. 12. num. 7. Sotus de iuſtitia, & iure lib. 6. quæſt. 11. art. vnico in fin. Molina de iuſtitia, & iure diſp. 409. verſ. Mercado cap. 13. citat.* 6

Probatur, onus fideiubendi pro altero eſt ſecundùm ſe pretio æſtimabile, vt ex allegatis alibi iuribus ſit manifeſtum, & præ cæteris docet *Molina diſp.*

319.

Digitized by Google

Fideiuſſio eſt ſecundum ſe pretio æſtimabili.

319. quandòquidem fideiuſſor in ſe ſuſcipit onus ſoluendi pro alio, pro quo fideiubet, ſi hic alius non ſoluerit, ergò à fortiori ipſum Banchum, quòd ſe conſtituit debitorem pro Mercatoribus non habentibus pecuniam depoſitam in Bancho eodem fideiubendo quodamodò pro illis poterit iuſtè exigere pro illo onere aſſumpto illa quinque, vel ſex pro mille; non enim eſt, cur, ſi alij fideiuſſores congruum ſtipendium exigunt, non poſſit exigere etiàm Banchum. Atque hoc modo multum conſultum eſt eiſdem Mercatoribus dirigentibus literas ad Banchum, quandòquidem non obligantur durante tempore nundinarum pecuniam pro ſuis negotijs peragendis ſumere ad cambium cum detrimento, cum cambia pro illo tempore cara admodum ſint multis ſumentibus, quibus poſteà finitis, cum cambia non ità cara euadant, poſſunt minori cum intereſſe exigere, & ſoluere eidem Bancho, atque hac de cauſa eligunt potiùs ſoluere illa quinque, vel ſex pro milliario, quàm obligari pro tempore nundinarum ad accipienda cambia cum maiori intereſſe.

Conſulitur per hoc mercatoribus literas dirigentibus.

Dices, hac ratione illa quinque, vel ſex poſſent exigi à quacunque etiàm priuata perſona, ſi fideiuberet pro eiſdem Mercatoribus pro illo tempore nundinarum, quòd tamen eſt contra mox dicta *in præcedenti aſſertione verſic. probatur ſecundò*. Sed contrà; reſpondet primò Mercatus, qui ſuprà, illa quinq; concedi Bancherijs, non alijs priuatis perſonis, eo quià illi tutiores ſunt, cum habeant publicam fidem, & quoties ſe obligant, ſemper ſoluunt, non ità priuatæ perſonę, quę nec publicam fidem habent, nec ſemper ſoluunt, ſed hæc reſponſio meo videri non multum roboris habet ad eludendam vim inſtantię, quandòquidem nemine reluctante etiàm fideiuſſio per priuatas perſonas facta eſt meritoria ſtipendij, ſeù lucri, quamuis nō habeant publicam fidem, adeòque non eſt, cur ex hoc capite ſint illo iure priuandæ, quòd negaſſe non videtur idem Mercatus, dum antecedentèr dixit, quòd, quotieſcunque quis fideiubet pro alio pro mille nummis aureis, contrà conſcientiam non agat, ſi exigat dimidium nummi aurei pro ſingulo centenario, quòd aſſerit eſſe iuxtà communem Theologorum conſenſum. Verùm tamen eſt, quòd ob publicam fidem plus fiditur Bancho, quàm priuatis perſonis, & ſolutio in ipſis facta per ceſſionem iurium habetur pro ſolutione in numerata pecunia, non ſic ſolutio, quæ fit per ceſſionem iurium quoad priuatas perſonas, adeòque ex publico miniſterio Bancherij videntur potius ius habere, quòd fortaſſe eſt id, quod intendebat Mercatus in reſponſione, licet non ità dilucidè explicauerit; Contrà ſecundò, quià non eſt etiam denegandum illud ius priuatis perſonis, ſi re vera fideiubeant pro Mercatoribus, & acceptetur illa fideiuſſio per ipſas præſtita; neque hoc aduerſatur ijs, quæ diximus in præcedenti aſſertione probatione ſecunda, quandòquidem illud ius non conceditur priuatis perſonis, niſi hoc exprimant in fideiuſſione, cùm regularitèr fideiubeant omninò gratis, & ſine vllo onere reſpectu fideiuſſarij, conceditur autem ſine illa expreſſione bancherijs proptèr communem vſum, & conſuetudinem ſic exigendi, atque in hoc ſenſu ibi dictum eſt concedi bancherijs, & non alijs.

Reſponſio Mercati, & eiuſdem impugnatio.

Solutio in bancho facta habetur pro numerata pecunia.

Specialis ratio Banchi fideiubentis.

Dixi, *in ordine ad mercatores, alioſque, qui nullam habent depoſitam pecuniam in bancho*, nam in ordine ad ipſos deponentes, qui pecuniam numerarunt, & depoſuerunt in bancho, nullum ius competit Bancherijs exigendi illa quinque, vel ſex pro mille, ſiuè pecuniam depoſitam extrahant in numerato, ſiuè per literas, quas dederint ipſis bancherijs ſoluendas, vel in numerato alijs, quibus ipſi deponentes commiſerint, vel per alias literas per eoſdem bancherios dandas; cuius rei duplex ratio aſſignatur. Prima, quià pro hoc onere ſoluendi ad diſpoſitionem deponentium datur ſtipendium pro cuſtodia, & laboribus, receptione dati, & accepti, adeòque non eſt, cur ratione iſtorum exigatur illud aliud intereſſe. Secunda, quia pro ipſis deponentibus non exercent illud munus fideiuſſionis, cum apud ſe habeant capitale, pro quo proptereà non indigent fideiuſſione, adeòque ceſſat titulus illa exigendi, quinimmò fertur in aliquibus regionibus conſuetudinem vigere, quod pro depoſito bancherij ſoluant deponentibus quatuor, vel quinque pro mille, quandò ſcilicet ex eodem depoſito magnum lucrum reportant per implicationem eiuſdem depoſiti in proprias negotiationes, quod, an licitum ſit, infrà examinabitur.

Non exercent munus fideiuſſionis pro deponentibus.

Assertio IV. Stipendium illud quinque, vel ſex pro mille debetur 7
bancho per eum, pro quo Bancherius fideiubet, non per illos, quibus poſtea facienda eſt ſolutio *Mercatus de Cambijs*

d.cap. 3., *Nauarrus in manuali cap. 17. nu. 293.*, *& in comment. de vſuris nu. 37.*

Probatur aſſertio, quià per illum debetur ſtipendium oneris, propter quem, & in cuius gratiam onus illud ſuſcipitur, ſed campſerius onus fideiuſſionis ſuſcipit, & exercet in fauorem Mercatorum, qui nullam habent depoſitam pecuniam, vt poſſint ſua negotia peragere, non in gratiam eorum, quibus facienda eſt ſolutio, ergò &c. Neque dici poteſt, quod debeatur per ipſos deponentes; nam peto, qua ratione? Certè ipſi pro muneribus, quæ exercent Bancherij in ipſorum fauorem ſtipendium congruum erogant. An fortaſſe, quià ipſi deponentes commiſerint Bancherijs, vt fideiubeant pro mercatoribus? Sed pretium fideiuſſionis non debetur per eum, ad cuius inſtantiam fit fideiuſſio, ſed per eum, pro quo fit immediatè.

Pretium fideiuſſionis nõ debetur per eum ad cuius inſtantiam fit fideiuſſio, ſed per eum pro quo fit.

8 Hic immediatè oritur difficultas, an illa quinque, quæ debentur per mercatores, pro quibus facta eſt fideiuſſio, cedere debeant Bancherijs, qui immediatè fideiubent, an verò eiſdem deponentibus, ſiuè ipſi deponentes commiſerint fideiuſſionem, ſiuè non? *Mercatus d.cap. 13. num. 6. in fin.* videtur aſſerere deberi ijs, qui pecuniam depoſuerunt in bancho, hoc tamen præcisè ſupponit, non probat. Tutius tamen crediderim, cedere ipſis Bancherijs, niſi ex commiſione deponentium tale munus fideiuſſionis præſtiterint. Ratio eſt, quià ius, quod oritur ex bancho, cedit ipſis Bancherijs, qui, ſicuti tenentur fideiuſſionem præſtare Reipublicæ, & idoneam cautionem de munere fideliter obeundo, propter quod acquirunt publicam fidem, ità iura, quæ ex tali munere conſurgunt, ſibi acquirunt, &, ſicuti non ſoluentibus mercatoribus, pro quibus fideiuſſerunt, ipſi tenerentur ſoluere ſine præiuditio deponentium, qui ad talem fideiuſſionem non ſe obligarunt, ità illis ſoluentibus iura, quæ acquirunt ob fideiuſſionem, acquirunt ſibi, non in vtile deponentium, qui, ſicuti præiudicium non ſentiunt in non ſolutione, ità nec vtile debent percipere ex fideiuſſione. Dixi, *niſi ex commiſſione deponentium tale munus fideiuſſionis præſtiterint*, quod adhuc dupliciter intelligi poteſt, vel quatenus ſimplicitèr ſuadeant ad fideiubendum, non ſe obligando ad onera fideiuſſionis, & hac ratione etiam illa quinque debentur bancherio eo modo, quo in alijs caſibus ſtipendium debetur fideiuſſoribus, quamuis fideiubeant alijs inſtantibus, ſeù intercedentibus, quià ipſi onus ſumunt, non inſtantes, ſeù intercedentes; vel quatenus committunt fideiuſſionem proprio nomine ſubeundam, & hac ratione ipſi conſtituuntur quaſi fideiuſſores, & ſic ipſis deponentibus debetur ſtipendium, quià bancherius nulli periculo ſubijcitur, & in hypotheſi non ſolutionis ipſe Bancherius eſt tutus in pecunia, quam apud ſe habet, deponentis, qui ſe commiſit fideiuſſorem, & habet regreſſum contrà eundem deponentem; vndè in hoc caſu ipſe deponens potius eſt fideiuſſor, quam Bancherius, qui promittit nomine ſui principalis.

Bancherij pro bancho præſtant fideiuſſionem.

Dupliciter committi poteſt fideiuſſio, & quomodo.

Assertio V. Quandò Bancherius fideiubet pro mille in literis contentis, 9
illaque debet ſoluere illi, cui facienda eſt ſolutio ex commiſſione datoris literarum, ex illis poteſt detrahere quinque, vel ſex pro ſtipendio fideiuſſionis, is tamen, cui integrè debentur illi mille, ius habet aduerſus datorem literarum, vt ſibi reſtituat ſtipendium, quod bancherius inde accepit *Molina d. diſp. 409. concl. 3.*

Ratio in vniuerſum hæc eſt, quià bancherius onus præſumitur acceptaſſe ea lege, vt ex pecunia numeranda ſibi debitum ex tali onere acciperet ſtipendium, non enim aliundè illud debet inquirere cum ſuis incommodis, & hic mos eſt Bancheriorum ex pecunia per ſe ſoluenda, ſeù numeranda ſibi prouidendi.

PRÆNOTIO XXIV.

An licitus ſit mos Deponentium in bancho, qui, quandò Bancherij ex pecunia depoſita magnum lucrum reportant, quatuor, vel quinque, vel etiam plura exigunt pro depoſito ab eiſdem Bancherijs.

SVMMARIVM.

Duplex ratio dubitandi quoad propoſitum titulum. 1.

Illa lucri perceptio ex vi depoſiti eſt vſuraria. 2.

Illicitum eſt depoſitum, quo propter decem millia in pecunia numerata depoſita apud Bancherium obligaretur hic ad fideiubendum pro quindecim mille, vel ad ſoluendas literas eiuſdem deponentis continentes quindecim mille nullo accepto ſtipendio ab eodem deponente pro maiori illo credito. 3.

Ne-

Neque aliquid exigi ſuprà ſortem ex eo, quòd præciſè ſolutio fiat ante finem nundinarum. 4.

1 SVB hoc eodem titulo duplex examinabitur difficultas. Prima erit, prout proponitur in eodem titulo, an ſit licita illa quatuor, vel quinque perceptio pro ſingulo milliario. Secunda eſt, an deponens ratione commoditatis, quàm confert Bancherio per depoſitam pecuniam apud eundem, poſſit iuſtè exigere, vt ratione decem millium aureorum, quæ in pecunia numerata deponit, teneatur idem Bancherius fideiubere pro ipſo deponente pro quindecim mille, adeò vt ſi deponens det literas, & ad eundem dirigat pro illis quindecim mille obligetur ad eaſdem acceptandas, & ſoluendas integrè nullo ab ipſo deponente accepto ſtipendio pro maiori illo credito, & obligatione, quam loco illius in ſe ſuſcipit.

Duplex ratio dubitandi.

2 Assertio I. Omninò illicita, & vſuraria eſt illa lucri perceptio ex vi depoſiti *Nauarrus in comment. cap. vlt. de vſuris num. 4., & in Manuali cap. 17. num. 293. Mercatus de Cambijs cap. 13. num. 9.*

Non eſt aſſignabilis titulus cohoneſtans illã lucri perceptionẽ.

Probatur, quià non eſt aſſignabilis titulus iuſtificatiuus illius lucri, non titulus cambij, quià per preciſam illam nummorum depoſitionem pænès campſerium deponens nullum cambium cum eodem contrahit, non vtilitas, quæ confertur eidem Bancherio, quià hæc ſecundùm ſe non confert aliquod ius eidem deponenti, ſicuti vtilitas, quàm percipit mutuatarius ex re mutuata, non confert mutuanti aliquòd ius ad lucrum. Deindè illa vtilitas, ſi quàm percipit, eſt fructus induſtriæ eiuſdem Bancherij, qui non debet redundare in commodum Deponentium, qui nullam induſtriam adhibent, non priuatio pecuniæ ad illud tempus, quià hæc non eſt meritoria lucri, & potiùs eſt ad commodum eiuſdem deponentis, &, quamuis eſſet præciſè ad commodum Bancherij, non prapterea inſtificaret lucrum, ſicuti non iuſtificat in mutuo, quamuis hoc ſit in vtile præciſè mutuatarij. Deindè exigentia lucri ob ſolam temporis dilationem eſt omninò vſuraria, vt latè docuimus ſub tit. de mutuo, & vſuris, non libera, & gratuita Bancherij collatio, quià hæc in contractibus non præſumitur, niſi exprimatur. Verùmtamen eſt, quòd, ſi Bancherius ex animo liberali, & gratuito aliquid conferret in recompenſationem beneficij ſibi potiùs præſtiti, quàm alijs, & ad inclinandum animum deponentis ad continuandum depoſitum, vel aliud præſtandum, non eſſet damnandus vſuræ, nec peccati deponens, ſi illud reciperet, quià illud non conferretur ex obligatione ciuili, ſed ex animo gratuito, quà ratione etiàm docuimus in quæſtionibus de mutuo, & vſuris poſſe ea intentione mutuatarium aliquid mutuanti conferre, quinimmò etiàm poſſe mutuantem mutuare eà intentione, vt acquiratur beneuolentia mutuatarij, & aliquid dependentèr ab ipſa titulo gratitudinis, etiàm ſi principalitèr hoc intendatur.

Excluduntur varij tituli non ſufficientes ad cohoneſtandum.

Assertio II. Illicitum etiàm, & vſurarium eſſet depoſitum, quo proptèr decem millia in pecunia numerata depoſita apud Bancherium obligaretur hic ad fideiubendum pro quindecim mille, vel ad ſoluendas literas eiuſdem Deponentis continentes quindecim mille nullo accepto ſtipendio ab eodem Deponente pro maiori illo credito *Molina dicta diſp. 409. Mercatus qui ſuprà contrà Sotum de iuſt., & iu. lib. 6. quæſt. 11. artic. vnico.* 3

Probatur primò, quià illud onus, quòd aſſumit Bancherius pro illo maiori credito eſt ſecundùm ſe meritorium lucri, ergò Deponens ex vi depoſiti præciſè non poteſt ciuilitèr obligare Bancherium ad illud aſſumendum ſine iure ad proportionatum ſtipendium. Antecedens probatur, quià fideiubere pro alio ſimplicitèr ex allegatis ſuperiùs iuribus meretur lucrũ, ergò proportionatum etiàm lucrum meretur fideiubere pro aliqua maiori parte, pro qua non tenetur fideiubere, ſicuti enim ſe habet ſimplicitèr ad ſimplicitèr, ità ſe habet magis ad magis, & minùs ad minùs *arg. in leg., quæ de toto ff. de rei vend.* Deindè ſoluere pro alio non habente apud eum, qui ſoluit depoſitã pecuniam, exigit iuſtũ ſtipendiũ, vt latè probatum eſt ſuprà, ergò etiàm ſoluere pro maiori parte pro alio non habente totum depoſitum, quòd eſt ſoluendum, exiget ſtipendium pro illo exceſſu, qui ſoluitur ſuprà depoſitum proptèr eandem regulam, ſeù argumentum. Prima conſequentia probatur, quià ſemper vſurarius eſt contractus, quo vltrà reſtitutionem ſortis quis obligatur non ſolùm ad lucrum in numerata pecunia, ſed etiàm ad quodcunque, quòd ſit ſecundùm ſe pretio æſtimabile, vt diximus *tom. 1 ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 6. num. 2.*, & eſt in confeſſo apud omnes.

Fideiuſſio pro maiori credito eſt digna maiori lucro.

Exigeretur aliquid ſuprà ſortẽ

Digitized by Google

Depoſitū regulare, & irregulare non eſt fructiferum.

Probatur ſecundò, quià depoſitum ſiuè ſit regulare, ſiuè ſit irregulare modo, quo ſuprà explicuimus, non eſt ſecundùm ſe fructiferum, ergò ex vi illius non poteſt deponens ciuilitèr obligare depoſitarium ad aliquòd ſuprà depoſitum præſtandum, quòd ſit prætio æſtimabile. Antecedens quoad primam partem patet; quoad ſecundam euincitur, quià depoſitum irregulare, cuiuſmodi eſt iſtud, de quo loquimur, nihil aliud eſt, quàm mutuum palliatum titulo depoſiti, quòd ſecundùm ſe non eſt fructiferum.

4 Pro complemento deduces ex ijs, quæ dicta ſunt, quàm ſit damnabilis illorum vſus Bancheriorum, qui ex eo, quòd pecuniam ſoluendam in fine nundinarum ſic inſtantibus illis, quibus ſolutio facienda eſt, ſoluant ante finem, exigunt intereſſe, cum quo pecunia eo tempore datur ad cambium ad aliqua loca; deduces, inquam, quià illud intereſſe, ſeù lucrum exigitur præcisè ob illam temporis anticipationem, ſicque prævia illa ſolutio eſt virtualitèr mutuum, & quidquid ex illa exigitur, vſurarium. Excuſari tamen poſſet illud intereſſe à nota vſuræ, ſi daretur præcisè pro compenſatione lucri ceſſantis, ſi re vera illud ceſſaret, & concurrerent ea omnia, quæ ad exigendam talem compenſationem requiruntur. Ad hanc iniuſtitiam reducitur etiàm illorum vſus, de quo meminit *Mercatus dicto cap. 13. de Cambijs num. 10.*, qui ex eo, quòd creditores habentes ius ex vi venditionis mercium ſuarum, vel alio titulo exigendi determinatam ſummam velint eandem in pecunia numerata, detrahunt aliquid de tali determinata ſumma ex illo motiuo, quòd ſic cambia currant ad alia loca, contrà quos àdeò inuehitur idem *Mercatus*, vt apertè aſſerat, eſſe fures, raptores, & Dæmones. Hoc vnum certum eſt, quòd contrà iuſtitiam illa detrahunt, nam creditores ſic exigentes habent ius ad illam determinatam quantitatem, nec obligantur ſtare valori determinato, ſeù currenti cambiorum eo quià per illam exactionem cambium non contrahunt, ſed exigunt præcisè, quòd ſibi debitum eſt.

Eſſet ſolùm illud lucrū ob temporis anticipationem.

Cenſura Mercati.

DISQVISITIONES I.

Ad primam, ſecundam, tertiam, & quartam præpoſitam Prænotionem.

§. I.

An poſſit interuenire vſura, quandò campſor prius recipit pecuniam, vt alibi ſoluat tàm reſpectu eiuſdem campſoris recipientis, quàm campſuarij ſoluentis.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus quæſtionis, & ratio dubitandi. 1.
Campſor committit iniuſtitiam exigendo illum exceſſum, non tamen vſuram. 2.
Committit tamen vſuram, ſi exigat ſolùm proptèr temporis dilationem. 3.
Campſarius obligans campſorem ad illam traiectionem ſinè ſtipendio vſurarius eſſet. 4.

Diſquiſitio I. Indigebat Titius Mediolani exiſtens determinatam pecuniæ quantitatem ad ſua negotia obeunda Romam transferre; Conuentione facta cum Seio campſore eidem priùs ſoluit enuntiatam ſummam cum conuentis pro ſtipendio, ſed ſtipendium longè excedit ea, quæ regularitèr ex vſu fori in ſimilibus conceduntur. Rurſus mutata facie Titius in alio loco indigens pecunia, ſed videns neceſſitatem campſoris indigentis in hoc loco aliqua pecuniarum ſumma eandem hic eidem campſori ſoluit cum onere, vt tantundem reſtituat in loco, in quo ipſe indiget. Quæritur hic quid iuris in ordine ad vtrumque, an ſcilicèt campſor vſurariè acquirat id, quòd excedit ex communi vſu conſuetum ſtipendium traiectionis, & an vſurariè agat Titius campſarius obligando ad illam traiectionem campſorem nullo habito ſtipendio. Pro ſolutione recole, quæ alibi diximus vſuram ſcilicèt eſſe non poſſe, niſi ex mutuo, ſiuè formali, ſiuè virtuali, ſiuè expreſſo, ſiuè palliato. 1

Reſpondeo primò, campſorem committere quidem iniuſtitiam exigendo illum exceſſum, non tamen vſuram, 2

niſi

niſi exigat propter ſolam temporis dilationem *Molina tract. 2. de iuſt., & iure diſp. 403. in fin. Nauarrus in man. de ſeptimo Præcepto Decal. cap. 17. num. 289., & in comment. cap. fin. de vſuris num. 21.* Ratio primæ partis eſt, quia in quocunque contractu iuſtitia læditur, vbi non ſeruatur æqualitas, non ſolùm comparatiuè ad eandem ſubſtantiam contractus, ſed etiàm comparatiuè ad rationes cum eodem concurrentes, ſi ſint meritoriæ compenſationis ſecundùm ſe etiàm independentèr ab eodem contractu, ſed ille exceſſus, qui exigeretur per campſorem in hypotheſi reſponſionis non ſolùm eſſet ſuprà naturam contractus, ſed ſuprà onera virtualis traiectionis, quandòquidem eſt ſuprà pretium, quòd ex vſu fori conceditur tali oneri, ergò per illum læditur iuſtitia contractus, ſeù annexorum eidem contractui. Ratio ſecundæ partis eſt, quià ex prænotatis iuxtà alibi dicta vſura propriè non eſt, quæ non procedit ex mutuo, ſed ille exceſſus propriè ex mutuo non procederet, ergò &c. Minor probatur, quià cõtractus ille formalitèr mutuum non eſt, vt ex ſe patet, & id, quòd exigitur non eſt ob ſolam temporis dilationem, ratione cuius fit mutuum, ergò &c. Confirmatur, quià, ſi illa inæqualitas eſſet vſura, quæcunque inæqualitas in contractibus eſſet vſuraria, & ſic ſi quis venderet rem aliquàm pretio ſuprà ſupremum, commutaret non ſeruata æqualitate, locaret cum exceſſu, eſſet vt vſurarius puniendus, quòd nemo aſſeret.

Eſſet ſuprà naturam contractus, & ſuprà onera virtualis traiectionis.

3 Dixi, *niſi exigat illum exceſſum propter ſolam temporis dilationem*, nam hoc pacto perindè res ſe haberet, ac ſi pro illo tempore, ratione cuius exigit illum exceſſum, pecuniam illam mutuaret, & ex illa mutuatione illud lucrum exigeret, non enim eſt aliqua repugnantia, quin contractus ſub aliqua ratione initus poſſit induere naturam alterius contractus interuenientibus conditionibus ad naturam illius requiſitis; vndè, ſicuti ſi quis concederet pecuniam alicui, & propter moram reſtitutionis lucrum exigeret, diceretur illud exigere ex mutuo, ità qui pecuniam conceſſam ex aliquo contractu differret ex conuentione recuperare, & pro tali dilatione exigeret aliquid ſuprà debitum, præſumendus eſt illud exigere ex mutuo, perindè enim ſe haberet, ac ſi de nouo concederet, vt illud lucrum acquireret, & ſic, ſicuti ſi ex ſimplici conceſſione lucrum acquireret, illud ex mutuò acquireret, ità ex continuatione conceſſionis ad eundem finem dicendus eſt lucrum ex eodem mutuo exigere. Hac motus ratione, *Nauarrus d. cap. 17. num. 290.* docuit vſuram committere illos, qui minoris cambiunt accepta præſenti pecunia per literas, quas vocant cambij, quam dilata ſolutione per literas, quas vocant crediti, niſi id, quòd ex dilata ſolutione magis acquirerent eſſet intra limites ſupremi pretij debiti pro traiectione.

Perindè eſt ac ſi mutuaret pecuniã, & lucrũ reciperet.

Litera cambij, & litera crediti.

Reſpondeo ſecundò, Titium campſuarium obligantem ad illam traiectionem campſorem ſine ſtipendio vſuram contrahere, *Molina d. diſp. 403. in fine*. Ratio eſt, quià vltra reſtitutionem ſortis exigeret aliquod pretio æſtimabile ex motiuo præciſè indigentiæ alterius acceptantis, ergo re vera vſurariè contraheret. Antecedens probatur, quià onus illud ſiuè realis, ſiuè virtualis traiectionis eſt ſecundum ſe pretio compenſabile, & ratione illius nullo reluctante campſores exigunt ſtipendium, vt diximus *ſub hoc eodem tit. de Cambijs II. Pranot. prima*, ergo exigendo illud onus ſine compenſatione exigeret aliquod pretio æſtimabile ſuprà ſortem. Conſequentia primi argumenti etiàm probatur, quià exigere aliquod pretio æſtimabile ſuprà ſortem eſt manifeſta vſura. Confirmatur, quià campſor ſe obligans ex indigentia, quàm habet pecuniæ in hoc loco, non ſe obligat voluntariè ſimplicitèr, ſed inuoluntariè mixtè, eo modo, quo mutuatarius ſe obligans ad vſuras ſuprà ſortem non ſimplicitèr voluntariè, ſed inuoluntariè mixtè ſe obligat, ergo, ſicuti quià mutuatario exigit vſuras, quià inuoluntariè mixtè ſe obligat ad illas, dicitur exigere vſurariè, ità qui à campſore indigente exigit remiſſionem ſtipendij traiectionis vltra ſortem, quià inuoluntariè hic ſe obligat, vſurariè exigere dicendus eſt.

Non ſe obligat, voluntariè ſimplicitèr, ſed inuoluntariè mixtè.

Dices primò, ad vſuram formalitèr ſumptam requiritur ex dictis in prima reſponſione, quod procedat ex mutuo ſiuè reali, ſiuè virtuali, ſed ceſſio illius oneris traiectionis nõ eſt ex mutuo ſiuè reali, ſiuè virtuali, ergò &c. Minor probatur quoad primam partem, quià contractus ille non celebratur ſub motiuo mutui, ſed ſub ratione formali cãbij; quoad ſecundam etiam ſic euincitur, quia illa ceſſio non exigitur præciſè ob ſolam temporis dilationem, ratione cuius alij contractus tranſeunt in naturam mutui palliati. Sed contrà, quià qui ex indigentia alterius in hoc

loco

Videtur exigere ex ſola mora reſtitutionis.

loco ei tribuit pecuniam ea lege, vt in alio, vbi ipſe indiget, reſtituat, & ratione talis traditionis exigit aliquod pretio æſtimabile, videtur illud exigere ex ſola mora reſtitutionis eiuſdem pecuniæ traditæ, nec diuerſitas loci preciſè poteſt demere rationi mutui, quandoquidem poteſt inter cōtrahentes cōueniri, vt reſtitutio mutui aliundè fiat ad beneplacitum mutuantis, dummodò tamen ad hoc debitor non obligetur ciuilitèr cum ſuo incommodo, quę omnia confirmãtur ex eo, quòd, ſi campſor non eſſet in neceſſitate conſtitutus, nec campſuarius exigeret illā traiectionem ſine onere ſtipendij eiuſdem traiectionis, nec campſor ſine tali ſtipendio illud onus aſſumeret. Quæro iam quo titulo ille imponat, & hic acceptet? Certè alius titulus aſſignari non poteſt, niſi titulus dilationis, nam locorum diſtantia, in quibus facienda eſt reſtitutio, potiùs exigit ſtipendium, quàm ceſſionem eiuſdem.

Dices ſecundò, in hac hypotheſi non minus vtile eſt campſori habere pecuniam hic, quem campſuario alibi, ergò compenſata vtriuſq; vtilitate poterit campſarius ſine labe vſuræ exigere, vt pecuniam hic traditam campſor in alio loco, vbi indiget, reſtituat. Sed contrà, quia, vt ſupra dictum eſt, vtilitas etiàm campſarij non demit ius, quod habet campſor ex ſuis muneribus pretio æſtimabilibus, ſicuti ex vtilitate, quam percipit mutuatarius ex re mutuata, non demitur ius mutuantis, ſi ex aliquo iuſto titulo habeat rationem aliquam exigendi quid ſuprà ſortem, vndè, ſi in caſu noſtro obligatur ciuilitèr campſor ad ſe priuandum illo iure traiectionis, obligatur contra iuſtitiam, & cum campſarius ſe habeat per modum mutuatoris, ſi obliget campſorem ad illam iuris ceſſionem, obligat vſurariè non obſtante vtilitate, quam ipſe etiam ſumit ex illa mutuatione.

Vtilitas campſarij nō demit ius, quod habet campſor ſuis muneribus.

Dices tertiò, ſi quis indigens equum proprijs expenſis Romam reducere ſciat alterum equo indigere ad illuc iter habendum, & hic alter nolit equum reducere, niſi condonatis expenſis locationis, non dicitur, nec dicendus eſt vſurarius, ergò neque vſurarius dicendus eſt, qui indigens alio transferre ſuam pecuniam, & ſciens alium indigere tali pecunia hic, eidem concedat, ſed condonatis expenſis traductionis. Antecedens non videtur pati difficultatem, quamuis enim ille, qui ſublocat equum, poſſit intereſſe locationis exigere, ſi ille, cui fit ſublocatio, non renuat, ex conuentione tamen abſque labe iniuſtitiæ poteſt non exigere, cum etiàm per non exigentiam conſulat ſibi, rebuſque ſuis. Conſequentia probatur, quia in tantum in hypotheſi antecedentis non contrahitur labes, nec vſuræ, nec iniuſtitiæ, in quantum ſublocator, quamuis cedens ſtipendio ſublocationis, conſulit ſibi, quià deberet equum reducere proprijs expenſis, & vtilitatem conductoris compenſat cum vtilitate propria, ſed hoc idem militat in hypotheſi conſequentiæ, ſecundùm quàm campſuarius ſibi conſulit, & etiam campſori, ergò compenſata ad inuicem vtilitate poteſt pecuniam concedere, ſed condonatis reſpectu ſui expenſis traductionis. Sed contra primò, quià qui tradit equum alteri reducendum Romam, quamuis habeat ius ad pretium locationis, poteſt tamen illi non attendere, nec velle contractum locationis inire, ſed præciſè velle alteri, & ſibi fauere in reductione, cum hoc non importet ſibi aliquid onus, ſed potiùs fauorem reductionis, & facilis eſt præſumptio liberæ ceſſionis pretij eiuſdem locationis; ille verò, qui accipit pecuniam cum onere alio in loco eam reſtituendi ex eo, quòd eadem hic indigeat, cum ſubeat onus, quòd ſinè indigentia non ſubiret, non præſumendus eſt pretio illius oneris liberè, & gratuito cedere, ſed inuoluntariè mixte, potiſſimùm, cum *contractum* cambij localis ineat, cui annexum eſt onus traiectionis pretio ſecundùm ſe compenſabile. Contra ſecundò, quià in caſu antecedentis ille, qui debet equum reducere nec habet, nec habere poteſt rationem mutuatoris, cum nihil tradat, ſed potiùs accipiat, adeòque non poteſt dici, quod vſurariè contrahat obligando alterum, cui nihil, niſi commodum traiectionis confert, ad cedendum iuri pretij, in caſu verò conſequentiæ, cum re vera conferat ſuam pecuniam antecedentèr, & ratione talis anticipatæ traditionis obliget recipientem ad onus ſecundùm ſe pretio æſtimabile, & propriè eſt mutuator, & quòd ex illa anticipata ſolutione acquirit, vſurariè acquirere dicendus eſt, cum concurrant omnia requiſita ad palliatam vſuram, vt eſt ex ſe manifeſtum. Contra tertiò, quia in primo caſu poteſt dici, quòd qui equum debet remittere proprijs expenſis non ineat contractum locationis, ſed vtatur præciſè alteriùs indigentis miniſterio ad equum reducendum,

Poteſt nolle contractū locationis inire.

Qui debet equū reducere nō poteſt habere rationem mutuatoris.

Vtitur præciſè alteriùs indigentis miniſterio.

Digitized by Google

dum, in ſecundò autem verè celebratur contractus cambij localis, cui ex natura ſua eſt annexum onus traiectionis reſpectu primò recipientis, adeòque, ſi in illo, qui tradit equum reducendum nihil exigat cum ius non habeat exigendi ex vi contractus, qui celebratus non eſt, non priuatur aliquo iure, quòd habeat ex vi eiuſdem contractus, in iſto verò, ſi ille, qui debet traicere, obligetur ad nihil exigendum, priuatur iure, quòd eidem competit ex vi contractus cambij localis exigendi ſtipendium traiectionis, quòd iniuſtitiam redolet, & vſuram.

Abſurdũ, quòd ex caſu ſequitur.

Ex his, quę hactenus dicta ſunt, colligendum eſt à fortiori contrahere vſurariè campſarium, qui dignoſcens indigentiam campſoris in hoc loco eidem certam pecuniæ quantitatem in determinata ſpecie conferret cum onere ſimilem determinatam quantitatem in tali ſpecie reſtituendi in loco, in quo plus valeret iuxtà modos, diſtinctiones, ampliationes, & reſtrictiones explicatas ſupra *ſub hoc eodem tit. de Cambijs II. Prænot. prima*, quę ibi recole.

§. II.

An vſuraria ſit conuentio, qua ſoluens priùs pecuniam obligat nummularium ad eandem reſtituendam intrà tres menſes in loco conuento, quàm, ſi non reſtituerit, teneatur poſt alios tres menſes reſtituere in loco primi contractus cum lucro recambij.

SVMMARIVM.

Ratio dubitandi in ſuis terminis proponitur. 1.

Duplex ſenſus, in quo agitari poteſt controuerſia. 2.

Vſuraria eſt conuentio, qua ex vi præciſè dilationis in ſoluendo vltrà tempus præſcriptum obligatur debitor cambij ad ſoluendum lucrum recambij non celebrati. 3.

Vſuraria etiàm eſt conuentio, qua ex vi dilationis in ſoluendo obligatur debitor ad nouum cambium ineundum cum onere noui ſtipendij pro eodem. 4.

Proponuntur rationes Azorij, & diſſoluuntur. 5.

Non eſt vſuraria conuentio, qua creditor obligat debitorem non reſtituentem conuento tempore in loco deſtinato ad reſtituendam ſortem poſt alios tres menſes cum lucro recambij ob lucrum ceſſans. 6.

Diſquiſitio II. Contraxerat Mediolani Fabius cum Theodorico cãbium datis eidem Theodorico mille nummis aureis cum onere, vt deberent Romę reſtitui in effectu intra tres menſes à die, qua datæ fuerunt literæ reſpondenti eiuſdem Fabij, ità tamen, vt, ſi non reſtituerentur intrà tale tempus conuentum, intelligeretur ex tunc Theodoricus obligatus ad reſtituendum poſt alios tres menſes Mediolani, vbi primæ literæ datæ fuerunt, & celebratus contractus cum lucro cambij, quòd erat Romæ ſoluendum, & recambij hic Mediolani perſoluendo. Orta fuit controuerſia, an huiuſmodi conuentio fuerit licita, an vſurariam ſaperet prauitatem. Pro qua 1

Aduerte, controuerſiam examinari poſſe, vel in ordine ad lucrum, quod ſit tanquam merx recambij, quod, quamuis actu celebratum non ſit, intelligatur ex vi illius conuentionis virtute initum, vel in ordine ad idem lucrum, quod ſit tanquam compenſatio alicuius lucri ceſsãtis, vel damni emergentis ex tali dilatione in ſoluendo. 2

Proponuntur rationes dubitandi pro primo ſenſu.

Ratio dubitandi quoad lucrum primo modo acceptum conſiſtit pro iuſtitia talis conuentionis in eo, quod videatur ex vi illius ſaltèm implicitè celebratus contractus cambialis, quem appellant continuationum, qui, ſicuti ex alibi dictis eſt meritorius lucri non ſolùm in ſua origine, ſed etiàm in continuatione vltrà tempora præſcripta ad ipſius ſolutionem, ità non eſt, cur etiàm in hac hypotheſi non debeat eſſe iuris ad illud lucrum acquiſitiuus; pro iniuſtitia verò fundatur in eo, quod contractus continuationum non habetur, niſi per nouas literas, & girationes, quæ certè in hoc caſu non interueniunt, niſi fortaſſis velis ſupponere, in primo contractu conuentionem fuiſſe conceptam ſub his terminis, vt, ſi ipſum cambium non fuerit ſolutum intrà illos tres menſes præſcriptos, intelligatur obligatus ille, qui primò pecuniam receperit ad contractum continuationis per nouas literas ad locum, vndè primæ proceſſerant, & verè ex vi illius conuentionis huiuſmodi ſecundæ literæ dentur, iuxtà quem ſenſum eſt etiàm hic difficultas examinanda.

Rationes dubitãdi pro lucro in ſecundo ſenſu.

Ratio dubitandi quoad lucrum ſecundo modo acceptum pro iuſtitia conſiſtit in eo, quod creditor non tenetur

netur vltrà tempus conuentum expectare ſolutionem, &, cum ſit aſſuetus negotiationibus, præſumendus eſt, quòd, ſi pecuniam intra tempus conuentum recepiſſet, fuiſſet in eiſdem implicaturus cum lucro, adeòq; iuſtè poteſt illius exigere compenſationem, vel de ea conuenire; pro iniuſtitia verò in eo fundatur, quòd per allegatam Pij V. Conſtitutionem damnatur tanquam vſuraria quæcunque conuentio in celebratione contractus de certo, & determinato intereſſe etiam in ordine ad lucrum ceſſans, prout nos ſuprà docuimus. Item in eo, quod compenſatio lucri ceſſantis non debetur, niſi plenè probetur non ſolùm, quod ille, cui facienda eſt compenſatio, ſit ſolitus negotiari, ſed etiam quod paratas habeat occaſiones negotiandi, & quod eiſdem vſus non fuerit propter dilationem debitoris in ſoluendo, quæ non videntur militare in hypotheſi propoſitæ diquiſitionis. His ſic prænotatis

3 Reſpondeo primò, vſurariam eſſe illam conuentionem, qua ex vi præciſè dilationis in ſoluendo vltrà tempus præſcriptum obligatur debitor cambij ad ſoluendum lucrum recambij non celebrati *Nauarrus in man. de ſeptimo Præcept. Decal. cap.* 17. *num.* 390. Ratio eſſe poteſt, quià quod magis exigitur ex conuentione vltrà ſortem propter ſolam temporis dilationem omninò vſurarium eſt, & iniquum, ſed in hoc caſu illud lucrum recambij non celebrati exigeretur ob ſolam temporis dilationem in ſoluendo, ergò &c. Minor probatur, quià præſcindendo à iure lucri ceſſantis, vel damni emergentis, à quo in terminis præciſè huius reſponſionis præſcinditur, non eſt aſſignabilis titulus, in quo fundari poſſit tale ius; non enim poteſt eſſe nouus contractus, qui celebratus non ſupponitur, ergò &c., neque dicas, titulum eſſe contractum non actu, ſed virtute celebratum ex vi appoſitæ conuentionis, vt ſuprà in ratione dubitandi aſſerebatur; non, inquam, hoc dicas, quià in primis illa conuentio non eſt de celebrando nouo contractu, ſed de ſoluendo lucro in caſu non ſolutionis primi, quod neque virtute importat alium contractum. Deindè, ſi hæc valerent, poſſet quodcunque lucrum ex dilatione præciſè temporis cohoneſtari propter præuiam conuentionem illud ſoluendi; poſſet enim dici, quod illa conuentio æquiualeret nouo contractui, & ſic actum eſſet de vſuris. Deindè ad exigendum lucrum ex vi contractus

Præciſo iure lucri ceſſantis, vel damni emergentis nō eſt aſſignabilis titulus pro tali lucro.

non ſufficit, quòd ille contractus potuerit celebrari, ſed requiritur, quòd actu fuerit celebratus, ſecus via apertis vſuris aperiretur.

Ratio eſſe poteſt ſecundò, quià per præfatam Pij V. Conſtitutionem prohibetur, ne quiſquam audeat ſiuè à principio, ſiuè alias certum, & determinatum intereſſe etiam in caſu non ſolutionis paciſci, neque realia cambia alitèr, quam pro primis nundinis, vbi illæ celebrantur, vbi verò non celebrantur pro primis terminis iuxtà receptum locorum vſum exercere abuſu illo prorſus reiecto cambia pro ſecundis, & deinceps nundinis, ſeù terminis celebrandi, & qui ſecus fecerit, vt vſurarius declaratur, ergo in primis dicendum eſt, illud lucrum non poſſe exigi ex vi continuationis contractus, cum in ſui radice iuxtà diſpoſitionem eiuſdem conſtitutionis ſit infectus. Deindè, ergò ex vi illius conuentionis antecedenter ad contractum habitæ non reſultat alius contractus virtute, ſeù quod idem eſt non virtualitèr perſeuerat ſaltem quoad effectum tribuendi ius ad nouum lucrum. Confirmatur, quià intantum non damnatur recambium, ſeù cambium recurſæ, & ex eodem nouum lucrum, in quantum duplex ſub ſe cambium omninò diſtinctum continet, vt eſt in confeſſo apud omnes ſuſtinentes, vt licitum cambium recurſæ, & omninò illicitum foret illud lucrum in reditu literarum, *ſi procederet* ex vi primi contractus, ergò cum hic non ſit duplex contractus, ſed vnus tempore conuento non completus per ſolutionem non poterit creditor ex vi illius duplex ſtipendium exigere, ſeù obligare debitorem ad illud.

Quòd in radice infectum eſt non poteſt perſeuerare.

Cambiũ recurſæ licitum eſt non lucro, quià inuoluit duplicem contractum.

Reſpondeo ſecundò, vſuraria etiàm eſt conuentio, qua ex vi dilationis in ſoluendo obligatur debitor ad nouum cambium ineundum cum onere noui ſtipendij pro eodem *Salas de Cambijs dub.* 12. *num.* 2., *Graſſius tom.* 1 *lib.* 2. *deciſ. cap.* 110. *num.* 15., *Angles* 99. *de Cambijs art.* 5. *dub.* 4. *dif.* 4. Ratio eſt primò, quià illud onus recambiendi, ſeù conſtituendi nouum cambium in caſu non ſolutionis opportuno, & conuento tempore eſt ſecundùm ſe pretio æſtimabile, ergò, ſi illud imponatur per conuentionem vltrà reſtitutionem ſortis ob ſolam temporis dilationem vſurariè imponitur, cum ob ſolam temporis dilationem acquireretur vltrà ſortem aliquid pretio ſecundùm ſe æſtimabile, quòd vſurariam ſapit prauitatem; Neque dicas, illud onus 4

re-

recambiendi non eſſe lucrum propter cambium, ſed in pænam ob moram ſolutionis conuentionalem, quæ, ſicuti apponi poteſt in mutuo ob ſolutionem dilatam iuxtà ea, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 13. aſſert. 5. num. 12.* ità non eſt, cur adijci non poſſit ob eandem dilatam ſolutionem contractui cambij; contrà enim impugnaberis, quià in primis iam non eſt, vt merx recambij, & ex vi dilationis præcisè, in quo ſenſu procedit reſponſio, ſed ex alio titulo ſcilicet penæ conuentionalis, à quo præſcindit præſens difficultas, eo modo, quo præſcindit in mutuo, in quo, quamuis damnetur ex vi eiuſdem quodcunque lucrum vltra ſortem, non damnatur, quod aliquid exigatur ex pæna conuentionali moderata. Deindè ad huiuſmodi pænam inducendam non ſufficit ſola temporis dilatio, ſed multæ aliæ, & longè plures conditiones prout *ſub eod. tit. Contractus III. d. Prænot. 13. n. 13.* quas ibi recole, quæ potiſſimum vltimatò refunduntur in rationem lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis.

Non eſſet ex vi dilationis præcisè, ſed titulo pænæ cōuentio nullis.

5 Non acquieſcit reſponſioni *Azorius inſtit. mor. lib. 10. cap. 11. quæſt. 4.* qui abſolutè videtur approbare talem conuentionem tanquam licitam, quià hoc pactum Pij V. conſtitutione non reprobatur, cum non ſit de certo, & determinato lucro ſoluendo, ſed taxando officio, & decreto Iudicis. Item, quià in tali conuentione ineſt etiam implicitè pactum, quo in defectum recambij per nouas literas debitor teneatur ſoluere quid determinatum per ſententiam Iudicis. Sed incongruè Azorius ſupponit tanquam fundamentum ſuæ opinionis id; quod eſt immediatè in quæſtione. Debuiſſet ergo prius probaſſe Azorius, illud pactum eſſe ſecundum ſe licitum, antequam illud aſſumeret pro fundamento. Iam ſingula examinemus. Aſſerit in primis, hanc conuentionem non reprobari per Pium V. Quid indè? an ideò ſecundum ſe licita? Pius V. ea damnauit, quæ poterant eſſe ſub lite determinando ea, quæ ſeruanda, & reprobando ea, quæ non ſeruanda; cæterum quæ ſecundum ſe liquent, non opus habuit reprobare, cum ex natura ſua ſint reprobata, vt ratione pro probatione adducta oſtenſum fuit. Subdit poſtea non eſſe de certo, & determinato lucro, ſed taxando officio, & decreto Iudicis. Sed hoc quoque eſt contra ſuppoſitionem aſſertionis, qua ſupponitur lucrum determinatum, prout importat cambium Romæ celebratum pro Mediolano, quod dicit certum intereſſe taxatum ex vſu fori, ſed hoc parùm ad rem noſtram referre poteſt, quandòquidem ex ratione ſuperius adducta in probatione onus etiam ſolutionis ſuprà ſortem ex vi conuentionis, quamuis taxandæ officio iudicis, vt vſura, damnandum eſt, quià eſt quid pretio æſtimabile ſuprà ſortem. Concludit tandem ineſſe implicitè illud pactum, quo in defectum recambij per nouas literas debitor teneatur ſoluere quid determinatum. Sed nonne videt, quod hæc eſt manifeſta petitio principij, & id, quod eſt in quæſtione? Demus ineſſe illud pactum. Sed an hoc licitum? vndè probat? Certè ſupponit pro fundamento quæſtionis id, quod ſub eadem quæſtione cadit. Nos non diſputamus de exiſtentia, vel de poſſibilitate illius pacti, ſed inquirimus, an ſuppoſita exiſtentia illud ſit licitum, quod debuiſſet probare Azorius, non ſupponere.

Satisfit rationibus, quæ adducuntur ab Azorio.

Supponit pro fundamento id, quod eſt in quæſtione.

Ratio eſſe poteſt ſecundò, vſuraria eſt conuentio, qua mutuans obligat mutuatarium vltra reſtitutionem ſortis ad emendas res ab ipſo mutuante, vel ad molendum in ipſius molendinis, vt latè diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mut. & vſur. Prænot. 10. aſſert. 3. num. 2.* ergo etiam eſt vſuraria conuentio, qua creditor ciuilitèr obligat debitorem ad nouum cambium ineundum cum ſe ipſo, & ſoluendum ex illo lucrum. Antecedens patet ex dictis loco cit. Conſequentia probatur, quià ideò in caſu antecedentis vſurariè contrahit, qui ſic obligat, quià obligatio ciuilis ad illa adimplenda eſt pretio ſecundum ſe æſtimabilis, cum priuet libertate mutuatarium ad emendum a quocunque voluerit, & molendum in quocunque loco ſibi beneplacitum fuerit, ſed etiam in caſu conſequentiæ vltra obligationem reſtitutionis ſortis obligatur ciuiliter ad accipiēdum cambium ab ipſo creditore, & priuatur libertate ad accipiendum ab alijs, ergo &c. Neque dicas, in priori caſu vſurariam eſſe conuentionem, quia illa obligatio ciuilis non correſpondet alteri iuri vltra mutuum; in ſecundo autem correſpondet non cambio præcisè, ſed iuri conſurgenti ex dilatione in ſoluendo, & penæ conuentionali propter eandem dilationem; contrà enim impugnaberis, quià dilatio præcisè ad ſoluendum non tribuit ius ad aliquod pretio æſtimabile,

Paritas de mutuatario obligato ex mutuo ad rem præſentē.

Dilatio præcisè nō tribuit ius ad aliquid pretio æſtimabile.

Digitized by Google

& reſponſio procedit ex vi contractus præcisè, & ex vi dilationis, vt ſuprà.

6 Reſpondeo tertiò, non eſſe vſurariam conuentionem, qua Fabius obligat Theodoricum in hypotheſi non reſtitutionis conuento tempore in loco deſtinatæ ſolutionis ad reſtituendam ſortem poſt alios tres menſes in loco celebrati contractus cum lucro recambij ratione lucri ceſſantis, ſi pro tempore conuento reſtitutionis idem Fabius fuiſſet habiturus promptam occaſionem implicationis ad nouum cambium cum eodem lucro, vel ad reſtituendam ſortem cum intereſſe correſpondenti lucro ceſſanti, prout rei probabit euentus, *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 23. Graſſius tom. primo lib. 2. deciſ. c. 110. nu. 15., Salas tract. de Cambijs dub. 22. num. 2. qui etiam citat., Nauarrum in man. cap. 17., Caietanum, Sotum, & Angles quaſt. de Cambijs art. 5. dub. 5. diſ. 4.*

Etiam in mutuo pactum de lucro ceſſante licitum eſt in ea quantitate, quæ ex probationibus reſultabit.

Probatur prima pars, quià etiam in mutuo pactum de lucro ceſſante licitum eſt in ea quantitate, in qua verè ceſſat, ergo à fortiori hoc licitum erit in cambio, ſed in hypotheſi reſponſionis lucrum ceſſat ad proportionem lucri, quod acquiſiuiſſet creditor ex nouo cambio, ſiquidem, ſi pecuniam tempore conuento habuiſſet, nouum cambium iniuiſſet iuxtà quod ſupponitur in reſponſione, ergò non illicitum eſt pactum de eodem lucro ad proportionem recambij.

Dices, ex Conſtitutione Pij V. præallegata vſurarium eſt quodcunque pactum de certo, & determinato intereſſe etiam in caſu non ſolutionis, ſed tale eſt pactum, de quo hic agimus, quandòquidem eſt de certo lucro, & determinato ex vſu fori, ſecundum quem taxantur ſtipendia cambiorum, non ſecundum arbitrium dantis pecuniam ad cambium, ergo &c. Sed contrà primò, quià, vt aſſerit, *Scaccia de commert. §. 1. quaſt. 7. part. 2. ampl. 8. num. 296.* & cum eo *Azorius inſtit. mor. lib. 10. tit. de Cambijs cap. 11. quaſt. 2. verſ. ad tertium.* Pontifex voluit dumtaxat prohibere, ne is, qui dat cambio, taxet lucrum in propria cauſa, non tamen prohibuit, quin poſſit exigere lucrum, vel taxatum ex vſu fori, vel taxandum arbitrio Iudicis, vt in re noſtra.

Illud lucrum nõ eſt certũ, quod dependet à futuro euentu.

Secundò, quià non poteſt abſolutè dici, quod illud lucrum ſit abſolutè certum, ſed prout rei probabit euentus, quod ſic probo; nam idem eſt conuenire de pretio recambij, ac conuenire de lucro cambij, prout curret ex vſu fori, quod quandòque variatur ex varijs circunſtantijs, vel inopiæ, vel copiæ, prout ſupra diximus; conuenire autem de lucro incerto, prout rei probabit euentus, non eſt prohibitum, vt latè diximus *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs I. Pranot. 6. aſſert. 1. num. 4.*

Non repugnat iuri naturali, nec poſitiuo.

Probatur ſecunda pars, quià conuentio de intereſſe ob lucrum ceſſans, vel damnum emergens, prout re vera reſultabit in effectu, nec repugnat iuri naturali, nec iuri poſitiuo antiquo, nec nouo per Conſtitutionem Pij V. inducto, ergo nec repugnabit in caſu reſponſionis, in quo tantum agitur de intereſſe, prout rei probabit euentus. Antecedens probatur, quià antecedenter ad eandem Pij V. Conſtitutionem nulla erat iniuſtitia, ſi fieret conuentio de determinato aliquo intereſſe pro veriſimili periculo, quinimmò nulla de facto eſt iniuſtitia, ſi in alijs contractibus apponatur; poſt verò dictam Conſtitutionem non eſt prohibitio, niſi de certo, & determinato intereſſe, ergo non debet extendi ad incertum, prout in re noſtra. Conſequentia probatur, quià lex exorbitans à iure communi non eſt extendenda vltra caſus in ipſa expreſſos *l. pracipimus C. de appellationibus* iuxtà ea, quæ nos tradidimus ſuprà *de Cambijs I. Pranot. 6. aſſert. 1. nu. 4. verſ. probatur ſecundo eadem ſecunda pars.*

§. III.

Quid ſentiendum de modo cambiendi, quem vocant *dell' agio*.

SVMMARIVM.

Exponitur quinam ſit modus cambiendi, qui dicitur dell'agio. 1.

Iniuſtus eſt ille exceſſus, qui exigitur ob celebratum præcisè contractum in fauorem campſarij. 2.

Non eſt iniuſta conuentio de exceſſu, ſeu exceſſus ipſe, ſi correſpondeat intereſſe lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis concurrentibus debitis conditionibus. 3.

Ex ſuppoſitione, quod exceſſus non cohoneſtaretur titulo lucri ceſſantis, non vitiaret contractum, ſed vitiaretur. 4.

Diſquiſitio III. Indigebat Sempronius Romæ exiſtens mille nummis aureis in Ciuitate Meſſinenſi ad ſua negotia obeunda, cumque negotia- 1

tiatorem non haberet, qui cambium vellet inire pro tali Ciuitate, opportunè, & importunè rogauit Seium nummularium, vt in ſui gratiam, & commoditatem cambium celebraret, illucque ſuam pecuniam virtualitèr transferret, ſed ea lege, & conditione contractus fuit initus, vt quià in fauorem præcisè Sempronij celebratur, teneatur hic vltrà precium conſuetum cambiorum aliquid ampliùs erogare. Hoc genus cambiendi, de quo nihil à Mercatoribus accepiſſe aſſerit *Scaccia tract. de commerc. §.1. quæſt. 7. part. 3. limit. 12. num. 1.*, & nihil apud ſcriptores inueniſſe, appellat cambium *dell'agio*, circà quod nonnulli articuli examinandi excitantur. Primus erit, an licitum ſit ſecundùm ſe, an verò vſurarium. Secundùm, an aliqua circunſtantia poſſit cohoneſtari. Tertius ex ſuppoſitione, quòd ille exceſſus pretij ſuprà conſuetum ſit iniuſtus, an vitiet contractum, an potiùs vitietur.

Quòd ſit cambium *con l'agio*

2 Reſpondeo primò ad primùm, iniuſtum omninò eſſe illum exceſſum, qui exigitur ob celebratum præcisè contractum in fauorem Sempronij exigentis *Scaccia d. §.1. quæſt. 7. part. 3. limit. 12. num. 2.*, quòd aſſerit eſſe contrà communem ſenſum Mercatorum. Probatur primò, mutuare precibus, & in fauorem præcisè mutuatarij indigentis non tribuit ius mutuanti exigendi aliquid ex mutuo vltrà reſtitutionem ſortis, ergò neque cambire precibus, & in fauorem præcisè indigentis confert ius ad exigendum aliquid ex cambio ſuprà conſuetum ſtipendium cambij. Antecedens non vertitur in dubium. Conſequentia probatur, quià cambium non eſt meritorium lucri ſuprà mutuum, niſi quatenùs importat onus traiectionis, ergò, ſi compenſetur illud onus traiectionis per pretium conſuetum ex vſu fori, quidquid vltrà illud acquiritur, erit iniuſtè acquiſitum, quamuis contractus ſit initus in fauorem præcisè indigentis.

Mutuare præcisè ad preces mutuatarij non exigit lucrũ ſuprà mutuum.

Probatur ſecundò, quià vtilitas præcisè recipientis pecunias non eſt meritoria lucri reſpectu tribuentis, ergò ex eo, quòd campſor, ſeù nummularius contrahat in fauorem indigentis non poteſt recipere aliquòd ſtipendium ſuprà id, quòd exigit contractus attentis alijs circunſtantijs ſecundùm ſe meritorijs lucri. Antecedens probatur, tùm quià ex eo, quòd mutuatarius ſit recepturus vtilitatem ex mutuo, non propterea ius habet mutuans exigendi aliquòd lucrum, vt ſuprà diximus, tùm quià illa vtilitas eſt potiùs conditio recipientis, quàm tradentis, vt videre eſt in depoſitario, qui, ſi aliquàm vtilitatem percipiat ex depoſito per propriam induſtriam, non debet compenſationem deponenti, eo quià illa vtilitas eſt ex propria conditione, non deponentis, quamuis hic deponat exigente depoſitario, & in fauorem ipſius.

Vtilitas præcisè recipiẽtis non eſt meritoria lucri.

Vtilitas illa eſt potius conditio recipientis, quàm tradentis.

Dices primò, in hypotheſi reſponſionis illum exceſſum deberi propter libertatem quodamodò ademptam concedentis ad cambium, cum aliundè non ſit diſpoſitus ad ſic cambiendum, quæ certè libertas eſt pretio aliquo æſtimabilis; Sed contrà primò, quià ſuaſiones, & preces ſecundùm ſe non tollunt rationem voluntarij, vt ſuppono ex quæſtionibus de actibus humanis, adeòque nec adimunt libertatem, cæteroqui etiam in mutuo, qui precibus, & ſuaſionibus moueretur ad mutuandũ, poſſet exigere ſtipendium ex libertate quodamodò violata, quòd nemo aſſeret. Contrà ſecundò dato ſemel, quòd ex illa libertate talitèr dimminuta, prout aſſeritur, poſſet lucrum aliquòd exigi, quicunque præuentus ab altero ad aliquem contractum poſſet ex illo motiuo lucrari, & ſic actum eſſet de vſuris. Contra tertiò, quià, qui ſciret aliquem indigere rem aliquam vendere, quàm non venderet ſinè illa indigentia, poſſet pro minori emere, quòd nemo aſſeret.

Suaſiones & preces non tollunt rationem voluntarij.

Dices ſecundò, Merces vltroneæ vileſcunt, adeò vt, qui offert res ſuas venales venditioni eas ex tali oblatione deterioret in pretio, & valore, ergò vice verſa, qui vltroneè quærit, vt res ſibi vendantur, eaſdem in valore adaugere dicendus eſt. Conſequentia probatur, quia ità ſe habere videtur vltronea oblatio in venditione ad pretium diminutum, ſicuti vltronea oblatio ad emendum in ordine ad pretium augendum, cum militet eadem ratio, ergò etiàm, qui non ſolùm ſe offert, ſed etiàm importunè rogat de cambio in ſui fauorem ſibi conferendo, iuſtè adaugere dicendus eſt pretium eiuſdem cambij. Sed contrà diſpar eſt ratio de vltronea oblatione in ordine ad merces vendendas, ac de præuia inquiſitione ad emendum, & diuerſitas in eo conſiſtit, quòd vltronea oblatio ad vendendum arguit inopiam concurrentium ad emptionem, quæ eſt titulus extrinſecus diminuens rerum valorem, vt diximus ſuprà *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. I.*

Non eadem ratio de vltronea oblatione, ac de præuia inquiſitione.

aſſert.8.num.20.verſ.idem Leſſius; præuia verò inquiſitio præcipuè in præſenti hypotheſi non arguit numerum, ſeù copiam concurrentium ad emptionem, ſed ſpecialem indigentiam inquirentis, quæ non tribuit ius ad maius intereſſe, vt per ſe patet.

Dices tertiò. In campſoribus fungentibus etiam officio fideiuſſoris licitum eſt fideiuſſionis, ſeù veriùs periculi pretium exigere *Scaccia de commert.§.3. gloſ.3.num.7.verſic.ſed fideiuſſor*, & nos etiàm docuimus *ſub hoc eodem tit.Contractus V.de Cambijs II.Pranot.I.num.10.*, ergò etiàm licitum erit in eiſdem campſoribus cambientibus in fauorem indigentium commoditatis pretium exigere, ſiquidem, vt docet *Scaccia §.1. part.2.quæſt.7.ampl.10.num.62.* in aliarum rerum venditione hæc gratia vendendi contrà voluntatem venditoris habet vim augendi pretium rei vendendæ. Sed contrà, quià aſſumptio periculi in ſe eſt opus ſecundùm ſe pretio æſtimabile, & meritorium lucri, non ſic autem commoditas, quæ reſultat in recipiente reſpectu tribuentis, ſeù concedentis, vt ſuprà probauimus, quis enim diceret, quòd ex eo, quòd mutuatarius commoditatem percipiat ex re mutuata reſultat aliquòd ius in mutuante ad exigendam compenſationem? reſultat equidem, ſi aſſumat in ſe periculum rei mutuatæ, quià hoc importat onus in concedente, ſeù fideiubente, non ſic commoditas præciſa mutuatarij.

Diſpar ratio de fideiuſſione, ac de commoditate recipientis.

3 Reſpondeo ſecundò ad ſecundùm, non eſſe iniuſtum illum exceſſum, nec conuentionem de illo, ſi correſpondeat intereſſe lucri ceſſantis, ſeù damni emergentis concurrentibus conditionibus requiſitis ad exactionem illius intereſſe, prout ſuprà *Scaccia dicto §.1. quæſt.7.part.3.limit.12.num.2.*, & nos alibi ſparſim. Probatur primò, lucrum ceſſans, & damnum emergens in quocunque contractu, ſeù ob quemcunque contractum eſt ſecundùm ſe pretio æſtimabile, ſi de ipſo fiat conuentio in celebratione contractus ſecundùm eam quantitatem, ſecundùm quam ceſſat, vel emergit, vel ſecundùm veriſimilem, vel ſecundùm eam, ſecundùm quam partes conueniunt, dummodò non excedat lucrum, quòd ceſſat, vel damnum, quòd emergit, ergò hoc etiàm eſt compenſabile in contractu cambij, & etiàm vltrà id, quòd importat intereſſe eiuſdem cambij ſecundùm ſe. Conſequentia quoad hanc vltimam particulam, in qua ſita eſt difficultas, probatur. Illud lucrum, quòd in hac hypotheſi ſupponitur ceſſare, eſt ſupra id, quòd importat præciſè illa virtualis traiectio, ergò exigit compenſationem ſupra id, quòd intereſſe eiuſdem traiectionis importat.

Lucrum ceſſans, & damnũ emergens ſecundùm ſe compenſabile

Probatur ſecundò, quia in eo caſu poterat campſor dicere, ſe nolle cambire, ſed paratum eſſe mutuare, & formidatum intereſſe mutuatario notificare, ſed in caſu mutui ſic initi poterat ſinè labe vſuræ intereſſe correſpondeus lucro ceſſanti, ſeù damno emergenti iuſtè exigere, & de eo conuenire, vt latè docuimus *tom.1.ſub tit. Contractus III.de muto, & vſuris Pranot. 13.aſſert.1.num.1., & ſeqq.* ergò etiàm ex vi cambij, ſi ſic initum fuiſſet, poſita illa notificatione, & conuentione poſſet illum exceſſum, vt correſpondentem lucro ceſſanti, vel damno emergenti iuſtè exigere, ſi enim ratio mutui non excludit intereſſe correſpondens lucro ceſſanti, vel damno emergenti, cur debet excludere ratio cambij?

Si ratio mutui nõ excludit compenſationem lucri ceſſantis, nec ratio cambij.

Reſpondeo tertiò, ex ſuppoſitione, quòd ille exceſſus non cohoneſtaretur titulo lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vel alio quouis ſecundùm ſe iuſtificatiuo, non vitiaret contractum, qui in ſuo robore permaneret, ſed vitiaretur, vndè recipiens cambium haberet quidem ius ad non ſoluendum illum exceſſum, vel redimendum, ſi ſoluerit, non autem ad reciſcionem contractus *Scaccia d.§.1.quæſt.7.part.3. limit.12.in fine*, & eſt conformis ijs, quæ nos docuimus *tomo primo ſub tit. Contractus IV.de Emphyth., & Cenſib.Pranot. 21.ſect.5.aſsert.4.per totum, & ſect.13. num.119.* 4

Probatur primo, quia contractus cambij non eſt contractus mutui, ſed potius pertinet ad emptionem, & venditionem, & inuoluit ſolummodò contractum locationis operarum in ordine ad virtualem traiectionem, vt ſupra probatum eſt, ſed contractus emptionis, & venditionis, & item locationis non redditur abſolutè irritus per ſuperexceſſum pretij, nec irritandus eſt, niſi detur læſio vltra dimidium per ea, quæ docuimus *ſub tit.Contractus II.de empt., & vendit. Pranot.2.num.2.*, vbi dictum fuit de iure ciuili non irritari contractum, nec concedi actionem ad reciſcionem, & in foro conſcientiæ obligari ſolùm eum, qui læſit, ad compenſationem eius, quòd ſupra iuſtum accepit, ergò &c.

Cambiũ pertinet potiùs ad emptionem, & venditionem, quã ad mutuum.

Pro-

Digitized by Google

Defectus, vel exceſſus pertinens ad quantitatem non irritat cõtractum, ſed parit exceptionem.

Probatur ſecundò, ex defectu, vel exceſſu præcisè pertinente ad quantitatem non irritatur ipſo iure contractus, nec per exceptionem, ſeù actionem coram Iudice reſcinditur per ea, quæ docui *tom. primo ſub titulo Contractus II. de empt., & vendit. Pranot. 7. num. 4.*, quinimmò *ſub tit. Contractus I. Diſquiſ. 9. reſponſ. 2.* dictum fuit dolum inducentem ad maius pretium, quam res ſecundùm ſe valeat, non præſumi inducere ad conſenſum contractus ſecundùm ſe, ſed tantum ad illam quantitatem, ſeù maius pretium, vndè non conceditur actio ad reciſcionem, ſed tantum ad adæquationem per ea, quæ dixi *ſub eodem tit. Contractus II. loc. mox cit.*, & vlteriùs *ſub cit. tit. Contractus IV. Pranot. 21. ſect. 9. aſsert. 4., & ſect. 3. num. 119.* ſtatutum eſt conditiones, quę non afficiunt ſubſtantiam contractus, ipſum non irritare, ſed potiùs irritari, nam, quę non ſunt contra ſubſtantiam, nec reſiſtunt initiò, nec natiuitati eiuſdem contractus, vt in omnibus diſpoſitionibus declarant *Cagnolus in l. Contractus nu. 70. ff. de reg. iu.*, *Ancharanus conſ. 207. num. 2.*, *& ſæpius amplexa eſt Rota Romana, & præcipuè in vna Romana nullitatis cenſus 5. Maij 1597. coram Corduba*, ille autem exceſſus certè non pertinet ad ſubſtantiam, ſed tantùm ad quantitatem, ergò proptèr illum exceſſum, quem exigit campſor in noſtra hypotheſi, non eſt irritandus contractus, ſed ſolummodò ad æqualitatem reducendus.

Ille exceſſus pertinet tantum ad quantitatem.

Dices primò ex allegata conſtitutione Pij V. *ſub hoc eodem tit. de Cambijs I. Pranot. 6. num. 1.* prohibetur *ne deinceps quis audeat, ſiuè à principio, ſiuè aliàs certum, & determinatum intereſſe, etiàm in caſu non ſolutionis paciſci*, & qui ſecùs fecerit, vt vſurarius declaratur. Ibi. *Quæ omnia nos vſuraria eſse declaramus*, & poſteà, *quantum cum Domino poſsumus ad tollendas occaſiones peccati fraudeſque fœneratorum ſtatuimus &c.*, & cum hic ſupponamus, illum exceſſum, ſeù lucrum conuentum non cohoneſtari aliquo titulo, vel lucri ceſſantis, vel damni emergentis certè non eximitur ab hac diſpoſitione Piana, ergò contractus eſt abſolutè irritus. Conſequentia probatur, quià ex dictis *ſub eodem tit. Contractus IV. Pranot. 21. ſect. 4. aſsert. 10. in prima probat.* contractus fœneratius ex natura ſua eſt irritus ſecundùm omnia. Sed contrà. Attende ſeriem diſpoſitionis, & nihil contrà nos comperies. Illa verba, *quæ omnia nos vſuraria eſse declaramus* referuntur ad præcedentia, quæ fuerunt propoſita, non trahuntur ad ſubſequentia, quæ quidem Pontifex prohibet, ſed, cum non exprimat, vt vſuraria, non cadere ſub eadem diſpoſitione præſumenda ſunt, ad quid enim exprimere, vt vſuraria præcedentia, & non ſubſequentia, ſi voluiſſet Pontifex omnia eſſe vſuraria? certè incluſio expreſſa vnius, & non alterius videtur excluſiua iſtius. Deindè Pontifex non damnat, vt vſurarium contractum in ſui ſubſtantia, ſed illa omnia ibi expreſſa, quæ adijciuntur contractui, vndè non vitiant contractum, ſed potiùs ipſa vitiantur. Recole, quę dicta ſunt *dicta ſect. 5. aſſert. 4. verſic. deciſ. 2.*, & hic applica.

Instantia ex conſtitutione Pij V. adducitur, & reſoluitur.

Incluſio vnius eſt excluſio alteriùs.

Dices ſecundò. Illa conuentio de determinato lucro ſupra intereſſe virtualis traiectionis proptèr commoditatem indigentis inducit obligationem ciuilem, ſed quælibet obligatio ciuilis, quæ inducitur ſupra æqualitatem contractus irritat abſolutè contractum, vt videre eſt in mutuo, ergò &c. Sed contra, quià diſpar eſt ratio de obligatione ciuili inducta in mutuo ſupra ſortem, ac de onere impoſito in alijs contractibus ſupra æqualitatem requiſitam ex iuſtitia, eo quia vſura formalitèr, vt talis irritat contractum vſurarium, non ſic quæcunque iniuſtitia in alijs contractibus eoſdem irritat, hocque prouenit ex diſpoſitione iuris, quod in odium vſurarum non ſolùm ipſas irritat, ſed contractum, circa quem verſantur.

Non quæcunque iniuſtitia irritat cõtractum.

---

§. IV.

An lucrum in cambio poſſit eſſe ad proportionem intereſſe mercaturæ, quam non exercet.

SVMMARIVM.

Propoſitio caſus in terminis particularibus. 1.

Si negotiator ceſſet à mercatura non poteſt de illo intereſse conuenire, illudque exigere. 2.

Non deſtitit à mercatura in fauorem campſuariorum ſic exigentium, ſed ex arbitrio propriæ voluntatis. 3.

Non poteſt in alio negotiationum genere ea acquirere, quæ in vno acquiruntur, quòd magis fructiferum eſt attentis laboribus, & induſtria maiori. 4.

Non

Digitized by Google

Non poteſt mutuans ex mutuo exigere lucrum, quod exigeret in mercatura, quamuis diceret, quòd, ſi non mutuaret, pecuniam implicaret in eadem mercatura. 5.

1 DIſquiſitio IV. Theodoricus ſolitus antecedentèr negotiari in mercatura illud exercitium dimiſit, pecuniamque ſuam, quàm è negotiatione illa extraxit, inſumebat in cambijs, ea tamen lege, & conditione, vt recipientes tantum pro cambijs perſoluerent, quantum veriſimilitèr lucrari poſſunt negotiantes in mercatura. Quæritur, an licitè potuerit de illo intereſſe conuenire, illudque exigere? Pro ſolutione recole prius, quæ dicta ſunt, intereſſe pro lucro ceſſante (circà quòd præcisè reſtringitur pręſens difficultas, non enim poteſt eſſe ex natura cambij præcisè) vt licitè exigatur, ſeù exigi poſſit, exigere, vt illa negotiatio, ex qua illud lucrum perciperetur, ſi poneretur, & ex cuius omiſſione non percipitur, ſeù ceſſat, non ſolùm ſit poſſibilis, ſed ità moralitèr certa, & futura, vt, ſi pecunia ad illam requiſita non implicaretur in negotiatione cambiorum, in illa implicaretur, & ex eo præcisè non implicetur in hac, quià implicatur in illa, vndè ex ſuperiùs dictis debet ille, cui dicitur lucrum ceſſare, probare promptam occaſionem negotiationis, & quòd ideò illam omiſerit, quia inſumpſit pecuniam in opere, pro quo illud lucrum ceſſat.

Vt exigi poſſit lucri ceſſantis compenſatio non ſufficit lucrũ de poſſibili, ſed requiritur de futuro.

2 Reſpondeo, non poſſe licitè de illo intereſſe conuenire, illudque exigere, *Nauarrus in cap. nauiganti num. 35. verſic. in hoc cambio de vſuris, Scaccia de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 3. limit. 16. num.* 1. Probatur, non poteſt quis exigere intereſſe pro ceſsatione lucri, quã minimè patitur, *eſt in confeſſo apud omnes tum Theologos, tum Iuris interpretes*, ſed Theodoricus in hypotheſi reſponſionis nullũ patitur intereſſe pro mercatura, quam non exercet, ergò &c. Minor probatur, quia ab exercitio mercaturę iam deſtitit, ergo, ex vi illius non poteſt acquirere intereſſe, adeoque nec lucrum ceſſat.

Non poteſt exigi compenſatio lucri, quod nõ ceſſat.

3 Dices primò. In tantum deſtitit ab officio mercaturæ, in quantum voluit pecunias in cambijs implicare, ergò ceſſatio lucri mercaturæ eſt propter cambia, ergo in cambijs, quæ celebrat, poterit iuſtè exigere intereſſe, quod exigeret in mercatura, ſeu quod alij mercatores ſimilis conditionis veriſimilitèr acquirunt & exigunt. Sed contrà, quià, ſi deſtitit ab officio mercandi non deſtitit in fauorem campſuariorum ſic exigentium, ſed ex arbitrio propriæ voluntatis, vndè debet ſibi imputare, quod lucrum mercaturæ non acquirat, nõ eiſdem campſuarijs, qui cauſam non dederunt talis ceſſationis. 4 Cæterũ, ſi hæc inſtantia ſubſiſteret, quicunque non requiſitus ab aliquo negotiandi genere, quod propter induſtriam, quæ in illo requiritur, propter labores, qui in illo impenduntur, & propter officiũ ipſum eſt magis lucratorium, deſiſteret, vt alio negotiationis genere implicaretur, quod, cum non exigat tot labores, nec tantam induſtriam, nec officium ipſius mereatur tantum intereſſe, minus eſt lucratiuum, poſſet lucrum illius negotiationis magis fructiferæ ſemper exigere, quod nemo aſſeret.

Campſarij non dederunt cauſam ceſſationis illius lucri.

Abſurdũ, quod ex contrario ſenſu ſequitur.

5 Dices ſecundò, quamuis deſiſteret ex propriæ voluntatis arbitrio ab officio mercaturæ, poteſt tamen in caſu, quo campſuarij nollent illud intereſſe correſpondens mercaturę ſoluere, velle implicare in eandem mercaturam, ergo ratione deſiſtentię a mercatura, quã ceſſationem exequitur ob cambia, poteſt in eiſdem cambijs de intereſſe eiuſdem mercaturæ conuenire. Sed contra primo, quia hac ratione quicunque mutuans poſſet exigere ex mutuo intereſſe lucri ceſſantis ob mercaturam; poſſet enim dicere, quod, ſi non mutuaret, vellet pecunias ſuas in negotiatione mercaturæ exercere, quod nemo dicit. Contra ſecundo, quia ad exigendum intereſſe pro lucro ceſſante non ſufficit, quod ille, cui dicitur ceſſare lucrum, poſſit in aliquod negotium fructiferum pecuniam implicare, ſed requiritur, quod ſit diſpoſitus, & paratam habeat occaſionem implicandi, & quod precisè non implicet, quia alteri dat titulo cambij, quatenus ipſum cambium, quod init, impediat negotiationem ex exigentia campſuarij indigentis, non ex voluntate iam determinata campſoris ad non amplius negotiandum. Cæterum ſi velis ſupponere, quod abſolutè antecedentèr ad cambium ſit diſpoſitus ad negotiandum, & quod de facto negotiaretur, & deſiſtat precisè in fauorem campſarij, tunc non renuerem concedere, poſſe licitè illud intereſſe exigere, quia re vera in illa quantitate lucrum illud illi ceſſaret, dummodo tamen præmoneret campſuarium de ſua voluntate, & de parata occaſione.

Ad lucrũ ex negotiatione requiritur, quod habeat occaſionẽ promptam negotiandi.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

An licitum ſit cambium non nundinale expectata ſolutione ad certum tempus cum onere conuento lucri nundinalis reſpectu campſuarij.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis. 1.
Cambium nundinale dicitur regulare. 2.
Status, ſecundum quos poteſt eſſe difficultas. 3.
Lucrum cambij nundinalis poteſt eſſe licitum attento lucro ceſſante. 4.
Si lucrum in loco deſtinatæ ſolutionis ſit incertum, adeò vt poſſit eſſe maius, vel minus habito reſpectu ad lucra nundinalia non eſt illicita conuentio de lucro nundinali. 5.
Diſpar ratio de frumento vendito iuxtà valorem in alio loco. 6.
Si pretium cambij in loco deſtinatæ ſolutionis ſit determinatè taxatum, & comparatiuè ad pretium cambiorum nundinalium iuxta communem æſtimationem probabilitèr credatur minoris debere eſſe pretio lucri ceſſantis, vel damni emergentis probabilius eſt illicitam eſſe conuentionem de ſolutione ad proportionem pretij cambiorum nundinalium. 7.

1 Diſquiſitio V. Dederat Seius Caio centum nummos aureos titulo cambij reſtituendos in loco, vbi nundinę non celebrantur, eo tamen adiecto ordine, ſeu onere ex conuentione, vt Caius totidem cum tanto lucro ſolueret ſibi ad tres menſes, quanti ſoluitur ad primas nundinas in loco conſueto. Quærit hic *Azorius inſtit. mor. lib. 10. c. 9. verſ. tertio quæritur*, an in tali cambio interueniat aliqua vſura expreſſa, vel ſaltem ſpecies vſuræ, & concludit affirmantèr. Pro ſolutione.

2 Aduerte cum *Turri de cambijs diſp. 1. quæſt. 5. num. 20.* cambium nundinale dici cambium regulare, eo quia cambia, quæ in ferijs, ſeu pro ferijs celebrantur ſunt tanquam regula, & forma aliorum cambiorum; non nundinale verò dicitur irregulare, quatenus in ſe ipſo nullam habet certam regulā, aut rationem habere poteſt, niſi habito reſpectu ad regularia, a quibus æqualitatem iuſtitiæ deſumit. Rurſus aduerte, vel quæſitum procedere attenta præcisè natura contractus ſecundum ſe, vel attento aliquo lucro ceſſante; quatenus, ſi non ſic cambiret, paratam haberet occaſionem alium contractum ineundi ad nundinas, quem, ſi celebraret, illud lucrum nundinale acquireret.

Cambiū nundinale dicitur regulare, non nundinale irregulare, & quare.

3 Tandem, vel, vbi cambium ex conuentione ſoluendum eſt, ſi non taxaretur pretium habito reſpectu ad nundinas, eſt determinatè taxatum, vel probabilitèr creditur minoris habiturum, vel maioris, vel incertum ità vt poſſit eſſe maius, vel minus cum æquali ſpe, vel periculo. His poſitis.

Diuerſis ſtatus ſecundùm, quos poteſt intelligi quæſitum.

4 Reſpondeo primo, ſi quæſitum procedat attento aliquo lucro ceſſante iuxta modum expoſitum, nullam in tali conuentione intercedere realem vſuram, nec vſuræ ſpeciem. Eſt conformis ijs, quæ ſupra ſparſim diximus; nam compenſatio lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis iuſtè conuenitur, & exigitur etiam in contractu mutui interuenientibus debitis conditionibus, de quibus ſuprà, ad proportionē quantitatis lucri, quod ceſſat, ſeu damni, quod emergit, ergò etiam licitè poteſt fieri conuentio de compenſatione lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis in cambio ad quantitatem eiuſdem lucri, ſeu damni, ſi illud lucrum verè ceſſet, ſeu damnum emergat, prout ex hypotheſi reſponſionis clarè deducitur in hoc caſu euenire.

Compenſatio lucri ceſſantis etiàm in mutuo licitè exigitur.

5 Reſpondeo ſecundo, ſi lucrum in loco deſtinatæ ſolutionis ſit incertum, adeò vt poſſit eſſe æqualis ſpes augmēti ſupra conuentum, & æquale periculum quoad decrementum, conuentio illa de lucro habito reſpectu ad lucra nundinarum non eſt illicita, nec vſuraria. Ità, licet non expreſsè ſentire videtur, *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 10. cap. 9. quæſt. 3. verſ. deindè etiam ſi æqua*, quem commendare videtur *Turri de Cambijs diſp. 3. quæſt. 13. n. 43. verſ. dum verò* licet poſtea aſſerat, hanc doctrinam vix applicabilem eſſe praxi cambiorum. Probatur reſponſio. In contractibus, in quibus æqualitèr eſſe poteſt fortunæ alea pro incremento, vel decremento, poteſt eſſe taxatio de determinato pretio, quod non excedat æqualitatem eorundem contractuum ſecundum ſe; ſed pretium ſecundum, quod cambia ſoluuntur in nundinis non excedit æqualitatem eorundem ſecundum ſe, ergò &c. Minor probatur, quia pretia in nundinis taxantur ſecundum communem æſtimationem ex vſu fori, ſecundum circumſtantias copiæ, vel inopiæ pecuniarum dantiū, & recipientium ad cambium, vt alibi fusè

In tali cōtractu ſe exponit fortunæ alex.

Digitized by Google

fuſè diximus; communis autem æſtimatio ſecundum has circunſtantias cõſtituit ęqualitatem; Neque dicas, illam communem æſtimationem valere pro pretio cambiorum nundinalium, in quibus interueniunt illæ circunſtantiæ, non ſic pro pretio non nundinaliũ, in quibus illæ non intercedunt; contrà enim impugnaberis, quia, vbi non eſt taxatum certum, & determinatum pretium, nõ eſt incongruum illud pretium, quod in ſimilibus taxatum eſt, &c., cum poſſint interuenire plures circunſtantiæ augentes illud pretium, vel minores illud diminuentes, adeò vt æqua ſit ſpes augmenti, vel periculum decrementi, non eſt abs re, ſi contrahentes illi ſe accomodent. Confirmatur, quia ex prænotatis cambia irregularia nullam habent certam regulam, aut rationem, niſi habito reſpectu ad regularia, a quibus æqualitatem iuſtitiæ deſumunt, vt ex Turri ſupra notauimus, ergo non erunt illicita, ſi regulentur iuxta pretium regularium.

Cambia irregularia deſumunt regulam à regularibus.

Dices primò, prohibita ſunt cambia, quæ extenduntur vltrà primas nundinas, ſeù vltrà primos terminos, vbi nundinæ non celebrantur iuxta receptum locorum vſum per Conſtitutione Pij V. ſuprà allegatam, ibi, *nec cambia realia alitèr, quàm pro primis nundinis, vbi illæ celebrantur, vbi verò non celebrantur, pro primis terminis &c.*, & rurſus *curandum autem erit in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum in quibus ſolutio deſtinatur &c.* ergò in primis, ſi locus, in quo eſt pecunia ſoluenda non tàm longè abeſt, quàm locus, vbi primæ nundinæ celebrantur, non poterit tantum lucri exigi, quantum ex cambio pro primis nundinis. Deindè, cum conuentio in hac hypotheſi ſit ad tres menſes ad ſoluendam pecuniã nulla habita ratione vicinitatis, ſeù longinquitatis loci, in quo facienda eſt ſolutio, videtur expreſsè contrauenire eidem Pianæ conſtitutioni; Sed contrà; reſpondeo primò, prohiberi in allegata conſtitutione celebrari cambia realia vltra primas nundinas, vel vltrà terminos primos ad finem maius lucrum acquirendi ratione protractionis temporis, eo quia illa protractio temporis inducit tacitum quoddam mutuum *Sotus dict. insl., & iu. lib. 6. quæſt. 8. art. 2. verſus finem, Turri de Cambijs diſp. 1. quæſt. 31. num. 6.* in mutuo autem aliquòd exigere vltrà ſortem ratione temporis vſura eſt *Leſſius de iuſt., & iu. lib. 2. cap. 22. num. 54., & alij communitèr*; non autem quandò ceſſat finis maioris lucri acquirendi, vndè diximus *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs I. Prænot. 6. num. 6.* non prohiberi cambia realia vltrà primas nundinas, quandò non paciſcitur de maiori lucro proptèr moram, cum autem in noſtro caſu non ſupponatur exigi maius lucrum ex protractione temporis, ſed computata præcisè ſpe maioris lucri cum periculo minoris, & illud tempus præcisè concedi in fauorem campſuarij, non eſt, cur hic caſus intelligatur compræhenſus in præfata prohibitione. Contra ſecundo, quia idem Pius V. conceſſit Mercatoribus Bononienſibus tres integros menſes poſt pręſentationem literarum cambij ad eaſdem perſoluendas, ergo iuſtè poterunt conuenire contrahentes, vt non à die præſentationis literarum, ſed a die, qua ipſæ literæ dantur, & celebratur primus contractus, ad tres menſes earundem ſolutio fiat.

Prohibẽtur cambia vltra primas nundinas ad finem dũtaxat maioris lucri.

Pius V. conceſſit Mercatoribus Bononienſibus tres menſes poſt præſentationem literarum.

Dices ſecundo, ſi quis vendat ſuum 6
triticum in aliquo loco ad proportionem pretij, quo in alio loco, vbi frequens eſt eiuſdem negotiatio, venditur, iniquè vendit eo quia æſtimatio rerum venalium ſumenda eſt iuxta vſum fori in loco, in quo venditur, ergo etiam qui cambit pro vno loco ſeruando ſibi ius ad pretium, quo in nundinis cambiri ſolet, iniquè id peraget. Sed contra non video, cur non poſſit taxari pretium tritici ad proportionem æſtimationis, quam habebit in alio loco, vbi eſt frequentior eiuſdem negotiatio, quandò venditio ſubeſſe poteſt æquali ſpei maioris lucri, & periculo minoris, vt ſupponitur fieri in caſu cambij, de quo nos hic loquimur. Deindè poteſt eſſe diſpar ratio, quia adæquatum fundamentum exigendi lucrum ex cambio prouenit, vel ex motiuo virtualis traiectionis, vel diuerſæ æſtimationis, quam habet pecunia in loco, in quo facienda eſt ſolutio, quæ virtualis traiectio cum in communi ęſtimatione pro æquali, vel ſaltem pro modicum diuerſo habeatur, ſiue ſit pro vno, ſiuè pro alio modicum diſtanti pro eodem pretio videtur congruè compenſari; hoc autem fundamentum militare non poteſt in venditione frumenti; in qua, cum non ſit nec formalis, nec virtualis traiectio, non conſurgit ius exigendi pretium, quod habet in loco, in quo nec formalitèr, nec æquiualentèr traijcitur. Diuerſa deindè æſtimatio poteſt fauere cambienti, eo quia cambium irregulare iuſtitiam deſumit ad æqualitatem regularis, non venditori, penes

Motiuũ virtualis traiectionis militare non poteſt pro frumento vendito ad pretiũ alterius loci.

quem

quem iuſtitia deſumenda eſt, non in ordine ad alios contractus, ſed ad æqualitatem iuris, quod conſurgit ex contractu in tali loco.

7 Reſpondeo tertiò, ſi pretium cambij in loco deſtinatæ ſolutionis ſit determinatè taxatum, & comparatiuè ad pretium cambiorum nundinalium iuxtà communem æſtimationem probabilitèr credatur minoris debere eſſe, præciſo iure lucri ceſſantis, vel damni emergentis, probabilius eſt, illicitam eſſe talem conuentionẽ de ſolutione ad proportionem pretij cambiorum nundinalium. In hoc ſenſu locutum præciſè exiſtimo *Azorium inſtit. moral. part. 3. lib. 10. cap. 9. quæſt. 3. verſic. deindè*. Probatur primò, ex ijs, quæ dicta ſunt *tomo primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 10. num. 3.* nam mutuare triticum de præſenti, quo moralitèr cognoſcitur minoris valiturum cum onere, vt reſtituatur pro tempore, quo moralitèr attentis circunſtantijs ſcitur pluris valiturum redolet manifeſtè vſuram, ergò etiam cambire pro loco, in quo moralitèr ſcitur pretium cambij minoris habiturum cum onere, vt pretium eiuſdem perſoluatur ad proportionem pretij in nundinis, in quibus moralitèr ſcitur pluris valiturum, iniuſtitiam præfert, & vſurariam prauitatem. Conſequentia probatur, quià in caſu antecedentis intercedit vſura, quià exigitur aliquid ſaltem in ſpe ſupra ſortem, ſed hæc eadem ratio militat in caſu conſequentiæ, ergò &c. Confirmatur, quià illa ſpes maioris lucri, cum ſit proxima, & probabilitèr reducibilis ad effectum, eſt ſecundùm ſe pretio æſtimabilis, prout docui *tomo primo ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. in Diſquiſ. 1. §. 1.* ergò; ſi de lucro ratione ipſius conueniatur, quòd lucrum probabilitèr credatur excedere cõſuetum ſtipendium, erit contrà æqualitatem debitam naturæ eiuſdem contractus, adeòque iniuſtitiam præſeferet.

Spes maioris lucri eſt ſecundùm ſe pretio æſtimabilis.

Dices ex dictis ſuperiùs, cambia irregularia deſumunt iuſtitiam ad æqualitatem regularium, ergò, quamuis in regularibus ſit maior ſpes lucri, ſeù ſpes maioris lucri, nihilominùs poterit in irregularibus, cuiuſmodi eſt illud, de quo nos loquimur, de eodem pretio conueniri, illudque exigi, quòd exigi poteſt, & exigitur in regularibus. Sed contrà, cambia irregularia deſumunt quidem iuſtitiam à regularibus in ijs, in quibus nihil ſtatutum eſt, vel ex vſu fori, vel per ſtatuta municipalia, vel per partium conuentiones non repugnantes naturæ contractus, cum autem in irregularibus quoad pretium eorundem communitèr ſtetur ſtatutis municipalibus, vel regionum conſuetudinibus, iuxtà quas tale pretium taxatur, non eſt, cur ſit ad regularia recurrendum.

Cambia irregularia deſumunt iuſtitiam à regularibus in ijs, in quibus nihil ſtatutum eſt.

§. VI.

Quomodò in cambio cohæreat locatio cum translatione dominij in recipientem pecunias.

SVMMARIVM.

Ratio dubitandi in ſuis terminis. 1.
Locatio ex ſuis intrinſecis principijs importat ſolummodò conceſſionem ad vſum. 2.
Exponitur ſenſus intentus à Turri. 3.
Cambium non eſt formalitèr locatio, ſed importat ſolùm locationem. 4.
Stante tranſlatione pecuniæ traditæ in recipientem adhuc ſaluatur naturæ locationis ratione alteriùs contractus virtualitèr annexi. 5.
Diſſoluuntur omnia argumenta, quæ proponuntur à Turri. 6.
Id, quòd locatur, non eſt pecunia, ſed perſona recipientis. 7.

Diſquiſitio VI. Tradidit Seius centum numos aureos titulo Cambij Sempronio reſtituendos Romæ, idem Sempronius exigit ab eodem Seio pretium cambij, quòd iuſtè exigere poſſe ſupra tradidimus. Hoc pretium præcisè iuſtificatur per ea, quæ docuimus *ſub hoc eodem tit. Contractus I. de Cambijs II. Prænot. I.* ex virtuali tranſlatione pecuniæ, quàm præſtat Sempronius in fauorem Seij, & conſentiunt *Conradus de Contractibus quæſt. 99. concl. 4., & concl. 11. reg. 4., Medina de vſuris quæſt. 4. de Cambijs, Sotus lib. 6. de iuſt., & iu. quæſt. 10. art. 1., Caietanus in opuſc. de Cambijs cap. 1. num. 6., Gabriel. in 4. diſt. 115. quæſt. 11. art. 3. dub. 12.*, quæ tranſportatio per ea, quę dicta ſunt *ſub eodem tit. Contractus I. de Cambijs II. eadem Prænot. I.* importat locationem, cum autem locatio ex ſuis intrinſecis principijs importet ſolummodò conceſſionem ad vſum, non tranſlationem dominij rei locatæ, & cambium è contrà importet talem dominij tranſlationem, hinc oritur controuerſia, quomodò talis tranſlatio dominij, quæ importatur per cam- 1

2 Locatio importat ſolum cõceſſionem ad vſum.

bium, cohæreat cum ſola vſus conceſſione, quæ importatur per locationem.

3 Proponit hanc difficultatem *Turri de Cambijs diſp. 1. quæſt. 8.*, quàm multis proſequitur pro vtraque parte diſputans. Tandem multis aſſignatis, in quibus cambium cum locatione conuenit, aſſignat fundamentale diſcrimen, quòd intercedit inter vtrumque, ſitum in translatione dominij in vno, & non in altero, ratione cuius aſſerit cambium nullo modo eſſe locationem, & per hæc intendit impetere *Molinam de contractibus diſp. 404. num. 1. verſic. ad rationem, Leſſium de iuſt., & iu. lib. 2. cap. 23. dub. 2. num. 28., & quotquot ſuſtinent in cambio interuenire locationem*. Nihilominùs pro ſolutione.

4 Aduerte, aliud eſſe cambium ipſum eſſe formalitèr locationem, aliud eandem locationem ſimul importare, ſi cambium eſſet ſimplicitèr, & formalitèr locatio, certè non importaret translationem dominij rei locatæ contra ea, quæ communitèr ſuſtinent de natura cambij, quotquot ſcripſerint de eodem, vndè ex hoc non incongruè deduceret Turri cambium ipſum non eſſe locationem, ſi verò cambium importaret ſimul locationem, non video, cur poſſit eſſe difficultas, quin poſſit quoad vnum importare eandem dominij translationem, in quo eſt cambium, & non quoad alterum, in quo eſt ſimplicitèr locatio, vndè aduertere debuiſſet Turri, quòd Doctores ſuſtinentes lucrum in cambio exigi ratione virtualis traiectionis, prout nos ſupra ſtatuimus, duplicem in cambio contractum virtualitèr diſtinguere, alterum permutationis pecuniæ pro pecunia, modo, quo ſupra, quàm permutationem aliqui reducunt ad contractum emptionis, & venditionis, alterum, quo recipiens priùs pecunias in cambio obligat ſe ipſum ad præſtandum obſequium traiectionis in fauorem priùs ſoluentis, ſeù dantis ad cambium, in primo certè eſt translatio dominij pecuniæ, quæ primò ſoluitur, in eum, qui primò recipit, & ſub hac conſideratione non eſt locatio, in ſecundò, cum aliud non locetur, quam perſona ipſa recipiens, quæ ſe obligat ad obſequium illud traiectionis præſtandum, non eſt cum translatione alicuius dominij, adeòque non egreditur a ratione formali locationis, locatio enim nihil aliud eſt, niſi perſonæ, vel rei ad vſum facta conceſſio certa mercede in pecunia numerata conſtituta *Azor. in ſumma C. locat., & conduct.*

Non eſt formalitèr locatio, ſed coniūgitur cum locatione

In cambio locali duplex cōtractus virtualitèr coniūgitur.

& alij, quos refert, & ſequitur, Alber. in rub. de loc., & cond., neque eſt aliqua repugnantia, quin poſſint duo contractus virtualitèr in vnum coaleſcere. Quibus ſuppoſitis.

Reſpondeo, ſtante illa translatione dominij pecuniæ traditæ facta in recipientem adhuc ſaluari naturam locationis ratione alteriùs contractus virtualitèr annexi contractui permutationis *Gabriel. in 4. diſt. 115. quæſt. 11. art. 3. dub. 12, Leſſius de iuſt., & iur. lib. 2. cap. 23. dub. 1. num. 4. verſic. 3., Molina de Contractibus diſp. 403. num. 6.*, & in hoc ſenſu arbitror intelligendos quotquot ſuſtinent ratione virtualis traiectionis exigi cambiorum pretium aduerſus Turrim, qui non diſtinguens inter vtrumque hunc contractum abſolutè negat in contractu cambij locationem adeſſe, quinimmò eo vſque deuenit, vt inuehens contra Leſſium dixerit non ſanè ſentiens de Theologis in hac materia, non eiſdem, ſed Iuriſconſultis potiùs in hoc cambiorum genere ſtandum eſſe, & eorundem ſubtilitates aptiores potiùs Metaphyſicis eſſe, quàm contractibus; Sed pace tanti viri ipſum aduerterem, Theologos normam præbuiſſe contractibus præcipuè cambialibus, de quibus iura ciuilia nihil diſpoſuerunt, a quibus potiùs regula, quàm ab alijs deſumenda in ijs, quæ dubij iuris ſunt; Sed quidquid ſit de ijs, viderint, qui rectius ſentiunt, quorum rationes efficaciores ſit Theologorum ne, an Iuriſtarum ad inclinandum animos ad prudentiorem ſenſum. Non enim Theologorum partes ſuſtinere hic mei muneris eſt, nec ab aliorum impetitionibus illos vindicare, ſed veritatem præcisè, & iuſtitiam, quantum imbecillitas mihi ſuppetit, indagare. Videamus iam, an, quæ dixerim, ſubſiſtant. Contractus cambialis localis, qua cambialis eſt importat permutationem pecuniæ pro pecunia, quæ permutatio ex dictis *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs 1. Prænot. 1. num. 3.* dicit translationem dominij in recipientem, quòd ità verum eſt, vt per traditionem præcisè ex vna tantum parte factam etiàm ante reſtitutionem ex altera parte dominiū intelligatur perfectè translatum iuxtà textum *in leg. cum precibus C. de rerum permut.*, qua verò localis eſt, importat onus in recipiente reſtitutionis in alio loco in fauorem, & gratiam priùs ſoluentis, ad quòd ipſe recipiens ſe obligat. Quid autem aliud eſt ſe obligare ad reſtitutionem in alio loco, niſi ſe ipſum

Turri arguit Theologos imperitiæ, ſed immerito.

Cambiū, qua locale eſt importat onus in recipiente transferendi pecuniā in alio loco.

5

ipſum locarę in ordine ad talia opera,
& obſequia in fauorem eiuſdem priùs
ſoluentis? Quibus poſitis, diſtinguat
terminos Turri, & dicat id, quod lo-
catur, non eſſe pecuniam traditam re-
cipienti, cum re vera ipſius transfera-
tur dominium in eundem recipientem,
ſed eſſe eiuſdem perſonam recipientis,
qui ſe obligat ad talia munera in fauo-
rem tradentis facta conuentione intui-
tu eorundem de certa, & determinata
mercede, quod eſt propriè locatio iux-
ta terminos definitionis traditæ per
Azotum, quam non impugnat idem
Turri.

6 Ex quibus corruunt ea omnia, quæ
ex falſo ſuppoſito congerebat ipſe Tur-
ri, & primo corruit illud, quo aſſere-
bat locationem debere eſſe præcisè cũ
conceſſione vſus rei, non cum transla-
tione dominij, prout contingit in cam-
bio; corruit, inquam, quia id, quod
locatur in hac hypotheſi, non eſt ipſa
pecunia tradita, ſed eſt perſona reci-
pientis obligantis ſua opera, vt ſupra.
Corruit ſecundo id, quod ſubinfere-
7 bat, nempe eiuſdem rei dominium pe-
nes duos eſſe non poſſe iuxta textum *in
l. ſi vt certo loco §. ſi duobus ff. commod.
l. Mænius 66. duorum ff. de leg. 2.* nec ſta-
re poſſe in pendenti *l. ſi ego ff. de negot.
geſt.*, *Rota apud Cencium de cenſibus de-
ciſ. 160. num.* 4., & proindè, cum domi-
niũ pecuniæ traditę ſupponatur trans-
latum in recipientem, non poſſe parere
locationem; corruit, inquam, propter
rationem mox adductam, quia locatio
non cadit ſupra rem ipſam receptam,
ſed ſupra perſonam recipientis. Hinc
deducat Turri, an cautè monuerit Le-
ctores, vt cautè admodũ legant Theo-
logos, dum de contractibus agunt,
nec eis admodum fidendum; deducat,
inquam, an rectè ſic monuerit, dum
ipſe iuriſconſultus ſenſum ipſorum ſa-
niſſimum vix potuit attingere, & ſini-
ſtrè intelligens in eo ſenſu impugnauit,
in quo non ſunt locuti. Monerem po-
tius ipſum, vt cautius procederet ver-
ſus Theologos, qui altiori veritatis in-
nixi indagine certiores regulas pręſcri-
bunt, quibus, qui diriguntur, inoffenſo
pede percurrunt. Certè iura æquitati
naturali innituntur, cuius magis con-
ſcius Theologus, quam Iuriſta ſuppo-
nitur, nam hic ſolum iuris ordinem
calet, non tamen cauſas, ex quibus
procedit.

Id, quod locatur, eſt perſona recipientis.

§. VII.

An diſtantia localis requiratur formalitèr in cambio, an ſufficiat æquiualentèr.

SVMMARIVM.

Senſus difficultatis in ſuis terminis. 1.
Rationes dubitandi. 2.
Æquiualens diſtantia non poteſt iuſtificare contractum ad illud pretium, quo iuſtificatur cum diſtantia formali. 3.
Non valet argumentum à cambijs recurſæ, & quare. 4.
Non eſt aſſignabile fundamentum, in quo conſiſtat illa æquiualentia. 5.
Satisfit rationibus dubitandi. 6.

DIſquiſitio VII. Seius numerat hic 1
Mediolani centum nummos au-
reos Caio cum onere tantundem reſti-
tuendi Romæ, ſecundum quod exigit
æquálitas contractus cambialis atten-
ta diſtantia locali, & temporis inter-
capedine ad ipſum requiſita, eo tamen
animo, & conuentione ex vtriuſque
contrahentis cõſenſu firmata, vt Caius
mutato onere ſoluendi Romæ tantun-
dem Mediolani reſtituat poſt lapſum
temporis requiſiti ad literas Romam
mittendas, & tranſmittendas Mediola-
num, quantum exigeretur, ſi Romæ
fieret ſolutio. Hic iam quæritur, an
iuſtè, & licitè ex vi talis conuentionis
poſſit illud exigi hic Mediolani, quod
exigi poſſet Romæ, ſi ibi fieret ſolutio
iuxtà exigentiam, & naturam cambij
localis.

Ratio dubitandi ex eo conſurgit; 2
quod, cum æquipollentium eadem ſit
diſciplina, idem quoque videtur eſſe
iudicium, *Gloſa in l. 3. C. de inſtit., &
ſubſtit., Bartolus in auth. quod locum n. 14.
C. ſi ſec. nupt. mul., & in l. fin. C. de do-
nat.*, &, cum habeamus per illam æqui-
ualentem diſtantiam eundem effectũ,
quem habere poſſumus per diſtantiam
localem, parum debemus curare de
modo, quo habetur talis effectus *l. fidei-
commiſſa* 11. *§. ſi cui, & ibi Gloſa verb.
non videbitur ff. de leg. 3. ſi ità eſſet, &
ibi Gloſ.* 1. *ff. quandò dies leg. ced. l. Gal-
lus §., & quid ſi tantum ff. de lib., & poſth.*
Cõfirmatur ex ijs, quę dicta ſunt *ſub hoc
codẽ tit. Contractus V. de Cambijs II. Præ-
not.* 5., nempè ſicuti per ſolutionem vir-
tualem poſſe compleri licitè, & legiti-
mè cõtractum cambij, item per virtua-

Caſus propoſitus in terminis particularibus.

lem tranſportationem, ſeu operam æquiualentem per ea; quæ ſupra diximus, & per ea, quæ docent, *Gabriel in 4. diſt. 13. quæſt. 11. art. 3. dub. 12.*, *Conradus de Contractibus quæſt. 99.*, *Caietanus de Cambijs cap. 1., & 6.*, *Sotus lib. 6. de iuſtitia quæſt. 10. art. primo*, *Nauarrus cap. 17. num. 289., & cap. fin. de vſuris n. 21.*, *Rodericus 3. de redit. quæſt. 5. num. 17.*, *Bannes ſecunda ſecundæ tom. 2. in tract. de cambijs dub. 5.*, ergo etiam per diſtantiam æquiualentem formali poteſt conſtitui cambium, & exigi illud pretium, quod iuſtè exigeretur, ſi eſſet conſtitutum cum diſtantia locali. Conſequentia probatur, quia non minus eſt de ſubſtantia contractus cambialis localis ſolutio, & traiectio, ac ſit diſtantia localis, ergo ſi poteſt ſubſiſtere contractus per ſolam ſolutionem virtualem, & traiectionem æquiualentem, & per eandem exigi idem pretium, poterit etiam ſubſiſtere, & exigi idem precium per diſtantiam æquiualentem. Nihilominus.

Diſtantia æquiualés efficit id, quod formalis.

3 Reſpondeo per illam æquiualentem diſtantiam non iuſtè celebrari illum contractũ pretio correſpondente cambio locali cum diſtantiá formali, *Turri de Cambijs diſp. 1. quæſt. 30. nu. 9.* Probatur primò, quia ex diſpoſitione iuris in præallegata Conſtitutione Pij V. prohibentur tanquam cambia ſicca, *quæ ità conficiuntur*, ſunt verba eiuſdem Conſtitutionis, *vt contrahentes ad certas nundinas, ſeu ad alia loca cambia celebrare ſimulent, ad quæ loca ij, qui pecuniam recipiunt, literas quidem ſuas cambij dant, ſed non mittuntur, vel ità mittuntur, vt tranſacto tempore, vndè proceſſerant, inanes referantur, aut etiam nullis huiuſmodi literis traditis pecunia ibi denique cum intereſſe repoſcitur, vbi contractus fuerat celebratus*, rationemque adducit Pontifex, *nam inter dantes, & accipientes vſque à principio ità conuenerant, vel certè talis intentio erat, neque quiſquam eſt, qui aut in nundinis, aut locis ſupradictis huiuſmodi literis receptis ſolutionem faciat &c.* ergo a fortiori tanquam ſiccum erit prohibitum cambium, quo expreſsè conuenitur, vt ſine literis, ſine eo, ad quem dirigũtur, ſeu eas recipiat, ſolutio fieri debeat cum intereſſe in loco celebrati contractus, prout in caſu noſtro.

4 Dices primo, in cambijs recurſæ literæ ita diriguntur ad locum deſtinatæ ſolutionis, vt tamen ex conuentione partium ſolutio formalis, & vltimata non fieri debeat illic, ſed in loco celebrati contractus, & tamen nullus eſt, qui damnet, vt ſicca, & vt prohibita per Pium V. illa cambia, quæ ſic celebrantur, ergo neque, vt ſiccum, & prohibitum cenſeri debet illud, de quo nos loquimur, cum non minus in illis, ac in hoc ſit conuentio de ſolutione facienda in loco celebrati contractus. Sed contra; diſpar omninò eſt ratio, quia in illis ſolutio verè, & realitèr ſit in loco deſtinato, ad quem literæ diriguntur, & illic primus contractus diſſoluitur, & nouus celebratur, vi cuius nouæ literæ diriguntur perſoluendæ in loco, quo primus contractus fuerat celebratus; in iſto verò non deſtinatur ſolutio Romæ, nec Romæ contractus diſſoluitur, ſed diſſoluitur in loco ex conuentione, in quo fuit celebratus, quod eſt contra expreſſam mentem Pontificis; vndè in primo caſu duplex interuenit contractus, alter, qui celebratur hic, & ibi diſſoluitur, alter qui celebratur ibi, & diſſoluitur hic per nouam literarum tranſmiſſionem, quod non prohibuit Pontifex, in ſecundo autẽ vnus tantum ſit contractus, qui hic celebratur, & diſſoluitur ſine miſſione primarum, & ſine remiſſione ſecundarum literarum.

Diſcrimẽ, quod interceclit inter cambium recurſæ, & illud, de quo loquimur.

Dices ſecundò, literæ ipſæ non ſunt de ſubſtantia contractus cambialis, vndè diximus ſupra, poſſe ſuppleri, vel per nuntium, vel perſonalitèr per ipſum, qui pecunias recepit; cur ergo fingere non poſſumus, cum tanta aſſignetur diſtantia temporis, quanta ſufficit ad dirigendas primas, & remittendas ſecundas literas, quod virtualitèr ipſe debitor ſe ad locum deſtinatę ſolutionis transferat, ibique virtualitèr operetur, quod operaretur formalitèr per literas, & virtualitèr rediens id præſtet, quod per ſecundas literas, ſi ad ipſum dirigerentur præſtaret? Sed contrà, fateor literas ipſas non eſſe de ſubſtantia contractus cambialis, ſed ſupplebiles eſſe per quid æquiualens, puta per nũtium, vel per ipſam perſonam recipientis, vt aſſerebatur in inſtantia, nego autem, ea poſſe virtualitèr præſtari per ſe ipſum modo, quo in eadem inſtantia aſſeritur. Ratio manifeſta hæc eſt, quia, cum ità conuenerint à principio de ſolutione abſolutè facienda in loco celebrati contractus, quidquid dicitur de illa virtuali tendentia, & reditu virtuali debitoris omninò fictitium eſt, & ſimulatum; neque enim illa virtualis tendentia, & reditus in alio fundari poteſt, quam in ſola temporis dilatione correſpondente tempori tendentiæ, & reditus, quod certè non ſuffi-

Literæ non ſunt de ſubſtãtia contractus cambialis.

Virtualis tendentia, & reditus nequeunt fundari, niſi in ſola temporis dilatione.

ſufficit ad iuſtificandum contractum, cum tempus præcisè interiectum non æquiualeat oneribus traiectionis virtualis, ob quæ pretia cambiorum deſumuntur. Cæterum, ſi hæc figmenta apta eſſent ſecundum ſe ad iuſtificanda lucra contractuum, actum eſſet abſolutè de vſuris, cum vnuſquiſque ità conueniret ſimulata illa tendentia, & reditu; & licet in contractibus a iure quandoque admittantur aliqua figmenta *l. 3. §. à contrario, & ibi Doctores communitèr ff. de acquir. poſseſs. l. lege cornelia ff. de teſtam. l. Gallus §. videndum ff. de liberis, & poſth. l. ſi ibi §. cum ſeruus ff. de leg. 1. l. filio quem Pater ff. de lib., & poſth.* hæc tamen inducuntur à iure, nec poſſunt induci per priuatam auctoritatem contrahentium; vndè *Menochius de præſumpt. lib. 1. quæſt. 8. num. 18.* dixit quod fictio, quæ in contractibus admittitur, eſt ipſamet legis diſpoſitio. Dici deindè poteſt figmenta aliqua admitti in iure, quando ab eodem iure expreſsè non prohibentur, in hypotheſi autem noſtra ſimulationes illę per præfatam Pij V. conſtitutionem manifeſtè comperiuntur prohibitæ, adeòque &c.

Figmentum, de quo loquimur expreſsè eſt prohibitū

Probatur ſecundò reſponſio. Cambia, quæ ità celebrantur, vt ob ſolam temporis dilationem ſint acquiſitiua lucri, ſunt abſolutè ficta, & tranſeunt abſolutè in naturam mutui vſurarij licèt palliati titulo cambij, ergò abſolutè illicita ſunt, & vſuraria, ſed huiuſmodi eſt illud, de quo nos loquimur in præſenti, ergò &c. Antecedens ex ſe patet, quià nihil aliud eſt cambire ad certum tempus, & ex illo lucrum acquirere, quàm mutuare pro illo tempore, & ratione diſtantiæ temporis conceſſi illud intereſſe ſupra ſortem exigere, quòd manifeſtam redolet vſuram. Subſumpta minor probatur, quià, cum inter contrahentes conuentio ſit, quòd reſtitutio pecuniæ fiat in loco, in quo eſt accepta poſt tempus illud correſpondens tempori, quo literæ poſſent dirigi, & reuerti nullo alio adiectio onere, in quo poſſit fundari virtualis traiectio, & ſolutio, idem eſt in re, ac ſi tradens illam pecuniam eandem mutuaret ad illud tempus conuentum, vndè illæ ſimulationes ſunt ambages contra iuris diſpoſitionem ad decipiendum, non ad cohoneſtandum contractum ſecundùm ſe illicitum.

Æquiualet mutuo & ob ſolū tempus lucrum exigitur.

Probatur tertiò, quià diſtantia localis eſt de ſubſtantia cambij localis *Dom. de Sancto Geminiano cap. quanquàm ad fin., Paulo ante num. 6. de vſuris in 6., Bartolus in leg. prolatam num. 5. ff. de ſent., & interloc. omn. Iud., Baldus in leg. pacta conuenta in princ. ff. de contr. empt., Mantica de tac., & ambig. conuent. lib. 8. tit. 4. num. 20.,* ſed contra ea, quæ ſunt de ſubſtantia contractus, priuatæ conuentiones, & pacta non admittuntur *leg. cum præſenti ff. de præc. leg. 1. in princip. ff. eodem tit., Bartolus in leg. 2. ff. de vſuf. ear. rer., quæ vſu conſum., Baldus cap. 1. §. & quid num. 20. qui feud. dar. poſ., Alciatus in leg. cum quid num. 1. ff. ſi cert. pet., Iaſon. in leg. ſi fundum num. 4. ff. ſolut. Matrim., Alexander in leg. penul. num. 22. C. de pactis,* nec per hominum fictiones poteſt recedi ab eis, quæ à iure ſunt introducta *leg. ſi forte ff. de diſtr. pecul., Aretinus in leg. ſi ità ſtipulatus fuero ff. de verb. oblig., Socinus in leg. cum auus num. 72. ff. de condit., & demonſt.,* & quamuis natura æquipollentium videatur inducere idem ius, fallit tamen in ijs actibus, in quibus eſt præſcripta certa, & determinata forma formalitèr, vt in caſu noſtro, quæ adimpleri nequit per æquipollens *leg. qui hæredi ff. de condit., & demonſtr., Bartolus in leg. Gallus §. quid ſi tantum ff. de lib., & poſtub.,* ergò &c.

Probatur quartò, quià etiàm ſi daremus, diſtantiam localem poſſe ſuppleri per quid æquipollens, deberet 5
aſſignari, in quo fundetur talis æquipollentia, ſicuti aſſignatur in traiectione virtuali, & in virtuali ſolutione in caſu cambij recurſæ, prout ſupra, traiectio etenim virtualis fundatur in directione literarum, & pecunia campſoris exiſtente in loco deſtinatæ ſolutionis, & virtualis illa ſolutio, quæ fit per reſpondentem in cambio recurſę, fundatur in illo onere, quòd aſſumit ipſe reſpondens ſe conſtituendo debitorem pro datore literarum, quòd onus æquiualet ex diſpoſitione iuris ipſi actuali ſolutioni, non etenim ſolutio exigit ſimplicitèr fieri per numeratam pecuniam, ſed poteſt fieri per compenſationem, ceſſionem nominis debitoris, nouationem, & delegationem, ſeù per quemcunque actum, quo tollitur obligatio *leg. ſolutionis 54. ff. de obligat. leg. ampliùs ff. rem rat. habere leg. debitor in fin. ff. qui potior in pign. hab., Bartolus in leg. aufertur §. qui compenſationem ff. de iur. fiſc., Iaſon in §. bonæ fidei num. 62. Inſtit. de act.,* ſed non eſt aſſignabile fundamentum, in quo poſſit inniti æquipollentia ad diſtantiam localem, ergò &c. Minor probatur non poteſt aſſignari temporis dilatio, quià, quamuis diſtantia localis requirat temporis dilationem ad ſolutionem faciendam, non

Non eſt, in quo fundetur illa æquiualentia.

Temporis dilatio præſcindit à diſtātia, vel præſentia locali.

Digitized by Google

non tamen illa fundari poteſt in hac quantum ad effectum iuſtificandi contractum, & ſolutionem cum incremento, cum temporis dilatio præſcindat, vel à diſtantia, vel à præſentia locali, & illa præciſè non poſſit parere intereſſe; non item poteſt aſſignari ipſa conuentio, & promiſſio debitoris, eo quià non ſe conſtituit debitorem in loco diſtanti, ſed in eodem loco, in quo ipſe recipit pecuniam, eo modo, quo ſe conſtituit debitorem reſpondens in cambio recurſæ, & ſi quid aliud præſtat omninò aereum eſt, & ſimulatum.

Ad rationes dubitandi iam reſpondendum eſſet, ſed ex dictis patet reſponſio, & quidem ad primam non ſufficere æquipollentiam, vbi per diſpoſitionem iuris requiritur determinata forma, & excluditur alius modus à tali forma, vt euenit in caſu noſtro iuxtà iura ſuperiùs allegata, & expreſſam Conſtitutionem Pij V. Deindè in ſola temporis dilatione non ſtat æquipollentia. Ad ſecundam ſufficit in aſſignatis caſibus æquipollentia illa, tùm quià aſſignatur fundamentum realis æquipollentiæ, vt ſupra, tùm quià in illis non eſt expreſſa prohibitio æquipollentium, hic autem nec aſſignabile eſt fundamentum realis æquipollentiæ, & expreſſa eſt prohibitio eiuſdem, adeòque &c. Accedit pro complemento, quòd præcipuus finis mentis Pontificis prohibentis, vt patet ex terminis Conſtitutionis, fuit auferendi occaſiones fraudium, & fœnoris ex ſola temporum dilatione, qui propterea voluit, vt non extenderetur ſolutio vltrà primas nundinas, & proximiores terminos cum maiori fœnore. In allegatis autem prioribus caſibus non poteſt eſſe præſumptio, quòd exigatur pretium tanquàm fœnus ex temporum extenſione, cum ſolutio fiat intrà terminos à iure præſcriptos per reſpondentem ſe conſtituentem debitorem, vndè, ſi remittantur literæ, non eſt ex vi primi contractus, ſed alterius, qui de nouo celebratur. In caſu autem, de quo hic loquimur, nedum eſt præſumptio, quòd id, quòd exigitur fit ob ſolam temporis dilationem, ſed eſt expreſſa conuentio, cum contractus non celebretur pro alio loco, ſed pro eodem, in quo fieri debet etiam ſolutio.

Præcipuus finis intentus à Pontifice in prohibitione.

§§§§§

§. VIII.

An publicus Campſor teneatur facere Cambium ad locum, ad quem petit campſarius, modo petat pro loco, ad quem campſor ſolet dare literas.

SVMMARIVM.

Proponitur ratio dubitandi, & ſenſus. 1.
Senſus Doctorum circà expoſitum dubium. 2.
Non obligatur campſor ad cambiendum pro loco, quo voluerit campſarius indigens. 3.
Satisfit rationibus in contrarium. 4.
Poteſt Campſor habere occaſiones cambiorum potiùs in vno loco, quàm in alio. 5.
Dicta procedunt etiàm, quandò Campſor priùs recipit, vt alibi reſtituat. 6.
Duobus petentibus cambium poteſt Campſor dare, qui petit pro loco maioris lucri. 7.

Diſquiſitio VIII. Indiget Meuius Mediolani exiſtens habere Neapolim mille nummos aureos pro ſuis negotijs obeundis. Cambium inire ſtudet cum publico campſore iuxtà formam præſcriptam in hoc cambiendi genere, & eidem hic Mediolani dictos nummos aureos perſoluere cum taxato pretio, vt onus ille ſubeat eoſdem transferendi Neapolim. Campſor, vel quià minus fortaſſis lucrabitur ineundo cambium pro Neapolim, ac ſi iniret pro alio, vel quià ex alio capite pecuniam ibi congregatam ad tempus maioris lucri intendit aſſeruare, renuit cambium illud celebrare pro Neapolim, quòd tamen celebraret pro alio loco. Quæritur, an teneatur facere cambium iuxtà voluntatem petentis. Procedit difficultas in ſuppoſitione, quòd campſor in loco, pro quo Meuius exigit cambium, habeat pecuniam, & reſpondentes. 1

Exiſtimarunt plurimi apud *Turri de Cambijs diſp. 1. quæſt. 30. num. 1. 2., & 3.* Campſorem obligari ad ineundum contractum iuxtà voluntatem petentis pro loco, quo hic indiget, inter quos *Vega in Epit. verbo cambium caſ. 24. nu. 3., Franciſcus Garz. in tract. contract. cap. 35. num. 5., Mercatus de Cambijs cap. 7., Ludouicus Lopez in tract. de Contract., & negot. lib. 2. de condit., & pret. Cambij cap. 10. in* 2

ſecun-

Digitized by Google

ſecunda conditione verſic. abſit., & Michael Salonius *tract. de Cambijs quaſt. 4. art. 2. controu. 13.* ait apertam eſſe iniuſtitiam nolle dare ad cambium in locum, vbi campſor minùs lucrabitur. Mouentur aliqui, quià qui, aſſumptus fuit ad aliquod publicum officium tenetur ea adimplere, ad quæ obligat officium iuxta voluntatem concurrentium, dummodò hi ſeruent ea, quæ iuxta vſum fori attenta qualitate locorum, alijſque circunſtantijs ſeruanda ſunt; *Vega in Epith. verbo cambium loc. cit.* Mouentur alij, quià cambiorum vſus inductus fuit ad illum finem, vt abſque neceſſitate realis traiectionis conſulatur indigentiæ eius, qui pecunijs eget in alio loco, *Ambroſius de Vignate in cap. ſalubritèr num. 271. de vſuris, Boninſignius tract. de Cambijs cap. 3., Saccia de Cambijs §. 1. quaſt. 7. part. 1. num. 39.*, vndè finis neceſſitatis cambiorum ſe tenet ex parte eius, qui indiget pecunia in alio loco, ergò eatenus cambium erit licitum, quatenus ſecundùm finem, ad quem introductum eſt, fiet in loco, ſeù pro loco, quo petens indiget. Mouentur alij, quià, cum parum referre poſſit, & debeat campſori cambium, vel pro vno, vel pro alio loco celebrare, ſiquidem æquè habere poteſt ad proportionem intereſſe traiectionis, ſiuè ad vnum, ſiuè ad alterum locum cambiet, & multum conferre poſſit, & de facto conferat indigenti pecuniam in vno potiùs loco, quàm in altero habere, ideò potiùs in arbitrium indigentis electio loci, in quo facienda eſt reſtitutio, eſt referenda iuxtà illud, quòd tibi non nocet, & alteri prodeſt de facili concedendum *leg. vlt. ff. de ſeruit. Vrban. prædiorum, Socinus Iunior. conſ. 76. num. 14. lib. 2., Cranetus conſ. 226. num. 3. in fin.*, &, per non conceſſionem contra id, quod humanis moribus inditum eſt, conſurgit noxa, *Gloſ. in leg. generali C. de tabul. lib. 10., Bartolus in leg. ſi poſt diuiſionem C. de iur., & fact. ignor., Curtius Senior conſ. 56. col. 3. verſic. quartò reſpondetur.*

3 Reſpondeo tamen, non obligari campſorem ad cambiendum pro loco, quo voluerit, ſeù maluerit Campſarius indigens, ſed vtrumque contrahentem liberum eſſe ad contrahendum, & non contrahendum, vel ad contrahendum pro vno, vel pro alio loco *Turri de Cambijs diſp. 1. quaſt. 30. num. 12.* Procedit reſponſio in caſu dumtaxat, quo campſor à publico ad id muneris non ſit aſſumptus cum onere cambiendi pro quolibet loco, vt docet *Salas de Cambijs dub. 43. per tot.*, & in hoc ſenſu locutus eſt *Vega loco cit.* Probatur reſponſio, quià contractus, antequàm ineantur, dependent à libera voluntate cuiuſcunque contrahentis, non ſolùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum, dummodò talis modus non ſit difformis naturæ contractus, nec excedat modum naturæ eiuſdem *leg. in commodato §. ſicut ff. commodati leg. ſicut Cod. de action., & oblig.*, ergò nec poterit obligari campſor ad cambiendum pro loco, in quo campſarius indiget.

Liber eſt vterque cõtrahens ad cõtrahendum.

Ad rationes Aduerſariorum iam reſpondendum, & quidem ad primam patet ex dictis non obſtare noſtræ reſponſioni, quæ ſolùm procedit in caſu, quo campſor non ſit obligatus, vel à iure, vel à proprio officio ad cambiendum cum quocunque, & pro quocunque loco. 4

Ad ſecundam fateor principalius inductum fuiſſe vſum contractuum cambialium ob ſubueniendum indigentiæ campſuariorum, ſeù eorum, qui indigent pecunia in alio loco, & ad excludendam neceſſitatem tranſportationis realis, non tamen rectè ſequitur, quòd ex motiuo intento à iure talis ſubuentionis, & excluſionis talis tranſportationis obligetur campſor ad ſubueniendum, ſeù virtualitèr traijciendum, ſi nolit, ſed quòd non renuentibus campſoribus poſſint licitè campſuarij vti tali medio ad ſibi conſulendum, rebuſque ſuis. Hoc euenit etiam in arte mercandi, quæ inducta fuit in beneficium indigentium mercibus, nec propterea poſſunt iſti indigentes obligare mercatores ad ſibi vendendum hoc, vel illo modo, cum minori, vel maiori lucro. Deindè finis ille ſubueniendi indigentibus pro alio loco, & vitandi incommoda realis tranſportationis, non eſt finis adæquatus, ſed tantum inadæquatus, vndè dicitur quaſi per commune proloquium cambia fuiſſe neceſſitate inducta, commoditate adaucta, lucri cupidine propagata, quandò autem finis alios fines ſecum admittit, non ità ex ſe obligat, quià ex alijs finibus ſibi adiectis poſſint contrahentes moueri ad alitèr contrahendum, vel non contrahendum, dummodò ſeruentur regulæ iuſtitiæ, & debitæ æqualitatis.

Cambiũ inductum eſt potiùs ad ſubueniendum indigentię, quàm auiditati campſorum.

Cambia fuerunt neceſſitate inducta, commoditate adaucta, lucri cupidine propagata.

Ad tertiam dicendum eſt, non parum referre poſſe campſori, quòd pecuniam teneatur in vno, vel in altero loco reſtituere, ſiquidem in vno poteſt habere occaſiones paratas ad alia 5

cam-

cambia ineunda, & non in altero, vndè ſibi commodius erit pro vno, quàm pro altero loco cambia celebrare, & ſic in hoc caſu locum non habet legale adagium; Quòd tibi non nocet, & alteri prodeſt de facili concedendum, vt patet ex dictis.

6 Hæc, quæ hactenus diximus circa propoſitum titulum procedunt de campſore priùs recipiente pecuniam in hoc loco, vt alio transferat, ſunt tamen etiam extendenda ad campſorem priùs tradentem pecuniam in hoc loco, vt in alio ſibi reſtituatur, ſicuti enim, antequàm priùs recipiat, liber ſupponitur ad ſe obligandum ad reſtitutionem, vel pro hoc, vel pro illo loco, nec poſſe ex electione campſuarij ad vnum potiùs, quàm ad alterum obligari, ità antequàm tradat non poteſt obligari ad recipiendam reſtitutionem pecuniæ traditæ, ſeù per ſe ipſum ſolutæ, vel in vno, vel in altero loco ad electionem campſuarij, ſed poterit in celebratione contractus iuſtè conuenire, quòd ſibi in determinato loco reſtituatur, quià contractus non ab vnius tantum, ſed ab vtriuſque contrahentis voluntate pendet, nec vnus poteſt ſinè proprio conſenſu ad alterius voluntatis arbitrium trahi.

Contractus depẽdet ab vtriuſque cõtrahentis voluntate.

Ex dictis inferes primò, quàm inconſequentèr loqui videatur, *Salonius in tractatu de Cambijs quaeſt. 4. art. 2. contr. 13.* dicens primò apertam eſſe iniuſtitiam nolle dare ad cambium in loco, vbi campſor minùs lucrabitur, dum immediatè poſteà ſubiungit licitum eſſe campſori dicere. *Ego non compello, nec obligo te*, ſunt verba eiuſdem Salonij, *vt pecuniam meam Hiſpali commutandam recipias, nolo tamen, niſi ad hunc locum tantum, quià ità mihi expedit conferre. Tu quoque vide, quid tibi expediat, ſi in eum locum vis, habeſque ibi pecuniam, vel creditum, benè quidem, ſin minùs, quære ab alio, liberum tibi eſt, certè ità agentem non damnarem.* Accepto dicta Salonij, & confero ſecunda cum primis. Si ſic agentem non damnat quomodò, & quo iure antecedentèr docuit apertam eſſe iniuſtitiam, nolle dare ad cambium in locum, vbi campſor minùs lucrabitur? Si liberum eſt, vtrique pro tali loco contrahere, quomodò intercedit iniuſtitia, ſi alter vtens ſua libertate nolit tali pacto contrahere?

Arguitur idem Salonius incõſequentiæ.

7 Inferes ſecundò, quid dicendum ſit ad illud quæſitum, an duobus ad cambium petentibus poſſit campſor dare ei, qui petit in loco maioris lucri omiſſo eo, qui petit in loco minoris. Si procedat difficultas in hypotheſi, ſecundùm quàm ſupponitur campſor non obligari ex publico officio aſſumpto ad cambiendum cum quocunque, & pro quocunque loco, ex dictis iam patet, vtique poſſe; ſi enim reſpectu vnius petentis pro loco, in quo campſor minùs lucraretur, poteſt pro tali loco non contrahere, cur duobus petentibus pro diuerſis locis non poterit cum vno contrahere pro loco maioris lucri, & non cum altero pro loco minoris? Si verò procedat in ſuppoſitione, quòd campſor ex officio obligetur ad cambiendum cum quocunque, & pro quocunque loco, tunc dicendum eſt, cum vtroque, & pro vtroque loco, quamuis in vno maius, in altero minùs lucrum ſperetur, teneri contrahere, ſi habeat pecuniam pro vtroque, ſi verò non habeat pro vtroque, ſentiendum eſt, licitè poſſe cum eo contrahere, ex quo maius lucrum ſperat omiſſo eo, à quo ratione loci minùs poſſe exigere præſumit. Prima pars ſuadetur ex onere, quòd habet campſor ad cambiendum, quodque ipſum obligat indiferentèr ad omnes, & ex iure, quòd vnuſquiſque à publico acquiſiuit campſorem ipſum obligandi ad cambium. Secunda verò ſic euincitur, quià poſita impotentia ad cambiendum cum vtroque nullus in particulari habet ius, vt præferatur alteri, ergò in libertate erit eiuſdem campſoris, cum quo voluerit, cambire, ſicque omiſſo eo, à quo minùs ſperat, illum eligere, à quo maius.

Procedit ſi pecuniã habeat pro vtroque.

Nullus habet ius vt præferatur alteri.

Inferes tertiò, quid reſpondendum ſit ad illam inſtantiam, qua dicitur, quòd, ſi campſor nolit cambire pro vno loco, in quo quid minùs ſperatur, velit tamen pro alio, in quo quid maius lucrabitur, violentiam quodamodò inferat campſuario, ipſumque cogat ad ſoluendum, vbi minùs commodè poteſt, quod videtur importare onus ſupra debitum iuſtitiæ eo modo, quo importat onus ſupra debitum iuſtitiæ obligare in mutuo mutuatarium ad reſtituendam ſortem in alio loco; reſpondendum quippè eſt, campſorem non obligare ad accipiendum cambio pro tali loco, ſed neceſſitatem campſuarij ad hoc cogere ipſum, ſic cum ipſe campſor liber ſit ad cambiendum, vel pro vno, vel pro altero loco, ſolummodò exponit ſe pro tali loco velle cambire, & non pro altero, vndè ſi campſarius acceptat non ipſo campſore cogente, ſed propria neceſſitate impellente acceptat eo modo, quo mercator ex multis mercibus, quas ha-

Non voluntas cãpſoris, ſed neceſſitas campſuarij cogit

Digitized by Google

habet, poteſt ſolummodò velle vendere precioſiores, & non aliàs minoris valoris, quòd, ſi quis indigens iſtis ſolummodò, & non illis obligetur ex defectu illarum, quibus indiget, ad emendas alias pretioſiores, tunc non compellitur à venditore, qui liber eſt ad vendendum, vel non vendendum, ad vendendas has, & non illas, ſed à propria neceſſitate ad illas emendas, nec per hoc campſor dicendus eſt iniuriam irrogare campſario, quià nullo iure obligatur ad illi vendendas merces, quas maluerit.

§. IX.

De iuſtitia, vel iniuſtitia Cambiorum, quæ celebrantur in Hiſpania pro Indijs Occidentalibus.

SVMMARIVM.

Exprimitur vſus huiuſmodi cambiorum. 1.
Duplex recipientium genus. 2.
Contractus quoad ſui naturam, & conditiones in ordine ad viatores recipientes illicitus eſt, & vſurarius. 3.
Poteſt tamen, quid magis exigi pro cambio in Indijs Orientalibus, quàm pro alijs locis. 4.
Aſſignantur in particulari lucra, quæ poſſunt exigi pro locis Indiarum. Ibid.
Non ſubſiſtunt etiàm contractus quoad ipſos Gubernatores Nauium, & Magiſtros. 5.

1 DIſquiſitio IX. Frequens eſt hic cambiorum vſus in Hiſpanijs, vt, qui nauigaturi ſunt in Indias Occidentales, accipiant à Campſoribus Hiſpalenſibus ad cambium illam pecuniarum quantitatem, qua indigent cum onere ſoluendi quinquaginta vltrà ſortem pro centenario eiſdem Campſoribus, a quibus accipiunt, qui tamen campſores aſſecurant Nauim, eiuſdemque in ſe periculum aſſumunt. Proponit hunc modum, ſeù vſum, *Mercatus tract. de Cambijs cap.* 12., qui etiàm duo recipientium genera aſſignat, alterum viatorum, qui, cum non habeant pecuniam ad iter neceſſariam, nec ad alias ſuas egeſtates, aſſumunt onus ſoluendi, poſtquàm

2 in Indias peruenerint quinquaginta pro centenario, alterum Magiſtorum, ſeù vt loquitur, *Salas de Cambijs dub.* 44. gubernatorum alienarum nauium, qui a campſoribus recipiunt determinatam pecuniæ quantitatem cum onere vltrà ſortem, vt, cum ex Indijs redierint, ſoluant pro ſingulo centenario octuaginta, dummodò tamen campſores ſuſcipiant in ſe periculum Nauis vſque ad reditum. Hoc cambiorum genus quoad vtriuſque generis recipientes appellat idem *Mercatus* monſtrum, cum non præſeferat, nec imaginem, nec vllam ſpeciem contractus cambialis, & quaſi chimæram, cum diuerſorum contractuum in vnum coaleſcentium naturam præferre videatur. Hic igitur examinandum eſt, an huiuſmodi contractus, tàm quoad naturam, quàm quoad pretium liciti ſint, an vſurarij.

Hoc genus cambiendi monſtrũ dicitur à Mercato.

3 Reſpondeo primò quoad primum recipientium genus, contractum quoad ſui naturam, & circunſtantias annexas non ſubſiſtere, ſed omninò inualidum, & illicitum eſſe, *Mercatus dicto tractatu de Cambijs cap.* 12., *Vega in ſumma, & in Epith. verb. cambium caſu* 38., *Salas de Cambijs d. dub.* 44. *in princip.* Probatur primò, quià huiuſmodi contractus, nec habet ſpeciem cambij, nedum conditiones neceſſariò requiſitas ad ipſum, ergò in ratione talis contractus non ſubſiſtit. Antecedens probatur, quià de ratione cambij eſt, vt qui pecunias in vno loco recipit in alio reſtituendas, aſſumat in ſe ipſo periculum traiectionis, non ille, qui priùs ſoluit, ſed in hypotheſi aſſertionis potiùs contrarium euenit, quandoquidem ipſe campſor Hiſpalenſis, qui priùs dat, in ſe aſſumit periculum nauis, in qua receptor traijcitur, ergò &c. Neque dicas, non repugnare per alium contractum ſaltem virtualitèr diſtinctum a primo cambij dantem ad cambium, periculum, quòd ex natura contractus cambialis incumbit recipienti, in ſe ipſum transferre recipiendo per conſequens ſtipendium aſſecurationis, ſeù periculi in ſe ipſo aſſumpti, ea proportionali ratione, qua qui vendidit ſuas merces alteri traiecturo per Mare, in quo caſu periculum pertinet ad ipſum emptorem, vt potè ad dominum, poteſt ſinè vlla iniuſtitiæ labe pericula nauigationis in ſe ipſo aſſumere, & ratione eorundem periculorum de ſtipendio aſſecurationis conuenire, illudque exigere; Contrà enim impugnaberis, quià aſſecuratio, cum ſit in fauorem aſſecurati, debet eſſe ad exigentiam illius, non vltroneè adiecta per anxiam lucrandi cupiditatem ab aſſecurante, non exigente, quin potiùs con-

De ratione cambij eſt, vt qui recipit priùs pecunias ſubſit periculo.

Aſſecuratio debet eſſe in fauorem, & ad inſtantiam aſſecurati.

contra voluntatem præſumptam aſſecurati, vt ſit meritoria debitæ, & congruæ compenſationis, quinimmò, ſi adijciatur cambio ex conuentione, qua obligetur ciuilitèr receptor ad illam admittendam, & pro illa ad ſoluendum intereſſe, vſurariam ſubinfert prauitatem, quòd ſic euinco, nam per illam conuentionem vltra debitum reſtitutionis ſortis inducitur campſuario onus, quòd ipſe non exigit, ſecundùm ſe pretio æſtimabile, quodcunque autem onus ciuilitèr obligans ſupra reſtitutionem ſortis inducit vſuram;

Illa aſſecuratio eſt potiùs cōtrà, quā iuxta voluntatem recipiētis

Quòd autem illa aſſecuratio ſit potiùs contra, quàm iuxtà voluntatem præſumptam recipientis ſic euincitur; Quòd intendunt campſuarij viatores eſt præciſè conſulere proprijs neceſſitatibus ob indigentiam pecuniarum ad ſe transferendos in illas regiones, quibus vrgentibus neceſſitatibus onera quæcunque ſubeunt, quæ cæteroqui non ſubirent, nec exigerent illam aſſecurationem, ſi pecunias proprias haberent, quibus poſſent rebus ſuis conſulere, ſeque illuc traijcere, ergò illud onus, quòd aſſumunt, ſoluendi illud intereſſe pro aſſecuratione omninò inuoluntarium eſt, ſeù ſaltem inuoluntarium mixtè, eo modo quo inuoluntaria mixtè eſt obligatio, quam aſſumit mutuatarius ſoluendi vſuras. Ad illud, quòd dicitur de venditore aſſecurante merces per mare traiciendas ad deſtinatum locum, dicitur, aſſecurantem iuſtè poſſe exigere ſtipendium aſſecurationis, & de illo conuenire, ſi hoc munus præſtet ad exigentiam emptoris, ſecus autem, ſi in venditione obliget ipſum emptorem ad contrahendum ſecum illum contractum aſſecurationis, prout manifeſtè colligitur *ex cap. nauiganti 19. de vſuris*, vbi ſic dicitur *Nauiganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem pro eo, quòd ſuſcipit in ſe periculum ſuſcepturus aliquid ſupra ſortem vſurarius eſt cenſendus*.

Aſſecuratio non eſt pro pecunia, ſed pro naui.

Probatur ſecundò, quia non eſt aſſignabile in huiuſmodi contractibus, in quo fundetur illud ius exigendi illa quinquaginta pro centenario, ergò illicita eſt abſolute conuentio, tùm quià, vt aſſerit *Vega loco citato*, & cum eo *Mercatus* aſſecuratio non eſt pro pecunia, ſed pro naui, nauigium autem illud ſæpe non eſt campſuariorum, ſed aliorum, ergò ius exigendi pretium aſſecurationis non eſt aduerſus campſuarios, & ſi contrà illos fictitium eſt, vt poté indebitum, tùm quià illa aſſecuratio, quamuis eſſet voluntariè intenta per contrahentes, non eſt ſecundùm ſe meritoria tanti lucri, quantum important quinquaginta pro centenario, quòd ſic euincitur, nam ſi quis merces ſuas per mare traijciat ad finem lucrandi ex mercatura vix termino duorum annorum, vt benè notat *Mercatus de Cambijs dicto cap. 12.* computatis laboribus, expenſis, induſtria, periculis, & ſimilibus poteſt lucrari quadraginta pro centenario, ergò incongruentèr omninò, & ſupra æqualitatem iuſtitiæ debitam pro illa aſſecuratione ſinè labore, expenſis &c. exigunt campſores illa quinquaginta pro centenario;

Excluduntur ſubtèr fugia inhiantiū illi lucro.

non poteſt item aſſignari motiuum lucri ceſſantis, ad quòd multi recurrunt ad iuſtificandum coràm hominibus ſuam prauitatem, quàm tamen cælare non poſſunt Deo, aſſerentes, ſe illa quinquaginta pro centenario recipere, vel quià naues debebant onerare mercibus in Indias traijciendis, quibus illud intereſſe acquiſiuiſſent, vel quia ſi onerarent aſſumpto periculo nauigationis, oneratio illa fuiſſet vendita cum lucro ſexaginta, ergò ſi non onerarunt, vt darent alijs pecunias aſſumpto eodem periculo in fauorem campſuarij, cui dederunt pecunias, poterunt illud lucrum exigere, quòd exegiſſent ex mercibus, ſi traieciſſent. Bone Deus! In quæ adinuenta non abeunt huiuſmodi campſores, vt lucrentur? Quæ non moliuntur, vt diteſcant? Siſtamus quæſo in his periculorum verſutijs, quas ſibi confingunt ad illudendos pauperes viatores. Quæro in primis, an re vera fuiſſent illas merces traiecturi? non enim ſufficit dicere, ſe voluiſſe, an paratas habuerint occaſiones, & animum diſpoſitum ad traijciendum?

Non exigunt, vt mercatores ad proportionem mercaturæ, ſed vt cāpſores ad æqualitatem cambij.

Certè, ex quo extraxerunt pecunias à negotiatione mercandi, & implicant in negotiatione cambiorum, non eſt præſumptio, quòd voluerint in mercibus illis traiectitijs implicare, adeòque quod acquirant non vt mercatores ad proportionem mercaturæ, ſed vt campſores ad æqualitatem cambiorū, debeant acquirere, quæ minùs lucratoria ſunt, ac ſit ars mercandi. Deindè dato etiam, quod fuiſſent illas merces traiecturi, illud intereſſe eſſet nimis ſuperexcedens, nam in primis, vt ſupra dicebamus, mercatores Nautici vix termino duorum annorum lucrantur quadraginta pro centenario, & ſi quandòque longè plura acquirunt, quandòque tamen longè minora lucrantur, & quandòque

ſpes

Digitized by Google

ſpes cuiuſcunque lucri in inſtabili elemento euaneſcit. Confer iam ſpem cum periculis. Taxa intereſſe ad proportionem, & rationabili æſtimatione dignoſces non ad tantam quantitatem iuſtè aſcendere. Dicant nunc tandem huiuſmodi campſores, quas expenſas non facerent in mercibus? quos labores non ſubirent? quam induſtriam non impenderent? quibus incommodis non grauarentur ad negotiationem reducendam ad exitum? quæ omnia ceſſant in cambijs, & videant, qua conſcientia, quaue iuſtitia æquale lucrum in cambijs poſſint exigere?

4 Non negauerim tamen, poſſe quid longè maius exigi pro cambijs initis pro Indijs Occidentalibus, ac exigatur pro alijs locis, eo potiſſimùm fundamento, & iure, quòd in Indijs licèt pecuniæ eſſent eiuſdem valoris legalis, ſunt tamen inæqualis æſtimationis, præcipuè, cum, vt aſſerit *Mercatus dicto tract. de Cambijs cap. 12. num.* 8. centum pondera auri in Meſſico æquiualeant in æſtimatione octuaginta quinque in Hiſpanijs, & centum ducati in Ciuitate Regis in Indijs eiuſdem ſit æſtimationis cum ſeptuaginta Toleti. Quamobrem *Vega in ſumma, & in Epit. caſu* 41., & cum eo, *Salas de Cambijs dub.* 44. *in fine, & Mercatus loco quo ſuprà* docent, non eſſe damnandos campſores Hiſpalenſes, qui pro cambijs ad Ciuitatem Sancti Dominici exigerent decem pro centenario, ad nouam Hiſpaniam, & Nomen Dei quindecim, ad Perù viginti quinque, & ad Chile trigintaquinque, quia in ordine ad has regiones, & loca pecuniarum variatur æſtimatio, vt ſupra.

Aſſignantur lucra pro locis Indiarum

5 Reſpondeo ſecundò quoad ſecundũ recipientium genus, Magiſtrorum ſcilicèt, ſeù Nauium Gubernatorum contractum modo expoſito celebratum nec ſubſiſtere quoad naturam cambij, nec quoad conditiones eidem annexas. Ità auctores, qui ſupra pro prima reſponſione. Probatur primò quoad primam partem, quia, vbi eſt conuentio, quòd pecunia in eodem loco reſtituatur, in quo fuit accepta cum onere ſoluendi certum intereſſe, non ſaluatur natura cambij, & contractus tranſit in mutuum implicitum, & palliatum, ergò &c. Antecedens quoad primam partem probatur ex diſpoſitione Pij V. damnantis, vt vſurarias huiuſmodi conuentiones, & declarantis contractum ſic initum fœneratitium; Quoad ſecundam ſic euincitur, quid enim aliud eſt tradere pecuniam traiecturo merces per mare cum onere eandem reſtituendi poſt reditum cum illo intereſſe conuento, quàm mutuare eandem pecuniam ad tale tempus, quòd requiritur ad traiectionem, & reditum cum onere illius intereſſe?

Eſt conuentio de reſtitutione in eodem loco

Probatur ſecundò quoad ſecundam partem eiſdem ferè rationibus, quibus ſuperior reſponſio innititur, nam illud intereſſe nimis ſuperexcedens eſt, quandòquidem, ſi campſor ipſe proprio nomine merces traijceret deductis expenſis, labore, & induſtria, & obuiantibus paſſim periculis, tantum lucrum non conſequeretur, nec ipſe intendit negotiationem exercere, ſed dumtaxat cambia, quibus intereſſe adeò pingue non competit.

Illud intereſſe ſuper excedens eſt.

Non negauerim tamen, hunc contractum alio titulo poſſe cohoneſtari, ſi pretium ad debitos, & congruos limites reducatur, puta ſi pecuniam traderet campſor non titulo cambij, ſed ſocietatis, in qua, quia periculum ad proportionem vtrique incumbit, poteſt in ſe ipſum per aſſecurationem totum aſſumere, & ratione eiuſdem aliquid, ſupra quòd exigit natura ſocietatis acquirere. In hoc tamen caſu conſiderata qualitate periculi, & veriſimilitudine lucri futuri computata ſimul ſpe cum periculo, alijſque circumſtantijs pretium taxandum eſſet non ad arbitrium eiuſdem campſoris, sed iuxtà prudentum æſtimationem, quæ in ſimilibus tutior eſt, & cauta regula.

Poteſt cohoneſtari cõtractus titulo ſocietatis.

§. X.

An Nauium Gubernatores, ſeù Magiſtri, qui acceperunt cum illo onere, poſſint licitè viatoribus partem aliquam eiuſdem pecuniæ dare cum onere proportionati intereſſe.

SVMMARIVM.

Proponitur difficultas in ſuis terminis. 1.
Si Magiſter nauium ſumpſerit ad cambium nomine proprio, non poteſt iuſtè illam tradere nautis ad proportionem intereſſe, quòd ipſe ſoluit. 2.
Si Magiſter acceperit cambio nomine etiàm nautarum poteſt ab illis proportionatum intereſſe exigere. 3.

Diſquiſitio X. Tradidit Campſor Hiſpalenſis duos mille nummos 1

aureos Magiſtro Nauis cum onere ſoluendi in Indijs Occidentalibus quinquaginta pro centenario modo, quo ſupra. Cum contigerit in itinere viatores indigere pecunijs ad cōſulendum rebus ſuis, ſuiſque egeſtatibus, idem Magiſter contulit eiſdem certam pecuniæ quantitatem ea lege, vt, poſtquam peruenerint ad eaſdem Indias, obligari intelligantur ad reſtitutionem ſortis, quam acceperunt, & vlteriùs ad intereſſe ad proportionem eius, quòd ipſe Magiſter ſoluit campſori. Quæritur iam, an iuſtè ipſe Magiſter poſſit exigere à viatoribus illud intereſſe ad proportionem quantitatis ſolutæ. Pro ſolutione.

2 Aduerte, duplicitèr potuiſſe Magiſtrum Nauigij accipere à campſore pecuniam illam ad cambium; primò, vel nomine proprio pręcisè non exigentibus nautis, vel viatoribus, qui poſteà celebrato per ipſum Magiſtrum contractu vrgente neceſſitate aliquam pecuniæ quantitatem ab eodem Magiſtro expoſcunt; Secundò, vel nomine etiā, & ad exigentiā eorundem Nautarum, ſeù Viatorum, quorum etiam nomine Magiſter ipſe contractum illum iniuit, ſinè quibus non iniuiſſet ſaltèm in illa quantitate, in quā initus eſt. Iuxtà vtrumque ſenſum præſens difficultas examinanda eſt, & quidem iuxtà primū videntur militare eæ rationes, quibus *tomo primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 5. §. 1. num. 2.* docuimus, eum, qui accepit pecuniam cum onere intereſſe poſſe eandem pecuniam alijs ſuppeditare adiecto eodem onere, quia per hoc ſe præcisè indemnem conſtituit. His pro claritate ſuppoſitis.

Magiſter nauigij duplicitèr poteſt pecuniam cambio accipere, & quomodò.

Reſpondeo primò. Si Magiſter primo modo ſumpſerit ad cambium non poſſe à Nautis, ſeù Viatoribus, quibus pecuniam confert, æquale ad proportionem intereſſe exigere *Mercatus dicto tract. de Cambijs cap. 12. num. 8., Vega in ſumma, & in Epit. verbo cambium caſ. 40., Salas de Cambijs dicto dub. 44.* Probatur primò, quià campſor ipſe conferens cum tali onere Magiſtro Nauigij inique, & vſurariè confert, ergò etiam iniquè, & vſurariè confert Magiſter Nautis, & Viatoribus, ſi cum tali onere conferat. Conſequentia probatur, quià iniuſtitia in caſu antecedentis conſurgit ex eo, quòd illud intereſſe eſt ſuperexcedens, & ſuper æqualitatem iuſtitiæ, ſed idem intereſſe in eadem proportionali quantitate imponitur Nautis, ſeù Viatoribus per Gubernatorem nauigij, ergò &c. Neque dicas, diſparem eſſe rationem in ſecundo à primo ſuppoſito, eo quià in primo campſor præcisè intendit lucrum, quōd cum ſit ſupra iuſtitiam, conſtituit ipſum campſorem iniuſtum, & vſurarium, in ſecundo autem Magiſter lucrū non intendit, ſed ſe præcisè conſtituere indemnem, & onus, quòd ipſe ex neceſſitate ſuſcepit, interueniente eadem neceſſitate pro altero in eundem transferre ipſo ſic exigente; contrà enim impugnaberis primo, quià grauamen vni impoſitum non confert eidem ius alterum in eodem genere, & quantitate opprimendi. Quis enim diceret, quòd ex eo, quòd ego vrgente neceſſitate emerim merces aliquas ſupra iuſtum pretium poſſim alteri in eadem neceſſitate cōſtituto reuendere eodem pretio iniuſto? Certè hic eſt nouus contractus diſtinctus à primo, & ſicuti in primo iniuſtitia committitur, ità non eſt, cur non committatur in ſecundo? nec neceſſitas nautarum, ſeù viatorum maius ius ipſi confert illud intereſſe exigendi, quià hæc neceſſitas potiùs arguit rationem inuoluntarij in Nautis recipientibus, cum qua non ſubſiſtit contractus, quam vim tribuat, & iuſtitiam eidem contractui, & ſicuti, quia ipſe inuoluntariè mixtè accepit à campſoribus, non tribuit vim contractui, nec ius aliquòd legitimè campſori, ità quià nautæ, ſeù viatores ab ipſo accipiunt inuoluntariè mixtè non tribuunt maiorem vim, ac habeat in ſe, cambio, nec maius ius Magiſtro conferunt, ac habeat ex *vi contractus.* Contra ſecundò, quià in hypotheſi datę reſponſionis onus incumbit eidem Magiſtro ſaltèm ex caritate ſubueniendi nautis in neceſſitatibus, vt poſſint traiectioni inſeruire, quos propterea ſupra debitum nequeunt grauare.

Satisfit inſtantiæ propoſitæ per aduerſarios.

Grauamen vni impoſitū non confert ius ad grauādum alterum.

Dices, ipſe Magiſter illud intereſſe non accipit, ſed campſor, cui eſt ſoluendum, ergò ipſe vſurarius non eſt. Item ipſe ſolùm cedit contractui alterum in ipſum conſentientem ſubſtituendo, ergò &c. Sed contra, quia illud intereſſe, quod à Nautis, ſeù Viatoribus exigitur, cum ſit ex vi noui contractus non celebrati cum campſore, ſed cum eodem Magiſtro vtique eidem Magiſtro debitum eſt, qui ſi deindè æquale debeat campſori ex vi alterius contractus antecedentèr initi, & ex intereſſe accepto à nautis ex vi ſecundi cambij ſoluat, hoc omninò per accidens eſt, cum debitum Magiſtri ergà campſorem ſit independens ab intereſſe nautarum, & æquè illud poſſit ſolui, ſiuè per il-

Onus Magiſtri ergà campſorem eſt independens ab intereſſe nautarū.

lam,

Digitized by Google

lam, ſiuè per aliam pecuniam, nec campſor ius habet aliquòd verſus eoſdem Nautas, niſi ad ſummum indirectè, quatenus ſunt debitores, eo modo, quo ius habet in debitores eiuſdem ex alia cauſa. Neque hæc contraria ſunt ijs, quæ diximus *tomo 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 13. num. 4. in fin.* nempe mutuatarium in remutuatione poſſe obligare ſecundum mutuatarium ad ſoluendas vſuras, quas ipſe ex vi prioris mutui ſoluit, & hoc ea ratione, quià ipſe vſuras non recipit, ſed primus mutuator; Non, inquam, contraria ſunt, quià ibi erat ſermo de remutuatione facta conſentiente primo mutuante, & acceptante, hic autem eſt ſermo de nouo contractu cambij inito ignorante primo campſore, & cum independentia à priori contractu. Recole, quæ ibi dicta ſunt. Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt, non cedere Magiſtrum primo contractui alterum in ipſo ſubſtituendo, quià non poteſt cedere non approbante principali creditore, qui poteſt velle hunc debitorem, & non alterum, cum quo non contraxit, ſed nouum contractum celebrare independentèr à primo, vndè, vtſuprà dicebamus, campſor non habet actionem contra Nautas, ſed tantum contrà Magiſtrum, qui in ordine ad Nautas ſe habet, ac ſi aliâ pecunia à recepta à campſore contraheret.

Non poteſt alterum ſubſtituere nõ approbãte principali creditore.

Probatur ſecundò reſponſio. Si alius à Magiſtro eiuſdem Nautis pecuniam crederet cum onere talis intereſſe, de quo ſupra, iniquè contraheret, & obligaretur ad reſtitutionem illius intereſſe, ergò eadem ratione iniquè contrahet idem Magiſter, qui eiſdem credit illam pecuniam cum eodẽ intereſſe. Conſequentia tenet, quià idem ſuperexceſſus, eademque inæqualitas eſt reſpectu vtriuſque, & ſicuti, vbi viget eadem ratio, viget etiàm idem ius, ità, vbi eadem ratio militat ad inferendam iniuſtitiam, idem ius eximit ab obligatione. Confirmatur, quià in rigore loquendo illa conceſſio facta Nautis cum illo onere intereſſe non eſt propriè cambium, ſed mutuum palliatum titulo cambij; quid enim aliud eſt tradere illam pecuniam ipſis indigentibus, quàm eiſdem illam mutuare cum onere poſteà ſoluendi ob expectationem illud lucrum conuentum? non enim aliud ipſi intendunt, quàm gratuitum beneficium prorogatum ad tempus, quo ad locum deſtinatum peruenient?

Illa conceſſio non eſt cambium, ſed mutuum palliatum

Reſpondeo ſecundò. Si Magiſter ſecundo modo illud cambium acceperit, poteſt iuſtè ab eiſdem Nautis, ſeù Viatoribus illud intereſſe vltrà ſortem exigere, *Mercatus dicto tract. de Cambijs cap. 12. num. 8.* Probatur primò ex ijs, quę dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 13. num. 4. in fin.* Poteſt mutuatarius cum onere vſurarum non valens ex conuentione, vel ex aliqua alia cauſa ſortem mutuanti intrà certum tempus reſtituere alteri exigenti remutuare, adiecto ipſi eodem onere, ſi primus mutuans conſenſerit in talem remutuationem, & acceptarit onus transferri in ſecundum mutuarium, quià, vt ibi dicitur, ipſe primus mutuans videtur tale onus transferre, ergò etiàm poterit primus campſarius, quantum eſt ex ſe, immò à fortiori pecuniam ſibi nomine etiam aliorum creditam eiſdem conferre cum eodem onere, cum quo ipſe ſubijt, quià hoc pacto accipiunt, & alij quodamodò ab ipſo campſore, & ſicuti ipſe Magiſter ſic accipiendo non peccauit, ita nec in alios transferendo peccat; Neque dicas, campſorem non contraxiſſe cum Nautis, nec cum viatoribus, ſed dumtaxat cum nauclero, ſeù Magiſtro Nauigij, adeòque ipſum non exigere intereſſe ab eiſdem, à quibus ſolùm exigit ipſe Magiſter, qui propterea inique agit; contra enim impugnaberis, quia, quamuis ipſe campſor expreſſe non contraxerit cum Nautis, Magiſter tamen contraxit cum ipſo nomine etiàm eorundem, & ſic licet campſor actionem directam non habeat, niſi aduerſus eundem Magiſtrum, ex vi tamen eiuſdem contractus ipſe Magiſter ius directum habet aduerſus Nautas, quorum etiam nomine contraxit, ea proportionali ratione, qua quis emens merces aliquas nomine aliorum ex vi contractus emptionis ius habet aduerſus eos, quorum nomine emit.

3

Non ipſe cãpſarius trãsferret in nautas, ſed campſor.

Magiſter ex vi contractus habet ius directum contra nautas.

Probatur ſecundò reſponſio, qui recipit mutuum cum onere vſurarum, nec peccat, nec ad aliquam reſtitutionem obligatur, ſed tantum qui dat, vt eſt in confeſſo apud omnes, quandòquidem hic grauat recipiendo ſupra id, quòd ſibi debitum eſt, ille potiùs grauatur, quàm grauet, ſed in hypotheſi reſponſionis Magiſter recipit præcisè pecuniam ſibi creditam per cambium non ſolùm, vt perſona propria, ſed etiàm, vt repræſentans perſonam aliorum, quorum etiàm nomine recipit, reſpectu quorum propterea pro illo

Recipit etiàm, vt repræſentans perſonã aliorum.

Digitized by Google

illo tempore, antequàm eiſdem tradat proportionem pecuniæ receptæ, eſt merus depoſitarius, non campſor, ergò nec ipſe peccat, nec ad aliquam reſtitutionem tenetur pro illa portione, quæ alios contingit. Minor probatur, quià ipſe recipiendo nomine aliorum ſe habet, ac ſi eſſet procurator ipſorum, vndè dicitur recipere, & proprio, & procuratorio nomine, proprio pro illa portione, quàm pro ſe recipit, procuratorio pro illa quantitate, quæ pro alijs recipitur. Confirmatur ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub eod. tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Pranotio 17. num. 1. verſic. aduerte primò*, vbi cooperans vſuris ex parte mutuatarij recipiendo ſcilicèt nomine ipſius non peccat, nec obligatur ſecundùm ſe ad aliquàm reſtitutionem, nam agit præcisè partes læſi, qui, ſicuti ad aliquam reſtitutionem non tenetur, nec tenetur nomine ipſius cooperans, quòd adeò verum eſt, vt etiàm non obligetur ipſe cooperans, quamuis ſuadeat mutuanti, vt mutuet ad vſuras, nam, ſicuti ipſe mutuatarius in ordine ad ſuum commodum, vel ad euitanda pericula ſibi imminentia poteſt ſuadere, vt ſibi cum onere vſurarum fiat mutuum, ita non eſt, cur agens perſonam ipſius non poſſit mutuantem talitèr perſuadere, & ad tale mutuum incitare, ergò nec peccat, nec ad reſtitutionem obligatur, qui nomine nedum proprio, ſed etiam aliorum recipit cambium cum intereſſe ſuperexcedente naturam eiuſdem cambij, quandòquidem eædem rationes militant pro hoc caſu, quæ militant pro ſuperiori.

Non peccat etiam perſuadendo ad euitáda damna.

---

§. XI.

An cambium ex ſuſcepto officio, ſeù obligatione præcedenti ad cambiendum poſſit fieri etiàm pro maiori pretio.

SVMMARIVM.

Status quæſtionis in ſuis terminis. 1.
Doctorum placita in hoc caſu. 2.
Inſtitutio talis officij ſecundùm ſe non eſt illicita. 3.
Habentes tale officium, ratione cuius obligantur, poſſunt vltrà pretium cambij aliquòd moderatum lucrum ratione talis officij exigere. 4.
Reſpondetur rationibus per Caietanum, & Sotum adductis. 5.

Diſquiſitio XI. Sicuti multis in locis conſtituti ſunt Montes Pietatis, qui indigentibus mutuent pecunias ad ſubueniendum proprijs neceſſitatibus, data tamen priùs eiſdem Montibus idonea cautione, vel per pignora, vel per fideiuſſionem, ità ſupponimus, quòd pænès aliquas determinatas perſonas, vel pænès publicos campſores auctoritate Reipublicæ conſtituatur, vel conſtitutum ſit officium cambiendi, vel quòd ijdem campſores Magiſtratui, vel particularibus Mercatoribus ſe obligarint ad dandum cambio illis, qui habent pecunias, ſeù credita in loco, pro quo fit cambium, dummodò aſſignent pignora, ſeù congruas fideiuſſiones. His ſuppoſitis multi concurrunt ad eoſdem habentes officium ſic conſtitutum cambiendi, vt accipiant cambio pro diuerſis locis, in quibus habent pecunias, ſeù credita ſeruatis ijs, quæ ſunt ſeruanda ex legibus, ſeù ſtatutis talis officij. Quæritur iam, an habentes tale officium in cambijs, quæ celebrant, poſſint aliquid iuſtè exigere ſuprà pretium conſuetum cambij à campſuarijs ratione talis muneris, ſeù obligationis cambiendi, quòd aſſumpſerunt. 1

Hanc difficultatem licèt *Scaccia tract. de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampl. 1.* proponat ſub terminis mutui conſtituto publico officio mutuandi, quòd cum illo lucro approbat citatis, *Nauarro in Manual. confeſſar. cap. 17. de vſura circa cambia num. 288., & in cap. Nauiganti nu. 16., & 17. de vſuris, Salonio in ſecunda ſecundæ D. Thomæ poſt quæſt. 78. in diſp. de Cambijs quæſt. 4. art. 3. controuer. 1. num. 3.* extendit tamen *ſub nu. 5. verſic. ſubamplia ſecundo* ad terminos etiàm cambij conſtituto publico officio cambiendi, & pro iuſtitia illius lucri, dummodò moderatum ſit ad arbitrium, vel Reipublicæ, vel prudentum, allegat eundem *Salonium in dicta ſecunda ſecundæ D. Thomæ dicta quæſt. 3. artic. 3. controu. 1. num. 5., & Romualdum Coli tract. de Cambijs cap. 29.* 2

Sub huius diſquiſitionis titulo duplex articulus examinabitur; primus, an iuſtè potuerit, & poſſit illud officiũ committi? Secundus, ex ſuppoſitione, quòd iuſtè, & licitè conſtituatur, an poſſit eſſe lucratorium reſpectu habentis illud alicuius moderatę quantitatis. Circa primum *Caietanus tract. de Cambijs cap. 2. ſub num. 4. tom. 6. part. 1. fol. 405.* aſſerit illicitè committi, & quamuis videatur loqui de officio præcisè quoad mutuum, ex paritate tamen rationis

nis per ipſum adductæ videtur etiam extendi ad officium cambij, quòd idem ſentire videntur, *Sotus de iuſt., & iu. lib. 6. quæſt. 10. artic. 2. in concl. reſponſ. col. 2., Antonius de Roſella tract. de vſuris num. 57. verſic. quidam tom. 7., Lupus in cap. Nauiganti §. 2. num. 26. in fine verſic. ſed aduertendum de vſuris inter tract. diuerſorum tom. 7.* licèt inani innitantur fundamento, de quo infrà.

3 Reſpondeo primò, talem inſtitutionem officij ſecundum ſe non eſſe illicitã. Ità quotquot approbant inſtitutionem Montium Pietatis, & aliorum, qui ex officio teneantur mutuare pauperibus, & indigentibus, prout latè diximus *tomo 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 11.* aduerſus *Caietanum tom. 2. opuſc. tract. 6.* ex quibus ſic pro reſponſione efformo argumentum. Non ſunt damnabiles inſtitutiones Montium Pietatis, prout definiuit *Leo X. in Conc. Lateranenſi* quinimò *Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 9., & 11.* illas approbauit, quibus ex officio dantur mutua ad ſubueniendum indigentibus, ergò nec damnabiles, nec illicitæ erunt inſtitutiones publici officij ad ſubueniendum per cambia indigentibus pecunia in alio loco.

Scio *Caietanum dicto tractatu de Cambijs cap. 2. ſub num. 4. tom. 6. part. 1.*, & cum eo, *Sotum, & auctores mox allegatos ſub verſic. ſub huius diſquiſitionis titulo* improbare hanc inſtitutionem præcipuè quoad mutuum, eo quià hoc eſſet facere vſurariam artem moderatam, & lucrum ex mutuo exigi ratione temporis protractionis; Sed huiuſmodi Doctores per hanc inſtantiam improbant lucrum, quòd ex officio deducitur, non ipſum officium ſecundùm ſe, de quo hic agimus præſcindendo à lucro, quòd poteſt acquiri, de quo nunc.

4 Reſpondeo ſecundò. Habentes officium ſic commiſſum, ratione cuius obligantur ad dandum cambio campſuarijs indigentibus in alio loco, in quo habent pecuniam, vel credita, poſſunt iuſtè exigere vltra pretium cambij aliquòd moderatum lucrum ratione talis officij, ſeù obligationis aſſumptæ, *Scaccia de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampl. 1. num. 5.*, qui pro ſe citat Michaelem Salonium, & Romualdum Coli, vt ſupra. Probatur primò, quià illa obligatio cambiendi ex officio eſt ſecundùm ſe pretio æſtimabilis ſupra intereſſe pretij, quòd exigit ipſum cambium, ergò vltra pretium cambij poteſt habens illud officium aliquid exigere moderatum, & congruum intuitu talis obligationis. Antecedens probatur, quià ſi quis alteri mutuaret impoſito mutuatario onere contrahendi poſteà cambium cum eodem mutuante vſurariè contraheret, quià imponeret onus mutuatario pretio æſtimabile vltrà reſtitutionem ſortis, nempè illam obligationem, quę, ſi pretio non eſſet compenſabilis, non induceret vſuram, ergò illa obligatio cambiendi ex officio eſt ſecundùm ſe pretio æſtimabilis. Obligatio illa eſt pretio ſecundum ſe æſtimabilis.

Dices, eſto, quòd illa obligatio ſit ſecundum ſe pretio æſtimabilis non meretur tamen compenſationem à campſuarijs, ſed ab ipſam imponente ea proportionali ratione, qua ſuprà diximus de Bancherijs, qui certe merentur mercedem cuſtodiæ, cum hæc ſit ſecundum ſe mercede digna; ſed ab imponente tale onus, non autem à campſuarijs; Sed contra, quià obligatio cambiendi reſpicit vtilitatem præcisè campſuariorum, cuſtodia verò ſolùm vtilitatem deponentium, adeòque compenſatio pro cuſtodia debetur à deponentibus, in obligatione verò cambiendi, à campſuarijs; Contrà ſecundò, quià in Montibus Pietatis inſtitutis in fauorem indigentium illud lucrum, ſeù intereſſe, quòd exigitur, non exigitur ab inſtitutoribus, ſed à mutuatarijs, ergò etiàm &c. Obligatio cambiendi reſpicit vtilitatem campſuariorum.

Probatur ſecundò, quià, ſi quæ ratio euinceret iniuſtitiam illius lucri, quòd exigitur ratione officij, maximè quià, vt aſſerit *Caietanus*, & cum eo *Sotus, & alij* illud exigeretur ratione dilationis temporis præcisè, vel tanquàm lucrum indebitum, cum pretium cambij, qua tale eſt, perſoluatur, & illud lucrum ſupponatur eſſe ſuprà pretium eiuſdem cambij eo modo, quo quidquid exigitur ſuprà ſortem in mutuo eſt ſuprà naturam eiuſdem mutui, ſed hæc ratio non obſtat iuſtitiæ, ergò &c. Minor probatur, quià illud lucrum non datur, vt pretium cambij, ſed vt correſpondens alteri iuri ſecundùm ſe pretio æſtimabili nempè illi muneri ex officio ſuſcepto, vndè licèt ſit indebitum intuitu cambij, non eſt tamen indebitum intuitu illius oneris, proptèr quòd exigitur, non proptèr ſolam temporis dilationem, vt malè ſupponunt Aduerſarij. Illud lucrum datur, vt correſpõdens alteri iuri

Hinc facile corruunt rationes Caietani, & Soti aſſerentium nullam compenſationem deberi pro negotio illicito, & ſic pro cambio, ex quo accipitur aliquid ſuprà pretiũ cambij; corruunt, inquam, quia aſſumunt tanquam fundamentum ſuæ aſſertionis id, quòd eſt 5 Satisfit rationibus contrarijs

in

Digitized by Google

in quæſtione, dum ſupponunt eſſe quid iniuſtum, & iniquum exigere aliquid pro officio cambiendi. Certè *Sotus de iuſt., & iu. lib. 6. quæſt. 1. art. 2. verſic. reſtat ergò*, docet illam obligationem eſſe pretio ęſtimabilem in mutuo, & ſi mutuator obligaret ciuilitèr ad cambiendum pro mutuo vſurarius eſſet *Cardin. de Turrecremata in cap. ſi fœneraueris num. 5. verſus finem 14. quæſt. 3., Medina tom. 2. tit. de reb. per vſuram acquiſitis quæſt. 1. verſic. ſed contrà col. 4. in fin., Azorius inſtit. moral. part. 3. lib. 5. tit. de vſuris cap. 7. quæſt. 1. verſic. altera eſt opinio*, ergò etiàm obligatio illa cambiendi erit pretio compenſabilis, quinimmò potiùs videtur officere iuſtitiæ, quòd exigatur aliquid ſuprà ſortem in mutuo, ac in cambio; ſi igitur iuſtificatur illud lucrum in mutuo ratione illius obligationis, non eſt, cur non poſſit etiàm iuſtificari in cambio.

§. XII.

An cambium poſſit licitè contrahi cum debitore idoneo pro minori lucro, vt is pro maiori contrahat cum non idoneo.

SVMMARIVM.

Difficultas, & rationes pro vtraque ſententia. 1.

Non eſt obnoxius iniuſtitiæ mercator, qui negans mercatori pauperi cambium concedat diuiti ad minùs pretium, vt iſte alteri pauperi eroget pro maiori. 2.

Pretium Marchæ non conſiſtit in indiuiſibili. 3.

Cenſus etiàm poteſt conſtitui cum inæqualitate in ordine ad diuerſas perſonas. 4.

1 Diſquiſitio XII. Mercator diues requiſitus ab alio mercatore non diuite negat ei dare cambio; clandeſtine proxeneta mediante inuenit alium mercatorem, cui credit centum marchas ad quinquaginta pro marcha, vt iſte poſſit credere mercatori non diuiti exigenti ad rationem 54. 2. 3. Proponit hic difficultatem *Hieronymus de Luca tract. de Cambys in verbo pro deciſione num. 40. tom. 6. part. 1. fol. 410.* inquirens, an iſte modus cambiendi ſit licitus, & concludit negantèr, cui tamen videtur aduerſari, *Scaccia tract. de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampliat. 13. num. 1.* per ea, quę docuit *hac eadem quæſt. ampliat. 10. ſub num. 68., & 69.* Mouetur ille, quià ille mercator dives dans cambio facit alteri, quòd ſibi fieri nollet contra naturalem æquitatem ponendo illum alterum in periculo, vt ipſe tutus euadat. Mouetur iſte, quià mercator diues non ponit alterum à ſe recipientem in periculo, in quo non vult ſe conſtituere, ſed ille alter ſe liberè illi periculo exponit, qui, cum ſit rerum ſuarum moderator, & arbiter, debet ſibi imputare, quòd ſic expoſuerit, non concedenti, nec redargui poteſt ipſe mercator diues iniuſtitiæ, eo quià marcha eſt diuerſo pretio æſtimabilis in diuite, ac in non diuite. Quid igitur concludendum?

Reſpondeo, probabiliorem eſſe opinionem Scacciæ abſoluentis ab iniuſtitia mercatorem diuitem credentem cambio alteri mercatori illo pretio, de quo ſupra. Probatur, quià ille contractus nec eſt damnabilis ratione inęqualitatis pretij, nec ratione alicuius deceptionis, nec periculi, in quòd incidit receptor, ergò &c. Antecedens quoad primam partem probatur, tùm quià pretium marchæ non conſiſtit in indiuiſibili, ſed admittit latitudinem intrà ſupremum, & infimum, & ſecundùm diuerſas circunſtantias variatur, vt in diuerſis nundinis, adeòque quamuis det ad minùs pretium, ac det receptor non inficitur contractus, tùm quià, quòd credat minori pretio ſuo campſuario, ac hic tribuat ſuo, non lædit eundem primum campſuarium, quin potiùs eidem fauet, & ſicuti in contractu mutui non conſideratur, ſed toleratur læſio ſpontanea paſſiua in mutuatore, ità vt nulla indè reſultat iniquitas, ita etiàm non conſideratur læſio paſſiua ſpontanea in eo, qui dat ad cambium, tùm quià in ordine ad contractum marcha eſt diuerſo pretio æſtimabilis in diuite, ac in paupere, quòd manifeſtiſſimo exemplo contractus cenſualis euincitur, in quo quamuis iure nõ reluctante iuſtum pretium cenſus ſit decem pro centenario poteſt tamen venditor, ſi ſit perſona magis idonea cenſum vendere ad rationem ſex, vel quinque pro centenario, ſeù ſe obligare quotannis ad ſex tantum, vel quinque pro centum, ſi verò ſit minùs idonea, cenſum vendere poteſt ad rationem decem pro centenario ſinè vlla labe iniuſtitiæ, & emptor poteſt eſſe contentus quinque, vel ſex in ordine ad perſonam idoneam pro centum, & inuitus quoad illud pretium in ordine ad perſonam minùs idoneam, ſed velle de-

2

3 Marcha admittit latitudinem vaIoris intrà ſupremũ, & mediũ.

Toleratur læſio ſpõtanea paſſiua.

4 Exemplũ de conſtitutione cenſus ac comodũ.

Digitized by Google

decem pro centum; ergò etiam in contractu cambij non eſt damnabilis illa inæqualitas pretij in ordine ad perſonas, alteram magis, alteram minus idoneam.

Probatur ſecundò idem antecedens quoad ſecundam partem, quia qui vtitur iure ſuo intrà limites æqualitatis ex iuſtitia requiſitæ non dicitur alterũ fallere, vel decipere, ſiuè qui vendit merces vni pretio infimo, alteri medio, alteri ſupremo non dicitur illum decipere, cui vel medio, vel ſupremo vendit; tùm quià quamuis hæc eſſet deceptio, à iure tamen communi mercatorum conſuetudine approbante toleratur, *Abbas in cap. 8. quia plerique n. 28. de immunit. Eccleſ., Medina tom. 2. tit. de reb. reſtit. quæſt. 32. verſ. nec obſtat col. 3. iuxtà l. 17. in cauſæ §. idem Pomponius ff. de minor. 25. annor., & l. item ſi pretio §. fin. ff. loc., & cond.*

Probatur tertiò idem antecedens quoad tertiam partem, quia non eſt ipſe mercator diues, qui alterum conſtituat in tali periculo, ſed hic alter ſe ipſum in illo conſtituit, qui propterea debet ſibi imputare, ſi damnificationi alicui ſubiaceat; vndè ceſſat ratio, quam adducit *Hieronymus de Luca loc. cit.*, quod facit alteri, quod ſibi fieri nollet; ceſſat, inquam, quia non eſt ipſe, qui facit alteri, ſed hic alter facit ſibi, quod ille ſibi fieri nõ vult, & quod mercator primus licitè potuit nolle, potuit hic alter licitè velle, quià per receptionem cambij factus eſt dominus illius pecuniæ receptæ, de qua propterea potuit diſponere, quomodocunque voluerit. Quod ſi ſupponas, mercatorem diuitem hunc alterum circumueniſſe, & per deceptionem induxiſſe ad cambiendum cum altero impotente, tunc non eximerem ipſum ab iniuſtitia, & contra ipſum prolatum crederem illud *Apoſt. 1. ad Theſſalon. 4. n. 6.*, *Ne quis ſupergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem ſuum, quoniam vindex eſt dominus de his omnibus.*

Non eſt campſor, ſed cãpſarius, qui conſtituitur in illo periculo.

---

§. XIII.

An pretium cambiorum non nundinalium poſſit eſſe certum, vel incertum.

SVMMARIVM.

Proponitur ſenſus difficultatis. 1.
Poteſt licitè vtroque modo eſſe contractus, dummodò quoad pretium incertum dubium fuerit æquilibre pro vtroque. 2.
Quid ſit viadatiò, & quomodo concurrat. 3.
Cauendum tamen eſt, ne pretia cambiorum augeantur ex malitia contrahentium. 4.

DIſquiſitio XIII. Acceperat Titius cambio à quodam Mercatore mille nummos aureos reſtituendos Romæ, ſed quoad pretium conuenerunt, vel quod ſtetur certo iam à conſulatu mercatorum impoſito, ſeu inter ipſos cambientes taxato, vel quod ſtetur incerto nempè imponendo per eundem Mercatorum conſulatum, ſeu Magiſtratum, quod tunc fit, quandò ſolutis, ſeù aliter expeditis literis cambiorum in nundinis fiunt tunc ibidem cambia pro pretio taxando ab eodem conſulatu, ſeu Magiſtratu in Ciuitatibus, & locis poſt reditum ex nundinis. Quæritur iam hic, an Titius, & ille mercator, à quo accepit illos mille nummos aureos potuerint licitè contrahere ſub vtroque pretio alternatiuè. 1

Reſpondeo licitè potuiſſe vtroque pretio contrahere, dummodò quoad pretium incertum dubium ſit æquilibre pro vtroque contrahente, *Scaccia de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampl. 14. num. 1., Romualdus Coli tract. de Cambijs cap. 23., Sotus de iuſt., & iu. lib. 6. qu. 12. art. 4. verſ. ad quæſtionem vol. 1.* licet hic videatur damnare contrahentes, quandò pactum eſt de certo, & determinato pretio. 2

Probatur prima pars, quia pretium contractuum taxandum ſiuè à mercatorum conſulatu, ſiuè à Magiſtratu eſt ſecundum ſe iuſtum, & legitimum, ergò non inique agit, qui in celebratione contractus conuenit de illo pretio. Antecedens patet, quia non eſt certior regula quoad taxationem pretiorum, quam vel communis æſtimatio, vel præſcriptum habentium publicam auctoritatem ad taxandum, ſeu determinandum illud pretium. Conſequentia probatur, quia iniquè non agit, quis ſe accomodat pretio ſecundum ſe iuſto; Neque dicas, taxationem debere eſſe pro tempore, quo primo celebratur cõtractus, non pro tempore futuro, ſicuti enim rerum pretia pro diuerſis temporibus variantur, ità congruũ eſt, quod pretium deſumant ſecundum æſtimationem, quam habent in tempore, pro quo celebratur cõtractus; contrà enim impugnaberis, nam quid prohibet, quo minus rem meam hic, & nunc

Ius eſt taxandi pretia, tũ apud mercatorum conſulatum, tũ apud Magiſtratum.

Digitized by Google

poſſim vendere, maximè, ſi ad emptoris inſtantiam vendam, pretio, quo æſtimabitur anno venturo? ſi tamen ęquale ſit dubium incrementi, vel decrementi. Certè hæc eſt fortunæ alea, cui quicunque ſe poteſt exponere. Non incongruè docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 10. num. 4.* non iniquum eſſe contractum mutui, quo quis mutuat triticum de præſenti cum onere, vt reſtituatur de futuro ſecundum valorem, quem habebit pro tempore reſtitutionis, quandò dubium eſt, an tempore, quo debet reſtitui, ſit pluris, vel minoris valiturum, dummodò dubium ſit æquale pro vtroque.

Eſt fortunæ alea, cui poteſt quiſque ſe exponere.

Probatur ſecundò à *Scaccia tract. de commerc. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampl. 14. nu. 1. verſ. confirmatur hæc ampliatio* hoc pacto, quia cambium eſt emptio, & venditio pecuniæ, iuxtà quod aſſerunt *Ioannes de Anan. in cap. vlt. nauigante ſub nu. 46. de vſuris, Boninſignius tract. de Cambijs cap. 6. verſ. ne anche, Fabianus tract. de Cambijs part. 2. cap. 5. num. 56.*, ſed cæteræ res, quæ emuntur, & venduntur poſſunt vendi, & emi pro pretio imponendo per ea, quæ docet idem *Scaccia §. 1. quæſt. 4. nu. 65. per totum*, ergo &c. Non acquieſceret quis huic probationi, nam, vel in cambio ſumitur venditio, & emptio pro permutatione pecuniæ præſentis pro abſenti præciſè, & hoc in ſenſu iam diximus ſuprà *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 1. ſub nu. 4.*, non conſiderari vllum pretium, nec iuſtificari lucrum ex abſentia præciſè, vel ſumitur pro locatione operarum, ſeu induſtriæ in traicendo, & ſic ſtandum videtur pretio iam taxato, cum in omnibus cambijs à tali loco ad alium videatur eſſe idem labor, induſtria, periculum &c. Nihilominus attento contractu ſecundum ſe, & ſecundum circunſtantias, quas inuoluit ex ſuppoſitione, quod ſit pretio æſtimabilis, vel ratione ſui, vel ratione circunſtantiarum, non eſt, cur non poſſit illud pretium, quod mereetur, exponi fortunæ aleæ, & ſicuti nemine reluctante pretiũ in cambijs, quæ fiunt de nundinis ad plateas ſumitur, prout taxatur a conſulatu; vel initur contractus ad pretium taxatum a conſulatu, ita non eſt, cur non poſſit iniri contractus de Ciuitate in Ciuitatem, vel de vna platea ad aliam ad pretium, vel per conſulatum, vel per Magiſtratum imponendum.

Satisfit certæ rationi dubitandi.

Dixi, *dummodò quoad pretium incertum dubium ſit æquilibre pro vtroque*, nam ſi ſit maior probabilitas de augmento, non immeritò docent *Sotus de iuſt. lib. 6. quæſt. 12. art. 4. verſ. ad quæſtionem, Scaccia loc. cit. num. 3.*, licitè non poſſe, ſeu potuiſſe illum contractum celebrari, nam illa maior probabilitas de augmento eſt ſecundum ſe pretio ęſtimabilis per ea, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de emptione, & vendit. in Diſquiſ. 1. §. 1.*, vbi rem in ſpe proxima venalem aſſeruimus eſſe pretio meritoriam, ergo etiam augmentum in ſpe proxima, ſeu cum magna probabilitate futurum erit pretio dignum, ergo, ſi fiat cõuentio de pretio cum illo augmento ſperato erit contractus cum
inæqualitate. Hæc conſequentia pro- 3
batur, quià, cum illud augmentum ſecundum ſe ſit ſuprà iuſtum pretium, ſeu ſupponatur eſſe ſupra illud, & ſpes de illo ſit proxima, ſeu ſaltẽ valdè probabilis, & etiam pretio æſtimabilis, ſi hæc, ſeu id, quod huic correſpondet exigitur ex conuentione, exigitur ſupra æqualitatem; vndè non immeritò docuit *Sotus loc. cit.* quod ad iuſtitiam requiratur viadatio, quæ eſt expoſitio pecuniæ periculo futuri euentus cum æqualitate pro vtraque parte. Ex his etiam deducitur, quod, quamuis ſecundum ſe ſit ęquale dubium pro vtraque parte, reddatur tamen iniquus cõtractus, ſi campſor facta conuentione de pretio imponendo malitiosè efficeret, vt pretia cambiorum eſſent in magna æſtimatione, quià huiuſmodi pretia non augerentur ex circunſtantijs ſecundum ſe concurrentibus ad aug-
mentum, ſed tantum ex malitia, & do- 4
lo procurantis idem augmentũ, quod non ſolum poteſt eſſe, quia pluris æſtimetur locatio operarum, ſeu virtualis traiectio, ſed etiam, quia valor ſcuti marcharum varietur.

Ad iuſtitiam cõtractus requiritur viadatio.

Probatur ſecunda pars reſponſionis quoad pretium ſcilicet certum, quia cambia regularitèr fiunt *al prezzo corrente*, ſed pretium decurrens eſt certũ, & determinatũ, quandoquidem illud eſt, de quo partes cambientes conueniunt poſt pretium à Magiſtratu initio nũdinarum impoſitum *Ioannes Baptiſta Cauatus tract. de Cambijs in præludijs verſ. reſpondeo fol. 215.*, habito ſemper reſpectu ad idem pretium a Magiſtratu taxatum, ergo &c. Confirmatur, quia, ſi quæ ratio euinceret, quod conuentio non poſſet eſſe de certo, & determinato pretio, maximè hæc, quia rerum pretia taxari nequeunt per priuatam contrahentium æſtimationem, ſed hæc ratio non obſtat; non enim nos aſſerimus,

quod

quòd pretium taxetur per ipſos contrahentes, ſed quòd ipſi contrahentes conueniant de pretio per Magiſtratum ſtatuto, vel ex communi vſu fori inducto. Confirmatur ſecundò, quià conſtituto cambio in ducatis centum v.g. valentibus regalia mille, ſi ſit dubium probabile, & proximum, quòd in nundinis valituri ſint mille, & fortè etiàm ducentum, poteſt iuſtè fieri conuentio de ſolutione mille, & centum computata illa maiori ſpe maioris lucri cum aliquali periculo maioris, vt docet *Caietanus in ſuo opuſc. de Cambijs cap. 6.* quem tamen immeritò impugnare videtur *Sotus lib. 6. de iuſtitia dict. quæſt. 12. cap. 4.* aſſerens non poſſe licitè ſubſiſtere cambium, niſi ſit æquale dubium maioris, vel minoris augmenti, quo circà, ſi taxetur lucrū, mutuum eſt, quòd vſuræ formam induit, immerito, inquàm, quià, quamuis vbi maior eſt ſpes maioris lucri futuri, contractus ſecundùm ſe ſit illicitus, poteſt tamen cohoneſtari per compenſationem illius maioris ſpei diminuendo ad proportionem eiuſdem de lucro, adeò vt poſita tali detractione ob maiorem ſpem, & computato illo periculo diminutionis, cui poteſt ſubeſſe cambium, conſtituatur medium quid, quòd ſit proportionatum pretium eiuſdem cantractus in ordine ad ſpem, & periculum iuxtà ea, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mut., & vſuris Diſquiſ. 6. §. 3., & in hoc 2. tom. ſub tit. Contractus V. de Cambijs I. Pranot. 6. num. 4.*, neque per hoc contractus egreditur à ratione formali cambij, nec tranſit in mutuum palliatum, vt ſupponere videtur Sotus, quandòquidem ſeruari ſupponuntur omnes conditiones ad cambium requiſitæ, nempè permutatio pecuniæ de loco ad locum cum virtuali illa translatione, & literarum miſſione, nec pretium illud certum, de quo eſt conuentio, eſt taxatum arbitrio præcisè contrahentium ex affectu lucrandi, ſed vel prudentum iudicio, vel etiàm eorum contrahentium iuxtà communem æſtimationem attenta illa veriſimilitudine periculi, & ſpei &c.

[Margin:] Cōueniūt de pretio per Magiſtratum ſtatuto.

[Margin:] Non egreditur à ratione formali cābij nec tranſit in mutuum.

§. XIV.

Vtrum cambiorum pretia inter Campſores variari poſſint.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus quæſtionis. 1.
Iuſtè remotis fraudibus, & concurrentibus diuerſis circumſtantijs potuit per campſores induci pretiorum variatio. 2.
Campſarius, & campſor, ſi nulla inter ipſos facta fuit conuentio, tenentur ſtare pretio, quòd ſecundum fortuitam facti contingentiam accedit. 3.
Si verò facta fuerit conuentio ſtandum erit conuentioni, dummodò fuerit iuſta. Ibid.

1 Diſquiſitio XIV. Contraxerant cambium in hac Mediolani Ciuitate campſuarius, & campſor pro foro Lugduni acceptis per campſuarium à campſore mille ducatis cum onere ibidem totidem reſtituendi. Cum Lugduni interueniat pro tempore reſtitutionis, vel maxima mercatorum exigentium copia cum pauco numero concedentium, vel inopiá exigentium cum magno campſorum, & pecuniarum numero, ad proportionem campſores augent, vel minuunt pretia cambiorum. Quæritur, an iuſtè potuerit illa cambiorum, ſeù pretiorum variatio induci, & an campſor, ſeù campſarius, qui celebrarunt cambium hic Mediolani, teneantur illi pretio ſtare. Proponit hac difficultatem *Sotus lib. 6. de iuſtitia quæſt. 12. art. 3.*, vbi nonnullis explicatis, alijſque remotis per duplicem conclusionem ſtatuit huiuſmodi cambiorum pretia poſſe variari.

2 Reſpondeo primò, iuſtè poſſe, & potuiſſe, remotis fraudibus, & dolo illam pretiorum cambij variationem per campſores induci. Ità cum eodem Soto ſuperiùs allegato *Caietanus in ſuo Opuſculo de Cambijs cap. 7.* Probatur primò, quià multiplicitas rerum in alijs venalibus, & inopia concurrentium ad emptionem earundem minuit ipſarum valorem, penuria rerum, & multiplicitas concurrentium pretium ipſarum adauget, ergò etiàm iuſtum poteſt tribuere fundamentū incrementi quoad pretium cambiorum inopia pecuniarum, & multitudo petentium ad cambium, decrementi verò copia pecuniarum, & penuria exigentium;

Pecunia licèt non ſit vendibilis, eſt tamen commutabilis.

Neque dicas, diſparem eſſe rationem, quia pecunia non eſt vendibilis, nec admittit latitudinem intrà ſupremum, & infimum, ſicuti eſt vendibilis merx, & extenſionem illam admittit; contra enim impugnaberis, quià, licèt propriè non ſit vendibilis, eſt tamen campſibilis, & commutabilis, adeòque ſub hac ratione poteſt pluris, vel minoris æſtimari, non quatenùs immutet bonitatem intrinſecam; ſed extrinſecam ratione cauſarum extrinſecarum, de quibus ſupra.

Non ſemper eſt idem pretium cambiorum.

Probatur ſecundò, quià de facto in cambijs celebratis poſt nundinas, quæ dicuntur de reditu nundinarum non ſemper idem pretium conſtituitur, ſed diuerſum iuxtà diuerſitatem circunſtantiarum, vt ex literis, quæ dicuntur de reditu manifeſtè innoteſcit, ergò concurrentibus diuerſis circunſtantijs, & cauſis extrinſecis validis ſecundum
1 ſe ad diuerſificandum, poterit iuſtè per campſores pretium variari. Neque dicas, illam variationem in cambijs, quæ ſunt de reditu nundinarum conſtitui non per ipſos campſores, qui ius non habent variandi, ſed per conſulatum Mercatorum, qui publicam habent auctoritatem; contrà enim impugnaberis, quià conſulatus Mercatorum, ſi pretium auget, vel minuit, hoc præſtat ſic exigentibus circunſtantijs, & cauſis extrinſecis concurrentibus, ergò poſito illo fundamento poſſunt iuſtè pretia variari, quòd deindè fiat talis variatio per conſulatum Mercatorum eiſdem Mercatoribus exigentibus, vel per eoſdem Mercatores iuxtà communem fori æſtimationem parum refert ad rem præſentem.

Conſulatus Mercatorum auget, & minuit pretium iuxtà circunſtãtias

3 Reſpondeo ſecundò. Campſarius, & Campſor, ſi nulla facta fuerit expreſſa conuentio, & variatio fuerit ſecundum omninò fortuitam rei contingentiam, tenentur ſtare illi pretio, vel adaucto, vel diminuto, ſi verò facta fuerit conuentio de ſtando pretio, prout curret pro tempore reſtitutionis Lugduni, tunc diſtinguendum eſt iuxtà ſuperiùs dicta, vel enim dubium erat æquilibre pro vtraque parte, & tunc, & conuentio licita eſt, & conuenientes tenentur illi ſtare, vel dubium magis propendet pro vna parte, & tunc conuentio eſt illicita, & læſus non tenetur illi ſtare; ſaltèm pro parte, in qua fuerit læſus. Eſt conformis iis omnibus ijs, quæ ſparſim dicta ſunt in ſuperioribus, quæ propterea non videtur indigere vlteriori probatione; ſic nihilominùs prima pars euincitur, quia vbi nulla eſt conuentio, conſuetudo loci, in quo facienda eſt reſtitutio, habet vim legis taxantis pretium, ergò pretio pro tali loco conſtituto ſtandum erit, adeòque, ſi in tali loco ex facti contingentia, vel creuerit, vel decreuerit ab eodem non erit recedendum, neque dicas per ea, quæ dicta ſunt *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænotio 1. num. 13.* quandò valor pecuniæ aureæ, vel argenteæ ſecundùm ſe eſt diuerſus in diuerſis locis, compenſatio facienda eſt pro exceſſu, vel pro diminutione, vt ſeruetur æqualitas, ergò etiam in caſu decrementi, vel augmenti ſecundum hypotheſim reſpõſionis talis compenſatio, vel in exceſſu, vel in defectu facienda eſt, parum enim referre videtur, quòd ille maior, vel minor valor fuerit antecedentèr, vel conſequentèr; contrà enim impugnaberis, quià in primo caſu detracto pretio traiectionis virtualis nullus eſſe poteſt titulus acquirendi illum exceſſum, nec ſubiacendi damno in decremento per ea, quæ ibi dicta ſunt; in ſecundo autem, cum vterq; contrahens exponatur fortunæ aleæ, & æquali periculo deperdendi, & ſpei acquirendi ex eiuſdem fortunæ ludo acquirit titulum lucrandi, ſi pretium augebitur, vel onus deperdendi, ſi pretium diminuetur; hac eadem ratione euincitur ſecunda pars reſponſionis. Tertia tandem euincitur, quià vbi æquale non eſt dubium pro vtraque parte non eſt æqualis vtriuſque conditio, non æquale periculum, nec æqua ſpes, adeòque, nec æqualitas requiſita ad iuſtitiam per ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt.

Conſuetudo loci habet vim legis taxãtis pretium.

Vbi æquale dubiũ ibi æqualis conditio.

§. XV.

An ſubſiſtat cambium, quo creditur campſarius ſoluturus, etiàm poſt ſuperuenientem ſcientiam, quòd non ſit ſoluendo.

SVMMARIVM.

Proponitur caſus, & multiplex ratio dubitandi. 1.

Extante dubio opinatiuo æquè probabili, quòd campſarius ſit, vel non ſit habiturus pecuniam in loco conuento licitum eſt cambium. 2.

Si dubium non ſit cum æquali probabilitate, ſed præponderet negatiua, quòd non ſit habiturus, & ſit ſpes ſolummodò remota, illicitum eſt. Ibid.

An-

Digitized by Google

Auctores pro vtraque ſententia, & rationes. 3.

Diſſoluuntur argumenta contraria. 4.

In ſuppoſitione, quòd contractus ſit illicitus non poteſt campſor exigere intereſſe talis contractus. 5.

In hypotheſi, quòd cambium fuerit licitum in prima ſui origine ex ſuperuenienti ſcientia impotentiæ non redditur illicitum, nec tollitur ius campſoris. 6.

Diſſoluuntur nonnullæ inſtantiæ oppoſitæ. 7.

1 DIſquiſitio XV. Dederat cambio hic Mediolani quidam campſor centum nummos aureos reſtituendos Romæ Antonio, de quo ob conditionē perſonæ non inueriſimile poterat eſſe dubium, quòd in loco ad reſtitutionem deſtinato non eſſet ſoluturus. Perſeuerante dubio, & non adhuc conſummato contractu per reſtitutionem habuit idem campſor plenam, & certam notitiam, quòd Antonius, cum non habeat Romæ, nec pecuniam, nec creditum, non ſit ibidem ſoluturus. Hic multæ rationes inſurgunt dubitandi, & primò, an huiuſmodi cambiū ſic initum cum veriſimili illa dubitate de ſolutione non futura fuerit licitum. Secundò, an ex ſuppoſitione, quòd fuerit illicitum poſſit campſor exigere capitale, & illius lucrum. Tertiò ex ſuppoſitione, quòd fuerit licitum in prima ſua origine, an perſeueret, vt tale ſuperueniente certa notitia de impotentia debitoris illic perſoluendi.

2 Reſpondeo primò extante dubio opinatiuo æquè probabili, quòd Antonius ſit habiturus pecuniam, & ſoluturus in loco conuento ad reſtitutionem, vel non ſit habiturus, nec ſoluturus cambium, de quo loquimur, licitum eſt, ſuoſq; debet parere effectus, ſi verò dubium non ſit cum æquali probabilitate, ità vt habeat ſpem ſolummodò remotam de ſolutione, ſed magis propendeat in eam partem, quòd non ſit ſoluturus cambium, præſumitur omninò illicitum, & vſurarium.
3 Hac diſtinctione conciliare exiſtimo auctores, qui in oppoſitas videntur abire ſententias, dùm *Siluester verbo vſura 4. §. 8., Sotus de iuſtitia, & iur. lib. 6. quæſt. 13. art. 1. concl. 3., Nauarrus in cap. nauiganti num. 25. de vſuris, Hieron. de Luca tract. de Cambys in verbo pro deciſione num. 43. tom. 6. part. 1., Fabianus Genuenſis tract. de Cambijs ſubnum. 46. verſic. decima, Ioannes Baptiſta Cauat. tract. de Cambijs tit. de dante verſic. quaro, an campſor, Romualdus Coli tract. de Cambys cap. 19. intorno* ſuſtinent abſolute eſſe illicitum, & vſurarium. Boninſignius *verò tract. de Cambijs cap. 7. verſic. ſono alcuni, Azorius inſtit. moral. part. 3. lib. 10. tit. de Cambijs cap. 11. quæſt. 6., Scaccia tract. de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampliat. 17.* abſolutè affirmant eſſe licitum, omnique carere labe vſuræ.

Mouentur primi, qui negant iuſtitiam huius contractus, his rationibus, & primò ex Pij V. conſtitutione damnantis cambium, vt ſiccum, quandò rè ipſa mittuntur litteræ ad locum, vbi pecuniæ ſunt ſoluendæ, ſed remittuntur inanes, eo quià non ſit, qui in nundinis, aut locis ſupradictis huiuſmodi literis receptis ſolutionem faciat, quòd videtur militare in hypotheſi diſquiſitionis. Rationes pro ſententia negante iuſtitiam cōtractus Secundò, quia qui accipit pecuniam in ſocietatem iniquè accipit, ſi nullum habeat officium, & item iniquè conſtituitur cenſus, & exiguntur penſiones, ſi conſtituatur ſuper fundo alieno, ſi emptor ſimulauerit ignorantiam, *Nauarrus in cap. ſi fœneraueris num. 119. 14. quæſt. 3., Boccat. tract. de cenſib. part. 2. num. 44., Azorius inſtit. moral. part. 3. lib. 10. tit. de cenſib. cap. 7. quæſt. 7.* ergò etiàm iniquè conſtituitur cambium pro aliquo loco, ſi probabilitèr dubitetur accipientem in tali loco non habere, nec habiturum, quo ſoluat. Tertiò, quià dans pecuniam in ſocietatem alicui, quem ex conditione perſonæ cognoſcit non negotiaturum, illicitè contrahit, quià non eſt ſocietas vera, ſed ſimulata, *Nauarrus in man. cap. 17. de vſura in ſocietate verſic. centeſimo duodecimo, Scaccia tractat. de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 1. num. 35.*, ergò etiàm, qui dat titulo cambij alicui, quem ex conditione perſonæ nouit in loco deſtinatæ ſolutionis non habiturum, quo ſoluat, ſed petijſſe ex motiuo quodamodò mentali mutui ad ſubueniendum ſibi, rebuſque ſuis, quamuis palliauerit contractum titulo cambij. Quartò, quià vſurarius eſt contractus, quo campſuarius exhibet ſe ad ſoluendum, vbicunq; campſor voluerit, quià eſt præſumptio, quòd pecunias exegerit mutuò ad proſpiciendum rebus ſuis *Azorius inſtit. moral. part. 3. lib. 10. tit. de Camijs cap. 10. verſic. item ſuſpecta*, ſed hæc eadem videtur militare præſumptio, quandò quis accipit pro aliquo loco, in quo non inueriſimile eſt dubium, quòd non ſit ſoliturus, ergò &c. Tandem, quià communitèr damnant contractum, vt ſiccum, & vſurarium, quo campſores tribuunt Regibus pe-

cu;

cunias,& recipiunt chirographum pro ſolutione ad alia loca,in quibus ſciunt ijdem campſores Reges, nec actu, nec potentia habere pecunias, quas reſtituant, ſed reſtituendas eſſe in loco, in quo prius acceperunt, *Lupus §.1.nu.23. in fin. de vſuris inter tract. diuerſ. tom. 7. fol.139.*, *Nauarrus in cap.nauiganti verſic. decimo quinto num.* 14. *de vſuris*, *Azorius inſtit.moral. part.3. lib.10.tit.de Cambijs cap.* 11. *quæſt.* 7., ergò etiàm &c.

Rationes pro ſententia ſuſtinente iuſtitiam.

Mouentur ſecundi, qui ſuſtinent iuſtitiam contractus primò, quià cambiũ eſt in genere contractuum emptionis, & venditionis per ea, quæ ſparſim ſuprà tradidimus, ſed in contractibus emptionis, & venditionis non eſt neceſſe, quòd habeatur ſcientia, quòd venditor ſit rem promiſſam traditurus, ſed ſufficit, quòd poſſit cogi ad illam tradendam. Secundò dato etiàm,quòd ex conditione perſonæ, cui conceditur cambium, poſſit præſumi impotentia, adhuc poſſet campſor exigere capitale, & intereſſe, vt notat, *Nauarrus in cap. Nauiganti num. 26. verſic. in ſolo de vſuris &c.*, Sed ſi bene perpendas omnia argumenta, tàm pro prima, quàm pro hac ſecunda ſententia adducta eo tendere cernes, vt euincant ſolummodò iuxtà ſenſum diſtinctionis propoſitæ in reſponſione, vt infrà.

Probatur iam prima pars reſponſionis, quia non eſt aſſignabilis,à quo proueniat iniuſtitia in illo contractu, ergò omninò licitus eſt. Antecedens probatur, quià iniuſtitia, ſi quæ eſſet, non poteſt ineſſe in recipiente pecunias, qui etiàm quamuis reciperet titulo mutui in cambio cum intereſſe, ſeù vſuris nulla iniuſtitiæ labe afficitur per ea, quæ diximus *tomo* 1. *ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot.* 17., & ex eo, quòd quodamodò deciperet campſorem aſſerens ſe habere, vel actu, vel potentia pecuniam in loco reſtitutionis, quàm tamen non haberet, arguitur, quòd peccet quidem contrà fidelitatem peccato mendatij, non tamen iniuſtitiæ, dummodò habeat, quo poſſit ſoluere, per quòd ſaluatur æqualitas ad eandem iuſtitiam requiſita, ergò tota iniuſtitia, ſi adeſſet, eſſet pænès Campſorem tradentem pecuniam ex eo,quòd quodamodò reciperet lucrum ex illo contractu tanquàm ex cambio, quòd tamen formalitèr non eſſet cambium, ſed potiùs mútuum palliatum titulo cambij, ſed in hypotheſi reſponſionis iniuſtitia ex capite expoſito non reſultat in tradente, ergò &c. Minor probatur, quià ipſe non contrahit intentione

Peccaret contra fidelitatẽ, nõ contrà iuſtitiam.

ſiuè explicita, ſiuè implicita mutuandi, ſed animo conſtanti cambium veràm ineundi, nec ex eo, quòd poſſit eſſe aliquale dubium, quòd campſuarius non ſit habiturus pecuniam in loco conuento ad reſtitutionem contractus transfertur à natura cambij ad naturã mutui; tùm quià cum eo dubio poteſt eſſe fixa intentio tradentis cambiendi, non mutuandi, non enim adſtringitur ad vni potiùs, quàm alteri parti adhærendum, tùm quià ſi ſinè dubio traderet alicui pecuniam cambio reſtituendam in alio loco credens campſuarium illam ibi habiturum, quàm tamen de facto ibi non habet nec actu, nec virtute, contractus nec eſt illicitus, nec praua intentio contrahentis, ergò nec erit illicitus, ſi etiàm poſſit eſſe dubium cum probabilitate tamen, quòd, poſſit habere ibi talem pecuniam, vel actu, vel virtute, quià cum tali dubio poteſt eſſe iuſta, & rationabilis præſumptio, quòd ſit habiturus, tùm quià in emptione aliarum rerum non tenetur emptor ſcire, an ille, qui vendit, habeat, ſeù ſit habiturus rem, quàm vendit per ea, quæ docuit, *Scaccia de commert.§.6.gloſ.* 1. *num.* 64., ergò neque in celebratione cambij.

Non contrahit intentione, nec explicita, nec implicita mutuãdi, ſed cambiendi.

Dices deficiente aliqua ex conditionibus neceſſariò, vel ex natura contractus, vel ex diſpoſitione iuris requiſitis ad eundem contractum,contractus ipſe non ſubſiſtit, ſed ad cambium locale requiritur tanquam neceſſaria conditio, quòd pecunia reſtituenda fuerit in alio loco à loco, in quo fuit accepta, nec ſufficit,quòd poſſit eſſe aliqua præſumptio, quòd ibi ſit, tùm quià bona fides non ſtat cum dubio per ea, quæ docuimus *tomo primo ſub tit. Contractus I.de Contractibus,vt ſic Prænot.*11.*nu.*12., tùm quià contractus ſecundum ſui naturam non ſubſiſtens non redditur licitus per ſolam bonam fidem contrahentis per ea, quæ diximus *eodem tomo primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 7.*, quin immò, nec poteſt aliquos effectus parere, ergò &c., Sed contra, quià licèt de ratione cambij localis ſit, quòd pecunia ſit in alio loco, non eſt tamen neceſſe, quòd ibi fuerit realitèr, ſed ſufficit ſaltèm quantum eſt ad iuſtificandam intentionem tradentis, quòd fuerit præſumptiuè, eo quià quantum eſt ex ſe, & quantum ad effectum per exburſationem, quàm hic facit, transfert alteriùs pecuniam ab illo loco, in quo præſumit eſſe ad locum præſentem, in quo conſiſtit ratio iuſtificandi lucrum per ea, quæ tra-

Sufficit, quod pecunia fuerit in loco reſtitutionis præſumptiuè.

tradimus *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Pranot. prima*, nec malitia campſuarij promittentis ibidem pecuniam receptam reſtituere poteſt officere eidem campſori, qui non alium habuit animum, quàm verùm cambium celebrandi, cum intentione virtualitèr transferendi pecuniā alterius in hunc locum, quàm ſi non transfert, non ex defectu ipſius, ſed ex defectu alteriùs decipientis, cui propterea imputandum eſt, quòd cambium ibi non cõſummetur per actualem ſolutionem, nec iura ex alio fine præſcribunt ibidem debere eſſe pecuniam, vel actu, vel virtute, niſi quià præſumunt contrahentes ſimulare contrahere pro tali loco, ſed tacitè inter ſe conuenire de ſolutione facienda in eodem loco, in quo fuit contractus celebratus, quòd eſt præciſè mutuare, & velle exigere illud lucrum ex mutuo, quod exigitur ex illo cambio ſimulato, vt apertè colligitur ex Pij V. Conſtitutione, ibi *vt contrahentes ad certas nundinas, ſeù alia loca cambia celebrare ſimulent*, & paucis interpoſitis, *nam inter dantes, & accipientes vſque à principio ità conuenerant, vel certè talis intentio erat, neque quiſquam eſt, qui in nundinis aut locis ſupradictis huiuſmodi litteris receptis ſolutionem faciat*, cum igitur ipſe campſor, nec ità conuenerit, nec talem intentionem habuerit, vt ſupponitur, non cadit ſub dicta diſpoſitione, nec ſub alijs iuribus, quod, ſi campſuarius talem intentionem habuerit, hoc non officit, quia iura non præſumunt contra recipientes pecunias, quin potiùs ipſis conſulere ſtudent, ne grauentur ex mutuo ſupra id, quod debitum eſt, ſed contra dantem, qui præſumitur velle recipere lucrum ex mutuo, licèt ſimulet ſpeciem cambij, qui propterea, ſi non ita ſimulet, nec ita conueniat, ſed probabilitèr credat ſe recepturum ſolutionem in loco deſtinato, non afficitur huiuſmodi iuribus, ſicuti non afficitur ille, qui dat cambio pro aliquo loco non dubitans, quin ſolutio ſit ponenda, ſi ſolutio de facto non ponatur, cui propterea non poteſt alteriùs deceptio nocere. Aduerte tamen, quòd, ſicuti, qui dedit cambio pro aliquo loco certo credens ibi ſolutionem ponendam, ſi non ponatur, ad ſibi in foro exteriori conſulendum tenetur eleuare protextum, ità tenetur eleuare pro eodem foro externo protextum ille, qui dedit cambio dubitans &c. In particulari ad ea, quæ dicuntur in inſtantia, dicendum eſt,

Campſor in hac hypotheſi non cadit ſub diſpoſitione Pij V.

Fraus alterius nõ poteſt obeſſe innocenti.

quòd, quamuis bona fides cum dubio non videatur poſſe ſubſiſtere, non eſt tamen in contractu cambij abſolutè neceſſaria bona fides, vt docet, *Azorius inſtit. moral. part. 3. lib. 10. tit. de Cambijs cap. 11. quæſt. 6.*, ſeù certitudo, quòd campſarius ibi habeat, ſed ſufficit quædam moralis credulitas, quæ poteſt eſſe permanente dubio; Deindè eo ipſo, quòd actu dat pecuniam præſumitur deponere dubium, & inclinare in partem, quòd campſarius ibi habeat. Tandem etiàm cum dubio poteſt compati bona fides, ſi dubium fuerit merè opinatiuum, non ſuſpenſiuum per ea, quæ docuimus *tomo primo ſub tit. Contractus I. de Contractibus, vt ſic Pranot. 2. num. 15.* prout opinatiuum ſupponitur in caſu, de quo loquimur, cum non ſit præſumendum, voluiſſe campſorem ſine probabili ratione ſe mouere ad tradendam pecuniam ſuam alteri ſupponendo non eſſe redditurum. Ad illud, quòd ſubditur ex dictis *ſub tit. Contractus II. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 7.* dicendum eſt, ea ſubſiſtere, quià ibi ſupponitur contractus vſurarius, vel ſaltèm in ſubſtantia deficiens, hic autem nec contractus vſurarius eſt, nec deficit aliquid pertinens ad ſubſtantiam, cum ſufficiat exiſtentia pecuniæ in loco reſtitutionis præſumptiuè, vt videre eſt in eo, qui certo creditur ibi habere, cum tamen non habeat nec actu, nec virtute.

Sufficit moralis credulitas, quòd campſarius ſit habiturus.

Dices ſecundò, ſi quis emat à Ruſtico bouem exiſtimans eſſe ſub dominio eiuſdem Ruſtici, quem tamen Ruſticus non habeat, iniuſta omninò, & illicita eſt talis emptio, ergò etiam, ſi quis cambiat cum altero exiſtimans, ſeù dubitans ipſum, cum quo contrahit, habere pecuniam in loco reſtitutionis, quàm tamen non habet, iniuſtè contrahere dicendus eſt; Sed contra dato antecedente neganda eſt conſequentia. Ratio negationis in eo conſiſtit, quià in primo caſu de boue vendito non exiſtente apud venditorem non ſubſiſtit venditio, quià venditor, nec habet actu, nec virtute rem venditam, nec in indiuiduo, nec in ſpecie, in ſecundo autem de pecunia reſtituenda non exiſtente apud campſarium in loco reſtitutionis faciendæ ſubſiſtit cambium, quia licèt campſarius ibi non habeat pecuniam, vbi eſſet reſtituenda, habet tamen aliquid æquiualentèr, nec alia ratione exiſtentia in loco reſtitutionis requiritur, niſi ad tollendam præſumptionem, quòd campſor intendat lucrum ex mutuo recipere

Diſpar ratio de boue vendito non exiſtente ſub dominio venditoris.

ſub

Digitized by Google

Exiſtentia in loco ſolutionis requiritur ad tollendam præſumptionem.

ſub apparenti titulo cambij, quæ præſumptio, cum ceſſet in hypotheſi, qua contrahit ſub aliqua probabilitate ibi futuræ ſolutionis, & ea omnia præſtet, quæ ad rationem contractus cambialis requiruntur, non eſt, cur contractus ipſe in ſui ſubſtantia non poſſit ſubſiſtere, ſicuti ſubſiſtit, quandò creditur abſolutè ſolutio futura in loco, quo debet poni, licèt actu non ponatur.

Probatur ſecunda pars reſponſionis. Illa probabilitas cum ſpe ſolummodò remota ſolutionis futuræ in loco deſtinatæ ſolutionis talis eſt, vt in iure non computetur, ac perindè eſt, ac ſi non eſſet, ſic in particulari docuimus *tomo primo ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. Diſquiſ. I. §. 1. nu. 4. verſic. probatur ſecunda pars* rem ſub ſpe remota non eſſe vendibilem, nec pretio æſtimabilē, ergò neque etiàm futura ſolutio ſub ſpe remota in loco deſtinatæ ſolutionis erit computabilis, & pretio compenſabilis, adeòque perindè erit, ac ſi non eſſet futura in tali loco, ſed contractus initus ſine ſpe futuræ ſolutionis in loco ſolutionis eſt omninò irritus, vt ſparſim alibi diximus, ergò &c.

Spes remota perinde eſt, ac ſi non eſſet.

Cōfirmatur, quià qui habet ſolummodò ſpem remotam futuræ ſolutionis in loco deſtinato, & nihilominùs dat cambio, præſumitur, quòd habeat ſpem proximam habendi reſtitutionem in loco, in quo celebrat contractum, ſed qui dat pecuniam alteri cum ſpe proxima eandem recipiendi in eodem loco cum lucro iniquè contrahit, ſiquidem eſt præſumptio, quòd intendat principalitèr lucrum ex ſola temporis dilatione, cum nullus ſit ita inſanæ mentis, qui vellet dare pecuniam alibi reſtituendam ſub ſpe remota recuperationis ibi, niſi haberet animū poſitiuum recuperandi in loco, in quo dedit, & ſic ſemper cum affectu præſumpto, & principali mutui. Confirmatur ſecundò, quià, vt ſupra dicebamus, qui dat pecuniam in ſocietatem alicui, puta militi, vel clerico, quem ex conditione perſonæ cognoſcit non negotiaturum, illicitè contrahit, quià non eſt ſocietas vera, ſed ſimulata, ergò etiàm, qui dat pecuniam titulo cambij alicui puta ruſtico, ſeù alteri, quem ex conditione perſonæ cognoſcit non eſſe ſoluturum in loco conuento ad reſtitutionem, ſeù eſt reſpectu ipſius in ſpe ſolummodò remota ſolutionis in loco deſtinato, iniquè contrahit. Antecedens ſinè vllo ſcrupulo admittitur, a *Scaccia dicto §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampl. 17. num. 18.*, quamuis aduerſetur abſolutè reſponſioni noſtræ proptèr eam rationem, quòd qui dat clerico, vel militi ad negotiandum eſt in euidenti, & inexcuſabili culpa, cum ex conditione clerici, & militis excludatur omnis ignorantia; Sed peto, cur etiam non excludatur omnis ignorantia in ruſtico, ſeù reſpectu eius, reſpectu cuius non habet ſpem, niſi remotam? Certè non minùs improbabile eſt, quòd ſit negotiaturus miles, aut Clericus, ac ſit negotiaturus ruſticus, aut alter, qui ex conditione perſonæ cognoſcitur non habere id, quo negotietur, & ſicuti miles, & Clericus id, quòd accipiunt, licèt ſit ſub ſpecie ſocietatis, accipiunt tamen ex animo mutui, quo indigent, non ſocietatis, ità ruſticus, aut alius, qui non præſumuntur habere, quo ſoluant pecuniam, quàm recipiunt, præſumuntur accipere ex animo mutui &c.

Argumētum validum contra Scacciam.

Nō poteſt præſumi ignorantia in dante.

Eſt præſumptio, quòd intercedat lucrum ex ſola temporis dilatione.

4 Iam argumenta pro vtraque opinione adducta ſuperiùs ſunt diſſoluenda, vel ad ſanum ſenſum iuxta diſtinctionem à nobis expoſitam conciliandа, & primò ad id, quòd affertur ex Conſtitutione Pij V. dicendum eſt procedere, quando eſt conuentio, vel intentio inter contrahentes, quòd ſolutio ſit facienda in loco, in quo celebratus eſt contractus ibi *nam inter dantes, & accipientes vſque à principio ità conuenerant, vel certè talis intentio erat &c.* non autem quandò reſpectu campſoris adeſt probabilis ratio, quæ poſſit mouere ad prudentem crudelitatem, quòd campſarius ſit ibi ſoluturus, vbi conuentum eſt, tunc etenim ceſſat præſumptio mutui, & per hoc confirmatur prima, & ſecunda pars noſtræ reſponſionis. Ad illud, quòd dicitur de datis in ſocietatem officij, quando officium non eſt, & de cenſu conſtituto ſuper fundum alienum, dicite ea procedere, quià in ijs non poteſt præſumi ignorantia in dante, & cenſum emente, quandòquidem, cum facile poterit conſtare de non exiſtentia officij, & de alienitate fundi, ſi inquiratur, & non inquiratur, imputatur eius latiſſimæ culpæ, quæ etiàm dicitur ignorantia craſſa, & affectata, quæ eſt ſecundùm ſe inexcuſabilis, cum autem non ità facilè conſtare poſſit de non indigentia eius, qui accipit cambio cum onere alibi reſtituendi, & an illic habere poſſit ſoluendi litteras cambij, cum hæc ſint ſecundùm ſe occulta, & ignorantia non poteſt dici craſſa, nec inexcuſabilis, adeòque &c. Huic reſponſioni multum fidere videtur, *Scaccia*

Digitized by Google

cia de commert. §. 1. quaeſt. 7. part. 2. ampl. 17. num. 17., ſed quià ſtante ignorantia excuſabili adhuc crederem cõtractum ſocietatis, & cenſus non ſubſtere, quià non poteſt eſſe emptio ſinè rei exiſtentia, quæ emitur, nec alius contractus ſinè re, in qua fundatur, ideò aliam diſparitatem aſſignarem, ſitam in eo, quòd in allegatis contractibus ſocietatis, & cenſus non adeſt res, nec proximè, nec remotè, nec formalitèr, nec virtualitèr, in qua huiuſmodi contractus poſſint fundari, & perfici, adeòque ignorantia, ſeù credulitas de exiſtentia non poteſt ſupplere defectum eiuſdem, & conualidare contractum; in caſu autem cambij, de quo hic loquimur, exiſtentia rei, ſupra quàm cadit contractus, non deficit abſolutè, ſed tantum in loco, in quo per reſtitutionem debet compleri ipſe contractus, qui certè defectus ſuppleri pòteſt per moralem credulitatem, quòd ibi exiſtat, quandòquidem ex allegatis iuribus in tantum ibi requiritur, in quantum debet tolli præſumptio, quòd vel ex conuentione, vel ex tacita intentione campſor det ex affectu mutui ad lucrandum, ſcilicèt ob ſolam temporis dilationem, quæ certè ceſſat ex eo, quòd probabilitèr credat campſarium ibi ſoluturum. Ad id, quòd dicitur de contractu, quo campſuarius ſe obligat ad ſoluendum vbicunque campſor voluerit, dicendum eſt, non obſtare reſponſioni, quandòquidem ex eo, quòd campſarius ità ſe exhibeat, manifeſtè conſtat campſori, quòd ille non indigebat cambio, ſed mutuo, adeòq; ſic dando eſt in latiſſima culpa, & ſic non conſtituitur in dubio cambij, cum manifeſtè conſtet de mutuo. Ad vltimum tandem idem ferè reſpondeas, quoniam certò ſcit Reges in loco conuentionis non ſoluturos, nec indigere cambio, ſed mutuo.

Non eſt ignorãtia craſſa, nec inexcuſabilis.

Nõ deficit pecunia abſolutè, ſed tantum reſtrictiuè in tali loco.

Conſtituitur in latiſſima culpa.

Ad rationes, quę pro altera ſententia afferuntur facilis etiàm eſt reſponſio; Eſto enim, quòd non requiratur ſcientia, quòd venditor ſit rem venditam traditurus, res tamen vendita debet exiſtere, vel actu, vel potentia proxima, ſinè quo non ſubſiſteret venditio, quòd etiàm militat in caſu noſtro, & ſicuti in caſu emptionis, & venditionis ſufficit, vt aſſerit *Scaccia loc. cit. num. 2.*, quòd campſor credat venditorem, vel inuitum poſſe cogi ad rem tradendam, ita in caſu cambij, de quo hic loquimur, ſufficit, quòd campſor probabilitèr credat, quòd vel volente, vel inuito campſuario poſſit ſatisfieri. Ad illud, quòd ſubditur, patebit reſponſio ex ijs, quæ nunc ſubdo.

Reſpondeo ſecundò ex ſuppoſitione, quòd contractus ſit illicitus, poteſt quidem campſor capitale per ſe ſolutum exigere, non tamen intereſſe, nec quidem ratione lucri ceſſantis. Conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt *tomo primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 7.* Probatur primò, quià contractus ſecundùm ſe nullus non poteſt aliquos fructus gignere, nec parere intereſſe, ergò, ex ſuppoſitione, quòd contractus, de quo loquimur, ex defectu conditionis neceſſariò requiſitæ ad validitatem ſit illicitus, pręſtare non poterit, quòd campſor pro illo exigere poſſit intereſſe; Neque dicas, intereſſe non poſſe quidem exigi ex vi contractus præciſè, poſſe tamen exigi ex vi lucri ceſſantis, non, inquàm, hoc dicas, nam peto, vel deſtitit ab alio cambio licitè celebrando ob hoc, & conuenit de illo lucro, ſeù illius lucri compenſatione, vel non deſtitit proptèr hoc, nec de illo lucro conuenit, ſi hoc ſecundùm? non eſt, cur illius lucri poſſit exigi compenſatio, ſi primum? adhuc peto, an tradiderit exigente opportunè, & importunè campſuario, & in gratiam præciſè ipſius, an fuerit ipſe petens, & potiùs ob commodum proprium ad acquirendum ſcilicèt illud lucrum ab iſto, ſi primo modo tradiderit, non renuerem concedere, poſſe illud lucrum iuſtè exigere, ſiquidem lucrum correſpondens ceſſat, & de illo conuenit, in quo ſenſu etiàm poteſt exigi in mutuo, vt ſupra ſparſim diximus, ſi ſecundo modo; videtur cedere iuri illius compenſationis, ſeù melius videtur velle ſolùm illud lucrũ ex ſola temporis protractione, & cum det in ſui commodum per contractum ſecundùm ſe non lucratiuum, non videtur habere ius ad illam compenſationem lucri ceſſantis, cum ceſſet ipſo volente, non ex cauſa campſuarij.

5

Nec poteſt exigi intereſſe, nec ex vi cõtractus, nec ex vi lucri ceſſantis.

Probatur ſecundò reſponſio, quià defectus, ob quem contractus ſupponitur inualidus, conſiſtit in eo, quod contractus non eſt cambium, ſed mutuum dumtaxat palliatum cum cognitione campſoris dantis, qui ex illo intendit lucrum acquirere, ſed contractus vſurarius initus cum illa prauitate ex parte dantis non tribuit ius exigendi lucrum ceſſans, ergò &c. Minor probatur, quià per illam intentionem deprauatur quidquid intendit campſor in illo cambio, ſeù titulo palliato cambij. Quis enim diceret, quòd qui

Nõ eſt cãbium, ſed mutuum palliatum

Digitized by Google

vſurariè contrahit, poſſet lucrum ceſſans exigere? ergò ex illo contractu ſic inito non poteſt campſor intereſſe acquirere. Recole ea, quæ dicta ſunt *tomo primo ſub tit. Contractus III. Diſquiſ. 6. §. 7.*

6 Reſpondeo tertiò in hypotheſi, quòd cambium fuerit licitum in prima ſui origine, eo quià fuerit initum cum probabili ratione, quòd campſarius eſſet ſoluturus in loco deſtinato ad ſolutionem, ex ſuperuenienti ſcientia impotentiæ, vel non indigentiæ cambij, ſed mutui præcisè non redditur illicitum, nec tollit ius campſoris ad exigendum intereſſe ſimul cum capitali, *Scaccia dicto §. 1. quæſt. 9. part. 2. ampliat. 17. num. 26.*, qui meo videri ratione vrgenti mouetur, aſſerit enim; Qui bona fide præſcripſit, non obligatur poſteà ex ſcientia ſuperuenienti, & ad hoc allegat *Petrum de Vbaldis in cap. ſi diligenti num. 102. de præſcriptionibus inter repet. tom. 4. fol. 157., Sotum de iuſt. lib. 6. quæſt. 7. artic. 2. ſub 4. concl. ibi exceperim prætereà, Ioannem Andræam in cap. poſſeſſor quæſt. 6. num. 39., & in ſpecie num. 43. verſic. concludo igitur de reg. iuris in 6.*, ergò etiam, qui bona fide, & licitè acquiſiuit ius ad lucrandum fructus, & intereſſe non debet illo priuari ex ſuperuenienti ſcientia. Conſequentia probatur, quià in tantum in caſu præſcriptionis per ſuperuenientem ſcientiam ius non amittitur, in quantum tale ius iam eſt perfectè acquiſitum, ſed etiam in propoſito ſupponitur ius ad intereſſe perfectè quæſitum campſori pro contractum initum cum illa veriſimilitudine, quòd campſuarius ſit ſoluturus, ergò per ſuperuenientem ſcientiam, quòd non ſit ſoluturus, non vitiatur contractus; Neque, dicas præſcribentem non obligari poſteà ex ſuperuenienti ſcientia, quià per præſcriptionem præfinito tempore conſummatam iam eſt completum perfectum dominium, in campſore autem, qui tradidit cum bona fide pecuniam alibi reſtituendam non eſt completum, nec completur dominium, niſi quatenus pecunia reſtituenda traditur, adeòque ante illius traditionem non videtur campſor quæſiuiſſe illud ius, quòd acquirit præſcribens per præſcriptionem, & ſic præſcribens ſuperueniente ſcientia non eſt priuandus iure, quòd perfectè acquiſiuit, priuandus autem eſt illo per ſuperuenientem ſcientiam campſor, cum illud non perfectè acquiſierit; contrà enim impugnaberis, quià, quamuis campſor ante traditionem pecuniæ ſibi reſtituendæ non acquiſierit ius in re, acquiſiuit tamen perfectè ius ad rem, ratione cuius pōteſt agere ad complementum vſque ad integram, & cōſummatam ſolutionem eo modo, quo celebrato contractu cambiali cum plena fide, quòd campſarius ſit ſoluturus in loco conuento, ſi non ſoluerit, cum nemo appareat, qui nomine ipſius acceptet litteras, non acquiſiuit certè campſor ius in re, acquiſiuit tamen ad rem, ratione cuius non ſolùm poteſt agere ad ſortem recipiēdam, ſed etiàm ad intereſſe; vndè ad inſtantiam dicite, quòd, quamuis non acquiſierit dominium, ſicut præſcribens, acquiſiuit tamen perfectè actionem ad illud aſſequendum cum pleno iure etiam quoad intereſſe, & ſicuti præſcribens ſuperueniente notitia non eſt priuandus dominio, ita nec campſor ſuperueniente eadem notitia priuandus eſt illa actione, quòd ſufficit ad rem noſtram.

Argumētum deductū à paritate præſcriptionis.

Acquiſiuit ius ad rem cum pleno iure.

Dices, qui bona fide emit cenſum impoſitum ſuper re aliena ſuperueniente notitia alienitatis, contractum tenetur reſcindere repetito dumtaxat pretio *Medina in ſuis tract. tomo primo tit. de rebus per vſuram acquiſ. quæſt. 5. verſic. ſequitur hinc Boccatius de cenſibus part. 1. num. 35., Azorius inſtit. moral. part. 3 lib. 10. de cenſibus cap. 7. quæſt. 7. verſus finem*, ergò etiām, qui iniuit cambium cum alio cum onere alibi reſtituendi ſuperueniente poſteà notitia, quòd hic aliùs non habeat in loco reſtitutionis, quo reſtituat, contractus eo ipſo redditur irritus, nec vllum poteſt eſſe ius reſpectu campſoris ad intereſſe; Sed contrà, negand a eſt conſequentia, quia in primo caſu contractus non ſubſiſtit in ſua origine, quamuis bona fide fuerit initus, cum non ſit res, ſuprà quàm fundari poſſit idem contractus, in ſecundo autem cambium in ſua radice ſubſiſtit, quià res, ſuprà quàm cadit, exiſtit, & licèt non exiſtat in loco, in quo debet reſtitui realitèr, ſufficit, quantum requiritur ad iuſtificandum contractum ex parte campſoris, quòd exiſtat apprehenſiuè, cum exiſtentia in tali loco ſolùm requiratur ad tollendam præſumptionem mutui, quæ eſſe non poteſt, dum apprehenditur ibi eſſe. 7

Cenſus in data hypotheſi non ſubſiſtit in ſua origine.

Dices ſecundò ex dictis *tomo primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 4. §. 3. num. 4.*, ſi mutuans vltrà ſortem aliquid acceperit à mutuatario animo, & titulo gratitudinis præcisè, ſi poſteà cognoſcat mutuatarium non voluntariè ſimplicitèr titulo gratitu-

dinis

Digitized by Google

dinis exceſſum illū dediſſe, & dare, ſed inuoluntariè mixtè tenetur illum reſtituere, ergò etiàm, ſi campſor dederit titulo cambij, & habuerit animum lucrū recipiendi ex cambio, ſi poſteà cognoſcat campſuarium non habuiſſe intentionem cambij, ſed mutui præcisè non poterit intereſſe pro cambio exigere; Sed contrà, neganda etiàm eſt conſequentia. Ratio negationis in eo conſiſtit, quòd illud, quòd datur titulo gratitudinis in mutuo dependet omninò à libera voluntate tradentis, ſinè qua non ſubſiſtit, adeòque ex alio titulo non poteſt exigi in mutuo, id autem, quòd datur ex vi contractus in cambio, debetur ex iuſtitia ex vi contractus ipſius, adeòque ſubſiſtente contractu debetur, etiàm ſi contrahens alter nempè campſarius renuerit, eo quià eo ipſo, quòd conſenſit in contractum præſumitur conſenſiſſe in ea omnia, quæ ab ipſo contractu proueniunt; contractus autem ex eo præcisè ſubſiſtit, quòd fuerit initus pro tali loco, cum bona fide campſoris, cętero-qui ſemper eſſet in poteſtate campſuarij irritandi contractum, & decipiendi campſorem, quod non eſt de facili concedendum. Hinc ceſſante bona fide quoad titulum gratitudinis in mutuo per ſuperuenientem ſcientiam ceſſat ius acquirendi, eo quià hoc dependeat præcisè à voluntate tradentis, ceſſante verò bona fide in cambio per ſuperuenientem ſcientiam non ceſſat ius acquirendi, cum ſubſiſtat adhuc ius acquiſitum vigore contractus, cum malitia campſuarij decipientis non poſſit præiudicare campſori æquo animo, & iuſta intentione contrahenti modo licito, & lucratiuo.

Titulus gratitudinis dependet præcisè à voluntate tradentis

Probatur ſecundò, qui emit rem ab altero, qui aſſerit eandem eſſe Romæ, & Romæ non eſt, licèt exiſtat in loco emptionis, vel in alio iuſtè emit, nec per ſuperuenientem cognitionem, quòd ibi non ſit, amittit ius eandem habendi, & quidquid eidem emptori intererit, quòd fuerit in loco conuento, ergò etiàm, qui cambit pro alio loco, in quo probabilitèr præſumit eſſe pecuniam reſtituendam, iuſtè cambit, & per ſuperuenientem cognitionem non amittit ius eandem habendi cum omni eo iure, ac ſi fuerit in illo loco.

§ § § § § §
§ § § § §
§ § § §
§ § §

§. XVI.

An creditor ex quauis cauſa poſſit conuenire cum debitore, vt poſſit pecuniam ſibi debitàm accipere ad cambium, illamque retinere in cambijs, & recambjs vſque ad integram ſolutionem, & exigere intereſſe pro illis.

SVMMARIVM.

Proponitur ratio dubitandi. 1.
Duplex ſenſus, in quo poteſt intelligi difficultas. 2.
Illud intereſſe, ſi poſſet exigi, non eſſet ex vi camby formalitèr ſumpti, ſeù vt pretium eiuſdem. 3.
Creditor ex facultate ſibi attributa ſumendi ad cambia, & recambia, ſi fuiſſet implicaturus ſuam pecuniam in eiſdem, ſi habuiſſet, poteſt iuſtè exigere intereſſe cambiorum, & recambiorum. 4.
Intereſſe, de quo agitur, licitum eſt, ſiuè proportionetur toti, & integro intereſſe, quòd reſultat ex cambys, & recambys comprehenſis etiam expenſis, ſiuè taxetur ad determinatum pretium. 5.
Si facultas ſit indefinitè pro quibuſcunque plateis, ſeù nundinis onus debitoris debet eſſe ad proportionem pretij decurrentis in talibus nundinis, & platæis. 6.

1 DIſquiſitio XVI. Titius debitor erat verſus Caium mille aureorum ex iuſto titulo præcedenti, cumque vrgeret dies ſolutionis, nec haberet, quo ſolueret, vel ſi haberet, indigeret id implicare in aliàs negotiationes ſibi vtiliores, vel ad damna ſibi imminentia reparanda inſtante pro ſolutione Caio Titius cum eodem conuenit hoc pacto, vt poſſet creditor in ſatisfactionem dicti ſui crediti tantundem pecuniæ nomine cambij accipere, illamque via cambij, & recambij, ſeù ſuper cambijs, & recambijs etiam ſecum retinere vſque dum à debitore fuerit integrè ſatisfactus vna cum omnibus intereſſibus decurſis, & decurrendis cambiorum, & recambiorum, cum quibuſuis expenſis vſque ad complementum ſolutionis. Quæritur hic, an intereſſe cambiorum vigore huius facultatis debitum creditori de iure ſubſiſtat. Pro ſolutione

 Ad-

Digitized by Google

2 Aduerte primò, controuerſiam hic eſſe poſſe, an illud intereſſe cambiorum, & recambiorum ſit quaſi lucrum cambij, vti fructus pecuniæ, & ſortis exburſatæ, & habitæ per debitorem, ſeù melius illius virtualis traiectionis, quæ connectitur cum eodem cambio, an verò ſit compenſatio alicuius lucri ceſſantis, vel damni emergentis, prout in latiſſima ſignificatione ſumit intereſſe *Iacobus de Rauenna, Butrius in leg. vnica num. 8. Cod. de ſent, quæ pro eo, Alciatus in repet. num. 19. cum ſequentibus*, an verò, vt aſſerit *Bartolus in dicta leg. vnica num. 8. Cod. de ſent., quæ pro eo*, & cum eo *Albericus ibid. Sapia in repet. num. 9. cum ſequent., Decius in rub. Cod. de ſent., quæ pro eo ſub num. 3.*, iuſta alteriùs vtilitas, an, vt aſſerit *Baldus dicta leg. vnica num. 6. Cod. de ſententia, quæ pro eo* ſit damnum emergens, vel lucrum ceſſans ex accidenti proptèr damnum, & moram, per quòd diſtinguitur à pretio, quòd non eſt per accidens, ſed per ſe venit in ipſo contractu.

Modificationes, reſtrictiones, ampliationes ſecundum quas procedit quæſtio.

Aduerte ſecundò, hoc intereſſe de quo agitur, poſſe ſub diuerſis formis, modificationibus, reſtrictionibus, & ampliationibus ſumi, primò prout datur facultas à debitore creditori cambia, & recambia celebrandi ad determinatas plateas, & loca feriarum; Secundò, prout datur indifferentèr pro quocunque loco. Tertiò, prout reſtringitur ad determinatam quantitatem puta ad ſex, vel quinque pro centenario, adeò vt nequeat excedere in commodum debitoris. Quartò, prout talis facultas intrà certum tempus datur ad ſex, & non plura, poſt quòd detur ad longè plura, ſeù cum conditionibus magis grauantibus ipſum debitorem. His ſuppoſitis

Nō poteſt eſſe pretium contractus, qui nō eſt.

3 Reſpondeo primò, ſi in data hypotheſi diſquiſitionis poſſet exigi illud intereſſe, hoc non eſſet ex vi cambij formalitèr ſumpti, ſeù vt pretium eiuſdem cambij *Turri tract. de Cambijs diſp. 3. quæſt. 11. num. 1.* Probatur, quia inter creditorem, & debitorem nullus initus eſt contractus cambij, ergò illud intereſſe non exigitur, vt pretium cambij. Conſequentia probatur, quia non poteſt eſſe pretium contractus, vbi contractus non eſt; Neque dicas ex eo, quòd debitor facultatem dederit creditori ſumendi pecuniam ſibi debitam ad cambia, & recambia, videri, quòd, ſi non formalitèr, ſaltèm æquiualentèr ſe obligarit titulo cambij, ſicque illud intereſſe ſit pretium eiuſdem cambij virtualitèr initi; contrà enim impugnaberis, nam cambium verſatur ſolummodò inter dantem, & recipientē, & inter eum, qui obligat, & obligatur, & licèt creditor ſumat ex facultate ſibi attributa à debitore, non proptereà ipſe debitor eſt, qui contrahit, ſed creditor, licèt poſteà ad onera, quæ ſubit ipſe creditor ex cambio, ſe obliget verſus ipſum creditorem ipſe debitor, quòd eſt potiùs compenſare damna, quæ ſubit ob dilationem debitoris in ſoluendo creditor, quàm contrahere cum ipſo cambium.

Cambiū nō poteſt eſſe, niſi inter dantem, & recipientem.

Dices, creditor ſumendo illam pecuniam titulo cambij ex facultate ſibi data per debitorem perindè ſe habet, ac ſi illam ſumeret nomine debitoris, & vt procurator eiuſdem, ergò illud intereſſe, quòd ipſe debitor ſolueret, eſt quaſi pretium cambij, quòd per creditorem nomine ipſius fuit initum; Sed contrà, quia, cum ipſe creditor ſit, qui contrahit nomine proprio obligando ſe ipſum campſori danti talem pecuniam, non verò debitorem, qui ſolùm obligatur verſus creditorem dando eidem facultatem ſic ſumendi, non verſus campſorem, apud quem nullam agit perſonam, non eſt, cur teneatur ad pretium cambij, qua pretium formalitèr eiuſdem eſt debitor, ſed ad ſummum ad compenſationem illius oneris, quòd aſſumit ipſe creditor ob moram debitoris non ſoluentis pro tempore, pro quo deberet ſoluere.

Creditor contrahit nomine proprio.

4 Reſpondeo ſecundò, ſi creditor fuiſſet pecuniam illam implicaturus, ſi à debitore recepiſſet, in negotiationem cambiorum, ex facultate ſibi per debitorem attributa in hypotheſi non ſolutionis ſumendi aliam pecuniam ad cambia, & recambia, vtique poſſet exigere intereſſe cambiorum, & recambiorum, ſiuè prout importat compenſationem lucri ceſſantis, vel damni emergentis, ſiuè prout dicit iuſtam alterius vtilitatem, ſiuè damnum emergens, vel lucrum ceſſans ex accidenti proptèr damnum, & moram *Decius conſ. 562. viſo puncto diligentèr in primo dubio, Tiraquel in ret. lig. §. hoc ſermone limit. 6. num. 8. in fine, Scipio Ruuitus in ſuo conſ. 103. lib. 2. num. 3., Sapia 4. part. iur. regul. tit. de Cambijs num. 43.*, qui teſtatur ita fuiſſe iudicatum à Regio Conſilio Neapolitano ſub die 15. Martij 1602. Probatur. Conſonum eſt iuri, & naturali æquitati ingenitum, vt quilibet conſeruetur indemnis ab eo, in cuius fauorem incommodum ſentit *leg. frater in fratres §. pono eum ff. de condict. indeb.*, &, ſi accedat promiſſio in-

Promiſſio indemnitatis obligat ad quodcunque intereſſe, & pœnam.

indemnitatis promittens obligatur ad quodcunque intereſſe, pœnam, & ad quaſcunque acceſſiones *leg. quaro in princip., & ibi Bartolus, & Baldus ff. locati, Salicetus leg. 2. num. 3. C. de ſent., quæ ſin. cert. quant., Decius leg. vltima §. Labeo nu. 11. ff. ſi cert. pet., & in leg. impoſſibilium ff. de reg. iur.*, ergò, ſi creditor fuiſſet implicaturus illam pecuniam in negotiationum cambiorum, & proptèr non ſolutionem tempore cònuento accepit ab alio titulo cambij aliam pecuniam, proptèr quam tenetur ſoluere intereſſe vſque ad integram, & conſummatam ſolutionem, tenebitur maximè accedente facultate debitor illud intereſſe, vſquequo integrè ſatisfecerit, compenſare ad ſeruandum indemnem creditorem, qui ſinè illa compenſatione incommodum ſentiret in fauorem debitoris, & cum illa indemnitatis conſeruatio ſit naturæ ingenita, non eſt, cur non poſſit iuſtè, & ſinè labe exigi.

Dices primò, hoc eſſe exigere intereſse ob ſolam temporis dilationem in ſoluendo, adeòque ex mutuo ſaltem virtuali, & palliato, quòd ſic euincitur, nam ſupponamus creditum fuiſſe ex præcedenti cauſa mutui, certè ſi creditòr ob non ſolutionem, ſeù non reſtitutionem tempore deſtinato exigeret illud intereſſe, exigeret ex beneficio mutui prorogato, adeòque vſurariè. Sed contrà, admitto ſuppoſitionem, creditum fuiſſe ex præcedenti cauſa mutui, nego autem illud intereſſe exigi formalitèr ex mutuo ſiuè ſimplicitèr, ſiuè prorogato, quamuis occaſionalitèr ab illo dependeat, ſed ex facultate illa conceſſa creditori, vt ſcilicèt in defectum reſtitutionis pecuniæ mutuatæ eam poſſit ſumere ad cambium, & recambium oneri debitoris, quæ facultas certè nullo iniuſtitiæ vitio laborat, cum ſit ad indemnitatem præciſè ſeruandam creditoris, & ſicuti in mutuo ipſo per ea, quæ latè docuimus *tomo primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 12. num. 1., & 6.* poteſt paciſci de compenſatione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, dummodò interueniant conditiones omnes ibi præſcriptæ ad illud exigendum, ità non eſt, cur interuenientibus illis conditionibus non poſſit paciſci de illa facultate &c.

Non prouenit ex mutuo, ſed ex facultate illa cōceſſa à debitore creditori.

Dices ſecundò, hæc, quæ dicuntur, eſſe quodamodò pallium, quo teguntur vſuræ, quandòquidem, vel nunquàm cambia celebrantur per creditorem habita tali facultate, ſed ſimulantur, vel mittuntur quidem litteræ, ſed non realitèr tranſmittuntur ipſa cambia, & ſic ficta ſunt, & fœneratitia, non realia; Sed contrà, ſi re vera cambia non celebrantur, vera ſunt, quæ dicuntur in inſtantia, & in hoc ſenſu non procedit noſtra reſponſio, quæ ſupponit cambia reuera celebrari, & ex celebratione eorundem oriri onera ſoluendi pro illis intereſſe campſori, quòd deindè intereſſe compenſandum eſt creditori per debitorem, neque facultas, quæ per hunc eidem creditori conceditur, eſt, vt malè ſupponit *Ludouicus à Peguera deciſ. crimin. 33. num. 3.* ad celebranda dumtaxat cambia ſicca, & vſuraria; cui enim notum non eſt, poſſe mercatores, & ſolere de facto nemine reluctante pro expediendis proprijs negotiationibus ad proprium incommodū pecunias ſumere ad cambium licitum, & reale? ergò, cum celebrari poſſint cambia realia, non eſt præſumendum, quòd facultas ſit tantum ad ſicca, & vſuraria, &, ſi cambia inita per mercatorem ad expeditionē propriorum negotiorum, quamuis ſint cum proprio incommodo, non ſunt infecta, nec vſuraria, vt in confeſſo eſt apud omnes, cur vult præſumere *Peguera*, quòd ſint infecta cambia, quæ celebrantur, cum omnibus requiſitis ad iuſtitiam eorundem ex eo præcisè, quòd ſint cum onere debitoris ex facultate per hunc creditori attributa? Abs re igitur, & incongruè *Peguera* ex titulo cambij ſicci damnat illam facultatem, quàm ex alio capite debuiſſet impugnare, ſi ſufficientes rationes habuiſſet, non ex expoſito. Ad illud, quòd ſubditur de miſſione literarum, non traſmiſſione cambiorum reali, gratis omninò, & ſinè fundamento aſſeri dicendum eſt, nam, licèt pecuniæ realitèr non traſmittantur, virtualiter intelliguntur tranſmitti ex eo, quòd tranſmittentis inſtitutoribus, ſeù reſpondentibus onus imponatur litteras perſoluendi, qui, ſi illas acceptent, & conſtituant ſe debitores, nouaſque literas tranſmittant, intelliguntur virtualitèr ſatisfeciſſe pro primo cambio, vtſupra probatum eſt, non enim requiritur, quòd ille, qui debet in loco conuento cambium per ſolutionem reſoluere, ibi habeat pecuniam actu, ſed ſufficit, quòd habeat virtute, per quàm ibi fiat ſolutio, quæ non ſemper fit per pecuniam numeratam, ſed etiam alijs modis, prout alibi latè diximus.

Procedit reſponſio in ſenſu, quo verè cambia, & recambia celebrantur.

Tranſmittuntur literę, & fit virtualitèr ſolutio.

Dices tertiò, omninò fœneratitius eſt contractus, in quo conuenitur de certo intereſſe ſic declarante Sāctiſſimo

Pio

Pio V. in ſua Conſtitutione ſupra relata, ergò etiàm vſuraria erit illa conuentio, qua creditor obligat debitorē ad intereſſe cambiorum, & recambiorum, prout in præſenti loquimur; Sed contra primò, quià Pontifex loquitur de intereſſe vltrà pretium cambij, intereſſe autem, de quo hic agimus, correſpondet pretio cambiorum, ſeù recambiorum. Secundò, Pontifex intelligit de cambio ſimplici, prout protrahitur vltrà tempus conuentum, in quo non vult ob ſolam temporis dilationem maius intereſſe exigi, hic autem ſermo eſt de cambijs, & recambijs, ſeù de cambio multiplicato. Tertiò, idem Pontifex reſpexit præcisè intereſſe ex cambio, prout ex cambio, non ex alia iuſta cauſa præcedenti, hic autem agitur de intereſſe ex alia cauſa, prout tamen correſpectiuatur ad cambium, ad cuius menſuram lucrum ceſſans deſumitur. Tandem conuentio etiàm in mutuo, dummodò ſit de intereſſe proportionato, & veriſimili, & abſit omnis dolus, & fraus palliandi vſuras, non eſt iniuſtitiæ obnoxia *Hoſtienſis in cap. ſalubritèr col. 2. in fin. verſic. ideò puto ex mente, & in cap. Nauiganti col. 1. poſt medium verſic. quid ergò ſi quis paratus de vſuris, Felinus cap. cum venerabilis num. 4., & 9. de except., Barboſa leg. 2. parte prima in princip. num. 48. ad fin. ff. ſolut. Matrim., Gutierez de contract. iur. parte prima cap. 2. num. 5., Surdus de alim. tit. 1. quæſt. 45. num. 75.*, quòd nos etiàm docuimus *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 13.*, quià quòd intereſſe etiam ex mutuo non habetur pro vſura, quamuis ſimus in intereſſe lucri ceſſantis *Alexander conſ. 221. nu. 1. lib. 2., Iaſon conſ. 151. in fin. lib. 4., Aretinus conſ. 9. col. vlt., Tiraquel de retract. lignag. §. 1. gloſ. 18. num. 71.*, cum autem hic verſemur in intereſſe proueniente ex mutuo, ſeù cauſa mutui, vel alteriùs iuſti crediti, licèt intereſſe ceſſans commenſuretur ad normam cambij, non eſt, cùr debeat eſſe damnabile.

Inſtantia deducta ex Conſt. Pij V., & eius ſolutio.

5 Reſpondeo tertiò, intereſſe, de quo agitur, licitum eſſe, ſiuè proportionetur toti, & integro intereſſe abſque vlla taxatione, aut remiſſione, quòd reſultaret ex vſu illius pecuniæ debitę, ſi ſolueretur, & continuatione compręhenſis quibuſcunque expenſis, ſiuè taxetur ex mutuo contrahentium conſenſu ad determinatam quantitatem, puta ad ſex, vel ſeptem pro quolibet centenario in anno, quæ non excedat veriſimile pretium cambiorum computato periculo, & ſpe, alijſq; requiſitis, *Turri de Cambijs diſp. 3. quæſt. 11. num. 73., & ſequent. vſque ad fin.*, qui tamen magis commendat modum, quo ſtatuatur, vt intereſſe prædictum excedere non poſſit determinatam quantitatem.

Ratio primæ partis eſt, quià ex non ſolutione debitoris intrà tempus præſignatum reſultat illud intereſſe cum omnibus expenſis in onus creditoris, qui accepit illas pecunias ad cambium, ergò, cum illa facultas per debitorem creditori attributa reſpiciat indemnitatem eiuſdem creditoris, extendi debet ad quodcunque intereſſe quomodocunque ſumptum, cæteroqui non releuaretur in eo, in quo ex cauſa debitoris grauatur contrà diſpoſitionem iuris *in leg. eum, qui ff. de iur. auth. contra, qui propriam Cod. de non numer. pecun.* præcipuè, cum vſuræ non proptèr lucrum petentium, ſed propter moram non ſoluentium infligantur *leg. cum quidam §. ſi pupillo in fin. ff. de vſuris*. Accedit ex allegatis ſuperius iuribus, quòd vbi adeſt promiſſio indemnitatis, lata adeò ſit interpretatio, vt extendatur ad intereſſe, & ad pænam, & ad quaſcunque acceſſiones, & expenſas *leg. quæro in princip., & ibi Bartolus, & Baldus ff. locati, Decius leg. vlt. §. Labeo num. 11. ff. ſi cert. pet., & alia ſuperiùs allegata*.

Promiſſio indemnitatis extēditur ad quodcumque onus.

Ex quibus habes, quòd, ſi talis facultas ſumendi ad cambium per debitorem creditori conceſſa fuerit indefinita pro quibuſcunque plateis, vel nundinis, onus debitoris ſit ad intereſſe, prout cambium in eiſdem nundinis, pro quibus celebratur, quoad valorem reſultat, dummodò tamen ex poſt facto legitimè probetur tanti valuiſſe, *Lupus de vſuris §. 6. num. 29., Nauarrus in man. cap. 17. num. 211., Cagnolus leg. 1. num. 51. Cod. de ſent., quæ pro eo, Ancharanus quæſt. 33. num. 4. lib. 2.*, ſi verò talis facultas fuerit pro determinatis locis, ſeù nundinis onus in debitore non ſit, niſi ad intereſſe, quod reſultat in talibus locis, ſeù nundinis, quià pacta ſunt ſeruanda ſecundum conditiones appoſitas per contrahentes, niſi tales conditiones iuri, & naturæ pacti repugnent *leg. 1. §., quæ depoſitis in fin. ff. depoſiti.* Hic durus videtur ſermo, quo *Turri dicta diſput. 4. quæſt. 11. num. 4. verſic. rurſus hæc eadem facultas* videtur aſſerere quoad talem facultatem poſſe eſſe pactum, quod pro aliquo determinato tempore intereſſe ſit ad tantam quantitatem, poſt illud verò ad longè maiorem; Durus, inquam, quià ille exceſſus poſt illud tempus acquirendus videtur eſſe ex ſola temporis protractione, quandòquidē, 6

Pacta ſunt ſeruanda ſecundum conditiones appoſitas.

cum

Digitized by Google

cum illud pactum videatur præſcindere ab intereſſe cambiorum, prout reſultabit pro illo tempore, non videtur aliud reſpicere, quam maiorem temporis protractionem, ſi enim deberet eſse ad proportionem pretij cambiorum ſecundùm temporis contingentias, adquid determinatè apponere, quod pro determinato tempore intereſse tanti valeat, poſt quod debeat ad longè plus aſcendere cum grauamine debitoris.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſumpta veriſimilitudine ad proportionem dubij pro incremento, vel decremento poteſt creditor ius incertum commutare cum iure ad certa, quæ non excedant illam veriſimilitudinem per ea, quę docuimus *tomo primo ſub tit. Contractus II. de emptione, & vendit. Diſquiſ. 1. §. 1., & ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 3.*, ergò accedente vtriuſque conſenſu poterit intereſse taxari ad determinatam quantitatem, quæ ſit congrua attenta illa veriſimilitudine, quæ æquiponderet maiori, vel minori lucro ſecundum debitam æſtimationem. Confirmatur, quia talis facultas reſpicit indemnitatem creditoris, ergò hic poterit recedere à rigore integri pretij, & contentus eſſe de determinata quantitate, cum vnicuique integrum ſit à iure ſuo recedere *leg. ſi quis in contrahendo Cod. de pactis*.

Poteſt ius ad incerta commutari cũ iure ad certa.

Dices, conuentionem de hac determinata quantitate improbari per Sanctiſſimum Pium Quintum in Conſtitutione ſupra relata; Sed contra, quia Pontifex in dicta Conſtitutione locutus eſt ſolummodò in terminis de campſore, & campſuario ex cauſa cambij, non autem de campſuario in ordine ad ſuum debitorem ex cauſa mutui, vel alio quolibet iuſto titulo, reſpectu cuius, cum nulla ſit expræſſa prohibitio, non eſt, cur non poſſit deuenire ad determinatæ quantitatis taxationem, dummodò non excedat, & per hoc potiùs conſulatur ipſi debitori, & creditor poſſit ius ſuum remittere. Recole, quæ ſuperiùs dicta ſunt.

Non aduerſatur aſſerto Pius V.

---

§. XVII.

An facta tali facultate per debitorem creditori onus ſoluendi intereſſe tranſeat etiam ad Hæredes eiuſdem debitoris.

SVMMARIVM.

Senſus difficultatis in ſuis terminis. 1.
An talis facultas ſit in vim mandati, an verò conuentionis initæ definitur. 2.
Talis facultas irreuocabilis eſt, & tranſit in quoſcunque hæredes. 3.

DIſquiſitio XVII. Idem Titius debitor, de quo ſupra, ex iuſto titulo verſus Caium certę ſummæ, cum non haberet, quo ſolueret tempore conuento, facultatem fecit eidem Caio talem ſummam accipiendi in cambijs, & recambijs vſque ad integram ſolutionem. Ante poſitam ſolutionem debitor Titius mortuus eſt. Quæritur, an talis facultas perſeueret in Caio creditore vſque ad perfectam ſolutionem, & onus tranſeat etiam ad Hæredes debitoris. Proponit hanc difficultatem *Turri de Cambijs dicta diſp. 3. quæſt. 11. à num. 61., vſque ad 72. incluſiuè*. Pro quo 1

Aduerte, controuerſiam præciſè oriri in definiendo, an talis facultas conſideranda ſit in vim mandati præciſè conceſſi per debitorem creditori, prout teſte eodem *Turri loc. cit. num. 68.* conſiderauit Rota Romana in manuſcriptis, quæ ipſe vidiſſe profeſſus eſt, an verò, prout habet vim conuentionis, ſeù pacti veſtiti cauſa, & quidem legitima, & vallati ſtipulatione, per quod creditori quæſitum ius dicatur, adeò vt tale ius irreuocabile cenſeatur, ſeù vim actionis fideiuſſoriæ, quæ perſeuerat quouſque debitum, cui accedit, inextinctum remaneat. Non habere vim præciſè mandati ex iam dictis in ſuperiori diſquiſitione ſatis liquet, ſiquidem id, quod præſtat creditor ſumendo pecuniam ad cambium ex facultate ſibi præſtita à debitore, non præſtat, vt mandatarius, ſed in perſona propria, nam nõn obligat ipſum debitorem campſori, à quo ipſe accipit cambium, ſed ſe ipſum dumtaxat, licèt poſteà vigore facultatis ſibi conceſſæ deuictum teneat eundem debitorem ad exonus proprium, ſicque ex hoc capite non eſt talis facultas reuocabilis, nec 2

Nõ habet vim præciſè mandati.

Illa facultas non eſt reuocabilis, nec extinguitur morte cõcedentis.

Digitized by Google

nec extinguitur morte concedentis, ſed tranſit ad hæredes eiuſdem concedentis, cuius bona cedunt in hypothecam pro vſu talis facultatis. Deindè dato etiam, quod talis facultas conſiderari poſſet in vim mandati, adhuc tamen in terminis, de quibus agimus, non eſſet reuocabilis, quandòquidem eſt in gratiam præcisè mandatarij, quo inito reuocari non poteſt *leg. ſi cum fundum ff. de pactis, Caſtrenſis in leg. ſingularia num. 12. ff. ſi cert. pet.*, &, cum ſit firmata ſtipulatione, perfectum ius tribuit creditori, cui eſt conceſſa *leg. adeò ff. de ſolutionibus leg. verò procuratori §. ſed, & ſi quis ff. eod. tit., Ruinus conſ 115. num. 15. lib. 1.*, & hac ratione tranſit in vim contractus *Turri de Cambijs dicta diſput. 2. quæſt. 11. num. 72.* His poſitis

3 Reſpondeo, talem facultatem irreuocabilem eſſe, & tranſire contra quoſcunque hæredes, vſque ad integram ſolutionem, *Turri loco mox cit. num. 61., & ſequet.* Probatur primò, quia talis conceſſio facultatis eſt ex legitima cauſa ad exonus creditoris, & ad ipſum conſtituendum indemnem, prout ſupra latè probauimus, ſed ex facultate orta ex legitima cauſa conceſſa ad indemnitatem habentis legitimam cauſam oritur nedum actio perſonalis contra concedentem, ſed etiam realis contra ipſius bona, *Salicetus in leg. legem num. 10. Cod. de pactis, Baldus in leg. ſi diuiſione num. 3. Cod. famil. erciſc., Coaruuias cap. quamuis parte 2. §. 4. nu. 14. de pactis lib. 6.*, ergò &c.

Probatur ſecundò, quia promiſſio indemnitatis, & fideiuſſio pro eadem indemnitate quoad effectum obligandi promittentem, ſeù fideiubentem paria ſunt, *Bartolus in leg. pater de dot. præleg., Alexander conſ. 31. quart. parte*, vnde promiſſor tenetur ſubire iudiciū ad defendendum, ſicut fideiuſſor *dicta leg. pater cunēto verbo, quòd ſi ratum eod. tit., Baldus in leg. ſi pro ea 12. quæſt. Cod. mandati*, ſed actio fideiuſſoria, ſeù obligatio non extincto iure, cui accedit, tranſit etiam ad hæredes fideiubentis, ſiquidem actio realis eſt ex vulgatis iuribus, ergò etiàm &c.

Promiſſio indemnitatis, & fideiuſſio quoad effectū paria ſunt.

Probatur tertiò; ipſum debitum, ſi non fuerit ſolutum per principalem debitorem, tranſit ad ipſius hæredes, qui repræſentant perſonam defuncti debitoris non ſolùm in ordine ad iura, quæ acquirunt, ſed etiam in ordine ad illorum onera, nam hæres conueniendus eſt, vbi defunctus debuiſſet *leg. hæres abſens ff. de iudic.*, & æque ſucceſſor eſt lucri, ac vitiorum defuncti *l. an vitium ff. de diuer., & temp. præſcript. leg. cum hæres, & leg. apud ff. de excep. dom. §. de auctoris, & §. fin.*, ergò etiam ad eoſdem tranſire debet onus indemnitatis in fauorem creditoris per defunctū debitorem promiſſæ. Probatur conſequentia, quià principalis debitor promittendo indemnitatem conſtituit etiā ſe debitorem quoad damna, ſi quæ emergent creditori, ergò ſi primum debitum transfunditur in hæredes, ad eoſdem etiam transfundi debet ſecundum, quod eidem accedit. Confirmatur, quia promiſſio indemnitatis eodem iure afficit promittentem quoad debitum, ac quoad acceſſiones *cit. leg. quæro in princip. ff. locati, Felinus poſt Baldum cap. ex reſcriptis num. 18. de iure iur.*, ergò ratione eiuſdē eodem iure in hæredes transfunditur onus ſoluendi intereſſe pro debito, ac transfunditur ipſum debitum, cui ex talis facultatis conceſſione fiunt illius intereſſe acceſſiones.

Hæres repræſentat perſonā defuncti nō ſolùm in ordine ad iura, ſed etiam ad onera.

Probatur quartò. Obligationes, quę oriuntur ex vi contractus etiam innominati, ſi ſtipulatione firmentur, vel ex vna parte fuerit ſatisfactum, ſunt irreuocabiles ſaltem ex parte eius, qui non ſatisfecit per ea, quæ dixi *tomo primo ſub tit. Contractus I. de Contractibus, vt ſic Prænot. 4.*, & ius illud, quod acquiſiuit ille, qui ſatisfecit, transfunditur in ipſius hæredes nemine reluctante, ſed illa facultas creditori conceſſa oritur, quaſi ex contractu, ſiquidem videntur partes implicitè ſic conuenire. *Si non reſtitueris debitum, quandò cedit dies ſolutionis, eandem permitto tibi, vt retineas, & vice verſa, cum mihi lucrum ob non ſolutionem pro tempore ceſſaturum ſit, tu permittes, vt ego cambio ſummam pecuniam à te mihi debitam vſquequo integrè perſolueris*, & creditor, quantum eſt ex ſe, ſatiſfecit relinquendo, ergo &c.

Illa facultas oritur quaſi ex cōtractu.

Dices, ex hac conuentione videri, quod hauriatur illud intereſſe ex beneficio mutui prorogato, perindè enim eſt, ac ſi creditor diceret, *Mutuo tibi ad vlteriùs tempus, ſi onus aſſumes ſoluendi pro me intereſſe cambij*; Sed contra, quia illa conuentio non eſt præcisè ob beneficium mutui prorogatum, ſed ad compenſandum damnum, quod ex illa prorogatione ſequitur creditori, cum teneatur accipere ad intereſſe illam pecuniam, cui intereſſe non ſubiaceret, ſi propriam mutuatam haberet, neque hoc nouum eſt, cum etiam in mutuo poſſit paciſci de lucro ceſſante, & de damno emergente, prout latè dicimus *tomo primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 13.*

§. XVIII.

Digitized by Google

§. XVIII.

An creditor ad exigendum à debitore intereſſe cambiorum, & recambiorum per facultatem ſibi conceſſam neceſſe ſit, vt in effectu vtatur illa facultate, & doceat de vſu illius.

SVMMARIVM.

Senſus difficultatis, & variæ rationes dubitandi circa ipſum. 1.
Quid ſit actio præſcriptis verbis, & quandò detur. 2.
Hæc actio eſt ſtricti iuris, adeòque ſtrictè interpretanda. 3.
Creditor, qui non eſt vſus tali facultate, non poteſt agere actione promiſſionis ex cambio. 4.
Creditor, qui non eſt vſus tali facultate, non poteſt agere actione præſcriptis verbis. 5.
Quod valet etiam ſi facta fuerit expreſſio, quòd debitor teneatur, etiam ſi creditor vſus non fuerit tali facultate. 6.
Ad exigendum intereſſe cambiorum, & recambiorum debet creditor probare ea fuiſſe ſubſtantialitèr inita. 7.
Ad probandum cambia, & recambia fuiſſe inita non ſufficit exbibitio literarum miſſarum, & remiſſarum. 8.

1 DIſquiſitio XVIII. Titius iuxtà hypotheſim duarum præcedentium diſquiſitionum ob debitum tempore conuento non ſolutum facultatem conceſſit Caio creditori ſumendi totidem ad cambia, & recambia, ad quorum intereſſe ſe obligauit, donec idem Caius fuerit integrè ſatisfactus. Caius poſita tali permiſſione, & promiſſione, vel tali facultate non vtitur ſumendo cambia, & recambia, vel ſi vtitur, non poteſt, vel non vult de tali vſu docere. Hic multiplex oritur difficultas, & primò, an in hac hypotheſi Caius creditor poſſit agere ad tale intereſſe contra Titium debitorem actione promiſſionis. Secundò ex ſuppoſitione, quod ipſa non poſſit agere, an ſaltem agere poſſit actione præſcriptis verbis. Tertiò, an ad agendum actione præſcriptis verbis debeat plenè docere de vſu talis facultatis ſibi conceſſæ. Quartò, quænam requirantur ad plenam probationem talis vſus. Pro notitia

2 Aduerte, actionem præſcriptis verbis tunc ſolùm dari, cum conuentio, ex qua prouenit, non habet determinatum nomen, à quo denominetur *leg. 1., & 2. ff. de præſcript. verb. leg. 3., & ibi Gloſa ff. de cond. indeb., Gloſa in leg. rebus Cod. de rer. permut.* Dicitur autem præſcriptis verbis, quia conſtituitur per verba à contrahentibus præſcripta, & reſtringitur ad limites eorundem verborum, *Gloſa in rub. ff. de præſcriptis verbis leg. quidquid adſtringendæ in princip. leg. ſi ità ſtipulatus §. Chriſogonus ff. de verb. oblig.* Hæc actio eſt ſtricti iuris, adeòque ſtrictè interpretanda, *Gloſa Magiſtralis leg. iuris gentium §. quinimmò ff. de pactis in verbo quinimmò,* in qua iudex non poteſt arbitrari, ſed debet ſtrictiſſimè interpretari per ea, quæ docui *tomo primo ſub tit. Contractus I. de Contractibus, vt ſic Tranot. 3. aſſert. 2. num. 6.,* & verba dubia interpretantur contra proferentem *leg. veteribus ff. de pactis.* His ſuppoſitis. 3

Reſpondeo primò, quòd credior, qui in effectu non eſt vſus tali facultate, non poſſit agere ad exigendũ à debitore intereſſe cambiorum, & recambiorum actione promiſſionis ex cambio, *Turri de Cambijs diſput. 3. quæſt. 11. num. 85. verſic. limita è conuerſo.* Probatur. Non oritur actio ex aliquo contractu, niſi talis contractus fuerit celebratus, ſed in data hypotheſi reſponſionis per creditorem nullum cambium initum eſt, ergò creditor actione cambij non poteſt agere ad exigendum intereſſe pro illo. Maior patet inductione, quia non datur actio ex empto, niſi contractus emptionis fuerit initus, non actio locati, niſi ex contractu perfecto locationis, non actio depoſiti, niſi depoſitum ipſum fuerit firmatum, & ſic de cęteris; Neque dicas, ex quo debitor facultatem fecit creditori ſumendi æquiualentem pecuniam à ſe debitam ad cambia, & recambia, parum ſibi referre poſſe, & debere, quod creditor ſumpſerit, vel non ſumpſerit, hoc enim non cedit, niſi in damnum eiuſdem creditoris, qui ex alio capite, ex quo ſibi facta eſt facultas ſumendi, ius acquiſiuit ad exigendum intereſſe, quod conſurgere poteſt ex tali ſumptione, nec lædit debitorem ex eo, quod non ſumpſerit, ſed potiùs ſe ipſum, qui propterea illam læſionem in ordine ad ſe debet ſibi imputare; contra enim impugnaberis, quia illud ius, quod confertur, non eſt, niſi in ordine ad compenſationem lucri ceſſantis, vel damni emergentis, non autem in ordine ad lucrum exigentis præcisè, cæteroqui illud intereſſe, de quo eſſet conuentio, 4

Non oritur actio ex cõtractu, niſi contractus initus ſit.

Illud ius non eſt, niſi in ordine ad compenſationem lucri ceſſantis.

Digitized by Google

eſſet vſura ex mutuo prorogato, ſeu ex ſola temporis protractione; lucrum autem ceſſans non eſt ob dilatam ſolutionem in præſenti ſuppoſitione, eo quia creditor, cum contractum non celebret, quem celebrare poteſt, non poteſt dici, quod ex motiuo non ſolutionis lucrum amiſerit, quod conſequi potuiſſet; vnde debitor facta facultate ſe obligauit ad intereſſe pro cambijs perſoluendum, ſi illa fuerint inita, quia ex illis arguitur damnum, quod ex non ſolutione paſſus fuiſſet creditor, ſi pecuniam illam ad cambium non accepiſſet, non aliter, quia non poteſt eſſe rationabilitèr inuitus ad compenſanda damna, quæ ſui cauſa creditor patitur, ſeu paſſus eſt, poteſt autem eſſe in ordine ad compenſationem lucri, quod non ceſſat, vel ſi ceſſat, non ceſſat ex cauſa ſuæ dilationis, ſed ex incuria creditoris non implicantis pecuniam ad cambium, vel non vtentis facultate ſibi præſtita.

Debitor eſt inuitus ad compenſationem oneris, quod creditor nō patitur.

Probatur ſecundo. Actio, quæ oritur ex determinato contractu, & conceditur vi eiuſdem afficit ſolummodò contrahentes, & ſe obligantes in tali determinato contractu, ſed ipſe debitor concedens facultatem contrahendi, nec per ſe, nec per alium agentem nomine ſuo contractum cambij iniuit, ergo non obligatur actione cambij. Maior probatur, quia etiam fideiuſſor accedens alicui contractui non obligatur actione tali contractus, eo quia ipſe in tali genere non contrahit, ſed tantum actione fideiuſſionis, ergo &c.

Actio ex contractu afficit ſolum contrahentes.

5 Reſpondeo ſecundo. Creditor in data hypotheſi, ſecundum quam non vſus eſt facultate cambiendi, & recambiendi, non poteſt agere ad intereſſe cambiorum, & recambiorum aduerſus debitorem actione præſcriptis verbis. Probatur primo, ex eadem ferè ratione, qua primò probata fuit ſuperior reſponſio, nam præſcriptis verbis debitor ſe dumtaxat obligauit ad illud intereſſe, ſi creditor vſus fuerit tali facultate ſibi conceſſa, non aliter, nam voluit quidem conſtituere indemnem creditorem ab oneribus, quæ ſubiret verè, & realiter, non vero ab ijs, quæ ex propria cauſa, vel incuria non ſubijt; hoc etenim non eſſet compenſare lucrum aliquod ceſſans, vel damnum emergens, ſed ſaturare ingluuiem inhiantis ad lucrum, ob ſolam temporis potractionem.

Se obligauit tātum ad intereſſe cambiorum, & non alitèr.

Probatur ſecundo. Actio præſcriptis verbis, quæ competit vigore dictæ facultatis creditori, quamuis ſit etiam ex ſtipulatu, ex prænotatis eſt ſtricti iuris, & ſtrictè interpretanda juxta textum *in d. l. quidquid adſtringendæ ff. de verb. oblig.*, ergo non eſt extendenda ad caſum, quo creditor vſus non fuerit illa facultate ſibi conceſſa. Conſequentia probatur, quia actiones ſtricti iuris reſtringuntur ad limites verborum promiſſionis, & excludunt quamcunque interpretationem, & arbitrium iudicantis, quinimmò ad expreſſa tantum extenduntur, non ad dubia; cum igitur promiſerit dumtaxat ſoluere intereſſe cambiorum, & recambiorum, & facultatem quoad illa conceſſerit; non eſt, cur actio præſcriptis verbis conſurgat, & ex illa obligetur, ſi cambia, & recambia, ad quorum intereſſe ſe obligauit, non fuerint celebrata, ſicque, cum creditor pro ſe conſtituendo indemni requiſierit ex electione talem facultatem, non poteſt ſub quocunque prætextu, ſi illa ex propria incuria ſibi non ſufragetur, alium modum indemnitatis exquirere per ea, quæ habentur *in l. mulier §. vltim. ff. quod cert. cauſ.*

Actiones ſtricti iuris reſtringuntur ad limites verborum.

Hic oritur difficultas, an, ſi facta facultate creditori ſumendi ad cambia, 6
& recambia ad onus debitoris, donec per hunc fuerit integrè ſatisfactum eidem creditori, addita fuerit in conuentione etiam expreſſio, quod debitor teneatur ad intereſſe correſpondens tali facultati, etiam ſi creditor illa in effectu vſus non fuerit, an, inquam, tali caſu creditor poſſet agere ad tale intereſſe actione præſcriptis verbis contra debitorem. Cui difficultati breuitèr occurro aſſerens, neutiquam poſſe creditorem tali actione agere, non quia verba non ſint efficacia, & habilia ad inducendam talem actionem, ſed ex defectu iuris, in quo fundari poſſit talis actio, quod ſic euincitur. Non habet ius creditor, nec habere poteſt ad tale intereſſe à debitore exigendum ex ſola temporis protractione, ſed ſolummodo ex aliquo lucro ceſſante, vel damno emergente ob talem temporis dilationem, ergo nec poterit conuenire de aliquo intereſſe ob ſolam temporis protractionem, ſed dumtaxat ob aliquod lucrum, ſi ceſſarit, vel damnum, ſi emerſerit, ſed in terminis, in quibus verſamur, nullum lucrum ceſſat, nullumque damnum emergit ex dilatione in ſoluendo, ſiquidem, ſi creditor contrahere voluiſſet, ex tali facultate ſibi tradita potuiſſet; vndè, ſicuti, vt videbimus infra, ad exigendum intereſſe, quando contraxit, probare debet, quod contraxerit, ità à fortiori debet contraxiſſe, vt poſſit agere ad tale intereſſe, ſi enim

Non eſt in quo fundari poſſit tale ius.

Debet contraxiſſe, vt poſſit agere ad intereſſe.

Digitized by Google

enim non probatio contractus initi obeſſe poteſt iuri exigendi, à fortiori eidem iuri obeſſe poteſt non contraxiſſe, cum contractus ſit fundamentum talis iuris.

7 Reſpondeo tertio. Ad exigendum intereſſe cambiorum, & recambiorum ex ſuppoſitione, quod illa fuerint inita per creditorem ex facultate ſibi conceſſa, debet creditor probare cambia, & recambia fuiſſe celebrata, & conſummata ſecundum ea, quæ ſubſtantialitèr requiruntur ad naturam eorundem cambiorum, & recambiorum. Non difficilis videtur huius reſponſionis probatio, quandoquidem hæc actio, ſi datur, conſurgit ex facto, ſed ad agendum ex facto requiritur, quod agere volens probet ipſum factum, quod non præſumitur, niſi probetur *l. in libello §. factæ ff. de capt., & poſt lim. reuerſ. l. cum Ioannes §. verum reſponſionem iſtam ff. de fid. inſtrum.* ergo &c. Dixi, *ſecundum ea, quæ ſubſtantialitèr requiruntur ad naturam cambiorum, & recambiorum* puta, quod cambium verè, & realitèr celebratum fuerit, & in loco deſtinatæ ſolutionis conſummatum per eandem ſolutionem, & ibidem nouum cambium fuerit initum, nam, ſi cambium initum in ſui ſubſtantia, & natura non ſubſiſteret, ſicuti ipſe creditor non teneretur verſus campſorem ad aliquod intereſſe, quia ex contractu nullo nullum poteſt eſſe intereſſe per ea, quæ tradidi *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 6., & 7.*, ita non poſſet habere regreſſum pro illo contrà debitorem, eo quia actio, & regreſſus fundatur dumtaxat in validitate contractus, ad quem ineundum data eſt facultas per debitorem.

Agere volens ad factũ debet probare ipſũ factum, quod nõ præſumitur.

8 Reſpondeo quarto, ad probandum cambia, & recambia fuiſſe verè, & realitèr inita, non ſufficit exhibitio literarum miſſarum, & remiſſarum de cambijs, & recambijs. Ità expreſsè *Turri de Cambijs dicta diſp. 3. quæſt. 11. num. 97.* nec incongrua ſanè ratione, nam, licet huiuſmodi literæ ex diſpoſitione Pij V. requirantur ad contractus cambij localis, non ſunt tamen ſecundum ſe ſufficientes ad probandum contractum fuiſſe perfectum, & conſummatum, quandoquidem, cum huiuſmodi literæ dentur per ipſum creditorem, non poſſunt ad ipſius fauorem plenè probare, cum nemo in cauſa propria poſſit ius dicere *l. nulla C. de teſtibus*, & ſicuti in emphytheuſi, in qua de neceſſe requiritur ſcriptura, ſi non ad ſubſtantiam, ſaltem ad probationem per ea, quæ ſcripſi *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de Emphyth., & Cenſib. Prænot. 5. num. 1. fol. 318.*, non ſufficit productio eiuſdem ſcripturæ, licet à publico Notario firmatæ, ſed requiritur vlterius, quod probetur rei in Emphytheuſim conceſſæ traditio *Baldus conſ. 27. num. 8. verſic. vndè contractus lib. 2.*, ita in cambijs, in quibus etiam ſcriptura, vel æquiualens requiritur, non ſufficit exhibitio literarum, ſed vlterius requiritur, quod facta fuerit traditio pecuniarum, & ſolutio ſaltem virtualitèr iuxta ea, quæ ſuperius diximus.

Nemo in cauſa propria poteſt ius dicere.

§. XIX.

An, ſi creditor habita à debitore prædicta facultate bona fide contraxerit huiuſmodi cambia, ſed inualidè ex aliquo defectu ſubſtantiali non cognito, poſſit agere ad intereſſe contra debitorem.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis. 1.

Varij modi, ſecundum quos poteſt procedere. 2.

In ſuppoſitione, quod creditor pretium cambiorum ſolueret campſori, à quo bona fide fuerit conſumptum, non poteſt agere præſcriptis verbis contrà debitorem ad intereſſe, ſed contrà campſorem. 3.

Si tamen campſor factus fuerit ditior. 4.

Si campſor non factus fuerit ditior, & debitor ſe obligauerit ſolum ad intereſſe cambiorum, & recambiorum non poteſt creditor habere actionem contrà ſuum debitorem pro intereſſe. 5.

Etiam ſi ipſe debitor promiſerit abſolutè indemnitatem. 6.

In ſuppoſitione, quod creditor campſori intereſſe non perſoluerit, non habet actionem aduerſus debitorem pro illo. 7.

Si creditor interuenientibus requiſitis conditionibus obligetur à Iudice ad ſoluendum intereſſe campſori, poteſt habere regreſſum contrà ſuum debitorem pro illo. 8.

Diſquiſitio XIX. Iuxtà facultatem ſibi datam à Titio debitore in hypotheſi præcedentium diſquiſitionum accepit Caius creditor cambia, & recambia contractibus tamen, quibus ſumpſit, ex aliquo defectu ad ſubſtan- 1

tiam pertinente, licet non cognito, inualidis. Superueniente poſteà ſcientia de inualiditate contractuũ contendebat ea nõ obſtante pro intereſſe eorundem à debitore exigendo. Orta fuit controuerſia, an vtilis eidem creditori poterit eſſe actio ex verbis præſcriptis in ordine ad tale intereſſe exigendum. Pro quo

2 Aduerte, difficultatem poſſe procedere, vel in ſuppoſitione, quod ipſe creditor, qui ad cambium, & recambium ſumpſit, pretium cambiorum per ſe ipſum actualitèr ſoluerit campſori, à quo in bona fide exiſtente fuerit conſumptum, vel in ſuppoſitione, quod adhuc illud non ſoluerit ſiuè ex eo, quod in recambijs pretium illud fuerit adauctum ſorti, ſiuè ex eo, quod conuentio facta fuerit inter creditorem recipientem, & campſorem dantem, quod hic teneatur expectare pretium cambiorum vſque dum per debitorem eidẽ creditori fuerit integrè ſatisfactum. Rurſus difficultas poteſt procedere, vel in ſuppoſitione, quod non obſtante tali defectu campſor poſſit agere aduerſus creditorem recipientem, ſeu qui recepit ad illud intereſſe ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vel alicuius alterius annexæ conditionis ſecundum ſe meritoriæ illius intereſſe, vel in hypotheſi, quod non poſſit, nec ratione contractus, qui ſecundum ſe in prima ſui origine irritus eſt, adeoque non poteſt parere vllos fructus, nec ratione annexæ alicuius conditionis, & circunſtantiæ. Iuxtà hos omnes ſenſus examinabitur. Quarè ſic

Explicantur varij modi ſecundum quos poteſt procedere difficultas.

3 Reſpondeo primo, in ſuppoſitione, quod creditor pretium cambiorum per ſe ipſum actualitèr ſoluerit campſori, à quo fuerit in bona fide conſumptum, non poteſt idem creditor directè actione præſcriptis verbis agere contrà ſuum debitorem ad intereſſe, ſed tantum contra campſorem, ſi ex illa conſumptione factus fuerit ditior. Probatur primò, quia ipſe campſor nullo iure potuit acquirere illud pretium, & illud acquirendo ex re aliena factus fuit locupletior, ergo creditor, qui illud perſoluit, tenetur actionem realem, ſeu vendicationem contra ipſum intentare, non contra ſuum debitorem. Antecedens probatur, quia ille contractus, quo ſumpſit talem pecuniam ad cambium, ex defectu ſubſtantiali in ipſo contingente omninò ſupponitur irritus, & nullus, ergo nullum poteſt parere intereſſe, nullumque pretium gignere. Recole, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 6., & 7.*

Ille contractus eſt omninò irritus ex defectu ſubſtantiali.

Dices primo, pretium cambiorum non deſumi ex ipſa pecunia permutata, ſed vigore virtualis traiectionis præcipuè, prout latè ſupra diximus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 1.*, ergo, dummodò interueniat hæc virtualis traiectio, etiamſi deficiat aliqua conditio ad ſubſtantiam requiſita, poterit exigi, quandoquidem ipſa virtualis traiectio eſt ſecundum ſe lucratiua. Sed contra, quia quamuis realis traiectio ſecundum ſe præſcindendo etiam à cambio, ſi fiat in fauorem alterius, ſit pretio æſtimabilis, cum importet locationem operarum, virtualis tamen in cambio, ſi ſit cum defectu ſubſtantiali, omninò fictitia eſt, nulloque pretio digna. Quid enim aliud eſt virtualis traiectio, niſi commiſſio ſolutionis faciendæ per reſpondentem de mandato committentis, quę in effectu æquiualet reali traiectioni? Deficiat iam aliqua conditio ſubſtantialitèr requiſita ad ſolutionem. Quo modo ſubſiſtere poterit talis virtualis traiectio, quæ conſiſtit in ſolutione facienda in loco deſtinato ad eandem? Ad hæc corrobanda recole, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. in Diſquiſ. §. 14. num. 3., & ſeqq. per totum*, vbi confirmatis ijs, quæ habentur *tom. 1. ſub tit. Contractus III. Diſquiſ. 6. §. 6., & 7.* dictum eſt in caſu ibi expoſito de non habente pecuniam nec actu, nec virtute in loco ſolutionis creditorem vltrà reſtitutionem ſortis poſſe exigere intereſſe per ea, quæ ſcripſere, *Molina de iuſt. tract. 2. diſp. 404.*, *Leſſius lib. 2. cap. 23. dub. 7. num. 69.*, *Diana part. prima tract. 8. de contract. reſol. 14.*, quia ibi ſupponitur deceptio, & fraus reſpectu campſuarij non habentis pecuniam, & fallentis campſorem, ergo, cum hic verſemur in terminis, in quibus bonam fidem in vtroque contrahente ſupponimus, & ex alia parte contractus irritus ſecundum ſe præſumitur, nec poterit exigi intereſſe ratione contractus, nec ratione deceptionis.

Virtualis traiectio nihil aliud eſt, quam cõmiſſio ſolutionis per reſpondentem faciendæ.

Dices ſecundo. Eſto, quod non poſſit campſor exigere, & retinere intereſſe ratione contractus, poteſt tamen illud retinere ratione lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis, nam ſi talem contractum ſecundum ſe irritum non iniuiſſet, alium licitum, & lucratiuum celebraſſet, ergo &c. Sed contra, aliud eſt dicere, quod alium contractum ſecundum ſe licitum, & lucratiuum celebraſſet, aliud, quod ipſum celebrarit,

Aliud eſt dicere, quod celebraſſet, aliud, quod celebrarit.

rit, neque intereſſe exigi poteſt ex eo, quod quis fuiſſet facturus, ſed ſolum ex eo, quod fecerit; non enim creditor in caſu, de quo loquimur, fuit in cauſa iniuſta, quod non fecerit, cum crediderit bona fide contractum iuſtum, & licitũ celebrare, adeoque debet campſor proprio infortunio adſcribere, quod contraxerit inualidè, ſicuti, ſi quis mutuet cum vſuris bona fide ſibi ſuadens poſſe licitè illas lucrari alio titulo contracturus, ſi cognouiſſet mutuum non ſubſiſtere, debet proprio infortunio imputare, quod taliter, nec aliter contraxerit, nec ei ſuffragari poteſt bona fides, nec quod aliter contraxiſſet, ſi cognouiſſet; non, inquam, tum quia bona fides contrahentium non reualidat contractum ſecundum ſe inualidũ; tum quia, quod aliter contraxiſſet indicat ſolum intentionem implicitam faciendi, non factum ipſum; ſicuti igitur intentio expreſſa contrahendi non conſtituit contractum, nec tribuit ius, quod conſurgit ex tali contractu, vt videre eſt in propoſito emendi, vel vendendi, quod non eſt actualis contractus emptionis, & venditionis, ità multo minus contractum conſtituit, nec tribuit ius contractus intentio implicita contrahendi; Neque, vrgeas per intentionem quidem contrahendi ſecundum ſe ſumptam non conferri ius, quod conſurgeret ex tali contractu, ſi de facto poneretur, confertur autem per talem intentionem, ſi fuerit connexa cum alio contractu, ſiquidem per primum non impeditur contrahere volens ad contrahendum illo, vel alio modo, per ſecundum autem ex eo, quod alio modo contraxerit, impeditur ad aliter contrahendum; contra enim impugnaberis, quia ex eo, quod per contractum inualidum impediatur ad poſſe aliter contrahere, non oritur in ipſo ius acquirendi, ſeu recipiendi illud, quod per talem alium contractum acquiſiuiſſet, ſi illum celebraſſet, debet enim ſibi imputare, quod modo valido, & lucratiuo non contraxerit, ſicuti ex eo, quod quis contrahat contractu non lucratiuo exiſtimans eſſe lucratiuum nulla appoſita conditione expreſſa de lucro, quamuis ratione illius impediatur ad aliter lucrandum non poteſt ratione talis impedimenti lucrum acquirere. Recole, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. Contractus III. Diſq. 6. §. 6., & 7. num. 3. verſ. Inſtabis, & ſeqq.*

Bona fides contrahentium non reualidat contractum ſecundum ſe inualidum.

Debet creditor ſuo infortunio imputare, quod ſic contraxerit.

Deindè ad exigendum lucrum ceſſans, & damnum emergens per ea, quæ dicta ſunt *ſub titulo Contractus III. Prænot. 13. aſſert. 1. verſ. hic nonnullæ ſuboriuntur* requiritur, quod in ipſa celebratione contractus expreſsè deducatur in pactum, quod non militat in caſu noſtro, in quo nulla de eodem facta eſt conuentio; neque dicas, conuentionem implicitè contineri in ipſo contractu celebrato attenta præcipuè perſonæ, quæ eſt campſor ſolitus negotiari, conditione, cum præſumatur velle contrahere vel hoc, vel alio modo ſibi proficuo; contra enim impugnaberis, nam cum illa conuentio non inſit intrinſecè, nec ex natura ſua contractui, nec apponatur per contrahentes per modum conditionis expreſſæ, non eſt, cur debeat venire in eodem contractu, cęteroqui fruſtrà expreſſæ adijcerentur huiuſmodi conditiones contractibus, ſi ex natura ſua in eiſdem venirent. Dicere deindè, quod inferatur talis conuentio ex conditione perſonæ ſolitæ negotiari, nihil penitus euincit, nam ex eo, quod ſit ſolitus negotiari, debebat ſibi cauere, rebuſque ſuis conſulere, & quod non præcauerit, debet ſuæ incuriæ imputare, cæteroqui mercatores, alijque ſoliti negotiari poſſent ſemper lucrum acquirere etiam in contractibus non lucratiuis, ſine vlla conditione expreſſa, quandoquidem in ſuis negotiationibus regulariter aſſolent lucrari.

Ad exigendum lucrũ ceſſans, & damnum emergens requiritur pactũ.

Non poteſt creditori ſuffragari, quod ſit ſolitus negotiari, & lucrari.

4 Dixi, *ſi ex illa conſumptione factus fuerit ditior*, nam ſi res ipſa fuiſſet conſumpta, nec virtualitèr perſeueraret in aliquo, in quo ipſe campſor factus fuiſſet locupletior, nec res ipſa per ſe clamaret pro domino, cum non exiſteret, nec per aliud, in quo perſeueraret, cum in nullo factus fuerit ditior, nec obligaretur campſor ratione iniuſtæ acceptionis, cum bona fide contraxerit exiſtimans contractum per ſe initum iuſtum eſſe, & lucratorium illius intereſſe ſoluti.

Hic oritur difficultas, an in ſuppoſitione, qua intereſſe fuerit ex illo contractu traditum campſori, ab eodem conſumptum, & quod ex ipſo non factus fuerit ditior, habere poſſit creditor actionem aduerſus ſuum debitorem pro illo intereſſe, quod ipſe ſoluit campſori, quandoquidem ipſe debitor faciendo talem facultatem creditori ſumendi ad cambium, & recambium videtur implicitè ſe obligaſſe ad eundem conſtituendum indemnem in quocunque caſu ſolutionis eiuſdem intereſſe. Qua in re diſtinguendum exiſtimo, vel enim debitor facultatem ſimplicitèr fecit ſumendi ad cambium, & re-

Difficultas in ſuppoſitione, quod campſor non factus fuerit ditior.

Digitized by Google

recambium, vſquequo perfectè ſatisfecerit creditori, vel expreſsè ſe obligauit verſus creditorem pro indemnitate eiuſdem ex quacunque cauſa eidem poſſit damnum obuenire in eiſdem cambijs, & recambijs, ad quæ fecit facultatem;
5 ſi difficultas primo modo, ſeu iuxta primum membrum diſtinctionis procedat, crediderim, creditorem non habere actionem aduerſus ſuû debitorem pro illo intereſſe, quod ipſe ſoluit campſori. Ratio eſſe poteſt; quia ſi ipſe creditor pecuniam illam non ſumpſiſſet ad cambium, & recambium debitor ad nullum intereſſe teneretur, ergo neque teneri præſumendus eſt, ſi ſumpſerit, ſed contractu omninò inualido. Conſequentia probatur, quia contrahere omninò inualidè, & non contrahere paria ſunt in effectu, ergo, ſi debitor non tenetur ad intereſſe, quandò creditor non contrahit, nec tenebitur, quando contrahit omninò inualidè; Neque dicas, parum referre poſſe debitori, quando creditor contrahit, quod contrahat validè, vel inualidè, maximè ſi contractus per eundem fuerit initus bona fide; quandoquidem ex quo ſe obligauit ad illud intereſſe ad exonus creditoris, qui de facto illud ſoluit, videtur, ſe obligaſſe ad illius compenſationem, quotieſcunque fuerit ex vi illius contractus, ad quem fecit facultatem, per creditorem perſolutum; contra enim impugnaberis, quia facultas, quam fecit debitor creditori fuit ad contractus validos, & onus ſoluendi intereſſe conſurgit ſolum ex vi contractus; ſi igitur ex illo contractu, vtpotè inualido nullum iuſtè oritur intereſſe, non eſt, cur ad illius compenſationem teneatur; quod deindè creditor, illud intereſſe perſoluerit, debet ſibi imputare, & proprio infortunio, quod ſoluerit, cum ſoluere non teneretur, non exigere compenſationem à debitore, qui niſi ad contractus productiuos illius intereſſe ſe obligauit. Quod deindè ipſi debitori parum referre poſſit, quod creditor, validè, vel inualidè contraxerit, non habet vim aliquam contra noſtram reſponſionem, quandoquidem æquè eidem referre non poſſe videtur, ſiuè creditor contraxerit, ſiuè non contraxerit, ſiuè contraxerit validè, vel inualidè; ſicuti igitur, ſi non contraxerit creditor, non tenetur debitor illud intereſse perſoluere, quamuis eidem parum referre poſse videatur, quod contraxerit, vel non contraxerit, & etiam ſi contraxerit, ſed inualidè, non tenebitur illud intereſse perſoluere, quamuis parum &c. ſiquidem contractus inualidus perinde eſt, ac ſi non eſset contractus. Ratio fundamentalis horum omnium eſt, quia creditor non habet ius exigendi illud intereſse ex ſola temporis dilatione in recipiendo ſolutionem, quamuis ad talem dilatam ſolutionem ſe obligauerit, vt optimè definiuit Alexander VII. fel. record. in propoſitionibus per ipſum damnatis in Congregatione Sanctæ Inquiſitionis hac de re edita propoſitione 42. vbi tanquam pernitioſam, temerariam, & ſcandaloſam ſtatuit illam, quam dicitur *Licitum eſt mutuanti aliquid vltrà ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem, vſque ad certum tempus*, & licet nos quandoque dixerimus, obligationem ciuilem aſsumptam a mutuante non repetendi mutuum, niſi poſt tale tempus correſpondere obligationi remutuandi in mutuatario, quæ ſecundum ſe pretio æſtimabilis eſt, illa procedunt ex ſuppoſitione ſolummodò, quod illa obligatio ſit vltrà tempus, quod regulariter arbitrio prudentum, quando nihil expreſsum eſt, concedi ſolet, quod, an licitum ſit tunc inſpecta præcisè Theologorum controuerſia arbitratus fui licitum fuiſse, ſed an re vera illa, quæ diximus, contineantur ſub præfata Alexandri VII. prohibitione conſulendus eſt Romanus Pontifex, vel Sacra Inquiſitionis Congregatio pro clara declaratione, cui adamuſim ſtandum eſt, qui, ſeu quæ ſtatuerit ibi dicta ſub præfata prohibitione contineri, ex nunc pro tunc ea retracto, & reprobo tanquam minus conſona rationi, cum omnia mea tum ſcripta, tum ſcribenda Romanæ Eccleſiæ cenſuræ, & iudicio ſemper proteſtatus fuerim ſubijcere, prout de facto ſubijcio. Totum igitur ius exigendi illud intereſse per creditorem à debitore in hypotheſi reſponſionis prouenit, vel ratione contractus cambij, cuius onera debet compenſare, vel ratione alicuius lucri ceſsantis, ſeu damni emergentis; intuitu autem primi ius aliquod non conſurgit, cum contractus ille, vtpote inualidus nullum poſſit parere intereſse ex præallegatis; intuitu vero ſecundi etiam non conſurgit illud ius, quandoquidem, cum creditor elegerit illum modum compenſationis, nempè per onus impoſitum debitori ſoluendi intereſse pro cambijs, quæ acceperit, non videtur illo relicto, vel non ſubſiſtente ius habere ad compenſationem modo diuerſo

Contrahere inualidè, & non contrahere paria ſunt.

Non habet ius recipiendi intereſſe ex ſola temporis dilatione.

Optima declaratio Alexandri VII. cui omninò ſtandum eſt, & omnia tum dicta, tum dicenda accomodanda.

Illud dãnum non ſortitus fuit ex culpa debitoris.

uerſo ab illo, quem elegit, & ſicuti, ſi pecunia reſtituta fuiſset per debitorem, contractus cambij, & recambij inualidos licet bona fide iniuiſset deberet proprio infortunio tribuere, ſi lucrum ex illis non percepiſset, ita tali proprio infortunio debet attribuere, ſi pecunia accepta ad cambia, & recambia inualida licet bona fide inita damnum aliquod ob intereſse ſolutum fuerit perpeſsus, quandoquidem illud damnum non ſortitus fuiſset ex culpa debitoris mutuatarij, qui, ex quo ſe obligauit ad compenſationem in ijs negotijs, quæ ſtatuerat creditor inire, quantum fuit ex ſe, ſufficienter prouidit eius indemnitati, ſed ex inaduertentia propria, ratione cuius inualidè contraxerit, adeoque debet ſibi illud damnum imputare. Deindè ſi illud pretium cambij non fuiſſet perſolutum campſori per creditorem, certum eſt, quod debitor non teneretur illud perſoluere, ergo neque tenetur illud perſoluere, quamuis fuerit per creditorem ſolutum. Conſequentia probatur, quia, quando de iure non eſt perſoluendum, ſolutio per vnum facta quamuis bona fide non debet alteri præiudicare, qui non ſoluit, quique ſoluere non tenetur, niſi ex contractu valido; neque ex eo, quod ex iuſta cauſa excuſatur, qui recepit, à reſtitutione onus refunditur in eo, qui non recepit, quique ſe non obligauit, niſi ex contractu valido.

Solutio indebita vni facta nequit alteri præiudicare.

Si vero difficultas procedat ſecundo
6 modo, hoc eſt iuxta ſecundum membrum diſtinctionis propoſitæ, tunc abſolutè dicendum eſt, etiam creditorem non habere actionem aduerſus debitorem ad exigendum illud intereſſe per ſe ipſum ſolutum. Ratio eſt, quia ex ſuperius dictis, licet vbi adeſt promiſſio indemnitatis lata adeò fiat interpretatio, vt extendatur ad intereſſe, ad pænam, & quaſcunque acceſſiones iuxtà *Ripam in l. quod te nu. 46. ff. ſi certum pet., Felinum poſt Baldum cap. ex reſcript. n. 18. de iure iur.* per ea, quæ ſupra allegauimus, quod potiſſimum verificatur, quando talis promiſſio ab ipſomet debitore principali procedit, quem teneri ad quodcunque, & qualecunque intereſſe docent *Baldus in l. 2. C. de ſent. quæ ſin. cert. quant. Decius conſ. 551. num. 7.*, nihilominus extenſio facienda non eſt ad caſus, qui inopinatè accedunt *l. fiſtulas §. fin. cum gloſ. in verb. immoderatè ff. de contrahenda emptione, Bartolus in l. Seio §. medico ff. de ann. leg. Ant. de Butr. in cap. 1. de commod.*, neque ad ea, quæ ex vi contractus, ad cuius onera compenſanda ſe obligauit, non proueniunt; ſiquidem illa nullo iure debentur, & ſicuti, ſi creditor illud non ſoluiſſet, non haberet ius ad illud exigendum à ſuo debitore, ità non habet ius ad illud, quamuis ſoluerit, quia ſolutio illa non debebatur, nec bona fides, qua creditor ſoluit, maius ius ipſi tribuit aduerſus debitorem, quia bona fides excuſat quidem à labe iniuſtæ acceptionis, non confert tamen ius ad retinendum acceptum, quod non erat debitum, neque ad illud exigendum in actu, quo adhuc non fuerit acceptum; Neque eo iure poteſt ſe munire creditor, quo aſſerat, ſe de facto ſoluiſſe, adeoque poſſe exigere compenſationem ſolutionis, cum præcipuè debitor ſe obligauerit ad illam ex omni cauſa; non, inquam, ſe poteſt ſic munire, ſiquidem, quod ſoluerit, debet ſibi imputare, cum ſoluere non teneretur, non debitori, qui non fuit cauſa talis ſolutionis; quod deindè debitor promiſerit indemnitatem ex omni cauſa, eidem creditori non ſuffragatur, tum quia omnis cauſa, ob quam ſe obligauit, debet ſumi, prout prouenit, ſeu reſtringitur ad cambia, & recambia, non extendi vltrà expreſſa, hoc eſt vltrà eadem cambia, prout extenderetur in hypotheſi reſponſionis, ſecundum quam, cum cambia illa eſſent inualida, perindè eſſent, ac ſi non eſſent cambia, tum quia, quamuis ſe obligarit ad caſum, non præſumitur tamen ſe obligâſſe ad inſolitum, cum caſus inſolitus non noceat obliganti ſe ad caſum per ea, quæ nos allegauimus *ex l. fiſtulas ff. de contrab. empt.*

Extenſio non facienda eſt ad caſus inſolitos.

Omnis cauſa nõ debet extendi vltrà expreſſa.

Ad magis corroboranda ea, quæ hactenus diximus in hac difficultate, quoad vtrumque membrum diſtinctionis duo aduerte, primo, quod ſaltem in foro exteriori vix videatur poſſe creditor excuſari in inualiditate contractus, nam vel defectus, ob quem prouenit talis inualiditas, eſſet ob non implementum eorum, quæ præſcribuntur per iura, puta per Conſtitutionem Pij V. ſupra allegatam quoad omnes ſuas conditiones, & ſic in vtroque contrahente vix poteſt præſumi ignorantia, cum ea, quæ iuris ſunt, teneatur ſcire *l. lege Sacratiſſimæ, & l. fin. C. de legib.*, & ignorantia iuris nunquam præſumatur, immò præſumitur potius mala fides *l. quemadmodum de agri., & cenſ. l. 11., & cap. qui contrà de reg. iu., Gloſ. in cap. ſi diligenti de foro comp., Bartolus, & Angelus in l. ſed ſi lege §. ſcire ff. de pet. hæred.*, vbi dicunt, quod mala fides præſumitur non probata ignorantia

Vix poteſt præſumi ignorantia.

Digitized by Google

Tenetur creditor, ex delicto.

rantia iuris, quæ probari debet, quia non præſumitur, & ſic ipſe creditor, qui ſoluit illud intereſſe, tenetur, quaſi ex delicto ad illud, vel habet ius ad illud repetendum à campſore, qui recepit, quandoquidem hic etiam tenetur quaſi ex delicto ob ignorantiam non præſumptam; Vel ille defectus conſurgit ex aliqua conditione deficiente, quæ requiratur ex natura eiuſdem contractus ſecundum ſe, & in hoc etiam non eſt præſumenda ignorantia, cum ea, quæ iuris naturalis ſunt, in quacunque actione facilè innoteſcant, nec credendum eſt, campſorem ea neſcire, quæ proprij muneris ſunt, adeoque vel creditor, vel campſor tenetur quaſi ex delicto ad illud intereſſe, nec poteſt creditor retorquere actionem aduerſus debitorem, qui non obligatur, niſi ad intereſſe veri, & realis cambij.

Secundo aduerte, quod, quando in ordine ad lucrum ceſſans fit conuentio de compenſatione ſecundum aliquem ſpecialem modum, in quem partes conſentiant, eo non ſubſiſtente non detur amplius, ſi defectus non ſubſiſtenciæ non proueniat ab eo, qui pro tali lucro aſſignat, & ſe obligat ad talem modum compenſationis, actio creditori ad exigendum illud lucrum in diuerſo modi, ſeu actionis genere. Ratio eſt, quia creditor ſe alligando ad vnum modum compenſationis videtur cedere iuri in ordine ad alium modum, & ſicuti, ſi nullo modo conueniſſet de tali compenſatione, non poſſet illam exigere per ea, quæ alibi fusè docui, ita, quamuis quoad vnum modum ſpecialitèr conuenerit, non poterit agere alio modo, quo non conuenit, ſiquidem ità ſe habet non conueniſſe abſolutè ad compenſationem abſolutè, ſicuti non conueniſse tali modo ad compenſationem tali modo, præcipuè cum per acceptationem tali modo videatur ceſſiſſe iuri ad alterum modum. Quis enim diceret, quod (ſi quis aſſignaſset pro compenſatione lucri ceſſantis aliqua bona ſecundum ſe libera, & fructifera, vt ex eiſdem fructus computaret pro tali compenſatione, & aſſignatarius fructus non perceperit, non ex culpa aſſignantis, ſed ex defectu præter intentionem ipſius) teneatur in alijs illud lucrum compenſare? Certè in hypotheſi, de qua nos loquimur, ſi creditor per illum modum aſſignatum non conſequatur compenſationem, ſeu lucrum illud, ſed potius ipſe ſoluerit, non prouenit ex defectu debitoris, qui facultatem fecit ſumendi ad cambium,

Creditor ſe alligando ad vnũ modũ compenſationis videtur alijs cedere.

& ſe obligauit ad intereſse illius perſoluendum, ſi validè fuerit celebratum, quod, ſi non validè fuerit initum, ſibi imputet creditor.

Reſpondeo ſecundo, ex ſuppoſitione, quod creditor illud intereſse campſori non perſoluerit, vel ex eo, quod in recambijs pretium illud fuerit adauctum ſorti, vel ex eo, quòd facta fuerit conuentio inter creditorem recipientem, & campſorem dantem, quod hic teneatur expectare pretium cambiorum, vſque dum per debitorem eidem creditori fuerit integrè ſatisfactum, non poteſt habere actionem aduerſus debitorem ad illud exigendum. Sequitur reſponſio ex dictis, & vlterius ſic confirmatur, quia illud intereſse, nec eſt debitum campſori, nec creditori per debitorem, ergo &c. Antecedens quoad primam partem patet ex dictis, quia ex contractu nullo nullum conſequi poteſt intereſse, quinimmo ſi fuerit conſecutum, eſt reſtituendum, ſi extet, quamuis conſecutio facta fuerit bona fide, quia res, quouſque extat, ſemper clamat pro domino; quoad ſecundum autem ſic euincitur, quia creditor ius non habet ad exigendum illud intereſſe, niſi quatenus eſt compenſatiò lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis, ſed in data hypotheſi nullum damnum ipſi emergeret, nec lucrum ceſſaret, ſiquidem verſus campſorem ad nihilum teneretur, ergo &c. Neque dicas ex eo, quod campſor ſit ſolitus negotiari, habere ius ad compenſationem cuiuſcunque lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis, adeoque &c.; contra enim impugnaberis; tum quia vix præſumi poteſt ignorantia excuſabilis in campſore, cuius propterea culpæ imputandum eſt, quod inualidè contraxerit, & ſic eidem non debetur compenſatiò lucri ceſſantis, vel damni emergentis *iuxtà l. vlt. ff. de damn. dat.*, tum quia, quod non conſequatur ſuum lucrum, quod ſolitus eſt conſequi, non prouenit ex cauſa eius, qui accepit, ſed ex caſu fortuito, & inopinato, qui non obligat alterum ad compenſationem; tum quia ad exigendam compenſationem lucri ceſſantis, vel damni emergentis non ſufficit, quod ſit ſolitus negotiari, ſed vlterius requiritur, quod plenè doceat de parata occaſione negotiandi, & quod expreſsè conuenerit de tali compenſatione, & quod idem ceſſauerit lucrum ex cauſa accipientis, non ex infortunio, quod ſibi potius cedit, quam accipienti, ſicuti ſibi cederet infortunium, quod pecuniam ſuam dederit alicui,

7

Ex contractu nullo nõ ſequitur intereſſe.

Caſus fortuitus non obligat alterum ad compenſationẽ.

Digitized by Google

alicui, qui ex qualitate perſonæ contrahere non poterat, & ex impotentia reſtituere non tenetur.

8 Reſpondeo tertiò. In ſuppoſitione, quod creditor interuenientibus requiſitis conditionibus, vel auctore Iudice, vel alio quouis modo obligaretur verſus campſorem ad intereſſe perſoluendum non quidem, vt pretium cambij, ſed vt compenſationem lucri ceſſantis, vel damni emergentis, poſſet agere ad repetendum illud intereſſe aduerſus ſuum debitorem, qui ſe obligauit ad indemnitatē in fauorem eiuſdem creditoris. Ratio eſt, quia, ex quo ipſe creditor condemnatur à Iudice ad perſoluendum tale intereſſe, iuſtum præſumitur ius campſoris ad illud exigendum, & re vera prouenire intuitu, & ratione contractus cambij celebrati, ergo debitor tenetur illud compenſare. Conſequentia probatur, quia qui promittit indemnitatem ex quacunque cauſa pro determinato contractu tenetur ad quodcunque intereſſe, & ad quaſcunque acceſſiones, quæ iuſtæ præſumuntur ex tali contractu *Bartolus, & Baldus in l. quæro in principio ff. locati, Decius l. vlt. §. labeo num. 11. ff. ſi cert. pet.*, & ad quodcunque, & qualecunque intereſſe, *Salicetus in l. 2. C. de ſent., quæ ſin. cert. quant., Socinus Iunior conſ. 129. vol. 1.*, neque obſtare poteſt, quod caſus ſit inſolitus, ad quem debitor non præſumatur, ſe obligaſſe; non, inquam, obſtare poteſt, quia ex quo auctore Iudice obligatur creditor ad illud perſoluendum, præſumitur iure competere illud ius campſori, & intuitu contractus re vera deberi illud intereſſe, ad quod propterea vigore facultatis conceſſæ tenetur ipſe debitor, quinimmò ex eo, quod ità per Iudices ſtatuatur, non præſumitur caſus inſolitus; & extrà naturam actionis, ſed iuxta eandem.

Sententia Iudicis facit apparere, vt iuſtū ius campſoris.

---

§. XX.

De Cambio ad incertam ſolutionem.

SVMMARIVM.

Quid ſit cambium pro Venetijs. 1.
Si æquale ſit dubium lucri, & amiſſionis eiuſdem licita eſt conuentio de tali pretio, ſecus ſi dubium ſit inæquale. 2.

Diſquiſitio XX. Contraxit Fabius hic Mediolani cum Seio campſore acceptis ab eodem Seio centum numis aureis titulo cambij cum onere reſtitutionis faciendæ determinato tempore in alio loco deſtinato ad ſolutionem, & in ordine ad pretium ità ad inuicem conuenerunt, vt illud per Fabium perſoluatur, quo Venetijs cucurrerint cambia tempore ſolutioni præfixo. Hoc genus cambiendi communitèr appellatur cambium pro Venetijs, de quo plura ſuperius diximus, ità vt vix aliquid remaneat ſuperaddendum. Nihilominus breuibus quæſitum propono, an hoc cambiendi genus ſit licitum, & breuioribus, quid ſentiam, expono. 1

Reſpondeo, ſi pro vtraque parte æquale ſit dubium lucri, & amiſſionis cum tali conuentione licitum eſſe contractum, ſecus ſi fuerit inæquale, prout regularitèr ſolet euenire, quandoquidem campſores ex circunſtantijs ſibi notis probabilius ſciunt maiori pretio in termino ſolutionis cambia ex vſu fori eſſe perſoluenda, *Ognate tom. 3. tract. 24. de Cambijs diſp. 88. ſect. 5. dub. 5. num. 117., Soto 6. de iuſt. quæſt. 6. art. 4., Salas de Cambijs num. 40., Toletus lib. 5. cap. 52. n. 2., Filliutius tract. 35. cap. 11. quæſt. 9. num. 493.*, Deducitur reſponſio ex ijs, quæ ſparſim ſupra dicta ſunt. Nihilominus adhuc quoad primam partem ſic euincitur, quià contractus, quo quis exponitur fortunæ aleæ cum æquali ſpe, & periculo eſt omni iure permiſſus, nec aduerſatur æqualitati ad iuſtitiam commutatiuam requiſitæ, ergo ex nullo capite eſt infectus. Antecedens patet tum in eo, qui vendit res ſuas pretio taxando in determinatis foris, quando æqua eſt ſpes, & periculum augmenti, vel decrementi, tùm in eo, qui vendit, quæ per vnicum iactum retis in piſcatione acquiret, qui contractus à nullo reprobatur, tum quia æquè eſt pretio æſtimabilis ſpes maioris lucri acquirendi, ac ſit in pretio diminuendum quoad contractum periculum de minori lucro conſequendo, ergo ſi vtrumque ſit in æquali æquilibrio firmabit æqualitatem ad iuſtitiam contractus requiſitam. Quoad ſecundam item partem ſic euincitur reſponſio. Spes ad lucrum ſecundum ſe eſt pretio æſtimabilis, ſi ſit proxima per ea, quæ ſparſim alibi docuimus, ergo ſi ſit maior ſpes ad maius lucrum erit maiori pretio compenſabilis, quia ſicuti ſe habet eſſe ſimplicitèr ad eſſe ſimplicitèr, 2

Spes ad lucrū ſecundū ſe pretio æſtimabilis, ſi ſit proxima.

Digitized by Google

tèr, ità maius eſſe ad maius eſſe ſecundum vulgata iura, ergo contractu initocum maiori ſpe ad maius lucrum reſpectu vnius non ſaluabitur æqualitas ad iuſtitiam contractus requiſita, adeoque contractus ipſe non erit licitus.

Dices, cum contractus conſummetur per actualem ſolutionem in loco, in quo deſtinatur, iuſtam poſſe eſſe cōuentionem de pretio eiuſdem, prout curret in loco eiuſdem deſtinatæ ſolutionis, etiamſi ſit ſpes de maiori lucro, ac ſi paciſcatur in loco, in quo celebratûr ipſum cambium, quandoquidem videtur indifferentèr poſſe conueniri, ſiue in loco, in quo incipit contractus, ſiuè in loco, in quo diſſoluitur per ſolutionem quoad pretium pro ipſo, ergo poſita tali indifferentia poterit conuenire de pretio currenti in loco ſolutionis, ſiquidem hoc eſt conforme naturæ eiuſdē contractus, quod ſi fuerit maius erit conditioni campſoris imputandum, præcipuè cum campſor habeat ius ad ſolutionem ibi. Sed contra, quia hic non eſt ſermo de cambio ſoluendo Venetijs, ſed in alio loco, licet ad pretium, quo cambia Venetijs current tempore ad ſolutionem præfixo, iuxtà quem ſenſum ceſſat tota vis inſtantiæ.

Dicuntur cambia pro Venetijs, quamuis ſint pro alio loco.

DISQVISITIONES II.

A quinta ad vndecimam Prænotionem excluſiuè.

§. I.

An campſor poſſit per conuentionem obligare campſuarium, vt potius ſecum, quam cum alio recambium ineat.

SVMMARIVM.

Series facti in ſuis terminis. 1.
Rationes dubitandi proponuntur. 2.
Si probabile ſit campſuarium habiturum, qui ſuo nomine ſoluat in loco deſtinatæ ſolutionis, non poteſt licitè campſor ipſum obligare, vt vtatur ſuo reſpondente. 3.
Secus ſi nulla adſit probabilitas, quod ſit habiturus. Ibid.
Satisfit rationibus dubitandi in principio propoſitis. 4.

Diſquiſitio I. Campſuarius nec habebat Romæ pecuniam actu, nec reſpondentem proprium. Exegit à campſore certam pecuniæ quantitatem cum onere eandem Romæ reſtituendi. Non renuit concedere campſor, hoc tamen adiecto onere eidem campſuario, quod, cum debeat quærere reſpondentem, qui ibi ſoluat, ſi non formalitèr, ſaltem æquiualentèr per acceptationem literarum conſtituendo ſe debitorem pro illo, & alias literas remittendo, teneatur pro hoc munere obeundo acceptare ſuum proprium (loquor de campſore) reſpondentem. Oritur hic difficultas, an iuſtè potuerit illud onus adijcere campſuario obligando ipſum ad acceptandum proprium reſpondentem. 1

Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod per illud pactum, ſeu conuentionem non videtur onus imponere, quod ſit pretio æſtimabile ſupra id, quod exigit ipſa natura cambij, & parum videtur obeſſe campſuario, quod potius per vnum, quam per alterum illud munus adimplere teneatur. Secundo, quia hoc videtur potius ſuffragari campſuario, quam ipſū grauare, quandoquidem eximitur ab onere quærendi alium reſpondentem. Tertio, quia ſic non obligando campſuarium poſſet eſſe ſemper iuſta præſumptio in campſore, quod ibi non eſſet ſoluendo, adeoque iniuſtè contraheret veriſimilitèr ſciens, ibi non eſſe pecuniam actu, nec virtute, vbi eſt ſoluenda. Nihilominus. 2

Videtur potius prodeſſe campſario, quam obeſſe.

Reſpondeo, ſi probabile ſit campſuarium poſſe habere, qui nomine ſuo ſoluat in loco deſtinatæ ſolutionis, non poſſe campſorem præuia conuentione ipſum obligare ad recipiendum proprium reſpondentem ad obeunda munera pro recambio; ſi vero nulla adſit probabilitas, quod ſit habiturus, qui reſpondeat poteſt iuſtè nolle dare ad cambium, niſi vtatur proprio reſpondente. Conformis eſt ijs, quæ alibi docuimus quoad primam partem, & quoad ſecundam maximè conſona diſpoſitioni Pij V. in Conſtit. ſuper cambijs ſupra relata. Ratio primæ partis eſt, quia talis obligatio ciuilis, quæ imponitur per talem conuentionem campſuario recipiendi potius reſpondentem campſoris, quam alium eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis, ergo, cum ſit ſupra onus reſtituendi ſortem, & ſoluendi pretium pro contractu ipſum contractum conſtituit illicitum, vtpotè præſeferentem inæqualitatem. 3

Eſt obligatio ciuilis, ad quam obligatur vltra ſortem.

Ante-

Antecedens probatur, quia talis obligatio ciuilis, ſeu præuia conuentio adimit campſuario libertatem, ſecundum quam poteſt quocunque velit pro ſuo arbitrio vti, nec campſor ius habet, vt per vnum potius, quam per alterum ſatisfiat; vndè non incongruè diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot.* 10. *nu.* 2., illicitum eſſe deducere in pactum, vt mutuatarius teneatur vltrà reſtitutionem ſortis iniuriam condonare, qua debitè vexat mutuantem publica auctoritate, & hoc quia priuatur libertate, ergo talis priuatio libertatis eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis. Confirmatur, quia vſurarius eſt contractus, quo mutuatarius obligatur ex vi mutui ad emendas merces licet iuſto pretio ab ipſo mutuante, vel ad molendum in ipſius molendino per ea, quæ docuimus *eod. tom. primo ſub eodem tit. Contractus III. dicta Prænot.* 10. *num.* 3., ergo etiam illicitus erit contractus, quo campſarius obligetur ad recipiendum pro ſolutione reſpondentem campſoris potius, quam alium, ſiquidem, quod in contractu mutui ſufficiens eſt ad inducendam vſuram, ſi ſit ſupra reſtitutionem ſortis, in alijs contractibus aptum eſt ad inducendam iniuſtitiam, & inæqualitatem, ſi ſit ſupra eandem reſtitutionem ſortis, & non debitum iuxtà naturam contractus, nam ſi inducit vſuram debet eſſe pretio æſtimabile, & ſi obligare ad emendas merces à mutuante, vel ad molendum in ipſius molendino eſt quid pretio æſtimabile, cur non erit pretio æſtimabile obligare campſuarium ad vtendum reſpondente campſoris potius, quam altero?

Paritas deducta ex contractu mutui.

Dices primò, hoc poſſe campſorem præſtare, quia poteſt ſemper dubitare, an campſarius ſit habiturus in loco deſtinatæ ſolutionis, qui ſoluat nomine ipſius. Sed contra, quia non eſt neceſſe, quod habeatur euidens notitia, quod campſuarius ibi habere debeat, qui nomine eiuſdem ſoluat, ſed ſufficit ad iuſtificandum contractum, quod habeatur probabilis ratio, quod ibi ſit habiturus per ea, quæ ſuperius docuimus, quod ſi de facto ibi non habeat, poteſt ſibi campſor per ſuum reſpondentem prouidere remedio ſolito proteſtationis, per quod ius habet non ſolum ad repetendam ſortem in loco celebrati contractus, ſed etiam actionem ad intereſſe, & ad ea, quæ ſibi intererant, quod in loco deſtinatæ ſolutionis facta fuerit eadem ſolutio.

Non eſt neceſſe quod habeatur, euidens notitia.

Dices ſecundò, diſparem eſſe rationem de obligatione inducta quoad mutuum in mutuatario emendi merces à mutuante, & molendi in ipſius molendino, ac de obligatione inducta quoad cambium in campſuario ad ſoluendum per reſpondentem campſoris, ſiquidem mutuum qua mutuum eſt debet eſſe beneficium gratuitum, cambium autem, qua cambium eſt contractus omninò oneroſus, adeoque &c. Sed contrà nam ex eo, quod cambium qua tale, ſit contractus oneroſus, ſi non ratione ſui, ſaltem ratione virtualis traiectionis, vel alterius circunſtantiæ annexæ, arguitur quidem, quod exigat pretium proportionatum tali traiectioni, vel alteri circunſtantiæ annexæ, non autem aliquid, quod ſit pretio æſtimabile ſupra tale pretium, ſicuti ex eo, quod contractus emptionis ſit lucratiuus non propterea exigere poteſt aliquid, quod ſit ſupra naturam eiuſdem contractus, vndè, quidquid eſt ſupra illud, inducit inæqualitatem, & iniuſtitiam.

Diſcrimē, quod affertur non eſt ad rem noſtram.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia cāpſor poteſt exigere, quod contractus fiat ſecundum diſpoſitionem iuris, & ſeruentur ea, quæ in hoc genere præcipiuntur, ergo, quandò nulla adeſt probabilitas, quod campſuarius ſit habiturus in loco deſtinatæ ſolutionis, qui ſoluat nomine ipſius, poteſt iuſtè ipſum obligare ad acceptandum proprium reſpondentem, vt ſoluat. Conſequentia probatur, quia, cum non ſit illa probabilitas, præſumptio manifeſta eſt, quod non ſit ponenda ſolutio in loco deſtinato, & quod literæ inanes ſint remittendæ, ergo, cum aliundè non poſſet occurri tali præſumptioni, niſi per aſſignationem proprij reſpondentis, dicendum eſt, quod ad iuſtificandum contractum poſſit obligare campſuarium ad eundem acceptandum, cæteroqui ex præſumptione iuris talis contractus eſſet irritus. Confirmatur primò, quia in hac hypotheſi non adimitur libertas reſpectu campſuarij, ſed ſolum obligatur ad perficiendum contractum, quem ſine tali acceptatione non poteſt perficere, ergo &c. Antecedens probatur, quia, cum probabile ſit, quod alium non ſit habiturus, quinimmò nulla probabilitas, quod ſit habiturus, ex ſuppoſitione, quod campſarius velit contractum iure ſic præſumente non habet libertatem ad vnum, vel alterum pro reſpondente adimente eandem libertatem non campſore ſecundum ſe obligante,

Campſor poteſt exigere, quod cōtractus fiat ſecundum diſpoſitionem iuris.

Non eſt campſor, qui adimat libertatē, ſed propria neceſſitas.

Digitized by Google

ſed propria eiuſdem campſuarij neceſſitate, ergo &c. Confirmatur ſecundò, quia per talem obligationem non imponitur maius onus campſuario, ac habeat in ſe, quandoquidem ex ſuppoſitione, quod velit cambium, & non habeat, quo reſtituat in loco, in quo debet reſtituere neceſſitate propria vrgente cogitur acceptare eum, per quem ſolum poteſt reſtituere, vnde iure merito docuit, *Ognate tract. 24. de Cambijs diſp. 88. ſect. 9. num. 186.*, quod non poſſit campſor obligare campſuarium ad recambium, quia non debet obligari ad illum modum in particulari, niſi ſit vnicus modus ſoluendi, ergo ſi vnicus dumtaxat eſt modus poterit ad illum obligari.

Ad rationes dubitandi, quæ ſuperius afferebantur, nunc reſpondendũ eſt, & quidem ad primam ex dictis patet reſponſio; quotieſcunque enim campſarius poteſt contractui vno, vel altero modo ſatisfacere, non debet ad vnum in particulari obligari ex vi eiuſdem contractus, ſicuti ex vi mutui non debet obligari mutuatarius ad emendas merces à mutuante, cum liber ſit ad emendum à quocunque voluerit, vndè, ſicuti illa obligatio ciuilis emendi merces à mutuante, quæ inducitur ex vi mutui, eſt pretio æſtimabilis, quia adimit libertatem, ità illa, quæ inducitur ex vi cambij ad acceptandum proprium reſpondentem potius, quam alterum, cum eandem adimat libertatem, non poteſt eſſe, niſi pretio æſtimabilis, adeoque, dum ipſa exigitur, exigitur aliquid pretio æſtimabile ſupra id, quod exigit natura contractus.

Obligatio, quæ adimit libertatẽ eſt pretio digna.

Ad ſecundam dicendum eſt, hoc onus quærendi alium, qui pro campſuario reſpondeat, non eſſe conſiderabile in hoc contractu, quandoquidem potius fauet campſuario firmando ipſius libertatem, quam noceat, & per conſequens ipſius oppoſitum, cum adimat talem libertatem potius nocet, quam faueat. Conſideret igitur ipſe campſuarius, quod debeat quærere reſpondentem, ne cogatur à campſore ad aliquem in particulari acceptandum, nam talis coactio, ſeu obligatio ciuilis inducit onus pretio æſtimabile, & fauorabilior eſt conditio campſuario, quod poſſit vnius, vel alterius miniſterio ad hoc munus obeundum pro libertate vti, quã quod teneatur ex obligatione ciuili vnicum tantum adhibere, & licet parum obeſſe poſſe videatur campſario, quod potius per vnum, quàm per alterum illud munus adimpleat, obeſſe tamen poteſt eiuſdem libertati obligatio illa ciuilis, ſecundum quam teneatur per vnum dumtaxat adimplere, ea proportionali ratione, qua parum obeſſe poteſt videtur mutuatario, quod merces, quibus indiget, emat potius ab vno, quam ab altero, & tamen obeſt obligatio, ſecundum quam tenetur in particulari à mutuante exigere, & emere.

Fauorabilior eſt conditio campſuarij quod poſſit vti quocunque voluerit, quã quod teneatur ad vnum

Ad tertiam dicendum eſt fauere vtrique parti noſtræ reſponſionis, vel enim adeſt probabilis ratio, quæ ſuadeat, quod campſarius ſit habiturus in loco deſtinatæ ſolutionis, qui proprio nomine reſpondeat, vel nulla adeſt de hoc probabilitas; ſi primum ſubſiſtit contractus, quandòquidem omnia adſunt, quæ ex diſpoſitione iuris requiruntur ad ipſius validitatem, quod, ſi poſteà reperiatur reſpondens non adeſſe, tunc vtitur campſor remedio proteſtationis ad conſequendam ſortem, & intereſſe; ſi ſecundum, tunc quidem contractus eſſet irritus, adeòque pro ipſius validitate poſſet campſor exigere, vt acceptetur proprius reſpondens, vel nolle inire contractum, eo quia eſſet irritus ſine reſpondente, vel cum præſumptione manifeſta non futuræ eiuſdem exiſtentiæ.

Hæc ratio dubitandi fauet noſtræ reſponſioni.

---

§. II.

An campſor, qui per plura cambia, & recambia, ſiuè ab eodem, ſiuè à diuerſis exegit plura modica ſuprà iuſtitiam, quæ tamen conflant magnam ſummam teneatur ſub læthali ad reſtitutionem eorundem.

SVMMARIVM.

Proponitur ſeries facti in caſu particulari. 1.
Subijcitur abſolutè noxæ lethali. 2.
Et tenetur abſolutè ad reſtitutionem, ſiuè ab eodem, ſiuè à pluribus acceperit illa modica conſtituentia quantitatem ſufficientem ad læthale. 3.
In ſuppoſitione, quod illa modica à pluribus ablata ſint, & moralitèr ſciri nequeat à quibus fuerint ablata, probabilius eſt expendenda eſſe in vſus pios pauperum, & Eccleſiarum. 4.

Diſquiſitio II. Conuenerat campſor cum Theodorico ſuo debitore ex 1

cau-

cauſa præcedenti mutui, vel alicuius alterius iuſti tituli, quod, ſi non reſtituerit debitum tali præfixo termino, ipſe ſumeret ad cambia, & recambia onere eiuſdem Theodorici debitoris, vſquequo integrè ſatisfecerit. Non reſtituente conuento tempore Theodorico cambia plurima, & recambia iniuit per diuerſas orbis partes, in quibus ſingulis quid modicum, & leue ſuprà æqualitatem ad iuſtitiam contractus requiſitam exigebat, quæ tamen modica, & leuia multiplicata in omnibus cambijs conſtituerunt ſummam ſufficientem ad inducendum peccatum læthale; hæcque modica ſimul cum intereſſe cambiorum, & recambiorum ſucceſſiuè, iuxta quod cambia, & recambia celebrabantur, extrahebat ab eodem Theodorico, quem obligauerat ad ſoluendum intereſſe cambiorũ pro tempore, quo celebrarentur non expectato tempore, quo debiti fieri debebat integra ſatisfactio. Rurſus idem campſor alia plurima cambia cum alijs pluribus iniuerat, in quibus ſingulis modicum etiam quid exegerat, quod modicum in pluribus multiplicatum conſtituebat ſimilem ſummam ſufficientem ad peccatum. Quæritur hic, an reſpectu vtriuſque caſus expoſiti teneatur illam ſummam conflatam ex multis modicis reſtituere ſub læthali.

Series facti.

2 Plura de his conſiderata præciſè grauitate delicti, non onere reſtitutionis dixi *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 7. §. 10. à nu. 7. vſque ad fin.* vbi expreſsè tanquam obnoxium peccati læthalis eum conſtitui, qui per plures modicas vſuras ſufficientem quantitatem ad læthalem culpam licet pro diuerſo tempore acceperat, & quamuis, ibi ſpeculatiuè loquendo in ordine ad diuerſas perſonas, à quibus ſeparatim illa modica acceperit, videar ipſum ſic accipientem exemiſſe a culpa læthali, ipſum tamen practicè loquendo tali noxæ ſubieci propter rationes ibi adductas *nu. 9. verſ. hæc, quæ hactenus dixi*, De onere tamen reſtitutionis nihil ibi expreſsè egi, reſeruans ſuo loco examinandum. Nunc data occaſione.

3 Reſpondeo primò, abſolutè teneri campſorem, qui exegit illa modica ſuprà æqualitatem iuſtitiæ in diuerſis cambijs, & recambijs, quæ ſimul ſumpta apta ſunt ad conſtituendam quãtitatem ſufficientem ad læthale ſiuè ab eadem, ſiuè à pluribus perſonis ad reſtitutionem ſub læthali, ſicuti tenetur, qui per pauca furta magnam aliquam ſummam abſtulit. Conformis eſt reſponſio declarationi Sanctiſſimi D. N. Innocentij XI. nunc regnantis, qui in generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita feria quinta die 2. Menſis Martij 1679. damnauit tanquam ſcandaloſam, & in praxi perniitioſam inter cæteras propoſitionem illam, quæ eſt in ordine trigeſima octaua, vbi ſic legitur, *Non tenetur quis ſub pæna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt, per pauca furta, quantumuis ſit magna ſumma totalis*, & quamuis Pontifex non videatur ibi ſe declarare, an intelligat ſolum, quando illa pauca furta ab eodem ablata ſunt, an verò etiam, quandò à diuerſis perſonis, nihilominus, quia illa propoſitio abſolutè ibi damnata eſt ſinè vlla reſtrictione, ſine vlla etiam reſtrictione eſt intelligenda, ſiuè in ordine ad vnam, & eandem, ſiuè in ordine ad diuerſas perſonas, quouſque alitèr per Sanctam Romanam Eccleſiam non declaretur. Ità ſentio. Ità profiteor, & in hoc ſenſu iuxtà mentẽ Pontificis iuſtiſſimè damnantis, & prohibentis volo omnia mea, tùm ſcripta, tùm ſcribenda intelligenda eſſe, non alitèr, nec alio modo; nec debili ſanè fundamento innititur hæc prohibitio, quandòquidem non debet re aliena quis locupletari, & moralitèr impoſſibile eſt, quod non habeat prauum animum diteſcendi, qui aliena ſic minutatim recipit, vndè benè dicitur Prouerb. 11. *Statera doloſa abbominatio eſt apud Deum*, vbi indicatur ablatio plurium in modicis.

Iuſtiſſima declaratio Sanctiſſimi D. N. Innocentij XI.

Moralitèr impoſſibile eſt, quod non habeat prauum animum diteſcendi.

Reſpondeo ſecundò in ſuppoſitione, quod illa modica à pluribus ablata ſint, & moralitèr ſciri nequeant illi, à quibus illa ablata ſunt, probabilius eſt, quod illa quantitas, quæ ex illis modicis conſurgit, in pios vſus pauperum, vel Eccleſiæ, alioſque ſit expendenda per ea, quæ docent *Couarruuias verb. peccatum part. 2. §. 1., Caietanus verbo furtum, Gloſa in cap. cum ſit de vſuris*. Ratio eſſe poteſt, quià, quotieſcunque non conſtat de Dominis, à quibus illa modica fuerint ablata, ſeu accepta, illa debent diſponi ſecundum illorum voluntatem, ſi non realem, cum hæc non innoteſcat, ſaltem præſumptam rationabilitèr, ſed rationabilitèr ſemper præſumendum eſt, quod voluntas illorum, à quibus illa modica accepta ſunt, ſit potius, quod illa expendantur in vſus pios ſubleuationis pauperum, reparationis Eccleſiæ, & ſplendoris eiuſ- 4

Debent diſponi ſecundũ voluntatem præſumptam dominorum.

Digitized by Google

eiuſdem, quam in vtilitatem eius, qui illa accepit, eo quia primo modo cedunt in commodum animæ propriæ, quàm quiſque cunctis rebus, & perſonis præferre præſumendus eſt *cap. requiſitis de teſtamentis, cap. animæ defunctorum 13. quæſt.* 1. non ſic ſecundo, ergo &c.

---

§. III.

An in cambijs, & recambijs eiuſdem pecuniæ poſſit exigi intereſſe de intereſſe, vt duplo excedat quantitatem ſortis.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Fundamentum controuerſiæ. 2.
Explicatur textus in l. vnica C. de ſent., quæ pro eo, *ſecundum ſuas particulas.* 3.
Intereſſe cambiorum, & recambiorum ſucceſſiuè exigendum pro ſingulis cambijs, & recambijs poteſt excedere duplum ſortis principalis. 4.
Satisfit obiectis in contrarium. 5.

1 Disquiſitio III. Tradiderat Seius centum nummos aureos Antonio cum onere eoſdem reſtituendi cum intereſſe congruo, & conuento iuxtà vſum fori Neapolim intrà præfixum terminum, quos, ſi non perſoluerit tali tempore, poſſet idem Seius alios ad æqualitatem ſimul cum intereſſe ſibi debito ſumere ad cambia, & recambia, vel ad determinatas, vel ad quaſcunque orbis partes, vſque dum fuerit integrè ſatisfactus de ſorte, & intereſſe currente in ſingulis cambijs, & recambijs. Diſtulit ad annos, & annos Antonius ſatisfacere, & Seius continuauit cambia, & recambia, adeò vt intereſſe illorum longè excedat quantitatem ſortis, & adhuc, vſque in eis perſeueret, vt poſſit iuſtè præſumere, quod intereſſe excedat duplo ipſam ſortis quantitatem, quinimmò ſucceſſiuè in infinitum, cum ſucceſſiuè Antonius differat ſolutionem. Quæritur iam, an ſucceſſiuè intereſſe poſſit adeò creſcere, vt excedere poſſit ſortem, & ſummam totius capitalis. Difficultas procedit tam de intereſſe prout correſpondet capitali, quàm de intereſſe, prout etiam correſpondet intereſſe præcedenti, & quidem quod poſſit eſſe intereſſe de intereſſe, prout hoc fuerit adauctum capitali, & non ſolum dari poſſit intereſſe pro primo cambio, ſed etiam pro ſecundo, & ſucceſſiuè plenè explicatum eſt ſuprà. Tota igitur ratio dubitandi ad hoc reſtringitur, an ità ſucceſſiuè poſſit exigi tale intereſſe, ſiuè prout correſpondet capitali, ſiuè prout etiam correſpondet intereſſe præcedenti in capitale adaucto, vt excedat duplo eandem quantitatem capitalis.

Cauſam dedit potiſſimum huic controuerſiæ textus *in l. vnica C. de ſent., quæ pro eo*, quæ, vt habetur in titulo, 2
vna eſt ex intricatioribus, quæ in toto Cod. contineantur. Ibi ſic recitatur. *Sancimus itaque in omnibus caſibus, qui certam habent quantitatem, vel naturam veluti in omnibus venditionibus, locationibus, & omnibus contractibus, hoc quod intereſt, dupli quantitatem minimè excedere. In alijs autem caſibus, qui incerti eſſe videntur, Iudices, qui cauſas dirimendas ſuſcipiunt per ſuam ſubtilitatem requirere, vt hoc, quod re vera inducitur, damnum, hoc reddatur, & non ex quibuſdam machinationibus, & immodicis peruerſionibus in circuitus ineſtricabiles redigatur, ne dum in infinitum computatio reducitur pro ſua impoſſibilitate cadat*, & rationem immediatè ſubiungit, *cum ſciamus eſſe naturæ congruum eas tantùmodo pœnas exigi, quæ vel cũ competenti moderamine proferuntur, vel à legibus certo fine concluſæ ſtatuuntur.* Circà hunc textũ varias excitant Doctores dubitationes, circà quas in tam varias, & oppoſitas abiere explicationes, vt ferè ſinguli diuerſas habuerint ſententias, prout refert *Rebuffus in d.l. vnica in gloſ. in verbo quantitatem num. 5. verſ. quæro ergo*. Id ſcilicet, quod primò controuertunt, eſt, quinam ſint iſti caſus, de quibus loquitur textus. Ibi, *in omnibus caſibus, qui certam habent &c.* & quinam alij, de quibus poſteà ſubiungit. *In alijs autem caſibus, qui incerti eſſe videntur*. Id, quod ſecundò controuertunt, eſt, quid intelligatur per illa verba, *qui certam habent quantitatem, vel naturam*, & quid per ea, *qui incerti eſſe videntur*. Tandem controuertunt, an, quæ dicuntur in tali textu, intelligenda ſint, vel de intereſſe communi, vel de ſingulari, vel de legali.

Omiſſis varijs Doctorum placitis, 3
quæ potius mentem obruunt in veritatis indagine, quàm elucident, placet, prout attinet ad præſentis ſtatutum quæſtionis controuerſas particulas ſic explicare, & quidem caſus, de quibus loquitur textus per illa verba:

Digitized by Google

ba: *In omnibus caſibus, qui certam habent, & in alijs, qui incerti &c.* intelligendi ſunt de contractibus, ſiuè in dando, ſiuè in faciendo, ſiuè innominatis per ea, quæ docet *Gloſa in eadem l. vnica C. eod. tit.* adeò vt ſenſus ſit, quod in contractibus in dando, ſi ille, qui dare debet, non tradidit, teneatur quidem ad intereſſe, quod tamen non poſſit excedere duplum intereſſe commune. Sit caſus. Tenetur quis mihi ex contractu venditionis, per quem in ipſum contuli rem meam, erogare pretium conuentum, quod eſt viginti, & pretium commune eſt triginta; per hunc textum ſtatuitur, quod intereſſe meum ſingulare non debet duplum excedere; In contractibus verò in faciendo, ſi ille, qui facere debuit, non fecit, teneatur ad totum meum intereſſe ſingulare, etiam ſi duplum excedat, dummodò tamen probem, tantum mea interfuiſſe, quod non fecerit. Sit exemplum. Conuentione facta cum aliquo, quod mihi teneatur domum ædificare præſtito illi conuento pretio, ſi ille non ædificauerit, poſſum iuſtè exigere totum id, quod mea intererat, quod fuiſſet ædificata, dummodò non extendatur in infinitum, ſed arbitrio iudicis moderetur conſiderata æquitate, & omnibus circunſtantijs, & probem &c. Iuxtà primum caſum contractus dicitur quodamodò habere certam quantitatem, & naturam. Iuxtà ſecundum dici poteſt incertus. Porrò illi contractus dicuntur habere certam quantitatem, quandò id, quod debetur, eſt determinatum in numero, menſura, & ſpecie, adeò vt ſenſus ſit, quoties id, quod debetur, certum eſt quantitate, vel ſpecie, non debet excedere duplum iuxta *l. certum ff. ſi cert. petatur*, illi autem dicuntur incerti, quandò non eſt quid determinatè taxatum, in quo ſenſu poteſt duplum excedere, ſi tantum intereſt creditori. His pro notitia ſuppoſitis

Contractus in dando, & in faciendo.

Intereſſe aliud cõmune, aliud ſingulare.

Contractus habens certã quantitatem, & incertus.

Reſpondeo, in ſpecialibus terminis intereſſe cambiorum, & recambiorum ex moroſa debitoris dilatione in reſtitutione ſortis poſſe idem intereſſe ſucceſſiuè exigendum pro ſingulis cambijs, & recambijs excedere duplum ſortis principalis *Berous conſ. 193. ex facti ſerie nu. 21. ibi quod intereſſe lib. 1., Scaccia de commert. §. 7. gloſ. 2. num. 101., Cagnolus in d. l. vnica ſub num. 58. & ſeqq. C. de ſent. quæ pro eo* contra *Ioannem Baptiſtam Lupum in l. curabit §. 6. num. 20. verſus finem, & §. 3. num. 34. C. de action. empt. inter tract. diuerſ. tom. 7. fol. 117., Decium in d. l. vnica in 2. lect. not. & n. 4., Surdum conſ. 389. conuenit. num. 14. lib. 3.* Huius reſponſionis ratio multiplex eſſe poteſt. Prima, quia illud intereſſe, quod ſucceſſiuè exigitur, non eſt intereſſe vnius dumtaxat contractus primò celebrati, ſed nouorum contractuum, qui de nouo ineuntur per diſſolutionem priorum per ea, quæ latè docui ſuperius *ſub hoc eod. tit. Prænot. 5.* ergo non eſt, cur non poſſit ex ſingulis ſucceſſiuè proportionatum intereſſe exigi, quod ſimul ſumptum excedat duplum ſortis principalis. Conſequentia probatur, quia vnumquodque cambium, quod initur, eſt ſecundum ſe meritorium ſui intereſſe, ergo, cum plura ſucceſſiuè ineantur, ſingula erunt compenſabilia per ſuum intereſſe proportionatum, ergo, cum ſucceſſiuè in infinitum poſſint celebrari, poſſunt ſemper, & ſemper ſucceſſiuè tale intereſſe exigere, quod certè, ſi ſimul accipiatur, excedet latitudinem ſortis principalis; nec certè huic rationi aduerſari poteſt textus *in d. l. vnica C. de ſent. quæ pro eo* per illa verba *in omnibus caſibus, quæ certam habent quantitatem*, quaſi quod hic verſemur in cambio, quod eſt contractus nominatus reducibilis ad emptionem, & venditionem, quodque vel ex vſu fori, vel ex conuentione habeat regularitèr taxatum determinatum pretium; non, inquam, aduerſari poteſt, nam textus ibi loquitur de intereſſe, prout correſpondet vni, & eidem contractui, prout colligitur ex *Gloſa in ead. l. vnica*, quæ ibi affert exemplum de venditione, reſpectu cuius ex mora emptoris in ſoluendo non poteſt exigi intereſſe, quod excedat duplum; hic autem loquimur de multiplicatis cambijs ſucceſſiuè initis, quorum vnumquodque per ſe ſumptum eſt meritorium ſui proportionati intereſſe, adeòque &c.

Non eſt intereſſe eiuſdem contractus, ſed diuerſorum.

Vnumquodque cambiũ eſt per ſe meritoriũ proportionati intereſſe.

Secunda ratio eſſe poteſt, quià ex diſpoſitione Imperatoris *in ead. l. vnica C. de ſent. quæ pro eo* poteſt exigi intereſſe, quod excedat duplum, quandò caſus eſt incertus. Ibi. *In alijs autem caſibus, qui incerti*, quod *Scaccia de commert. §. 7. gloſ. 2. num. 301.* explicat etiam in contractu certo, quandò illud intereſſe habet ſpecificum obiectum lucri ceſſantis, vel damni emergentis, quod eſt incertum, & pendet à futuro euentu; ſed quandò debitor conuenit cum campſore, quod ſumat ad cambia, & recambia vſque ad integram ſatisfactionem per ſe ipſum

præ-

Digitized by Google

præſtandam illud intereſſe exigitur ob lucrum ceſſans, vel &c. quod commenſuratur ad proportionem pretij, quod exigitur ſucceſſiuè ex illis cambijs, & recambijs, quod poterat eſſe maius, vel minus pro diuerſis temporibus, pro quibus cambia illa ſunt celebranda, ergo in eiſdem intereſſe, ſi ſimul pro omnibus ſumatur, poteſt excedere duplum ſortis principalis *Berous conſ. 193. ex facti ſerie nu. 21. lib. 1., Paulus de Caſtro in l. 3. §. nunc de officio in fin. num. 6., & Iaſon ſub num. 8. ff. de eo, quod cert. loc.*

Tertia ratio eſſe poteſt, quià in contractu cenſuali, & Emphytheutico poſſunt ſucceſſiuè exigi cenſus, & penſiones, qui, ſeu quæ, ſi ſimul ſumantur, excedant valorem ſortis cenſus, & rei in Emphytheuſim conceſſæ, vt eſt in confeſſo tum apud Theologos, tum apud Iuris interpretes, ergo etiam in contractibus cambialibus ſæpè, & ſæpè repetitis poterit intereſſe exigi, quod pro ſingulis ſimul acceptum poſſit excedere duplum ſortis principalis. Conſequentia probatur, quia ſi vnus, & idem contractus cenſualis ſemper eſt fructifer quouſque per reſtitutionem capitalis diſſoluatur, ità vnaquæque cambia ſunt ſecundum ſe meritoria proportionati intereſſe, & ſi illa ſucceſſiua exactio non repugnat in cenſu, donec diſſoluatur, non eſt, cur repugnare debeat in multis, & continuatis cambijs, & recambijs, donec per reſtitutionem debiti diſſoluantur.

In contractu cenſuali annui poſſunt excedere in duplo valorem ſortis.

Aduerſus reſponſionem expoſitam multa per Aduerſarios afferuntur argumenta, quæ hic congero, & diſſoluo. Primum fundatur *in l. 4. nihil intereſt ff. de naut. foen.* vbi ſic legitur, *quod in ſingulos dies in ſtipulatum deductum eſt ad finem centeſimæ, non vltrà duplum debetur*, cuius legis ea ratio videtur, ne omnes hominum facultates vſuris depaſcantur, ergo neque in contractibus cambialibus poterit in ſtipulatum deduci, vt ex eiſdem vltrà duplum debeatur. Sed facile huic iuris diſpoſitioni occurro, aſſerens illud procedere, quandò ex vi eiuſdem contractus nautici exigeretur intereſſe vltrà duplum, quod per textum *in l. eos §. ſuper vſurarum C. de vſuris* non poteſt eſſe ſupra centeſimam per ea, quæ docui *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Pranot. 7. num. 3.* hæc autem, quæ in præſenti reſponſione dicuntur, procedunt ex vi plurium, & longè plurium cambiorum, quæ omnia ſecundum ſe ſunt meritoria proportionati intereſſe, adeòque &c.

Ex vi contractus nautici non poteſt exigi intereſſe ſupra centeſimam.

Secundum fundatur *in ead. l. vnica C. de ſententia, quæ pro eo &c. in fin.* vbi videtur damnari infinitas. Ibi *nedum in infinitum computatio reducitur, pro ſua impoſſibilitate cadat*, quod ratione ibi adducta confirmat *cum ſciamus eſſe naturæ congruum eas tantumodo pœnas exigi, quæ vel cum competenti moderamine proferuntur, vel à legibus certo fine concluſæ ſtatuuntur*, ergo illud intereſſe debet intrà duplum concludi, cæteroqui poſſet in infinitum extendi contrà diſpoſitionem allegati iuris. Sed huic etiam facile occurro, nam ea, quæ ibi dicuntur, procedunt etiam ex vi dumtaxat eiuſdem contractus, & in pœnam quodamodò ſolùm moroſæ dilationis, quæ iure quidem congruo moderari debent intrà certos limites propter rationes, quæ ibidem adducuntur; hic autem loquimur de diuerſis contractibus, quorum vnuſquiſque eſt meritorius congrui pretij; vndè intereſſe non debet coarctari ad limites vnius contractus, ſeu ad intereſſe vni tantum contractui correſpondens, nec illud intereſſe, quod ſucceſſiuè exigeretur, eſſet præcisè pœna moroſæ dilationis, ſed iuſtum pretium cuiuſcunque contractus ſecundum ſe meritorij illius pretij. Deindè illa infinitas, ſi contingeret, non eſſet ex vi contractus, ſed ex mora, & culpa debitoris, qui propterea deberet ſibi imputare illud grauamen, ſicuti debet ſibi imputare cenſuarius paſſiuus, quod onus ſoluendi annuos cenſus protrahatur in infinitum, ex eo quod principalem ſortem non reſtituat.

Illud intereſſe non eſſet pœna præcisè moroſæ dilationis.

§. IV.

An poſſit quis creditor conſequi lucra cambiorum, & recambiorum ſine cambio.

SVMMARIVM.

Exprimitur ſtatus difficultatis. 1.
Duplex dubium circà quæſitum. 2.
Suppoſitis ijs conditionibus, quæ requiruntur ad exigendum intereſſe pro lucro ceſſante vel damno emergente poteſt creditor tale intereſſe exigere. 3.
Non obſtante, quod cambia non fuerint inita, nec multiplicata recambia per creditorem adhuc poteſt idem creditor lucra cambiorum, & recambiorum à debitore exigere. 3.

Diſ-

1 Diſquiſitio IV. In hypotheſi præcedentium diſquiſitionum campſor creditor Theodorici ex cauſa præcedenti, cum ſolitus ſemper eſſet negotiari in cambijs, & recambijs proteſtatus fuit aduerſus eundem Theodoricum de intereſſe, ſi conuento tēpore debitum non perſoluerit, quo elapſo, & debito non perſoluto nullis per cāpſorem initis cambijs, nec recambijs cōtendebat lucra cambiorum, & recambiorum ab eodem Theodorico exigere. Hic duo inquirenda remanent. Primum, an de iure poſſit eadem lucra exigere. Secundum, an tale lucrum, cum non ſit ex vi multiplicis contractus initi, poſſit adeò excreſcere, vt duplo excedat quantitatem ſortis principalis.

Duplex difficultas, quæ emanat à titulo.

2 Prima difficultas ſufficientèr videtur explanata ex ijs, quæ ſuperius diximus *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ.* 1. §. 18., vbi latè probauimus, quod creditor habita facultate à debitore ſumendi pecuniã ad cambia, & recambia, ſi eadem vſus non fuerit, non poſſit agere ad intereſſe cambiorum, & recambiorum actione ex cambio, neque actione ex præſcriptis verbis; ex quibus videtur concludentèr deduci, quod multominùs poſſit agere, quandò ſine tali facultate, ſeu ipſa non habita non iniuit cambia, & recambia. Nihilominus, quià *Scaccia de commert.* §. 1. *quæſt.* 7. *part.* 1. *ampl.* 8. *n.* 245., aſſerit ex communi praxi Genuenſium ſolere conſequi lucra cambiorum, & recambiorum ſine cambio per viam lucri ceſſantis, & quia proteſtatio illa de intereſſe videtur ſufficiens ad inducendum ius ſecundum ſe ad eadem lucra in hypotheſi, quod proteſtans ſit ſolitus negotiari eo modo, quo mutuans ſolitus negotiari præſtita proteſtatione de intereſſe negotiationis, habet ius ad exigendum intereſſe de lucro ceſſante, quamuis non fuerit negotiatus, Ideò &c.

Exponitur praxis Genuenſiũ relata per Scacciam.

Secunda difficultas etiam in ſuppoſitione, quod campſor poſſet ſinè cambio exigere intereſſe lucri ceſſantis videtur ex dictis in ſuperiori diſquiſitione diſcuſſa, ſiquidem in tantum diximus intereſſe poſſe excedere duplum quantitatis ſortis principalis, inquantum illud intereſſe correſpondet multis contractibus cambialibus, qui omnes ſecundum ſe ſumpti ſunt meritorij proportionati lucri, & lucrum ſingulorum ſimul ſumptum excedit illam quantitatem dupli, ergo, ſi multiplex contractus non fuerit initus, quinimmò nullus, non poterit creditor exigere intereſſe ſupra duplum quantitatis ſortis ſic diſponente textu *in d. l. vnica C. de ſent., quæ pro eo*. Nihilominus.

3 Reſpondeo ad primam, quod ſuppoſitis ijs omnibus conditionibus, quæ ex ſuperius dictis requiruntur ad exigendum intereſſe pro lucro ceſſante, vel damno emergente poſſit creditor tale intereſſe exigere; illæ tamen conditiones debent concludentèr probari, at opus eſset ad illud exigendum, quod creditor obtineret, vt debitor condemnaretur ad certum intereſse iuxtà praxim, quàm ſeruant mercatores in Ciuitate Genuæ. Ratio huius reſponſionis ea eſt, quià ſuppoſitis illis omnibus conditionibus moroſus debitor eſset verè, & realitèr cauſa, cur creditor non conſequeretur illud lucrum, vel damnum illud pateretur, ergo non eſset, cur eximeretur ab onere illa compenſandi, quinimmò ſuppoſita illa proteſtatione ipſe debitor eſset iniuſtus detentor rei alienæ cum præiudicio domini, qui, ex quo pecuniam ſibi debitam non habuit, ceſsauit ab illo lucro, quod certè, ſi illam habuiſset, conſecutus fuiſset, & damnum paſsus eſt, quod cæteroqui non paſsus fuiſſet. Confirmatur, quià etiam in alijs contractibus puta in mutuo extantibus illis omnibus conditionibus mutuans, qui pecuniam mutuatam fuiſſet negotiaturus ob moroſam mutuatarij dilationem in reſtituendo contrà expreſsam eiuſdem mutuantis voluntatem poteſt intereſse lucri ceſsantis exigere, etiam ſi de facto non fuerit negotiatus, cum dilatio illa reſtitutionis fuerit cauſa non poſitæ negotiationis per ea, quæ docui *tom.* 1. *ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot.* 13. ergo etiam hoc poterit in caſu, de quo loquimur.

Conditiones debent concludentèr probari.

Eſſet vera, & realis cauſa nõ conſecutionis illius lucri.

Dices primò, intereſse pro lucro ceſſante, vel damno emergente non poteſt iuſtè exigi, quandò ille, qui patitur tale damnum, vel ceſsationem lucri poteſt aliundè illud, ſeu illam reparare per ea, quæ docuit *Toletus de inſtruct. Sacerd. lib.* 5. *cap.* 32. *nu.* 3. *verſ. ſecundo etiam in fin.*, quinimmò agens ad intereſse debet probare, quod, ex quo non habuit pecuniam, non potuit negotiari, ſeu damnum euitare, alias hoc non probato non poteſt illud exigere per ea, ſtatuit *Rota in vna Romana fructuum, & intereſſe die* 10. *Decembris* 1614. *coram Pamphilio*, ſed in hypo-

 theſi

theſi reſponſionis creditor poterat ſibi prouidere accipiendo pecuniā ad cambia, & recambia, & illa negotiari, ergo &c. Sed contrà primò, quià, ſi ſumpſiſset ad cambia, & recambia, nonne teneretur debitor intereſse cambiorum, & recambiorum, quod ipſe creditor ſoluit, eidem compenſare? Deindè non poteſt quidem exigere intereſse lucri ceſsantis, quandò poteſt illud aliundè reparare ex ſuis bonis proprijs, ſcilicet ſi haberet alias pecunias otioſas, quibus poſset, ſi vellet, negotiari per ea, quæ docuit *Scaccia de commert. §.1. quæſt. 7. part.2. ampl. 8. nu. 246. verſ. confirmatur hoc requiſitum*, *Toletus de inſtruct. Sacerdotum lib. 5. cap. 31. nu. 3. in fin.*, & ſinè nouo ſuo onere, ſecus quandò poteſt quidem illud reparare, ſed ex bonis alienis ſumptis, ſeu ſumendis cum graui ſuo onere, quod certè ſubire non tenetur. Quis enim diceret, quod ego, qui mutuaui Franciſco centum nummos aureos, ex qua mutuatione mihi lucrum ceſsat, ſeu damnum emergit, nō poſſim à mutuatario exigere compenſationē illius lucri, quod ceſsat, ſeu damni, quod emergit ex eo, quod poſſim totidem ab alijs titulo oneroſo, & fortè etiam gratuito, ſed cum difficultate exigere, ſeu petere, & obtinere? Certè regularitèr ferè omnes mutuatarij, & debitores eximerentur ab onere compenſationis lucri ceſſantis, vel damni emergentis reſpectu mutuantium, & creditorum, ſi ijdem mutuantes, & creditores non habentes ex ſe, quo reparent, ſeu reparare poſſint illa damna, ſeu lucra ceſſantia, tenerentur ab alijs petere cum onere pecunias, quibus poſſent reparare, & in caſu ſolummodò, quo non inueniant, qui concedant, illam reparationem poſſent exigere. Tandem ſi inter cæteras conditiones ad exigendum intereſſe pro lucro ceſſante, ſeu damno emergente hæc requireretur, vt creditor teneretur etiam ab alijs inquirere, & in caſu ſolummodò, quo non inueniat, poſſit illam compenſationem exigere, inſtantia non eſſet contrà noſtram reſponſionem, vtpotè quæ procedit tantum in ſuppoſitione, quod interueniant omnes conditiones, quæ requiruntur ad talem exactionem compenſationis lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis.

Poteſt exigi lucrū ceſsās quamuis poſſet reparari per bona aliena quæſita cum incōmodò.

Dices ſecundò ex ſuperius dictis *ſub hoc eodem tit. de Cambijs II. Diſquiſ.* 1, §. 18., prout innuebam ſuprà in ratione dubitandi pro prima difficultate, creditor, qui præſtita ſibi facultate à debitore ſumendi ad cambia, & recambia tali facultate non eſt vſus, non poteſt ab eodem debitore exigere lucra cambiorum, & recambiorum, quamuis etiam fuerit ſolitus negotiari, ergo multo minus poterit illa exigere etiam in ordine ad lucrum ceſſans, vel damnum emergens ſine cambijs initis, ſi non habuerit talem facultatem ſumendi ad cambia, & recambia. Sed contrà primò, quia quandò à debitore data eſt creditori facultas, vt ipſo debitore non ſoluente in termino poſſet accipere cambio, & recambio, debet ipſe creditor probare ſe accepiſſe pecunias ſub intereſſe, alijs, ſi non probet ſe accepiſſe cambio, non poteſt obtinere intereſſe per ea, quæ docuit *Scaccia de commert. §.1. quæſt.7. part.2. ampl.8. nu. 247. verſ. primò enim Ex Rota diuerſ. deciſ.* 775. *dubitatum ſub nu.* 1. *in Mediolanenſi pecuniaria Mercurij* 27. *Martij* 1601. *coram Litta*, quandò verò talis facultas conceſſa non eſt, & agitur præcisè ad intereſſe lucri ceſſantis, non eſt neceſſe, quod pecunia alia fuerit accepta ſub intereſſe, ſed ſufficit, quod probetur, quod ex non reſtitutione in tempore præfinito ceſſationem illius lucri, ſeu damnum creditor paſſus ſit, quam, ſeu quod paſſus non fuiſſet, ſi pecunia debita fuiſſet pro illo tempore reſtituta, cæteroqui neque mutuatores, neque alij creditores poſſent exigere compenſationem lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis pro negotiationibus omiſſis, niſi quandò ſub intereſſe alias pecunias accepiſſent ad reparanda eadem damna, ſeu lucra ceſſantia, quod nullus dicit. Sufficit igitur, quod ex tali non reſtitutione in termino illud lucrum re vera ceſſauerit, ſeu damnum emerſerit, & quod probetur ex cauſa talis non reſtitutionis ceſſaſſe, ſeu emerſiſſe. Contra ſecundò, & per hoc directius reſpondetur ad inſtantiā, quià quandò per debitorem data eſt talis facultas creditori ſumendi ad cambia, & recambia, quouſque ponatur per eundem debitorem integra ſatisfactio, creditor talem modum ſpecialem acceptauit, quo, ſi non fuerit vſus, debet ſibi imputare, quinimmò per non vſum videtur iuri ſuo ceſſiſſe, nec poteſt habere regreſsum ad alium modum compenſationis, cùm ad primum ſe adſtrinxerit; quandò verò non data eſt talis facultas ius retinet creditor illimitatum ad compenſationem illam quomodocunque exigendam, adeoque ceſsante illo modo per cambia, & recambia, ad quæ ſumenda

Quandò agitur ad intereſſe lucri ceſſātis ſufficit, vt probetur, quod ex illa nō reſtitutione emanarit

Acceptauit ſpecialem modum compenſationis.

non

Digitized by Google

non obligatur, non impeditur, quominus alio quocunque modo poſſit illam compenſationem exigere. Deindè in caſu datæ facultatis tenetur quodamodò ex vi conuentionis in ordine ad illam compenſationem illa facultate vti ſumendo ad cambia, & recambia, qua facultate non habita non tenetur ad eadem cambia, & recambia obeunda, adeoque &c.

Quod ſi hactenus vrgeas, lucrum re vera ceſſare creditori, ſeu damnum emergere, etiam ſi creditor facultate ſibi conceſſa non vtatur æquè, ac ceſſet in hypotheſi reſponſionis, in qua non eſt conceſſa talis facultas, adeòque pariformitèr in vtroque caſu eſſe procedendum, adeò vt, vel in vtroque poſſit exigi intereſſe, vel in nullo, præcipuè cum illa facultas conceſſa creditori ſit ampliatiua, & in ipſius fauorem, non reſtrictiua, & in ipſius perniciem; contrà adhuc impugnaberis, quia, quamuis etiam in primo caſu lucrum illud ceſſarit creditori, vel damnum emerſerit, non propterea ius videtur habere ad illius compenſationem, ſiquidem, cum fuerit præſcriptus modus, & acceptatus reparationis, & illo non vſus fuerit, debet ſibi imputare, quod per illum modum, quem ipſe elegit, non reparauerit, quinimmò ex eo, quod non vſus fuerit, eſt vehemens præſumptio, quod etiam ſi pecunia reddita fuiſſet per debitorem in termino præſignato, non fuiſſet illa negotiaturus, ſiquidem, ſi fuiſſet negotiaturus, æquè vſus fuiſſet pecunia accepta ad cambia, & recambia, præcipuè cum onus ſoluendi pretium cambiorum, & recambiorum non ad ſe, ſed ad debitorem pertineret, ac vſus fuiſſet pecunia debitoris, ſi in termino fuiſſet reſtituta, & ſic lucrum ceſſaſſet potius ex ipſius libertate, quam ex dilatione debitoris in reſtituendo debitam pecuniam. Quamobrem, ſi ad exigendum intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis requiritur, quod agens ad intereſſe probet, quod, ex quo non habuit pecuniam, non potuit negotiari per ea, quæ ex *Rota diuerſ. deciſ. 775. in illa Mediolanenſi pecuniaria* ſuprà retulimus, reliquum eſt, vt inferamus, quod, cum habuerit, vel ſaltem habere potuerit ex facultate ſibi conceſſa pecunias, quibus potuiſſet negotiationem illam exercere, & tamen non exercuit, non omiſerit negotiationem ex cauſa debitoris, ſeu ob non reſtitutionem per ipſum factam in termino, ſed ex propria voluntate, & quod proindè iuſtè non poſſit agere ad intereſſe lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis. Deindè in caſu facultatis conceſſæ creditori debitor ex conuentione ſaltem implicita non tenetur, niſi ad ſoluendum pretium cambiorum, & recambiorum, ergo; ſi illa non fuerint inita, ad nihil tenebitur; in caſu verò lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis non præſtita tali facultate tenetur negotiationis omiſſæ, ſeu potius ad lucra, quæ propterea, præcisè ceſſarint, ſi ex cauſa non reſtitutionis, debent per debitorem quocunque modo compenſari; neque verum abſolutè eſt, quod illa facultas ſit ampliatiua in fauorem creditoris, adeò vt non extincto priori iure fortius ius addat; non, inquam, abſolutè verum eſt, nam ex eo, quod elegerit talem ſpecialem modum, videtur renuntiaſſe cuicunque alteri, præcipuè cum in ipſius creditoris libera poteſtate fuerit habita illa facultate, eodem vtendi independentèr ab eodem debitore, qua, ſi vſus non fuerit, debet ſibi imputare, quinimmò, vt ſuprà inferebam, ex tali non vſu arguitiuè deducitur, quod non ceſſarit à negotiatione, & à lucro ex cauſa debitoris, cum modum ſubſtituerit, quo poterat negotiari, & lucrum acquirere, ſed ex propria voluntate.

Debet ſibi imputare, quod nõ fuerit vſus tali facultate.

Nõ omiſſit negotiationẽ ex cauſa debitoris.

Eligens ſpecialẽ modum videtur cuicunq; alteri renuntiare.

Reſpondeo ſecundò ad ſecundam. Non obſtante, quod cambia non fuerint inita, nec multiplicata recambia per creditorem, adhuc tamen poſſet creditor intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis à debitore exigere, quouſque fuerit debitum perſolutum. 4

Conſonat textui *in d. l. vnica C. de ſent. quæ pro eo*. Ratio eſſe poteſt primò, quià in caſibus, qui incerti eſſe videntur, textus allegatus ſtatuit, vt hoc, quod re vera inducitur, damnum reddatur. *Gloſ. in ead. l. vnica iuxtà l. vbi autem ff. de verb. oblig.* ſed hic verſamur in caſu, qui incertus videtur, ergo &c. Minor probatur, quià vt aſſerit *Scaccia tract. de commert. §. 7. gloſ. 2. num.* 101. etiam in contractu certo, quandò illud intereſſe habet ſpecificum obiectum lucri ceſſantis, vel damni emergentis, quod eſt incertum, & pendet à futuro euentu, caſus talis intereſſe eſt incertus; vndè iure merito ſubdit *Gloſa in ead. l. vnica; ſi autem incerti ſunt, tunc totum ſingulare petitur etiam ſi duplum communis excedat, dummodò plenè probetur*.

Digitized by Google

Secundò ratio eſſe poteſt, quià lucrũ ceſſans ob dilationem ſolutionis quoad primum cambium, quod iniretur, ſi non eſſet dilata ſolutio, eſt ſecundum ſe, & ſecundum iuris æquitatem compenſabile, ergo etiam ſi ſecundum eſſet ineundum, lucrum pro eodem ceſſans debet eſſe compenſabile, & ſic ſucceſſiuè quoad tertium, & quartum. Antecedens patet. Conſequentia probatur, quià eadem ratio, quæ militat pro primo, militat etiam pro ſecundo.

Dices primò. Non poteſt eſſe intereſſe contractus, qui non eſt poſitus, ſed in data hypotheſi nullus contractus cambij initus eſt, ergo &c. Neque obſtare poteſt inſtantiæ, ſi aſſeratur, quod, quamuis non fuerit initus, fuiſſet tamen ineundus, ſi debitum fuiſſet per debitorem ſolutum; non, inquam, obſtare poteſt, quià vt diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 6. & 7.* qui contraxit inualidè, ſed bona fide alium contractum validum, & lucratiuum celebraturus, ſi cognouiſſet primum non ſubſiſtere, non poteſt lucrum huius ſecundi exigere, quià ipſum non celebrauit, ergo etiam quamuis creditor fuiſſet initurus talem contractum cambij, non propterea poteſt illius lucrum, ſeu compenſationem exigere. Sed contrà admitto, poſſe exigere lucrum, non quià contraxit, ſed quià fuiſſet contracturus. Ad id, quod ſubditur, dico diſparem eſſe rationem, eo quià in primo caſu, quod ille, qui contraxit inualidè, non contraxerit modo valido, & lucratiuo, non eſt ex culpa, cauſa, ſeu mora alterius, cum quo contraxit, cum contractus ſupponatur bona fide initus reſpectu vtriuſque, adeòque non illi debet imputare, quod non contraxerit, & non perceperit lucrum ipſi correſpondens, in ſecundo verò caſu, quod creditor non contraxerit, prouenit ex defectu, ſeu mora debitoris non ſoluentis tempore conuento, cui propterea imputanda eſt illa lucri ceſſatio, adeòque, & in ipſum refunditur onus compenſationis.

Quod creditor non contraxerit prouenit ex defectu, ſeu mora debitoris.

Dices ſecundò, quod, quamuis caſus, de quo hic loquimur, ſit incertus, vtpotè, qui reſpicit aliud obiectum ſpecificum, nempè lucrum ceſſans, quod poteſt eſſe incertum, intereſſe tamen ſit moderandum per ſuam ſubtilitatem à Iudice, vt definitur *in ead. l. vnica C. de ſent. quæ pro eo* ibi ſic *ne dum in infinitum computatio reducitur pro ſua impoſſibilitate cadat*. Sed contrà; quià, quamuis computatio fieri non poſſit in infinitum, cum ea, quæ immenſa ſunt, cadant *in auth. vt deter. ſit num. Cle. §. 1. collat. 1. l. fin. C. de Sacroſanct.* ex multorum tamen placito extendi poteſt, vſque ad dũplum iuxtà *l. 2. & l. Iulianus §. idem Iulianus ff. de act. empt.* ex alijs vſque ad quadruplum *l. mulier in fin. C. de ſponſ. l. ſi dictum ff. de euict. Inſtit. de action. §. omnes*. Sed hac etiam omiſſa reſponſione dicere poſſumus diſpoſitionem iuris *in illa l. vnica C. de ſent. quæ pro eo* eſſe dumtaxat quoad pænas, ſiuè legales, ſiuè conuentionales per ea, quæ ibi dicuntur *cum ſciamus eſſe naturæ congruum eas tantummodò pænas exigi, quæ vel cum competenti moderamine proferuntur, vel à legibus certo fine concluſæ ſtatuuntur*; hic autem loquimur de iuſta compenſatione intereſſe, quod ceſſat in multiplicatis contractibus, qui inirentur, ſi ſolutio in termino facta fuiſſet.

Cõputatio poteſt fieri etiã ad quadruplũ.

Non eſt pæna, ſed mera cõpenſatio.

---

§. V.

An in cambio *della riccorſa* reſpondens campſoris poſſit ex pecunia ipſius mandantis ſoluere.

SVMMARIVM.

Proponitur difficultas, & rationes dubitandi. 1.

Solutio in loco deſtinato poteſt fieri dupliciter, & quomodò. 2.

In cambio recurſæ reſpondens campſoris poteſt ex pecunia eiuſdem campſoris ſoluere, ſiuè ſit pecunia eiuſdem, ſiuè diuerſarum ſocietatum, dummodò ſit ſoluta per debitorem, vel ceſſa per ipſum creditorem. 3.

Poteſt ſaluari cambium recurſæ, ſeu recambium eadem prorſus ſumma manente per nouationem, non tamen per delegationem. 4.

Non excluditur delegatio, eo quod non ſit eadem ſumma præciſè. 5.

DIſquiſitio V. In hypotheſi cambij cum recurſa expoſiti *ſub hoc eodem titulo Contractus V. de Cambijs II. Prænot. V.* qua Theodoricus nummularius Mediolanenſis tradidit Sempronio centum nummos aureos Mediolani reſtituendos Romæ per reſpondentem eiuſdem Theodorici modo ibi explicato, in quo conſiſtit cambium recurſæ, I

Digitized by Google

curſæ, idem reſpondens primum cambium ſoluit per pecuniam, quæ erat eiuſdem Theodorici creditoris. Oritur hic difficultas, an huiuſmodi contractus, qui per talem pecuniam diſſoluitur, ſit licitus, & realis, an verò ſiccus, & vſurarius. Negare videtur eſse licitum *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 10. cap. 9. quæſt. 2. verſ. in hac re ſane perplexa* ibi- *ità tamen, vt Miniſter, vel Procurator ille non ex pecunia ipſius nummularij, ſed vel ex ſua, vel aliena hoc eſt ab alio accepta ſoluat*, quod latius explicat infrà *verſ. verum dubia quæſtionis eſt*, vbi pro ſe citat *Sotum lib. 6. de iuſt. & iu. quæſt.* 10. *art.* 1. *& quæſt.* 13. *art. primo. Lupum tract. de vſuris comment.* 3. §. 2. *num.* 65. *Mercatum tract. de Cambijs cap.* 2. *&* 3. Turri *de Cambijs diſp.* 3. *quæſt.* 13. *à num.* 9. *vſque ad* 34. in multis ſententiam Azorij approbat, in multis reprobat, & quidem primò ait *n.* 12. *&* 13. pecuniam, qua reſpondens Theodorici cambium ſoluit, dupliciter poſse eſse eiuſdem Theodorici; primò, quatenus vniuerſa pecunia, quæ eſt apud eundem reſpondentem, ſeu inſtitorem pertineat ad eundem Theodoricum, cuius nomine ibi reſeruatur ad quæcunque ipſius negotia obeunda; ſecundò, quatenus pecunia, quæ ex vi talis contractus eſt ſoluenda, pertinet ad eundem reſpectu eiuſdem ſocietatis, & rationis. Iuxtà primum ſenſum aſserit, abſolutè poſse allegatum cambium per reſpondentem perſolui pecunia eiuſdem Theodorici, quod videtur deducere ex ijs, quæ docuit ſuprà *eadem diſp.* 3. *quæſt.* 7. Iuxtà ſecundum commendat opinionem eiuſdem Azorij tanquam veritati, & rationi conſentaneam, quod ſcilicet per illam pecuniam nequeat iuſtè perſoluere, quod præcipuè probat *d. diſp.* 3. *quæſt.* 5. per eam rationem, qua aſserit ad effectum extinguendi debitum in pecunia numerata neceſse eſse, quod reducatur in actu ſecundo expendibilitatis, ad quem actum non reducitur, dum eſt ſub dominio creditoris. Porrò *num.* 23. ex ſuppoſitione, quod ſolutio fiat per pecuniam creditoris ex vi eiuſdem ſocietatis, & rationis opinionem Azorij approbat per rationem mox adductam, reprobat tamen, & damnat ſecundum eam rationem, quam affert ibi Azorius, quod ſcilicet eſset mutuum. Tandem damnat eundem Azorium in eo, quod dicit reſpondentem Theodorici ex eo, quod ſoluat pro Sempronio debitum cambij eſſe ſimul debitorem, & creditorem eiuſdem Sempronij, dum *n.* 20. *verſ. nec eſt verum in iure* aſſerit eſſe ſolummodò creditorem Sempronij, pro quo ſoluit, & debitorem Theodorici, pro quo exegit receptiſſima actione mandati contraria, quod proindè creditum, & debitum reſpectiuè extinguit per celebrationem noui contractus cambialis, cuius cambij tracta dirigitur Sempronio, remiſſa verò Theodorico. Ita ferè ad verbum idem *Turri loc. cit.* Quid igitur ſentiendum? Pro ſolutione

Approbationes, & reprobationes Azorij factæ per Turri.

2 Aduerte, ſolutionem in loco deſtinato ad eandem pro primo cambio dupliciter fieri poſſe, vel formalitèr per pecuniam numeratam, vel æquiualentèr, ſiuè per nouationem obligationis, ſiuè per delegationem, ſiuè etiam per compenſationem. Porrò, ſi ſolutio fiat per pecuniam numeratam, vel hæc eſt de pecunia creditoris ſub eadem negotiatione, vel eiuſdem ſub duplici negotiatione, & cum requiſitis in iure ad ſuſtinendam duplicem perſonam; primo modo fit, quandò pecunia, quæ ſoluitur pro diſſolutione primi contractus, illa eadem eſt, quæ eſt eiuſdem creditoris ex vi primi contractus; Secundo modo fit, quandò fit quidem ex pecunia eiuſdem creditoris, ſed deſtinata ad alios contractus; iuxtà primum modum ſolutionem fieri non poſse patet ex dictis *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot.* 10. *per totum*, niſi illa pecunia eſset in loco deſtinatæ ſolutionis ſoluta per debitorem, nam, cum illa pecunia ſit transferibilis quoad dominium à creditore in debitorem, & à debitore reducibilis in creditorem, non eſt, cur ſub vno reſpectu non poſſit dari in extinctionem primi cambij, vt debita, & poſteà per creditorem iterum tranſlata in debitorem non poſſit eſse fundamentum, ſeu ſubiectum alterius cambij celebrati cum eodem debitore, per quam conſtituatur debitor ex cauſa eiuſdem ſecundi cambij. Quod, ſi dicas, cum hic agamus ſolummodò quoad pecuniam numeratam, incongruè adducta fuiſse ea, quæ diximus *ſub eod. tit. Contractus V. d. Prænot.* 10. cum ea procedant ſolummodò quoad creditum contractum ex vi prioris cambij; ſtatim reaſsumam, non fuiſse incongruè adducta, eo quià nomine pecuniæ veniant quæcunque ſiuè res, ſiuè iura incorporalia, eaque omnia, quorum æſtimationem nummus metitur per ea, quæ habet *Vulpianus l. pecuniæ* 178. *ff. de verborum ſignif.*, *Hermogenes*

Solutio poteſt fieri, vel formalitèr, vel æquiualentèr.

Pecunia, vel poteſt eſſe creditoris ſub eadē negotiatione, vel eiuſdem ſub duplici.

Digitized by Google

genes l. pecuniæ nomine 22. ff. eodem tit. Moral. Nicom. lib. 4. cap. 1.; iuxtà ſecundum ſenſum approbant illam ſolutionem quotquot approbant contractum recambij, nec in hoc ſenſu exiſtimo diuerſimodè ſentire *Azorium inſtit. moral. part. 3. lib. 10. cap. 9. quæſt. 2. præcipuè* cum *verſ. cæterum quid* aſſerat, quod non conſuleret tale cambium, antequam celebraretur, non damnaret tamen poſt factum.

Solutio non poteſt fieri per ceſſionem eiuſdem crediti.

Aduerte ſecundò, quod, quandò pecunia non ſoluitur in loco deſtinatæ ſolutionis, ſolutio non fieri poſſet per ceſſionem eiuſdem crediti per ea, quæ dicta ſunt ex mente *Lugi ſub eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot.* 10. quod tamen nos non affirmauimus. Si igitur fieri poteſt, vel erit per nouationem obligationis, vel per delegationem, vel per compenſationem, vt ſuprà innuebamus. Vtrum autem fieri poſſit hæc nouatio, ſed delegatio in ordine ad reſpondentem creditoris latè proponit *Turri de Cambijs diſp. 3. quæſt. 3. per totum*, vbi videtur concludere affirmatiuè, dummodò tamen interueniant ea, quæ dicuntur *l. 12. 13. & 14. ff. de except. rei iud.* ibi, *cum quæritur, an hæc exceptio noceat, nec ne, inſpiciendum eſt, an idem corpus ſit, quantitas eadem, idemque ius, & an eadem cauſa petendi, & eadem conditio perſonarum, quæ, niſi omnia concurrant, alia res eſt.* His ſuppoſitis

3 Reſpondeo primò. In cambio recurſæ reſpondens campſoris poteſt ex pecunia ipſius campſoris ſoluere, ſi ſit pecunia diuerſarum ſocietatum.

Æquiualens ſolutio eximit debitum.

Probatur iam reſponſio ex ijs, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 5.* ſi enim per æquiqualentem ſolutionem ex eo præciſè, quod correſpondens campſoris acceptet literas campſarij, ſeque pro illo conſtituat debitorem, ſufficientèr diſſoluit primum cambium, quod ex ibi dictis eſt virtualitèr ſoluere, cur non poterit per pecuniam campſoris apud ſe exiſtentem ex vi aliarum ſocietatum eodem non renuente idem primum cambium diſſoluere? Secundò, quià, quandò ille, qui exequitur præſcriptam ſibi in literis ſolutionem eſt factor, ſeu Inſtitor creditoris, vtique exequitur ex pecunijs eiuſdem creditoris, quandòquidem regularitèr pecuniæ omnes, omneſque actiones ad dictam inſtitoriam pertinentes ſunt propriæ ipſius creditoris, & tamen nec *Azorius* damnat talem ſolutionem, vt improbam, & iniuſtam, quinimmò *Turri de Cambijs d. diſp. 3. quæſt. 7.* latiſſimè probat ex vi inſtitoriæ non obſtante identitate perſonæ, ratione tamen duplicis negotiationis, vbi requiſita concurrunt, poſſe intercedere actiones relatiuè oppoſitas, ergo &c.

An verò reſpondens campſoris poſſit ſoluere ex pecunia eiuſdem ex eadem negotiatione, non ità facile poteſt reſolui. Negatiuè videtur ſentire *Lugus iuxtà ea, quæ ex ipſius mente retulimus ſuprà ſub hoc eodem titulo de Cambijs II. Prænot. 10.*, cui fauere videtur Congregatio Theologorum ex ordine Vrbani VIII. ſuper tertium caſum à Republica Genuenſi propoſitum per illa verba, *Quæ non ſint creditoris, cui fit ſolutio ſecundum eandem rationem Banchariam permanentem*. Affirmatiuè verò ſentire videntur alij, quia nulla videtur repugnantia, quia creditor per eandem numero pecuniam, quam ipſe per ſuum reſpondentem ſibi ipſi ſoluit, nouum cambium conſtituat iterum eandem transferendo in debitorem per ea, quæ habentur *in l. ſi quis duos homines, ff. de ſolut.* vbi Marcellus ait. *Seruius ait eum, qui nummos à debitore ſuo acceperit, & liberare eum velit, poſſe ſæpius illos nummos accipiendo ab eo, eique retrodando, ac rurſus accipiendo id efficere, veluti ſi centum debitorem, decem acceptis liberare creditor velit, & cum centum acceperit, eadem retro reddat, mox ab eo accipiat, & nouiſſimè retineat.* Reſpondent etiam huius affirmatiuæ ſententiæ patroni ad deciſionem illius Theologorum Congregationis, non permanere eandem creditoris pecuniam ſecundum eandem rationem Banchariam, cum intelligatur tranſlata vel in debitorem, vel in reſpondentem campſoris, vt ex illa, ſibi ipſi ſoluat, vndè tranſit in aliam rationem Banchariam. Quid iam in hac controuerſia ſtabiliendum? Vide quæ infra latè examinabuntur *ſub tit. de Cambijs III. Prænot. 12.*

Reſpondeo ſecundò, poteſt optimè 4
ſaluari cambium recurſæ, ſeu recambium eadem prorſus ſumma manente per Nouationem, non tamen per delegationem. *Turri d. diſp. 3. quæſt. 4. nu. 9. 10. & ſeqq.* Probatur primò quoad Nouationem ex definitione eiuſdem ſuprà relata *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 21. in primo notabili*, vbi dicitur, quod ſit *prioris debiti in aliam obligationem, vel ciuilem, vel naturalem transfuſio, atque translatio*, & per ipſam prior obligatio extinguitur, & noua inducitur, ſed omnes con-

conditiones in definitione expoſitæ verificantur, ſeu verificari poſſunt in recambio, ſeu cambio recurſæ, ergo poteſt optimè ſaluari natura recambij miniſterio nouationis. Minor probatur, quià ex eo, quod correſpondens campſoris virtualitèr de mandato campſarij debitoris ſoluerit, extinguitur illa prima obligatio, quam aſſumpſerat in primo cambio, & nouam induit, ratione cuius idem campſarius tenetur æquiualentem ſummam ſoluere in loco, in quo primum contractum celebrauerat; Neque obſtare poteſt ijs, quæ dicuntur, ſi afferatur, quod ſecunda obligatio, quæ contrahitur in virtuali ſolutione prioris cambij non ſit de eadem quantitate, quæ fuit in primo cambio, ſed maior propter lucrum primi cambij, quod primæ quantitati augetur, & computatur in ſortem, quod eſt contrà naturam nouationis per ea, quæ habentur *in cit. l. quantitaſque eadem ff. de except. rei iud.* non, inquam, obſtare poteſt, quià illud augmentum variare non poteſt rem, ſeu quantitatem taliter, vt non cenſeatur eadem quantitas, idemque ſubiectum; non enim hæc identitas ità ſtrictè accipienda eſt, vt excludat quamcunque latitudinem, vt optimè afferit *Paulus in l. & an eadem ff. de except. rei iud.* vbi ſic legitur *Idem corpus in hac exceptione non vtique omni priſtina qualitate, & quantitate ſeruata, nulla adiectione, diminutioneque facta, ſed pinguius pro communi vtilitate accipitur.*

Saluantur omnes conditiones poſitæ in definitione nouationis.

Identitas non excludit quamcũque latitudinem.

Probatur ſecundò quoad eandem nouationem ex ijs, quæ dicta ſunt *ſub hoc eodem tit. Contractus V. Prænot. 21. aſſert. 2.* vbi pluribus allegatis Doctoribus, adductiſque rationibus probauimus per virtualem illam ſolutionem extingui primum cambium, adeò vt ratione eiuſdem non habeat amplius creditor prælationem in concurſu aliorum creditorum, ſi hi habeant ius acquiſitum anteccedentèr ad celebrationem ſecundi cambij, & alia plura, quæ ſecundum ſe important nouationem. Recole, quæ ibi dicta ſunt.

Probatur tertiò quoad delegationem, quia ex dictis *in eadem Prænot. 11. in ſecundo not.* ad delegationem requiritur, quod delegatus ſit debitor delegantis, & quod promittat tanquam debitor per ea, quæ docet *Scaccia tract. de commert. §. 2. gloſ. 5. nu. 281.* & quod obligatio delegantis transferatur in aliam perſonam nempè in delegatum; ſed in hypotheſi reſponſionis correſpondens campſoris, cui dirigitur mandatum de ſoluendo, non eſt debitor debitoris delegantis, cæteroqui non eſſet ſimplex reſpondens creditoris, quinimmò non ſaluaretur cambium recurſæ, quandòquidem per talem aſſignationem acceptatam per creditorem abſolueretur primum cambium ſine vllo onere ad ſecundum, ergo &c.

Contendunt hic aliqui non ex hoc præcisè capite ſaluari non poſſe delegationem in cambio recurſæ, ſed ex eo, quod miniſterio delegationis contingat diuerſitas ſubiecti nempè illius ſummæ, quandòquidem cum ad ſubſtantiam delegationis requiratur, vt nomen delegatum ſit debitor delegantis, & ſumma debita per ipſum delegatum ſit non eadem, ſed diuerſa ab ea, quæ debetur per delegantem, vt per ſe patet arguitur manifeſtè diuerſitas ſubiecti, quæ ſtare non poteſt cum delegatione. Sed ex hoc capite in cambio recurſæ non tolleretur ratio delegationis, nam quamuis non eſſet eadem ſumma formalitèr, eſſet tamèn eadem æquiualentèr, nec debet ſumi ità ſtrictè, & materialitèr, vt æquiualens non poſſit loco illius ad effectum perficiendi cambium ſubrogari iuxtà textum *in l. ſi eum §. qui iniuriarum, & ibi Gloſ. & Bartolus ff. ſi quis caut. iud. l. 1. §. hac actio ff. ſi quis teſta. lib. eſſe iuſ. fue.* quinimmò ratione vtilitatis idem corpus dici poſſe non obſtante ſubrogatione docet *Turri de Cambijs diſp. 2. quæſt. 4. num. 17.* iuxtà mentem *Iuris Conſulti in l. proponebatur 76. ff. de iudic.*

Eſt eadẽ ſumma æquiualentèr.

---

§. VI.

An in recambio poſſit perſeuerare idem debitor, qui fuerat debitor cambij, & quomodò.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries. 1.
Idem, qui fuerat debitor in celebratione primi cambij non remanet debitor etiam in recambio, quantum eſt formalitèr ex vi eiuſdem recambij. 2.
Soluens nomine mandantis conſtituit ſe debitorem pro illo. 3.
Debitor ex cambio debet eſſe perſona ſaltem formalitèr diuerſa ab ea, ad quam dirigitur tracta eiuſdem cambij. 4.

Diſ-

Digitized by Google

1 DIſquiſitio VI. In terminis propoſiti cambij, & recambij *in præcedenti §. & ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Pranot. 5.* orta fuit controuerſia apud *Turri de Cambijs d. diſp. 3. quæſt. 6. per totum*, an idem Sempronius, qui fuerat debitor primi cambij ex eo, quod pecuniam acceperit à Theodorico, perſeueret item vt debitor in recambio, & ex vi eiuſdem recambij, an verò per ſolutionem illam, ſiuè formalem per pecuniam numeratam, ſiuè virtualem per nouationem intelligatur liberatus ab illo debito, adeò vt non maneat amplius debitor in recambio, & in virtute eiuſdem. Fusè agit de hac controuerſia *Turri loc. cit.* multa præſuponendo, quæ quià nos facile deducere poſſumus, ideò breuitati, quantum poſſumus, conſulentes, omittimus, cum clara fient in probationibus. Quamobrem

2 Reſpondeo, eundem, qui fuerat debitor in celebratione primi cambij non remanere debitorem etiam in recambio, quantum eſt ex vi formalitèr eiuſdem recambij. Ita Turri, qui ſuprà. Probatur primò, quià reſpondens campſoris, ad quem dirigitur tracta, vel ſoluit primum cambium per virtualem illam ſolutionem modo, quo ſuprà, vel formalem, ſcilicet per numerationem; ſi primo modo; cum ſe conſtituat debitorem pro campſario dirigente ad ſe tractam illum eximit ab onere debitoris, non enim pro eadem ſumma poteſt eſſe ſimul, & ſemel duplex debitor, ceteroqui idem creditor pro eadem ſumma haberet duplex ius, quod eſt contrà iuſtitiæ ordinem; Neque obſtare poteſt, ſi dicatur, non ſe conſtituere debitorem abſolutè, ſed nomine debitoris mandantis, qui propterea ſemper remanet principalis debitor, quandòquidem qui agit nomine alterius ſemper agit in perſona illius, cuius nomine agit; non, inquam, obſtare poteſt, nam ſoluendo primum cambium, quamuis hoc præſtet de mandato campſuarij debitoris, conſtituit tamèn ſe pro illo debitorem, vndè retinet ſolummodò contra eundem actionem mandati, vt

Pro eadē ſumma non poteſt ſimul eſſe duplex debitor.

3 aſſerit *Turri loc. cit. num. 19.* iuxtà *l. ſi mandato meo 45. cum tot. tit. ff. mandati* ea proportionali ratione, qua, ſi ego de mandato tuo ſoluam Franciſco tuo creditori centum nummos aureos, libero te ab obligatione, quam habebas ex debito verſus eundem Franciſcum, & ſolùm acquiro aduerſus te actionem mandati, ratione cuius conſtitueris meus debitor; ergo iam campſarius ceſſat eſſe debitor ex cambio, quod extinctum ſupponitur, licet conſtituatur debitor ex alio titulo; ſi ſecundo modo; iam extinctum eſt tale debitum per illam actualem numerationem, adeòque non amplius remanet debito ex cambio, vt ſupra. Cum deindè idem reſpondens recambium init, & reflectit tractam in eum, qui ad ſe primò direxerat, ſe habet per modum promiſſoris eo modo, quo ipſe principalis debitor ſe habet, vt promiſſor reſpectu ſtipulatoris, vt ſuprà, ergo in recambio non perſeuerat idem campſarius, vt debitor; neque obſtare poteſt, quod hac ratione debitor ex cambio liberaretur ex recambio, abſque eo quod quidpiam ſoluat, vel reſtituat, quod ſic euincitur; nam à primo cambio per illam ſolutionem à reſpondente factam liberatur, vt ſupponitur, ſi ergo non conſtitueretur debitor ex recambio iam eſſet abſolutè liberatus à debito, abſque eo quod quidquam ſoluerit; non, inquam, obſtare poteſt, quandòquidem, quamuis liberetur à debito ex cambio, & recambio, obligatus tamen remanet efficacitèr actione mandati iuxtà *cit. l. ſi mandato meo ff. mandati* ad perficiendum ipſum recambium &c.

Reſpondens cōſtituit ſe debitorē pro debitore principali.

Reflectēs tractam ſe habet per modum promiſſoris.

Obligatus remanet efficacitèr actione mandati.

4 Probatur ſecundò, quia debitor ex cambio debet eſſe perſona ſaltem formalitèr diuerſa ab ea, ad quam dirigitur tracta eiuſdem cambij, ſed ille, ad quem ſpectat tracta ſemper conſtituitur debitor ex recambio, ergo debitor ex recambio ſemper erit perſona diuerſa ab ea, quæ eſt debitrix ex cambio. Maior probatur, quià, cum recambium, quinimmò, & cambium ipſum locale ſemper exigat diſtantiam loci, in quem deſtinatur ſolutio, ſemper exigit mandantem & mandatarium, qui ſaltem munere debent inter ſe diſtingui, ſicque perſona, ad quam dirigitur tracta, cum fungatur munere mandatarij, debet ſaltem formalitèr diſtingui à debitore primi cambij, qui ſe habet, vt mandans. Quod, ſi dicas, poſſe eundem debitorem ex primo cambio ſe perſonalitèr conferre ad locum deſtinatæ ſolutionis, & per ſe ipſum perficere id, quod præſtat per mandatarium; tunc etiam dicerem, vel induere formalitèr duplicem perſonam, & conſtitui debitorem, prout ad ipſum ſpectat tracta, non prout eſt debitor ex præcedenti cambio, vel hunc eſſe ſpecialem caſum, in quo ſimul eſt celebrans, & perficiens, adeò-

Recambiū ſemper exigit diſtātiā loci.

que

Digitized by Google

que in hoc ſuppoſito ex duplici cambio, quod per ſe ipſum fuit, per extinctionem primi ſe conſtituit debitorem ex ſecundo, cum in hoc etiam ſit promiſſor. Minor probatur, nam ille, ad quem ſpectat tracta, dum ſoluit, vel per nouationem, vel per numerationem ſoluit, ſicque dum ſoluit per nouationem non ità ſoluit, quin ſimul, & ſemel obligetur in nouatione per aliam obligationem diſtinctam à prima, dum verò ſoluit per numerationem ſe obligat per retroacceptionem ex alia cauſa, ergo &c. Deindè, dum ipſe reflectit talem tractam in ſe directam per recambium iam conſtituitur promiſſor, adeòque vt debitor ex recambio.

---

§. VII.

An poſſit fieri recambium ſine obligatione eius, cui dirigitur tracta.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Rationes dubitandi. 2.
Non poteſt fieri recambium ſine obligatione eius, ad quem dirigitur tracta. 3.
Non poteſt eſſe nouatio, nec delegatio ſine obligatione nouantis, ſeu delegati. 4.
Satisfit rationibus dubitandi. 5.

1 DIſquiſitio VII. In terminis præcedentis diſquiſitionis, & iuxtà facti ſeriem expoſitam *in §. 5. & ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Praenot. 5.* in qua Sempronius debitor Theodorici ex cambio dirigit tractam ad correſpondentem eiuſdem Theodorici, oritur ratio dubitandi, an ſine obligatione eiuſdem reſpondentis poſſit fieri per eundem, vel alio modo recambium. Qua in difficultate multis in contrarium propoſitis concludit *Turri de Cambijs diſp. 3. quæſt. 7. num. 12. 13. & ſeqq.* impoſſibile omninò eſſe recambium celebrari abſque obligatione actiua, & paſſiuà eorum, ad quos ſpectabat tracta, & remiſſa cambij.

2 Ratio potiſſimum dubitandi in eo conſiſtit primò, quod primum cambium perficitur per ſolutionem ſiuè formalem, ſiuè virtualem, vt ſparſim ſupra diximus; ſolutio autem potius ordinatur ad liberationem, quam ad obligationem, vt habetur *in l. 1. tot. tit. de ſolut.* Secundo in eo, quod quandò dirigitur tracta ad procuratorem ipſius debitoris, vel ipſimet debitori, tunc factum Procuratoris refertur ad dominum *l. qui proprio §. Procurator, vt in cæteris ff. de Procurat. l. videamus §. curatores verſ. ſi tamen ff. de in lit. iur.* adeòque præter ipſum debitorem, qui primò erat obligatus ex cambio nullus alius ex recambio obligabitur. Tertiò in eo, quod eadem ſumma, quæ fuit deducta in cambio, etiam in recambio deducitur, in ordine autem ad eandem ſummam, qui ſemel fuit debitor ſemper perſeuerat, vt debitor, donec vltimò diſſoluatur per integram ſatisfactionem creditoris, ergo nullus alius ab ipſo primo debitore, qui contraxit debitum ob cambium acceptum contrahit obligationem pro recambio, adeòque &c. Nihilominus

Variæ rationes dubitandi proponũtur.

Reſpondeo, non poſſe propriè fieri recambium ſine obligatione eius, ad quem dirigitur tracta. Probatur primò, quia recambium eſt nouum, verum, & reale cambium diſtinctum à primo ſuper eodem ſubiecto, ergo, cum expediatur, & celebretur per eos, ad quos fit tracta, & remiſſa, debet inter eos intercedere obligatio. Probatur conſequentia, quia cambium vtpotè contractus debet ex genere ſuo eſſe vltrò, citròque obligatorius, ergo parit obligationem inter vtroſque expedientes, & celebrantes; neque dicas, cum contrahant nomine primi promiſſoris, & ſtipulatoris mandantium ità fieri, non conſurgere obligationem inter ipſos expedientes, ſed inter principales, qui ità fieri mandarunt; contrà enim impugnaberis, quià, cum præcipuè ille, ad quem ſpectat tracta, intelligatur æquiualentèr ſoluere, & cum ſub diuerſo reſpectu induat perſonam eius, ad quem ſpectat remiſſa, in recambio conſtituitur quodamodò ſtipulator, & promiſſor, quod eſſe non poteſt, niſi contrahat nomine proprio, cæteroqui nec ſibi, nec Domino acquireret, cum nemo alteri ſtipuletur *l. quæcunque ff. de act. & obligatio. Gloſ. in l. ſtipulatio iſta §. ſi ſtipuler verbo fieri ff. de verb. oblig.* 3

Recambium eſt nouum, verum, & reale cambiũ.

Contrahit nomine proprio.

Probatur ſecundò, quià reſpondens campſoris, ad quem nomine campſuarij remittitur tracta, vel diſſoluit primum cambium nouatione, vel delegatione, vel formali numeratione, ſed quocunque ex his modis ſoluat in recambio, ſemper contrahit obligationem, ergo &c. Minor probatur, quià non poteſt fieri nouatio, nec delegatio, nec acceptatio ſine obligatione no-

Digitized by Google

uantis, delegati, & retroaccipientis, ergo &c.

4 Probatur tertiò, quià ex ſuperius dictis ille, ad quem ſpectat tracta, debet eſſe perſona ſaltem formalitèr diuerſa ab eo, qui eſt debitor cambij, ergo, cum per tractæ acceptationem aſſumpſerit onus ſoluendi cambium, ſi recambium poſteà conſtituat, ex ſe obligabitur ad illud. Conſequentia probatur, quià, qui contraxit obligationem, ex vi illius obligatur ad eandem diſſoluendam, vndè ortum habuit illud, quod habetur *in l. ſicut ff. de act. & oblig.*; videlicet *obligationes ab initio ſuſcipere voluntatis eſt, ſuſceptas verò, & ex poſt facto adimplere, neceſſitatis*. Confirmatur, quia promiſſor, ſeu primus debitor ex cambio ex ſuperius dictis per illam virtualem ſolutionem liberatur à debito ex vi cambij, ſeu proueniente à cambio, ergo, cum ipſe recambium non conſtituat, ſed ille, qui exequitur, ſeu perficit primum cambium, perquod ex vi acceptationis literarum in ſe contraxit illam obligationem, quæ erat principalis debitoris, non ipſe primus mandans, ſed ipſe, qui exequitur obligationem in recambio contrahit, ergo &c.

Vi acceptationis literarum contrahit obligationẽ.

5 Nunc ad rationes dubitandi, quæ in principio afferebantur, reſpondendum eſt, & quidem ad primam fateor, per ſolutionem, ſiuè formalem, ſiuè virtualem primum cambium diſſolui, ipſamque ſolutionem ſecundum ſe potius ordinari ad liberationem, quam ad obligationem inducendam, quià tamèn in recambio, ſeu in cambio recurſæ illa liberatio inſeparabilitèr coniugitur cum noua obligatione, quæ in ipſa ſolutione ſuſcipitur, hinc eſt, quod, cum obligationem ſoluat quoad primum contractum, nouam induat quoad ſecundum; quod, vt clarius conſtet; dic quæſo quomodò ille, qui perficit, ſeu exequitur primum cambium illud perficiat, & diſſoluat? Si dicas nouatione? ergo iam transfunditur noua obligatio in nouantem; cum nouatio nihil aliud ſit, quam prioris debiti in aliam obligationem transfuſio; quinimmò ipſa noua obligatio eſt cauſa effectiua perfectionis, ſeu diſſolutionis primi cambij. Si repetas, delegatione; iam ex ſe patet delegatum eo ipſo, quod acceptat delegationem obligari ad exequendum onus delegatum. Si tandem confugias ad numerationem, cum ità numeret, vt retro accipiat, ratione retroacceptionis iterum obligatur, ergo à primo ad vltimum ſemper verum eſt, quod ille, ad quem pertinet tracta, ex recambio ſemper obligatus remaneat, neque arduum debet videri, quod, cum, vt plurimum tracta ad reſpondentem ſolùm ſpectat ratione curæ, & ſollicitudinis, obligetur ſecundum ſe ex recambio; non, inquam, arduum, quandòquidem, cum literas acceptet, & onus ſibi vi illarum impoſitum, debet ſibi imputare, quod illas acceptarit, & in quocunque caſu non ſatisfactionis per debitorem mandantem ponendæ cautus adhuc remanet ratione fideiuſſionis implicitæ ſibi præſtitæ per creditorem, qui ex quo mandauit, vt literas illas acceptaret, & ſolueret, videtur quaſi pro illo fideiuſſiſſe in hypotheſi, quod in reditu literarum debitor primus non ſatisfaceret.

Liberatio inſeparabilitèr coniungitur cum noua obligatione.

Ad ſecundam dicendum eſt, quod quandò diriguntur literæ tractæ ad Procuratorem datoris ipſarum, ſeu debitoris, vel ad ipſum debitorem, adhuc ſaluetur, quod ille, ad quem ſpectat tracta, obligetur ex recambio; Quod, vt percipias, his attende. Non nouum eſt in iure, quod vna, eademque perſona reſpectu negotiationum diuerſarum eiuſdem iuris fictione habeatur pro duplici perſona ad faciliorem exitum negotiationum, quod præcipuè colligitur *in l. habebat 12. ff. de inſtit.* quodque latè probat *Turri de Cambijs d. diſp. 3. quæſt. 7. à num. ſecundò fere vſque ad finem* multis iuribus, rationibus, & exemplis ibi adductis, quæ, cum plurimum faciant ad horum, quæ hic dicuntur, confirmationem, ibi recole. Rurſus, vtſuprà innuebam, procurator, prout ad ipſum dirigitur tracta, cuiuſcunque ille ſit, cum habeat rationem mandatarij, debet eſſe perſona ſaltem virtualiter diſtincta à mandante, quæ in propria perſona actiones, obligationes, & alia quæcunque radicare debet iuxta ea, quæ dicebamus *ex l. quæcunque ff. de act. & oblig.* & ſub illa ratione rapræſentat diuerſam perſonam ab ipſo mandante. Tandem quandò literæ tractæ diriguntur ad ipſum datorem, vt cum in eiſdem dicitur *al mio di fiera* tunc debitor, qui dicitur de feria, licet ſit vna, & eadem perſona realitèr, non eſt formalitèr idem, qui dicitur de platea. His ſuppoſitis dic iam ad rationem dubitandi ſuprà propoſitam, quod, quamuis literæ tractæ dirigantur ad Procuratorem debitoris, vel

Eadem perſona rappræsẽtat duplicem.

vel ad ipſum debitorem, ipſe Procurator, vtpotè mandatarius, & per conſequens, vt perſona diſtincta in perſona propria contrahat obligationem ex recambio, quamuis poſtea habeat actionem mandati aduerſus mandantem, & quod debitor ipſe, vt ad ipſum tracta dirigitur, contrahat talem obligationem ex recambio non ſub eo reſpectu, ſub quo rapræſentat perſonam debitoris ex primo cambio; ſed ſub alio reſpectu, ſub quo iterum ſe obligando idem primum cambium diſſoluit, quod ſufficiens eſt ad intentum noſtræ reſponſionis, iuxtà quam volumus, illum, ad quem ſpectat tracta, ex recambio obligari, quicunque ille ſit ſub eo reſpectu, ſub quo ad ipſum ſpectat tracta, & conſtituit recambium.

Saluatur eadem ſumma, quamuis eidem ſuperaddatur intereſſe cambij.

Ad tertiam fateor iuxtà ſuperius dicta præcipuè in præcedenti paragrapho, quod eadem ſumma, quæ fuit deducta in cambio, deducatur etiam in recambio, quæ identitas etiam ex ſuperius dictis, quantum attinet ad præſens inſtitutum nouationis, ſaluatur etiam ſi eidem ſuperaddatur quantitas intereſſe primi cambij; nego autem in ordine ad eandem ſummam eodem ſaltem titulo, quod qui ſemel fuit eiuſdem debitor, ſemper perſeueret, vt debitor quoad vſque integrè, & actualitèr per conſummationem recambij factam per actualem numerationem debitum diſſoluatur, nam eo ipſo, quod per reſpondentem primum cambium ſolutum eſt, ipſe intelligitur liberatus, quantum eſt ex vi cambij. Dixi *eodem ſaltem titulo, & quantum eſt ex vi cambij*; non enim renuo, concedere, adhuc debitorem remanere, ſed non ex cambio, quod ſolutum ſupponitur per virtualem ſolutionem factam à reſpondente, nec ex recambio, cum illud non celebrarit, ſed actione mandati, vt in præcedentibus probabamus, quod non eſt contrà noſtram reſponſionem.

Se obligauit dũtaxat actione mandati.

Dices, tam ex cambio, quam ex recambio ipſum debitorem obligari, quandòquidem, cum in celebratione primi cambij conuenerit cum creditore etiam de recambio, videtur ſe obligaſſe ad onera vtriuſque. Sed contrà ex eo, quod ſe obligarit etiam ad recambium, ſe obligauit dumtaxat actione mandati, ſcilicet ad mandandum fieri recambium, non autem ad contrahendam obligationem ex recambio, ſiquidem ipſe, vt formalitèr debitor primi cambij, illud non contrahit. Deindè in prima celebratione cambij promiſit quidem debitor recambium celebrare, ſed promiſſio ſtat cum indifferentia, vel ad celebrandum per ſe, vel per alium de mandato ſui ipſius, vnde obligatio, quæ conſurgit ex tali promiſſione, eſt quidem ad contrahendum, non tamen ad ſe obligandum ex tali ſecundo contractu, nempè recambio, ſed ad obligandum eum, qui ex mandato ſui ipſius debet recambium contrahere.

---

§. VIII.

An cambium, & recambium poſſit quis per nuntios celebrare, & an nuntij ex recambio obligarentur.

SVMMARIVM.

Factum, & multiplex difficultas circà ipſum. 1.
Diſcrimina inter nuntium, & Procuratorem. 2.
Quænam requirantur ad hoc, vt nuntius validè agat. 3.
Primum cambium per Nuntios initum etiam ſine interuentu alicuius ſubſiſtit, & ſuſtinetur. 4.
Nulla eſt repugnantia, quin per eoſdem nuntios cum ſufficienti mandato poſſit etiam recambium licitè, & validè celebrari. 5.
In hypotheſi celebrationis cambij, & recambij per nuntios de mandato dominorum Domini ipſi contraherent obligationem ex cambio, & recambio, non ipſi nuntij. 6.

Diſquiſitio VIII. Conſtituerant Seius, & Caius ſuos nuntios, 1 nempè ille Phylippum, iſte Iacobum ad contrahendum cambium. Phylippus dicit Iacobo vult ne, ac conſentit Caius dare cambio Seio centum nummos aureos ad rationem tot ſolidorum. Iacobus reſpondet, vtique vult, & conſentit. Rurſus nuntij ſic conſtituti, celebratoque dicto contractu accedentes ad locum deſtinatæ ſolutionis habita à ſuis principalibus facultate ſic in recambio conueniunt, vt ibi fiat nomine ſuorum dominorum virtualis ſolutio, vel nouatione, vel delegatione, vel etiam formali numeratione retroaccepta pecunia, & remittantur literæ tractæ ad Seium, vt ibi rependat pecuniam, vbi primò acce-

ceperat. Hic oritur difficultas primò, an primum cambium per nuntios ſic initum validum ſit & licitum. Secundò, an per eoſdem licitè poſſit in loco deſtinatæ ſolutionis expediri, & contrahi recambium. Tertiò, an in his ſuppoſitionibus nuntius ille, ad quem ſpectabat tracta, induceret obligationem ex recambio, an verò ipſius Dominus, cuius nomine recambium iniuit. Pro ſolutione

Multiplex ratio dubitandi.

2 Aduerte primò diſcrimen, quod intercedit inter nuntium propriè, & rigoroſè ſumptum, & Procuratorem, quamuis quandòque minus rigoroſè ſumpto vocabulo pro eodem accipiantur. *Gloſa in l. multum verbo potes, & ibi Baldus C. ſi quis alteri, vel ſibi*. Procurator igitur in rigore ille eſt, qui ſtipulando nomine Domini ſibi actiones acquirit, quæ in propria perſona radicantur, quamuis teneatur vtiles eidem Domino cedere *l. eum qui §. Iulianus quoque ff. de conſtitu. pecun.*, nuntius verò ſtipulando non ſibi actiones, ſed Domino quærit abſque vlla ceſſione *Bartolus in l. qui autem §. fin. & l. & licet ff. de conſtit. pecun.* vnde nuntius concipit verba in perſonam Domini, vt ſi dicat; *vendis ne equum Domino meo*; Procurator verò in perſona propria, vt ſi dicat *vendis ne mihi talem rem, vt Procuratori Titij*, ex quibus rectè deducit *Caſtrenſis in l. multum num. 4. in fin. C. ſi quis alteri, vel ſibi*, vt ſi quis aliquid geſſerit vt Procurator ſine mandato Domini, poſſit illud Dominus ratum habere, quia, cum hic agat concepta perſona propria per proprium conſenſum, ponit, quod requiritur ad ſubſtantiam eiuſdem contractus, qui propterea poteſt firmari per ratihabitionem Domini; ſi verò geſſerit, vt nuntius ſine tali mandato non poſſit illud ratum Dominus habere, eo quia, cum hic non agat concepta perſona propria, ſed Domini principalis, nec eiuſdem conſenſus exiſtat, cum ſupponatur agere ſine mandato, nullo modo exiſtunt ea, quæ requiruntur ad ſubſtantiam actus, qui propterea nequit per ratihabitationem reualidari.

Quid ſit nuntius & quid procurator.

3 Aduerte ſecundò *cum Baldo in l. multum C. ſi quis alteri, vel ſibi num. 12.*, ad hoc vt nuntius valide agat, vt nuntius, tria requiri, perſonam ſcilicet, quantum ad habilitatem, voluntatem quantum ad conſenſum, & poteſtatem quantum ad efficaciam, ad quæ requiritur, quod habeat ſufficiens mandatum, ſine quo nec habet voluntatem, nec poteſtatem, nec conſenſum ſufficientem ad validitatem contractus. Hic conſenſus ad validitatem contractus requiſitus debet radicari in voluntate ipſorum Dominorum, qui originem dant eidem contractui, non nuntij, quandòquidem hic in ſe nihil concipit, ſed portat in ore ſuo verbum Domini *Bartolus in l. qui autem §. fin. num. 3. ff. de conſtit. pecun.*, *Alber. in l. 2. num. 2. ff. de act. & oblig.* Sed an nuntij poſſint ſufficientèr, quantum ad validitatem contractus deferre per ſe voluntatem ſuorum dominorum, in qua redicetur ſubſtantia eiuſdem contractus, id eſt, quod maiorem vim facit in præſenti difficultate. His poſitis

Reſpondeo primò, primum cambium per nuntios initum iuxtà modum expoſitum etiam ſine interuentu alicuius ex principalibus Dominis ſubſiſtere, & ſuſtineri. 4 Eſt contra *Turri de Cambijs diſp. 1. quaſt. 16. num. 13. & ſeqq. vſq; ad finem*. Probatur primò, poſito ſufficienti mandato, & legitimo ad ſic contrahendum cum idoneitate nuntiorum ad hoc munus peragendum, & poteſtate ex eodem mandato, habetur, quidquid requiritur ad ſubſtantiam contractus, ergo non eſt, cur non debeat ſuſtineri. Antecedens probatur, quià ad validitatem contractus ſolum requiritur idoneitas contrahentium, eorundem conſenſus, & ſubiectum proportionatum, & lex aliqua non obſiſtens contractui, ſed poſitis illis, quæ in antecedenti numerantur, hæc omnia intelliguntur interuenire quoad cõtractum ineundum per nuntios, ergo &c. Minor probatur quià idoneitas ſupponitur, tùm in vtroque principali contrahente, tùm etiam in ipſis nuntijs, cæteroqui impertinens hæc eſſet controuerſia, ſi ſupponatur contractus inualidus ex inhabilitate contrahentium, & inaptitudine miniſtrorum; conſenſus item eorundem ſic euincitur, quià ex quo principales Domini ſufficiens, & legitimum mandatum dederunt nuntijs ad contrahendum, propriam voluntatem, & conſenſum in eoſdem tranſtulerunt, qui, cum habiles reputentur, non eſt, cur eandem voluntatem, & conſenſum non poſſint deferrè, vndè benè dicitur, quod factum nuntij validatur per ratihabitationẽ, ſi mandatum præceſſit *Bartolus in l. qui autem §. conſtituere ff. de conſtit. pecun.*, quæ certè eſſe non poſſent, ſi voluntas eorundem dominorum ſuppoſito mandato

Adeſt idoneitas contrahentium eorum conſenſus, & ſubiectum.

Factum nũtij validatur per ratihabitationem.

per

Digitized by Google

per eoſdem nuntios non eſſet delata; non poteſt enim ratum haberi id, quod in ſua origine omninò inualidum, & inſubſiſtens eſt per ea, quæ docuit *Caſtrenſis in l. multum num. 4. in fin. C. ſi quis alteri, vel ſibi*; eſſet autem contractus per nuntios initus in ſua origine inualidus, & inſubſiſtens, ſi conſenſus dominorum per ipſos non eſſet delatus, quandoquidem ſine conſenſu non ſubſiſtit contractus. Confirmatur vlterius quoad idem, quià qui mandant aliquid fieri, ſi illud fiat durante mandato, præſumuntur illud facere, & illud imputatur eiſdem mandantibus *Flori. in l. liber homo vlt. col. ff. ad legem Aquil.*, *Bartolus in l. non ſolum §. ſi mandator ff. de iu. iu.*, *Innocentius in c. ad audientiam de homicidio*, *Paulus de Caſtro in l. ſancimus C. de teſta*, *Alexander in l. is qui §. vnde queri poteſt ff. de man.* ergo ſuppoſito mandato per principales dominos conceſſo nuntijs ad ineundum contractum cambij, idem contractus, ſi fiat per eoſdem nuntios, imputandus erit eiſdem Dominis mandantibus; quod certè eſſe non poteſt, niſi ratione conſenſus in eodem mandato præſtiti; lex item aliqua non obſiſtit validitati talis contractus per nuntios initi, ergo non eſt, cur ſit inficiandus.

Dices primò, tali contractui obſiſtere diſpoſitionem iuris *in l. ſtipulatio iſta §. alteri ff. de verb. oblig. §. ſi quis alij, & §. alter ſtipulari Inſtit. de inutil. ſtipul.* quibus dicitur, quod nemo alteri ſtipuletur, quod etiam euincitur ex textu *in l. quocunque ff. de act. & oblig. Gloſ. in d. l. ſtipulatio iſta §. ſi ſtipuler, verb. fieri ff. de verb. oblig.* Sed contrà primò, quia tales iuris diſpoſitiones limitationem recipiunt in nuntio, quo tanquam organo fit acquiſitio *l. qui autem §. fin. cum l. ſequenti ff. de conſtitu. pecun.*, vndè benè dicitur in *ead. l. qui autem §. fin. Conſtituere autem & præſentes, & abſentes poſſumus, ſicuti paciſci per nuntium, & per noſmetipſos, & quibuſcunque verbis*; ex quibus validum deduco argumentum ad probandum conſenſum Dominorum delatum per nuntios ad validitatem contractus; ſi enim æquè per nuntios, ac per noſmetipſos paciſci poſſumus, etiam, ſi illi ſint abſentes, ergo per nuntios validè poteſt deferri conſenſus. Conſequentia probatur, quià pactum non poteſt ſubſiſtere ſine conſenſu, ergo ſi poſſumus paciſci per nuntios abſentes, id erit, quià per ipſos validè defertur conſenſus. Contrà ſecundò, quia quæ dicuntur in præ-

Per nuntios validè defertur conſenſus.

citatis iuribus in inſtantia locum tantum habent, quandò ille, qui pro altero ſtipulatur, non habet ſpeciale mandatum ad ſtipulandum nomine eius, pro quo ſtipulatur.

Dices ſecundò, ea, quæ dicuntur *ex l. qui autem §. fin. ff. de conſtit. pecun.* ſemper præſupponere vnum ex contrahentibus per ſe ipſum perſonalitèr interuenire, qui cum alio miniſterio nuntij eiuſdem contrahat, quod colligere videtur *Turri de cambijs diſp. 1. quæſt. 16. num. 16., 17. & ſeqq.* ex duplici capite; primò quia nec iura, nec iuris interpretes vnquam hanc diſpoſitionem extendunt ad ſolos nuntios. Secundò, quià, cum contractus debeat in aliqua perſona radicari, nec poſſit in eiſdem nuntijs firmari, cum concipiant verba in perſona Dominorum. *In Specul. de Procurat. §. 3. verſ. & nota, Baldus in l. ſi ex contract. C. quod cum eo, & in l. ſi literas C. mandati, Gloſ. & Bartolus in l. 1. §. ſi procurator, & §. quamuis C. de Procurat.*, & ſic mere pica, & organum *l. multum §. fin. C. ſi quis alteri, vel ſibi, Bartolus in l. qui autem §. conſtituere ff. de conſtit. pecun., Baldus in l. ſi literas C. mandati*, neceſſariò ſequitur, quod debeat firmari, & radicari in altero ſaltem principali contrahente, qui debeat interuenire, in quo tanquam in ſubiecto proportionato debeant adhærere conſenſus, & eorundem fieri vnio, quæ neceſſario requiritur ad validitatem contractus *l. prout quis ff. de ſolut. l. ab emptione ff. de pactis*; Ad quæ vlterius corroboranda adducit textum *§. quæ ex conſenſu in princip. Inſtit. de oblig.* vbi non excluditur præſentia omnimodè ad validitatem contractus, adeòque vnius ſaltem videtur includi. Sed contrà, vndenam colligitur, quod textus *in d. l. qui autem* præſupponat vnum ſaltem ex contrahentibus debere perſonalitèr interuenire? Textus indifinitè loquitur, nec exprimit talem neceſſitatem interuentus præſentialis vnius, vt ipſum legenti ſit manifeſtum. Deindè quænam neceſſitas talis perſonalis præſentiæ, ſeu interuentus? Si dicatur, ad deferendos conſenſus; contrà eſt, quià ſi per nuntium vnius ſufficientèr defertur eiuſdem conſenſus interuenien te altero principali contrahente, cur per nuntium eiuſdem alterius contrahentis ſufficientèr deferri non poterit eiuſdem voluntas, & conſenſus? Certè æquè idoneitas, poteſtas, & mandatum ſupponitur in iſto, ac in illo. Quod ſi dicas, ſufficienter deferri per

Nec textus exprimit neceſſitatè præſentiæ, nec ratio ſuadet.

vnum

Digitized by Google

vnum nuntium interueniente altero principali contrahente, quia per exiſtentiam huius principalis adeſt ſubiectum, in quo poſſint radicari huiuſmodi conſenſus, & inuicem vniri; contra adhuc eſt, quià vel conſenſus illius, qui non adeſt, niſi per nuntium ſufficientèr defertur, vel non; ſi non, ergo mutuus vtriuſque contrahentis conſenſus in eodem perſonalitèr interueniente non radicatur, nec vnitur, ſiquidem vniri non poſſunt, quæ præſentialiter non ſunt delata, nec exiſtunt, nec vnius conſenſus ſecundum ſe ſufficit ad contractum, ſi ſufficientèr defertur, ergo ſufficienter etiam deferri poteſt per nuntium alterius eodem perſonaliter non interuenientе, quandòquidem eandem poteſtatem habet, idemque mandatum ſupponitur habere, ac habeat ille alter nuntius nomine alterius Domini contrahentis, ergo ſi vtriuſque conſenſus eſt ſufficientèr delatus, & præſens conſtitutus per nuntios erit ſufficiens ad conſtituendum contractum, qui aliud non requirit, quam contrahentium conſenſum præſentem; Neque eſt neceſſe, quod huiuſmodi conſenſus in aliquo vniantur, ſed ſolummodò, quod ſint præſentes, vt videre eſt in caſu, quo ipſi principales contrahentes per ſe ipſos præſentialitèr concurrunt, quorum conſenſus, cum ſint actus voluntatis, in vnoquoque ipſorum recipiuntur, nec actum vnius in alium transfertur, cum ſit actus vitalis, & immanens; ſufficit igitur quædam vnio moralis, quæ ſufficientèr habetur per hoc præciſè, quod per perſonas idoneas, & deputatas à principalibus huiuſmodi conſenſus deferantur, & in loco celebrationis contractus inuicem per eoſdem communicentur, quod habetur per manifeſtationem mandati, vi cuius voluntas dominorum transfertur in nuntios, quæque voluntas per verba ipſorum nuntiorum habentium talem voluntatem in ſe virtualitèr translatam exprimitur; quæ omnia confirmari poſſunt ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris diſquiſ. 4. §. 4. num. 3.* Ad primum, quod affert *Turri loc. cit.* quod nec iura, nec iuris interpretes extendant talem diſpoſitionem ad ſolos nuntios, dicendum eſt, omnino hoc gratis afferi, quandòquidem hoc expreſsè habetur *in l. qui autem §. conſtituere ff. de conſtit. pecun.* vbi habetur *conſtituere poſſumus, & præſentes, & abſentes, ſicuti paciſci per nuntium, & per noſmetipſos*, & ibi nulla fit mentio de interuentu alicuius principalis contrahentis, quinimmò, dum dicit, *per nuntios, & per noſmetipſos* videtur æquè inferre validitatem, ſi contrahatur per nuntios, ac ſi contrahatur per ſemetipſos, deindè valet in hoc ius, quo dicitur, quod per alios facimus, per nos ipſos facere videmur *l. ſi per alium ff. ne quis eum, qui in ius voc. eſt vi. exi. & l. ſi quis id §. pen. ff. de iuriſd. om. iud. & l. 1. ff. de eo per quam fac erit*, ergo &c. ex quibus deducitur pro ijs, quæ dicebat Turri in ſecundo loco, quod contractus quidem debeat radicari, & conſenſus vniri, ſed radicatur principalitèr in Dominis mandantibus, in quorum perſona initur, inſtrumentalitèr verò in eiſdem nuntijs, qui propterea dicuntur pica, & organum, nec concipi difficilè eſt, quod radicetur in Dominis quamuis abſentibus, cum enim talis radicatio in alio non conſiſtat, quam in obligatione, & per mandatum ſe obligauerint ad ſtandum ijs, quæ in ipſorum perſona, & ſub eorum nomine nuntij paragerent, iam per talem obligationem aſſumptam ſuppoſita celebratione contractus intelligitur ſubſtantia contractus in ipſis radicata, & firmata; non enim coexiſtentia Phyſica requiritur, ſed tantum moralis, ad quam non eſt neceſſarius interuentus perſonalis, & realis mandantium. Ad id tandem, quod afferebatur *ex §. quæ ex conſenſu in princ. Inſtit. de oblig.* textum legenti fit manifeſtum non requiri præſentiam; afferit .n. ibi Iuſtinianus. *Idcò autem iſtis modis obligatio dicitur conſenſu contrahi, quià neque ſcriptura, neque præſentia omnimodò opus eſt*, vbi aduertе, quod ly *omnimodò* non cadit præciſè ſuprà præſentiam, ſed æquè ſupra ſcripturam; ſicuti igitur abſolutè negauit opus eſſe ſcriptura in huiuſmodi contractibus, idipſum abſolutè negaſſe dicendum eſt de præſentia; quod autem eodem modo ſupra vtramque cadat illa particula, ex eo principalitèr euincitur, quod qualitas vltimo loco poſita referatur etiam ad præcedentia, ſi eodem modo enuntientur, vel negentur, vt in caſu noſtro.

Non eſt neceſſe, quod cōſenſus vniãtur, ſed tantū, quod ſint præſentes.

Radicatio conſiſtit in obligatione.

Dices tertiò. Ad validitatem contractus conſenſus contrahentium debet eſſe ſimultaneus ratione eiuſdem temporis *l. ſi ex duobus ff. de duobus reis. Doctores in l. 1. §. qui præſens ff. de verb. oblig.*, vndè vitiatur, ſi inter vtrumq; vnius dici interuallum intercedat *Iaſon in d. l. 1. §. ſi prætor ff. de verb. oblig.*, ſed quan-

Digitized by Google

quandò contractus celebratur per nuntios conſenſus vtriuſque principalis contrahentis ſimultaneus eſſe non poteſt, quandòquidem vbi deficit ſubiectum, hæc conſenſuum ſimultaneitas non poteſt ſubſiſtere, cum non habeat, in quo fundetur, ergo &c. Sed contrà; Demus, quod vnus ex principalibus Dominis mandatum dederit nuntio ante tres dies, & quod alter hodie ponat per ſe ipſum conſenſum ad contractum cambij, certè in hoc caſu per Turri ſubſiſtit contractus initus inter hunc contrahentem perſonalitèr interuenientem, & nuntium agentem in perſona alterius Domini, & tamen non eſt ſimultaneitas conſenſuum, quinimmò interruptio pluſquam vnius diei interuallo, niſi ſumatur conſenſus alterius contrahentis, qui vtitur nuntio tanquam organo, prout defertur per eundem nuntium, ergo, ſi prout defertur per eundem nuntium ſufficiens eſt ad inducendam ſimultaneitatem requiſitam ad contractum, ſufficiens etiam erit, prout defertur conſenſus alterius etiã per ſuum nuntium cum ſufficienti mandato; neque hæc ſimultaneitas deneganda eſt ex eo præcisè, quod non extet vnus ex principalibus Dominis perſonalitèr, in quo fundetur, ſiquidem ſi vterque nuntius ſufficiens eſt, vt vtriuſque Domini conſenſum deferat, ſufficiens etiam erit ad ſuſtinendum eundem conſenſum quantum ad effectum conſtituendi contractum. Deinde ad quid requiritur hæc ſimultaneitas conſenſuum, niſi ad inducendam obligationem? ſed æquè quis obligari poteſt, ſiuè per ſe ipſum, ſiuè per alium agentem nomine, & in perſona ipſius, ſi illi dederit ſufficiens mandatum ad ſe obligandum, & conſenſus coniuguntur ſufficientèr ex eo, quod applicentur per nuntios exercentes munus mandati, quod habent, & ſimul, vt agentes perſonam dominorum ſtipulantur, ergo &c.

Non eſt neceſſe, quod cõſenſus ponatur ſimul tẽpore.

Probatur ſecundò reſponſio, quià nuntij ex eo, quod habeant ſufficiens mandatum ad contrahendum, ſe habent vt mandatarij reſpectu dominorum, à quibus habent illud mandatum, ſed mandatarij rectè exercent munus, ad quod deputantur etiam non interuenientibus mandatoribus, quinimmò regularitèr ad illud munus deputantur, quia principales interuenire non poſſunt, ergo &c.

Nuntij cum mãdato ſe habent, vt mandatarij.

Reſpondeo ſecundò, nullam eſſe
5 repugnantiam, quin per eoſdem nuntios cum ſufficienti mandato poſſit etiam recambium validè, & licitè celebrari. Eſt contrà eundem *Turri d. diſp. 1. quæſt. 16., & diſp. 3. quæſt. 7.* Probatur primò, quià non plura videntur requiri ad celebrationem recambij, ac requirantur ad celebrationem primi cambij, ergo, ſi primum cambium ſufficientèr celebrari poteſt per nuntios habentes congruum mandatum ad hoc munus, poterit etiam per eoſdem cum æquali, & proportionato mandato ſufficientèr, & validè celebrari recambium. Antecedens probatur, quià recambium nihil aliud eſt, quam iteratum, & nouum cambium reale, ergo per ea, per quæ celebrari poteſt cambium, poterit etiam ſufficientèr recambium celebrari.

Probatur ſecundò, quia ipſi principales Domini poſſunt immediatè per ſe ipſos recambium validè celebrare, ergo etiam poſſunt tale munus demandare nuntijs habilibus per ſufficiens, & idoneum mandatum. Conſequentia probatur, quià, ſicuti cambium non eſt contractus alligatus certo perſonarum generi, ità nec recambium, quod eſt eiuſdem omninò rationis cum cambio; in contractibus autem non alligatis, quod quis poteſt per ſe, poteſt etiam per alium inſtructum ſufficienti mandato agentem nomine ſui ipſius. Antecedens, præterquam quod probatum eſt ſuprà, *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de cambijs II. Prænot. 3. & 4.* ſic etiam euincitur, quia, ſi tam campſor, quam campſarius accederent ad locum deſtinatæ ſolutionis, nulla eſt repugnantia, quin poſſet campſarius per nouationem extinguere primam obligationem primi cambij, aſſumendo aliam reſtituendi eandem ſummam, quam primò acceperat in loco, in quo idem primum cambium fuerat celebratum, ſed hoc eſt celebrare recambium, ergo &c.

Ipſi principales poſſunt per ſe ipſos recambiũ celebrare.

Dices, diſparem eſſe rationem de principalibus contrahentibus per ſe ipſos, ac de nuntijs contrahentibus nomine ipſorum, ſiquidem in illis interuenit ſubiectum, in quo poſſint radicari conſenſus, non ſic in iſtis, qui ſunt merum organum, & ſe habet vt id Quo, non vt id Quod, & verba deferunt in perſona dominorum, non in propria, qui domini, cum ſint abſentes, & ſubſtantia contractus debeat in eiſdem radicari, non poſſunt conſtituere ſimultaneitatem ad validitatem contractus requiſitam, vt dicebamus ſuperius. Sed contrà aſſignata diſpa-

ritas

ritas non officit; nam quæro, an ad validitatem contractus vnio quoad conſenſus contrahentium debeat eſſe Phyſica, & realis, an ſufficiat moralis, & ſecundum moralem hominum æſtimationem; ſi debet eſſe Phyſica, & realis, ergo non poteſt ſubſiſtere contractus quamuis ipſi principales contrahentes perſonalitèr interuenirent. Conſequentia probatur, quià cum conſenſus ſint actus vitales, & immanentes debent recipi in ſuis principijs elicitiuis, quæ, cum ſint inter ſe diſtincta, & ſeparata non poſſunt fundare vnum ſubiectum, in quo vtriuſque conſenſus Phyſicè, & realiter radicetur, & vniatur; ſi ſufficit moralis, cum per ipſos nuntios hujuſmodi conſenſus virtualitèr deferantur, vt non negat *Turri contrariæ ſententiæ propugnator d. quaſt. 16. num. 24. verſic. non poſtremum*, & fiant quodamodò præſentes, non eſt, cur etiam moralitèr per eoſdem non poſſint vniri. Quid enim aliud eſt hæc vnio moralis, niſi quod contractui contrahentes intelligantur conſentire? eo autem ipſo, quod per mandatum nuntijs dederunt conſenſum deferendum, & illi applicant talem conſenſum contractui, iam fit moralis eorundem vnio, quantum ad effectum eundem contractum ſtabiliendi.

Non requiritur vnio cõſenſuum Phyſica, ſed ad ſummũ moralis.

Quomodò fiat hæc vnio moralis.

Probatur tertiò, poteſt validè celebrari recambium per duos Procuratores eorundem principalium ſine interuentu alicuius ex principalibus, per quod recambium inuicem obligantur ijdem principales, vt fatetur idem *Turri d. diſp. 1. quaſt. 16. num. 10.* ergo etiam poterit validè celebrari per duos nuntios ſine præſentia perſonali alicuius ex eiſdem. Conſequentia probatur, quià tota ratio, ob quam Turri concedit quoad Procuratores, & negat quoad nuntios, ea eſt, quià Procurator ſtipulando nomine Domini ſibi acquirit actiones, quæ in propria ipſius perſona radicantur, licèt teneatur vtiles cedere ipſi Domino iuxtà *l. eum qui §. Iulianus quoque ff. de conſtit. pecunia*; nuntius verò acquirit Domino abſque vlla ceſſione iuxtà *l. qui autem §. fin. ff. eod. tit.*; non poteſt autem acquirere, niſi conſenſus eius, cui acquirit, interueniat, & in aliquo radicetur, cum non poſſit eſſe ſine ſubiecto, ſed hæc ratio quoad præſens inſtitutum non obſtat, ergo &c. Minor probatur, tùm quià abſolutè verum non eſt, quod Procurator ſtipulando nomine Domini ſibi acquirat actiones, quandòquidem Procurator contrahens nòn dicitur contractus dominus *l. cum per liberam C. per quas perſon. nob. acq.*, *Baldus in cap. 1. §. ſed per quas filius inuent.*, & dicitur contraxiſſe Procuratorio nomine, vel ſtipulaſſe ex eo, quod aſſerit, ſe Procuratorem *l. cum poſt de admin. tut.*, *Baldus in l. 1. in vlt. col. verſ. tertia forma C. per quas perſ. nob. acq. & in l. etiam C. de fideicom.* quinimmò, nec tenetur exprimere ſe nomine Domini contrahere, cum præſumatur id facere ex vi præcedentis mandati *Alexander in l. 3. §. 1. ff. mand.*, *Bartolus in l. poſt dotem ter. col. verſ. ſecundo, quod Procurator ff. ſol. matrim.* ergo etiam perſonalitèr non interuenientibus principalibus per ſolos Procuratores poteſt eiſdem acquiri dominium contractus ex vi præciſè præcedentis mandati, & per eoſdem vniri conſenſus eorundem principalium quantum ad effectum validitatis eiuſdem contractus. Cur iam hoc idem fieri non poterit per nuntios habentes ſpeciale mandatum? Deindè dum dicit, quod nuntius acquirat Domino abſque aliqua ceſſione iuxtà allegata iura, iam ſupponit validè eoſdem nuntios contrahere, & obligare Dominos, cum ſine obligatione non poſſint acquirere illas actiones; tùm quià dato etiam, quod Procuratores ſibi acquirerent actiones, & quod ſolùm teneantur dominis cedere vtiles, adhuc euincitur, quod illis perſonalitèr non interuenientibus quodamodò vniant quoad contractum conſenſus etiam ſine interuentu per ſolùm miniſterium Procuratorum, quod ſic euincitur, nam Domini non poſſunt habere ius ad illas actiones liberas, quæ conſurgunt ex contractu, niſi quodamodò conſenſerint in eundem contractum, ergo, cum ipſi perſonalitèr non interueniant, intelligitur, quod fiat applicatio conſenſuum per ſolos Procuratores, quo poſito ſic arguo, ergo etiam poteſt fieri talis applicatio conſenſuum per ſolos nuntios habentes ſufficiens mandatum. Conſequentia probatur; nam datò ſemel, quod poſſit fieri applicatio conſenſuum quoad abſentes in ordine ad acquirendum aliquod ius per ſolos mandatarios, ſeu commiſſarios, non video, cur non poſſit fieri quoad alia omnia iura, niſi lex aliqua obſiſtit, prout de facto non obſiſtit in hypotheſi, de qua loquimur.

Argumentum deſumptum à paritate duorum Procuratorum.

Cõfutantur diſparitates aſſignatæ à Turri.

Dices primò ex eo, quod Procurator debeat cedere Domino illas actiones

nes

nes vtiles, ſequi, quod primò ſibi acquiſierit, & quod poſteà teneatur cedere, non enim poteſt cedere, quod non habet, ſeu quod non acquiſiuit, ergo ratione proprij conſenſus, non domini, quem applicuerit, adeòque non ſequitur, quod Procuratores poſſint applicare conſenſus abſentium. Sed contrà, quia dato etiam, quod Procuratores primò ſibi acquiſierint illas actiones vtiles, quas tenentur cedere Dominis, non tollitur tamen, quin ex contractu ſic inito ijdem Domini acquiſierint ius ad hoc, vt illæ actiones ſibi cedantur, ſed illud ius non potuit acquiri ſine conſenſu, & cum illud conſurgat ſimul cum contractu non potuit eſſe, niſi cum conſenſu præſtito in eodem contractu, ergò etiam vrget argumentum, quod per Procuratores potuerit applicari conſenſus Dominorum abſentium etiam ſine interuentu perſonali ipſorum, quæ, ſi valent in ordine ad illud ius, non video, cur valere non poſſint in ordine etiam ad iura eiuſdem contractus quoad ſubſtantiam?

Domini acquiſiuerunt ius, vt ſibi actiones cædantur.

Dices ſecundò, hac ratione nullum intercederet diſcrimen inter Procuratores, & nuntios, quod eſt contrà diſpoſitionem iuris cognoſcentis inter eoſdem diuerſitatem. Aſſumptum ſic euincitur, quia ſi vtrique apti eſſent ad obligandos principales Dominos, non eſt, cur inter ſe differrent. Sed contrà; diſcrimen præcipuum in eo conſiſtit, quod nuntij verba deferant in perſona Dominorum, Procuratores in perſona propria, licet relatiuè ad Dominos, quod illi non obligent ſe, ſed Dominos, iſti verò ſe, licet Dominorum nomine; cæterum per hæc non tollitur, quin nuntij poſſint obligare Dominos licet abſentes ſuppoſito ſufficienti mandato ad ipſos obligandos, quod certè præſtare poſſunt; ſi enim deferre poſſunt eorum conſenſum, vt fatetur idem Turri, cum non poſſunt etiam moralitèr vnire, & applicare?

Aſſignatur diſcrimen præcipuũ inter nũtios, & Procuratores.

6 Reſpondeo tertiò, quod in hypotheſi celebrationis cambij, & recambij per nuntios de mandato Dominorum, Domini ipſi contraherent obligationem ex cambio, & recambio, non ipſi nuntij. Probatur reſponſio primò. Obligatio in contractibus contrahitur non per eos, qui applicant aliorum conſenſum, ſed per eos, in quorum conſenſu fundatur, & ſtabilitur contractus, ſed nuntij ſunt merè applicantes, & ipſi Domini ſunt conſentientes, ergo iſti, non illi contrahunt obligationem ex contractu. Maior probatur, quià contractus cambij conſiſtit in ſolo conſenſu, quinimmò ipſe conſenſus ſecundum ſui ſubſtantiam eſt ſubſtantialis, & intrinſeca forma contractus, & obligatio, quæ ex eodem contractu conſurgit, prouenit ab eodem conſenſu. Minor etiam euincitur, quià nuntij nihil in ſe concipiunt, ſed portant in ore ſuo verba Dominorum *Baldus l. multum num. 10. C. ſi quis alteri, vel ſibi, Bartolus in l. qui autem §. fin. num. 3. ff. de conſtit. pecun.* vndè ipſi Domini originem dant contractui, in quorum voluntate fundatur, non nuntij *Baldus in d. l. multum num. 11. C. ſi quis alteri, vel ſibi*, quod etiam confirmari poteſt ex modo, quo ſe gerunt huiuſmodi nuntij, dum dicunt v. g. *Vendis ne Domino meo &c. non mihi*

Nuntij ſunt mere applicãtes cõſenſum, non conſentientes.

Probatur ſecundò, quià Nuntij ſunt merum organum, & pica in ordine ad huiuſmodi contractus, non cauſa principalis eiuſdem, ſed actiones ſiuè actiuæ, ſiuè paſſiuæ, quæ proueniunt à contractu tribuũtur principali agenti, non inſtrumentali, quod ſe habet, vt mera diſpoſitio ad tales actiones, ergo &c. Maior probatur *ex cit. l. multum §. fin. C. ſi quis alteri, vel ſibi, & ex Bartolo in l. qui autem §. conſtituere ff. de conſtit. pecun.* Minor etiam probatur inductione per omnes actiones Phyſicas, quæ omnes imputantur ſuis cauſis principalibus, vt patet diſcurrenti.

Nuntij ſunt merum organum, & pica, non cauſa principalis.

Dices, hæc, quæ dicuntur in hac tertia reſponſione obſtare ijs, quæ dicta fuerunt in præcedenti paragrapho, quandòquidem obligatio non conſurgeret in eo, ad quem ſpectat tracta, quod ibi diximus de neceſſitate requiri. Sed contrà ea, quæ ibi dicta ſunt, verificantur etiam in ijs, quæ hic dicuntur, ſiquidem illè, ad quem ſpectat tracta, eſt vnus de Dominis, qui iuxta ea, quæ in ſuperioribus dicebamus, ſub diuerſo reſpectu, & in ordine ad diuerſas negotiationes iuris fictione habetur pro duplici perſona *ex l. habebat 12. ff. de inſtit.* & ſic prout contrahit, vel nomine ipſius contrahitur per nuntium, habet rationem promiſſoris, prout ad ſe ipſum diriguntur literæ pro ſolutione habet rationem eius, ad quem ſpectat tracta, & ſic ſub hoc reſpectu contrahit per nuntium obligationem ex cambio, vel recambio, ea proportionali ratione, qua in ſuperiori paragrapho dicebamus de eodem literarum datore; ſi literæ dirigan-

Solutio inſtantiæ deductæ ex precedentibus.

Digitized by Google

rigantur pro tracta ad eundem datorem ipſe habet rationem iuris fictione duplicis perſonæ, & prout eſt talis de feria non eſt formalitèr talis de Platea, & ſic ſemper verificatur, quod ille, ad quem ſpectat tracta, contrahat obligationem ex recambio. Recolea, quæ *in d. §. præcedenti* dicta ſunt *ſub verſ. nunc ad rationes dubitandi*, & hic applica.

---

§. IX.

An poſſit contrahi cambium, & recambium per vnicum dumtaxat nuntium ex parte vtriuſque contrahentis cum obligatione ex recambio.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis in ſuis terminis. 1.

Per vnum nuntium ex vtraque parte deputatum poteſt contrahi cambium, & recambium, ex quo conſurgant actiones actiuæ, & paſſiuæ in principalibus contrahentibus reſpectiuè. 2.

1 DIſquiſitio IX. Suppoſito præcedenti caſu expoſito in mox explanato paragrapho conuenerunt cāpſor, & campſarius ad conſtituendum vnum nuntium, qui per ſe ſolùm munere vtriuſque fungeretur in ordine ad cambium, & recambium celebrandum. Orta fuit controuerſia, an validè potuerit deputari, adeò vt contractus cambij, & recambij per ipſum initi ſubſiſtant, & inducant obligationem actiuam, & paſſiuam reſpectiuè ad eoſdem contrahentes principales, ſeu Dominos. Breuitati conſulens

2 Reſpondeo, miniſterio vnius dumtaxat nuntij ex vtraque parte deputati poſſe contrahi cambium, & recambium, ex quo conſurgant actiones actiuæ, & paſſiuæ in principalibus contrahentibus reſpectiuè. Probatur primò, reſponſio, quià ex vno capite nulla eſt repugnantia, quin vna, & eadem perſona ſit organum, & inſtrumentum duorum; ex alio ſi contractus eiuſdem miniſterio adimpleretur non conſurgerent ea incommoda iuri deformia, quæ enumerat *Turri de Cambys diſp. 1. quæſt. 15. num. 15. & ſeqq.* ergo &c. Antecedens quoad primam partem probatur primò *ex l. 1. §. communis ff. de ſtipul. ſeru.* vbi dicitur quod *communis ſeruus duorum ſeruorum perſonam ſuſtineat*. Secundò *ex Gloſ. in l. ſi plures ff. de pactis* vbi dicitur, quod quandò habetur reſpectus ad perſonam ratione officij tunc poſſit vna plurium vices ſuſtinere, quod idem dicitur *in Gloſ. d. l. 1. §. communis, & ibi Bartolus ff. de ſtipul. ſeru.* Tertiò, ex ijs, quæ ſuprà dicebamus, nempè per vnam, eandemque perſonam poſſe ſolutionem fieri ſibi ipſi reſpectu diuerſarum perſonarum *l. ſed eum 96. §. aditio ff. de ſolut. l. 1. §. fin. ff. de Depoſ. l. ſi quod poſſeſſor §. ſed ſi ipſi ff. de pet. hæred.* Probatur item idem antecedens quoad ſecundam partem, quià iuri diſſonantia, quæ enumerat Turri, in eo potiſſimum fundantur, quod in vno, eodemque ſubiecto non videntur poſſe fundari, & remanere actiones actiuæ, & paſſiuæ etiam ſub ſpecie diuerſarum perſonarum, quod multis iuribus confirmat, & præcipuè *ex Gloſ. in l. 1. verbo venditor ff. de rer. permut.* vbi dicitur, quod idem non poteſt fungi officio emptoris, & venditoris, ex *Baldo in l. vnica num. 5. C. ſi ſeruus extero.* aſſerente, quod in contrahentibus eſt quædam digreſſio de perſona ad perſonam reſpectu acquiſitionis, & quod proptereà exigat duo extrema, præcipuè cum acquirens, & diſtrahens relatiuè opponantur; quæ omnia etiam verificantur in contractu cambij, qui imitatur naturam emptionis, & venditionis, & eſt vltrò citroque obligatorius; ſed datis etiam his omnibus tanquam iuri repugnantibus, non militant tamen in hypotheſi, de qua nos loquimur, quandòquidem huiuſmodi actiones actiuæ, & paſſiuæ non coadunantur in eodem nuntio, ſed radicantur in principalibus, qui ſunt diuerſi, & quorum agit miniſterium, ergo &c. Neque eſt aliqua repugnantia, quod miniſterio vnius dumtaxat in duobus reſultent huiuſmodi actiones, ſiquidem aptum eſt ad vtraque munera obeunda tam ſeiunctìm, quam coniunctìm, non enim aliud præſtat, quam deferre contrahentium principalium conſenſus; deferre autem poteſt, vel ſimul, vel ſeparatim, ergo &c.

Vnus poteſt eſſe organū, & inſtrumentum duorum.

Actiones non coadunātur in eodē, ſed radicantur in pluribus.

Probatur ſecundò, quià habito reſpectu ad perſonas ratione officij poteſt vna, & eadem plurium vices ſuſtinere, quandò dicta officia ſunt compatibilia ad inuicem, nec ſunt relatiuè oppoſita, ſed munera conſtituendi cambium, tam ex parte promiſſoris, quàm

ex

Digitized by Google

ex parte ſtipulatoris per modum inſtrumenti in eadem perſona non ſunt incompatibilia, nec relatiuè oppoſita, ergo &c. Minor probatur, quià incompatibilitas debet ſe tenere ex parte eiuſdem ſubiecti, in quo obligationes, quæ conſurgunt ex talibus muneribus, debent radicari, non ex parte medij, per quod ad idem ſubiectum transfunduntur, ſeu debent transfundi, & oppoſitio eſt ratione earundem obligationum, quæ ſunt in Dominis, non in nuntio, ſed ſubiectum non eſt vnum, & idem, ſed diuerſum, & diſparatum, nempè Domini, ergo hæc munera non ſunt incompatibilia in ordine ad eundem nuntium. Ad hanc veritatem corroborandam plura poſſunt adduci exépla, quæ in iure firma ſunt, & in communi Mercatorum praxi, quæ, ſi reprobarentur, ſubuerteretur vniuerſa cambiorum praxis, & primo adduci poteſt ſtylus Mercatorum inter illos vniformis cambiendi ſcilicet in ſe ipſo, & à ſe ipſo in eadem ſumma, quod certè præſtari non poteſt, niſi vna, & eadem perſona plurium vices ſuſtineat in eodem cambio; Secundò, eorundem conſuetudo, ſecundum quam idem correſpondens campſoris in cambio recurſæ rapræſentat perſonam eiuſdem campſoris ſimul, & campſuarij ſub diuerſo reſpectu, ergo ſub diuerſo etiam reſpectu non erit repugnans, quin vna, eademque perſona poſſit gerere perſonam nuntij in ordine ad duos, quorum altèr ſit campſor, alter campſarius

Adducuntur plura exempla ad corroborandá reſponſionem.

Probatur tertiò. In ijs actionibus, quæ ſunt voluntariæ iuriſdictionis nihil impedit, quin vna, & eadem perſona plurium vices ſuſtineat *l. ſi conſul C. de adopt. l. accipientis ff. de auct. & conſ. tit.* quod admittit etiam *Turri de Cambijs d. diſp. 1. quæſt. 15. num. 37. verſ. nunc ſatisfaciendo*, ſed talis eſt delegatio facta per duos dominos in ordine ad eundem nuntium, qui omninò volontariè eidem conferunt iuriſdictionem ad contrahendum proprio nomine, ergo &c.

Delegatio eſt voluntariæ iuriſdictionis.

§. X.

De Praxi Mercatorum Genuenſium contrahendi per vnum, & eundem Proxenetam.

SVMMARIVM.

Refertur ſingularitèr huiuſmodi praxis. 1.
Contractus cambialis eſt ex illis, qui conſenſu perficiuntur. 2.
Suppoſitis debitis conditionibus requiſitis ad naturam contractus per Proxenetam initus ſubſiſtit, & tunc perficitur, quandò poſito contrahentium conſenſu proxeneta dicit reſta fermato. 3.

Diſquiſitio X. Viget in aliquibus Regionibus, & præcipuè in foro mercantili Genuenſium hic mos, vt aliquandò per Proxenetam ineatur cambium hoc pacto. Adit idem Proxeneta vtrumque contrahentem, & ſuppreſſo nomine vtriuſque agit de cambio celebrando, & tractatione ad perfectionem deducta, factaque nominatione contrahentium dicit illa formalia verba, *reſta fermato*. Ex hoc ſolùm volunt Mercatores iuxtà vſum talis fori intelligi contractum celebratum, adeò vt, ſi quis ex contrahentibus negligat ſtare conuentis poſſit cogi per Iudices, & Magiſtratus ad ea adimplenda, quæ tali modo conuenta ſunt, quinimmò ex regulis dictorum Proxenetarum ſtatur probationi, quæ reſultat ex notula facta per proxenetam tractantem, & perficientem modo, quo ſuprà. Hic iam oritur difficultas, an contractus ſic initus quoad ſubſtantiam ſit validus, adeò vt poſſit obligare vtrumque contrahentem ad conuenta, prout conſtat ex notula Proxenetæ. Incidentèr tangit hanc difficultatem *Turri de Cambijs d. diſp. 1. quæſt. 16. num. 12.* quam reſoluit poſteà *num. 35. & 36.* aſſerens in regulis eorundem Proxenetarum cautum eſſe, vt poſtquam huiuſmodi homines præuio tractatu contractum inter aliquos ſtabilient, debeant curare omninò, vt ad illius perfectionem contrahentes ſimul alloquantur, & de contractu iam inito conueniant. Non renuit tamèn concedere, quod, ſi quomodòcunque omittatur talis collocutio, & conuentio, adhuc ſubſiſtat contractus, nam licet deficiat

1

Explicatur quomodò ſe habeat hæc praxis.

perfectio, quam non recipit contractus ex collocutione contrahentium, compenſatur tamèn per executionem conuentorum per ſolutionem pecuniæ factam ex parte vnius, & dationem literarum ex parte alterius. Præcipua mens erit in hac diſquiſitione inquirere, an ex contractu obligentur præcisè contrahentes per conuentionem factam per eundem proxenetam, an dumtaxat per ſolutionem pecuniæ factam per vnum, & dationem literarum per alterum. Pro ſolutione

2 Aduerte, contractum cambialem vnum eſſe ex illis, qui ſolo conſenſu perficiuntur; ad huiuſmodi autem contractus neque ſcriptura, neque præſentia omnimodò neceſſaria eſt *Inſtit. de obligationibus, quæ ex conſenſu in principio* per illa verba *Ideo autem iſtis modis obligatio dicitur conſenſu contrahi, quià neque ſcriptura, neque præſentia omnimodò opus eſt*. Quod autem cambium ſit ex illis contractibus, qui in conſenſu conſiſtunt, facile ex eo deducitur, quod in communiori ſententia pertinet ad emptionem, & venditionem *Baldus in l. iuriſgentium §. adeò ff. de pactis. Ioannes Annan. cap. Nauiganti num. 46. de vſuris. Sotus de iuſt. & iur. l.6. quæſt. 8. art. 2. Medina cap. de reb. per vſuram acquiſ. quæſt. 5. Conradus de contract. concl. 2. Garzias tract. de cont. cap. 32. Rodulphus cap. conſuluit de vſuris tertia parte quæſt. 1. Fabianus de Cambijs part. 2. cap. 2. num. 56. Boninſignius de Cambijs cap. 6. verſ. ne anche*; nec incongrua ſanè ratione, nam poſito, quod præcisè inter aliquos conuentum fuerit de re tradenda certo ſtatuto pretio, venditio intelligitur perfectè celebrata, licèt de venditione contrahentes nullam mentionem fecerint *l. naturalis §. 1. & l. inſulam ff. de præſcript. verbis. Mantica de tac., & ambig. conuent. lib. 4. tit. 216. num. 5.* Contractus verò emptionis, & venditionis ſunt ex illis, qui conſenſu perficiuntur *Inſt. de oblig. ex conſenſu §. conſenſu.* vbi ſic legitur. *Conſenſu fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus &c.* Si autem inquiras, cur expreſſa mentio facta non fuerit *in d. §. conſenſu* de cambijs, ſicuti facta fuit de emptionibus, locationibus, conductionibus, ſocietatibus, & mandatis, dicendum erit id ex eo eueniſſe, quod pro eo tempore vſus cambiorum adhuc non vigebat, adeòque &c. His poſitis.

3 Reſpondeo, ſuppoſitis debitis conditionibus ad naturam contractus requiſitis, & idoneitate contrahentium contractum per Proxenetam modo expoſito initum ſubſiſtere, & perfici, tunc quandò poſito contrahentium conſenſu proxeneta dicit, *reſta fermato*, vi cuius contrahentes tenentur poſteà ad perficiendum contractum per ſolutionem pecuniæ conuentæ, & dationem literarum. Probatur reſponſio ex prænotatis, nam in contractibus, qui in ſolo conſenſu conſiſtunt poſito eorum conſenſu, ad quos intereſt, eſt poſita ſufficientèr eorundem ſubſtantia, ſed contractus cambiorum ſunt huiuſmodi, ergo &c. Maior patet *ex d. §. conſenſu Inſtit. de oblig. ex conſenſu*, vbi Gloſa, *quià ad hoc, vt iſtis modis contrahatur obligatio, non eſt neceſſe, quod partes ſint præſentes, neque quod interueniat ſcriptura, neque etiam aliquid dari, ſed ſufficit, quod contrahentes conſentiant*, quod habetur *l. conſenſu l. 2. ff. de act. & oblig.* Minor probatur, tùm ex ijs, quæ dicta ſunt in notabili; tùm quia eadem ratio videtur militare pro cambio, ac pro locationibus præcipuè cum cambium ſit lucratiuum ratione locationis operarum in transferendo, vt ſuprà latè probauimus, ac pro mandatis, cum cambia localia inuoluant mandatum ad reſpondentes vt plurimum

Cambiũ eſt lucratiuũ ratione locationis.

Probatur ſecundò. Poſito tali conſenſu exhibito Proxenetæ per contrahentes etiam ante dationem literarum, & ſolutionem tenentur ex contractu cambij ad ſoluendum, & dandas literas, ergo quia contractus antè talem traditionem intelligitur in ſubſtantia ſua perfectus. Antecedens probatur, qui conuenit de re tradenda per venditionem poteſt cogi per emptorem ad traditionem faciendam ex vi contractus *l. ex empto ff. de act. empt.* ergo etiam qui conuenit de pecunia tradenda in cambio, vel literis dandis poteſt cogi ex vi contractus cambij, vel ad dandas literas, vel ad pecuniam ſoluendam, cum non videatur diſpar ratio. Conſequentia primi argumenti probatur, non poteſt oriri obligatio ex contractu, niſi contractus ipſe in ſua ſubſtantia ſit validus, ſiquidem obligatio eſt proprietas conſequens ad ipſum contractum.

Poteſt cogi debitor ad dandas literas.

Dices primò. Contractus Cambij non dicitur perfectus non confectis literis, quas campſarius promittit facere, & ideò campſor debebit prius agere ad perfectionem literarum, priuſquam poſſit agere ad perfectionem contractus *Scaccia de commert. §. 7. gloſ. 3.*

Digitized by Google

gloſ. 3. nu. 9. pro quo allegat. *ſtat. Gennuen. in cap. 4. init. lib. 2.* ergo per ſolùm conſenſum exhibitum per contrahentes proxenetæ non intelligitur perfectio contractus. Sed contrà. Duplex in cambio perfectio poteſt conſiderari, altera intrinſeca, altera extrinſeca, quamuis igitur contractus non adhuc confectis literis non ſit perfectus extrinſecè, in quo ſenſu fortaſsè loquitur *Pallauicinus in tractatu de Cambijs cap. 2.* non tollitur tamèn, quin ſit intrinſecè perfectus, cum interueniat legitimus ex vtraque parte conſenſus, qui in contractibus nominatis, qualis eſt ille cambij, eſt vltrò citròque obligatorius, quo propterea poſito non incongruè ſubiungit proxeneta, *reſta fermato, Turri de Cambijs diſp. 1. quæſt. 8. num. 29. verſ. ſicut, & manifeſtius*, & ſecundum ſe obligat; ex quibus rectè ſequitur, quod ſecundum conſuetum ordinem debeat campſor prius agere ad complementum extrinſecum per literas, non tamèn, quod non obliget ſecundum ſe ad effectum eiuſdem cambij; ſiquidem effectus ex natura rei conſequitur ad ſubſtantiam intrinſecam actus, quinimmò ipſa datio literarum, quæ dicitur intrinſecè perficere cambium, eſt & effectus contractus ſecundum ſuam intrinſecam rationem conſtituti per conſenſum, quo deindè poſito ſequitur alius, qui perficitur in loco deſtinato per ſolutionem, vel formalem, vel virtualem. Poſito igitur conſenſu exhibito per contrahentes Proxenetæ, factaque ſignatione in ipſius notula, debet regularitèr campſor ad conſequendum effectum contractus prius agere, vt literæ conficiantur, quæ, ſi non fiant, poteſt abſolutè agere ad effectum eiuſdem contractus, nempè ad ſolutionem ſimul cum intereſſe; cuius veritatis ſignum eſt, quod ex ſolo præſcripto notulæ per proxenetam factæ coguntur contrahentes etiam inuiti omnia adimplere mandato Magiſtratus *Turri de Cambijs diſp. 1. quæſt. 16. nu. 25. & 26.* quod non alia ratione exiſtimo prouenire, niſi quià per conſenſum illum per eoſdem exhibitum Proxenetæ intelligitur contractus firmatus quoad ſubſtantialia.

Duplex perfectio altera extrinſeca, altera intrinſeca.

Probatur tertiò, quià nec literæ, nec actualis numeratio ſunt de ſubſtantia contractus cambialis, ergo poſito ſufficienti conſenſu per contrahentes exhibito Proxenetæ ſufficientèr ſaluatur ſubſtantia eiuſdem contractus. Antecedens quoad primam partem patet ex dictis *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 12. num. 1.* iuxtà mentem *Nauarri in man. cap. 17. num. 289. Scacciæ tract. de commert. §. 1. quæſt. 5. num. 11.* vbi aſſerit ſcripturam non eſſe de eſſentia cambij, ſed requiri ſolùm ad probationem, & ad celerem contractus executionem in foro exteriori, ergo, ſi aliundè ſufficientèr probetur per notulam proxenetæ, neque erit requiſita in foro exteriori. Rurſus idem *Scaccia num. 13.* ait, cum literæ cambij non ſint de ſubſtantia contractus, debitor tenetur ſoluere cambium nullis etiam literis ſibi præſentatis, ſi aliundè innoteſcat ſubſtantia contractus celebrati. Quoad ſecundam verò partem ſic euincitur, quià etiam venditio ſine actuali ſolutione ſubſiſtit, cum conſiſtat in iure per conſenſum acquiſito ad talem ſolutionem, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo &c. Confirmatur tandem, quià in contractibus nominatis ad obligandum non eſt neceſſe, quod pacta veſtiantur per traditionem ex altera ſaltem parte, prout requiritur in innominatis, & pactis nudis, prout latè diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus I. de contractibus, vt ſic Prænot. 3. & 4.* cum ſufficientèr intelligantur ex ſe veſtiti proprio, & ſpecifico nomine, & natura, ſed contractus cambij eſt contractus nominatus, cum gaudeat proprio, & ſpecifico nomine per ea, quæ latè tradidimus ſparſim alibi, ergo, etiam ſi non fuerit, vel per traditionem ex altera parte, vel per dationem literarum ex alia, intelligitur ſufficientèr completus quoad ſui ſubſtantiam per mutuum conſenſum, adeòque &c.

Nec literæ, nec actualis numeratio ſunt de ſubſtantia contractus.

Contractus cābij eſt ex nominatis.

Dices ſecundò, cambium locale ex ſuo eſſentiali conceptu importat diſtantiam localem inter locum, in quo celebratur, & locum, in quo eſt ſoluendum, ſed non poteſt eſſe ius, vt ſoluatur in loco deſtinato non confectis literis, ergo non poteſt eſſe cambium locale quoad ſui eſſentiam ſubſiſtens ſine literis. Minor probatur, quia voluntas contrahentium non poteſt innoteſcere ibi, niſi exprimatur, vel per literas, vel per nuntium, qui æquiualet eiuſdem literis. Sed contrà primò, quià ex eo, quod requirantur literæ, vt innoteſcat conſenſus, arguitur ſolummodò, quod requirantur ad probationem, non ad ipſam ſubſtantiam. Secundo nego, quod non confectis literis non ſit ius, vt ſoluatur in loco deſtinato, quandòquidem

Literæ requirūtur ad probationem, non ad ſubſtantiam.

Digitized by Google

dem illud ius non conſurgit ex literis, ſed ex mutuo conſenſu exhibito, quinimmò poſito illo iure, quod conſurgit ex conſenſu, oritur poſteà ius, vt conficiantur literæ, quarum vigore fiat in tali loco ſolutio, vel vt ſolutio alio modo ordinetur pro tali loco, quod, ſi non fiet, poteſt creditor ex vi contractus exigere ſuam ſortem ſimul cum intereſſe perindè, ac ſi literæ datæ fuiſſent, vel ibi ordinata ſolutio.

---

§. XI.

Quanam obligatione teneantur, qui acceſſoriè ſubſcribunt literas cambij.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus, & ſeries difficultatis. 1.
Non obligantur præcisè actione fideiuſſoria. 2.
Neque actione mandati. 3.
Neque per nouationem. 4.
Neque ex conſtituta pecunia, vel ex iure debendi, niſi explicetur quomodò. 5.
Neque, vt expromiſſores. 6.
Obligantur ex ſpeciali quodam iure cambij, ſecundum quod æquè primò obligantur, ac principales, quibus adiunguntur, vt ſocij, licet propriè ſocij non ſint. 7.

1 DIſquiſitio XI. Titius, qui centum nummos aureos titulo Cambij dederat hic Mediolani Caio ſibi Romæ reſtituendos, vt ſibi prudentius caueret, exegerat ab eodem Caio principali debitore talis cambij, vt literis per ſe ipſum datis, & ſubſcriptis alium adderet, qui acceſſoriè ſubſcriberet. Cum fuerit poſtea declaratum, hunc ſubſcribentem nulla admiſſa exceptione teneri in ferijs ad ſolutionem ſummæ, orta fuit controuerſia in explicando, quonam obligationis genere ad hoc eſſet adſtrictus.

2 Contendebat Caius, teneri dumtaxat obligatione fideiuſſoria ad eum finem, vt ſe tueretur dirigens actionem primo contrà principalem debitorem munitus propugnaculo *auth. præſente C. de fideiuſſione, & auth. de fideiuſſione, & mandato,* quibus ſtatuitur principalem debitorem prius conueniendum, & excutiendum, antequam deueniatur ad fideiuſſorem, &, vt acquireret omnes exceptiones demptis perſonalibus, quæ competunt principali iuxtà textum *in l. exceptiones, quæ perſonæ ff. de except.* Sed hoc ſubterfugium impugnabatur, & præcludebatur ex communi mercatorum praxi, & ſtilo in ſimilibus negotiationibus, iuxtà quam æque impetitur ille, qui primo ſcribit, ac ille, qui accedit literis per ſubſcriptionem propriam etiam ſecundo loco. Deindè aſſerebatur, non poſſe accedere tanquam fideiuſſorem, quià ad fideiuſſionem neceſſaria omninò eſt ſtipulatio iuxtà textum *in l. blanditus C. de fideiuſſ.* quæ certè ſtipulatio per illam ſubſcriptionem præcisè non inducitur. Sic occluſo hoc ſubterfugio

(Excluditur primus modus dicendi.) (Ad fideiuſſionē neceſſaria eſt ſtipulatio.)

Confugiebat poſteà idem Caius ad actionem mandati, aſſerens, ſe illa dumtaxat teneri ad eum finem, vt re adhuc integra poſſet reuocari mandatum, & extingui actio creditoris, prout re vera extinguitur intercedente morte mandantis *l. mandatum C. mandati,* & mutatione ſtatus eiuſdem *l. ſi quis alicuius ff. de acquir. hæred.* Sed hoc etiam refugium occludebatur, quià, cum ex communi praxi fiant huiuſmodi ſubſcriptiones ad cautelam vberem creditorum, non eſſet eiſdem plenè prouiſum, ſi ſubſcribentes tenerentur modo expoſito obligatione mandati, & ità facile illa obligatio poſſet extingui. Deindè illa obligatio, quàm induit ſubſcribens, non eſt præcisè in ordine ad mandatarium, ſed principalius in ordine ad creditorem, in cuius fauorem ſubſcribendo quodamodò fatetur ſe, cum illo contractum cambij celebrare, adeòque æquè principalitèr cum alio obligari, qui primò ſubſcripſit 3

(Obligatio non eſt preciſè in ordine ad mandatarium.)

Contendebant alij, ipſum Caium quodamodò ex nouatione obligari, quatenus ex præcedenti obligatione hanc nouam ſuſcipit. Sed facile impugnantur huiuſmodi ſic aſſerentes, quandòquidem per nouationem prius debitum, ſeu obligatio transfunditur in nouam, per quam eadem prior extinguitur *l. 1. ff. de nouat. §. præterea Inſtit. quib. mod. tol. oblig.* per talem autem ſubſcriptionem factam per adiectum, nec intendit creditor primam obligationem datoris literarum extingui, nec de facto extinguitur *Turri de Cambijs diſp. 1. quæſt. 17. num. 39. & 40.* 4

(Non extinguitur debitum principalis.)

Alij tandem arbitrabantur, vel obligari ex conſtituta pecunia, vel ex iure debendi, quatenus ipſe ſe Reum debendi conſtituit. Sed etiam impugna- 5

gnab-

gnantur huiuſmodi aſſerentes, & primo quoad eos, qui aſſerunt obligari ex conſtituta pecunia arguit *Turri de Cambijs d. diſp. 1. quæſt. 17. num. 36. & ſeqq.* non intelligi obligationem ex conſtituta, niſi conſtet de animo conſtituendi *iuxtà l. 1. §. eum qui ff. de conſtit. pecun.* de quo animo non conſtat in ſubſcribente. Deindè aſſerit, prout cautum eſt *in l. fin. ff. de conſtit. pecun.* eum, qui conſtituit ſe ſoluturum, quod alius debet, tanquam ipſe deberet, non teneri, nec obligari, & propterea, cum ille, qui ſubſcribit, faciat ſe debitorem ex illo cambio, cuius propriè ſecundum ſe non eſt debitor, propriè non contrahit obligationem aliquam ex conſtituta. Quoad eos verò, qui aſſerunt teneri, vt Reum debendi exiſtimo non à veritate recedere, ſed adhuc remanet explicandum ex quonam titulo conſtituatur reus debendi; certè poteſt eſſe talis, vel ex mandato, vel ex fideiuſſione, vel alijs pluribus titulis, adeòque &c.

6 His omnibus dicendis modis reiectis concludit tandem *Turri loc. cit. nu. 43.* obligari tanquam expromiſſorem in ordine ad eos omnes effectus, quos vniuerſalis praxis mercatorum ei tribuit, & proindè teneri ad ſolutionem cambij perinde, ac ſi ipſemet recepto illius pretio cambium celebraſſet omni penitus exceptione reiecta. Sed non video, quo iure hoc poſſit aſſerere; expromiſſor enim propriè eſt, qui pro non obligatio promittit *l. ſi quis accepto ff. de cond. ob. cauſ. l. elegantes §. ſeruus ff. de dolo. l. aliquandò ff. ad Vellei., & l. qui libertinos §. 1. de op. libert. Alexander in d. l. ſi quis*, vbi etiam dicit, quod quandoque ſumitur impropriè pro fideiuſſore *per l. ſtipulationem aliæ §. ſtipulatio cum Gloſa ff. de verb. oblig.* & ibi *Alexander, & Angelus*, qui dicit hoc eſſe ſingulare. Quis autem ambigit principalem debitorem, cuius literis hic ſubſcribit, eſſe obligatum ex cambio? Quamobrem

Explicatur, & reicitur ſpecialis modus adductus à Turri.

7 Reſpondeo, obligari ex ſpeciali quodam iure cambij, ſecundum quod ex communi mercatorum praxi æquè primo obligatur, ac principalis debitor, cui ſubſcribendo adiungitur tanquam ſocius inſolidum obligatus, quàuis propriè, & in rigore ſocius non ſit. Probatur, & explicatur. Subſcribens literis cambiorum nulla adiecta qualitate, ſecundum quam, ſeu ratione cuius ſubſcribat, præſumitur, quod ſubſcribat tanquam debitor cambij, & dator literarum pro eodem cambio, & mens creditoris eſt, in cuius fauorem ſubſcribit, quod teneatur ad ea omnia onera, remota quacunque exceptione, ad quæ tenetur ipſe principalis debitor, quinimmò per talem ſubſcriptionem ex vſu fori reputatur pro proprio, & legitimo debitore, & ſecundum hanc exiſtimationem iudicatur in foro mercantili, ergo ex hoc ſpeciali modo ſubſcribendi obligatur ſaltem in foro externo ex ſpeciali iure contractus cambij. Conſequentia probatur, quià ex eo titulo in foro externo quis obligatur, ex quo apparet obligari, ſed ex ſubſcriptione nulla adiecta qualitate; ob quam ſe ſubſcribat, apparet obligari ex cambio tanquam debitor eiuſdem, ergo &c. Confirmatur, quandò duo debitores ex eodem cambio ſimul ſe ſubſcribunt in eiſdem literis vterque intelligitur obligatus ex eodem cambio, & eſſe ſocius in eodem, ergo hoc idem præſumendum eſt, quandò alter adijcitur ſubſcriptioni principalis debitoris nulla adiecta qualitate &c. Neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, hunc re vera non eſſe debitorem ex cambio, cum ipſe pecuniam illam non acceperit; non, inquam, obſtare poteſt, nam ideò, quià pecuniam non accepit, dixi, quod propriè ſocius non eſt, quià tamen ſe adiungit, vt ſocium, & ex communi praxi mercatorum ſecundum mentem creditorum aſſumit ea omnia onera, quæ aſſumit ſocius, & adiungitur in modo ſe obligando ad inſtar ſocij, ideò &c.

Præſumitur, quod ſubſcribat tanquam debitor cambij.

§. XII.

An contractus Cambij vnius dumtaxat conſenſu poſſit perfici.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus Quæſtionis. 1.
Rationes dubitandi. 2.
Doctorum placita. 3.
In data hypotheſi per vnius dumtaxat conſenſum propriè non perficitur contractus, oriuntur tamèn actiones quaſi ex contractu, & quomodò. 4.

Diſquiſitio XII. Seius teſtator condito ſuo vltimo teſtamento obligauit Caium hæredem ſuum nominatum, vt daret cambio Titio mille nummos aureos pro feria proxima 1

San-

Digitized by Google

Sanctorum. Obtulit idem Titius pretium hæredi, qui renuit conſentiri celebrationi contractus. Oritur difficultas, an facta præcisè tali oblatione per Titium intelligatur contractus celebratus etiam ſine conſenſu hæredis, immò potius ipſo renuente.

2 Ratio dubitandi ex eo conſurgit primò, quia contractus ex natura ſua, & ex ſuo genere, cum ſit vltrò, citròque obligatorius, videtur ad ſui ſubſtantialem conſtitutionem ex vtraque parte exigere conſenſum, præcipuè, cum conſenſus nihil aliud ſit quam plurium in idem ſenſus *Baldus l. ab eo C. quomodò, & quand. Iud.*, & cum ſit quædam animorum conciliatio, non videtur poſſe obligare inuitum per ea, quæ habentur *in l. 11. C. de contrahenda empt.*

3 Hac moti ratione voluerunt aliqui propriè non interuenire contractum, ſed obligari dumtaxat hæredem ad factum, & ex conſequenti, ſi hæres renuat ad factum concurrere, teneri ad intereſſe, nullo tamèn modo ad erogandos illos mille nummos aureos. Rationem potiſſimum ex eo adducunt, quia contractus celebratus non eſt, vndè nullum ius videtur habere Titius, niſi ad id, quod ad ipſum intereſt, quod celebratus non fuerit, hoc autem dumtaxat eſt intereſſe, vel lucri ceſſantis, vel damni emergentis.

Aſſerentes non interuenire contractum.

Alij ad rem propriùs accedentes dicunt, in dato caſu oriri actionem ex cambio, non autem propriè celebratum intelligi ipſum cambium, quandòquidem potius iuris fictione habetur pro celebrato, quam, quod re vera fuerit celebratum, Exiſtimant enim non ſufficere ad validitatem contractus conſenſus teſtatoris diffuſus in hæredem, ſi hic renuerit, quamuis poſteà ex eadem voluntate obligetur, quaſi per legatum ad erogandum intereſſe, quod conſurgeret ex cambio, ſi hoc fuiſſet celebratum.

Dicentes fictione iuris haberi pro celebrato.

Bartolus verò *in l. ſi fideiuſſor §. meminiſſe num. 1. ff. de legat. 1. & in l. vxorem §. agri plagam ff. de legat. 3.* & cum eo *Iaſon in d. l. ſi fideiuſſor §. meminiſſe n. 4.* qui teſtatur de communi, docent per talem oblationem contractum ex diſpoſitione iuris intelligi celebratum. Ratio in eo fundari videtur, quia contractus cambij potiſſimum conſenſu perficitur, & licet videatur conſenſus deficere ex parte hæredis, ſuppletur tamèn ex parte teſtatoris ſic diſponentis, cuius conſenſus, nec licet per ſe ipſum, cum per mortem defecerit, nec per hæredem; cum hic renuat conſentire, non videatur poſſe vniri cum illo legatarij, nihilominus iuris fictione in odium quaſi hæredis parere nolentis, ſeu melius in vim vltimæ voluntatis intelligitur quantum ad effectum validandi contractum virtualitèr perſeuerare, & cum eodem legatarij vniri. His ſic pro claritate expoſitis

Reſpondeo, in data hypotheſi per vnius dumtaxat conſenſum propriè non perfici contractum, oriri tamen actiones, quaſi ex contractu, quatenus ſtante tali teſtatoris diſpoſitione ipſius voluntas adimplenda eſt *auth. de emp. §. diſponet collat. 4. l. rationes C. de probat. l. ſcriptura C. communia vtriuſque iud. & in authent. de iure iuran. à mo. præſ. §. 1. collat. 6.* & legitimo conſenſu ex parte alterius iura ad ſuſtinendam talem vltimam voluntatem ſupplent defectum conſenſus hæredis renuentis, non ad effectum legitimandi contractum ſine tali conſenſu, ſed ad effectum obligandi hæredem renuentem ad actiones, quæ prouenirent ex tali contractu, obligandi, inquam, quaſi contractu, vel quaſi ex delicto, ſi non celebrarit contractum per negationem conſenſus, vel ad obligandum ad erogandum pecuniam diſpoſitam per teſtatorem titulo cambij pro tempore, quo ex vi talis diſpoſitionis eſt eroganda. 4

Explicatur quomodò res ſe habeat

Prima pars facilè euincitur, quia voluntas teſtatoris obligat quidem ad contrahendum, non tamèn conſtituit contractum, ergo ipſa præcisè poſita non reſultat contractus. Conſequentia probatur, quia contractus non conſiſtit in aliqua obligatione ad contrahendum, ſed in ipſa voluntate actuali, qua actu contrahitur, ergo deficiente hac voluntate actuali propriè, & in rigore contractus non eſt; neque dicas, vel adeſſe hanc voluntatem ſaltem virtualitèr, quatenùs vltima mens teſtatoris iure quodamodò ſuſtentante, & vicem ſubiecti gerente ità defertur, vt poſito conſenſu alterius contrahentis, nempe legatarij quadam eiuſdem iuris fictione cum eodem continuetur, & vniatur ad conſtituendum contractum, vel ſi vere non adſit, idem ius ſupplere defectum talis voluntatis, vel in pœnam hæredis non ſeruantis vltimam mentem teſtatoris, vel in vim vltimæ voluntatis ſuſtinendæ, vt ſuprà; contra enim impugnaberis, quia voluntas teſtatoris iuris adminiculo poſt eius mortem poteſt

Contractus non conſiſtit in obligatione ad contrahendum.

Digitized by Google

teſt quidem ſuſtineri, ſed ſecundum eam rationem, ſecundum quam eſt poſita, non ſecundum aliam, ſecundum quam non eſt poſita, cum autem voluntas fuerit ad obligandum hæredem ad contrahendum, non autem ad conſtituendum contractum per ſe, hinc eſt, quod quidem perſeueret in ordine ad ſemper obligandum, quouſque adimpleuerit, ità vt, ſi renuat, vigore iuris volentis vltimas voluntates ſuſtineri, poſſit cogi ad implementum, non autem, quod per ſe conſtituat contractum ipſum non accedente conſenſu eius, qui ex onere ſibi impoſito per teſtatorem debet contrahere, vel iure non ſupplente defectum talis conſenſus. Ad id, quod ſubditur de iure ſupplente, dico hoc valere, quotieſcunque eodem inuocato in ſubſidium voluntatis teſtatoris per hæredem non obſeruatæ, eiuſque interpoſita auctoritate per ipſum cogitur obligatus ex vi diſpoſitionis teſtamentariæ ad contrahendum, quod, ſi adhuc renuat, ius ipſum miniſterio Iudicum, quaſi executor vltimæ voluntatis teſtatoris præſtat id, quod renuit præſtare contrà omnem iuris ordinem hæres eiuſdem, & ſi res hoc pacto procederet, proculdubio poſſet dici, quod contractus eſſet conſtitutus; ſed procedit tantum difficultas quoad hanc partem in hypotheſi, ſecundum quam hæres tempore præſcripto noluerit adimplere ea, in quibus à teſtatore fuit grauatus, & legatarius non implorarit eiuſdem iuris auxilium, quod propterea non fuerit interpoſitum, tunc etenim non poteſt dici, quod ius suppleuerit defectum conſenſus ad validandum contractum, qui initus non fuit.

Cogitur ad implẽdum, non autẽ actu contrahit.

Ius, vt executor vltimæ voluntatis id præſtat, quod renuit hæres.

Dices ex eo, quod teſtator diſpoſuerit in ſua vltima voluntate in talibus ſuis bonis immobilibus conſtitui cenſum reſeruatiuum in fauorem tertiæ perſonæ, eidemque perſolui quotannis determinatos reditus, optimè ſuſtinetur contractus cenſualis, & ex eodem contractu hæres quamuis inuitus obligatur ad perſoluendos eoſdem reditus, ergo etiam ex eo, quod teſtator diſpoſuerit tot dari cambio pro tali determinato tempore tertiæ perſonæ accedente conſenſu eiuſdem tertiæ perſonæ non erit, cur non debeat ſuſtineri contractus cambij. Sed contra. Diſpar omninò eſt ratio, quandòquidem cenſus reſeruatiuus in data ſuppoſitione omninò conſtituitur per voluntatem abſolutam eiuſdem teſtatoris non dependentem in tali conſtitutione ab alio, adeòque non eſt, cur non debeat ſuſtineri; in ſuppoſitione autem, de qua hic loquimur, cambium non conſtituitur abſolutè per eundem teſtatorem, ſed per eundem inducitur tantum obligatio in hærede ad conſtituendum; ex qua obligatione oritur quidem, quod teneatur conſtituere, non autem, quod cambium per illam præcisè fuerit conſtitutum. Deindè cenſus reſeruatiuus eſt ſolummodò dependens à voluntate reſeruantis, & ſine vllo onere illius, in cuius fauorem reſeruatur; cambium autem, vtpotè contractus oneroſus exigit ad ſui conſtitutionem vtriuſque contrahentis conſenſum, qui non poteſt eſſe ex eo, quod teſtator diſpoſuerit, quod hæres contrahat, cum per hoc ſolummodò voluerit, quod coniungantur conſenſus tùm hæredis, tùm legatarij ad conſtituendum, & quod renuente hærede ius habeat ſupplere defectum ipſius ad conſtituendum, non autem, quod velit eſſe conſtitutum.

Aſſignatur diſcrimen inter cenſum reſeruatiuum & cambium.

Secunda pars facilè etiam ſic euincitur; qui tenetur aliquid, vel iure ſic diſponente, vel ſtatuente teſtatore adimplere, & non adimplet, tenetur ad eas omnes actiones, quæ prouenirent ex cõtractu, ſi eſſet initus, ex quaſi contractu, vel quaſi delicto, ſed hæres ex iniuncto ſibi onere per teſtatorem tenetur ad dandum mille illos nummos aureos legatario, ergo, ſi omittat contrà talem diſpoſitionem dare, obligabitur ad illas omnes actiones, quæ competerent legatario, ſi contractus ille fuiſſet celebratus. Confirmatur *ex l. in annos ſingulos ff. de annuis legatis*, vbi dicitur, quod hęres damnatus ſinere me fundo frui, ſi impedierit me colere totius anni nomine mihi tenebitur, hoc eſt, vt ſubdit Gloſa ibidem, ad æſtimationem fructuum omnium, qui in dicto anno potuiſſent eſſe collecti ex fundo, ſi permiſiſſet mihi eum colere, ergo etiam hæres damnatus mihi erogare mille nummos aureos titulo cambij pro tali determinato tempore, ſi renuerit pro tali tempore erogare, tenebitur ad eas omnes actiones, quas ego legatarius acquiſiuiſſem, ſi pro conuento tempore contraxiſſet, prout contrahere tenebatur; & in hoc ſenſu exiſtimo locutum fuiſſe *Turri de Cambijs d. diſp. 1. quæſt. 18. num. 10. verſ. & ex his in fine*, vbi habet; *ſi ſtrictè, & propriè loqui velimus, dicendum eſſe oriri actionem ex cambio vnius ſolius conſenſu, non autem contractum ipſum, qui potius*

Digitized by Google

habetur pro celebrato iuris fictione, quam verè celebratus fuerit.

---

§. XIII.

An in caſu præcedentis paragraphi ſoluenda eſſet Gabella.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus difficultatis. 1.
Si contractus verè non fuerit celebratus, ſed tantum oriatur actio ex contractu, gabella non eſt ſoluenda. 2.
Gabella eſt ſtricti iuris, adeoque ſtrictè interpretanda. 3.
In odioſis non valet argumentum de ſimilibus ad ſimilia. 4.
Debetur Gabella non pro obligatione contrahendi, ſed pro ipſo contractu. 5.

DIſquiſitio XIII. In aliquibus regio-
1 nibus vigent iura municipalia, quæ obligant contrahentes cambia ad ſoluendum pro eiſdem contractibus determinatam quantitatem pro Gabella à publico inſtituta, quod præcipuè nos militare diximus Genuæ, vbi ſoluitur vndecena Gabellæ. Poſitis his iuribus, ſeu conſuetudine, ſuppoſitoque, quod in loco, in quo teſtator grauat hæredem ad erogandos illos mille nummos aureos legatario, vt ſupra, vigeant talia iura, ſeu conſuetudo, & hæres renuat contrahere, ità tamen, vt oriatur actio ex cambio, vel contractus celebretur iure ſupplente miniſterio Iudicum defectum conſenſus Hæredis, quæritur, an Gabella ſit perſoluenda. Proponit hanc difficultatem *Turri de Cambijs diſp. 1. quæſt. 18. num. 10. verſ. ex his etiam in fin.*, & concludit negantèr, citatque pro hac opinione negatiua *Bartolum in l. in lege falcidia non habetur ff. ad leg. Falcid.* Sed Bartolus ibi non loquitur de gabella, quę ſoluitur ob contractum ex conſuetudine, vel iuribus municipalibus locorum, vt patet ipſum legenti. Cum eodem breuitèr.

Reſpondeo in hypotheſi, quod con-
2 tractus verè, & realitèr non fuerit celebratus; ſed oriatur dumtaxat actio ex contractu modo, quo diximus in ſuperiori diſquiſitione, gabellam non eſſe perſoluendam. Probatur primò,
3 quia Gabella res odio digna eſt, contra quam in dubio interpretatur, & iudicatur *Iaſon in l. 1. col. 1. ff. ſi ex noxa. cauſ. agat. Angelus conſ. 9., Crauet. conſ. 231. num. 21. l. 2. C. veſtig. no. inſtit. no. poſ. l. vectigalia, & ibi Bartolus ff. de public. Baldus in l. 1. quæſt. 1. C. quæ ſit lon. conſ.*, ſed in hypotheſi, de qua nos loquimur, dubium ad ſummum eſt, quod Gabella debeat ſolui, cum propriè contractus non ſit, ſed habeatur ſolummodò pro contractu in ordine ad effectus, ergo contrà ipſam debet iudicari *Bartolus in l. ſi pupillus in extre. ff. ad leg. falcid., Decius conſ. 405. num. 8.*

Probatur ſecundò. Gabella pro contractibus conſtituta non debetur, ſi contractus eſt nullus *Gubel. Cune. in l. ab emptione ff. de pactis, Bartolus in l. ſi conſtante C. de donat. ante nupt., Baldus in l. 2. C. de euictionibus, & in l. non dubium C. de legibus in l. 1. C. de Eunuch. in l. ſi duo §. ſed quia C. communia de legatis, Angelus §. ſed quia verè in extr. in auth. de nupt., Ludouicus Romanus in conſ. 78., Riminaldus conſ. 81. nu. 13. vol. 1.*, ergo nec etiam debetur pro contractu, ſi contractus initus non eſt. Conſequentia probatur contractus nullus, & non contractus in effectu æquiparantur *l. ſi autem nullum, & ibi Baldus nota. C. de legit. hæred., Zaſius in ſuis conſil. conſ. 7. num. 26., Andræas de Iſer. in cap. 1. §. præterea, quæ ſit prima cauſ. benef. amitten., & alleg. l. 1. §. quod ſine mo. ff. quod cuiuſque vniuerſ. nom.*

Gabella eſt ſtricti iuris.

Dices primò. Gabella debetur pro contractu, quandò ex contractu agi poteſt *Alexander in l. in lege falcidia non habetur in extr. ff. ad leg. falcidiam, Carolus Ruinus conſ. 34. num. 9. vol. 4., Marianus Socin. conſ. 130. num. 5. vol. 3.*, ſed legatario in data hypotheſi competunt actiones, quaſi ex contractu, vt ſuprà probauimus, ergo & Gabella in iure debetur. Sed contrà; Gabella quidem debetur pro contractu, quandò ex contractu ſubſiſtente agi poteſt, non autem quandò agi poteſt ex contractu in ſubſiſtente ſecundum ſe, vel non inito, ſed ſolum ex fictione iuris pariente actiones, & effectus in pęnam delinquentis *Romanus conſ. 78.*, eo quià propriè ibi contractus non eſt. Deindè huiuſmodi actiones quamuis ſint ex cambio, ſeu occaſione cambij, non tamen ex ipſo cambio verè, & propriè inter partes inito, ſed ex teſtamento vires aſſumit, cum videatur ſecuta ipſius contractus celebratio *Gloſ. in l. æſtimationibus verb. in hæreditate ff. de petenda hæreditate*, cum autem Gabel-
la, vtpotè odioſa ſit ſtrictè interpretan- 4
da per ſuperius allegata non eſt extendenda vltra contractus, qui vires habeant à cambijs, non enim in odioſis

va-

Digitized by Google

valet argumentum de ſimilibus ad ſimilia *l. ex ea in extrem. ff. de poſtulat. l. 2. C. non veſtig.*, *Bartolus in l. vectigalia in princip. ff. de publica. in l. 2. col. 11. C. de ſumma Trinit.*, *Baldus in l. 1. col. 2. C. quid ſit long. conſ.*

Dices ſecundò, in ordine ad effectum intentum à iuribus municipalibus exigendi gabellam à contractibus cambiorum contractum fuiſſe celebratum, ac non fuiſſe celebratum, ſed parere effectus perindè, ac ſi fuiſſet celebratus, in re paria ſunt, cum rem in eſſe conſiſtere, & conſiſtere in eo ſtatu, quo effectus producat in eſſe in iure æquipolleant *l. Fulcinius*, *& ibi Bartolus ff. quibus ad libert. progredi non licet*, *& in l. non tantum in princip. ff. de excuſ. tut.*, ergo æquè exigi poterit Gabella, quandò contractus ipſe in eſſe eſt poſitus, ac quandò non eſt poſitus, ità tamen, vt eaſdem pariat actiones, & effectus, ac ſi fuiſſet poſitus.

Gabella non debet extendi ad non contractus. Sed contrà, quia, cum verſemur in materia gabellarum, quæ eſt odioſa, non debemus caſum extendere vltrà id, quod in iure expreſſum eſt, ſicque, cum gabella ſit pro contractibus, extendi non debet ad non contractus, quamuis ijdem effectus producantur, ſic ſi v.g. conſtituatur pro venditionibus non debet extendi ad mutuum, quamuis idem producatur effectus in venditione, ac in mutuo.

Probatur tertiò. Gabella ex ſuperius dictis in contractibus cambiorum ſoluenda eſt per ſtipulatorem ſeu per eum, qui primò ſoluit pecuniam, ſed in hypotheſi reſponſionis, congruè per ipſum ſoluenda non eſt, ergo nullo modo eſt ſoluenda. Minor probatur, quia cambium in ipſius commodum non cedit, ſed potius in incommodũ, ergo non eſt, cur pro illo debeat grauari, quinimmò ex eo, quod grauetur in vtilitatem alterius, debet ex alio capite releuari *l. eum qui ff. de iur. iur.* Neque dicas ex eo, quod à teſtatore grauetur ad illud onus, intelligi grauari in ijs omnibus, quæ ad illud onus pertinent; contrà enim impugnaberis, quia re vera intelligitur grauari ad ea omnia, ſi ea omnia ex iure debeantur pro tali actione, cum igitur iura non diſponant, quod debeatur Gabella pro non contractu, quamuis ad ipſum conſequatur actio, ratione cuius poteſt obligari ad effectus cambij, ac ſi fuerit initum, non eſt, cur ad illam teneatur.

5 Ad hæc omnia corroboranda, quæ hactenus dicta ſunt, placet ea adducere, quæ à pluribus afferuntur, nempè Gabellam pro cambijs non eſſe impoſitam pro obligatione, quam quis habet ad contrahendum, ſed pro ipſo actuali contractu, adeoque non prius deberi, ac ipſe contractus fuerit celebratus *Laſſarte de decim. vendit. in ſcholijs ad l. 2. citatam ante cap. 1., & cap. 17. num. 25.*, *Barthachinus Firmius de Gabellis part. 3. partis octauæ num. 48.*, *Manchaca lib. 1. controu. cap. 11. num. 21.*; quibus adhæret *Molina tract. 2. diſp. 397. verſ. mihi verò longè*, ergo ſi contractus ipſe celebratus non eſt, vt in caſu noſtro non debebitur Gabella.

Gabella eſt impoſita non pro obligatione contrahendi, ſed pro ipſo contractu.

§. XIV.

An Gabella debeatur pro cambio ſolum poſt adimplementum conuentorum ex vtraque parte.

SVMMARIVM.

Ratio dubitandi, & ſtatus quæſtionis expoſitus. 1.

Senſus Laſſarte exponitur. 2.

Etiam, vbi conceditur actio ciuilis ex nudo pacto, non debetur gabella, niſi poſt traditionem ex vtraque parte. 3.

Onera impoſita pro contractu non intelligenda ſunt, niſi de conſummato. 4.

DIſquiſitio XIV. Conuenerant inter ſe Titius campſor, & Caius I campſarius in eo, quod ille ſolueret hic Mediolani eidem Caio centum nummos aureos, & iſtè illos reſtitueret Neapolim, cum intereſſe eiuſdem cambij, atque de hac conuentione conſtat in libris notariorum in foro, in quo facta fuit conuentio. Differt vterque adimplere conuenta, adeò vt nec Titius hic ſoluat, nec Caius det literas pro Neapolim, quin potius poſt lapſum temporis mutuo conſenſu à conuentis reſiliunt. Ruſus ſuppono, quod poſita illa conuentione Titius iuxtà conuenta ſoluerit, ſed Caius diſtulerit, ſeu diferat dare literas. Quæritur iam, an in vtroque hoc caſu debeatur Gabella pro cambio. Latè proponit hanc difficultatem *Molina tract. 2. d. diſp. 397. verſ. dubium eſt hoc loco*, quam fusè proſequitur, & videtur vtroque caſu concludere negatiuè. Suppono, quod hic Mediolani, vbi dicitur fieri conuentio, ſit impoſitum onus Gabellæ pro contractu cambiorum.

Digitized by Google

2 Contendunt aliqui, inter quos Laſarte *cap. 17. num. 25.* in locis, in quibus conceditur actio ciuilis ex nudo pacto permutationis, Gabellam deberi ex ſimplici conuentione, etiam ſi, vel à neutra, vel ab altera tantum parte fuerit per traditionem ſatisfactum, quandoquidem, cum oriatur obligatio ciuilis ex ſolo pacto, non conceditur pænitentia, nec ius ad reſiliendum, & per conſequens Fiſcus ius acquirit ad exigendam gabellam, ea proportionali ratione, qua perfecto contractu emptionis, & venditionis per mutuum contrahentium conſensũ etiam ante traditionem, vel ab vtraque, vel ab altera tantum parte idem Fiſcus ius Gabellæ perfectè acquirit, cui præiuditium afferre non poteſt diſceſſus à contractu ante traditionem per mutuum eorundem contrahentium conſenſum. Hæc, quæ dicuntur maximum robur habent in noſtra ſententia, ſecundum quam aſſerimus, quod contractus cambij per ſolum conſenſum in ſui ſubſtantia perficiatur. Nihilominus.

Alicubi actio ciuilis conceditur ex nudo pacto.

Reſpondeo, etiam in locis, in quibus conceditur actio ciuilis ex nudo pacto
3 permutationis, & in ſententia admittente cambium mutuo conſenſu confici, non deberi gabellam, niſi poſt traditionem ex vtraque parte *Molina d. diſp. 397. verſ. mihi verò Mancacha lib. 1. controu. cap. 11. num. 11., Parladorius à Laſſarte d. cap. 17. num. 35. relatus*, qui potiſſimum mouentur ea ratione, quod Gabella intelligitur impoſita permutationi ipſi, non pacto permutandi; ſed aduerterem, quod aliud eſt pactum permutandi, aliud, quo ſtabilitur ipſa permutatio; primum appellat pactum, quo debeat poni conſenſus ad firmandum poſteà ipſum cõtractum pro tempore, pro quo ex vi illius pacti debet perfici; ſecundum verò dicit ipſum conſenſum, quo præcisè firmatur ipſe contractus, ad quem propterea non requiratur alius conſenſus, ſed ſolummodò, quod conſummetur contractus per actualem traditionem, ea proportionali ratione, qua duplex poteſt eſſe pactum de emptione, & venditione, aliud, quo fiat promiſſio, ſeu ſtipulatio de vendendo, aliud, quo actu contrahatur ipſa venditio, quamuis immediatè res vendita non tradatur; primum eſt præuium ad contractum, & aliud exigit; ſecundum eſt conſtitutiuum eiuſdem contractus tanquam forma ſubſtantialis ipſius. Si igitur dicatur Gabellam non eſſe impoſitam pro pacto permutandi primò modo ſumpto, bene tamen ſecundò, cum hoc ſit conſtitutiuum permutationis, eliditur tota vis rationis, quæ adducitur per præcitatos Doctores; Neque dicas, ſubſtantiam permutationis non conſiſtere etiã in illo pacto ſecundo modo ſumpto, ſed in actu, quo res ipſa traditur, prout habetur *ex l. 1. ff. de rerum permut.* illis verbis. *Permutatio autem ex re tradita initium obligationis præbet*; cõtrà enim impugnaberis, quià, quamuis daremus, quod conſummetur permutatio per illam actualem traditionem, non tollitur tamen, quin actio concedatur ex pacto, ſeu conſenſu, quo vtraque pars ſe obligauit; vndè *Antonius Gomez ſecundo tom. var. reſol. cap. 8. num. 2., Parladorius in lib. rerum quotidianarum cap. 3. §. 3. num. 35.*, argumento deducto in contrario ſenſu à *l. ex placito C. de rerum permut.*, inferunt ex ipſa pactione, & contractu oriri, ac competere actionem, traditionem verò eſſe ſolummodò conditionem, quinimmò poſita illa pactione, ſeu contractu non eſt, cur denegetur actio ad complementum per traditionem, cum verſemur in pactis non merè nudis, ſed veſtitis, & in contractibus nominatis, non innominatis, ſicuti poſito aſſenſu, ſeu contractu per conſenſum poſitum ad venditionem concedenda eſt actio ad traditionem rei venditæ. Quamobrem.

Aliud eſt pactum permutandi, aliud, quo ſtabilitur permutatio.

Poſito conſenſu ad venditionem conceditur actio ad traditionem.

Probatur reſponſio, quià ex ſuperius dictis Gabella, vtpotè odioſa, eſt 4
ſtrictè interpretanda, & in dubio contrà ipſam iudicandum, ergo non debet eſſe, niſi pro contractu vndequaque perfecto, & conſummato. Conſequentia probatur, quia onera impoſita pro contractu non ſunt intelligenda, niſi de contractu conſummato, vt videre etiam eſt in pænis impoſitis pro delictis, quæ exigunt conſummationem eorundem delictorum; neque dicas ex eo, quod permutatio, ſeu cambium perficiatur per ſolum conſenſum, vt ſuprà dicebamus, eo poſito ſupponi appoſitũ quidquid requiritur ad ſubſtantiam eiuſdem, adeoque quidquid requiritur ad exigendam Gabellam, quæ imponitur, ſeu impoſita eſt pro contractu; contra enim impugnaberis, quia, quamuis ſit appoſitum quidquid requiritur ad ſubſtantiam, non tamen eſt appoſitum quidquid requiritur ad complementum; ad odioſa autem, vt potè ſtricti iuris requiritur opus vſquequaque completum *l. ſi de*

Onera impoſita pro contractu nõ intelligẽda ſunt, niſi de conſummato.

in-

Digitized by Google

interpretatione ff. de pœnis not. in l. quidquid adſtringendæ ff. de verb. oblig. l. cum quidam , & ibi Bartolus ff. de liber. , & poſth.

Probatur ſecundò, & ſimul fortiùs roboratur reſponſio ad inſtantiam mox poſitam. Iura imponentia onera pro contractibus, & pænas pro delictis reſpiciunt actiones externas, non purè internas, ſiquidem hæ ſecundum ſe non cadunt ſub commerciũ, quamuis delictum contrahatur in ſubſtantia ſecundum actus internos, & contractus ineantur per ſolos conſenſus, ergo huiuſmodi onera non ſunt perſoluenda, niſi per traditionem externam contractus ipſi, ſeu delicta fuerint conſummata, quandoquidem per ipſam traditionem externam conſummatur externè ipſe contractus, ſeu opus, pro quo imponitur gabella. Antecedens per ſe patet, &, quamuis per communicationem eorundẽ conſenſuum factã, vel per verba, vel per ſcripturam inter ipſos contrahentes huiuſmodi conſenſus reddantur externi, & ſenſibiles, hæc tamen ſenſibilitas nõ eſt ſufficiens ad complendum vſquequaque contractum ſenſibilitate à iure intenta, quæ eſt diſtractio vnius rei cum iure ad aliã contrahendam; id enim, quod iura intendunt, eſt, ne res diſtrahantur actu ſine ſolutione illius oneris.

Reſpiciunt actiones externas non purè internas.

Nõ quæcunque ſenſibilitas ſufficit.

Probatur tertiò. Poſito mutuo conſenſu, cum omnibus debitis conditionibus requiſitis ad naturam cambij, ſi mutuo poſtea conſenſu contrahentes à contractu recederent, non eſſet Gabella pro contractu perſoluenda, & poſita traditione, ſi poſtea reſilerent eodem mutuo conſenſu a contractu, adhuc gabella eſt debita, & ſi fuerit ſoluta non eſt reſtituenda, ergo, quia gabella non eſt perſoluenda, niſi contractus fuerit per traditionem vſquequaque completus. Antecedens non videtur pati difficultatem, quià pro eo contractu non debetur gabella, qui ſuum effectum non conſequitur.

Contractus mutuo conſenſu initus poteſt etiã mutuo conſenſu diſſolui.

Dices, ſi fuerit impoſita Gabella pro contractu emptionis, & venditionis, adhuc eadem debetur, quamuis contractus non fuerit per traditionem rei, & actualem acquiſitionem pretij conſummatus, ergo etiam debetur gabella impoſita pro cambio, quamuis cambium non fuerit per externam traditionem completum. Sed contrà admiſſo antecedente negat *Molina d. diſp. 397. verſ. mihi verò longè in fin.*, conſequentiam ea ductus ratione, quod emptio, & venditio ſolo conſenſu perficiatur, non ſic contractus cambij, ſed quià nos ſuperius diximus etiam conſenſu perfici contractum cambij, qui reducitur ad emptionem, & venditionem, vel ad locationem, ideò nego abſolutè antecedens, quià, quamuis emptio, & venditio conſenſu perficiatur, non intelligitur tamen, quantum ad onera, ſufficientèr completa, niſi res diſtrahatur actu, & pretium actu comparetur, cum verſemur in odioſis, vt ſupra.

---

§. XV.

An, ſi cambium per mutuum conſenſum fuerit celebratum tempore vnius Gabellarij, & conſummatum per traditionem tempore alterius, Gabella debeatur primo, an verò ſecundo.

SVMMARIVM.

Status difficultatis in ſuis terminis propoſitus. 1.
Rationes militantes pro primo. 2.
Exceptiones in fauorem ſecundi. 3.
Potiora ſunt iura Gabellarij ſecundi. 4.
Satisfit rationibus adductis pro primo. 5.

DIſquiſitio XV. Iuxtà propoſitum caſum in præcedenti paragrapho, quo conuenerant Titius, & Caius, 1
ille de ſoluendis centũ nummis aureis hic Mediolani, ille de dandis literis pro reſtitutione facienda Neapolim, conuentio facta fuerat exiſtente vno Gabellario, poſtea fuit conſummatus contractus per actualem traditionem pecuniæ ex parte Titij, & dationem literarum ex parte Caij tempore, quo alius Gabellarius ſucceſſerat. Orta fuit controuerſia inter eoſdem Gabellarios, cui deberetur pretium pro Gabella.

Aſſerebat primus, ſibi Gabellam deberi, eo quià obligatio illa non oritur ex impletione pacti illius per traditionem, quamuis hæc requiratur 2
per modum conditionis, ſed ex illo pacto ſecuta traditione tanquam conditione ad obligandum, ſuamque fundabat intentionem *in l. ex placito C. de rer. permut.*, vbi legitur; *ex placito permutationis nulla re ſecuta conſtat nemini actionem competere*; ex quo textu à contrario ſenſu iuxtà mentẽ *Gomezij tom. 2. var. reſol. cap. 8. num. 2.*, inferebat

ex

Digitized by Google

Actio quamuis concedatur poſt traditionem, retrotrahitur tamẽ ad tempus conſenſus.

ex ipſo pacto, & contractu re ſecuta hoc eſt poſita traditione oriri actionẽ, ergo, cum pactum, ex quo tanquam ratione formali oritur actio, editum fuerit pro tempore, quo ipſe erat Gabellarius, eidem gabella debet cedere, non alteri, cuius tempore ſecuta eſt traditio. Se communiebat vlterius in eo, quod tota vis exigendi eandem traditionem originalitèr procedebat ab ipſo pacto, vndè in rebus ſemper origo attendenda eſt, à qua cætera deſumunt eſſe,& ſequuntur naturam, & qualitates ipſius.. Tandem concludebat,quod, quamuis requiratur traditio etiam, vt ratio formalis conſequendi gabellam,non tollatur tamen, quin obligatio ſaltem partialitèr oriatur ex pacto, adeoque quod ſaltem partialitèr ſibi non debeatur gabella.

Obligatio ſaltẽ partialitèr oritur ex pacto.

Obſiſtebat ex aduerſo ſecundus,
3 quod ſine traditione nullum poſſet eſſe ius ad Gabellam, adeòque, quod adæquata ratio eandem exigendi proueniat à traditione, quæ, cum facta fuerit tempore ipſius, ipſi ex recto iuris ordine debeat cedere. Superaddebat ea, quæ in præcedenti diſquiſitione nos afferebamus, ſcilicet, cum verſemur in odioſis, attendi debere actum conſummatum, & cum conſummetur per traditionem, quæ fit pro tempore, quo ipſius officium, ſeu munus Gabellarij incæpit, non poſſe, quin ſibi Gabella cedat. Concludebat tandem paritate deſumpta à contractu emptionis & venditionis, qui, ſicuti, quandò ex mutuo contrahentium conſenſu perficiendus eſt per ſcripturam, non intelligitur perfectus, niſi quandò eadem ſcriptura perficitur, ità quandò mutuo contrahentium conſenſu contrahitur cambium non intelligatur perfectum, niſi quandò fit traditio, nam ſicuti ibi ex partium conuentione requiritur ſcriptura ad complementum, ità ex natura ſua hic requiratur traditio ad perfectum eſſe, adeò vt ſibi non eſſet ſoluendum tributum, niſi poſt illam, ita neque hic ſit ſoluenda Gabella, niſi poſt traditionem, & ſic ſibi ipſi, qui ius habet poſt traditionem, cedat, non alteri, qui antè illam nullum ius habebat.

Attendi debet actus conſũmatus per traditionẽ.

4 Reſpondeo, potiora eſſe iura Gabellarij ſecundi, ac ſint illa primi. *Molina dicta diſp. 397., Laſarte d. cap. 17. num. 33.* qui tamen prius docuerat, gabellam ex permutatione deberi eo ipſo, quod ex pacto de permutando oritur ciuilis obligatio; neſcio tamen qua conſequentia, ſi enim perficitur onus ſoluendi gabellam poſt initum pactum de permutando etiam ante traditionem, quo iure poteſt poſterior gabellarius habere actionem ad illud tributum, ſeu gabellam? Certè ius eſt perfectum in tali opinione pro tempore alterius. Rationes adductæ pro eodem ſecundo Gabellario hoc manifeſtè conuincunt, quibus hanc vnam addo, quod, quando onus reſpicit conſummationem perfectam actus, non obligat, niſi quandò actus eſt conſummatus per ſuum perfectum eſſe, ſed, quandò actus conſummatur per ſuum perfectum eſſe, ius exigendi illud onus pertinet ad poſteriorem Gabellarium, non ad primum, ergo &c.

Arguitur Laſarte in conſequentia.

Ad rationes, quæ pro aduerſa parte afferebantur, dicendum eſt, & primò 5
ad primam, falſiſſimum eſſe obligationem ſoluendi tributum pro contractu non oriri ex impletione pacti illius per traditionem, nam, quamuis daremus ipſam traditionem eſſe dumtaxat conditionem, adhuc tamen ſine illa non deberetur gabella, quinimmò, ſi eſt conditio, eſt conditio ad contractum, non tamen in ordine ad onus perſoluendi eandem gabellam, in ordine ad quam eſt ſaltem cauſa partialis, &, cum ſit cauſa partialis vltimò completiua eiuſdem contractus in ordine ad illud onus ab ipſa partialitèr, vt a complemento vim deſumit illud onus, quod non eſt, niſi ex opere completo; nec textus *in l. ex placito C. de rerum permut.* argumento deducto à contrario ſenſu maius robur, ſeu ius ipſi ſuperaddit, quandòquidem, ſi actio, ſeu onus ſoluendi gabellam prouenit ex pretio ſecuta re, ergo res ipſa, vt ſecuta, ſeu traditio, vt poſita conſtituit pactum in ratione valida, & ſufficienti ad exigendum illud tributum, adeòque &c.

Traditio eſt ſaltẽ cauſa partialis oneris ſoluendi gabellam.

Ad ſecundam dicendum eſt pactionem ipſam, ſeu contractum eſſe quidem originem, ſeu principium, & traditionis, & omnium ſubſequentium, non eſſe tamen ſecundum ſe ſufficientem ad obligandum ad illa onera, niſi & traditio, & alia ſubſequantur, quæ, quamuis dici poſſint effectus illius pactionis, ſimul tamen cum ipſa pactione ſunt cauſa illius oneris perſoluendi, &, cum ipſa pactio in ordine ad obligandum robur accipiat ab eadem traditione, eadem dumtaxat poſita incipit vim habere, & obligare, adeòque in ordine ad illam obligationem non eſt origo, ſed dumtaxat cauſa partialis, & concomitans, & ſic ceſſant omnia,

Pactio robur accipit ab ipſa traditione.

Digitized by Google

nia, quæ ex aduerſo afferebantur.

Ad tertiam dicendum eſt, quod, quamuis ſit cauſa partialis, non habeat tamen vim ad obligandum ad gabellam, niſi in quantum coniungitur cum traditione, vndè ob eamdem traditionem, cum vim obligandi deſumat, non incipit obligare, niſi quandò ponitur eadem traditio tanquam conſtitutiua eiuſdem in tali ratione valida ad producendum talem effectum, &, cum talem vim deſumat pro tempore, pro quo viget ius ſecundi gabellarij, eidem parit effectus, non alteri, qui habebat ius pro tempore, pro quo non poterat obligare.

Deſumit vim pro tempore ſecundi gabellarij.

§. XVI.

An, ſi in cambio mutuo conſenſu inito facta fuerit mentio de ſcriptura conficienda, & antecedentèr ad ſcripturam ſoluta fuerit Gabella, præſumatur firmatus contractus per ipſam, & quid de gabella.

SVMMARIVM.

Status difficultatis, & rationes dubitandi. 1.

Poſita ſolutione cambij, & Gabella, cum de ſcriptura facta ſit mentio in contractu, hæc non præſumitur intenta, vt complementum contractus, ſed vt probatio eiuſdem. 2.

Ex ſuppoſitione, quod ſcriptura, vel realitèr, vel rationabilitèr præſumptiuè fuerit requiſita ad pleniorem tantum probationem, & debitor velit recedere, non poteſt creditor, qui gabellam ſoluit, à gabellarijs repetere, ſed tantum agere debet contrà debitorem, ex ſuppoſitione verò, quod fuerit requiſita tanquam complementum recedente debitore poteſt creditor gabellam reuocare. 3.

1 DIſquiſitio XVI. Conuenerat idem Titius, & Caius in contractu cambij hoc pacto, vt ille erogaret centum nummos aureos Mediolani, iſte daret literas pro eiſdem cum intereſſe reſtituendis Romæ, ſed de hac conuentione conficeretur ſcriptura. Ante confectionem talis ſcripturæ conuentæ Titius perſoluit illos centum nummos aureos, & ſimul Gabellario Gabellam impoſitam pro contractu. Renuente iam Caio dare literas controuertebatur primò, an præſumendus eſſet integrè confectus, an ſuſpenſus vſque ad confectionem ſcripturæ, etiam ſi ex parte campſoris deuentum ſit ad ſolutionem pretij conuenti. Secundò, an per ſolutionem Gabellæ Gabellario tunc exiſtenti ſufficientèr coniectetur, mentem contrahentium fuiſſe, vt ſcriptura, de qua facta eſt mentio in conuentione, non requireretur ad ſubſtantiam contractus, ſed ſolùm ad probationem, maioremque ſecuritatem. Tertiò, an ex ſuppoſitione, quod mens fuerit, quod ſolùm requireretur ſcriptura ad pleniorem probationem, per receſſum campſarij à contractu poſſit eadem Gabella repeti, & reuocari, & an poſſit reuocari, etiam ſi ex mente ipſorum coniectaretur, eandem ſcripturam fuiſſe intentam tanquam de ſubſtantia contractus. Singulos articulos propoſitos breuitèr expendo, & quidem

Reſpondeo primò, per ſolutionem factam per Titium pecuniæ conuentæ acceptatam à Caio, & ſolutionem item Gabellæ factam Gabellario ſufficientèr præſumi, cum de ſcriptura mentio facta eſt in contractu, eam non fuiſſe intentam, vt requiſitam à contrahentibus tanquam complementum contractus, ſed tantum ad probationem eiuſdem. Probatur primò. Non eſt præſumptio, quod contrahentium mens fuerit, quod ſuſpendatur ſubſtantia, & effectus contractus vſque ad completionem ſcripturæ, quandò effectus ponuntur in eſſe, vtroque conſentiente antecedentèr ad illam, ergo poſitis eiſdem effectibus, ſeu ſolutione præſumendum eſt, contrahentes non voluiſſe ſcripturam ad conſummationem contractus, ſed tantum ad probationem. Antecedens probatur, quià ordo rerum poſtulat, vt prius ponantur, quæ requiruntur ad conſtitutionem cauſæ, quam quod ponantur effectus ad ipſam conſequentes, & licet ex alibi dicendis per pecuniam antecedentem poſſit debitum ſubſequens tolli, regularitèr tamèn, cum non fiant huiuſmodi ſolutiones antecedentèr, non eſt præſumendum, quod fiant ad illum effectum, niſi exprimatur. 2

Poſito effectu in eſſe non eſt præſumptio ſuſpēſionis vſque ad poſitionem ſcripturæ.

Probatur ſecundò, quià in ijs contractibus, in quibus ſcriptura de ſui natura non requiritur, ſed dumtaxat ex voluntate contrahentium, ſi non fiat expreſſio, quod requiratur, vel tanquam ſubſtantia contractus, vel tanquam probatio eiuſdem, & ea adhuc

Digitized by Google

adhuc non poſita adimpleantur ea, quæ ex contractu proueniunt, ſemper præſumendum eſt, quod fuerit requiſita ad probationem dumtaxat, ergo &c. Antecedens probatur, quia conditiones, quæ ſunt præter naturam contractus, & habere poſſunt diuerſam interpretationem ſemper accipiendæ ſunt, vt minus reſtringentes naturam contractus, niſi alitèr conſtet de mente contrahentium, quandòquidem, quãtum fieri poteſt, debet ſaluari natura contractus, & in dubio ſemper præſumendum eſt in fauorem eiuſdem contractus, ſed minus reſtringitur per hoc, quod conditio ſcripturæ ſit appoſita ad probationem, non ad ſubſtantiam, ergo &c. Maior probatur paritate, nam ſi aliquæ leges de nouo condantur quoad aliquem contractum ſecundum ſui naturam ſubſiſtentem independentèr ab illis, & diuerſam accipiant interpretationem, interpretandæ ſunt, ne officiant contractui, præcipuè, ſi ſint leges ſingulares, cum vtpotè recedentes à iure communi ſint reſtrictiuè ſumendæ *l. ius ſingulare §. quod verò contrà ff. de legibus cap. cum dilectus de conſuetud. & cap. 2. de filijs præsbit. in 6., Baldus in l. non ſine C. de bon. quæ lib., Abbas conſ. 1. col. 2. vol. 1. & conſ. 117. col. 2. vol. 2.* ergo etiam conuentiones, quæ habent rationem legis particularis, cum per ipſas contrahentes ſibi legem conſtituant *l. ea lege C. de condit. ob cau. dat. l. 1. C. commod. & ff. depoſ. l. 1. §. ſi conuenit, & facit ff. locat. l. ſi domum, & l. ſi quis fundum ff. de contrab. empt.* ſunt reſtrictiue ſumendæ, quatenus minus officiant, ac par ſit naturæ eiuſdem contractus.

Condi-tiones ſẽper intelligendæ ſunt, vt minus reſtrictiuæ contractus.

Dixi, *niſi alitèr conſtet de mente contrahentium*, quod certè non conſtat in data hypotheſi, quandòquidem, cum Titius in adimplementum conuentorum ſoluerit, & Caius acceptarit ſolutionem, præſumuntur voluiſſe, quod contractus vim haberet per mutuos conſenſus præſtitos, in quorum executionem ſoluunt, & accipiunt, non per ſcripturam, cum antecedentèr ad illam adimplerint, quæ ſunt adimplenda, nec vllus præſumitur ſoluere, antequam obligetur ad ſoluendum; Neque obſtat, ſi dicatur, quod vnus tantum adimpleuerit per ſolutionem pecuniæ conuentæ, non alter, qui literas non dedit, quas ex conuentione dare tenebatur; non obſtat, inquam, nam ex eo, quod hic alter acceptarit pecuniam ſibi traditam in executionem conuentorum, videtur firmaſſe contractum iam conſtitutum, adeòque poſſe obligari ad perficiendum ex ſui parte per dationem earundem literarum.

Nullus pręſumitur ſoluere, antequam obligetur ad ſoluendum.

Probatur tertiò, quia, ſi fuerit initus contractus emptionis, & venditionis facta mentione in celebratione eiuſdem de ſcriptura conficienda, & antecedentèr ad ipſam fuerit deuentum ad traditionem mercis, & pretij, ſufficiens coniectura eſt eadem traditio mercis, & pretij, quod ſcriptura fuerit per contrahentes requiſita dumtaxat ad probationem, non ad conſummationem contractus *Molina d. diſp. 397. verſ. ſicut. quando. Gregorius Lopez in cap. relatum 1. de teſt. num. 8. Laſarte de doc. vend. cap. 3. num. 14.* ergo etiam ſi cambium fuerit initum mentione facta de ſcriptura, & antecedentèr ad ipſam fuerit ad ſolutionem deuentum, rationabilis erit coniectura eadem ſolutio, quod ſcriptura fuerit dumtaxat requiſita ad probationem; neque ſubſiſtit diſparitas, quam aliqui aſſignant, conſiſtens in eo, quod emptio, & venditio ſolo conſenſu perficiatur, non ſic cambium; non, inquam, ſubſiſtit, quandòquidem, præter quam quod etiam cambium per mutuum conſenſum exhibitum obligat, poſita tamèn traditione ex altera ſaltem parte, nullus eſt, qui denegat obligare, & cum ponatur ipſa traditio antecedentèr ad ſcripturam, ſupponitur, vt completiua contractus independentèr ab eadem ſcriptura, vnde, ſicuti præſumitur in hypotheſi emptionis, & venditionis, quod ipſa traditio excludat præſumptionem, quod ſcriptura requiratur pro ſubſtantia contractus, ità & præſumendum eſt in ſuppoſitione cambij, quod ſolutio excludat quamcunque præſumptionem, quod ſcriptura ad eundem effectum requiratur, nempè ad ſubſtantiam, ſed ad ſummum ad probationem; nec officit, quod emptio, & venditio ſolo conſenſu perficiatur, non ſic cambium; non officit, inquam, quià, quamuis cambium perficeretur traditione, quià tamèn ex partium conuentione exigeret ſcripturam ad obligandum, non prius ponenda eſſet traditio, ac eſſet poſita ſcriptura; cum igitur ponatur antecedentèr ad ipſam non illegitimè poteſt præſumi, quod ſcriptura non fuerit intenta, vt fundamentum talis ſolutionis, ſed vt quid conſequens ad probandum ipſum contractum.

Traditio excludit quãcunque præſumptionem.

Dices, in hypotheſi de emptione, & ven-

venditione ſuppoſita traditione iuſtè præſumi ſcripturam requiri tantum ad probationem, quià traditio ſecuta eſt ex vtraque parte, non præſumi autem in contractu cambij, de quo loquimur, quià traditio tantum poſita eſt ex parte vnius contrahentis, nempè campſoris, non ex parte alterius. Sed contrà, quià ex eo, quod poſita ſit tantum ex parte vnius arguitur ſaltem, quod ex parte illius, qui ſoluit, ſit legitima præſumptio, quod ipſe ſoluerit ex affectu cambij perfectè conſtituti independentèr à ſcriptura, ergo, cum alter acceptarit talem ſolutionem ex vi contractus, præſumitur etiam ſe accomodaſſe rationi, ſecundum quam alter perſoluit, cæteroqui acceptaret, vt debitum, quod debitum non eſſet. Deindè ſuppoſita traditione ex parte vnius acceptata ab altero ius ipſe habet, vt per alterum compleatur, ſiquidem contractus iam eſt veſtitus traditione, per quam qui tradidit ius acquiſiuit ex contractu, & ſic poteſt alterum coarctare, & ad complementum, & ad ſcripturam, ſi ipſa neceſſaria eſt, quod ſatis eſt ad euincendum contractum independentèr à ſcriptura ſubſiſtere in ſuo eſſe, ſiquidem obligat ad eiuſdem confectionem.

Acceptans præſumitur ſe accomodare rationi, ſecundū quam alter ſoluit.

Reſpondeo ſecundò, ex ſolutione Gabellæ facta gabellario in hypotheſi præcedentis reſponſionis ſufficientèr coniectari non fuiſſe intentam per contrahentes ſcripturam ad conſummationem contractus, ſed tantum ad probationem. Ratio eſt, quia nullus ità inſanæ mentis præſumendus eſt, vt velit ſoluere ex titulo, ex quo non præſumat ſe obligari, & ſolutum difficilè poſſet repetere, ſi ex tali titulo non deberetur, ergo, cum ſoluat, præſumptio vehemens eſt, quod ſoluat intendens obligari præcisè ex contractu independentèr à ſcriptura, adeoque, quod ſcriptura ſit tantum neceſſaria ad probationem. Quod, ſi dicas, quod, cum ſubſtantia contractus non dependeat ſolum ab intentione ſoluentis, ſed etiam alterius, cum quo contrahit, parum referre poſſit ad intentum, quod alter ſoluerit, qui proindè debet ſibi imputare, quod ſoluerit, cum non deberet; ſtatim impugnaberis, quià, cum potiſſimum ad ipſum ſoluentem pertinere videatur, quod conficiatur ſcriptura, cum ad ipſius maiorem ſecuritatem exigatur, non alterius, qui ex illa acceptione conſtituitur debitor, videtur optimè, quantum ad validam præſumptionem, concludi, (quod ſi ipſe non obſtante nō confectione ſcripturæ arbitratur, ſeu præſumitur arbitrari, quod ſcriptura ſit tantum ad probationem, cum antecedentèr ad ipſam gabellam perſoluerit, quam certè non perſoluiſſet, ſi voluiſſet ſcripturam eſſe de ſubſtantia) non debeat alter ſub motiuo ſcripturæ non confectæ à contractu recedere, ne quod vnius fauore introductum eſt in eiuſdem læſionem retorqueatur *l. quod fauore C. de legibus l. generalitèr C. de ſecundis nuptijs l. nemo C. de procurat.* Deindè militant omnia argumenta, quæ pro præcedenti reſponſione adducta ſunt.

Quod in vnius fauorē inductū eſt non debet in ipſius læſionem retorqueri.

Reſpondeo tertiò. Ex ſuppoſitione, quod ſcriptura, vel realitèr, vel rationabilitèr præſumptiuè fuerit requiſita ad pleniorem dumtaxat probationem, & debitor velit recedere, non poteſt creditor, qui gabellam ſoluit à Gabellarijs repetere, ſed tantum agere debet contrà debitorem; ex ſuppoſitione verò, quod fuerit requiſita tanquam complementum contractus recedente debitore poteſt creditor ipſam Gabellam reuocare. Ità ſentire videtur *Molina tract. 2. diſp. 337. & diſp. 397.* iuxtà mentem Gomeſij, & aliorum, quos ibi citat. Ratio primæ partis eſt, quià in illo primo caſu Gabella ex valido, & ſecundum ſe licito contractu perſoluta eſt, ac ad exigendum talem ſolutionem concurrunt ea omnia, quæ à iure intenduntur, & præſcribuntur, & contrahentes requirentes ſcripturā, cum illam non requirant ad ſubſtantiam contractus, non poſſunt obeſſe eidem iuri, quod ex quocunque contractu valido, & per traditionem completo poteſt exigere gabellam, ergo, cum nihil obſit, quominus eadem Gabella ſecundum iuris diſpoſitionem fuerit exacta, & perſoluta, non erit, cur poſſit repeti, & reuocari.

Ex quocunque cōtractu valido, & completo oritur ius gabellæ.

Ratio ſecundæ partis eſt, quià, quandò requiritur ſcriptura tanquam complementum contractus, & ex partium conuentione tanquam de ſubſtantia ipſius, tunc antè ſcripturam integrè confectam non cenſetur perfectus contractus, quinimmò liberum eſt cuicunque ex contrahentibus à contractu recedere *Inſtit. de empt. & vendit. §. primo l. Contractus C. de fid. inſtrum. l. 2. ff. de contrab. empt. Molina tract. 2. diſp. 337. verſ. quæ dicta ſunt. Laſſarte cap. 17. num. 47.* ſed gabella non debetur per ea, quæ ſuperius diximus, niſi quandò contractus integrè perfectus eſt, ergo antè confectam ſcripturam in data hypotheſi non debetur,

Ex parte contrahentium nō completur cōtractus.

Digitized by Google

betur, ergo, ſi ſit ſoluta, poterit iuſtè repeti, ſi per receſſum ex altera parte antè confectionem ſcripturæ contractus diſſoluatur. Hæc vltima conſequentia probatur, quià ſolutum, quod de iure ſoluendum non erat, niſi poſt adimpletam conditionem, ea non adimpleta poteſt reuocari, ſiquidem debitum non erat, &, ſicuti non tenetur ſoluere, quod non eſt debitum, ità poteſt reuocare ſolutum, ſi illud non erat debitum.

Poteſt non ſolui, quod non eſt debitum, & reuocari ſolutum indebitum.

Dices primò, quod, quamuis non eſſet poſita ſcriptura requiſita ex partium conuentione, ſint tamèn poſita ea omnia, quæ ex diſpoſitione iuris requiruntur ad exigendam gabellam; iura enim dumtaxat exigunt, quod facta fuerit conuentio per mutuum conſenſum cum traditione, cæteroqui, ſi alia ex præciſa eorundem contrahentium voluntate requirerentur ad hoc onus obeundum, poſſent ſemper ad libitum plures, & longè plures conditiones apponere, & ſic eadem iura eludere. Sed contrà, quià, cum iura imponentia onus vectigalium ſint odioſa, non habere poſſunt vim, niſi quando contractus eſt integrè perfectus; nec extenduntur ad contractum in ſubſtantia non ſubſiſtentem, ſiuè non ſubſiſtat ex defectu iuris, ſiuè ex voluntate contrahentium; onera enim impoſita pro contractu non debent extendi ad non contractum, quinimmò nec extenduntur ad contractum, niſi quandò integrè perfectus eſt per ea, quæ ſupra dicebamus. Cum igitur in data hypotheſi contractus non ſubſiſtat ante conditionem adimpletam ſcripturæ, non niſi ea adimpleta obligat, & ſine illa non obligat, adeòque ſine illa onera impoſita vim habere non poſſunt. Ad illud, quod in inſtantia ſubditur dicendum eſt, quod contrahentes apponentes conditiones, quæ reſpiciunt propriam vtilitatem, vtantur iure ſuo, & ſi illæ ſuſpendant contractum, ſuſpendunt etiam onera, quæ ad eundem pertinent, donec perficiatur. Cauendum tamen eſt, ne huiuſmodi conditiones apponantur in fraudem legis, &, ad eludendum ius Fiſci, quatenus dicantur apponi ad ſuſpendendum contractum, & nihilominus ijs adhuc non poſitis fiunt ea omnia, quæ ex contractu conſequuntur, & poſteà non habeatur cura de implemento huiuſmodi conuentionũ, vt poſſit impediri exactio onerum per aſſertionem, quod conditiones requiſitæ ad validitatem contractus non fuerint adimpletæ. Debent igitur apponi tanquam re vera ſuſpendentes, ita vt de facto ſuſpendant, & ſi fuerit ſoluta gabella antè illas ad eaſdem repetendas debet probari, quod contractus fuerit reſolutus ob non implementum ipſarum.

Iura non habent vim, niſi, quandò contractus eſt perfectus

Cauendum eſt ne conditiones apponãtur in fraudem Fiſci.

Dices ſecundò, cum dominia rerum per traditiones transferantur, ex eo, quod Gabella fuerit tradita, argui, quod non poſſit reuocari, ſiquidem nemo priuandus eſt iure, quod legitimè acquiſiuit. Sed contrà, quià traditio non transfert dominium, niſi fuerit cum iuſto titulo, hoc eſt cum iure in acquirente, & onere in tradente; cum igitur Gabellarij non habeant ius ad habendas, ſeu exigendas gabellas, niſi pro contractibus in tali genere, nec contrahentes onus illas perſoluendi, niſi quandò ijdem contractus perficiuntur, hinc eſt, quod per illam traditionem non fuerit legitimè per acceptantem acquiſitum dominium &c.

Traditio non trãsfert dominium, niſi fuerit cum iuſto titulo.

§. XVII.

An liceat deponere pecunias ad negotiationem cambiorum, cum certo lucro ſine periculo ſortis.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis. 1.

Aſſignatur titulus cohoneſtandi huiuſmodi conuentiones. 2.

Diſcrimen inter ſocietatem ex negotiatione cambiorum, & ſocietatem in alijs rebus reſpectu ſortis. 3.

Talis negotiatio ſuper cambijs ſuſtineri poteſt concurrentibus illis tribus contractibus. 4.

Satisfit argumentis, quæ in oppoſitum afferuntur. 5.

Diſquiſitio XVII. Vigebat, & hactenus viget in aliquibus foris, 1
ſeu regionibus hæc conſuetudo, vt aliqui reponant pecunias ſuas apud mercatores non quidem ad cambium, ſed ad negotiandum ſuper cambijs, quatenus ijdem mercatores eadem pecunia, ſeu pecunijs vtantur ad conſtituenda cambia, non quidem nomine deponentium, ſed proprio. In tali depoſitione hæc pacta adijciuntur, vt certum debeat eſſe capitale, & pericula, ſi quæ fuerint, debeant pertinere ad

Digitized by Google

ad ipſos mercatores depoſitarios, & vt ipſi depoſitarij debeant quot annis, vſquequo pecuniæ apud ſe depoſitæ reſtituantur, ſoluere determinatum aliquod lucrum, puta quinque, vel ſex pro ſingulo centenario. Quæritur, an hic modus negotiandi ſuper cambijs reſpectu deponentium licitus ſit, an vſurarius. Commendat hunc modum *Nauarrus præcipuè in man. Confeſ. cap. 17. num. 255. & in comment. de vſuris num. 32.* Reprobat verò *Sotus de iuſtitia, & iure lib. 9. quæſt. 6. art. 1.* Vix videtur apud nos poſſe eſſe difficultas ſuppoſitis ijs, quæ tradidimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 8. per totum*, quæ ibi recole. Quia tamen videtur ſpecialis aliqua ratio in ſocietate ad negotiationes cambiorum, ac in ſocietate ad alias negotiationes, ideò non fruſtraneè hæc quæſtio hic apponitur ex profeſſo diſcutienda. Pro qua

2 Aduerte, titulum cohoneſtandi huiuſmodi conuentionem, de qua nos loquimur, alium eſſe non poſſe à triplici illo contractu, de quo aſſeruimus *eodem tom. primo loco mox allegato*, quatenus ſcilicet ipſi deponentes ſaltem implicitè conferant illam pecuniam titulo ſocietatis, vt in cambijs negotietur, & deindè, vel ſimul implicitè etiam fiat noua conuentio, vi cuius ipſi mercatores depoſitarij aſſumant in ſe pericula pecuniæ per deponentes collatæ, & in mercedem talis oneris aſſumpti aliquid diminuatur de iuſto pretio, quod veriſimilitèr poterat ſperari ex cambijs, ad quæ deponentes inierant ſocietatem, & tandem fiat implicitè venditio illius lucri veriſimilitèr ſperati (detracto illo maiori lucro propter aſſecurationem) quod ſecundum ſe incertum eſt pro aliquo minori lucro certo, quod ſit v.g. quinque, vel ſex pro ſingulo centenario. Excepto hoc contrahendi modo per triplicem hunc contractum vix video, quo alio titulo poſſet illa conuentio cohoneſtari quoad illud lucrum quinque, vel ſex pro centenario; tranſiret enim in mutuum palliatum, & illud lucrum ex ſola temporis dilatione exigeretur, quod non eſt dicendum.

Iuſtus titulus non poteſt eſſe, niſi triplex cõtractus

3 Aduerte ſecundò. Magnum intercedere diſcrimen inter ſocietatem contractam ſuper negotiatione cambiorũ, & eam, quæ contrahitur ſuper alijs rebus reſpectu ſortis, ſeu capitalis. Ratio diſcriminis in eo conſiſtit, quod in ſocietatibus aliarum rerum res, quæ exponitur in dicta negotiatione, ſubiacet periculo conſumptionis, & perditionis, à quo periculo regularitèr immunis eſt ſocietas, quæ ſuper cambijs contrahitur, quandoquidem, cum huiuſmodi cambia contrahantur, & conſummentur non per realem tranſportationem, ſed per virtualem per literas ſcilicet, non ità obnoxia ſunt periculis, ſicuti aliæ negotiationes, quæ, cum fiant per realem tranſportationẽ, vel per expoſitionem mercium, ſubiacent, vel conſumptioni, vel perditioni. Verum tamen eſt, quod, quamuis cambia non ità ſint obnoxia periculis, ſicut aliæ negotiationes, ſuo tamen quandoque periculo non careant, licet non ità ordinario, & frequenti, vt cum illi, quibus dantur pecuniæ, vel ipſi etiam mercatores, apud quos pecuniæ deponuntur, vergant in decoctionem; vndè ex hoc capite non videtur poſſe contrahi contractus aſſecurationis in ſocietate ſuper negotiatione cambiorum, nam, cum pericula poſſint eſſe dumtaxat, vel penes ipſum depoſitarium, vel penes eos, quibus ipſe ad cambia pecuniam concedit, non videtur ipſe depoſitarius aſſumpto pretio pro illis poſſe eadem pericula in ſe aſſumere, quandoquidem regularitèr ad illa tenetur; ſi enim ipſe vergat in decoctionem, adhuc tamen remanet obligatus, & nomen retinet debitoris, ſi verò alijs minus idoneis præſtat, adhuc tenetur, cum teneatur etiam de culpa leui *Baldus in l. qui fortuitis num. 22. C. de pignor. act. Petrus de Vbaldis de duobus fratribus part. 3. nu. 1. col. 2. verſ. ſi autem culpa*, quæ certè interuenire præſumitur, quandò potens eligere facultatibus magis idoneum, elegerit deteriorem, textus *in l. qui Cena §. cum inter ff. damn. infect.*, *Baldus l. vltima §. ſed quià col. vltima C. commun. de leg.*, *Decius in l. ſi idem cum eodem §. ſi vna num. 5. ff. de iuriſd. om. iud.*, *Alexander conſ. 41. num. 5. in fin. lib. 3.*, *Cranetus conſ. 97. num. 4.*, quandoquidem non facit, quod prudens, & diligens facturus fuiſſet *l. videamus, & ibi Gloſa ff. locati*, nec præuidet, nec prouidet, quod diligens præuiſurus, & prouiſurus fuiſſet *l. ſi putatur 31. ff. ad leg. Aquil. Baldus l. quæ fortuitis num. 12. C. de pignor. act.*, & ſic circumſcripto etiam quocunque pacto, vel aſſumptione periculi vltrà contractum videtur ad onera eorundem periculorum obligari. Quidquid tamen ſit de ijs.

Societas in negotiatione cambiorum vix ſubiacet periculo ſortis.

Reſpondeo, talem negotiationem ſuper cambijs tanquam licitam poſſe ſuſtineri ſuppoſitis illis tribus contrac- 4

tibus, cum omnibus conditionibus, & reſtrictionibus, quas neceſſarias aſſeruimus *d. tom.* 1. *ſub tit. Contractus III. Diſquiſ.* 6. §. 8. Ea, quæ ibi dicta ſunt, maximè conferunt ad præſentem ſtatum, quæ propterea ibi recole, non enim hic vacat, repetere. Pro vberiori tamen firmitate reſponſionis placet nonnulla argumenta diſſoluere, quæ vel ad præſens inſtitutum ſpecialitèr pertinent, vel ibi fuerunt omiſſa.

5 Arguunt igitur primò ex Conſtitut. Sixti V. Summi Pontificis incip. *Deteſtabilis* edita die 25. Octobris 1586. damnantis conuentiones de aſſecuratione in quibuſcunque contractibus ſocietatis, cuius hæc ſunt verba. *Damnamus, & reprobamus omnes, & quoſcunque contractus, conuentiones, & pactiones poſt hac ineundos, ſeu ineundas, per quos, ſeu quas cauebitur perſonis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res ſocietatis nomine tradentibus, vt etiam ſi fortuito caſu quamlibet iacturam, damnum, aut amiſſionem ſequi contingat, ſors ipſa, ſeu capitale ſemper ſaluum ſit, & integrum à ſocio recipiente reſtituatur, ſiuè vt de certa quantitate, vel ſumma in ſingulos annos, aut menſes durante ſocietate reſpondeatur. Statuimuſque huiuſmodi contractus, conuentiones, & pactiones vſurarias, & illicitas poſthac cenſeri debere, atque impoſterum non licere ijs, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in ſocietatem tradent, de certo lucro, vt præfertur, percipiendo inter ſe paciſci, aut concordare, neque etiam ſiuè ad certum, ſiuè ad incertum lucrum conuenerint ſocios, qui ea recipient ad ſortem, ſeu capitale ſaluum, & integrum, vbi illud caſu fortuito perierit, vel amiſſum erit reddendum quouis pacto, aut promiſſione ſibi obligare. Ac ne de cætero ſocietates ineantur ſub huiuſmodi pactis, & conditionibus, quæ vſurariam prauitatem ſapiunt, diſtrictè interdicimus, & probibemus.*

Exponitur mens Sixti V.

Reſpondet *Graffius deciſ. lib.* 2. *cap.* 120. *num.* 39. Pontificem in dicta Conſtit. locutum dumtaxat fuiſſe de pactis iniuſtis, & legibus contrarijs, & *Azorius part.* 3. *lib.* 9. *cap.* 3. *verſ. in hac* teſtatur, ſe audiuiſſe Romæ à perſonis fide dignis Pontificem eundem viuæ vocis oraculo ſe declaraſſe mentem ſuam non fuiſſe, contractus à doctis viris approbatos damnare. Sed facilè eliditur hęc reſponſio, ſi aſſeratur Pontificem pacta, de quibus loquimur, iniuſta declaraſſe, adeoque &c. nec de illa Pontificis declaratione facta viuæ vocis oraculo, prout refert Azorius, ſatis conſtat.

Congruentius reſpondere videtur *Leſſius de iuſt., & iu. lib.* 2. *cap.* 25. *dub.* 3. aſſerens, Pontificem ibi loqui dumtaxat, quandò ex vi contractus ſocietatis præcisè exigitur aſſecuratio, quod certè iniquum, & damnabile eſt, prout latè nos tradidimus *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mut., & vſuris Diſquiſ.* 6. §. 8. *ſub num.* 8. *verſ. probatur iam ſecunda pars primo*; induceretur enim aliquod onus ex vi contractus, quod eſſet ſuprà naturam, & exigentiam eiuſdem contractus, adeoque inæqualitas aduerſans iuſtitiæ commutatiuæ. In hypotheſi autem, de qua hic eſt ſermo, aſſecuratio non eſſet ex vi contractus ſocietatis, quamuis cum eadem connecteretur ex arbitrio contrahentium, ſed ex vi alterius contractus, ad quem tamen aſſecurans non obligatur ciuilitèr ex vi eiuſdem præcedentis ſocietatis, ſed ex arbitrio illum init. Recole, quæ ibi dicta ſunt, & præcipuè *verſ. probatur ſecundò ead. ſecunda pars*. Subdit idem *Leſſius loco cit.*, quod, cum non obſtante dicta conſtitutione in Italia maximè vigeat huiuſmodi praxis, & vſus ſic contrahendi, optimè arguatur, vel dictam conſtitutionem nunquam fuiſſe receptam, vel eo non collimaſſe Pontificem, vt impeteret hunc vſum contrahendi, ſed quid aliud, quod eſt conforme ijs, quæ refert *Azorius loc. cit.* a fide dignis relata quoad declarationem viuæ vocis oraculo factam per eundem Pontificem, cuius non leue eſt fundamentum, quod multi Doctores poſt eandem cõſtitutionem ſcripſerint non improbantes talem formulam contrahendi. Sed, quidquid ſit de ijs, quæ aſſerit Leſſius, & alij quoad hanc Pontificiam Conſtitutionem, ad Sacroſanctam Romanam Sedem pro declaratione recurrendum eſt, cum ad eandem Conſtitutiones Pontificias interpretari, & declarare pertineat, eiuſq; ſenſui infallibili ſtandum quacunque exceptione remota, iuxtà cuius propterea declarationem volo mea tùm ſcripta, tùm ſcribenda intelligenda eſſe, &, ſi quid diſſonum contineant, ex nunc pro tunc reprobo, & reuoco, vtpotè nec iuribus conſentanea, nec infallibili regulæ, quæ apud Sacroſanctam Sedem reſidet, conformia. Quia tamen ex claſſicorum Doctorum placito hæc contrahendi formula ſub præfata Conſtitutione non cadit, & ex aliorum relatu, quandò etiam comprehenderetur, non fuit conſtitutio moribus vtentium approbata, ideò non approbando hanc formulam, ſi fuerit

Loquitur Pontifex quandò exigitur aſſecuratio ex vi præcisè ſocietatis

Recurrendum ad Romanam Sedem pro declaratione.

Digitized by Google

fuerit per eundem Pontificem reprobata, ſed procedendo in ſuppoſitione, quod non fuerit reprobata, alia argumenta, quæ contrà eandem poſſent efformari, diſſoluo.

Arguunt ſecundò. Tertius contractus, qui interuenit in hac formula contrahendi, pro quo lucrum incertum pro certo venditur, non poteſt ſubſiſtere in ratione emptionis, & venditionis, ergo non eſt, cur poſſit exigi illud determinatum, & certum lucrum. Antecedens probatur, quia ſine pretio emptio nequit conſiſtere *l. pacta conuental. in venditionibus ff. de contrah. empt. §. pretium Inſtit. eod. tit.*, quod quidem pretium debet neceſſario eſſe in pecunia numerata *l. 1. ff. de contrahenda empt.* nec res æſtimata adimplere poteſt vices pretij *Aries Pinellus in rub. C. de reſcind. vend. in ſecunda part. cap. 1. nu. 6.* ergo &c. Sed contra primò, quià nulli eſt dubium, quin res vendi poſſit expectato pretio, & immediatè non facta rei traditione, cum contractus emptionis ex ſuperius allegatis ſolo conſenſu perficiatur, & conſtituatur. Quid ergo vetat, quin pretio poſteà maturando ius aliquod incertum poſſit diſſolui? neque citata iura quid aliud euincunt, niſi quod ſine numerata pecunia non ſit propriè, & rigoroſè emptio, & venditio; cæterum quoad effectum non tollunt, quin æquiualentèr haberi poſſit per ceſſionem alicuius iuris, quod ſubſtituatur loco pecuniæ numeratæ, ſeu numerandæ; Deinde eſto, quod non ſit propriè emptio, & venditio, quoad intentum tamen cohoneſtandi contractum ſufficit, quod ſit permutatio illius iuris ad incertum maius cum alio iure ad certum licet minus, vel contractus innominatus *do, vt des*.

Sine pretio nequit emptio conſiſtere.

Poteſt eſſe permutatio iuris certi ad incertum maius.

Arguunt tertiò, videri manifeſtè aduerſari illud lucrum certum menti Sixti V. expreſsè illud prohibentis, & Pij V. damnantis in cambijs quamcunque conuentionem de certo intereſſe. Sed contrà, quià videtur, quod Sixtus V. non alloquatur in terminis, de quibus loquimur, ex vi alterius contractus, ſed dumtaxat ex vi contractus eiuſdem ſocietatis. Pius verò V. loquitur dumtaxat in terminis cambij; hic autem illud lucrum acquireretur non ex cambio, ſed ex ſimplici permutatione, adeoque &c.

Pius V. loquitur tantù in terminis cambij.

§. XVIII.

An Mercator, qui pro alio tanquam fideiuſſor ſoluit, ſine notificatione poſſit à principali debitore exigere damna, & intereſſe, & loco illorum cambia.

SVMMARIVM.

Proponitur difficultas in ſuis terminis. 1.
Neceſſaria fuit certioratio, & interpellatio, vt principalis debitor teneatur ad cambiorum intereſſe. 2.

Diſquiſitio XVIII. Titius ſolitus negotiari fideiuſſit pro Caio pro 1
determinata ſumma per ipſum debita Seio. Caio ipſo tempore conuento non ſoluente mandatum à Iudice relaxatum fuit tàm contrà eundem Caium, quàm contra Titium, qui pro tali ſumma, vt principalis ſe obligauerat pro eodem Caio. Idem Titius metu dicti mandati ſortem, & fructus habita iurium ceſſione ſoluit, & ſummam poſtmodum ſimilem, vt ſibi ſatisfaceret, ad cambium accepit, & in ſuis libris dictum Caium debitorem creauit, & ſuper cambijs tenuit. Tandem Caius in pluribus, & diuerſis partitis ſoluit ſummam pro ſe ſolutam eidem Titio, ſed non intereſſe cambiorum, quæ acceperat idem Titius, vt ſibi ſatisfaceret. Orta fuit controuerſia, an teneretur idem Caius ad intereſſe dictorũ cambiorum, etiam ſi Titius non certiorauerit, & interpellarit Caium de acceptione eorundem cambiorum, & delata re ad Iudices ſic

Reſponderunt, neceſſariam fuiſſe 2
certiorationem, & interpellationem ad hoc, vt principalis debitor teneretur ad eorundem cambiorum intereſſe, quibus non incongrua ratione adhæreo. Ratio eſt, quià ſinè mora intereſſe non debetur textus *in l. quod te l. lecta ff. ſi cert. pet., Gloſ. in cap. conqueſtus de vſuris, Gabriel. de ſolut. lib. 10., Nauarrus in compend. de vſuris num. 46.*, ſed mora abſque ſcientia, & interpellatione non committitur *l. mora de vſuris l. Titia §. ſi vſuras ff. de leg. 2., Paulus de Caſtro in l. ſi duo §. hac autem verbis ff. de conſtit. pecun., Doctores in d. l. quod te ff. ſi cert. pet.*, quandoquidem mora non militat, nec vim habet, niſi aduerſus eum, qui eſt in dolo ſaltem præſumpto *Alexander in l. ſi mora ff. ſolut. matrim.*,

Al-

Digitized by Google

Altiatus conſ. 104. tom. 3. lib. 8. l. final. §. idem iuris erit ad l. Rod. de iactu. Neque obſtant ea, quæ diximus ſupra, notificationem non eſſe neceſſariam in mercatore, quandò debitor eſt moroſus, ſiquidem dies ſolutionis interpellat pro ipſa ſolutione, & debitor ipſe iuſtè potuit præſumere, & rationabilitèr ſcire, quod propter dilatam ſolutionem ipſe mercator eſſet accepturus; Non obſtant, inquam, quià diſpar eſt ratio de creditore ob moroſam debitoris ſolutionem, ac de fideiuſſore in ordine ad eundem debitorem, ſiquidem in primo caſu præſumi non poſſe videtur ignorantia, cum ſciat ſe obligatum eſſe pro tali tempore, & dies ipſa interpellet ſcientem pro ſolutione *Innocentius in cap. 1. de vſuris Addict. poſt Rom. conſ. 94., & 101., Rolandus conſ. 35. nu. 2. lib. 1.*, in ſecundo autem, cum Caius ad aliquid non teneatur verſus Titiũ, niſi in caſu ſolutionis iuſtè poteſt prætendere ignorantiam talis ſolutionis, adeoque non obligari antè interpellationem, præcipuè cum interpellatus principalis debitor ſe paratum ſoluere immediatè exhibere potuiſſet *Cor. conſ. 206. nu. 7. lib. 2.* vbi ponderat *d. l. quod te ff. ſi cert. pet.*

Ratio ſecunda eſſe poteſt, quià iniquum omninò videtur pro eodem tempore ſimul obligari, & in mora conſtitui *Bartolus in l. eum qui §. ſi iuramento num. 3., & ibi Caſtrenſis de iure iurando, Cagnolus in l. 2. quaſt. 41. num. 160. C. de pactis inter empt., & vendit., Decius conſ. 2. num. 5. verſ. nam quandò*, ſed principalis debitor obligatur præcisè verſus fideiuſſorem, quandò hic pro illo ſoluit *Angelus in l. fideiuſſor pro venditore de fideiuſſ.*, ergo non conſtituitur in mora pro illo tempore, quo fideiuſſor ſoluit, ſed tantum pro tempore, pro quo ab eodem interpellatur.

Semper requiritur interpellatio principalis debitoris.

Dices, fideiuſſor ob dilationem principalis debitoris in ſoluendo poteſt pecunias ſub vſuris accipere, & creditori ſatisfacere, ad quas poſtea perſoluendas debitor tenetur *l. ſi verò non rem vetari §. mihi l. ſi mandatum §. ſi fideiuſſor ff. mandati*, ergo etiam ipſe fideiuſſor, qui ſoluit, & ad ſibi ſatisfaciendum accepit pecuniam ad cambium poterit obligare principalem debitorem ad intereſſe eiuſdem cambij. Sed contra, quià antecedens etiam verum non eſt, nec ſuffragari poteſt ipſi fideiuſſori, niſi quatenus prius interpellauerit principalem debitorem, an velit ſoluere, & ſic inſtantia non facit ad rem præſentem.

§. XIX.

An taxatio certi intereſſe in cambio facta ab initio poſſit ſuſtineri per probationem poſtea ſubſequentem.

SVMMARIVM.

Senſus difficultatis in ſuis terminis expreſſus. 1.

Ratio dubitandi. 2.

Taxatio determinati intereſſe in cambijs, ſi ſit iuxtà veriſimilem actionem non vitiat contractum, ſed vitiatur. 3.

Per ſubſequentes probationes legitimè concludentes ſuppoſita illa taxatione non quidem vim habente ſecundum ſe ad obligandum, ſed tantum indicante conuentionem de compenſatione lucri ceſſantis, vel damni emergentis conſurgit ius in creditore ad exigendam illam ſummam, non quià ità taxata eſt, ſed quià reſultat ex facto, quod ità ceſſarit. 4.

DIſquiſitio XIX. Facta fuit conuentio de cambio ineundo inter Titium primò ſoluentem hic Mediolani, & Califronium recipientem cum onere reſpectu iſtius de reſtituendo receptum Romæ, ſed quià Titius ſoluens promptas habebat occaſiones ad lucrandum, vel timebat de proximo periculo damnorum ſibi imminentium in ſolutione talis pecuniæ facta Califronio conuenit cum eodem de determinato intereſſe pro lucro ceſſante, vel damno emergente iuxtà veriſimilitudinem talis lucri, vel damni. Perfecta
2 hac conuentione, & poſita ſolutione per Titium orta fuit controuerſia, an talis taxatio iuſtè potuerit ſuſtineri, ſi poſtea concludentèr fuerit probatum tantum interfuiſſe creditori. Ratio dubitandi ex eo potiſſimum conſurgit, quod taxatio certi lucri non eſt, quæ reddat contractum illicitum, ſed dumtaxat exactio *Aymon. conſ. 189. col. pen. ad medium verſ. non negarem tamen num. 8.* &, quamuis taxatio fuerit illicita a principio, ſuſtinetur tamen per probationem poſtea ſubſequentem *Lupus de vſuris §. 6. in fin. verſ. & quod dictum eſt ſupra num. 26. poſt Decium conſ. 111. pro tenui ad fin. verſ. 2. non obſtat num. 14. Nauarrus in man. cap. 17. n. 211. Burſatus conſ. 320. num. 54. lib. 3. Rota Genuenſis deciſ. 9. in fin. num. 32. Cagnolus*

Exactio eſt, quæ reddit contractum illicitum, nõ taxatio.

Digitized by Google

lus in l. 4. num. 51. C. de ſent. quæ pro eo, quod inter.

Conuentionem de tali certo, & determinato intereſſe de iure poſitiuo illicitam eſſe in cambijs clarè liquet ex Conſtit. Pij V. Sanctiſſimi Pontificis ſuprà lata. Ibi. *Statuimus, ne deinceps quis audeat ſiuè à principio, ſiuè alias certum, & determinatum intereſſe etiam in caſu non ſolutionis paciſci*. Difficultas igitur potiſſimum ad hoc ſolùm reducitur, an talis taxatio ità ſit illicita, vt abſolutè vitiet totum contractum, an verò ipſa vtpotè iniurioſa contractui vitietur. Secundò ex ſuppoſitione, quod contractum ſecundum ſe non vitiet, ſed potius vitietur, an per ſubſequentes probationes poſſit cohoneſtari, & quantum ad effectum exactionis poſſit reuiuiſcere, ſuoſque parere effectus, non quatenus poſita in principio conuentionis, ſed vt repullulat ex probationibus.

Reſpondeo primò, taxationem de-
3 terminati intereſſe in cambijs, ſi ſit iuxtà veriſimilem rationem, non vitiare contractum, ſed ipſam vitiari. Conformis eſt ijs, quæ diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de emphyth. & Cenſibus Prænot. 21. ſect. 5. aßert. 4. num. 53.* in terminis Bullæ Pij V. ſuper creatione cenſuum, & ab hac reſponſione recedere non exiſtimo Doctores, quos ibi tunc allegaui.

Probatur primò conditiones, quæ ſecundum ſe non aduerſantur ſubſtantiæ contractus, quæque per ius poſitiuum non præſcribuntur, vt formæ contractus, ſi per idem ius poſitiuum prohibentur, non irritant, ſed irritantur, ſiquidem iure obſiſtente habentur pro non oppoſitis, ſed illa taxatio determinati, & certi intereſſe ſecundum ſe non aduerſatur naturæ contractus, nec præcipitur, vt forma eiuſdem contractus cambialis, ergo ipſa vitiatur, non vitiat. Maior probatur, quià, vbi ſubſtantia contractus non læditur, non eſt, cur ipſe contractus ſecundum ſui ſubſtantiam non debeat conſiſtere, ergo conditiones, quæ non attingunt ſubſtantiam, vtpotè ipſam non lædentes non efficiunt, quin ipſa ſubſiſtat, ergo, cum prohibentur apponi, ſi apponantur, debent haberi pro non appoſitis. Rurſus, quæ non ſunt contrà ſubſtantiam contractus, nec reſiſtunt initio, nec natiuitati eiuſdem contractus *Cagnolus in l. contractus num. 70. ff. de reg. iu. Surdus conſ. 253. nu. 29. lib. 2. Sigiſmundus Scaccia de commert. §. 1. quæſt. 1. part. 2. ampl. 20. num. 13. Rota Romana in vna Romana nullitatis cenſus 5. Maij 1597. coram Corduba*. Minor probatur, quià independentèr à dicta Conſtit. Pij V. contractus, cum taxatione talis determinati intereſſe non erat irritus, vt eſt in confeſſo apud omnes, quinimmò talis taxatio certa à principio in alijs omnibus contractibus in iure ſuſtinetur, ſi commenſuretur ad fructus, ſeu ad intereſſe *l. curabit C. de act. empt. Decius in cap. cum venerabilis col. 7. ante medium verſ. putarem tamèn num. 65. de except. Pariſien. conſ. 60. num. 33. & 35. lib. 1. Surdus deciſ. 159. num. 16.* Rurſus ea, quæ prohibentur fieri non eſſe de forma contractus latè definiuit *Rota Rom. in vna Romana prælationis 2. Aprilis 1618. coram Dunozet*, ſed tantum, quæ præcipiuntur fieri, ergo &c.

Taxatio non aduerſatur naturæ contractus secũdum ſe.

Probatur ſecundò, quià illa taxatio determinati pretij eſt præter, non contrà naturam, & ſubſtantiam contractus, ergo vtpotè quid accidentale adeſſe, ſeu abeſſe poterit præter ipſius contractus deſtructionem, ergo per ipſius appoſitionem non erit, cur deſtruatur contractus, ſed, cum ipſa prohibeatur, perindè erit, ac ſi non eſſet appoſita. Conſequentia probatur, quià quæ inducuntur ad limitandum ius, quod poteſt iuſtè competere naturæ contractus ſecundum ſe, vt potè diſcordantia a iure talis contractus ità interpretanda ſunt, vt limitent quominus poſſit tale ius; minus autem limitatur per hoc, quod ipſa vitientur, ac vitient contractum.

Eſt præter, non contrà naturam contractus.

Dices, cambia, quæ ineuntur cum tali taxatione ad determinatum intereſſe declarantur vſuraria, & fœneratitia. Ibi. *quæ omnia nos vſuraria eſſe declaramus*, ſed contractus, qui ſunt vſurarij, ſunt omninò irriti, ergo per talem taxationem irritantur, non præcisè irritatur ipſa taxatio. Sed contrà primò, quià illa verba *quæ omnia &c.* referuntur ad præcedentia, non ad ſubſequentia, quæ tantummodò præcipiuntur, ne fiant, cæteroqui, ſi Pontifex æquè voluiſſet, & antecedentia, & ſubſequentia eſſe vſuraria, eodem modo expreſſiſſet, quinimmò, cum illa expreſſerit, vt vſuraria, & non hæc, videtur ab vſuræ labe exemiſſe, cum incluſio vnius ſit excluſio alterius ex vulgatis iuribus, & expreſſa noceant, quæ non expreſſa non nocent. Secundò, quià in allegata conſtitutione plura continentur, quæ pertinent ad ſubſtantiam contractus, alia tantum ad qualitates; Dici igi-

Verba referuntur ad præcedẽtia, non ad ſubſequentia.

tur

tur poteſt, quod Pontifex declararit vſuraria, quæ ſunt contrà ſubſtantiam contractus, non quæ ſunt præciſè contrà qualitates eiuſdem.

Reſpondeo ſecundò, per ſubſequentes probationes legitimè concludentes ſuppoſita illa taxatione, non quidem vim habente ſecundum ſe ad obligandum, ſed tantum indicante conuentionem de compenſatione lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis, conſurgere jus in creditore ad exigendam taxatam ſummam, non quià ità taxata eſt, ſed quià talis ſumma reſultat ex facto, quod ceſſarit ex illo cambio, ſeu quià tantum interfuit creditori, quod illam pecuniam dederit ad cambium. Ità licèt ſub diuerſis terminis ſentire videntur *Lupus de vſuris d.§.6. in fin. verſ. & quod dictum eſt ſuprà num.26. Burſatus conſ. 320. num. 54. & 86. lib.3. Plot. in l. ſi quandò num.453. ad medium C. vndè vi. Surdus conſ. 485. numer.6. lib. 4.*

Probatur primò, quià ex ſuperius dictis *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs 1. Prænot. 5. num. 4. aſſert. 1.* cambium non tranſit in ſiccum, ſi paciſcatur de incerto intereſſe ratione talis damni, vel lucri, prout conſtabit ex euentu futuro *Leſſius lib.2. de iuſt. & iu. cap. 23. de Cambijs dub. 11. num. 90. Salas dub. 23. num. 2. Lugus diſput. 28. de Cambijs ſect. 8. num. 108. Rebellus ſecunda part. de oblig. iuſt. lib. 11. de Cambijs quæſt. 13. num. 2.* ergo, neque etiam tranſibit in ſiccum, ſi poſteà reſultante tali intereſſe ex rationibus concludentèr euincentibus exigatur talis ſumma proportionabilis eidem intereſſe, etiam ſi coincidat, cum illa taxata. Conſequentia probatur, quià non plus exigeretur in hypotheſi conſequentiæ, ac exigeretur in ſuppoſitione antecedentis, cum tantum id exigatur in vtroque caſu, quod reſultat ex euentu futuro, nec pactum illud antecedens de lucro certo aliquid confert ad talem exactionem, ſiquidem illa non prouenit ex eodem pacto, ſed ex euentu ſecuto concludentèr probato, ergo, ſi in primo caſu ius conſequitur ad illud exigendum, conſequi etiam dicendum eſt legitimè in ſecundo, quandòquidem illud pactum de determinato ad nihil confert, quià ex diſpoſitione iuris ſupponitur vitiatum, & extinctum.

Dixi, *ſuppoſita illa taxatione non quidem vim habente ſecundum ſe ad obligandum*; nam certum eſt, quod ſicuti ex diſpoſitione iuris illa taxatio in radice infecta eſt, & nullius roboris, ità non poſſit ex ſubſequenti ſecundum ſe vllum parere effectum, nam quod ab initio non valet, tractu temporis non poteſt conualeſcere *l. quod ab initio ff. de reg. iu. l. ſi ſibi decem §. ſi pactus ff. de pactis*, quod autem nec ab initio, nec in proſecutione validum eſt, nullos poteſt parere effectus ſecundum ſe, quià, ſicuti non entis nullæ ſunt paſſiones, ità conuentionis ſecundum ſe nullius nullum poteſt eſſe intereſſe; Quamuis autem non poſſit vim habere ad obligandum, ſufficiens tamen eſt ad indicandum animum concedentis, quod non ceſſerit iuri ſuo ad exigendam compenſationem lucri, ſi quod ceſſarit, vel damni, ſi emerſerit, immò quod intendat poſitiuè illam acquirere, adeòque illo lucro re vera ceſſante, prout euincent concludentes probationes, non erit, cur talis compenſatio ſecundum quantitatem, quæ legitimè probabitur, non poſſit licitè exigi.

Quamuis illa conuentio non habeat vim ad obligandum, habet tamen vim ad indicandum, quod nō ceſſerit iuri ſuo.

Probatur ſecundò, quià taxatio certi intereſſe non reddit contractum illicitum, ſed exactio *Aymon. conſ. 189. col. pen. ad med. verſ. non negarem tamen n. 8.* nec incongrua ſanè ratione, ſiquidem debitor non læditur per ipſam taxationem, ſed dumtaxat per exactionem, ergo, ſi fiat exactio tantum ſecundum rationem, ſecundum quam ex probationibus concludentibus conuincitur intereſſe creditori, quod talem pecuniam dederit ad cambium, non erit, cur contractus ſit reputandus illicitus non conferente tali taxatione ſecundum ſe ad illam exactionem, ſed dumtaxat lucro reuera ceſſante.

Læditur debitor per exactionem, non per conuentionem.

Probatur tertiò. Illa taxatio facta à principio de lucro certo, & determinato prohibita eſt dumtaxat in fauorem debitoris propter periculum fraudis, ne ſcilicet plus grauetur ex anxia cupiditate lucrandi concedentis ſupra id, quod exigit intereſſe eiuſdem concedentis, ſed ſtante adhuc tali taxatione, quandò nil amplius exigitur, quam exigat idem intereſſe ex iuſtificatione à legitima probatione reſultante non plus grauatur, ac exigat idem intereſſe, quinimmò ex tali iuſtificatione ceſſat quæcunque præſumptio, ergo &c. Confirmatur, quià in ordine ad ſummam, quæ exigeretur ſuppoſita iuſtificatione impertinentèr ſe haberet illa taxatio, & perinde ſe haberet, ac ſi non eſſet poſita, ergo, ſi illa non poſita, & poſita ſola conuentione de intereſſe incerto, iuſtificatus ſupponitur contractus, ſi tantum ſolummodò exigatur,

Soppoſita iuſtificatione impertinentèr ſe haberet illa taxatio.

gatur, quantum exigit intereſſe concedentis, adhuc poſita poterit tantum exigi, quantum importat idem intereſſe, quamuis in quantitate hoc coincidat cum ſumma taxata, quandòquidem hoc exigitur non ex vi taxationis, ſed ex vi intereſſe formalitèr reſultantis ſecundum iuſtificationem per concludentes rationes.

Dices, quodamodò in pænam contrauentionis iuris per illam taxationem creditorem priuari illo iure exigendi illam ſummam, quamuis per probationes concludentes euincatur illam ſummam determinatè deberi ob lucrum ceſſans. Sed contrà dic quæſo, vndè euincatur, quod illa pæna incurratur? Certè pæna non incurritur, quæ non imponitur; & ex alio capite lucrum ceſſans confert ius ei, cui ceſſat, exigendi compenſationem, maximè ſi indicarit ſe nolle eidem compenſationi cedere, quod colligitur ex eo, quod de determinata ſumma conuenit, quamuis non exigat ex vi talis conuentionis, ſed ex vi lucri verè ceſſantis.

§. XX.

An habens mandatum cambiandi cum quibuſcunque mercatoribus poſſit ex vi illius cambiare cum ſe ipſo.

SVMMARIVM.

Facti ſeries, & deciſio Sacræ Rotæ Romanæ in facto. 1.
Non eſt præſumendum, quod mandans voluerit mandatarium excludere ſeruata debita æqualitate. 2.
Satisfit rationibus Rotæ Romanæ. 3.
Mandatum adimpleri poteſt per æquipollens. 4.

1 DIſquiſitio XX. Acceperat Octauius a Liuio centum nummos aureos hic Mediolani titulo cambij, cum onere eoſdem Romæ reſtituendi. Dedit Octauius mandatum Sempronio Romæ exiſtenti, vt eoſdem ibi reſtitueret, & pro tali reſtitutione facienda acciperet à quibuſcunque mercatoribus talem ſummam correſpondentem cambio, & intereſſe eiuſdem, eandemque giraret ſupra ſe ipſum. Sempronius omiſſis alijs mercatoribus cambiauit cum ſe ipſo. Orta fuit controuerſia, & in terminis ſimilibus res tranſmiſſa ad Sacram Romanam Rotam, an iuſtè mandatarius potuerit cum ſe ipſo cambiare, & exigere illud intereſse, quod exigere potuiſsent alij mercatores, ſi cum eiſdem fuiſset cambiatum, quæ Rota *ſub die 19. Iunij 1626. in vna Romana cambiorum coram Remboldo* definiuit, ex vi mandati generalis Sempronium, cum ſe ipſo cambiare non potuiſse, nec exigere illud intereſse, quod iuſtè potuiſsent exigere alij mercatores multis ſanè innixa rationibus. Primò, quia forma mandati adamuſſim ſeruanda eſt, quæ, cum ſit ſtricti iuris, ita eſt interpretanda, vt non excedat limites verborum, per quæ imponitur mandatum, & facta contrà formam mandati non tenent *l. diligentèr ff. mandati cap. cum dilecta de reſcriptis. Rota deciſ. 470. part. 2. in recent.* Secundò, quià in mandato, quantumuis generali nunquam venit perſona procuratoris, niſi illa exprimatur *l. ſi mandauero tibi §. ſi tibi centum ff. mandati. Baldus in l. ſi is cui num. 2. C. de furt. & in l. ordo num. 7. verſ. quæro data eſt poteſtas creditori C. de exec. rei iud.* quod multis ibi confirmat exemplis. Tertiò, quià potuit eſse ſpecialis ratio, ob quam voluerit mandans, quod mandatarius ab alijs acciperet, non à ſe ipſo, ſiquidem poterat contingere, quod, cum inuenire non poſset mercatorem, qui daret, ipſe mandans remaneret ſub nuda obligatione reſtituendi mutuum, non obligaretur ad cambia; item eſse poterat præſumptio, quod mandatarius, cum ad ſe intereſſe non poſset pertinere, eſset adhibiturus maiorem diligentiam, vt pro minori cambiaret, ac ſi poſset cambiare cum ſemetipſo. Rotæ Romanæ deciſiones tanquam oracula veritatis veneror. Nihilominus in hoc ſpeciali caſu

Reſpondeo, non eſse præſumendum, quod mandans voluerit mandatarium excludere, quin æquè poſſet à ſe ipſo, ac ab alijs accipere illam ſummam, dummodò ſeruetur congrua ex vſu fori æqualitas, ac proindè non eſse, cur mandatarius non potuerit à ſe ipſo accipere, & exigere intereſſe *Turri de Cambijs diſp. 3. quæſt. poſtrema ad deciſiones Rotæ Romanæ ſuper cambijs poſt deciſ. 31.* qui teſtatur ità frequentiſſimè apud Genuenſes ſeruari. Potiſſima ratio huius reſponſionis erit ſolutio eorum, quæ per eandem Rotam afferuntur, & quidem. 2

Frequens praxis Genuenſium.

3 Prima non tantum roboris habet ſe-

Qq cun-

cundum ſe, vt euincat mandatum ità ſtrictè, & in rigore cuſtodiendum eſſe, vt excludat adimpleri poſſe per æquipollens *l. vltima §. vltimo ff. mandati l. non ſolum, & ibi Alexander num. 5. ff. ſolut. matrim., Curtius Iun. conſ. 19. n. 15.*, cum iure non reluctante mandatum extendi poſſit ad ſimilem caſum, quandò eadem militat ratio *d. l. vlt. §. mandati, Aretin. l. non ſolum in princip. ff. ſolut. matrim., Crauetus conſ. 748. num. 31.*,
4 vndè ea, quæ adducuntur ex allegatis iuribus facilè explicari poſſunt per hoc, quod mandatum ſtrictè, & adamuſſim adimplendum ſit, vt quod idem prorſus habeatur *l. qui liberis in princip., & ibi Immola, & Alexander ff. ad Trebell. l. ſi mater C. de inſtit., & ſubſtit., Gratianus conſ. 159. num. 11. lib. 2.*, idem autem habetur ſecundum inſtitutum mandantis, ſiuè mandatum adimpleatur per cambium cum ſe ipſo ideſt mandatario, ſiuè cum alijs mercatoribus, & per conſequens in mandato æque comprehendi intelligitur ipſe mandatarius *Purpur. conſ. 600. verſ. nec refert., Decianus conſ. 1. num. 117. lib. 1.*, quinimmò, cum ipſe mandans non excludat mandatarium per expreſſam aliquam clauſulam in mandato, ſupponitur ratum habere cambium, ſiuè cum ipſo, ſiuè cum quolibet alio, præcipuè, cum non appareat, de quo poſſit conqueri debitor, quod potius ab vno, quam ab altero cambium fuerit acceptum.

Secunda, etiam nihil videtur euincere, nam textus allegatus *in l. ſi mandauero tibi §. ſi tibi centum ff. mandati* loquitur in terminis longè diuerſis à ſtatu præſentis diſquiſitionis; ibi enim erat ſermo de eo, qui tradiderat certam pecuniæ quantitatem alicui, eidemque commiſerat, vt eandem alteri, cui vellet, daret; hìc etenim iure merito nequit illam ſibi retinere, cum per hoc neque quoad effectum ſeruaret mentem mandantis *Baldus in l. ſi is, cui C. de furt.* in noſtro autem caſu quoad effectum à mandante intentum eiuſdē mens ſeruatur, adeoque &c. nec fortius ſtringunt ea, quæ per Baldum allegantur *in d. l. ordo C. de exceptione rei iud.*, vbi ſolum dicitur, quod iuſſus vendere non poſſit emere, quæ tamen vera abſolutè non ſunt, niſi in caſu officialis, vel tutoris, quibus ex ſpeciali iuris diſpoſitione non licet ea emere, quæ ad ipſorum adminiſtrationem pertinent propter doli, vel fraudium præſumptionem, quæ poſſent contingere, & quià iſti non præſumuntur

Textus loquitur in terminis diuerſis.

ea vendere, & emere, quæ debent emere ad æqualitatem, & ſeruatis ijs omnibus conditionibus, quas ſeruarent, ſi alijs venderent.

Tertia, etiam nihil euincit, quià, cū contraxerit titulo cambij, & eodem titulo intenderit, ſe obligare, non eſt præſumendum, quod voluerit excludere ipſum mandatarium, ne à ſe ipſo acciperet ad finem, vt ipſe primus contractus reſolueretur in mutuum; hoc enim eſſet fallere ſtipulatorem, & non ſe obligare ad contractum cambij, vel ſaltem ità ſe obligare, vt mentalitèr intenderet eum poſteà in mutuū quoad effectum reſoluere, quod non eſt dicendum; quinimmò præſumendum eſt, quod voluerit, vt quocunque modo ipſe contractus per ſe initus compleretur, &, cum impoſuerit, vt acciperet à quocunque, & non expreſſerit etiam à ſe ipſo, non ideò præſumendum eſt, quod voluerit ipſum excludere, ſed tantum non grauare &c. Ad id, quod ſubditur, dicendum eſt, non poſſe grauari ipſum debitorem, ſiuè ſumma accipiatur ab alijs mercatoribus, ſiuè ab ipſo procuratore, quandoquidem intereſſe ſupponitur taxatum ex vſu fori, nec maior, vel minor diligentia videtur aliquid poſſe conferre, quod cedat in vtilitatem ipſius debitoris, nec ad illam maiorem diligentiam adhibendam procurator obligatur. Quamobrem poſitiuè ſic

Probatur reſponſio. Mandatum ad ſimilem caſum poteſt rationabilitèr ſaltem ex præſumptione extendi, quandò eadem militat ratio, nec conditio mandantis fit deterior *Aretinus l. non ſolum in principio ff. ſol. matrim. l. ſi quis mihi bona §. iuſſum ff. de acquir. hæred.*, & tunc caſus dicitur ſimilis, quando eundem habet effectum *l. qui liberis in princip. l. mulier ff. ad Trebell. l. ſi mater C. de inſtit., & ſubſtit., Gratianus conſ. 159. num. 11. lib. 2.*, ſed conditio debitoris non fit deterior, & idem habetur effectus, ſiuè ſumma accipiatur à mercatoribus, ſiuè per eundem Procuratorem à ſe ipſo, ergo &c. Minor probatur, quià non apparet, in quo fiat deterior conditio debitoris, ſiuè ſumma, quæ accipi debet, ex ipſius commiſſione accipiatur ab vno, ſiuè ab altero, & ipſius debitum æque extinguitur per pecuniam ſiuè ab vno, ſiuè ab altero acceptam, & intereſſe, quando indè exigitur, non ſupponitur diuerſificari, ſiuè vni, ſiuè alteri debeatur, ergo &c. Confirmatur, quià non exiſtentibus mercatoribus, qui vellent dare,

Mandatum poteſt extendi ad ſimilem caſum.

Digitized by Google

dare, ſeu à quibus poſſet procurator accipere, vt de communi conſenſu teſtatur *Turri de Cambijs dicta diſput. 3. quæſt. poſtrema ad deciſ. Rot. Rom. ſuper cambijs poſt deciſ. 31. verſ. accedat proprius ad caſum*, poſſet à ſe ipſo accipere, ergo etiam eiſdem exiſtentibus poterit non ab eiſdem, ſed à ſe ipſo accipere. Conſequentia probatur primo, quià æquè non ſeruarentur fines mandati in caſu antecedentis, ac in hypotheſi conſequentiæ, vt per ſe patet. Secundo, quià exiſtentia, vel non exiſtentia non videtur aliquam vim conferre, vel minuere, ſiquidem, ſi procurator abſolutè excluditur ex eo, quod expreſsè non includatur, in quocunque caſu ſemper debet præſumi excluſus, & ſi in caſu non exiſtentiæ mercatorum non præſumitur excluſus ex præſumpta mandantis mente, non eſt cenſendus excluſus etiam in caſu eorundem exiſtentiæ.

DISQVISITIONES III.

Ab vndecima ad decimam ſextam Prænotionem incluſiuè.

§. I.

An liceat emere literas cambij in principio nundinarum pro minori pretio, ac emerentur in fine earundem.

SVMMARIVM.

Explicatur modus introductus in foro Mediolanenſi. 1.
Referuntur literæ pertinentes ad talem modum. 2.
Item ratio dubitandi circa talem modum pro iniuſtitia contractus. 3.
Ratio dubitandi pro iuſtitia. 4.
Si æqualia ſint ſpes, & periculum augmenti, & decrementi iuſtè poteſt iniri contractus in principio nundinarum, vt ſcuti reſtituantur ſecundum valorem, quam habebunt in fine. 5.
Secus, ſi ſit maior ſpes augmenti, quam periculum decrementi. Ibid.

1 DIſquiſitio I. Mos fuit in hoc Mediolanenſi foro introductus inter mercatores, ſeu negotiatores celebrandi cambia hoc pacto. Qui vult contrahere cambium pro proximis nundinis v.g. celebrandis Lugduni, vel per ſe ipſum, vel per mediatorem conuenit cum campſario recipiente, vel cum Bancherio in principio nundinarum, quæ hic Mediolani celebrantur, vt pro tali determinata ſumma puta pro ſcutis 4600. auri ſolis ad rationem tot ſolidorum pro ſingulis ſcutis, quam ipſe vult hic ſoluere, teneatur ipſe campſarius, ſeu Bancherius recipiens in fine nundinarum literas dare pro eiſdem nundinis Lugdunenſibus proximè futuris continentes eandem ſummam acceptam ad rationem ſolidorũ, quibus tunc temporis decurrent ſcuti, & hæc conuentio in principio præſentium nundinarum celebratur data opera, quià pro tali tempore ſcuti minoris valent regularitèr, & acquirunt augmentum, quamuis quandoque diminutionem patiantur. Facta hac conuentione, antequam terminus præſentium nundinarum accedat, Campſarius receptor pecuniæ literas, ſeu potius ſingrapham ſcribit ſequentis tenoris, eamque conſignat creditori, qui in principio ſoluit talem ſummam.

Magnifico Signore. Ad ogni voſtro piacere, e con la ſola reſtitutione della preſente vi darò lettera di cambio per Lione fera proſſima de' Santi per la ſomma de ſcudi 4600. d'oro ſole pagabile à cui m'ordinarete per la valuta da voi hauuta di mia ſodisfattione, come per cambio aggiuſtato dal Senſale &c., & per fede &c. Milano li 27. Agoſto 1678. 2

Sig. N. N.

Circà hunc modum contrahendi multæ ſuboriuntur difficultates, ſed pro præſenti diſquiſitione ad hanc vnam reſtringitur, an iuſtè fieri potuerit, ſeu poſſit illa conuentio, per quam ſolutor emerit, vel emat illos ſcutos valore currenti tempore celebrationis contractus, cum ſpe, quod in proceſſu nundinarum debeant ſumere incrementum, quamuis poſſit ſubeſſe decrementum.

Ratio dubitandi pro iniuſtitia contractus in eo conſiſtit, quod iuxta dicta *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt., & vend. diſquiſ. 2. §. 2. num. 3.*, non poteſt licitè emi ſingrapha pro minori, ac in ſe contineat, quod adeò verùm eſt, vt nec variari poſſit æqualitas ſoluendi contentum in eadem ſingrapha ex ſpeciali modo vendendi ad haſtam per ea, quæ ibi dicta ſunt, quinimmò per ea, quæ allegata fuerunt *eod. tom. 1. ſub d. tit. Contractus II. de empt., & vendit. Prænot. 3.*, in emptione chirographo- 3

 rum,

Digitized by Google

rum, quæ ſoluenda non ſunt, niſi poſt annum, non licet aliquid diminuere de ęqualitate requiſita ad contractum emptionis *Leſſius lib. 2. de iuſtitia cap. 21. dub. 7. num. 71.*, *Medina C. de reſtitutione quæſt. 38.*, *Sotus lib. 6. de iuſt.*, *& iur. art. 1. ad tertium*, *Silueſter verb. vſura 2. quæſt. 14.*, nec incongrua ratione, quandoquidem non poteſt res emi viliori pretio propter anticipatam ſolutionem propter textum *in cap. in Ciuitate de vſuris*, adeoque multo minus chirographa continentia determinatā ſummam, cum pretium iſtorum conſiſtat in indiuiſibili, pretia autem rerum venalium admittant latitudinem intrà ſupremum, medium, & infimum. Ad hæc corroboranda plurimum facit auctoritas Sanctiſſimi D. N. Innocentij Papæ XI. ante regnantis, qui merito eam propoſitionem damnauit, qua dicitur. *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit qui non minoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid vltrà ſortem exigere, & eo titulo ab vſura excuſari*, ergo, ſi non poteſt pro præſenti pecunia abſens acquiri minori pretio, nec poterit acquiri ius ad maiorem pecuniam contentam in literis, de quibus facta eſt conuentio per minorem ſummam ab ea, quæ in eiſdem literis continetur, quandoquidem quid magis acquireretur ex eo, quod pecunia numerata daretur pro numeranda.

4 Ratio dubitandi pro iuſtitia contractus in eo conſiſtit, quod iuxtà diuerſitatem, & circunſtantias temporum cambiorum pretia variantur, non quidem ratione temporis præcisè, ſed iuxtà penuriam, vel copiam pecuniarum, iuxta paucitatem, vel multitudinem cōcurrentium ad contrahendum per ea, quæ diximus *ſub hoc eod. tit. Cōtractus V. de Cambijs II. Prænot. 1. nu. 21.*, & docent *Leſſius lib. 2. de iuſt.*, *& iu. cap. 23. dub. 11. n. 90.*, *Caietanus tract. de Cambijs cap. 5.*, *Sotus 6. de iuſt. quæſt. 12. art. 2.*, *Bannes ſecunda ſecundæ tom. 2. tract. de Cambijs dub. 8.*, *Tabiena verbo vſura 15.* Cum igitur initio nundinarum regulariter ſit maior pecuniarum penuria, & minor concurrentium numerus ad cambia contrahenda non incongruè videtur, quod cambiorum pretium dimminuatur, & per cōſequens poſſint pro minori emi. Accedit, quod hoc nihil aliud eſt, quam emptio literarū, ſeu melius iuris, quod ex illis literis reſultat, quod ius pro illo tempore, pro quo emitur tanti ſolummodò æſtimatur ex vſu fori, & non pluris. Quid igitur concludendum? Pro ſolutione

Aduerte, ſeu potius recole, quæ ſuperius dicebamus, ſcutum marcarum, ſeu auri ſolis re vera in rerum natura non eſſe, ſed confingi à negotiatoribus in ordine ad munera campſoria obeūda ad maiorem eiuſdem negotiationis facilitatem, & vſum. Huic ſcuto quāuis ex mercatorum placito ſecundum circunſtantias conſtituatur pretium, variatis tamèn eiſdem circunſtantijs, ſecundum quod occurrunt frequentiora, vel minus frequentia commertia, variatur, adeò vt, quandò plures concurrunt augeatur, quando pauci, dimminuatur. Hinc fit, quod quandòque in initio nundinarum valor eiuſdem ſcuti ſit nonagintaquinque ſolidorum, & pluribus concurrentibus proceſſu augeatur ad nonaginta ſex, vel nonaginta ſeptem, quandòque paucis concurrentibus diminuatur ad nonagintaquatuor, vel etiam ad nonaginta tres. Tota igitur ratio dubitandi in eo conſiſtit, an licitè poſſit quis in principio nundinarum ſoluere pro ſingulo ſcuto auri ſolis v. g. nonaginta quinque ſolidos, cum onere, vt reſtituantur ſcuti ad valorem, quem habebunt in fine nundinarum, ſeu dentur literæ in fine earundem continentes tot ſcutos ad valorem, quem tunc temporis habebunt.

Scutus marcharum, ſeu valor auri ſolis non eſt in rerum natura.

Valor ipſius iuſtè variari poteſt.

Reſpondeo, ſi æqualia ſint ſpes, & periculum augmenti, vel decrementi iuſtè potuiſſe, & poſſe quemcunque conuenire in principio nundinarum, vt ſcuti reſtituantur in fine earundem ſecundum valorem, quem tunc temporis habebunt, ſecus verò, ſi attentis circunſtantijs maior ſit ſpes augmenti, quam periculum decrementi. Eſt cōformis ijs, quæ dicebamus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 10. nu. 4. per totum*. 5

Probatur primò quoad primam partem; licitus eſt contractus innominatus fortunæ aleæ, quo quis ſe exponit æquali ſpei, & periculo, cum vtriuſque contrahentis æqualis ſit cōditio, vt patet ex ijs, quæ docuimus *tom. primo ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. Diſquiſ. 1. §. 1. ad ſecundam reſponſionem* de iactu retis empto, & *ſub tit. Contractus III. de mut., & vſuris Prænot. 10. nu 14. verſ. probatur ſecunda pars* de frumento mutuato in determinato pondere, & menſura cum onere reſtitutionis in æquali pondere, & mēſura ſtante dubio æquali pro incremento, vel decremento valoris futuri pro tempore reſtitutionis, ergo etiam lici-

Eſt contractus innominatus fortunæ aleæ.

Digitized by Google

licitus erit contractus, quo quis emit ſcutum auri ſolis, vel marchæ in æquali dubio, quod tempore traditionis ſit pluris, vel minoris valiturus.

Æqualis eſt conditio vtriuſque contrahentis, & iuſtitia.

Probatur ſecundò quoad eandem primam partem, quia in tali conuentione reſpectu vtriuſque contrahentis ſaluatur congrua, & proportionata æqualitas, ergo non eſt, cur non debeat eſſe licita. Antecedens probatur, quia reſpectu vtriuſque quantum auget ſpes lucri maioris, tantum diminuit periculum diminutionis quoad idem lucrum, & tantum eſt pretio æſtimabilis ſpes, quantum per diminutionem lucri compenſabile periculum, ergo &c. Neque ſtante tali æqualitate eſt aſſignabilis aliqua ratio, quæ poſſit vitiare contractum.

Spes maioris lucri ſi ſit proxima, eſt ſecũdum ſe pretio æſtimabilis.

Probatur tertiò quoad ſecundam partem, quia maior illa ſpes maioris lucri ſecundum ſe, ſi ſit proxima, & moralitèr certa, eſt pretio ſecundum ſe æſtimabilis per ea, quæ latè dixi *tom. 1. ſub tit. Contractus II. Diſquiſ. 1. §. 1. in reſponſ. ad ſecundum*, ergo, ſi fuerit illa ſpes de maiori lucro, non poterit per quid minus ad ipſum acquiri. Conſequentia probatur, quià non ſeruaretur debita æqualitas ad contractum requiſita, ſiquidem in communi æſtimatione pluris valeret reſtituendum ſuppoſita illa ſpe moralitèr certa de maiori valore, ac pretium quod pro illo ſolueretur.

Probatur quartò quoad eandem ſecundam partem, quià manifeſta vſura eſt ex conuentione aliquid pretio æſtimabile acquirere ſupra datum ob ſolam temporis dilationem in reſtituendo, ſed in hypotheſi reſponſionis aliquid ſuprà ſortem pretio æſtimabile exigeretur ob ſolam temporis dilationem in reſtituendo, ergo &c. Minor probatur, quià exigeretur illud plus, quod importat illa ſpes de maiori valore, quæ ex dictis eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis, quod ex alio titulo non poteſt procedere, niſi quia differtur ſolutio.

Inſtantia contra probationem affertur.

Dices, non prouenire ex ſola temporis dilatione, ſed ex acquiſitione iuris ad illos ſcutos marcharum, vel auri ſolis, quod ius, cum fuerit acquiſitum ipſi ſolutori pro tempore, pro quo ſoluit, eidem parit omnes effectus, ſicque, ſi valor dictorum ſcutorum creſcit eidem creſcere debet, non venditori ea proportionali ratione, qua dictum eſt *ſub dict. tit. Contractus III. de mut., & vſuris Prænot. 10. ſub nu. 4. verſ. probatur quarta particularitèr* pecuniam mutuatam, ſi in valore creſcat, cedere mutuatario, eo quià in ipſum eiuſdem translatum eſt dominium, & augmentum cedit domino. Sed contrà, quia quamuis per illam ſolutionem acquiſierit ius ad illos ſcutos marcharum, vel auri ſolis, acquiſiuit tamen ſolùm ſecundum valorem, quem habebant tempore contractus, præcipuè cum illud ius, quod dicitur, acquiſitum per ſolutorem, non ſit ius in re, ſed tantum ad rem, antequam per reſtitutionem illud ius diſſoluatur, ſicque, quamuis ſcutus marcharum ex concurrentium multitudine in valore poſt ſolutam pecuniam creuerit, non debetur tamèn ſolutori, niſi ſecundum valorem, quem habebat tempore emptionis, quia augmentum cedit habenti ius in re, non habenti ius ad rem. Conſonat his, quæ dicimus, textus *in cap. cum Canonicis de cenſibus* Ibi- *Tibi damus in mandatis, vt canonicos illos ſolutione prioris pecuniæ, vel ſi non ſit in vſu æſtimatione penſionis antiquæ facias manere contentos*, quod idem videtur innui *in l. vinum 22. ff. ſi cert. pet.* in quo conſentiunt *Nauarrus in comment. de vſuris num. 50., Conradus de contractibus quæſt. 99., Bannes ſecunda ſecundæ quæſt. de camb. dub. 6., Molina diſp. 407. nu. 7., Salas de cambijs dub. 33. concl. 8. verſ. quod ſi non eſſet par dubium*, vbi in ſpecie reſponſionem noſtram quoad vtramque partem confirmat.

Satisfit eidem inſtantiæ.

Ad illud, quod dicitur de pecunia mutuata, diſpar omninò eſt ratio, quià per mutuum pecunia mutuata quoad dominium transfertur in mutuatariũ, qui propterea quoad illam habet ius in re, & ſic, ſi creſcat, eidem creſcit, non mutuanti; in hypotheſi autem noſtra de ſcuto marcharum, cum ius in re quoad illum non ſit translatum in emptorem, hinc eſt, quod, ſi in valore creuerit, non emptori creuerit, ſed venditori, qui adhuc retinet ius in re.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

An, ſi factis literis promiſſionis prædictis debitor requiſitus ad ſolutionē, vel ad conficiendas literas formales cambij diſtulerit, vel ſolutionem, vel dictas literas, & interim valor ſcuti marcharum creuerit, creuerit primo ſolutori, an verò debitori.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Regularitèr loquendo moroſus debitor tenetur ſoluere ſecundum valorem adauctum, vel literas continentes eundem valorem. 2.
Valet tàm quoad intereſſe intrinſecum damni emergentis, quàm quoad extrinſecum lucri ceſſantis. 3.
Reicitur limitatio Bartoli. 4.

1 DIſquiſitio II. Confectis literis prædictis promiſſionis conficiendi literas formales cambij ad requiſitionem creditoris iuxtà modum expoſitum in præcedenti paragrapho intra tempus conuentum creditor requiſiuit à receptore pecuniæ per ſe ipſum ſolutæ, vt vel ſolutionem faceret, vel literas cambij daret, qui receptor fuit in mora, & quidem culpabili, vel ſoluendi, vel dandi literas formales cambij, & interim valor pecuniæ ſolutæ, & item valor ſcutorum marchæ, vel auri ſolis in valore creuit. Quæritur hic, an moroſus debitor, teneatur ſoluere, vel ſecundum valorem adauctum, vel literas dare continentes pecunias ſecundum eundem valorem.

Reſpondeo, regularitèr loquendo moroſum debitorem teneri ſoluere ſe-
2 cundum valorem adauctum, vel literas conficere continentes eundem valorem *Salas de cambijs dub. 33. concl. 4., Bartolus ad l. Paulus ff. de ſolut.*, *& ad l. cum quid ff. ſi cert. petatur, Coaruuias in cap. quarto de iure iurando, & ibi communitèr Canoniſtæ*, & licet idem Bartolus loco, quo ſuprà reſponſionem reſtringat, ità vt procedat dumtaxat contrà debitorem moroſum in foro externo quoad intereſſe intrinſecum damni emergentis, non quoad extrinſecum lucri ceſſanti iuxtà *l. ſi ſterilis §. ſi per venditionem ff. de act. empt.* dictum tamèn eiuſdem Bartoli reſtrictiuum eluditur per *l. 1. C. de ſententia, quæ pro eo, quod intereſt*, & per Accurſij Gloſam *in d. §. ſi ſterilis in ſcolio æſtimandum*.

Ratio ex eo deducitur, quià moroſus detentor rei alienæ, ſeu alteri debitæ contrà voluntatem creditoris, & Domini tenetur ad ea omnia, quorum intereſt eidem creditori, ſeu domino, quod in tempore conuento facta fuerit ſolutio, vel formalium literarum datio, ſed ex eo, quod ſolutio non facta fuerit pro illo tempore contra voluntatem creditoris eidem intereſt, quod non conſequatur illud lucrum, ſeu maiorem valorem, quem acquiſiuit pecunia, ergo idem moroſus detentor tenetur verſus eundem creditorem ad illum exceſſum, quem acquiſiuit pecunia in maiori valore. Maior ſecundum ſe patet, quià ex eo, quod ſit iniuſtus detentor, eſt cauſa iniuſta illius non acquiſitionis maioris valoris, quem acquiſiuiſſet creditor, ſi in tempore conuento facta fuiſſet reſtitutio, & ipſa requiſitio facta per creditorem ipſum debitorem conſtituit in mora, ergo &c. ex quibus etiam euincitur minor propoſitio. 3

Iniuſtus detentor eſt cauſa iniuſta illius nō acquiſitionis lucri.

Ratio etiam ex eo deducitur, quià non debet quis de ſua culpa commodum reportare, ergo non debet illi cedere augmentum, quod ex lege, vel aliter habet res, quæ iam ſua non fuiſſet, ſi moram non commiſiſſet *l. 3. ff. de act. empt., Bartolus, & legiſtæ in d. l. Paulus, & l. cum quid ff. ſi cert. petatur. Filliutius tract. 35. cap. 11. quæſt. 6. n. 490., Coaruuias de coll. vet. cap. 7. concl. 5., Sotus 6. de iuſt. quæſt. 12. art. 1., & alij magis communitèr.*

Nemo debet de ſua culpa commodum reportare.

4 Limitare videtur hanc aſſertionem *Bartolus ad d. l. cum quid ff. ſi cert. pet.* ità vt procedat ſolummodò, quandò fit mutatio monetæ maioris, quæ per aliam minorem æſtimari poteſt, ſecus ſi per minorem æſtimari non poſſit. Sed merito reijcit hanc reſtrictionem Coaruuias *in cap. quarto de iure iurando* ea ratione, quod etiam nummi, quantumuis minuti, ſi multiplicentur, per alium maiorem æſtimari poſſunt.

§. III.

§. III.

An promiſſio ſoluendi pro cambio tot phylippos ad rationem tot ſolidorũ pro ſingulis obliget ad enuntiatos ſolidos, ſi phylippi ante ſolutionem in valore decreuerunt.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus quæſtionis cum literis ad ipſum pertinentibus. 1.
Tenetur ad enuntiatam ſolidorum ſummam in literis pro ſingulis phylippis. 2.
Non eſt optio debitoris ſoluendi, vel phylippos effectiuos, vel enuntiatam ſummam ſolidorum in literis. 3.

1 Diſquiſitio III. Facta conuentione inter Titium, & Caium, in cuius executionem Caius ſoluit primo determinatam pecuniarum ſummam, Titius literas dedit eidem Caio ſequentis tenoris.

Magnifico Signore. Ad ogni voſtra richieſta pagarò cento filippi à ragione di ſoldi 140. per ciaſcuno, ò darò lettere di cambio, che contenghino tal ſomma à ragione di ſudetti ſoldi per fiera con la reſtitutione della preſente per altre tanti riceuuti da me di mia ſodisfattione. In ſede &c.

N. N.

Antè reſtitutionem, vel literas datas pro nundinis phylippi in valore decreuerunt, adeò vt, ſi tempore conuentionis contractus erant valoris ſolidorum centum quadraginta, tempore reſtitutionis ſint ſolidorum centum triginta. Orta fuit controuerſia, an Titius ſufficientèr ſatisfaceret reſtituendo phylippos centum effectiuos, vel dando literas pro centum effectiuè, an verò teneretur ad enuntiatam ſummam ſolidorum pro ſingulis phylippis.

2 Reſpondeo, teneri ad enuntiatam ſolidorum ſummam in literis pro ſingulis phylippis, *Coaruuias de col. vet. numis cap. 7. num. 4., & 5., Abbas cap. quando de iure iurando, Bartolus in l. Paulus ff. de ſolut. num. 3., Albericus Brun. tract. de augmento concl. vlt. lim. 1., Filliutius tract. 35 cap. 11. quæſt. 6. n. 488., Bartolus in l. prima ff. de contrah. empt.*, Ratio eſſe poteſt primo, quia pacta, & conuentiones inter contrahentes omninò ſunt ſeruanda *l. ex empto ff. de act. empt. l. 1. ff. de pactis l. iuris gentium §. prætor ait ff. eod., Franciſc. Curt. min. col. 40. num. 2. vol. 1.*, quinimmò etiam ſi ſint appoſita contra accidentalia contractus valent, & in hoc vincunt legem *Abbas in cap. primo de commodato, & in cap. inſinuante, qui cle. vel vo., & in cap. fin. de precario*, & pacta facta dicuntur ius commune *Baldus in l. liberti in 10. col. verſ. quid ſignificant C. de oper. libert., Gloſa in l. qui mutuam ff. mandati*, ergo cum conuentio facta fuerit, quod ſinguli Phylippi debeant perſolui ad rationem centum quadraginta ſolidorum, iuxta eorum computum erunt ſoluendi. Neque dicas, cum in ſingrapha promiſſionis dictum fuerit *pagarò cento Filippi à ragione di ſoldi 140.*, videri eſſe in optione debitoris, vel ſoluere Philippos effectiuos, vel enuntiatam ſummam ſolidorum pro ſingulis; 3 contra enim impugnaberis, quia eo ipſo, quod Phylippi taxati ſunt ad certam ſolidorum ſummam, debitor ad eandem ſummam obligatus intelligitur, & optionem quidem habet, vel ad erogandos Phylippos effectiuos, vel ad ſolidorum quantitatem iuxta conuentionem, ſed, ſi eligat erogare Phylippos, tenetur eos computare ad valorem præſcriptum ſolidorum conuentorum, cæteroqui fruſtatoria fuiſſet illa taxatio, ſiquidem circa expreſſa inter cambientes pactum ad vnguem ſeruandum eſt *l. item quod l. iuris gentium §. prætor ait ff. de pactis l. 1. §. ſi conueniat ff. depoſ. Card. Pariſienſ. conſ. 26. num. 2. vol. 1. l. ſi neceſſarias §. penult. ff. de pign. act. l. fiſtulas §. fundum ff. de contrab. empt.*

Non eſt in optione debitoris, vel ſoluere Phylippos effectiuè, vel enuntiatã ſummam.

Ratio eſſe poteſt ſecundo, quia in dubio, an valor monetæ poſſit acreſcere, vel decreſcere, vel an incrementum, vel decrementum debeat cedere debitori, vel creditori poteſt dubium determinari, quaſi per tranſactionem *Baldus in l. ſub prætextu la. 1. in 1. col. ad fin. verſ. ſed contra iſtam ſolutionem C. de tranſactionibus*, ſed conuentis per tranſactionem ſtandum eſt veluti ſententiæ *l. non minorem C. de tranſactionibus, Ioannes Cephal conſ. 228. num. 24. vol. 2.*, & tranſactio rei iudicatæ æquiparatur *l. 2. ff. de iure iurando Ioannes Ceph. conſ. 210. num. 61. vol. 2.*, ergo poſita tali determinatione eidem ſtandum eſt, adeo vt ipſa poſita non poſſit amplius ab eadem recedere, ſed quando inter creditorem, & debitorem facta eſt conuentio de determinato valore in dubio, quod poſſit creſcere, vel decreſcere, & quod augmentum debeat cedere

cre-

Digitized by Google

creditori, vel debitori, illa ſe habet per modum tranſactionis *In ſpecul. de pactis, & tranſact. verſ. tranſactio*, cum hæc nihil aliud ſit, quam ſuper re dubia conuentio, ergo &c.

Ratio eſſe poteſt tertio, quia ſi conuentio facta fuerit de valore quoad minorem ſolidorum numerum, & poſtea Phylippi in valore creuerint non tenetur debitor eoſdem erogare ſecundum valorem adauctum, ſed tantum ſecundum conuentum *Coaruuias cap. 7. de collat. vet. numiſ.*, ergo, ſi conuentio facta fuerit quoad maiorem numerum pro illo tempore conuentionis decurrentem, licet poſtea minoretur, tenebitur illum maiorem numerum erogare. Conſequentia probatur, quia conuentiones inductæ ſunt in vtriuſque contrahentis fauorem, & qui vnum eligit, æquè debet ſtare ſorti, vel infortunio eiuſdem, nam qui ex conuentione ſentire poteſt commodum, ſubeſſe debet, & eiuſdem conuentionis incommodis, quique in vno grauatur in alio debet releuari *l. eum qui ff. de iure iurando auth. contra qui propriam C. de non numer. pecun.*

Conuentiones inductæ ſunt in vtriuſq; contrahentis fauorem.

§. IV.

An literæ cambij ſecum trahant indefinitè hypothecam.

SVMMARIVM.

Proponitur Status quæſtionis. 1.

Nouiſſimæ Conſtitutiones Mediolani tribuunt hypothecam literis cambij. 2.

De iure communi de facto hypotheca literis cambij non ineſt, congruum tamen eſſet, quod ineſſet. 3.

Aſſeruntur rationes, propter quas hypotheca deberet ineſſe. 4.

1 DIſquiſitio IV. Conſtituto cambio, quo Titius accepit mille nummos aureos ab Antonio cum onere eos Romæ reſtituendi literas dedit eidem Antonio dirigendas ad ſuum reſpondentem Romam pro ſolutione. Literæ non fuerunt ibi acceptatæ, nec ſimplicitèr, nec ſuper proteſtu, ſed redierunt inanes. Interim Titius magno debitorum onere preſſus fit impotens ad ſoluenda omnia debita, & item præfatas literas cambij, excuſſuſque quoad omnia ſua iura, & bona vix habet, quo ſingulis poſſit ſatisfacere, vndè in graduatione, & creditorum concurſu quæſtio excitata eſt, quinam ex ijs ſit præferendus. Certum eſt, quod alij creditores ex cauſa præcedenti ſunt anteriores, ſed quoad ſua credita nullam præſupponuntur habere hypothecam; Antonius vero licet poſterior tempore in cauſa excipiebat ſe priorem eſſe in iure propter hypothecam, quam de iure arbitrabatur annecti literis cambij. Quæritur modo quid iuris, an re vera ratione literarum habeat talem hypothecam, vt præferatur, nec ne?
Huiuſmodi hypothecam literis Cambij concedunt nouiſſimæ conſtitutiones Mediolanenſis dominij *in lib. 5. tit. de Officio Abbatum, & Conſulis Mercatorum Mediol. verſ. quotieſcunque requiſitus in fin.* illis verbis *Eo amplius ſancitum eſt, quod literæ Cambij veri, & realis, & non, vt vulgo dicitur, mortui hypothecam habeant.* Sed an habeant vbique vel ex æquitate, vel ex natura contractus clarè non liquet. Ex ſuppoſitione autē, quod prædictis literis ſit de iure annexa hypotheca, quod hæc conferat creditori prælationem in ordine ad alios omnes creditores non habentes hypothecam non obſcurè liquet *ex l. licet C. qui pot. in pign. ha. l. quamuis C. de pignor.*, quæ valent etiamſi hypotheca ſit ſolum generalis, quæ æquam vim habet quoad hoc, ac ſi eſſet ſpecialis, cum ſpecialis non præferatur generali anteriori *l. ſi generaliter l. licet C. qui pot. in pig. hab., & in l. 2. in princ. ff. eod. tit.* Tota igitur ratio dubitandi eſt, an re vera præfatis literis inſit talis hypotheca. 2

Nouiſſimæ Conſtitutiones Mediolanēſes cōcedūt hypothecam literis cambij.

Olea *de ceſſione iuri. tit. 7. quæſt. 3. n. 25.* prout refert Sadarinus in quodam ſuo conſilio in fauorem Hæredum Calepij, videtur ſupponere ex natura ſua hypothecam ineſſe literis cambij, dum loquens de recambio, ſeu cambio recurſæ aſſerit hypothecam eiuſdem recambij à die primarum literarum perſeuerare, quamuis per virtualem ſolutionem primum cambium in loco deſtinatæ ſolutionis fuerit extinctū etiam in concurſum aliorum creditorum; ex quibus clarè deducitur, quod, ſi in vim primarum literarum perſeuerat hypotheca in recambio, eiſdem literis primis debeat de neceſſe ineſſe. Sed hoc, quod aſſerit Olea non probat, ſed ſupponit nullo aſſignato aſſertionis fundamento, nulloque iure, in quo fundetur. Quamobrem

Olea ſupponit hypothecā ineſſe nō probat.

Reſpondeo, de iure communi de facto literis cambij hypothecam non 3
ineſſe; attenta tamen natura contractus congruum eſſet, quod ineſſet.

Ra-

Digitized by Google

Ratio primæ partis eſt, quià attento toto corpore iuris, quod continetur *in ff. C. & Auth. & Inſtit.* nihil circà huiuſmodi hypothecam nec directè, nec indirectè præſcribitur, cum hæc cambiorum negotiatio pro illo tempore, pro quo iura fuerunt edita, non eſſet inducta, propter quam rationem *Scaccia de commert. §. 7. gloſ. 5. num. 2. verſ. ad id, quod ipſa ratio* aſſerit de iure communi literis cambij non dari executionem paratam, quamuis de iure municipali omnium fere locorum attenta natura earundem eadem executio vbique concedatur, & in hoc ſenſu loquitur *Surdus conſ. 499. num. 2.* in terminis literarum cambij, quod non habeant annexam hypothecam de iure communi *Gaitus de credit. cap. 2. tit. 2. num. 2458. Rota poſt Merlinum de pign. deciſ. 19. num. 2.*

Cōgruit naturæ ordini, vt quæ pluribus obnoxia ſunt periculis fortioribus iuribus muniantur.

Probatur ſecunda pars, quià nil magis congruum videtur naturæ ordini, quam quod ea, quæ magis ſunt obnoxia periculis, fortioribus iuris ſubſidijs muniantur, & in ſecuritatem pecunias ſuas exponentium ſub aliorum fide eaſdem recipientium fides validiori munimine roboretur; non enim ſat eſt, quod fides publica in ſola perſonarum labilitate firmetur, ſed in omnibus ipſorum bonis, quantum fieri poſſit, inconcuſſa permaneat, & de facili humana commertia corruerent, ſi ſolis perſonis inniterentur. Hac de cauſa refert *Sadarinus reſp. 20. ſub num. 16.* Carolum V. Imperatorem ſtatutis officij Abbatum, & Conſulis Mercatorum Mediolani addidiſſe tanquam nouam regulam generalem in nouiſſimis Conſtitutionibus illum *§. eo amplius* ad promouendam ſecuritatem cambientium.

4 Ad hæc corroboranda multum facere videntur, quæ adducit *Scaccia de commert. §. 7. Gloſ. 5. num. 4. verſ. confirmatur ſecundò*, nempè cambiorum negotiationem inductam præcipuè eſſe in fauorem Mercatorum *Ioannes Baptiſta Lupus in cap. nauiganti §. 2. num. 12. de vſuris inter tract. diuerſ. tom. 7. Boninſignius tract. de cambijs cap. 2. Michael Salonius ad D. Thomam ſecunda ſecundæ poſt quæſt. 78. in diſp. de cambijs quæſt. 4. art. 2. controu. 6.* quibus damna obuenirent non modica, ſi cambia non haberent executionem paratam, ex quibus deducit, quod rationes, ob quas ex conſuetudine datur executio parata, ſit conformis, habeatque vim iuris communis. Quibus poſitis vt naturæ contractus conſentaneis non inefficax argumentum deſumo ad rem noſtram: Æquè Mercatoribus, in quorum fauorem inducta eſt negotiatio cambiorum, obeſſe poteſt negatio hypothecæ, ac negatio executionis paratæ, ergo, ſi naturæ contractus congruum eſt, quod concedatur executio parata, hocque vim habere poteſt iuris communis, eiuſdem naturæ congruum erit, quod annectatur hypotheca ad finem indemnitatis contrahentium, & ſecuritatem ipſorum.

Ratio à cōceſſione executionis paratæ.

---

§. V.

An in terminis Nouiſſimæ Conſtitutionis Mediolan. hypotheca quoad literas cambij incipiat à die literarum, an verò à die proteſtus earundem.

SVMMARIVM.

Facti ſeries, & ratio dubitandi. 1.

Incipit hypotheca à die literarum, non verò à die proteſtationis, & recognitionis earundem. 2.

Particula, eo amplius, non includit ea, quæ fuerunt in antecedentibus diſpoſita. 3.

Scriptura inter Mercatores habetur pro publica, & authentica. 4.

Diſquiſitio V. Inito cambio hic Mediolani inter Titium & Antonium, quo ille acceperat ab iſto mille nummos aureos, Titius literas dedit pro ſolutione Romæ facienda iuxtà conuenta. Antequam literæ Romam peruenirent, aut recognoſcerentur, idem Titius alium contractum iniuit cum Seio, cui per hypothecam omnia ſua bona ſubiecit. Hoc poſito literæ Romæ non fuerunt acceptatæ, ſed ſuper ipſas eleuatum proteſtum, dumque Titius non haberet, quo ſolueret Antonio pro literis cambij, neque Seio pro ſumma crediti vtriuſque, ſed vni dumtaxat, vel alteri, lis excitata fuit, quinam ex ipſis eſſet præferendus, dum vterque hypothecam allegabat, & vterque de anterioritate contendebat. Antonius quidem, quià literis à die, quo datæ fuerunt, arbitrabatur ineſſe hypothecam; Seius verò excipiendo, quià ſibi ſuadebat non niſi à die proteſtus, ſeu recognitionis literarum hypothecam conſurgere, adeòque ſe potiorem in iure eſſe, cum hypo- 1

Digitized by Google

theeam habuerit, antequam eleuaretur proteſtum ſuper eiſdem literis ex alia cauſa.

Ratio altercationis ortum habuit ex diſpoſitione Nouiſſimarum Conſtitutionum Mediolanenſis dominij in præcitato *lib. 5. tit. de officio Abbatum, & Conſulis Mercatorum verſ. quotieſcunque requiſitus*, vbi ſic legitur. *Quotieſcunque requiſitus fuit debitor ex cauſa literarum cambij cum proteſtatione non factæ ſolutionis iuxtà morem, & conſuetudinem literarum cambij, intimationeſque factæ fuerint medio proxenetæ deſcripti &c. ſi iurauerit &c.* cum poſteà ſubdatur *§. eo amplius ſancitum eſt, quod literæ cambij veri, & realis, & non vt vulgo dicitur mortui, hypothecam habeant*, vbi contendebat Seius, quod literis quidem inſit hypotheca ex vi *§. eo amplius*, ſed non antequam fuerint proteſtatæ ex vi præcedentis *§. quotieſcunque*, cum ſubſequetia ex iuris diſpoſitione referantur ad præcedentia, à quibus qualitatem deſumunt, & iuxtà eorum diſpoſitionem reſtringuntur *l. vtrum verb. & puto ff. de petit. hæred. Paulus de Caſtro conſ. 112. incip. ſuper primo dubio*, & verba vnius ſtatuti, & legis intelliguntur ſecundum aliam legem, vel ſtatutum *l. non eſt nouum cum ſeqq. ff. de leg. l. 1. §. & parui, & ibi Gloſa, & Bartolus quod vi, aut dam. l. ità pudor, & ibi Gloſ. & Bartolus C. de adult.*

Reſpondeo, in data hypotheſi diſquiſitionis ex vi N. C. hypothecam in-
2 cipere à die literarum, non verò à die proteſtationis, & recognitionis earundem *Antonius Faber errore 3. decade 1. Gaitus de credito cap. 2. tit. 8. à n. 3196. ad num. 3212. Rebuffus de chirographarum, & cedul. recogn. in præfat. num. 81. Gutierez practic. quæſt. lib. 1. quæſt. 125. num. 3. Rota Genuæ deciſ. 188. Decianus conſ. 109. num. 19. lib. 2. Rodriquez de priuil. credit. part. 2. art. 1. num. 15.* contrà *Magon. deciſ. florent. 122. Rotam Auinion. deciſ. 136. num. 2. verſ. nam quod. Coſtam de ratione rata quæſt. 121. num. 5. Genuam de ſcriptura priuata lib. 1. quæſt. 4. num. 230. Coaruuiam var. lib. 2. cap. 11. num. 4. Gratianum diſcept. 501. num. 14.* qui tamen omnes tam pro noſtra, quam pro aduerſa ſententia relati non loquuntur de literis cambiorum in terminis N. C. Mediol. ſed de alijs ſcripturis de iure communi præcipuè in terminis *l. ſcripturas 11. C. qui potior. in pign. hab.*

Probatur primò, quià illa diſpoſitio *N. Conſt. Mediol. ſub tit. de Offic. Abbatum, & Conſulis Mercatorum*, eſt concepta ſecundum ſe ſine vlla reſtrictione, & ſine relatione ad præcedentia, ergo abſolutè obligat etiam, vt non qualificata per præcedentes conditiones proteſtationis &c. Antecedens probatur, quià diſpoſitio nudè ſumpta, quandò ſecundum ſe apta eſt inducere effectum intentum à legiſlatore ſecundum verba, per quæ eſt inducta, debet ſecundum ea intelligi, nec debet limitari per qualitates, quæ eidem diſpoſitioni non ſunt appoſitæ, quandò ſine illis poteſt habere effectum, quià lex indiſtinctè debet intelligi *l. de pretio ff. de pub. l. 2. & ibi Bartolus ff. de offic. præſid.* vbi dicit verum, niſi per aliam legem diſtinguatur *Baldus in l. aduerſus C. de furt.* nec lex ſequens continuanda eſt de neceſſitate ad legem præcedentem *Gloſ. & Bartolus in l. Gallus in princip. 3. col. ff. de liber. & poſt.* præcipuè, cum lex ſubſequens claram habeat ſecundum ſe ſignificationem, vt non indigeat interpretatione per præcedentia, cum verbis legis etiam in dubio ſtandum ſit, nedum quandò clarè exprimunt ſine reſtrictione *l. 1. §. 25. qui nouem ff. de exercit.* & quod lex non dicit, nec à nobis eſt dicendum *l. certum quis verb. non dixit prætor ff. de acquir. hæred. l. 3. §. fin. ff. de præuaric. l. libert. §. largius ff. de ann. leg.*

Lex indiſtinctè loquens debet indiſtinctè intelligi.

Dices illam particulam *eo amplius* eſſe ſecundum ſe relatiuam, cum ſit ampliatiua, & incluſiua *l. cum ità, & ibi Bartolus ff. de dote præle. & in ſpecul. de alle. & diſpu. §. poſt hoc verſ. no. Bartolus in l. ſi ſeruus §. ità ſcriptum in 1. oppoſ. ff. de leg. 1. & in l. 1. §. hæc verba ff. ſi cui plusquam per l. falci.* vbi dicit, quod quandòque totum continet *Fran. Are. in l. legata ff. de leg. 1. Baldus in l. filio ff. de leg. 1. Franc. Are. in l. moribus in 3. col. verſ. 3. in fin. ff. de vulg. & pupil.* ergo ſi ad præcedentia refertur, eaque includit ſecundum earundem præcedentium, quas includit, qualitates, debet intelligi, adeòque importat literas, vt veſtitas proteſtatione. Sed
contrà, quià ex eo, quod ſit ampliati- 3
ua extendit caſum vltrà expreſſa, & aliud addit ſuprà id, quod in præcedentibus fuit dictum *Barboſa deciſ. 32. nu. 7. & 8.* nec ſemper verum eſt, quod in ijs, ad quæ diſponit, ſemper includat qualitates præcedentes, quin potius excludere videtur, dum quid abſolutè circa id, quod diſponit, determinat, & iuxtà hunc ſenſum declarauit *Excellentiſſimus Mediolani Senatus anno 1650. die vltima Auguſti in cauſa Vigletij à Ghiſlanzono*, hypothecam in lite-

literis contineri ſine vlla reſtrictione ad diem recognitionis earundem, cui etiam ſubſcribit *Genua de ſcriptura priuata lib. 3. tit. de literis cambij quæſt. 2. num. 7. & 8.* nec incongrua ſane ratione, quandòquidem, ſi illa particula *Eo amplius* non verificaretur, niſi ſimul cum qualitatibus præcedentibus in *§ quotieſcunque* ad actionem hypothecariam, quæ conceditur ex vi illius *§. eo amplius* plura requirerentur, quam ad perſonalem debitoris detentionem, quæ conceditur ex vi præcedentis *Quotieſcunque*, quæ iuris ordini minus congruere videntur per ea, quæ ſcribit *Sadarinus d. reſponſ. 10. nu. 11. & 12.* Adde, quod illa particula *eo amplius* in præſenti idem ſonat, ac *vlterius*, vel *prætereà*, quod nouam inducit diſpoſitionem, non præciſè continuationem præcedentium per ea, quæ ſcribit *Barboſa d. diction. 32. nu. 7.* & licet quodamodò firmet præcedentia, diſponit tamen aliquid nouum, quod in præcedētibus non continetur eo modo ſi quis diceret, *lego Franciſco centum nummos aureos, & amplius, ſeu vlterius talem domum*.

In dubio legis attendendus eſt finis legis.

Probatur ſecundo, quia in dubio, an aliqua diſpoſitio ſumenda ſit limitatiuè ad præcedentia, vel non, certior regula ad determinandum aſſignari non poteſt, quam finis, ob quem inducta eſt talis diſpoſitio, cum lex non ſit aliud, quam ipſa ratio legis, *Abbas in cap. fin. de reſcriptis in 3. col.*, & verba legis reſtringuntur, & ampliantur ad limites rationis eiuſdem legis, *Cinus, & Baldus in l. non dubium de legib., & in l. cum ratio C. de bo. dam., & in l. ſcire ff. de legib., Dinus in reg. fin. de reg. iu. in 6., Abbas in cap. ſicut de teſtib., & in cap. fin. de reſcript.*, ſed ratio diſpoſitionis *in d. §. eo amplius* eſt ſecuritas contrahentiū, & fauor literarum per ea, quæ ſcribit *Sadarinus d. reſp. 20. nu. 17.*, & exemptio à periculis, quantum fieri poteſt quoad pecuniam, quæ exponitur, vt ſcribunt omnes Doctores *in d. §. eo amplius*, quam voluiſſe Imperator præſumendus eſt, quando pecunia per vnū exponitur, & per alium dantur literæ, ſiquidem tunc ſoluens periculis exponitur, ergo &c. Minor probatur, quià hypotheca appoſita pro ſecuritate cōtractus tunc debet incipere, quando contractus perfectus eſt, & pericula poſſunt ſubeſſe. Confirmatur primo, quia appoſita ex diſpoſitione iuris pro aliquo genere contractus hypotheca tunc incipit obligatio, quando contrahentes conſtituunt, & inuicem ſe obligare intendunt ijs adimpletis, quæ ad ſubſtantiam talis contractus requiruntur, ſed contrahentes tunc conſentiūt, & adimplent, quando alter ſoluit, alter dat literas, vt per ſe patet, ergo tunc incipit obligatio, adeoque &c. Confirmatur ſecundo, quia, ſi hypotheca non inciperet à die, quo dantur literæ, ſed dumtaxat à die proteſtationis, non congruè per talem diſpoſitionem eſſet prouiſum indemnitati contrahentium, ſiquidem creditores cambij vix curant fieri proteſtationes, niſi quando vrget periculum decoctionis in debitore, quo in caſu conſurgentes creditores inſtrumentarij illorum illuderent prælationem, ſicque parum, vel nihil creditoribus cambiorum prodeſſet illa diſpoſitio *in N. C. in d. §. eo amplius*.

Non eſſet congruè prouiſum indemnitati contrahentium.

Scriptura priuata nō tribuit ius prælationis contrà creditores inſtrumentarios.

Dices ex diſpoſitione *l. ſcripturas 11. C. qui potior. in pign. hab.* ſcripturæ priuatę non competit ius p̄lationis contrà alios creditores inſtrumentarios, niſi ſit firmata ſubſcriptione triplicis teſtis, vndè aſſumit ſolummodò vires à tempore recognitionis in concurſu eorundem creditorum inſtrumentariorum per ea, quæ ſcribit *Gutierez pract. quæſt. lib. 1. quæſt. 125. num. 3., & ſeqq. pluribus ibid. allegatis ità ſentientibus*, ſed literæ cambij regularitèr non firmantur per ſubſcriptionem trium teſtium, ergo habere non poſſunt ius prælationis, niſi quando recognoſcuntur, adeoque neque hypothecam, niſi pro tempore recognitionis. Sed contra primo, quia ſcriptura priuata inter Mercatores reputatur pro publica, & authentica, quia de conſuetudine ſcriptura Mercatorum habetur pro ſententia, & habet vim Inſtrumenti publici *Scaccia de Cambijs §. 7. Gloſ. 5. n. 6.* & ſua fide tranſit in rem iudicatam *Ioannes Baptiſta Canatus tract. de Cambijs tit. de literis verſ. quæro, an mercator*, adeòque propter hanc rationem nihil textus allegatus in rem noſtram euincit. Secundò, quia, quamuis in ſcriptura priuata requiratur recognitio, hæc tamen non requiritur ad inducēdum ius prælationis, ſed dumtaxat ad probationem, vndè poſita tali recognitione ius retrotrahitur ad tempus celebrati contractus *arg. textus in cap. cum quis de ſent. excommunicationis lib. 6. & reg. ratihabitio de reg. iuris in 6.* præcipuè, cum vt refert *Faber d. errore 3. decade 1.* recognitio, ſeu proteſtatio nō inducat hypothecam, ſed eam vt iam inductam declaret, declarare autem nihil eſt de nouo ponere, ſed iam poſitum exprimere *l. hæredes palam §. ſi*

Scriptura priuata inter Mercatores habetur pro publica.

Digitized by Google

quid ff. de teſtam. l. adeò §. videtur ff. de acquir. rer. dom. Clement. exiuit. §. harum declarationum de verb. ſignif. Tertiò, quià, cum literæ cambij non ſubſcribantur regularitèr per tres teſtes, & nihilominus ex N. C. concedatur eiſdem hypotheca, videntur quoad hanc conditionem trium teſtium exceptæ, & exemptæ, adeòque &c.

Probatur tertiò. In actu proteſtationis, nec eſſe poteſt hypotheca conuentionalis, nec legalis, ergo inſidet in ipſo actu celebrationis, ſeu in literis, quæ dantur pro complemento eiuſdem contractus. Antecedens quoad primam partem probatur, quià hypotheca conuentionalis non contrahitur ſine promiſſione, & conſenſu debitoris, ſiquidem conuentio eſſe non poteſt ſine conſenſu contrahentium, vt ſunt vulgata iura; & ratio ipſa naturalis ſuadet, ſed conſenſus debitoris non eſt, niſi quandò celebratur contractus, & dantur literæ, non autem, quandò literæ proteſtantur, quandòquidem ad actum proteſtationis perſonalitèr ipſe debitor non concurrit, ergo &c. Neque dicas, conſenſum poni quidem in actu celebrationis contractus, ſed in ordine ad hypothecam non ſortiri effectum, niſi in caſu proteſtationis, vndè conſenſus in ordine ad hypothecam eſt quodammodò conditionatus, ſi ſcilicet ponatur proteſtatio; contrà enim impugnaberis, quia gratis omninò aſſeritur talis conditionata conuentio, cum creditor omninò tutus eſſe velit à die conuentionis, per quam firmatur contractus, vndè ad ſummum erit cõditionata quoad probationem, quatenus ſcilicet literæ debeant recognoſci, & proteſtari, adhoc vt inducant ſufficientem probationem ad agendum, cęterum actio ſecundum ſe congruit ex vi eiuſdem contractus, ſeu literarum à die, quo dantur, vndè adueniente cõditione retrotrahitur ad tempus contractus, & creditor ex illa præfertur poſteriori creditori *l. qui balneum §. 1., & l. potior §. 1. ff. qui potior. in pig. hab.* præcipuè, cum ſcriptura priuata, vel redacta in publicam formam vim executiuam habeat, ac ſi à principio fuiſſet in publica forma poſita *Gloſ. l. fin. verb. depoſitionibus C. de edict. D. Adrian. tol. Roder. Suar. in l. poſt rem iudicatam 2. limit. ad l. Reg. nu. 2. ff. de re iud., Antonius Gomez in l. 45. Tauri num. 135.* Antecedens item quoad ſecundam partem ſic euincitur, quià hypotheca à lege non datur, niſi in caſibus ab eadem lege expreſſis, ſed in nouis Conſtitutionibus Mediolani *§. eo amplius* non exprimitur hypotheca ad diem proteſtationis, ſed abſolutè, ergò &c.

Creditor tutus eſſe vult à die conuentionis.

---

§. VI.

An in terminis Nouiſſimæ Conſtitutionis Mediolanenſis hypotheca intelligatur annexa ſolis literis formalibus cambij, an etiam ſingrapæ promiſſionis de eiſdem conficiendis.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Mens ſaltem interpretatiua Scacciæ exponitur. 2.
Conſentaneum rationi eſt ineſſe tali ſingraphæ hypothecam ad effectus prælationis. 3.
Priuilegia conceduntur acceſſorijs propter principale. 4.
Soluuntur nonnullæ rationes, quæ contrà ſententiam afferuntur. 5.
Non eſt ſimplex promiſſio de contrahendo. 6.
Diſſoluitur alia obiectio. 7.

1 Diſquiſitio VI. Facta conuentione de cambio, ſolutoque per alterum ex contrahentibus pretio campſario, hic ſingrapham confecit, vi cuius promiſit ſtipulatori dare formales literas cambij pro Lugduno, continentes ſummam conuentam modo, quo expoſui *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ. 3. §. 1.* vbi retuli formam talis ſingraphæ, ad beneplacitum ſtipulatoris. Antequam per campſarium formales literæ cambij conficerentur, idem Campſarius, vel aufugit, vel mortuus eſt. Pluribus concurrentibus, qui literas formales cambij ab eodem campſario acceperant, poſteriores tamen prædicta ſingrapha, excitata fuit lis, an eadem ſingrapha ratione hypothecæ annexæ æquam vim habeat prælationis, ac ſi eſſet redacta in formales literas cambij ad excluſionem aliorum habentium formales literas.

2 Scaccia *de Cambijs §. 7. gloſ. 3. num. 9.* videtur implicitè aſſerere, non ineſſe hypothecam tali ſingraphæ, eo quia hypotheca non conceditur, niſi con tractui perfecto; contractus autem non dicitur perfectus non confectis literis, quas campſarius promiſit facere, & ideò campſor debebit agere ad perfectio-

Hypotheca nõ conceditur, niſi contractui perfecto.

Digitized by Google

fectionem contractus, priuſquam poſſit agere ad effectum eiuſdem. Quæ omnia videtur confirmare *d.* §.7.*gloſ.*4. *nu.* 3. vbi dicit, quod, ſi hactenus non confectæ ſint literæ, tunc non detur executio parata, niſi quatenus in ſingrapha expreſsè habeatur obligatio, non vltrà, quare ſi in ſcriptura is, qui accepit pecunias, promiſerit facere literas cambij dabitur executio parata pro faciendis literis promiſſis tantum, vndè non omnis ſcriptura, in quo fit mentio de cambio, eſt exequibilis, adeòque, vbi iura municipalia aſſignant literis cambij hypothecam, non omnis ſingrapha eandem hypothecam videtur habere. Nihilominus ad pleniorem quæſiti diſcuſſionem.

Duplex ſenſus, in quo poteſt concipi ſingrapha.

Aduerte, quod celebrato iam cambio dupliciter poſſit concipi ſingrapha promiſſoria; primò, quatenus ille, qui pecunias accepit, promiſit literas cambij dare continentes conuentam ſummam pro Lugduno ad beneplacitum ſtipulatoris; Secundò, quatenus idem, qui accepit in eadem ſingrapha promittit ſoluere eidem ſtipulatori conuentam ſummam Lugduni ad beneplacitum eiuſdem ſtipulatoris. Iuxta primum ſenſum negat Scaccia, qui ſuprà, executionem paratam pro conſequenda tali ſumma, licet concedat pro conſequendis literis. Iuxtà ſecundum verò concedit talem executionem paratam eidem ſingraphæ, eandemque ipſi vim tribuit, quam concedit literis formalibus cambij; ex quibus videtur deduci poſſe, quod in locis, in quibus ex vi iurium municipaliū literis cambij conceditur hypotheca, eadem concedenda ſit tali ſingraphæ, ſi vim habet, vt aſſerit Scaccia, literarum cambij.

5 Reſpondeo, magis rationi, & veritati conſentaneum eſſe, in terminis præſentis diſquiſitionis ineſſe tali ſingraphæ, ſeu Idiochiræ hypothecam ad effectum, vt creditor ex eadem præferatur cæteris creditoribus habentibus poſteriorem hypothecam etiam inſtrumentariam, ſiue in tali ſingrapha contineatur promiſſio de literis dandis, ſiue de ſolutione facienda in tali determinato loco nulla facta mentione de huiuſmodi literis.

Probatur prima pars primò, quià quamuis *ind. N. C. Mediol. citato* §. *eo amplius ſancitum eſt* hypotheca aſſigatur expreſsè literis cambij. ibi. *quod litera cambij veri, & realis, non mortui hypothecam habeant*; nihilominus eiſdem affigitur intuitu cambij iam initi,

cuius ſunt tantum probationes, non de ſubſtantia *Raphael diſp.* 1. *quæſt.* 11. *num.* 14., & in tantum eiſdem literis apponitur, in quantum per ipſas manifeſtatur contractus iam initus; mens etenim legiſlatoris præſumenda eſt, quod voluerit certiorare creditorem quoad ſummam per ipſum ſolutam in tali genere contrahendi ob bonum publicum, quod indè conſurgit, vt facilius inueniantur, qui in tali genere contrahant, dum talem cautionem ſortiuntur, ſine qua non ità facilè contraherent, adeòque quod hypothecam contractui voluerit adijcere, quamuis literis appoſuerit, vt manifeſtatiuis iuxtà vulgarem modum talis contractus, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, contractus iam initus eſt per actualem ſolutionem ex parte vnius completus, & ex parte alterius manifeſtatus per ſingrapham, ergo ex præſumpta legiſlatoris mente verè ineſſe eidem ſingraphæ hypothecam dicendum eſt; Neque arbitreris, literas cambij ità eſſe complementum contractus, vt eiſdem dumtaxat ineſſe poſſit ex diſpoſitione iuris hypotheca, quandòquidem ſine illis non aſſignatur mandatarius, contrà quem agere poſſit ipſe creditor; Non, inquam, arbitreris, quià ex defectu literarum ſolùm tollitur, quod non poſſit agere contrà alium, non autem, quod non poſſit agere contrà principalem debitorem actione hypothecaria, ſi hypotheca contractui annexa eſt, & re vera per æquiualens dictis literis conſtet de tali complemento, vndè, cum literæ dentur dumtaxat ad probationem, ſi probatio aliundè per æquiualens ſufficientèr reſultet, non eſt, cur non debeat haberi effectus eiuſdem hypothecariæ obligationis.

Hypotheca eſt annexa contractui quoad ſubſtantiam.

Poteſt agere cōtrà principalem actione hypothecaria.

Dices, ex vi ſingraphæ adeſt dumtaxat actio actiua reſpectu creditoris, & paſſiua reſpectu debitoris ad complementum literarum, ergo non ad effectum obligationis, quæ conſurgit ex eiſdem literis, adeòque non niſi à die, qua conficiuntur huiuſmodi literæ, incipit actio hypothecaria actiua, & paſſiua, & ſic non ineſt eidem ſingraphæ. Sed contra, quia quamuis oriatur actio actiua, & paſſiua ad complementum literarum ex vi illarum particularum *con la ſolita reſtitutione del preſente vi darò cambio per Lione fiera proſſima de Santi*; ex vi tamen ſubſequentium *per la valuta da voi hauuta di mia ſodiſfattione, come per cambio aggiuſtato dal ſenſale &c.* oritur obli-

Oritur obligatio ex ipſo contractu iam inito.

Oritur obligatio ex ipſo contractu iam inito ad reſtitutionem ſortis, vndè in caſu decoctionis, vel impotentiæ debitoris omiſſa actione ad literas poteſt creditor immediatè agere ad dictam ſortem actione proueniente ab eodem contractu, quem fatetur debitor celebratum, ſicque, cum à die conſtituti cambij incipiat debitor obligari, ab eadem die incipit in ſuis bonis affici hypotheca, cum hypotheca ſimul conſurgat cum obligatione contracta, & manifeſtata ſiuè per formales literas cambij, ſiuè per ſingrapham, & licet, quandò debitor non ſit impotens, prius creditor debeat agere ad confectionem literarum, quam ad conſecutionem ſortis cum intereſſe, actio tamen ad eandem ſortem ſimul cum intereſſe originem trahit a contractu à die datæ ſingraphæ, ad quam debet retrotrahi, ea proportionali ratione, qua docent Doctores *in l. ſcripturas* 11. *C. qui potior. in pign. hab.* ſcripturam priuatam quoad eas actiones, quibus annexa eſt hypotheca, quamuis ad ſuam probationem egeat recognitione, obligare à die, qua ipſa data eſt, cum recognitio retrotrahatur ad eandem diem *argt. textus in cap. cum quis de ſent. excommunicationis lib. 6. & ex l. qui balneum §. 1. & in l. potior. §. 1. ff. qui potior. in pig. hab.* in terminis hypothecæ conditionalis non poteſtat ⁓. quià adueniente conditione re[illegible]hitur ad tempus contractus, & [illegible]tor ex illa præfertur poſteriori creditori puro, præcipuè, cum ſcriptura priuata ſi reducatur ad publicam formam, vim executiuam habeat, ac ſi à principio fuiſſet in publica forma poſita *Gloſ. in l. fin. verb. Depoſitionibus C. de edic. D. Adrian. tol. Roder. Suar. in l. poſt rem iud. 2. limit. ad leg. reg. num. 2. ff. de re iud. Anton. Gom. in l. 45. Tauri num.* 135. quæ præcipuè vera ſunt, quandò hypotheca inducitur non ab homine, ſed à lege, vt in caſu noſtro, tunc etenim recognitio, & quidquid requiritur per modum conditionis, retrotrahitur ad diem celebrati contractus per ea, quæ latè ſcribit *Borgninus Caualcanus part. 2. deciſ. 27. num. 22. Aretin. conſ. 128. n. 5. Niguſa de pign. in primo memb. 3. parte num. 12. Ioannes Gutierez alleg. 4. per tot. Altiatus conſ. 15. circà princ. lib. 5. tom. 2. col. 1. Decianus conſ. 50. vol. 3. Bolognetus conſ. 30. col. 1. & 2.*

Et originem trahit à contractu cuius eſt expreſſiua ipſa ſingrapha.

Probatur ſecundò eadem prima pars. Actio hypothecaria in conuentionibus per ſcripturam priuatam non incipit à die recognitionis, quandò ſcriptura priuata eſt trium teſtium ſubſcriptione ſignata, ſed à tempore datæ ipſius incipit eius prælatio iuxtà textum *in l. ſcripturas, qui potior. in pign. hab. Coaruuias lib. 2. variar. reſol. cap. 11. nu. 4. Didacus Perez in l. 4. tit. 8. lib. 3. ordin. col. 1090. verſ. contrarium in fin.* ergo etiam hypotheca in contractu cambij, quandò verè datur in literis cambij, non debet incipere à die, quo priuata ſcriptura reducitur ad formales literas cambij, ſed à tempore, quo data eſt ipſa priuata ſcriptura. Conſequentia probatur, quià ideò non incipit à die recognitionis actio hypothecaria in priuata ſcriptura, quandò trium teſtium eſt ſubſcriptione ſignata, quià tunc quaſi publicè confecta habetur, ſed ſcriptura priuata inter Mercatores nullo alio adiecto habetur pro publica, & authentica, quià de conſuetudine ſcriptura Mercatorum habetur pro ſententia, & habet vim inſtrumenti publici *Scaccia de Cambijs §. 7. gloſ. 5. num. 6.*

Scriptura Mercatorum habetur pro publica.

Probatur tertiò, probabile non eſt, 4
quod hypotheca fuerit conceſſa acceſſorijs non pertinentibus ad ſubſtantiam propter ſe, ſed ſolummodò propter ſubſtantiam contractus, cui accedunt, & ſolùm quod eadem acceſſoria afficiat tanquam rationes probantes ipſam ſubſtantiam contractus, ſed hypotheca, quæ vni affigitur tanquam rationi probanti propter aliud, æquè ſubſiſtere poteſt ſine illo, cui, vt rationi probanti affigitur, dummodò per æquipollens æquè probetur, ergo, cum per talem ſpecialem ſingrapham æquè probetur contractus cambij initus, eidem, vt rationi probanti hypothecam ineſſe præſumendum eſt. Minor probatur, quià hypotheca, quæ regularitèr inducitur per inſtrumentum, & per ipſum probatur, ſufficientèr etiam inducitur, & probatur per teſtes, & probata per teſtes, ſi poſteà obligans alteri obligauerit per inſtrumentum publicum, præfert priorem in hypotheca *Socinus conſ. 240. num. 4. vol. 2. Rota Romana deciſ. 112. lib. 3. Roland. conſil. 84. vol. 3. num. 5. Ancharan. Regienſ. quæſt. 10. in prima part. Baldus in conſ. 198. vol. 1. & conſ. 466. vol. 5. textus in l. contrahitur hypotheca ff. de pignorib.*, ergo etiam hypotheca, quæ ex vi *Nou. Conſt. Mediol. in d. §. eo amplius* adijcitur ſcripturæ, ſeu literis cambij tanquam rationi probanti, æquè adiecta præſumenda eſt ſingraphæ, quæ, cum habeatur ex vſu Mercatorum, & ex communi conſuetudine

Acceſſorijs regularitèr conceditur priuilegium propter principale.

ne

Digitized by Google

ne pro publica, & authentica, æquè, & ſufficientèr probat; nec literæ cambij quid aliud præſtant ſuprà talem ſingrapham, quam quod notificant obligationem iam contractam per debitorem mandatario, eidemque imponunt onus ſolutionis, ſicque ſupponunt obligationem iam contractam, quam notificant, non inducunt.

Probatur iam ſecunda pars, quià huiuſmodi ſingrapha promiſſoria de ſolutione tali loco ponenda eaſdem omnes habet conditiones, & qualitates, quas habent literæ cambij, ſicque eidem conceditur executio parata inſtar literarum cambij, & poteſt acceptari, & proteſtari, ſicuti acceptantur, & proteſtantur eædem literæ cambij per ea, quæ tradit *Scaccia de commerc. §. 7. gloſ. 4. num. 2. in fin.* ergo etiam eidem concedenda eſt hypotheca, ſiquidem, cui competunt omnes conditiones, & qualitates pertinentes ad rationem alicuius contractus, eadem iura, eædemque actiones, actiuæ, & paſſiuæ debent competere. Confirmatur ex ſententia Excellentiſſimi Mediolani Senatus lata ſub die vltima Auguſti 1650. referente Illuſtriſs. Senatore Carolo Patelano, qui in cauſa Vigletij adiudicauit ſingrapham à Ghiſlanzono ſubſcriptam ſine vlla expreſſione hypothecæ, cum ſola clauſula, *che vaglia anche per lettera di cambio* continere hypothecam, ergo, cum ſingrapha, de qua loquimur, habeatur pro litera cambij, cumque eoſdem ſortiri debeat effectus, quos ſortiretur, ſi eſſet talis, eandem etiam hypothecam, & iura prælationis habere dicendum eſt.

Contrà ſingrapham poteſt fieri proteſtatio.

Declaratio Excellentiſſimi Mediol. Senatus in cauſa cõſimili.

Dices, ſententiam Excellentiſſimi Senatus recto quidem iure procedere, eo quià in eo caſu ſupponitur hypotheca conuentionalis inducta per partium conuentionem, quæ, ex quo voluerunt illam ſingrapham valere, ac ſi eſſent litera cambij, voluerunt per conſequens habere omnia iura, & priuilegia, quæ competunt literis cambij; quod non militat reſpectu ſingraphæ, de qua hic loquimur, cum partes non conuenerint, quod illa valeat tanquam, ſi eſſent litera cambij; Sed contrà, nam licet partes non expreſſerint, quod illa ſingrapha habeat rationem literarum cambij, illa tamen ſecundum ſe connotat cambium contractum Ibi *come per cambio aggiuſtato dal ſenſale &c.* vnde ſicuti, quia illa ſingrapha in cauſa Vigletij ex partium conuentione habet vim literarum cambij in quibus ex vi eiuſdem conſtit. Mediol. reſultat hypotheca, ità, quia illa ſingrapha connotat contractum cambij, iam ex partium conuentione initum, ex eodem debet reſultare eadem hypotheca, quæ ex ſuperius dictis intelligenda eſt conceſſa ſubſtantiæ contractus, non literis expreſſiuis eiuſdem, &, ſi conceſſa eſt eiſdem, intelligitur conceſſa propter contractum, non propter ſe ipſas præcisè.

Ex his etiam deducitur alia ratio in confirmationem prioris partis, nam ſi dicta ſingrapha, quandò eſt cum promiſſione de ſolutione in determinata ſumma pro certo loco facienda habet executionem paratam, & hypothecam, ergo non eſt, cur habere non debeat executionem paratam, & hypothecam ſingrapha cum promiſſione ad literas cambij, quandò debitor ante earundem confectionem, vel decoxit, vel aufugit in ordine ad repetendam ſortem ſolutam, quandòquidem enuntiata ſumma continetur in eadem ſingrapha, & quod literæ non conficiantur, non ſit ex defectu creditoris, ſed debitoris decocti, vel fugitiui.

Nunc ad aliquas rationes, quæ in contrarium afferri poſſunt, reſpondendum eſt; & primò obijci poteſt, quod hypotheca ſiuè ſit legalis, ſiuè conuentionalis, cum ſit ſtricti iuris, non ſit extendenda vltrà caſus expreſſos, vel per ipſos contrahentes, vel per iura ſtatuentia talem hypothecam; cum autem hypotheca, de qua hic loquimur, ſit tantum legalis, nec in iure exprimantur, niſi formales literæ cambij, hinc eſt, quod non niſi ad eaſdem literas hypotheca ſit amplianda. Deindè, ſicuti aliud eſt promiſſio de contrahendo, aliud ipſe actualis contractus, ità aliud eſt promiſſio de dandis literis, aliud ipſæ literæ datæ; ſicuti igitur iura, quæ competunt actuali contractui non competunt promiſſioni de contrahendo, ità nec prælationes, nec iura, quæ tribuuntur formalibus literis tribuendæ videntur ipſi promiſſioni de illis dandis. Sed facilè occurro huic obiectioni, quià iura quamuis exprimant literas cambij, hoc ideò præſtant, quià regularitèr literæ ſunt manifeſtatiuæ contractus celebrati, & ſunt probationes eiuſdem, quià tamen poteſt aliundè per æquipollens manifeſtari, & probari contractus, non eſt, cur in eodem æquipollenti non poſſit ſubſiſtere hypotheca, ea proportionali ratione, qua

5

Hypotheca eſt ſtricti iuris, adeòque ſtrictè interpretanda.

Aliud eſt promiſſio de contrahendo aliud ipſe actualis contractus.

Digitized by Google

qua dicebamus ſuperius, hypothecam conuentionalem regularitèr in inſtrumẽto firmari, quæ tamen adhuc ſubſiſtit in teſtibus fide dignis, & concludentibus, ſi per eoſdem probetur conuentio, & ratio eſt, quià hypotheca propriè reſpicit contractum, &, ſi dicatur affigi vel Inſtrumento, vel literis, hoc eſt, quià regularitèr contractus per ipſa probatur; ſi igitur aliundè ſufficientèr probetur, non eſt, cur eadem hypotheca non poſſit ſubſiſtere, præcipuè, ſi illud æquipollens ex forma ſtatuti, vel ex iure conſuetudinario habeat vim publici Inſtrumenti per ea, quæ ſcribit *Socinus conſ. 240. incipiente circa præſentem vol. 2.* cuiuſmodi eſt ſcriptura priuata, de qua loquimur, quæ, cum ſit inter Mercatores, habet vim publici inſtrumenti per ea, quæ ſupra diximus ex Scaccia.

Hypotheca propriè reſpicit cõtractum.

6 Ad id, quod ſubditur de alietate in promiſſione ad contrahendum ab actuali contractu, & de promiſſione de dandis literis ab ipſis literis actualibus patet, quid ſit reſpondendum; non enim hic verſamur in ſimplici promiſſione de contrahendo, cum iam ſupponatur contractus initus -Ibi- *per la valuta da voi hauuta di mia ſodisfattione, come per cambio aggiuſtato dal Senſale &c.* & cum literæ ſint tantum ad notificandum contractum, ſi æquè notificetur per æquipollens, habetur quidquid requiritur ad inducendam hypothecam, nec literæ formales, de quibus facta fuit promiſſio, ſunt ad obligandum ipſum debitorem contrahentem, qui iam obligatus ſupponitur, ſed ad imponendum mandatum ei, cui ſunt dirigendæ pro ſolutione.

Non eſt ſimplex promiſſio de cõtrahẽdo.

7 Obijci poteſt ſecundò, quod regularitèr per hunc modum ſpecialem contrahendi non inuoluatur cambium verum, & reale, ſed dumtaxat commentitium, & mortuum, quandòquidem contrahentes per talem promiſſionem actiuam, & paſſiuam de dandis literis ad beneplacitum ſtipulatoris intendunt præcisè dare, & recipere illam pecuniam pro illo tempore ad finem exigendi exceſſum, quem acquirunt ſcuti illi auri ſolis, vel ſolent acquirere ex multiplicatione negotiationum, hocque in eodem loco, in quo pecunia fuit prius ſoluta, quod receptor præſtat, vt poſſit pro illo tempore ſuas negotiationes obire, ſolutor verò, vt acquirat illum exceſſum, quem ſperat. Sed facilè etiam huic obiectioni occurro, nam aſſertum noſtrum procedit in ſuppoſitione ſolùmodò, quod contractus tum ex ſe, tum ex fine contrahentium ſit verum, & reale cambium, in quo ſenſu procedit ſolummodò diſpoſitio *in N. C. d. §. eo amplius.* Ibi. *Quod literæ cambij veri, & realis, & non vt vulgò dicitur mortui hypothecam habeant.* Quod, ſi velis ſupponere ea, quæ in inſtantia afferuntur, iam ſumus extrà controuerſiam, cum in illa hypotheſi iura non diſponant.

Contractus ſupponitur, tum ex ſe, tum ex fine contrahentium verus. & realis.

Obijci poteſt tertiò, quod, cum hic verſemur in dubio, an diſpoſitio illa N. Conſt. Mediolani reſtringatur ſolummodò ad formales literas cambij, quas dumtaxat exprimit, an verò etiã comprehendat ſingrapham poſt initum contractum cum promiſſione de eiſdem literis dandis, interpretatio facienda ſit contra creditorem, quia apertius legem ſcribere facere debebat ad ſui ipſius fauorem per ea, quæ ſcribunt *Dec. in l. fœmina ſub num. 105. ff. de reg. iur., Nicol. Auerar. in conſ. 8. nu. 50., Paulus de Caſtro conſ. 169. nu. 3. vol. 2., Anguiſſol. conſ. 133. nu. 18. vol. 1., Cranet. conſ. 836. nu. 11. vol. 5.* Sed contrà primo occurro, quià ea, quæ dicuntur, procedere debent dumtaxat quandò hypotheca eſt conuentionalis, quia tunc creditor ſibi conſulere debet omni meliori modo, quo poteſt, & omiſſio imputatur eius culpæ, non ſic quandò eſt legalis, tunc etenim attendendum eſt ad præciſam iuris diſpoſitionem, & ad rationem legis ſic diſponentis, quæ ratio militat etiam in hypotheſi ſingraphæ, de qua loquimur, vt iam diximus. Secundò, quià non verſamur in dubio rationabili, ſed dumtaxat imaginario, adeòque &c.

Aduerſus hanc noſtram doctrinam in terminis proprijs caſus propoſiti de anno 1671. emanauit ſententia Excellentiſs. Mediolani Senatus, qua in cauſa ſingraphæ cõfectæ per quendam Fieſcum in fauorem Domini Franciſci de Sitonis, declarauit, eidem ſingraphæ non ineſſe hypothecam ex Nouis Conſtitutionibus inductam. Semper veneratus ſum, & veneror eiuſdem Senatus deciſiones tanquam oracula veritatis. Sed in hoc re ſemper attentius conſiderata, & ponderatis omnibus, nec potui, nec poſſum acquieſcere; conſtito enim de contractu cambij iam perfectè inito non video, cur eidem non ſit tribuenda hypotheca, quã nouæ conſtitutiones ipſi tribuunt, & licet eædem conſtitutiones loquantur in terminis literarum cambij veri, & realis, non ſicci, hoc non eſt, quia voluerint præcisè eiſdem literis ineſſe,

ſed

Digitized by Google

ſed ipſi cambio vero, & reali, & in tantum literas expreſſerunt, in quantum per ipſas manifeſtatur contractus iam initus. Sed mitius, & conſultius interpretando mentem eiuſdem Excellentiſſimi Senatus arbitror, non ideo negaſſe hypothecam illi ſingraphæ, eo quia arbitratus fuerit nō cambio reali, & vero ineſſe eadem hypothecam, ſed literis eiuſdem, ſed ideo, quia iuxta ea, quæ dicta ſunt in reſponſione ad ſecundum obiectum, non cognouit in illo cōtractu ineſſe propriè cambium, licet cambij nomine palliaretur, ſed contractum innominatum fortunæ aleæ iuxtà ea, quæ dicta ſunt ſupra *de Camb. II. Diſqu. 3. §. 1.*, vel eſſe cambium ſiccum, cum regulariter fiat ſolutio in fine nundinarum in eodem loco, in quo fuit celebratum ſine alia literarum miſſione.

§. VII.

An contrahentes priuati, qui non ſint Mercatores, efficere poſſint, vt ipſorum priuata ſcriptura in ſuppoſitione, quod non ſit ſufficiens ad hypothecam, ſit, ſeu fiat ſufficiens, maximè in præiuditium tertij.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis. 1.
Sententia aſſerens non poſſe. 2.
Sententia affirmans poſſe. 3.
Scriptura priuata illis qualitatibus affecta inducit hypothecam. 4.
Soluuntur argumenta pro ſententia negante. 5.
Aſſignatur diſpar ratio de teſtatoribus non valentibus omittere ſolemnitates iuris. 6.

1 Diſquiſitio VII. Suppono in primis, quod priuata ſcriptura, quæ non ſit Mercatorum, vim non habeat publici inſtrumenti, nec ſufficiens ſit ad inducendam, ſeu probandam hypothecam. Suppono ſecundò, quod talis priuata ſcriptura non ſit formalis litera cambij. His poſitis contrahunt inter ſe Titius, & Caius, & in vim contractus Titius ſoluit centum nummos aureos, Caius verò dat ſingrapham; quâ promittit ſoluere eidem Titio illos centum nummos aureos per ſe receptos Romæ, & aſſerit, ſe velle, vt illa ſcriptura æquam vim habeat, ac ſi eſſet publicum inſtrumentum, & formalis litera cambij ad effectū ſe obligandi verſus eundem Titium. Excitat hic controuerſiam *Borgninus Caualcanus deciſ. part. 2. deciſ. 27. num. 18.* an illa qualitas per ipſos contrahentes inducta, quod ſcilicet vim habeat, vel publici inſtrumenti, vel formalis literæ cambij, ſufficiens ſit ad inducendam hypothecam, ſi illam ſecundum ſe ſcriptura priuata non haberet.

Negat multis rationibus idem *Borgninus Caualcanus* per ea, quæ ſcribunt 2
Anton. Galeſ. ad form. cam. oblig. in 3. part. quaſt. 4., Burſat. conſil. 103. num. 1., & 2. vol. 1., Decianus conſ. 11. num. 158. vol. 1. Anchar. Regienſ. conſ. 15. lib. 2. Rima. Iun. conſ. 39. num. 64. vol. 1., & primò, quia priuati contrahentes non habent poteſtatem conficiendi ſcripturas, quæ ſint tanti roboris, ac ſi eſſent confectæ per publicos Notarios, ſeu Tabelliones, nam quoad effectum perindè ſe haberent, ac ſi auctoritatem à publico accepiſſent, ſeu acciperent, ſicuti accipiunt Tabelliones, quod eſt abſurdum per ea, quæ ſcribunt *Innocentius in cap. cum P. Tabellio de fid. inſtrum. Alexander in l. 1. §. fin. num. 3. ff. de verb. oblig. Simon de Pretis de interpret. vlt. volunt. lib. 2. fol. 2. num. 15. Maſcardus de probat. concl. 111. n. 47. vol. 1.* Secundò, quià, quamuis talis contrahentium conuentio ſufficiens eſſet ad probandum, ſeu ad inducendum, quod priuata ipſorum ſcriptura fidem faceret, ſicut inſtrumentum per ea, quæ ſcribunt *Paulus de Caſtro conſ. 134. num. 2. vol. 1., Crauet. conſ. 939. num. 12. vol. 5.* nō eſſet tamen propriè inſtrumentum, ſed fictè, & per conſequens non conferret hypothecam, nec vim prælationis in ordine ad alios habentes ſpecialem, vel generalem hypothecam, quinimmò nec executionem paratam, quià diſpoſitio loquens in caſu vero non trahitur ad fictum *Bartolus in l. omnes populi nu. 60. ff. de iuſt., & iur. & in l. ait prætor §. hac verba ff. de neg. geſt., Ioannes Petrus Surdus conſ. 103. num. 3.* Tertiò, quià priuilegium à iure conceſſum eſt alligatum, vel ſcripturis publicis ſecundum ſe, vel literis cambij, cui nequeunt priuatæ perſonæ præiudicare *Alexander in l. non tantum nu. 12. ff. de re iud., Aret. §. id iuris nu. 51. Inſtit. de exceptionibus* ſicuti nequeunt teſtatores præiudicare iuri in ſolemnitatibus requiſitis ad teſtamentum *l. nemo poteſt ff. de leg. 1.* Hæc fermè idem Borgninus.

3 Contrarium adiudicauit Excellentiſſimus Mediolani Senatus ſub die vltima menſis Auguſti 1650. prout retuli in præcedenti diſquiſitione in cauſa Vigletij contrà Ghiſlanzonum, prout refert *Sadarinus reſponſo 20.n.23.* citato eodem Borgnino, cui aduerſatur ſententia eiuſdem Excellentiſſimi Ordinis, quam ſententiam ea ratione prolatam exiſtimo, quia ex partium cõuentione illa ſcriptura talibus qualitatibus affecta in effectu æquiualet formalibus literis cambij, & cum talis ſcriptura ſic concepta vim habeat, vt fidem faciat, ſicut inſtrumentum ad notata per *Paulum de Caſtro conſ. 134. num.2. vol.1. Crauetum d.conſ.939.n.12. vol.5.* habet ea omnia, quæ ex iuris diſpoſitione requiruntur, vt habeat annexam hypothecam, non enim alia ratione conceditur hypotheca literis cambij, niſi quia ſunt probationes contractus iam initi, ratione cuius cõceditur talis hypotheca, vt ſupra latè probauimus. Quamobrem

4 Reſpondeo, in terminis propoſitæ difficultatis, ſcripturam priuatam illis qualitatibus, de quibus ſupra, affectam inducere hypothecam, adeòq; rectè adiudicaſſe Senatum Excellentiſſimum Mediolanenſem. Ratio eſſe poteſt primò, quia per ſpecialia contrahentium pacta in quolibet contractu poteſt induci hypotheca, ergo per conuentionem, qua ſtatuitur, quod aliqua priuata ſcriptura facta in confirmationem contractus habeat vim cambij realis, perindè ac ſi eſſet formalis litera cambij, re vera inducitur hypotheca. Conſequentia probatur, quia conuenire, quod ſcriptura priuata habeat vim eandem, ac ſi eſſet formalis litera cambij, eſt conuenire, quod eadem ſcriptura habeat omnia ea iura, omnia eadem priuilegia, omnes eaſdem prælationes, ac ſi eſſet talis formalis litera, ergo perindè eſt, ac ſi conueniretur de hypotheca, quandoquidem eidem literæ cambij ex diſpoſitione iuris municipalis per N. C. Mediol. ineſt eadem hypotheca, & qui conuenit quoad rationem, cui annexa ſunt iura, & prælationes, intelligitur conuenire quoad eadem iura, & prælationes. Antecedens primi argumenti ſic euincitur, quia hypotheca non ſolùm inducitur tacitè per leges, ſed etiam per pacta, & conuentiones, & liberum eſt contrahentibus, non ſolum ſe perſonaliter obligare, ſed etiam realiter quoad ſua bona, & ſicuti poſſunt ſe obligare liberè ad hypothecam quoad ſubſtantiam in ijs contractibus, in quibus ex diſpoſitione iuris eadem hypotheca annexa non eſt, ita poſſunt ſe obligare pro eadem hypotheca quoad ea, quæ requiruntur ad probationem eiuſdem contractus, ſeu eiuſdem hypothecæ in ijs contractibus, in quibus ex diſpoſitione eiuſdem iuris eadem hypotheca annexa eſt.

Per ſpecialia cõtrahentium pacta poteſt induci hypotheca, vbi non eſt à iure inducta.

Poſſunt contrahentes non ſolũ ſe perſonaliter obligare, ſed etiam realiter,

Ratio eſſe poteſt ſecundo, quia contrahentes in ijs, in quibus à iure non prohibentur, poſſunt ſibi legem conſtituere, cui poſtea ſtare tenentur, ſiquidem pacta, quæ iuri non aduerſantur, ſeruanda ſunt iuxtà vulgata iura, ſed ex eo, quod iura municipalia ſtatuant hypothecam literis cambij non prohibent, quin contrahentes per ſuas ſpeciales conuentiónes poſſint ſe inuicem obligare ad ſtandum, & parendum priuatæ ſcripturæ, perindè, ac ſi eſſet formalis litera cambij, ergo &c. Minor probatur, quia illa diſpoſitio non ſtat reſtrictiuè ad talem modum, & priuatiuè quoad alium quemcunque poſſibilem, vt per ſe patet, & ex alia parte, ſicuti contrahentes in ijs, in quibus non eſt inducta hypotheca legalis, poſſunt conuentionalem inducere, cur non poterunt vbi inducta eſt legalis, & affixa literis cambij efficere, vt eadem legalis locum habeat etiam in apocha affecta ex conuentione illis iuribus, & qualitatibus, quibus afficiuntur literæ cambij, & per propria pacta ſupplere formalitatem, & publicitatem literarum cambij?

Contrahentes ſibi legem conſtituunt, vbi lex non prohibet.

Dices, poſſe quidem ſupplere talem formalitatem, & publicitatem, ſed requiritur pro tali ſupplemento aliquod æquipollens, quod ex diſpoſitione iuris aptum ſit tali muneri, puta ſubſcriptio trium teſtium ad notata *in l. ſcripturas C. qui potior. in pign. hab.*, nec ſufficit ſupplementum per aliquid, quod ſecundum ſe non eſt aptum, nec ex diſpoſitione iuris ad tale munus, cuiuſmodi eſt priuata ſcriptura. Sed contra, quia ſubſcriptio trium teſtium eſt ſupplementum à iure diſpoſitum, quando aliud ſtatutum non eſt inter partes, non tollit tamen talis iuris diſpoſitio, quin per ſpeciales, & expreſſas partium cõuentiones poſſit quid aliud induci, quod vim habeat ad tale munus ex expreſſa eorundem contrahentium voluntate. Certè contrahentes poſſunt per pacta ſe mutuo obligare quoad ſubſtantiam, ergo etiam per mutuum conſenſum poſſunt ſe obligare quoad modum, vndè in tali caſu actio non erit quoad modum ex iuris diſpo-

Subſcriptio triũ teſtium eſt ſupplementũ à iure diſpoſitũ

Digitized by Google

diſpoſitione, ſed ex expreſſa mente eorundem contrahentium.

5 Nunc ad rationes, quæ ex Borgnino Caualcano aſſeruntur, reſpondendum eſt, & quidem concedendum eſt, non poſſe per priuatos contrahentes conſtitui Tabelliones, negandum tamen, quod non poſſint per ſpecialia pacta in ordine ad ſe ipſos ſpecialitèr obligandos vim conferre priuatę ſcripturæ tanti, ſeu æquiualentis roboris, ac ſi eſſet per Tabelliones confecta, ſicque hæc ſcriptura licet in ordine ad hunc effectum æquiualeat ſcripturæ Tabellionis, in pluribus tamen ab eadem differret; primo, quia ſcriptura Tabellionis fidem facit ſecundum ſe nulla poſita expreſſione, hæc vero non eſt ſufficiens, niſi cum illiſconditionibus expreſſis; illa non indiget probatione, nec recognitione, hæc in caſu negationis ad obligandum indiget recognitione; illa habet auctoritatem publicam, hæc non niſi priuatam; illa reſidet penes Tabellionem quoad originale, à quo non recedit, niſi per extracta, hæc remanet penes contrahentes, penes quos poteſt eſſe dubium falſificationis &c. Illa munitur fide quaſi duplicis teſtis, cum Tabellio duorum teſtium vicem obtineat, cum & vt Notarius, & vt teſtis fidem faciat *§. item verborum vbi not., Inſtit. de inutil. ſtip., Baldus conſ. 384. vol. 3., Rolandus à Valle conſ. 38. num. 27., & 35. vol. 1.*, hæc autem nullius teſtis munimine roboratur, ſed tantum conſenſus contrahentium expreſſione firmatur, adeoque &c.

Aſſignatur diſcrimina inter ſcripturas tabellionis, & inter ſcripturam priuatam contrahentium.

Ad ſecundum dicendum eſt, quod, ſi talis contrahentium conuentio eſt ſufficiens ad inducendum, quod priuata ſcriptura fidem faciat, vt publicum inſtrumentum, vt fateri videtur *idem Borgninus Caualcanus* per ſcripta *à Paulo de Caſtro, & Craueto ſuprà allegatis*, non ſit, cur eidem denegari debeat hypotheca, ſiquidem ex ſuperius dictis hypotheca conceditur contractui ſecundum ſe, & literis cambij ſolummodò, vt rationi probanti, ſeu modo aptò ex diſpoſitione iuris ad probandum. Si igitur ex conuentione partium illa ſcriptura apta eſt ad probandum, apta per conſequens etiam erit ad habendam ex conuentione earundem partium hypothecam, quæ contractui ex diſpoſitione iuris municipalis conceditur. Hinc fateor, quod propriè, & realitèr non ſit inſtrumentum, nec litera cambij formalitèr, nego tamen, quod non ſit inſtrumentum, vel litera cambij æquiualentèr præcipuè in ordine ad effectum principalitèr intentum à contrahentibus, nec in rigore poteſt dici inſtrumentum, nec litera cambij fictè, quia quod fictum eſt nec habet eſſe in ſe, nec poteſt parère effectum, ſed ad ſummum æquiualentèr in ordine ad effectus ad quos ordinatur. Deindè licet diſpoſitio loquens in caſu vero non trahatur ad fictum, fallit tamen, quando fictum vero æquiparantur per viam regulæ, vt in caſu noſtro, quo dicitur, ac ſi, eſſet formalis litera cambij, ſeu ad normam literæ cambij *textus in l. 1. §. 1. ff. ad leg. Falcid. cap. cum dilectus, & cap. ad audientiam de clericis non reſidentibus, Alexander conſ. 178. incip. in occurrenti col. vlt. vol. 2., Gutierez pract. quæſt. lib. 1. quæſt. 122. num. 3.*

Ad tertium dicendum eſt, ex diſpoſitione iuris hypothecam affigi inſtrumentis, vel literis cambij, quantum eſt ex diſpoſitione iuris, adeo vt, ſi ipſi contrahentes nihil exprimant, non niſi inſtrumentis, vel literis cambij intelligatur affixa; per hoc tamen non tollitur, quin ex contrahentium expreſſo conſenſu poſſit apponi alteri iuri fundato in priuatis ſingraphis ſupplente conuentione formalitatem, ſeu publicitatem literarum cambij requiſitam à iure; non enim diſpoſitio iuris in hypotheſi, de qua loquimur, ſtat reſtrictiuè, & priuatiuè, nec reſtringit facultatem contrahentium, ſed merè diſponit, quando aliud per contrahentes non diſponitur, nec per hoc, quod contrahentes aliter diſponant, præiudicium infertur eidem iuri, cum non limitet poteſtatem ad aliud ſufficiendum pro eiſdem literis. Ad id, quod ſubditur de teſtatoribus non valentibus omittere ſolemnitates iuris ad validum teſtamentum requiſitas, dicendum eſt, vim non habere in hypotheſi noſtræ reſponſionis, quandoquidem diſpoſitio iuris quoad has ſolemnitates ſtat reſtrictiuè, & concipitur per verba excludentia quemcunque alium modum, vt latè alibi de hac re diſſeretur *l. hac conſultiſſima C. de teſtam. in §. per nuncupationem*, quod non militat in caſu noſtro, ideo &c.

Ius non limitat poteſtatē ad aliud ſufficiendum pro literis.

Digitized by Google

§. VIII.

An literæ cambij, quæ virtute Nouiſſimæ Conſtitutionis Mediolanenſis habent hypothecam, ſi producantur in alio loco iudicij, habere debeant eaſdem prælationes, & iura.

SVMMARIVM.

Refertur ratio dubitandi. 1.
Rationes pro vtraque parte. 2.
Titius alijs creditoribus vbique præferendus eſt. 3.
In deciſorijs attenditur locus contractus, non iudicij. 4.
Contrahens in aliquo loco ſubditur legibus talis locis. 5.
In deciſorijs ſi iudicium ſit propter moram, & conſequentia ad ipſam, attenditur locus ſolutionis, ſeu iudicij. 6.

1 DIſquiſitio VIII. Initus fuit contractus hic Mediolani, vbi literis cambij ex vi iurium municipalium annexa eſt hypotheca, inter Titium, & Caium, vi cuius Titius ſoluit hic Caio mille nummos aureos, Caius vero literas dedit cambij, quibus ordinauit reſtitutionem Romæ faciendam per ſuum reſpondentẽ reſponſali eiuſdem Titij. Hoc interim, antequam literæ Romam peruenirent, idem Caius plura alia debita contraxit, ob quæ conſtituit hypothecam in omnibus ſuis bonis per publica inſtrumenta, & poſtea Romam ſe recepit, vbi literæ per ipſum datæ non fuerunt acceptatæ, ſed eleuatum ſuper eiſdem proteſtum, cumque idem Caius vergeret in decoctionem Romæ iudicium fuit intentatum, vbi bona aderant eiuſdem Caij, & in concurſu creditorum maxima controuerſia fuit excitata, quinam ex ijs eſſet præferendus, an Titius, qui habebat hypothecam anteriorem ex vi
2 literarum cambij iuxtà N. C. Mediolani, vbi contractus fuerat initus, an alij creditores, qui, quamuis poſteriores in tempore reſpectu eiuſdem Titij, hypothecam tamen habebant inſtrumentariam, & cum pleno iure, quæ vim habet vbique. Excipiebant iſti contra eundem Titium, quod hypothecam non haberet, niſi Mediolani, & quod iura illius ciuitatis non extendantur ad alia loca, in quibus propterea in iudicijs ſtandum eſt iuri communi, & licet res ageretur quodammodo in deciſorijs, cum tamen in eiſdem attendatur, vel locus contractus, vel locus deſtinatæ ſolutionis, & locus deſtinatę ſolutionis fuerit Romæ, contendebant rem dirimendam eſſe iuxta iura Romana; non iuxta ſtatuta municipalia Mediolani. Quæritur modo, quid iuris?

Reſpondeo, præferendum eſſe Titium alijs creditoribus, quamuis literæ cambij Romæ producantur, vbi iuditium fuit intentatum per ea, quæ 3
ſcribunt *Rodericus Suarez in l. poſt rem in declar. regu. num. 24., & 25. ff. de re iud., Minſiger. cent. 4. obſeru. 82. quando agitur cart. 356., Baldus in l. 1. in §. 9. C. ne fil. pro patre, Hypolitus in l. fin. num. 57., & ſeqq. verſ., & ex iſto dicto ff. de iuriſd. omn. Iud., Decianus conſ. 109. num. 36. vol. 2., Rolandus conſ. 75. num. 10. vol. 4., Iaſon in l. admonendi num. 95. ff. de iure iur., Maſcardus de probat. concl. 111. n. 13. vol. 1., & concl. 926. num. 4. vol. 2., Iaſon in l. cunctos populos col. 5. verſ. 2. ex hoc membro C. de ſumma Trinit., & fid. Cathol., Ancharanus Regienſ. quæſt. 63. in ſecunda parte, Petrus Duena reg. 146. in verb. conſuetudo.*

Probatur primo, quia hic verſamur in deciſorijs, non in ordinatorijs, & 4
iudicium reſpicit deciſionem contractus iam initi, non ordinationem contractus incundi, vt per ſe patet, ſed in deciſorijs attenditur locus contractus, non locus iudicij *Alexander conſ. 104. vol. 4., Cranetus conſ. 275. num. 1. lib. 2., Paſcetus conſ. 101., Rocch. de conſuetud. cap. fin. quæſt. 16. num. 45. verſ. tertio per præmiſſa, & Doctores omnes ſupra allegati in reſponſione*, ergo, cum in loco contractus initi literis cambij ſit annexa hypotheca, pro eadem hypotheca erit iudicandum. Confirmatur *ex l. ſi fundus, & ibi Bartolus ff. de euict.*, vbi dicitur, quod locus contractus debet inſpici in ijs, quæ pertinent ad deciſionem contractus *Bartolus in l. cunctos populos C. de ſumma Trinit., & fid. Cathol., & in l. 1. in princip. ff. de vſuris*, & licet ibi dicat, quod inſpicitur locus, vbi fieri debet ſolutio, non locus contractus in ijs, quæ veniunt propter moram in ſoluendo adhibitam, non aduerſatur tamen noſtræ reſponſioni, quia ibi agit de conſequentibus ad contractum propter moram, quæ certè attendenda ſunt in loco deſtinatæ ſolutionis, hic autem agitur de obligatione annexa eidem contractui in ſua radice, & origine, vnde merito dicit poſtea *in l. 3. §. fin. ff. de teſtibus, & in l. Titius*

Inſpicitur locus, in quo contractus perficitur.

§. Roma

§. Romæ ff. de excuſ. tutor., quod inſpicitur locus, in quo contractus conficitur.

Probatur ſecundo. Locus, quo actus geritur, debet inſpici quoad obſeruantiam ſolemnitatum *Ioannes de Lig. in tract. de ſententia excomm.* 10. *cart.*, *Bartolus in l. cunctos populos C. de ſumma Trinit., & in l. 2. in fin. C. quemadmodum teſtam. aper. l. Titius §. Romæ, & ibi Baldus ff. de excuſ. tutor.*, ergo etiam debet attendi locus, quo actus geritur, in ordine ad obligationes, quæ ex tali actu oriuntur. Conſequentia probatur, quia non eſt maior ratio, cur ad validitatem contractus attendi debeat locus, in quo contrahitur in ordine ad obſeruantiam ſolemnitatum, & non debeat attendi idem locus in ordine ad contrahendas obligationes, quæ annectuntur eidem contractui. Certè ſi ſtare debet contrahens ſolemnitatibus ſtatutarijs loci, in quo contrahit, cur non contrahere debet iura, & obligationes etiam ſtatutarias talis loci, in quo celebrat contractum?

Probatur tertio, quia omnis actio eſt ex contractu, & ex vi eiuſdem, ſed contractus eſt celebratus hic Mediolani ſecundum iura, & conditiones, quæ hic requiruntur, ergo actio debet eſſe ſecundum omnia iura, & conditiones, quas habet contractus hic, adeoque ſecundum prælationes etiam, & hypothecam, nec iudicium debet diſcordare à iure actionis, quæ intentatur ex vi contractus. Confirmatur, quia
5 ex eo, quod quis contrahat in aliquo loco, ex vi talis contractus, & quoad ipſum ſubditur legibus talis loci, in quo contrahit, ergo omnibus oneribus, & obligationibus debet ſubiacere, quibus ſubiacet contractus in tali loco, nec ex eo, quod in alio loco adiudicetur recedendum eſt à iuribus talis loci, ſiquidem actio oritur ex contractu in tali loco, ad quam actionem debet iudicium conformari.

Contrahens in loco ſubditur legibus talis loci.

6 Maior difficultas eſt in explicando, cur, cum in deciſorijs attendendus dicatur, vel locus contractus, vel locus deſtinatæ ſolutionis, & cum locus deſtinatus ſolutioni ſit extra territorium Mediolanenſe, nempè Romæ, vbi non adeſt illud priuilegium hypothecæ affixum literis cambij, ſit potius iudicandum pro loco contractus, quam pro loco ſolutionis. Qua in re dicendum eſt, in ordine ad diuerſas cauſas dici diſiunctiuè in deciſorijs attendi, vel locum contractus, vel deſtinatæ ſolutionis, ſi enim iudicium fiat quoad ea, quę veniunt propter moram in ſoluendo adhibitam, tunc attendendus eſt locus ſolutionis, *Bartolus in l. 1. in princip. ff. de vſuris* ſi verò iudiciũ ſit quoad ea, quæ reſpiciunt contractum in ſui origine quoad iura, & prælationes, tunc attendendus ſit locus contractus, & in hoc ſenſu intelligendi ſunt omnes Doctores præallegati, & *l. ſi fundus ff. de euictionibus*.

---

§. IX.

An in cambio recurſæ in locis, in quibus conceditur hypotheca literis cambij, perſeueret hypotheca prima literarum vſque ad integram ſatiſfactionem priuatiuè quoad alios habentes hypothecam ex cauſa ſubſequenti.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ. 1.
Rationes dubitandi pro vtraque parte. 2.
Attenta praciſè natura contractus non perſeuerat hypotheca primarum literarum ad excluſionem aliorum habentium poſteriorem hypothecam. 3.
Secus, ſi debitor acceſſerit, vt fideiuſſor pro recambio. ibid.
Nonnullæ obiectiones, & ſolutiones. 4.

DIſquiſitio IX. Franciſcus de anno
1670. die prima Octobris dedit 1
hic Mediolani Titio titulo cambij ſcutos mille pro ſcutis mille duodecim Marcharum; Titius dedit eidem Franciſco literas pro forò proximo Placentiæ cum pactis, & conditionibus recurſæ iuxta modum, & formam ſuperius expoſitam. Acceptatæ fuerunt, & virtualitèr ſolutæ literę iuxtà tenorem earundem, & indè celebratum fuit recambium cum nouis literis, & ſic ſucceſſiuè vſque ad diem 29. menſis Nouembris anni 1678., & ſic per eandem partitam ex via cambiorum, & recambiorum ſumma debita per Titium Franciſco peruenit v.g. ad ſcutos mille centum, & quinquaginta. His ad talem ſtatum deductis Franciſcus amicabilitèr petit à Titio, vt pro eiſdẽ ſatiſfaceret, cumque hic renueret, egit in iudicio, eoque condemnato, dum procederet ad executionem, Petrus vti creditor hypothecarius ſe oppoſuit docens de ſuo credito, & hypotheca per publicum inſtrumentũ confectum

anno

Digitized by Google

anno 1671. petens retardari executionem, & audiri. Hic controuerſia excitata eſt, quinam ex ijs ſit præferendus. Allegabat Franciſcus ſuam hypothecam anteriorem ex vi *N. C. Mediol. lib. 5. de Officio Abbatum, & Conſulis Mercatorum §. eo amplius ſancitum eſt*, quam originalitèr contendebat ineſſe primis literis cambij, & vi ipſarum perſeuerare vſque ad integram ſatisfactionem. Excipiebat Petrus, quod, quamuis re vera ineſſet hypotheca literis cambij primis, nihilominus, cum idem primum cambium per virtualē illam ſolutionem factam in foro Placentiæ intelligatur extinctum, intelligitur etiam extincta hypotheca, quæ nequit eſſe ſine principali, & ſic alia cambia poſtea inita aſſerebat, eſſe, vel abſque vlla bonorum obligatione, cum fuerint inita in locis, in quibus literis cambij non eſt conceſſa hypotheca, vel ſolum cum obligatione poſteriori, cum inita fuerint poſt inſtrumentum hypothecarium in ſui fauorem confectum. Quid igitur iuris?

2

Exceptiones Petri producuntur.

3 Pro huius controuerſiæ diſcuſſione vix aliquid ſuperaddendum remanet ijs, quæ diximus *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 6.*, vbi proponuntur rationes pro vtraque parte, & concluditur pro Petro attenta præciſè natura contractus, & illis, quæ poſtea addidimus *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 21.* vbi conſiderato præciſè contractu ſecundum ſe idem ſtatuimus, licet poſtea dixerimus, quod, ſi campſarius, ſeu debitor ex cambio dando primas literas acceſſerit, vt fideiuſſor ex vi quodammodò obligationis fideiuſſoriæ à die, quo primæ dictæ literæ datæ fuerunt, remaneat obligatus, vbi nonnullas declarationes Excellentiſſimi Mediolani Senatus allegauimus. Recole, quæ ibi dicta ſunt, non enim vacat hic repetere.

Attenta natura contractus non remanet hypotheca.

Secus, ſi ſit acceſſio per fideiuſſionem.

4 Solum hic remanet ambigendum, quomodo in data hypotheſi fideiuſſionis præſtitæ à debitore cambij in prima celebratione contractus eadem poſſit permanere ad effectum retinendi obligatum debitorem à die, quo datæ fuerunt primæ literæ, dum extinctū, ſeu extingui ſupponitur primum cambium, cui annexa ſupponitur actio fideiuſſoria, per virtualem illam ſolutionem, cum ſit regula indubitata, quod per ſolutionem principalis ceſſet omnis actus, & omnis hypotheca *l. 16. item liberatur §. qui paratus ff. quib. mod. pign. vel hypoth. ſoluat.*, & quod per ſolutionem tollatur nō ſolum actio perſonalis, ſed etiam hypothecaria ex veriori tenuit Senatus Mantuanus, prout refert *Surdus deciſ. 266. quæſtio ſub num. 6. iuncto num. 3. in fin. verſ. credidit*, item quomodò cum actio hypothecaria ſit annexa literis cambij ijs quoad effectum extinctis poſſit in ſola fideiuſſione fundari, cum hypotheca ad literas reſtringatur. Nihilominus dicendum eſt, & quidem;

Rationes in oppoſitum afferuntur.

Ad primum, fideiuſſionem non accedere præciſè pro primo contractu, ſed pro eodem, & alijs omnibus vſque ad integram ſatisfactionem actualem, & ſic extincto etiam primo cambio perſeuerare in ſecundo, & alijs omnibus vſque ad complementum, & cum originalitèr inſit primo ab eodem ſumit iura prælationis, & hypothecæ, nec exiſtimandum eſt, quod extincto primo cambio extinguatur fideiuſſio etiā quoad ipſum, & alia, & alio inito cambio in virtute primi, cum ſit cambium recurſæ, nouato, etiam ponatur fideiuſſio diſtincta à prima, non, inquam, exiſtimandum, quandoquidem fideiuſſio in hac hypotheſi indiuiſibilitèr ſe habet ad omnes contractus, & eadem perſeuerat in omnibus cum eiſdem iuribus, ſiquidem ponitur per conſenſum fideiuſſoris, qui vnus ſupponitur reſpectu omnium, cum à principio conſenſerit ad omnes vſque ad integram ſatisfactionem actualem, vndè nos non lædunt ea, quæ afferuntur *ex l. item liberatur §. qui paratus ff. quibus mod. pig. vel hypoth. ſol.*, & ex Senatu Mantuano, quandoquidem ea ſupponunt, quod facta fuerit ſolutio principalis, & vltimata, ad quam præciſè fideiuſſor ſe obligauit ſine ordine ad alia; ea autem, quæ nos hic dicimus, procedunt in ſuppoſitione, quod fideiuſſor non ſolum ad primum cambium ſe obligauerit, ſed ad alia omnia vſque ad integram ſatisfactionem actualem, adeoque ad extinctionem vnius non tollitur, ſed dumtaxat ad diſſolutionem vltimatam omnium.

Solutio prima primæ inſtantiæ propoſitæ.

Ad ſecundum item aſſerendum eſt, quod, cum fideiuſſio annectatur literis cambij, ex vi earundem eadem iura, eadem onera cum illis ſortiatur, & licet primæ literæ quoad actum quodammodò extinguantur, non extinguuntur tamen quoad virtutem, vndè merito *Olea de ceſſione iurium tit. 7. qu. 4. num. 25.* dixit, quod, quamuis primum cambium extinguatur per illam virtualem ſolutionem; fixa tamen à die, qua ipſum celebratum eſt, & datæ fue-

Solutio ſecunda ſecundæ inſtantiæ propoſitæ.

Digitized by Google

fuerunt primæ literæ, maneat hypotheca, quod non alia ratione dictum arbitror, niſi, quià eiſdem literis implicitè appoſita eſt fideiuſſio pro alijs omnibus per ea, quæ latè dixi *in dicta Pranot. 6., & Pranot. 21.* in qua dictæ literæ dicuntur virtualitèr durare.

---

§. X.

An hypotheca, quæ conceditur literis cambij, reſpiciat etiam nomina debitorum ipſius debitoris ex cambio.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Duo articuli circà ipſam excitati. 2.
Titius habet prælationem reſpectu Antonij aduerſus debitores Sempronij, adeòque poteſt impedire executionem. 3.
Si debitores Sempronij excuſſi ſoluerint Antonio bona fide non poteſt amplius Titius contrà eoſdem intentare actionem hypothecariam. 4.

1 DIſquiſitio X. Titius ex titulo cambij factus eſt creditor Sempronij ſcutorum mille auri, & ratione literarum ſibi datarum ſupponitur habere hypothecam omnium bonorum, iurium in forma tùm præſentium, tùm futurorum, quæ hypotheca firmatur etiam ſpeciali obligatione inter ipſos contrahentes conuenta. Idem Sempronius debitor ex dicta cauſa habet etiam nonnullos debitores ſibi obligatos; contrahit poſteà hic cum Antonio, eidemque obligat omnia ſua bona, iura &c. & expreſsè etiam nomina eorundem debitorum. Quibus poſitis Antonius in vim dictæ obligationis, vt ſatisfiat de ſuo credito, agit contrà eoſdem debitores, & reportat contrà eoſdem præceptum executiuum. Quæritur iam, vtrum Titius creditor anterior hypothecarius poſſit impedire talem executionem.

2 Ad huius difficultatis plenam diſcuſſionem duo ſunt excitandi articuli, ex quorum examine plenior euadet reſolutio. Primus erit, an Titius ius prælationis habeat in ordine ad huiuſmodi debitores Sempronij aduerſus Antonium, quamuis hic habeat expreſſam actionem hypothecariam contrà illos, ipſe verò ſolum tacitam, prout comprehenditur generatim ſub nomine omnium bonorum, & iurium.

Duo articuli excitati circa propoſitam difficultatem

Secundus, an, ſi debitores eiuſdem Sempronij modo, quo ſuprà, excuſſi ſoluerint eidem Antonio, poſſit Titius, vel contrà eoſdem, vel contrà eundem Antonium agere in virtute anterioris hypothecæ, quam habet, an verò ceſſet actio ipſius.

Reſpondeo primò, Titium habere prælationem reſpectu Antonij aduerſus eoſdem debitores Sempronij, adeòque de iure poſſe impedire executionem, quam in iudicio reportauit idem Antonius. *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 5. num. 418. & in tractatu de appellat. quaſt. 17. lim. 6. memb. 4. ſub n. 85.* 3 Probatur, quià in generali hypotheca, qua creditori ſubijciuntur omnia bona, & iura debitoris tum præſentia, tum futura veniunt ea omnia, quæ generalitèr, & ſpecialitèr poſſunt pignorari, nec ex ſpeciali iure prohibentur; ideò enim dicitur generalis, quià omnia comprehendit, ſed nomina debitorum pignorari, & generalitèr, & ſpecialitèr poſſunt *l. nomen 4. C. qua res pign. oblig. poſ.* ergo &c.

In generali hypotheca veniunt omnia, quæ poſſunt pignorari.

Probatur ſecundò, quià, ſi quæ ratio euinceret, quod Titius non poſſet impedire executionem Antonij, maximè quià hypotheca Antonij eſſet expreſſa, illa verò Titij non niſi tacita, ſed hæc ratio nihil euincit, ergo &c. Minor probatur, quià hypotheca tacita prior præfertur expreſſæ poſteriori *l. 1. 2. reſponſ. C. rem ali. ge. Dinus in reg. qui prior in 6. Gloſa in l. pignus C. qui potior. in pig. hab.* Neque dicas, non ideò non poſſe impedire, quià ipſius hypotheca ſit tacita, ſed quià hypotheca tacita non trahitur ad nomina debitorum *Gloſa in l. heredes C. de hered. act.* contrà enim impugnaberis, quià *Gloſa in d. l.* loquitur in terminis dotis, ſecundum quos etiam aſſerit, quod mulier creditrix poſſit inſtituere actionem vtilem contrà debitores iuxtà *l. ſi conuenerit 2. in princip. ff. de pignor. act. & l. nomen C. qua res pign. obl. poſ.* vel quod ſi non poſſit agere actione perſonali contrà debitores viri, poſſit tamen agere hypothecaria. Deindè dic cum eadem Gloſa textum ibi loqui ſecundum iura antiqua, non ſecundum nouas diſpoſitiones. Tandem in hoc Gloſa eſt ſingularis, cum plurimi Doctores contrarium aſſerant.

Si nō poteſt agere perſonali, poteſt agere hypothecari.

Reſpondeo ſecundò, ſi debitores Sempronij excuſſi ſoluerint Antonio bona fide non poſſet amplius Titius contrà eoſdem intentare actionem hypothecariam *Afflictus deciſ. 190. pulchrum num. 6. & 7.* qui etiam refert ità 4

fuiſſe

Digitized by Google

Conſiliũ Neapolitanum.

fuiſſe reſolutum in Conſ. Neapol. re pleuè diſcuſſa, & ſequuntur Genuenſes *in Stat. l. 4. cap. 7. §. penult.* & expreſſe habetur *in l. nomen C. quæ res pign. oblig. poſ.* vbi ſic legitur, *niſi ei, cui debuit, ſoluit nondum certior à te de obligatione tua factus*, & *Gloſa ibidem verſ. certior* ſubdit, *quià ei non denuntiaſti, vel litem contrà eum non conteſtatus fuiſti &c.* Ratio reſponſionis duplex quodammodò eſt, altera à priori, altera à poſteriori. Prima, quià actio hypothecaria aduerſus eoſdem debitores fundatur in debito, quod ipſi habebant erga debitorem ipſius creditoris hypothecarij, ſed per ſolutionem per eoſdem debitores factam alijs creditoribus eiuſdem debitoris legitimè illud debitum extinctum eſt, ergo & actio hypothecaria in eodem fundata, ſiquidem hypotheca ſine principali eſſe non poteſt *l. fideiuſſor obligari in princip. ff. de fideiuſſ. Baldus in l. cum oportet §. fin. C. de bon. quæ lib. per gloſ. ſing. in l. ſi hæres pecuniam ff. ad Trebel. Baldus in l. 2. C. de luit. pig.* Minor probatur, quià huiuſmodi debitores non tenentur, niſi fuerint requiſiti, niſi circà ſuum principalem creditorem, ergo cum eidem ſoluerint, quod debebant, ſeu alteri in extinctionem debiti ipſius creditoris conſtante de eodem debito legitimè, vel auctore Iudice, vel ex commiſſione ſui principalis legitimè debitum extinxiſſe dicendi ſunt, nec erit, quid obſtare poſſit tali extinctioni; neque dicas, obſtare præiuditium, quod creditori anteriori ex illa ſolutione prouenit, quandòquidem per illam amiſit ius, quod legitime poſſidebat; contrà enim impugnaberis, quià debitores ex eo, quod fuerint conſtricti ad ſoluendum, non debent curare de præiuditio illius creditoris hypothecarij, cum ad illud merè negatiuè ſe habuerint, cum illis non ſit impoſitum onus conſulendi indemnitati illius, niſi ad ſummum, quatenus fuerint admoniti, vndè debet creditor ſibi imputare, quod non admonuerit, vel proprio infortunio, quod non ſciuerit, vt ſolutionem illam impediret.

Duplex ratio reſponſionis, altera à priori, altera à poſteriori.

Debitores non tenentur erga fideiuſſores niſi requiſiti.

Secunda ratio à poſteriori eſt, quià, ſi creditor hypothecarius primus poſſet pecuniam a debitoribus ſui debitoris ſolutam alijs creditoribus eiuſdem debitoris quamuis ſibi poſterioribus auocare, innumeræ litium conſurgerent origines, humana ceſſarent commertia, & de facili mercatores a contrahendo deterrerentur, præcipuè, cum agitur de ſolutione per pecuniam, quæ de facili conſumitur, vel ſaltem præſumitur conſumpta ad differentiam aliarum rerum immobilium, vel etiam mobilium, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, quæ non ità facile conſumuntur; atque hæc eſt ratio, ob quam refert *Afflictus d. deciſ. 190.* Concilium Neapol. ità reſoluiſſe; neque huic reſolutioni obſtare poſſunt ea, quæ affert *Straccha tract. de decoct. part. vltim. ſub num. 30. verſ. ſed licet iunctis num. præced. 26. & ſeqq. tom. 6.* non, inquam, obſtare poſſunt, vel quià procedunt ſolummodò de ſolutione facta per debitorem debitoris mala fide, vel quià ſolum vim habent in auctoritate aſſerentis.

Secunda ratio à poſteriori deducta.

Conſiliũ Neapol.

Dixi in reſponſione, *bona fide*, nam, ſi debitores debitoris ſoluerent mala fide alijs creditoribus ſui debitoris ſibi poſterioribus in iure, certè non eximerentur ab onere, nec ceſſaret ius creditoris primi hypothecarij, quia hæc ſolutio præſumeretur facta in fraudem eiuſdem creditoris anterioris per ea, quæ ſcribit *Scaccia tract. de commert. §. 2. Gloſ. 5. num. 445.* in quo ſenſu, nec procedere aſſerit Statuta Genuenſis, nec Conſil. Neapolitanum, quæ loquuntur dumtaxat de ſolutione facta bona fide. Ad quæ confirmanda exemplum affert idem *Scaccia loco quo ſuprà verſ. examplifica* de ſolutione facta a decocto paulo antè decoctionem aliquibus creditoribus poſterioribus, quam ex præſumptione, vtpotè factam in fraudem aliorum creditorum anteriorum aſſerit reuocari *Straccha tract. de Decoctor. part. 3. n. 28. tom. 6. part. 1.* vndè iuremerito cautum eſſe aſſerit in Statutis Genuenſibus *lib. 4. cap. 7. de decoctor. §. ſecuta declaratione, & §. ceſſiones*, quod ſolutiones, ceſſiones, dationes in ſolutum factæ per debitorem ad fauorem alicuius creditoris intra quindecim dies immediatè antecedentes diem decoctionis habeantur pro non factis.

Solutio præſumeretur facta in fraudem creditoris anterioris.

§. LXI.

Digitized by Google

§. XI.

An creditor habens ex vi literarum cambij hypothecata nomina debitorum ſui debitoris poſſit agere contrà eoſdem debitores non excuſso principali.

SVMMARIVM.

Refertur difficultas in ſuis terminis. 1.
Varij ſenſus, in quibus poteſt examinari dubium. 2.
Creditor hypothecarius, & inſtrumentarius cum expreſſione debitorum, & etiam ex vi literarum præcisè ſine eorundem expreſſione, ſi debitor eadem nomina alteri non ceſserit, poteſt immediatè agere contrà eadem etiam non excuſso principali. 3.
Etiam poſset agere, ſi debitor talia nomina alteri ceſserit, ſi ipſe fuerit creditor anterior cum hypotheca generali. 4.

1 DIſquiſitio XI. In hypotheſi, qua Titius aſſeritur creditor hypothecarius Sempronij ex literis cambij quoad omnia eiuſdem bona, iura &c. & nomina etiam debitorum, cum fuerit, quod Andræas, & Caius numerarentur inter debitores eiuſdem Sempronij, idem Titius, cum principalis non ſolueret tempore conuento, eodem omiſſo actionem intentauit contrà eoſdem Andræam, & Caium debitores Sempronij. Excipiebant iſti, quod actio contrà ipſos non poterat competere Titio, niſi prius excuteret Sempronium, vtpotè principalem debitorem; & per conſequens, quod ipſi non poſſint conueniri, niſi ſubſidiariè in defectum ſcilicet, ſeu impotentiam illius. Quæritur modo, quid iuris? Pro quo

2 Aduerte, in duplici ſenſu examinari poſſe propoſitum dubium, vel in ſimplicibus terminis literarum cambij, ſecundum quos non expreſsè, regulàritèr loquendo, obligantur nomina debitorum principalis debitoris obligati, vel in terminis inſtrumētariæ hypothecæ, ſecundum quos nomina debitorum expreſsè, & in indiuiduo ſimul cum omnibus alijs bonis obligantur. Porrò iuxtà primum ſenſum, vel Sempronius principalis debitor inita illa obligatione generali ſine expreſſione nominum debitorum eadem nomina alteri creditori ſpecialiter ceſſit, vel nulli ceſſit, ſed adhuc penes ſe retinet poſſeſſorio titulo. Iuxtà omnes hos ſenſus dubium propoſitum diſſoluetur, & ſic

Nomina debitorum, vel expreſsè obligantur, vel ſolū implicitè ſub generali hypotheca.

3 Reſpondeo primò, ſi Titius fuerit creditor hypothecarius, & inſtrumentarius, cum expreſſione debitorum, & etiam ex vi literarum præcisè ſine expreſſa mentione nominum debitorum, nec Sempronius eadem nomina alteri ceſſerit, poteſt immediatè agere contrà eoſdem debitores etiam ipſo principali debitore non aliter excuſſo, excluſa exceptione eorundem debitorum, quod debeat prius excuti principalis debitor. Quoad primam partem reſponſio eſt *Bartoli in l. nomen n.8., Baldi ſub nu.1. C. quæ res pig. oblig. poſ., Bartolus in l. ſi conuenerit la 2. n.4. ff. de pignor. act. Papiens. in pract. in form. reſponſ. libel. in actione hypot. in Gloſ. exceptionem excuſſionis n.8., Alexand. conſ.15. viſo, & conſiderato ſub num.6. lib.6., Neguſ. tract. de pign. in primo memb. 8. part. nu.19. in 6. fallen. tom.6. part.1.* Quoad ſecundam facilè deduci poteſt ex prima, vt infrà.

Probatur prima pars, quià, quandò æquè expreſſa ſunt nomina debitorum, ac alia bona, & iura principalis debitoris poteſt creditor hypothecarius contra quæcunque bona, vel iura voluerit ad conſequendum ſuum creditum, agere, vt per ſe eſt manifeſtum, ergo etiam poterit immediatè agere excutiendo eadem nomina debitorū. Conſequentia probatur, quià ipſa nomina debitorum ſunt intèr bona, & iura principalis debitoris hypothecata ipſi creditori expreſsè, & illa nomina, cum non fuerint alteri ceſſa, remanent penes ipſum debitorem principalem, ergo, ſicuti poteſt immediatè creditor agere contra alia bona, & iura penes creditorem exiſtentia, poterit etiam agere contra talia nomina excutiendo eadem &c. Neque dicas, iuxtà iuris ordinem prius agendum eſſe ad bona, & iura realia, quam ad perſonalia, adeòque prius quoad alia debitoris bona, quam ad debitores debitoris, quandòquidem hi poſſunt non eſſe obligati verſus ſuum creditorem, qui eſt debitor creditoris agentis, obligatione reali, ſed tantum perſonali; contra enim impugnaberis, quia ipſa nomina debitorum computantur inter bona realia, & ius illud, quod habet creditor in illa, quamuis comparatiuè ad eoſdem debitores non videatur cō-

Nomina debitorū ſunt inter iura debitoris principalis.

Tt ferre,

ferre, niſi ius ad rem, fundat tamen vim talem in creditore, vt immediatè contra illos poſſit agere eo modo, quo contrà illos immediatè poteſt agere immediatus creditor, qui per hypothecam obligauit talia nomina ſuo creditori, qui modo agit; vndè dici poteſt, quod quamuis ius obligantis talia nomina debitorum ſit tantum perſonale, & ad rem, prout confertur tamen ſub onere hypothecæ per ipſum obligantem ſuo creditori ſit reale, & in re non quidem in ordine ad bona eorundem debitorum, quæ fortiori iure creditor non poteſt obligare, ac habeat in ſe, ſed in ordine ad ſe, quatenus fundat actionem in re ad ſe ipſum, quamuis ipſum in ordine ad bona debitorum ſit tantum ad rem.

Nomina debitorũ computantur inter bona realia.

Probatur ſecunda pars, quià hypotheca, quæ conceditur literis cambij, attingit etiam nomina debitorum eiuſdem debitoris ex cambio per ea, quæ late tradidi §. *præcedenti*, quod etiam ſic roboratur, quià hypotheca, quæ reſpicit omnia iura, & bona, reſpicit etiam nomina debitorum per ea, quæ ſcribit *Scaccia tract. de Cambijs §.2. Gloſ. 5. num. 417. verſ. primo præmitto*, ſed hypotheca, quæ conceditur literis cambij, eſt ad omnia bona, & iura debitoris; ergo etiam ad nomina debitorum eiuſdem debitoris, ergo, ſi quãdò eſt expreſſa hypotheca etiã quoad nomina debitorum, creditor debitoris poteſt immediatè contra illos agere, poterit etiam agere, quandò implicitè veniunt nomina eorundem debitorum in hypotheca generali, qualis eſt illa, quæ annectitur literis cambiorum, quandòquidem hypotheca generalis etiam tacita trahitur ad omnia iura, niſi ſpeciali iure prohibeantur venire *l. hac edictali §.15. illud verſ. omnibus C. de ſecundis nupt.*, & tacita prior præfertur poſteriori expreſsæ *l. 1. 2. reſponſ. C. rem ali. ge. Dinus in reg. qui prior de reg. iu. in 6.* nec eſt aſſignabile ius prohibens venire &c.

Reſpondeo ſecundo. Si Titius fuerit creditor hypothecarius, vel ex inſtrumento, vel ex literis cambij, ſed ſine expreſſione quoad nomina debitorum, & Sempronius debitor illa nomina alteri ceſſerit, adhuc poſſet immediatè agere quoad talia nomina. Eſt expreſsè contra *Scacciam tract. de commerc. §.2. gloſ.5. nu.411. verſ. ſed in caſu*. Probatur, Si quæ ratio euinceret, quod immediatè non poſſet agere quoad talia nomina, hæc eſſet, quia per talem ceſſionem debitor tranſtuliſſet in ceſſionarium poſſeſſionem nominum eorundem debitorum, vt ſequitur *Scaccia loco quo ſupra nu. 263.* hancque rationem ponit pro excluſione talis actionis quoad talia nomina *ſub num. 421.* ſed hæc ratio nihil euincit, ergo &c. Minor probatur, quia per tranſlationem talis poſſeſſionis non potuit demere ius, quod creditor in talia nomina habebat ex vi præcedentis hypothecæ, ergo adhuc poterit contrà eadem agere. Antecedens probatur, quia, quamuis ceſſerit alia bona, ſeu iura, & poſſeſſionem eorum in alium tranſtulerit, non potuit tamen tollere actionem hypothecariam ſui creditoris ad illa; nam hypotheca tranſit cum re, & eam afficit, eiuſque poſſeſſorem *l. ſi prædium, & ibi Baldus C. de euictionibus*, ergo etiam quamuis ceſſerit nomina debitorum, eorumque poſſeſſionem in alium tranſtulerit non poterit tollere actionem &c. cum diſpar ratio non ſit aſſignabilis.

Hypotheca generalis trahitur ad omnia iura.

Dices, ſi ipſi debitores ceſſionario perſoluerent, actio in ipſorum nomina abſolutè ceſſat per ea, quæ dicta ſunt *in §. præcedenti* iuxtà textum *in l. nomen C. quæ res pignor. oblig. poſ.* ergo etiam ceſſare debet actio ſimpliciter per ceſſionem nominis eorundem debitorum, quamuis non ſequatur per ipſos ſolutio ceſſionario. Conſequentia probatur, quià ſemel facta ceſſione talium nominum parum referre poſſe videtur, quod ceſſi ſoluerint, vel non ſoluerint ceſſionarijs, quandòquidem ſi iuſtè iſti recipere poſſunt ſolutionem per ipſoſmet ceſſos ſibi factam etiam cum excluſionẽ primi creditoris, cur etiam acquirere iuſtè non poterunt ius ad illam ſolutionem per ceſſionem ſibi factam quoad illud ius. Sed contrà admiſſo antecedenti, ſi ſolutio facta fuerit bona fide, vtſupra, neganda eſt conſequentia, quià per ceſſionem præcisè non demitur hypotheca, cum debitum, in quo fundatur, adhuc permaneat, licet ius ad illud ab vno in alium nempè in ceſſionarium fuerit translatum, per ſolutionem autem factam bona fide, cum tollatur debitum tollitur, etiam hypotheca, quæ in eodem debito fundatur; nec valet dicere, quod, ſicuti per ſolutionem ſoluitur hypotheca, quia tollitur debitum, in quo fundatur, ità per ceſſionem etiam eadem hypotheca diſſoluatur, quià non amplius remanet debitum reſpectu illius, reſpectu cuius principalis debitor habet ius, cum debitum illud in alium transferatur, aduerſus 4

quem

Digitized by Google

Per ſolutionem abſolutè tollitur hypotheca, quià tollitur debitum.

quem ipſe creditor nullum omninò ius habet; non valet, inquam, quià per ſolutionem abſolutè tollitur debitum, ratione cuius non amplius eſſe poteſt actio contrà ſoluentes, qui, vt legitimè ſoluerunt, ſeu ſoluunt, eximuntur ab onere ſolutionis vlterioris; per ceſſionem autem debitum non tollitur, & licet ius ad illud transferatur ab vno in alterum, non tollitur tamen hypotheca, quià hæc tranſit cum re, eamque afficit, eiuſque poſſeſſorem, quouſque talis res permanet, & ſicuti re hypothecata permanente remanet in eadem hypotheca, quamuis ab vno res ipſa in alium transferatur, ità debito permanente ſemper ſiſtit hypotheca, quamuis ipſum debitum alteri cedatur.

---

§. XII.

An poſſit quis habere hypothecam in ſuo proprio nomine, & quomodò, & ad quos effectus.

SVMMARIVM.

Difficultas in ſuis terminis propoſita, & explicata. 1.
Debitor poteſt ſubijcere hypothecæ nomen proprium. 2.
Effectus præſcriptus hypothecæ in proprio nomine in fauorem creditoris eſt poſſe detinere debitum, quod habebat, propriumque creditum cum illo debito compenſare. 3.

1 Disquiſitio XII. Contraxit Sempronius ex titulo cambij debitum mille aureorum cum Titio, cui obligauit omnia ſua bona, & iura, & per conſequens etiam nomina debitorum, & etiam proprium, vt videtur innuere *Scaccia* licet ſatis obſcurè *loco ſuperius cit. num.* 423. Rurſus idem Titius alio contractu inito cum eodem Sempronio conſtitutus eſt debitor ipſius quoad ſummam mille aureorum, & vltrà, pro quibus hypothecæ ſubiecit omnia ſua bona, iura & etiam nomina debitorum. Quæritur iam cum obligatum habuerit ex contractu præcedenti cambij nomen Sempronij, modo proobligatione, qua ſubijcit hypothecæ idem Titius omnia ſua bona & iura, & nomina etiam debitorum, ſubijceat etiam hypothecæ eidem Sempronio nomen proprium ipſius ſibi virtute prioris contractus hypothecariè obligatum; Secundò, quemnam effectum parere poſſit talis hypotheca proprij nominis in fauorem eiuſdem Sempronij.

Reſpondeo primò, vtique poſſe Titium, & potuiſſe ſubijcere hypothecæ nomen proprium Sempronij eidem Sempronio, quinimmò in hypotheca generali omnium bonorum, iurium, & nominum debitorum etiam nomen ipſius Sempronij naturalitèr venire *Corn. conſ.* 65. *ſub num.* 26. ibi *tamen ſalua lucri ſententia, Socin. conſ.* 143. *diu profectò ſub num.* 14. *lib.* 1., *& conſ.* 180. *degente ſub num.* 2. *verſ. ſed adhuc reſtat vnus ſcrupulus lib.* 2., *Neguſa. part.* 2. *membro* 3. *nu.* 22. *fol.* 199. 2

Probatur primò, quia nomen proprium Sempronij eſt ſub hypotheca nominum debitorum reſpectu Titij creditoris, ergo, ſi Titius per generalem, & expreſſam hypothecam obligat eidem Sempronio omnia ſua bona, iura & nominatim nomina debitorum, obligat etiam eidem nomen proprium ſui ipſius, vtpotè contentum in nominibus debitorum ipſius Titij ex præcedenti cauſa creditoris, modo ex alio titulo debitoris, & obligantis omnia ſua bona, iura &c. Conſequentia tenet, quià qui expreſsè omnia obligat, nullum excipit, ergo cum nomen eiuſdem Sempronij contineatur ſub nominibus debitorum eiuſdem Titij æquè, ac alia bona, & iura ipſius ſubijcitur hypothecæ. 3

Qui omnia obligat nullũ excipit.

Probatur ſecundò. Si quid obſtaret aſſertioni, maximè hoc, quod, quamuis per eundem Titium non excipiatur expreſsè nomen Sempronij in obligatione generali ſuorum bonorum, iurium &c. quam ipſi præſtat, excipiatur tamen ex natura rei ſic poſtulantis, ne idem reſpectu ſui ipſius ſit ſimul debitor, & creditor, ſibimet ipſi obligatus, actor ſimul, & reus, ſed hoc nihil euincit, ſiquidem ex diuerſa cauſa nullà eſt repugnantia, quin virtualitèr rapræſentet duplicem perſonam, ſit creditor ſimul & debitor, agat ſimul quodammodo, & patiatur, maximè quod agendo agit procuratorio nomine in rem propriam actione ſibi conceſſa per debitorem ex vi hypothecæ, dum vero patitur, patitur ex propria obligatione, quam ſpontè ſubiuit, ergo &c.

Ex diuerſa cauſa poteſt idẽ raprçſentare duplicẽ perſonam.

Reſpondeo ſecundo, effectum præcipuum hypothecæ in proprio nomine in fauorem Sempronij eſſe poſſe detinere debitum, quod habebat cum Titio, propriumque creditum cum illo

Digitized by Google

debito compenſare *Neguſa d. part. 2. memb. 3. num. 23. Socinus conſ. 143. diu profectò ſub num. 14. lib. 1., & conſ. 180. diligentèr ſub num. 2. verſ. ſed adhuc lib. 2. Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 5. n. 423.,* & 438. Probatur primo, quia qui habet creditum aduerſus alterum poteſt iuſtè agere ad conſequendum illud, ſiquidem creditum tribuit ius ad agendum, ergo, ſi tantum apud ſe habeat ſui debitoris, quãtum ſufficiat ad compenſationem ſui crediti, poterit ex vi hypothecæ, quam habet ex conceſſione debitoris illud retinere, & compenſationem crediti cum debito facere, ſiquidem, ſi ex vi hypothecæ habet actionem ad acquirendum id, quod non habet, ex vi eiuſdem non eſt, cur non poſſit habere ius, ſeu actionem ad detinendum id, quod iam habet.

Exiſtente debito, & credito inter cõtrahentes fit compenſatio.

Probatur ſecundo, Exiſtente hinc inde inter contrahentes ex duplici contractu debito, & credito fit inter eoſdẽ compenſatio, ſi vtrumque fuerit ad æqualitatem ipſo iure ſine hominis miniſterio *l. verum l. 31. ambo ff. de compenſationibus l. ſi conſtat, & l. fin. C. eod. tit., & §. in bonæ fidei Inſtit. de actionibus*, ergo à fortior fieri poteſt talis compenſatio, & per conſequens etiam detentio, ſi debitum ipſum ſubijciatur per creditorem hypothecæ pro alio debito, quod ipſe contraxit cum ſuo primo debitore, quandoquidem ipſa hypotheca tribuit ius promiſſionis, & apprehendendæ, & adipiſcendæ, & fortius retinendæ *Alber. Brunus conſ. 1., & 2. col. 1.*

§. XIII.

An fieri poſſit detentio, & compenſatio, de qua ſupra etiam excluſione aliorum creditorum anteriorum, & hypothecariorum.

SVMMARIVM.

Proponitur, & explicatur ſtatus difficultatis. 1.

Si Antonius nihil denuntiauerit Sempronio, vtique hic poteſt detinere, & compenſare. 2.

Etiam ſi Antonius denuntiauerit, ſe eſſe hypothecam conſecutum quoad nomen Sempronij, adhuc poteſt Sempronius detinere, & compenſare. 3.

1 DIſquiſitio XIII. Sempronius erat debitor Titij ex cauſa cambij in ſcutis mille aureis. Idem Titius ex alia cauſa conſtituitur debitor eiuſdem Sempronij in totidem mille nummis aureis, qui Titius ſimul, & ſemel ſupponitur debitor in tot alijs nummis aureis erga Antonium cum hypotheca, & obligatione omnium ſuorum bonorũ, iurium &c. reſpectu eiuſdem Antonij, qui etiam ſupponitur anterior in cauſa. Quæritur iam hic, an Sempronius iuſtè poſſit detinere debitum, quod habet verſus Titium, & facere compenſationem cum credito, quod habet aduerſus ipſum non obſtante hypotheca, & anterioritate, quam habet Antonius aduerſus ipſum Titium. Procedit difficultas, ſiuè Antonius denuntiauerit eidem Sempronio anterioritatem ſui iuris cum prohibitione, ne illam compenſationem conſtituat, ſiue nihil denuntiauerit, nec prohibuerit &c.

Reſpondeo primo. Si Antonius nihil denuntiauerit Sempronio, vtique 2
hic poteſt detinere, & compenſare modo, quo ſupra, & poſita tali detentione, & compenſatione nullam habere poteſt exceptionem ratione anterioritatis &c. *Tynd. tract. de compenſatione part. 1. art. 6. num. 47., & 51., & ſeqq. tom. 6. part. 2. fol. 253., & art. 7. ſub num. 27. verſ. quid ergo, Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 5. nu. 424.* Probatur primo, quia, ſi debitores alicuius non præmoniti per habentem hypothecam anteriorem, & excuſſi per creditores licet poſteriores eiuſdẽ creditoris actu ſoluerint eiſdem, habens hypothecam anteriorem non poteſt contra eoſdem agere ad repetendum pretium per ipſos ſolutum per ea, quæ tradidi *ſupra ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ. 3. §. 10.*, iuxta textum *in l. nomen C., quæ rer. pig. oblig. poſ.*, ergo etiam, ſi Sempronius non præmonitus cõmpenſationem illam proprij crediti cum debito præſtiterit, non amplius obligatus remanebit verſus eundem Antonium, quamuis anteriorem in hypotheca. Conſequentia probatur, tum quia illa actualis compenſatio perindè eſt ac ſi eſſet formalis, & actualis ſolutio per ea, quæ ſcribunt *Pariſienſis conſ. 69. ſi iuris num. 7. Flam. Cartar. deciſ. 19. pulchrum num. 7.*, tum quia per illam ſolutionem factam per debitores debitoris creditoribus eiuſdẽ licet poſterioribus in tantum tollitur actio hypothecaria creditoris anterioris aduerſus ipſos, inquantum per ipſam ſolutionem tollitur debitum, in quo fundatur, & poſita ſolutione debiti tollitur omnis hypotheca *l. item*

Actualis compenſatio perindè eſt, ac ſi eſſet formalis ſolutio.

li:

Digitized by Google

liberatur §. qui paratus ff. quibus mod. pig. vel hypoth. ſol. l. 2., *& ibi Salicet. in ſumm. C. de pact. pign. Tiraquel. in tract. ceſſ. cauſ. part. 1. num.* 205, ſed etiam per talem compenſationem nullo contradicenté debitum ipſum extinguitur, ergo &c.

Probatur ſecundò, quià contracto hinc, & indè inter duos debito, & credito fit inter eoſdem immediatè compenſatio ſine vllo hominis miniſterio per ea, quæ allegauimus ſuprà *ex l. verum, & l. ſi ambo ff. de compenſationibus*, ſed quandò inter debitorem, & creditorem immediatè fit compēſatio compenſans poteſt ſe opponere creditori agenti exceptione compenſationis per ea, quæ ſcribit *Scaccia d. §. 2. Gloſ. 5. num.* 427. ergo &c. Neque dicas, non poſſe eſſe compenſationem per aliquod, quod ex antecedenti hypotheca, ſeu obligatione eſt alteri debitum, cum credito poſteriori, ſiquidem compenſatio non poteſt fieri per id, quod non eſt liberum, ſed eſt alteri deuictũ, qui per conſequens, quotieſcunque illud perſeuerat, habet ius ad illud, & poteſt illud, vbicunque reperiatur, vendicare, cum ex ſuperius allegatis hypotheca afficiat rem, eiuſque poſſeſſorem iuxtà *l. ſi prædium ibique Baldus C. de euictionibus*, & conferat ius in re *l. eos C. de pignor. & inſtit. de act. §. item Seruiana Alexander in l. filio §. fin. ff. ſolut. matrim.*, & ſicuti, ſi res hypothecata in alium transferatur titulo compenſationis poteſt per habentem hypothecam in illa reuocari, ità ſi debitum, vel creditum fuerit antecedentèr ſub hypotheca vnius non poterit in alterum transferri eodem compenſationis titulo, ſed poterit repeti; contrà enim impugnaberis, quià in ijs, in quibus fit compenſatio ipſo iure ſine hominis miniſterio, non habet locum exceptio obligationis præcedentis, quandoquidem ipſa compenſatio æquiualet ſolutioni in numerata pecunia per ea, quæ ſuperius allegauimus, & ſicuti ipſe ſoluens ſine contradictione numerata pecunia eximitur ab hypotheca quantumuis anteriori, ità compenſans ab eodem onere liberari præſumendus eſt; non enim ex eo, quod nomen debitoris fuerit à creditore alteri hypothecatum, tollitur, quin ipſe debitor ſuo creditori poſſit ſoluere, & facta ſolutione ſoluitur etiam hypotheca, cæteroquì debitor ſine ſuo conſenſu premeretur onere, ad quod non ſe obligauit in contractu. Ad illud, quod dicitur de re hypothecata, quæ poteſt reuocari, dicendum eſt nullam vim habere poſſe in caſu noſtro, in quo debitum hypothecatum poſt compenſationem non remanet, quod propterea non poteſt repeti, cum non ſit, &, ſicuti ſi res hypothecata deſineret, deſineret quoque hypotheca *Bartolus in l. rem alienam. ff de pign. act. l. fænerator, & ibi Bartolus ff. de vſuris* cum hypotheca ſine principali eſſe non poſſit *l. fideiuſſor obligari in princip. ff. de fideiuſ. l. re ff. de pignor.*, ita ſi debitum ipſum deſinit, & hypothecam deſinere dicendum eſt. Quod ſi inſtes, non poſſe deſinere contra voluntatem eius, qui habet ius in re quoad illud debitum, quod ex quo fuit aſſignatum in hypothecam alteri, non poteſt ſine eius conſenſu extingui; contra adhuc impugnaberis, quia ex eo, quod fuerit alteri aſſignatum in hypothecam non tollitur, quin debitor poſſit illud ſoluere ſuo creditori, facere tranſactiones cum illo, illudque per compenſationem diſſoluere. Quid enim mihi debitori obſtare poteſt creditor hypothecarius mei creditoris, ne ego ſoluam meo creditori? certè ſine meo conſenſu interuenire non poteſt nouatio, nec delegatio. Fateor tamen, quod ſi facta fuiſſet ceſſio mei nominis creditori mei creditoris, cui ceſſioni meus conſenſus acceſſiſſet, non poſſem compenſationem facere inuito creditore mei creditoris, quia tunc re vera facta fuiſſet delegatio, per quam ius, quod habebat meus creditor aduerſus me, fuiſſet translatum in creditorem ipſius.

Non habet locũ exceptio obligationis præcedẽtis, vbi fit compenſatio ipſo iure.

3

Poſita denuntiatione poteſt ſoluere creditori

Reſpondeò ſecundo. Etiam ſi Antonius denuntiauerit, ſe eſſe hypothecam conſecutum quoad nomen eiuſdem Sempronij, adhuc poſſe Sempronium detinere, & compenſare modo, quo ſupra. Ratio eſſe poteſt primo, quia per talem denuntiationem non tollitur, quin idem Sempronius poſſit ſoluere Titio ſuo creditori, quia ius habet ſe redimendi à debito, ergo etiam poterit cum ſuo creditore compenſare non obſtante tali denuntiatione, ſi hic ex alia cauſa fiat ipſius debitor. Antecedens probatur, quia per talem denuntiationem non conſtituitur nouatio, nec nominis delegatio, quia vtraque exigit, vel eius, in quem fit nouatio, vel delegati conſenſum per ea, quæ ſuperius dicta ſunt, ergo debitor, qui conſenſum non præbuit, in ſuo iure permanebit ſoluendi, cui debet, nec poterit ſine conſenſu coarctari ad ſoluendum alteri. Quod ſi dixeris, coarctari auctore Iudice, cuius nomine fit

de-

denuntiatio ; ſtatim impugnaberis, quia iam egrederis ex terminis propoſitæ difficultatis, quæ procedit ex vi ſimplicis denuntiationis hypothecæ præcedentis ſine alio iure fortius obſtringente, quale eſt præceptum Iudicis obligantis. Deindè optimè dari poteſt exceptio contra tale præceptum per hoc, quod non poſſit Iudex obeſſe diſpoſitioni iuris, ſecundum quam cautum eſt, quod debiti ad creditum reſpectu eiuſdem detur ipſo iure ſine hominis miniſterio compenſatio, nec poteſt tollere ius debitori à iure conceſſum ſe eximendi ab onere per media ſibi magis proficua, præcipuè, ſi ſine tali medio, ſeu compenſatione compenſator poſſet ſubeſſe alicui damno per ea, quæ ſcribit *Tiraquel. tract. de retract. lignag. §. 3. gloſ. 3. ſub num. 8.*, *Scaccia de commerc. §. 2. gloſ. 5. num. 431. in fin.* damnum autem poſſet imminere ipſi debitori compenſare volenti, ſi compenſare prohiberetur, quandòquidem ille, cum quo compenſare vult debitum cum credito, cum habeat omnia ſua bona hypothecata in fauorem tertij, nempè Antonij, poſſet fieri, & eſſe impotens ad ſatisfaciendum pro credito, adeòque &c.

Iudex non poteſt obeſſe diſpoſitioni iuris.

Ratio eſſe poteſt ſecundò. Diſpoſito in iure nequit fieri derogatio, niſi per contrahētes expreſsè fuerit actum, ſiquidem contrahentes ſupponuntur agere ſecundum diſpoſitionem iuris, niſi aliud in contractu exprimant, ſed in iure expreſſum eſt, quod debiti ad creditum fiat ipſo iure compenſatio ſine hominis miniſterio, nec inter ſe contrahentes in hypotheſi, de qua loquimur, quid aliud expreſsè ſtatuerunt, nec renuntiarunt tali iuris diſpoſitioni, ergo &c.

Non poteſt derogari iuri, niſi per expreſſa.

§. XIV.

An in credito campſoris decocti præferendus ſit campſarius, ſi ex alia cauſa fuerit creditor ipſius, an verò agens eiuſdem Campſoris, ſi fuerit item ex alia eiuſdem creditor.

SVMMARIVM.

Status difficultatis in ſuis terminis. 1.
Præferendus eſt campſarius, ſi ex alia cauſa fuerit creditor. 2.
Specialis caſus propoſitus, & diſſolutus. 3.
Alius caſus propoſitus, & diſſolutus. 4.

Diſquiſitio XIV. Caius non ex pecunia propria, ſed tanquam agens Seij dedit mihi ſcutos mille ad cambium. Ego viceuerſa ſic eodem Caio diſponente dedi literas Titio, vt dictos ſcutos ſolueret Franciſco, qui etiam in hac parte præſtitit nudum miniſterium, & nomen. Antequam meæ literæ acceptarentur à Titio, vel ſoluerentur Franciſco, Seius, ad quem principalitèr ſpectat cambium, remiſſa, & vtilitas ipſius factus eſt impotens, ſeu decoxit. Ex diſpoſitione Statuti Genuenſis *lib. 4. cap. 14. §. ſi quis il primo*, quod *Scaccia d. §. 2. gloſ. 5. num. 439. verſ. exemplifica in fin.* aſſerit eſſe conſentaneum iuri communi, & vbique vrgere, nihil poteſt in hac hypotheſi exigere à Titio, neſcio tamen qua ratione, ſed tantum poteſt, & debet contrà me literas proteſtari. In hac tamen hypotheſi poteſt Caius à me, vel à Titio mandatario meo exigere. His ſuppoſitis tàm ego, quàm idem Caius ex præcedenti cauſa ſumus creditores ipſius Seij. Quæritur iam, an ego, an verò Caius in tali credito ex cambio, quod habet Seius, ſit præferendus quoad compenſationem, ſeu quod idem eſt, an ego poſſim vti compenſatione in illo pro meo credito præcedenti cum excluſione eiuſdem Caij, an verò ipſe Caius cum excluſione mei. 1

Reſpondeo, quod ego poſſim compenſatione vti, etiam cum excluſione Caij. Ità ſentit *Scaccia d. §. 2. gloſ. 5. num. 439.* Ratio eſſe poteſt, quia ex quo Caius dedit mihi cambio illos mille nummos aureos tranſtulit in me dominium ipſorum, ergo quoad illos ego ipſi præferendus ſum. Conſequentia probatur, quià in pari caſu melior eſt conditio poſſidentis *l. fin. C. de rei vend. Inſtit. de interd. §. commodum, & l. ſi ſeruum ff. de verb. oblig.* Neque dicas, parem non eſſe caſum reſpectu vtriuſque, quandòquidem ex quo primò Caius mihi dedit illos mille nummos aureos videtur ex illo tempore, quo dedit, acquiſiuiſſe ius in illos, adeòque, vtpotè anterior in iure ſit præferendus; contrà enim impugnaberis primò, quià cum Caius nudum nomen, ſeu miniſterium præſtiterit, & egerit procuratorio nomine non tamen tanquam in rem propriam nullum ius poteſt dici acquiſiuiſſe, adeòque ex hoc capite non præferendus, cum dumtaxat egerit in hoc contractu vices eiuſdem Seij, & ſicuti, ſi ipſe Seius immediatè per ſe ipſum dediſſet mihi, 2

In pari caſu melior eſt conditio poſſidentis.

Digitized by Google

mihi, poſſem ego vti compenſatione pro meo credito iuxta ſuperius dicta, ità etiam eodem iure compenſationis poſſum vti, quamuis acceperim à Caio, qui dumtaxat in hoc præſtit nudum miniſterium. Contra ſecundò, quià, quamuis ipſe Caius ex illa datione acquiſierit aliquod ius, vel hypothecæ, vel ſimile, ius tamen compenſationis antecellit quamcunque hypothecam quantumuis anteriorem per ea, quæ latè diximus in præcedenti §. & ſcribit *Scaccia tract. de commert. §. 2. gloſ. 5. num.* 417.

Ius compenſationis antecellit quācunq; hypothecam.

Ratio eſſe poteſt ſecundò, quià nimis durum videtur ſoluere alteri, quod ſibi debetur, ad quam duritiem vitandam admittitur compenſatio ipſo iure *Tiraquel de retrac. lign. §. 2. gloſ. 3. ſub num.* 8. & dato à debitore pignore ſecundo creditori ipſe ſecundus creditor præfertur primo in pignore, quod ſibi datum eſt, quià ſecundus creditor non aliter credidiſſet, & æquitas mercaturæ non videtur tolerare, quod ipſe ſecundus remaneat deceptus per ea, quæ ſcribit *Straccha de decoct. tit. qui pot. in bon. decoc. habea. nu.* 11. *tom.* 6. *parte prima*, ergo exiſtente credito penes creditorem, quantumuis poſteriorem hic alteri quamuis anteriori præferendus erit, quandòquidem non minus videtur poſſe certiorari in pignore penes ſe exiſtenti, quam in credito.

3 Hic duplex oritur difficultas ad plenam notitiam eorum, quæ ſub hoc titulo diſquiruntur. Prima eſt, an, ſi ego, qui pecunias illas recepi à Caio, qui nudum dumtaxat præſtitit miniſterium, non ſim creditor Seij, & inſtante eodem Caio ipſi ſoluerim ſummam, quam ab ipſo recepi, poſſit ipſe, ſi ſit creditor illam detinere, & vti compenſatione cum excluſione aliorum creditorum, quamuis reſpectu ſui anteriorum. Secunda, quomodò, ſi ipſe non fuerit creditor reſpectu illius ſummæ quoad eundem Seium debeat illam ſummam inter creditores diſtribuere.

Ad primam dicendum eſt, vtique Caium poſſe detinere, & vti compenſatione etiam cum excluſione aliorum creditorum anteriorum. Ratio ex ijs deducitur, quæ ſuperius dicta ſunt; non enim congruum eſt, vt alteri ſoluat, quod ſibi debitum eſt, & compenſatio inter ipſum, & Seium, quoad creditum, & debitum ſit ipſo iure; compenſatio autem ipſo iure ſuos immediatè ſortitur effectus *Tiraquel in l. ſi vnquam in verb. reuertatur num.* 426. *C. de reuoc. don.* quia, quod ſit ipſo iure, trahit ſecum executionem, & compenſatio ipſo iure antecellit, ſeu potius excludit quamcunque hypothecam etiam anteriorem per ea, quæ ſuprà allegauimus.

Ad ſecundam, quamuis *Scaccia d. §. 2. gloſ. 5. num.* 439. iuxtà Statuta Genuenſia *lib. 4. cap. 14. in fin. principij* videatur aſſerere illam ſummam diuidendam eſſe ad ratam inter creditores eiuſdem Seij, crediderim tamen, in concurſu plurium habentium hypothecam præferendos eſſe anteriores in iure iuxtà generalem regulam, quod prior in tempore potior ſit in iure *c. prior de reg. iuris in* 6. ne priuilegium anterioritatis ſit fruſtraneum. Fateor tamen, quod, ſi aliquis ex creditoribus concurrat quamuis poſterior, alijs anterioribus non concurrentibus, & ipſe Caius eidem ſoluerit, non poſſit poſtea ſolutum per anteriores reuocari per ea, quæ ſuperius latè diximus, quia non tenetur ipſe Caius conſulere indemnitati creditorum, ſi ipſi non concurrerint, poſita autem ſemel ſolutione non minus videntur poſſe vti ijdem creditores priuilegio compenſationis, ac vteretur ipſe Caius, ſi eſſet creditor. 4

§. XV.

An hypotheca ſpecialis quoad aliqua bona tollat generalem, quamquis habebat in omnibus bonis debitoris.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis. 1.

Probabilius eſt per ſpecialem expreſſam hypothecam inductam ex conuentione partium diſſolui generalem hypothecam præcedentem. 2.

Specialis expreſſa hypotheca habet omnes eaſdem prælationes, quæ inerant primæ generali. 3.

Acceptans ſecundam hypothecam ſpecialem cum ignorantia præcedentis generalis non præiudicatur in iure, quod habebat ad omnia bona debitoris. 4.

In ſuppoſitione, quod creditor cum ſpeciali, quam de nouo acquirit, ſibi generalem hypothecam reſeruet, non poteſt venire contrà tertios poſſeſſores, niſi prius conſtet ſibi non eſſe conſultum per ſpecialem hypothecam. 5.

Diſ-

Digitized by Google

DIſquiſitio XV. Ex vi literarum
1 cambij iuxtà N.C. *Mediol. ſub tit. de officio Abbatum, & Conſulis Mercatorum §. eo amplius ſancitum eſt* per ea, quæ ſuperius dicta ſunt, habebat Sempronius hypothecam generalem aduerſus omnia bona, & iura Titij debitoris ex eodem cambio. Non ſolutis per eundem Titium eiſdem literis facta fuit conuentio inter eoſdem, vt in ſpecie idem Titius obligaret aliqua bona pro debito, quo afficiebatur verſus eundem Sempronium. Oritur hic ratio dubitandi, an per talem ſpecialem hypothecam tollatur generalis antecedens, ſi nulla fiat expreſſio quoad eandem. Secundò ex ſuppoſitione, quod generalis non tollatur per illam ſpecialem expreſſam, quid operetur illa expreſſio?

2 Reſpondeo primò, probabilius eſſe in data hypotheſi per ſpecialem expreſſam hypothecam inductam ex conuentione partium diſſolui generalem tacitam præcedentem. Ratio eſſe poteſt primò, quia talis ſpecialis, & expreſsa hypotheca in re certa inducit quaſi rationem pignoris in tali determinata re *Paulus de Caſtro, & Alexander contrà Bartolum in l. ſi rem §. propriè ff. de pignor. act. l. res §. inter pignus ff. de pignor.* ſed aſſignato, & acceptato certo pignore pro debito regularitèr reliqua oppignorantis bona remanent ab omni onere immunia quoad tale debitum, ergo &c. Minor probatur, quia pignus idoneum facit cenſeri renuntiatum etiam actioni perſonali *l. creditor., & ibi Alexander ff. ſi cert. pet.*, & qui reſtringitur ad vnum ſupponitur cæteris renuntiare, niſi aliter exprimat.

Lex ſupplet defectum cautelæ, & ſecuritatis.

Ratio eſſe poteſt ſecundo, quia huiuſmodi lex municipalis inducens obligationem hypothecariam generalem literis cambij eſt in fauorem creditoris ex eiſdem literis cambij, & lex ipſa ſupplet in tali diſpoſitione defectū cautelæ, & ſecuritatis, quæ regularitèr non apponitur per conuentiones contrahentium, ſed in ijs, quæ inducuntur in fauorem vnius, & in ſupplementum eorum, quæ non apponuntur per expreſſas contrahentium conditiones, lex ipſa ceſſat, vbi contrahentes loquuntur per ea, quæ ſcribit *Baldus in l. certi iuris quaſt.* 10. *locati*, ergo appoſito pacto quoad ſpecialem hypothecam in re certa per ipſos contrahentes ceſſare debet lex conſtituens tacitam, & generalem.

Ratio eſſe poteſt tertio, quia, ſi creditor habens hypothecam generalem agat contra debitorem, & miniſterio Iudicis detur pro debito aliquid in ſolutum ex bonis debitoris ceſſant omnia iura eiuſdem creditoris in ordine ad alia debitoris bona iuxta *l. à diuo §. ſi pignore ff. de re iud.*, ergo, ſi creditor habens ex diſpoſitione iuris hypothecam generalem agat contra debitorem, & conuentione inter ipſos aſſignetur aliquis ſpecialis fundus in ſecuritatem crediti reliqua debitoris bona eximentur ab obligatione pro eodem credito. Conſequentia probatur, quia conuentio inter partes æquiualet diſpoſitioni, ſeu iuditio Iudicis in ordine ad effectum ſolutionis, & aſſecurationis, & ipſa ſpecialis hypotheca habet vim dationis inſolutum, maximè ſi talis res, quæ in ſpecialem hypothecam aſſignatur, acceptetur ſine contradictione ab ipſo debitore.

Conuentio inter partes æquiualet diſpoſitioni iudicis.

Dices primo, non poteſt eſſe præſumptio, quod creditor voluerit cedere primæuis ſuis iuribus, ſed addere iura iuribus, ergo, cum ex natura ſua poſterior hypotheca non habeat oppoſitionem cum priori generali, nec poſſit eſſe præſumptio, quod poſteriorem acquirens cedat priori, nec ex natura ſua illam diſſolui, nec ex præſumptione dicendum eſt. Antecedens probatur, quia nemo præſumitur cedere potioribus iuribus, vt deteriora acquirat. Conſequentia item ſic euincitur, quia tota ratio, cur per poſteriorem prior diſsolui dicatur, eſt, quia præſumitur, quod acquirens poſteriorem cedat priori, ſed in hac hypotheſi non eſt hæc præſumptio, ergo &c. Sed contra, quia ex eo, quod acceptarit onus in ſpeciali aliqua re ſine reſeruatione ad priora iura præſumitur eiſdem ceſſiſse; ad quid enim regularitèr apponerentur in inſtrumentis, in quibus ſpecialis hypotheca aſſignatur, illæ clauſulæ *ſine praeiuditio iurium anteriorum, addendo iura iuribus*, & ſimilia, ſi abſque illis non præſumeretur ceſſio eorundem iurium? Certè verba in inſtrumentis non ſupponuntur ſuperfluè appoſita *Gloſ. in l.* 1. *ff. quod metus cauſa, & in cap. ſolitæ de maior., & obed. l. ſi quando ff. de leg.* 1., *Deci. in cap. paſtoralis in princip. de appel., Carolus Ruin. conſ.* 68. *num.* 8. *vol.* 4. Deindè quamuis non eſſet præſumptio ex parte contrahentium, quod ceſserint iuribus anterioribus, eſt tamen præſumptio iuris de tali ceſſione, quod ſufficit.

Dices ſecundo, non poteſt eſse, nec præſumi nouatio prioris in poſteriorem

rem

Digitized by Google

rem obligationem, niſi de illa expreſsè actum fuerit *Gloſ. in l. 1. ff. de nouat.*, per ea, quæ dicta ſunt *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Pranot. 21. num. 1. in fin.*, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, actum non eſt expreſsè de nouatione, cum in reſponſione dictum fuerit, *ſi nulla fiat expreſſio quoad eandem*, ergo &c. Sed contra, quia tunc tantum debet expreſsè agi, quando aliter ex præſumptione iuris non diſponitur, iuris etenim diſpoſitio pręſumptiua, vel communitèr ſic acceptata æquiualet expreſſioni, nec hominis diſpoſitio requiritur, vbi lex ipſa diſponit.

Tunc nō agitur expreſsè, quandò ex diſpoſitione iuris aliud diſponitur.

3 Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an hæc ſecunda ſpecialis expreſſa hypotheca, quæ ex partium conuentione fuit poſt datas literas, quibus generalis hypotheca inerat, inducta, habeat omnes eaſdem prælationes, & iura, quæ inerant eidem primæ generali ex vi earundem literarum. Secunda eſt, an, ſi creditor acceptarit ſecundam ſpecialem hypothecam expreſsam ignorans de exiſtentia primæ generalis annexæ eiſdem literis cambij ſupponatur ſecundum iuris præſumptionem ceſſiſſe eidem generali, & iuribus ex eadem prouenientibus.

Ratio dubitandi pro prima ex eo oritur, quod, ſi per ſubſequentem hypothecam præcedens nouatur, præcedens ſine dubio extinguitur per ea, quæ latè dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. de Cambijs II. Pranot. 21., & alibi ſparſim*, ſicque ſecunda non videtur habere vim, niſi à die, quo fuit appoſita, ſeu facta fuit nouatio, præcipuè cum hypotheca in actione nouante non intelligatur repetita *l. nouatione ff. de nouationibus*, nihilominus ſentiendum arbitror, eaſdem omnes prælationes, & iura retinere, quæ inerant primæ. Ratio duplex eſſe poteſt. Prima, quia huiuſmodi actio, per quam inducitur ſpecialis hypotheca, eſt reſtrictiua dumtaxat prioris, & non inducit nouam obligationem, quæ prius non ineſſet, ſed dumtaxat limitat ad determinatam rem, quæ prius erat diffuſa in omnes, ſed actio reſtrictiua prioris ſupponit obligationem priorem ſaltem generalem in re, ad quam ſpecialitèr reſtringitur, ergo retinet eadem iura, & prælationes &c. Minor probatur, quia in generali hypotheca rerum omnium continentur etiam res omnes in particulari illius, ſub cuius dominio ſunt, quando hypothecæ ſubijciuntur, ergo illa res, quæ ſpecialitèr per hypothecam obligatur, præſuponitur prius obligata per antecedentem generalem hypothecam; tum quia id, quod reſtringit aliud in aliquo ordine, illud ſupponit in tali ordine, in quo reſtringit. Secunda ratio eſt, quia non eſſe poteſt præſumptio, quod voluerit creditor cedere ſuis iuribus anterioribus in re, quam ſibi antecedentèr deuictam habebat; potuit enim, vel ex ſpeciali affectu, quam habere poterat ad determinatam rem, vel ex aliquo alio fine ſe alligare eidem omiſſo iure ad alia, non eſt autem probabile, quod voluerit omittere anterioritatem in eadem re, quam prius habebat. Ad id, quod afferebatur pro ratione dubitandi, dic, per nouationem extingui priorem obligationem, quando inducitur obligatio noua quoad rem, quæ prius non erat obligata, ſecus quando firmatur in tali re obligatio, quæ prius inerat; vndè in hac hypotheſi dici poteſt, quod ſit nouatio quoad ea, quæ eximuntur ab obligatione, quatenus generalis in particularem transfunditur, non quatenus obligatur de nouo aliquod, quod prius non fuerit obligatum. Ex quibus deduci poteſt, quid reſpondeas ad textum allegatum *in l. nouatione ff. de nouationibus*, dic etenim, in actione nouante hypothecam non intelligi repetitam, quando noua inducitur obligatio, quæ prius non inerat, ſecus quando prima reſtringitur, vt in caſu noſtro.

Non inducit nouā obligationē, quę prius non inerat.

Non eſt præſūptio, quod creditor ceſſerit ſuis iuribus anterioribus.

Ratio dubitandi pro ſecunda in eo conſiſtit, quod ignorantia iuris non præſumitur, ideo eam alleganti prodeſſe non poteſt, niſi probetur, *cap. qui contra de reg. iur.*, *Gloſ. in cap. ſi diligenti de for. compet.*, *Bartol.*, & *Angel. in l. ſed ſi lege §. ſcire de pet. hæredit.*, vbi dicunt, quod mala fides præſumitur non probata ignorantia iuris, quæ probari debet, quia non præſumitur. Nihilo- 4
minus ſentiendum arbitror, creditorem acceptantem ſecundam hypothecam ſpecialem cum ignorantia præcedentis generalis ex vi N. C. Mediolani non præiudicari in iure, quod habebat ad omnia bona debitoris antecedentèr. Ratio eſſe poteſt, quia renuntiare non intelligitur ignorans, ſed ſciens *in ſpecul. de præſcript. §. quod ſi colonus*, & *de empt., & vendit. §. 1., & 2. textus in l. mater decedens de in offic. teſtam.*, & ſi etiam actu expreſſo ceſſerit cum ignorantia, ſeu renuntiarit excuſatur *Ioannes Andræas in cap., vt qui duos de elect. in 6. ſub num. 3. ad fin. ſuper verbo tolerabilis*, *Melchior Boterius de re beneficia-*

Digitized by Google

ria tom. primo lib. 2. quaeſt. 13. num. 93. Neque dicas, ius ſupplere defectum ſcientiæ in ignorante, nam eo ipſo, quod diſponit per ſpecialem hypothecam inter partes conuentam, vt diſſoluatur generalis anterior à iure inducta ſine reſtrictione ad ſcientem, vel ignorantem, præſtat per ſe, quod præſtaret idem creditor cum ſcientia; contrà enim impugnaberis, quia ius, ſi quod eſt circa hoc, fundatur in præſumptione ceſſionis liberæ eiuſdem creditoris; ceſſio autem libera præſumi non poteſt cum ignorantia in cedente per ea, quæ mox dicebamus. Ad id, quod afferebatur pro ratione dubitandi dicendū eſt ignorantiam iuris poſitiui excuſare, quando agitur de damno vitando *in ſpecul. de aduoc. §. 9. verſ. ſic etiam Cardin. in clem. 1. quaeſt. 5. de conſanguin., & affinitate*, vt in caſu noſtro, in quo damnum obuenire poſſet cedenti, præcipuè ſi ſit ignorantia iuris non frequentati *Ioannes Andræas in reg. Ignorantia in Mercu.*, & *Alexander in l. non fatetur ff. de confeſ.*

Ius non ſupplet defectum ſcientiæ in ignorante.

5 Reſpondeo ſecundo, in ſuppoſitione, quod creditor cum ſpeciali, quam acquirit de nouo in re certa, ſibi generalem hypothecam reſeruet, non poteſt venire contra tertios poſſeſſores aliorum bonorum, niſi prius conſtet ſibi non eſſe conſultum ex ſpeciali hypotheca, ideſt, quod illa res ſibi non ſufficiat *l. 2., & ibi Bartolus, & Baldus C. de pignor. Specul. de ſolut. §. 1.*, quia in eo caſu hypotheca generalis cenſetur conditionalis, & ſubſidiaria. Ratio inſuper eſſe poteſt, quia hypotheca non poteſt intentari aduerſus tertios poſſeſſores, quando principalis eſt ſoluendo, & exigibilis *Pet. Phyl. Corn. in conſ. 246. incip. in hac in litera H. quart. part.*, ergo nec poterit intentari contra eoſdem poſſeſſores tertios, quando res determinata, & certa, in qua eſt ſpecialis hypotheca, eſt ſufficiens ad ius creditoris, & exegibilis.

Hinc deduces, quod, ſi creditor, qui habet generalem, & ſpecialem hypothecam in vna re, ſi alius habet ſpecialem in alia re, qui eſt poſterior, donec poteſt ſibi ſatisfacere primus creditor de re ſibi ſpecialitèr hypothecata, non poſſit experiri virtute generalis hypothecæ contra rem alteri poſtea ſpecialitèr hypothecatam, *Bartol. Socin. in conſ. 198. incip. primo aſpectu verſ. 5. & vlt.*

§. XVI.

An hypotheca conſtituta creditori ab emptore in re empta reſoluatur, quandò venditor vendicat rem ab emptore beneficio *l. 2. C. de reſcind. vend.*

SVMMARIVM.

Status difficultatis in ſuis terminis propoſitus. 1.
Hypotheca in data hypotheſi reſoluitur. 2.
Per receſſionem contractus ius oppignorantis diſſoluitur. 3.
Obiectio prima, & ſolutio. 4.
Obiectio ſecunda, & ſolutio. 5.

Diſquiſitio XVI. Conſtituto cambio extra ditionem Mediolanenſem, vbi literis cambij non eſt annexa hypotheca, debitor ex eodem cambio in ſecuritatem creditoris aſſignauit eidem hypothecariè fundum quendam, quem emerat à Franciſco. Adhuc cambio non reſoluto per actualem ſolutionem, quin potius proteſtatis literis datis per debitorem Franciſcus beneficio *l. 2. C. de reſcindenda vendit.* propter læſionem vltrà dimidium reſcidit contractum venditionis, & vindicauit fundum ab emptore. Quæritur iam, an hypotheca per talem reſolutionem contractus venditionis diſſoluatur. Proponunt hanc difficultatem *Baldus, & Paulus de Caſtro in d. l. 2. C. de reſcind. vend. & Bartolus in l. in diem ff. de aqua pluu. arc. & ibi verb. venditio reſcinditur verſ. 15. 2. col. circà finem ibi item ſi emptor hypothecarit.* 1

Reſpondeo, hypothecam in data hypotheſi diſſolui. Sic reſoluunt *Baldus, & Caſtrenſis in d. l. 2. contrà Bartolum loco citato*, qui ea ratione mouetur ad ſuſtinendum non diſſolui, quià ſcilicet hypotheca tolleretur ex voluntate, ſeu ex actione voluntaria hypothecantis, non ex neceſſitate, quod repugnat diſpoſitioni iuris *in l. ſi res ff. quib. modis pignus, vel hypotheca ſol.* non enim libera voluntas eius, qui hypothecauit poteſt nocere iuri iam acquiſito illius, in cuius fauorem induxit hypothecam *l. ſi partem §. 1. ff. quemadm. ſer. amit. l. ſi ſuperatus ff. de pignor. l. ſi potior C. qui potior. in pign. hab.* Quod autem diſſolueretur ex cauſa volun- 2

taria

taria hypothecantis facile ex eo euincitur, quod emptor, qui rem illam emptam hypothecauit poterat illud pretium ſupplere, ob quod intentata eſt reciſio, & ſic reſiſtere reſolutioni contractus emptionis, & noluit

3 Probatur primò reſponſio; reſoluto iure oppignorantis reſoluitur etiam ius recipientis *l. lex. vectig. ff. de pignoribus*, ſed per reciſionem contractus emptionis ius oppignorantis diſſoluitur, ſiquidem res empta liberè, & cum pleno iure tranſit in venditorem, ergo etiam reſoluitur ius recipientis in illa re pignus, ſeu hypothecam; neque obſtare poſſunt ſuperius relata ex Bartolo, quod ſcilicet ius reſoluatur ex voluntate oppignorantis, quæ nequit præiudicare iuri quæſito creditoris recipientis; non, inquam, obſtare poſſunt; nam, vt bene aſſerit *Baldus ad lib. 4. Cod. l. 2. nu. 43. C. de reſcind. vend.* etiam qui oppignorauit in Emphytheuſim, & non ſoluit canonem præiudicat iuri quæſito creditoris, cuius ſoluitur hypotheca, & tamen erat in poteſtate eiuſdem oppignorantis ſoluere canonem, & non ceſſare facere hypothecam, ergo etiam &c. Quamobrem aſſero, quod, quamuis fuerit in poteſtate eiuſdem emptoris, vel pretium ſoluere ad æqualitatem, vel contractum reſcindere ad propriam electionem, attendenda tamen ſit potius natura actionis reuocatoriæ, quæ competit ad rem, quam facultas ſoluendi pretium per ea, quæ tradit *Baldus, & Caſtrenſis loc. cit.*

Per reciſionem contractus ius pignorantis diſſoluitur.

Probatur ſecundò. Non potuit emptor rem illam hypothecando plus iuris in eum transferre, cui oppignorauit, ac haberet in ſe ipſo, ſed emptor plenum ius non habebat, nec omninò liberum in re illa, ſiquidem erat quodammodò affecta ex diſpoſitione legali, & ſubiecta actioni reuocatoriæ, ergo eodem iure dumtaxat affecto diſpoſitioni legali, & ſubiecto tali actioni tranſtuliſſe dicendum eſt, adeòque, ſi fiat reuocatio, ſine læſione iuris creditoris hypothecam ceſſare præſumendum, ſiquidem fundatam in iure reuocabili. Confirmatur, quià reſolutio illa contractus emptionis fit ex cauſa de præterito, quæ originem habuit, antequam emptor rem illam emptam ſubijceret hypothecæ reſpectu ſui creditoris, ergo ipſa obligatio ſubſequens non poterit obſiſtere illi cauſæ præexiſtenti de præterito, & importanti ex diſpoſitione iuris facultatem reuocatoriam, ne reducatur ad actum ſecundum reuocationis, quæ propterea, ſi ponatur, reſoluat quodcunque ius hypothecæ, quæ ex allegatis iuribus non poteſt ſubſiſtere ſine principali.

Emptor non poteſt plus iuris in alterum transferre, ac habeat in ſe ipſo.

Aduerſus hæc, quæ dicta ſunt, nonnulla opponuntur, quæ tamen facilis ſunt ſolutionis, & quidem primo opponitur, quod emptor pro illo tempore, pro quo rem emptam hypothecauit, erat dominus illius, ergo potuit eam obligare, & ſic non fuit poſteà in poteſtate ipſius eam ab obligatione eximere, & ius à creditore quæſitum ex illa hypotheca extinguere. Sed facile elucet reſponſio ex iam dictis; non enim pro illo tempore, pro quo hypothecauit, erat abſolutè dominus cum pleno iure rei emptæ, quandòquidem res illa erat affecta diſpoſitione legali, & reuocabilitate, adeòque non potuit magis obligare, & fortiori iure, ac in ſe ipſo haberet, & ſic creditor debet proprio infortunio imputare, quod iure ſic diſponente diſſoluatur contractus, adeòque etiam hypotheca in re ipſa fundata. 4

Opponitur ſecundo textus *in l. ſi debitor in princip. ff. quibus mod. pig. vel hypot. ſol.* vbi legitur. *Si debitor, cuius res pignori obligatæ erant, ſeruum, quem emerat redhibuerit, an deſinat Seruianæ locus eſſe? & magis eſt, ne deſinat, niſi ex voluntate creditoris hoc factum eſt*, ergo nec etiam in hypotheſi, de qua loquimur, deſinet locus hypothecariæ, ſi res empta à venditore reuocabitur non ſoluente debitore ad æqualitatem. Sed facilis eſt reſponſio, ſi textui attentio præbeatur, quia ibi erat ſermo, quandò ex ſola voluntate emptoris pendebat reſolutio, & ille, qui pignorauit fuit actor, hic autem eſt reus, & ex parte rei iudicium redditur in inuitum, actor autem agit ex mera voluntate. Sunt formalia verba *Baldi in d. l. 2. C. de reſcind. vend.* quæ ideò appoſui, quià maximè faciunt ad rem noſtram. Reliqua, quæ opponi poſſunt, recole apud eundem Baldum loco citato. 5

Explicatio plana textus.

§. XVII.

An hypotheca ſpecialis in re certa, ſed aliena confirmetur ſuperueniente dominio in hypothecante quoad talem rem.

SVMMARIVM.

Proponitur difficultas in ſuis terminis. 1.
Si debitor fuerit conſcius alienitatis rei hypothecatæ, & non creditor, hypotheca per ſuperueniens dominium in debitore firmatur in fauorem creditoris. 2.
Si nec debitor, nec creditor fuerit conſcius alienitatis rei hypothecatæ adhuc firmatur hypotheca, ſi poſteà res illa fiat debitoris. 3.
Incipit à die hypothecæ conſtitutæ per conſenſum. 4.
Si vterque fuerit conſcius alienitatis rei, & facta fuerit conuentio, quod, ſi res illa acquiratur per debitorem, ex nunc pro tunc intelligatur conceſſa in hypothecam creditori, tenet conuentio. 5.

1 DIſquiſitio XVII. In terminis cambij, de quo locuti fuimus in præcedenti §. debitor ex eodem in ſecuritatem creditoris conſtituit hypothecam in re certa, quæ tamen non erat propria eiuſdem debitoris, ſed aliena. Non ſoluto cambio per eundem debitorem tempore conuento creditor actione hypothecaria rem ſibi obligatam impetebat. Exceptio fuit oppoſita, quod res hypothecata non fuerit debitoris hypothecantis, ſed aliena, & ſic creditoris deluſa intentio, & fraudata actio. Poſt aliquod temporis debitor iure veri, & realis dominij rem illam acquiſiuit. Orta eſt controuerſia, an hypotheca, quæ prius in illa re non ſubſiſtebat, defectu veri, & realis dominij per ſuperueniens dominium in debitore, qui hypothecauit, firmaretur. Pro quo

Variæ acceptiones, & dubitandi rationes. Aduerte, an creditor, vel debitor ſimul tempore, quo conſtituta eſt hypotheca in tali re, ſciuerint rem illam eſſe non hypothecantis, ſed alienam, vel tantum ſciuerit debitor hypothecans, & non creditor, vel neuter ſciuerit illam eſſe alienam, ſed bona fide debitor aſſignarit, creditor acceptarit exiſtimantes illam eſſe ſub dominio debitoris hypothecantis; iuxtà enim diuerſas has animaduerſiones diuerſa iura oriri poſſunt, diuerſæque reſoluendi rationes. Rurſus in ſuppoſitione, quod vterque non ignorauerit alienitatem rei hypothecatæ, nota, an facta fuerit aliqua conuentio conditionalis, quod ex nunc pro tunc aſſignetur res illa in hypothecam, ſi fuerit per debitorem acquiſita, vel abſolutè fuit aſſignata ſine vlla expreſſione talis conditionis &c. His ſuppoſitis.

Reſpondeo primò, ſi debitor fuerit conſcius alienitatis rei hypothecatæ, & non creditor, hypothecam per ſuperueniens dominium in debitore firmari in fauorem creditoris. Ita ſentire videtur licet minus clarè *Angelus in l. 1. & 2. nota ff. de pignoribus*. Probatur primò, quia illa aſſignatio hypothecæ eſt doloſa, & fraudulenta reſpectu aſſignantis in damnum aſſignatarij, ſed fraus, & dolus nequeunt prodeſſe auctori *cap. ex tenore de reſcriptis. Decius conſ. 163. num. 18.* & ex tali fraude, & dolo actio confertur decepto, vt contrà fraudantem, & decipientem poſſit agere ad conuenta, vt pæna redeat in ſuum auctorem iuxtà illud Poetæ. 2

Diſcat in auctorem pæna redire ſuum

ergo, ſi res illa, circa quam fraus, & dolus commiſſa fuerunt, tranſierit quoad dominium in fraudantem, & decipientem, eandem actionem in eadem deceptus debet acquirere, quam acquiſiuiſſet, ſi non fuiſſet deceptus, vt læſus in eo compenſetur, in quo fuit læſus, ſeu deceptus.

Probatur ſecundò, ex argumento *in l. 1. ff. de pignoribus*, vbi legitur, quod obligatio certæ rei non contrahitur etiam in illa re poſtea debitoris effecta, ſi creditor ſciens fuerit, vbi gloſa *Dedi tibi pignori rem alienam in ſpecie puta fundum, tu ſciens alienum accepiſti, certum eſt, quod non obligatur tibi*, ergo, ſi creditor fuerit ignorans, & debitor conſcius alienitatis illa obligatio contrahetur, ſi res poſteà fiat debitoris aſſignantis. Conſequentia probatur, quia exceptio firmat regulam ineſſe *l. quæſitum §. denique, & ibi Bart. ff. de fund. inſtrum. l. legata inutilitèr in princ. ff. de legatis 1., Baldus in l. 1. C. de poſthum. hæred. inſtit., Card. in clem. exiui §. cum autem de verb. ſignif.*, & dum ſcientem excludit, ignorantem videtur ex natura ſua includere. Exceptio firmat regulam ineſſe.

Reſpondeo ſecundò, ſi nec debitor, nec creditor fuerit conſcius alienitatis rei hypothecatæ, adhuc firmari hypothecam, ſi poſteà res illa fiat debitoris. 3

Col-

Colligitur argumento conſimili deducto ex eodem textu *in l. 1. ff. de pignoribus*, dum enim dicitur, *ſi creditor ſciens fuerit, vel ſciens alienum accepiſti*, videtur excludere non ſcientem iuxtà vulgare dictum *Exceptio firmat regulam*. Ad quid enim denegare hypothecam creditori cum illa reſtrictione, ſi creditor ſciens fuerit, ſi etiam excluderetur ignorans? Deindè, cur textus in illa lege excludit hypothecam, ſi creditor ſciens fuerit, quod res, quæ ſupponitur hypothecæ, aliena ſit, niſi quia præſumitur ex illa notitia, quod cedat iuri ſuo, cum ſcire potuerit rem alienam non poſſe hypothecari? ergo, ſi ignorans fuerit, non præſumitur cedere illi iuri, adeòque acquirere hypothecam, quotieſcunque res illa deuenerit ſub poteſtate, & dominio ſui debitoris obligantis. Hinc

Conſenſus eſt abſolutus, & voluntariè ſimpliciter præſtitus

Probatur ratione reſponſio. Conſenſus de illa hypotheca præſtitus per contrahentes ſupponitur omninò abſolutus, & voluntariè ſimpliciter præſtitus, ergo præſumitur virtualiter, & abſolutè perſeuerare, quantum requiritur, & ſufficit ad obligandum, quouſq; perſeuerat debitum, pro quo conſtituta eſt hypotheca, ergo, ſi perſeuerante adhuc debito res illa, in qua conſtituitur hypotheca, fiat debitoris obligantis ex vi illius conſenſus virtualiter perſeuerantis afficietur hypotheca, & fiet obligata, quamuis antecedenter ratione alienitatis non foret obligata. Prima conſequentia probatur, quià conſenſus de hypotheca abſolutè præſtitus ſecundum ſe debet eſſe ad totum illud tempus, quo perdurat, ſeu perſeuerat motiuum, ob quod elicitur talis conſenſus, & præſtatur talis hypotheca, ſed motiuum conceſſionis, ſeu conſenſus abſolutè præſtiti perdurat ad totum illud tempus, pro quo perſeuerat debitum, pro quo conſtituitur illa hypotheca, ergo ad totum illud tempus debet eſſe talis conſenſus. Minor probatur, quia motiuum conceſſionis eſt fauor creditoris, vt tutus maneat de ſuo credito, quouſque non extinguatur, ſed hoc perdurat, quouſque creditum non extinguitur, ergo &c. Secunda conſequentia primi argumenti etiam ſic euincitur. Exiſtente conſenſu contrahentium abſolutè, & omninò voluntario, & re ſecundum ſe apta hypothecari non eſt, cur in illa non poſſit conſiſtere hypotheca, ſed res illa, quæ de nouo acquiritur per debitorem, eſt ſecundum ſe apta hypothecari, &, vt acquiſita, eſt propria ipſius, & conſenſus contrahentium, cum perſeueret ex mox dictis, quouſque perſeuerat motiuum conceſſionis pro illo tempore, pro quo res illa per debitorem acquiritur, ſupponitur vel virtualiter, vel moraliter eſſe iuxtà illud vulgare iuriſtarum adagium. *Quod ſemel placuit ſemper placere præſumendum eſt*, ergo &c.

Motiuū conceſſionis eſt fauor creditoris.

Dices primò, non poteſt conſenſus conſiſtere ſine ſubiecto, in quo radicetur, & ſemel non exiſtente ſubiecto non poteſt perſeuerare, quia deſtructo fundamento ruunt omnia, quæ fundatur in ipſo, ſed ſubiectum, in quo radicatur conſenſus, eſt res illa, quæ ſubijcitur hypothecæ, & pro illo tempore, pro quo non eſt ſub dominio, & poteſtate debitoris hypothecantis, non poteſt eſſe ſubiectum talis conſenſus, ergo conſenſus pro illo tempore euaneſcit, cum pro illo non habeat ſubiectum, in quo radicetur, & proindè non poteſt poſteà reuiuiſcere, ſi poſteà ponatur ſubiectum, quia ex vulgatis iuribus, quod ſemel extinctum eſt, non reuiuiſcit, & quod à principio non valet, non poteſt tractu temporis conualeſcere, & à priuatione ad habitum nō datur regreſſus. Sed contra, quia conſenſus immediatè, & proximè fundatur in obligatione illa, quam contrahentes, & præcipuè debitor ineunt, quæ obligatio vtpote non merè perſonalis, ſed realis licet debeat radicari in re, quæ pro illo tempore, quo ponitur talis conſenſus, non eſt ſub poteſtate, & dominio obligantis, poteſt tamen quoad effectum obligandi in ipſis contrahentibus conſiſtere relatiuè ad talem rem cum conditione implicita, ſi eſt, vel fiet debitoris obligantis, vt contingit in caſu noſtro, in quo, quià qui obligat abſolutè, præſumitur obligare omni meliori modo, quo poteſt, præſumitur etiam conditionatè obligare, ſi abſoluta obligatio non teneat, & ſic conſiſtit in ipſis contrahentibus, quouſque ponatur conditio, & per ipſam res in poteſtate obligantis, in qua poſteà abſoluta radicatur obligatio; nec hoc mirum debet apparere, quandòquidem etiam in obligationibus conditionatis iuxtà communem omnium conſenſum conſenſus ipſi, & obligationes ex ipſis reſultantes perſeuerant in cōtrahentibus, quouſque ponatur conditio, & ſicuti conſenſus in iſtis antepoſitam conditionem conſiſtunt, & deferuntur ad tempus, pro quo purificatur conditio, ita non eſt, cur non poſ-

Conſenſus immediatè fundatur in obligatione ipſa.

Conſenſus conditionati perſeuerant in contrahentibus quouſq; ponatur conditio.

Digitized by Google

poſſint in hypotheſi noſtra etiam conſiſtere, & ad tempus deferri, pro quo res conſtituitur ſub poteſtate debitoris hypothecantis.

Dices ſecundo ex dictis *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 6, & 7.* contractus cum pleno conſenſu, & bona fide initus nullo modo obligat, ſi ſit cum aliquo defectu ſubſtantiali non cognito tempore contractus, nec talis conſenſus ſubſiſtit pro alio contractu, quem contrahentes iniuiſſent, ſi talem defectum cognouiſſent, ergo etiam contractus hypothecæ celebratus cum non exiſtentia rei hypothecatæ, quamuis bona fide crederetur exiſtens, nullo modo obligabit, nec conſenſus poterit trahi ad tempus exiſtentiæ, quem ad illud tempus contrahentes poſuiſſent, ſi cognouiſſent rem illam non exiſtere ſub poteſtate contrahentis, quandò primo fuit poſitus. Sed contrà; neganda eſt abſolutè conſequentia. Ratio diſparitatis ex eo deſumitur, quod conſenſus in illa hypotheſi, de qua ibi locuti fuimus, reſpicit præciſè contractum in ſua origine, qui contractus, ſi originalitèr non ſubſiſtat, non poteſt poſtea in alio conualeſcere, ad quem non præſtitus eſt conſenſus; conſenſus autem, de quo hic eſt ſermo, reſpicit ſecuritatem crediti in tota ea extenſione, in qua creditum ipſum perſeuerat, adeòque quotieſcunque perſeuerat motiuum conceſſionis, quod eſt aſſecuratio crediti, intelligitur perſeuerare, & ſic, ſi accedat poſteà res, & in ea radicatur conſenſus, & firmatur hypotheca. Deindè in illo primo caſu non ſupponitur tolli illic defectus, ob quem erat inualidus contractus, adeòque non reualidatur; in hoc autem illa deficientia tollitur per ſuperueniens dominiū, adeòque &c.

Conſenſus reſpicit præciſè contractum in ſua origine.

Hic immediatè oritur difficultas, an ſi iuxtà ea, quæ dicta ſunt per ſuperueniens dominium firmetur hypotheca, ita firmetur, vt incipiat obligare à die poſiti conſenſus, & celebrati contractus aſſecurationis cum præſumptione, & bona fide, quod res illa extiterit ſub dominio hypothecantis, an vero ſolummodo a die veri, & realis dominij acquiſiti, adeo vt ipſe creditor habeat ius prælationis cum excluſione aliorum habentium poſt illum diem hypothecam generalem in omnibus debitoris bonis, tum quæſitis, tum quærendis a die talis conſenſus, an vero tantum cum excluſione illorum, qui poſt diem acquiſiti dominij veri, & realis generalem hypothecam acquiſiuerunt. Reſpondeo, probabilius eſſe, non incipere dumtaxat à die acquiſiti veri, & realis dominij in re illam hypothecam, ſed a die hypothecæ conſtitutæ per conſenſum. Probatur. Contractus hypothecæ in ſolo conſenſu perficitur, nec eſſentialitèr exigit exiſtentiam rei ſub 4
actuali dominio hypothecantis, ergo poſito tali conſenſu, licet non exiſtente tali re ſub dominio, ius creditor acquirit non quidem ad effectum, vt poſſit agere antè talem exiſtentiam, ſed vt à tali conſenſu ius acquirat, vt, ſi poſteà res illa deuenerit ſub dominio debitoris, poſſit iure ab illo die acquiſito poſtea agere. Antecedens quoad primam partem patet ex textu *in l. ſi tibi §. de pignore ff. de pignorat. act. Bartolus in l. contrahitur ff. de pign.*; quoad ſecundam ſic euincitur, quia hypotheca poteſt ſubſiſtere ſolum in ordine ad futura, vt latius infra. Accedit, quod hypotheca contracta cum conſenſu abſoluto in bona fide, & in ſuppoſitione, quod res ſit propria hypothecantis talis naturæ, & conditionis eſt, vt æquiualeat hypothecæ abſolutæ, & conditionatæ, abſolutæ, inquam, ſi res ſit ſub dominio eius, qui hypothecat, conditionatæ ſaltem implicitè, ſi non fuerit ſub ipſius dominio, licet præſuponatur eſſe, & poſtea ponatur, vt in caſu noſtro, ſed in ſuppoſitione, quod hypotheca ſit tantum conditionata implicitè ex eo, quod res non fuerit ſub dominio hypothecantis pro tempore, quo hypothecatur, non eſt conditionata ex parte actus, cum conſenſus ſit abſolute poſitus, ſed tantum ex parte obiecti, quod nundum eſt poſitum, per quod non ſuſpenditur ius in actu primo ad tempus conditionis, ſed ſolummodo in actu ſecundo ad effectum non agendi contra talem rem, niſi ſit poſita ſub dominio hypothecantis, ergo &c.

Reſpondeo tertio, ſi vterque fuerit conſcius alienitatis rei, & facta fuerit 5
conuentio, quod, ſi res illa acquiratur per debitorem, ex nunc pro tunc intelligatur conceſſa in hypothecam creditori, tenet conuentio, & confert ius prælationis à die initæ conuentionis, non ſolum a die acquiſitionis dominij eiuſdem rei. Ratio eſſe poteſt, quia hypotheca, qua hypotheca eſt poteſt trahi ad futura, ſi conſtituantur ſub poteſtate hypothecantis, ergo exiſtente ſcientia, quod res illa non fuerit ex bonis debitoris, tenebit conuentio, quod, ſi fiat eiuſdem debitoris, cadat

Hypotheca poteſt trahi ad futura.

ſub

Digitized by Google

ſub hypothecam creditoris. Antecedens probatur, quia hypotheca generalis trahitur ex genere ſuo ad bona etiam futura ex ſuppoſitione, quod illa conſtituantur debitoris *l. hac edictali §. 15. illud verſ. omnibus C. de ſecundis nupt. l. cum oportet §. fin. C. de bon., quæ lib.*, ergo etiam hypotheca expreſſa trahi poteſt etiam ad bona futura *l. fin. C. quæ res pig. obl. poſ. l. 1. in prin., & ibi Bartolus C. de pign.*, ſi enim non repugnat, qua hypotheca eſt, non videtur repugnare, qua expreſſa eſt; expreſſio etenim potius confert ius, quam demat. Accedit, quod hypotheca etiã generalis licet ſic abſoluta quoad præſentia, eſt tamen conditionalis quoad futura, ergo hypotheca conuentionalis quoad conditionem de futuro tenet, & ſic etiam ea, de qua in præſenti ſermo eſt.

Expreſſio potius confert ius, quàm detrahat.

Hic ratio deducitur pro ſecunda parte. Hypotheca generalis etiã quoad futura confert ius creditori à die, qua cõſtituta eſt non quidem ad agendũ actu hypothecariè aduerſus ipſa, eo quia adhuc non ſunt ſub poteſtate debitoris, ſed ad poteſtatem habendam hic, & nunc, vt, ſi illa venerint ſub dominium debitoris, poſſit ex vi illius iuris antecedentèr acquiſiti poſtea agere, vndè dominium ſuperueniens in debitore efficit quidem, vt illa poteſtas reduci poſſit ad actum ſecundum, non confert illam poteſtatem in actu primo, ergo etiam hypotheca illa conuentionalis ſub conditione de futuro, ſi res venerit ſub poteſtate debitoris, confert ius eidem creditori à die, qua conſtituta eſt, non à die, qua poſita res eſt ſub poteſtate eiuſdem debitoris. Neque dicas, illam hypothecam eſſe conditionalem, adeoque non conferre ius, niſi à die purificatæ conditionis, contra enim impugnaberis, quia non eſt conditionalis ex parte actus, ſed tantum ex parte obiecti, non enim importat ſolummodo promiſſionem de conſtituenda hypotheca, ſi res illa deuenerit in poteſtatem debitoris, ſed importat actum hic, & nunc abſolutum hypothecæ exequendæ poſtea, ſi caſus euenerit dominij in illa acquiſiti per debitorem, vndè ſuperuenientia dominij firmat actum ſecundum exequibilitatis proximæ, non actum primum poteſtatis ad illam, ſicque poteſtas originalitèr inexiſtens contractui perficitur poſtea in actu ſecundo per illud dominium acquiſitum, non ponitur, vt contingit in hypotheca generali comparatiuè ad futura.

Hypotheca in data hypotheſi non eſt purè conditionalis.

Dices, diſparem eſſe rationem de hypotheca generali ad futura, & de hypotheca ſpeciali ad obiectum etiam futurum, & diſparitas in eo fundatur, quod hypotheca generalis in aliquo abſoluto firmatur, nempè in bonis exiſtentibus debitoris, quod abſolutum trahit ad ſe etiam futura conditionalia; hypotheca vero ſpecialis nihil habet abſolutum, in quo firmetur, ſed trahitur ſolummodo ad conditionata nempè ad futura, ſi ponantur, ſicque illa eſt exiſtens ratione abſoluti à die, qua ponitur, iſta vero non niſi à die, qua futura ponuntur in eſſe, cum antecedentèr non habeat, in quo fundetur. Sed contra, quia ex ſuperius dictis iam patet reſponſio, ipſa enim hypotheca originalitèr fundatur in conſenſu contrahentium, licet reſpiciat obiectum futurum, & nundum exiſtens, quod ſatis eſt ad fundandam hypothecam, ſicuti ſatis eſt ad fundandum contractum venditionis obiectum futurum, licet incertum ſub ſpe tamen, quod ſit futurum, vt diximus de venditione iactus retis, & venationis pro aliqua die habenda, ſicque hypotheca ſuum effectum conſequetur in actu ſecundo, ſi ponetur res ſub poteſtate debitoris, ſicuti venditio, ſeu emptio iactus retis effectum conſequitur, ſi aliquid per talem iactum capietur, &, ſicuti hic eſt ſufficiens ad fundandum contractum venditionis, ita & res ſi ponatur in ære debitoris, erit ſufficiens ad fundandum contractum hypothecæ etiam pro tempore, quo adhuc non eſt conſtituta in tali ære. Deindè falſum omnino eſt, in hypotheca generali abſolutum nempè exiſtens ad ſe trahere conditionatum, nempè futurum, ſed vt abſoluta fundatur in re exiſtente, vt conditionata in futuro, ſicuti igitur, vt conditionata ſufficientèr ſaluatur in ordine ad futurum, & nihilominus quantum ex ſe confert poteſtatem de præſenti, exequibilem poſtea, ſi res ponetur, ita etiam hypotheca ſpecialis, de qua hic loquimur, quamuis conditionata ſaluari poterit in ordine ad idem obiectum futurum, de facto tamen confert poteſtatem de præſenti, licet non niſi exequibilem de futuro, ſi illud ſcilicet futurum reducatur ad actum dominij reſpectu eiuſdẽ debitoris. Tandem nullus negat, quem poſſe conſtituere ſub hypotheca pro debito, quod habet, omnia ſua præſentia, ſi quæ habet, vel ſola futura, ſi nulla habeat de præſenti, ergo, ſi ſola futura poteſt hypothecare, poterit

Inſtantia contra reſpõſionem, & ſolutio.

Hypotheca originalitèr fundatur in conſenſu.

In hypotheca generali exiſtens non trahit ad ſe futurum.

etiam

Digitized by Google

etiam hypothecare aliquod futurum ſpecialitèr, ſi illud deuenerit in ſui poteſtatem, & ſicuti generalis hypotheca ad futura, quamuis nullum abſolutum inuoluat, ſubſiſtit a die, qua inita eſt, ità &c.

Dices ſecundo, pereunte re hypothecata deſinit hypotheca *Bartolus in l. rem alienam ff. de pign. act. l. fœneratur, & ibi Bartolus ff. de vſuris*, ergo non exiſtente re hypothecata non poterit hypotheca conſiſtere, quandoquidem hypotheca non exiſtit ſine re, quæ dicitur hypothecari *l. res ff. de pign. l. fideiuſſor obligari in princip. ff. de fideiuſ.*, ergo hypotheca nequit exiſtere, niſi a die, qua res incipit exiſtere in poteſtate debitoris. Sed contra, quia deſtructa re nec poteſt hypotheca abſolutè, nec ſub conditione conſiſtere, quia conditio illa non eſt amplius nec de futuro, nec de naturalitèr poſſibili, non exiſtente autem adhuc illa re ſub poteſtate debitoris hypothecantis poteſt fieri, quod fiat ſub illius dominio, adeoque hypotheca, ſi non abſoluta, ſaltem conditionalis poteſt eſſe, & ſubſiſtere. Deindè deſtructa re hypothecata intelligitur hypotheca ſuum eſſe completum habuiſſe; re vero nondum exiſtente ſub poteſtate debitoris hypotheca intelligitur ordinata adhuc ad ſuũ complementum, adeoque non eſt, cur antè illud aſſecutum in ordine ad actum ſecundum nequeat ſuſtineri, præcipuè cum ſit diſpoſitio iuris, quod deſtructa re hypothecata deſinat hypotheca, nullibi autem ſit diſpoſitio eiuſdem iuris, quod non poſſit de præſenti conſtitui hypotheca in rebus futuris.

Deſtructa re non poteſt hypotheca, nec abſolutè, nec ſub conditione exiſtere.

§. XVIII.

De iuſtitia cambiorum in Monte.

SVMMARIVM.

Explicatur in caſu particulari, quid ſit cambium in monte, 1.
Rationes dubitandi circà ipſum, 2.
Iuxta vtrumque modum cambiendi expoſitum in explicatione caſus iuſtè potuit Seius acquirere illum exceſſum, 3.
Reſpondetur rationibus dubitandi, & obiectis, 4.

1 Diſquiſitio XVIII. Vſitatus modus cambiendi in monte hic eſt. Titius campſor conuenit cũ Seio Campſario hoc pacto, vt Seius Mediolani exiſtens ſoluat mille eidem Titio Romæ, & Titius ſoluat hic Mediolani mille, & viginti eidem Seio. Conſentit Seius, ſed dicit literas tibi dabo in fine nundinarum. In fine nundinarum dicit Sempronius eidem Seio, da mihi mille hic, & dabo tibi mille viginti Romæ, & ſic firmatur conuentio. In hoc caſu Seius lucratur viginti Mediolani, nam ſoluere debet tantum mille Romæ, & recepit mille viginti hic Mediolani. Deindè lucratur etiam viginti Romæ, nam Mediolani ſoluit Sempronio tantum mille, vt Romæ recipiat mille viginti. Quid ergo facit? In fine nundinarum accipit literas conuentas à Sempronio continentes mille & viginti, caſque conſignat Titio ſuo creditori, vt ex illis recipiat Romæ mille conuentos, & reliquos viginti contentos in eiſdem literis ſibi reſtituat. Rurſus idem Seius in principio nundinarum, quæ Mediolani celebrantur, quærit plurima cambia reddenda Lugduni cum binis ſcutis pro ſingulis centum, in fine nundinarum huiuſmodi cambia valent quaternis. His poſitis, in fine earundem nundinarum vendit omnes literas, quas ex cambijs recepit, & ſic lucratur binos nummos aureos pro ſingulis centenarijs, & vitat expenſas prouiſionum. Hæc cambia dicuntur in monte, quia ager ille literarum in aliquibus regionibus apud Mercatores appellatur mons. Quæritur iam, an idem Seius ex hoc cambiendi genere iuxta modũ in vtroque caſu expoſitum licitè illum exceſſum, de quo ſupra, poſſit lucrari.

Magnam vim facere videntur aduerſus hos cambiendi modos ea, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ. 3. §. 1.*, vbi aſſerebamus, non licere emere literas cambij in principio nundinarum pro minori pretio, ac venderentur in fine, adeo vt vſuraria ſit conuentio, qua emuntur literæ hic & nunc, vt reſtituantur, ſeu tradantur in fine nundinarum ſecundum valorem, quem tunc temporis habebunt, ſi ſit probabilior ſpes, quod pro eo tempore ſint habituræ maiorem valorem per ea, quæ ibi latè probata ſunt, quod idem videtur euenire in ſenſu difficultatum, quæ hic proponuntur, quandoquidem qui recipit in principio nundinarum ex cambio literas, vt in fine earundem pro eiſdem maius lucrum reportet, perindè videtur ſe habere, ac ſi emeret hic & nunc literas pro minori pretio, vt 2

maius

Digitized by Google

maius pretium indè acquireret, quod æquiualet conuentioni, ſecundum quam emuntur hic & nunc, vt tradantur ſecundum maiorem valorem, quam habituræ ſunt in fine nundinarum, & quidem cum probabiliori ſpe illius maioris lucri. Nihilominus.

3 Reſpondeo, iuſtè Seium potuiſſe ex illo cambiendi genere iuxta vtrumque ſenſum expoſitum lucrari illum exceſſum, *Ognate tract. 24. de cambijs diſp. 88. ſect. 10. num. 189., Filiutius tract. 35. cap. 9. quæſt. 7. num. 458., Nauarrus cap. 17. nu. 285., Salas de Cambijs n. 41.* Probatur primo quoad primum ſenſum iuxta caſum primo propoſitum. Iuſtè Seius poteſt exigere à Titio illos viginti ſupra milliarium, quandoquidem iuſtum habet titulum illum exceſſum acquirendi propter virtualem traiectionem, quam præſtare debet in fauorem eiuſdem Titij, ſiquidem illa virtualis traiectio ex ſuperius dictis eſt ſecundum ſe pretio compenſabilis; nec obeſſe poteſt acquiſitioni illius exceſſus, quod Seius conuenerit cum Titio de non dandis literis, niſi in fine nundinarum, quod videtur importare illam acquiſitionem exceſſus eſſe ex ſola temporis dilatione; non, inquam obeſſe poteſt, quia iuſtè potuit conuenire de illa dilatione in dandis literis, quandoquidem per illam conuentionem, nec augetur, nec minuitur iuſtum pretium, &, ſi deindè ex illa dilatione debitor literarum aliquam vtilitatem percipiet, hoc eiuſdem conditioni, & induſtriæ imputandum eſt. Rurſus, quod idem Seius acquirat viginti Romæ dando hic mille Sempronio, vt recipiat mille viginti Romæ iuſto titulo lucratiuo acquirit, quandoquidem eſt virtualis etiam traiectio, per quam pecuniam eiuſdem Sempronij ibi exiſtentem huc transfert per ea, quæ docent *Bannes ſecunda ſecundæ tom. 2. tract. de Cambijs dub. 5., Valentia ſecunda ſecundæ diſp. 5. quæſt. 23. punct. 4., Ioannes Andræas cap. nauiganti de vſuris, Conradus de Contractibus quæſt. 99., Lugus de Cambijs diſp. 28. ſect. 5.,* & nos etiã tradidimus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Pænot. 1. ſub n. 15. per totũ*; neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, quod lucrũ ex tali virtuali traiectione acquiſierit, &, cum ſecunda conuentio facta cum Sempronio ſit ipſi Seio valdè fauorabilis, vtpotè, quæ ipſum eximit ab onere dandi literas in fauorem Titij, cum vtatur illis Sempronij, non videatur poſſe ex illa nouum lucrum acquirere; non, inquam, obſtare poteſt, quià ex eo, quod ſecunda conuentio ſit Seio fauorabilis, cum per illam præſtet, quod præſtare teneretur per ſe ipſum cum ſuo incommodo, non tollitur, ſi illa ſit ſecundum ſe pretio æſtimabilis, quin poſſit proportionatum pretium exigere eo modo, quo ſuprà dicebamus de habente onus remittendi equum Romam proprijs expenſis, qui, ſi inueniat, qui Romam reuerſurus indigeat equo, poteſt eundem ipſi ſublocare accepto pretio locationis, quamuis ex illa reductione vtilitatem percipiat ſe eximendo ab onere remittendi proprijs expenſis.

Aſſignatur titulus iuſtè acquirẽdi illum exceſſum

Fauor Seij non tollit, quin poſſit ex alio titulo lucrari.

Probatur ſecundò quoad ſecundum ſenſum. Iuſta eſt, & ad æqualitatem emptio illa, & venditio literarum facta per Seium, ergo non eſt, cur ex illa non poſſit iuſtè acquirere illum exceſſum in venditione. Antecedens patet, quia æqualitas pretiorum, & iuſtitia deſumitur à valore, quem res empta, vel vendita habet ex vſu fori pro tempore, quo emitur, vel venditur, non enim pro omni tempore idem eſt, ſed variatur ſecundum varias circunſtantias iuxtà alibi dicta, ſed re vera Seius emit literas cambij iuxtà valorem, quem tunc temporis, quo emit, habent, & vendit item iuxtà valorem, quem ex vſu fori habent tempore venditionis, ergo &c. Confirmatur, quià iuſtè poteſt quis emere merces aliquas aliquo pretio pro aliquo tempore, & vendere pro alio tempore maiori pretio, ſi illud pro illo tempore, quo fit venditio, eſt ex vſu fori æquale, quià, ſi res in valore creſcit, creſcit Domino, qui eſt ipſe venditor, ergo etiam pro diuerſitate temporum variato literarum valore poterit quis literas, quas emit iuſto pretio pro vno tempore, vendere maiori pro alio, ſi illud maius pro illo tempore iuſtum eſt, quandòquidem valor, qui creſcit, creſcit Domino, & non minus variabile ſit pretium cambiorum concurrentibus diuerſis circunſtantijs, ac pretium aliarum mercium.

Venditio illa literarũ eſt ad æqualitatem.

Pretium mercium variari poteſt pro diuerſo tẽpore.

Probatur tertiò in vniuerſum quoad vtrumque ſenſum, quia illa exceſſus acquiſitio eſt fructus induſtriæ licitæ, & nemini iniurioſæ, & ex propria conditione ipſius acquirentis, ſed licitè poſſunt ex induſtria fructus acquiri, ergo &c. Probatur maior, quià res emere minori pretio pro tempore, quo eædem res minoris valent, eaſdemque vendere pro tempore, pro

Ille exceſſus eſt fructus induſtriæ

Xx quo

quo in pretio creuerunt, proprium eſt Mercatorum, & in arte ipſorum quotidianum, nec vllus eſt, qui eos damnet iniuſtitiæ in tali vſu, ergo &c. Neque arbitreris, illam literarum coadunationem, per quam mons conſtituitur, eſſe ſpeciem monopolij, adeòque in iure damnabilem; non, inquam, arbitreris, nam neque ex fine monopolij, neque ex fine augendi cambiorum pretia ſupponuntur huiuſmodi literæ per Seium coactæ, quandòquidem non acquiſiuerunt maius pretium, ac ſi fuiſſent in pluribus diſperſæ, nec ideò Seius coadunauit, vt pretium augeret, prout importat natura, & conditio Monopolij.

4 Nec vim facere poſſunt aduerſus huc vſque dicta ea, quæ ex aduerſo afferebantur ex dictis *ſub hoc eod. tit. de Cambijs II. in Diſquiſ. 3. §. 1.* quandòquidem ibi erat ſermo de literis emptis ſecundum valorem excedentem, vel in ſe, vel ſaltem in rationabili præſumptione pretium, quod pro illis fuit ſolutum, quod aliud non importat, niſi quod maior ille valor acquiratur propter ſolam temporis dilationem in dandis literis, quod redolet vſuram; hic autem eſt ſermo de literis emptis pretio correſpondenti iuſto valori earundem pro tempore, pro quo emuntur, & pro eo tempore abſolutè acquiruntur, & venditis etiam pretio correſpondenti valori earundem pro tempore, pro quo venduntur, & transferuntur, quinimmò in ſenſu, de quo hic loquimur, ſi literæ maiorem valorem acquirant, acquirunt emptori, qui abſolutum dominium illarum acquiſiuit; in ſenſu verò, de quo ibi agebamus, literarum dominium nundum erat abſolutè translatum in emptorem, adeòque augmentum, ſi quod acquirunt, non videtur de iure illi cedere, adeòque &c. Res in hoc reſtringitur, vel enim in caſu, de quo ibi agebamus, emptor reſpexit ad valorem, quem erant habituræ literæ tempore traditionis, & ecce inæqualitas rei ad pretium, vel ad valorem præſentem, & ſic non poterit acquirere illud augmentum, quod poſtea acquiſiuerunt dictæ literæ pro tempore, quo debent tradi.

Satisfit rationibus dubitandi.

§. XIX.

An huiuſmodi cambia in Monte, ſi exerceantur per correſpondentes campſorum poſſit illud lucrum iuſtè per eoſdem correſpondentes ſibi acquiri.

SVMMARIVM.

Exponitur difficultas in ſuis terminis. 1.
Duplex ſenſus, in quo Ognate examinat difficultatem. 2.
Regularitèr illud lucrum acquiritur reſpondenti, niſi vſus literarum ſit eidem expreſsè prohibitus. 3.
Limitatur niſi conſuetudo vigeat in contrarium. 4.

Diſquiſitio XIX. Contractus illi, qui fuerunt exerciti hic Mediolani per Seium iuxtà modum expoſitum in præcedenti §. fuerunt etiam exerciti per ipſius correſpondentem Romæ cum alijs, ſed media pecunia eiuſdem Seij. Quæritur iam, an illud lucrum, quod fuit ex huiuſmodi contractibus per correſpondentem Romæ acquiſitum, cedat eidem correſpondenti, an verò Seio, cuius nomine, & cuius pecunia ibi per dictum correſpondentem fiunt cambia, ſeu facta fuerunt. 1

Diſtinguit *Ognate tract. 24. de Cambijs diſp. 88. ſect. 10. num. 189.* vel enim reſpondens eſt ſimplex miniſter agens accepto ſtipendio nomine Seij ſui principalis non habens vſum literarum conceſſum ſibi ab eodem Seio, vel eſt ſimplex correſpondens agens etiam nomine, & ex pecunia propria, qui proptereà ſolum dicatur correſpondens, quatenus munera ſibi iniuncta per campſorem exercet nullo alio accepto ſtipendio præter illud, quod ex ſingulis cambijs illi obueniunt, vel tandem eſt ſimplex miniſter conductus ab eodem Seio aſſignato eidem congruo ſtipendio ità tamen, vt illi permittatur vſus literarum. Si primo modo ſumatur, aſſerit idem *Ognate*, quod lucrum illud, quod acquirit correſpondens, cedat campſori, non ipſi; Si ſecundo modo, quod cedat ipſi, non campſori; ſi tandem tertiò, idem ſtatuit, quod in ſecundo. Adderem ego alium modum, iuxtà quem poteſt eſſe maior ratio dubitandi, &

Duplex ſenſus difficultatis.

con-

Digitized by Google

conſiſtit in eo, an, ſi ſit ſimplex miniſter conductus certo ſtipendio, & agens nomine, & ex pecunia campſoris, ſed nec habeat expreſsè conceſſum, nec expreſsè prohibitum vſum literarum ſibi acquirat illud lucrum, an verò campſori. Pro cuius difficultatis maiori robore recolenda ſunt, quæ dicta fuerunt *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. Pranot. 4. aſſert. 4. num. 12. per totum, & item Pranot. 5.* & hic applicanda cum proportione. Vnico aſſerto ad omnia

2 Reſpondeo, regularitèr illud lucrum acquiri reſpondenti, niſi eidem ſit expreſsè prohibitus vſus literarum, & ex conuentione obligatus correſpondens ad quamcunque induſtriam in fauorem campſoris, & quidem ſi ipſe reſpondens ſumatur iuxtà ſecundum modum expoſitum per Ognate in ſecundo membro diſtinctionis propoſitæ, nulla poteſt eſſe ratio dubitandi, quandòquidem, ſicuti ipſe campſor tali induſtria vtens hic Mediolani illud lucrum ſibi acquirit nemine reluctante, ità non eſt, cur correſpondens ipſius, ſi adhibita ſimili induſtria Romæ ſimile lucrum acquirat illud ſibi non acquirat, vt potè qui, cum agat nomine, & ex pecunia propria computatur, vt principalis in tali negotiatione, & vt campſor; ſi verò ſit ſimplex miniſter, & conuento ſtipendio ſibi aſſignato agat nomine, & ex pecunia principalis campſoris habito tamen ex facultate eiuſdem vſu literarum, certum etiam eſt correſpondentem illud lucrum ſibi acquirere, ſiquidem illud lucrum non eſt fructus pecuniæ campſoris, quæ ſecundum ſe infructifera eſt, ſed talis vſus, & induſtriæ, ſed vſus, & induſtria ſpectant ad ipſum reſpondentem, ergo & illud lucrum; ſi verò ſit ſimplex miniſter, vt ſupra, & nec habeat vſum expreſsè conceſſum, nec expreſsè prohibitum, in quo, vt aſſerebam, conſiſtit difficultas, ſic

Ipſe reſpondens computatur, vt principalis in tali negotiatione.

Probatur primò reſponſio, quià miniſter conductus ad certum negotiationum genus non intelligitur obligatus ad contribuendum conductori ea, quæ ex ſpecialiori induſtria, quæ in ſimilibus adhiberi non ſolet regularitèr ab alijs ſimilis conditionis, proueniunt, quamque, ſi non adhibeat, non poteſt dici dominus, quod fuerit rationabilitèr læſus, & inuitus, quinimmò, ſi proueniunt, fortunæ ipſius miniſtri imputanda ſunt, ſed lucrum, de quo loquimur, prouenit ex ſpecialiori induſtria ipſius correſpondētis, quam, ſi non adhibuerit, non poteſt dominus eſſe rationabilitèr inuitus, quinimmò eſt caſus fortuitus omninò fauorabilis, ergo non intelligitur obligatus ad illud contribuendum campſori. Minor probatur, quià onera regularia miniſtrorum, qui in ſimilibus conducuntur, eſt literas recipere, & ſoluere, dare, & recipere, & nomine principalium cuſtodire, libros rationum dati, & accepti tenere, non autem alias negotiationes obire, quæ non obeuntur per alios ſimilis conditionis, niſi exprimantur, ergo, ſi tales negotiationes obeant ſine præiudicio ſuorum principalium, & ex illis aliquid acquirant, ſibi acquirere, non principalibus præſumendi ſunt, &, ſi non obeant, non poſſunt principales dici, & eſſe inuiti, quandòquidem, cum ſint ſupra rationem talis muneris, ad illas obeundas non poſſunt coarctare.

Miniſter cōductus ad certā negotiationē poteſt ſibi acquirere, quod lucratur ex maiori induſtria, quā adhibuere non tenetur.

Probatur ſecundò. Famulus conductus ad obeunda munera ſui principalis accepto certo, & determinato ſtipendio, ſi ex commiſſione Domini deferat in alium locum pecuniam auream alteri reſtituendam, & in itinere eandem commutet cum argentea acquiſito ex tali permutatione aliquo lucro illud ſibi acquirit, non domino per ea, quæ ſuprà docuimus *ſub cit. tit. Contractus V. de Cambijs I. Pranot. 4. n. 12.* ergo etiam, ſi vtatur illa induſtria, de qua in reſponſione, & indè acquirat illud lucrum, illud ſibi iuſtè acquiret, non ſuo principali. Conſequentia probatur, quià ideò in caſu antecedentis illud lucrum cedit eidem famulo, quià eſt fructus induſtriæ ipſius ſpecialis, quam ex commiſſione Domini non tenetur præſtare, cui obſtare non poteſt, quod fiat illa permutatio ex pecunia principalis, & quod permutans ſit conductus certo ſtipendio ad onera in fauorem ſui creditoris, ſed etiam illud lucrum, quod in hypotheſi, in qua loquimur, acquiritur, eſt fructus induſtriæ eiuſdem reſpondentis, quam non impendit ex onere ſibi impoſito per principalem, nec tenetur impendere, cum munus, ad quod aſſumitur, non extendatur ad ea, quæ ex vi talis muneris non exercentnr ab alijs ſimilis conditionis, & ſi ex eo, quod in præcedenti caſu ſit conductus, & agat ex pecunia principalis non tollitur, quin lucrum illud licitè acquirat, nec ex vi talium conditionum videtur in præſenti tolli, quin illud poſſit licitè acquirere, ergo &c.

Euincitur reſponſio ex paritate.

Digitized by Google

Reſolui- tur fun- damentũ aduerſa- riorum.

Probatur tertiò. Si quæ ratio euinceret lucrum illud debere cedere in fauorem principalis, maximè hæc eſſet, quia ex eo, quod ſit conductus per certum ſtipendium tenetur omnem induſtriam impendere in fauorem eiuſdem conductoris, ſed hæc ratio non militat in ijs caſibus, in quibus ſpecialior induſtria applicatur, quamque cæteri ſimilis conditionis applicare non ſolent, niſi exprimatur, ergo &c. Minor probatur ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus II. de emptione, & vendit. Diſquiſ. 4. §. 9. ſub nu. 9. fol. 132.* de actoribus Mercatorum Antuerpienſium in Hiſpania, qui certè aſſignato ſtipendio ſunt conducti ad onera earundem Mercatorum obeunda, qui tamen, ſi tranſigant cum Gabellarijs pro mercibus ſuorum principalium inuehendis in Ciuitates Hiſpaniarum, & in tranſactione conueniant, quod ijdem Gabellarij contenti ſint medietate Gabellarum, quas deberent ſecundum conſuetudinem illarum Regionum ſoluere, iuſtè poſſunt à ſuis principalibus integrum gabellarum ſtipendium exigere *Leſſius lib. 2. de inſt., & iu. cap. 33. dub. 11., Lugus diſp. 35. ſect. 4. num. 50.* quia ea induſtria, quæ adhibetur in tali tranſactione, non computatur cum illa, quæ ſolet adhiberi in fauorem principalium, cum non veniat ſub conuentione conductionis, ergo etiam &c.

4 Limitarem tamen reſponſionem, & ea, quæ dicta ſunt ad eius probationem in ijs caſibus, ſeu ſuppoſitionibus, in quibus vrgente conſuetudine frequentèr cambiendi illo modo, de quo loquimur, principales campſores illius lucrum ſolerent exigere, vbi enim frequens eſt caſus, non eſt imputandus induſtriæ ſpeciali miniſtri conducti, ſed reputandus, vt annexus illi muneri, ad quod, cum ſit conductus certo ſtipendio miniſter, intelligitur etiam conductus ad ea, quæ ex conſuetudine eidem annectuntur, adeòq; pro illis nequit ſibi lucrum acquirere, ſed conductori, & vbi ſolent principales illud lucrum exigere, non ſunt præſumendi, quod eidem lucro cedant, ſeu iuri ad illud conſequendum. Item in ijs caſibus, in quibus in conuentione conductionis conductus fuiſſet expreſsè obligatus ad quæcunque obeunda etiam ex ſpeciali, & ſpecialiſſima induſtria in fauorem conductoris; tunc etenim illud lucrum ex conuentione conductoribus eſſet computandum.

Dixi in reſponſione, *niſi eidem ſit expreſsè prohibitus vſus literarum*; tunc etenim ex voluntate præſumpta principalis eſt, quod, ſi perceperit illud lucrum, non ſibi, ſed eidem principali perceperit, quandòquidem illud lucrum eſt ex vſu literarum, qui, cum ſit reſeruatus domino, eidem vtilitatem parere debet, non ei, cui talis vſus interdictus eſt, quinimmò illa vſus prohibitio æquiualet expreſſæ reſeruationi factæ ſibi per dominum illarum literarum, cui propterea debent competere omnia iura, quæ ex tali literarum vſu proueniunt. Atque iuxtà hunc ſenſum intelligenda ſunt ea omnia, quæ docuit *Ognate d. tract. 24. de Cambijs diſp. 88. ſect. 10.*

---

§. XX.

Quid ſit cambium commiſſionum & an ſit licitum.

SVMMARIVM.

Exponitur, quomodo fiat cambium commiſſionum. 1.

Omninò licitus eſt ille modus cambiendi, nec vlla labe deturpatur. 2.

Pretia rerum in diuerſis locis iuſtè diuerſificantur. 3.

Licita eſt translatio pecuniarum ſecundum ſe in quemcunque locum. 4.

DIſquiſitio XX. Commiſerat Franciſcus Campſor ſuis amicis, & reſpondentibus, vt ipſum commonefacerent, quo pretio currerent cambia 1
in tali, vel tali Ciuitate, cumque per illos reſciuerit, quod Neapolim cariora euaderent cambia, minus cara Genuæ, Neapolim potius, quam Genuam pecunias ſuas in illis cambijs expendendas direxit. Hæc cambia inita cum notitia habita de maiori pretio in tali Ciuitate per commiſſarios dicuntur cambia commiſſionum. Quæritur iam, an cambia ſic inita licita ſint.

Reſpondeo, omninò, & abſolutè licita eſſe, nec vlla penitus labè deturpari. *Ognate tract. 24. de Cambijs diſp. 88. num. 192.* vbi aſſerit eſſe iudicabilitèr 2
iuſta. *Filliutius tract. 35. quæſt. 5., & 6. nu. 456., & ſeqq.* Ratio eſſe poteſt, quià vnicuique licitum eſt, vbi ius non obſtat, nec conuentio reſiſtit, pecunias ſuas implicare in negotiationibus ſibi magis proficuis, ergo etiam licitum erit

Digitized by Google

erit eaſdem implicare in eodem negotiationum genere, ſed in loco, in quo illud negotiationum genus ſibi magis vtile, & proficuum eſt. Conſequentia probatur, quià in tali loco, in quo tale genus negotiationum ſibi magis proficuum eſt, nulla in tali genere committitur iniuſtitia, ſed proportionata ſeruatur æqualitas, ergo, ſicuti in alio negotiationum genere iuſtè quis exigit maius ſtipendium, ac in diuerſo, quià titulus talis negotiationis magis vtilis eſt ſecundum ſe, ità & in eodem genere in aliquo loco iuſtè poterit exigere maius ſtipendium, ac in alio, quià in tali loco illud idem genus negotiationum attentis circunſtantijs in eodem occurrentibus magis proficuum eſt, ac in alio loco. Confirmatur, quià Neapolim exiſtentes iuſtè

Vnuſquiſque poteſt implicare pecunias ſuas in negotiationibus ſibi magis proficuis.

3 poſſunt cambire pretio in eodem foro currenti, quamuis illud excedat pretium, quod ſolet exigi in alio loco; pretia enim rerum in diuerſis locis ex diuerſis circunſtantijs, quæ in eiſdem concurrunt, diuerſa ſunt, & iuxta valorem, qui contingit in ſingulis ex vſu fori in eiſdem licita ſunt, & iuſta, ergo etiam, qui transferunt pecunias ſuas Neapolim ad negotiandum in cambijs iuſtè poterunt cambire pretio ibidem currenti, nec vitiabitur contractus ex eo, quod illuc transferant. Conſequentia probatur, quià nullo iure quis prohibetur negotiari in quocunque loco pretio ibi communi ex vſu fori, nec illuc pecunias ſuas transferre. Quis enim me prohibet, quin merces meas quocunque placuerit trasferam, vt cum eis negotiationes ineam? Quis remouet, quin pecunias ad locum, vbi maioris valoris ſunt, tranſuebam, vt ibi lucrifaciam? Confirmatur ſecundò, quia licita eſt negotiatio cambiorum localium, per quam pecunia ex vno in alium locum

Poteſt quis negotiari vbi mauult.

4 ſiuè formalitèr, ſiuè virtualitèr transfertur etiam ad finem lucri, ergo etiam erit licita translatio pecuniæ ab vno loco in alium, vt ibi fiant negotiationes, vbi maioris eſt æſtimationis propter exiſtentes circunſtantias; dato enim ſemel, quod non ſit illicita translatio ſecundum ſe, nec negotiatio, nec finis lucri, non video, qua ràtione cambia commiſſionum iuxtà modum explicatum poſſint deturpari, & reddi illicita.

§. XXI.

An licitum ſit, cambire pro loco, pro quo quis priuatim ſcit, valorem nummorum ex pręſcripto Principis mutatum eſſe alijs penitùs ignorantibus talem mutationem.

SVMMARIVM.

Series diſquiſitionis exponitur. 1.
Quomodò ex dimminutione, & augmento poſſit reſultare vtilitas habentis talem priuatam notitiam. 2.
Huiuſmodi contractus ſunt iniuſti, & reſcindibiles. 3.
Non ſaluaretur æqualitas ad iuſtitiam requiſita. 4.
Attendendus eſt valor ſecundum taxationem Principis in loco promulgatam. 5.
In reſolutione contractus ſtandum eſt legibus loci ſolutionis. 6.

Diſquiſitio XXI. In Ciuitate Lugdunenſi valor duplarum Hiſpaniarum, & quatuor impreſſionum, 1 vt vulgo dicitur, erat ad certam quantitatem a Principe determinatus, & taxatus, ſecundum quam iam diù expendebantur, & recipiebantur, & ad talem valorem cambia communitèr girabantur, & fiebant. Ex circumſtantijs poſtea ibidem verſantibus ex præſcripto Principis valor earundem duplarum, vel adauctus, vel dimminutus eſt, & de tali augmento, vel dimminutione lex edita, & promulgata eſt. Facta tali promulgatione Titius mercator Mediolanenſis per ſpecialem nuntium à ſuo reſponſali Mediolanum concitato curſu tranſmiſſum præmonitus fuit de tali mutatione alijs penitus ignorantibus, nec ſcire valentibus huiuſmodi mutationem. Habita tali præuia notitia Titius, antequam ad alios perueniret, ſeu peruenire poſſet, inire ſtuduit plurima cambia, quæ ex tali notitia, ſibi valdè futura erant proficua, licet alijs, cum quibus contraxit, noxia, quæ certè non iniuiſſent, ſi de tali mutatione notitiam habuiſſent, & literas Lugdunum tranſmiſit iuxtà formam conuentam, cum tali notitia reſpectu ipſius, & ignorantia reſpectu aliorum. Superueniente poſtea publica notitia de tali mutatione alij, qui cum eodem contraxerant, contendebant ad reciſcio-

Exponitur, in quo ſenſu procedat titulus.

ſcionem contractuum per ipſos initorum, cum eodem Titio præciſè conſcio de tali mutatione. Quæritur iam, an iuſta, & rationabilis ſit actio eorundem contendentium ad reciſcionem?

2 Suppoſita dimminutione valoris prædictarum duplarum ex lege Principis contractus per eundem Titium initi, cum tali ſcientia, & reſpectiuè ignorantia aliorum poterant ipſi eſſe proficui, quatenus eſſet debitor verſus alium mercatorem de ſumma, v.g. mille duplarum, & aſſumeret onus eaſdem, ſeu earum valorem ſoluendi Lugduni, quia in tali hypotheſi pro minori ſolueret integrum ſuum debitum. Suppoſito verò augmento valoris contractus eidem poterant eſſe proficui, quatenus eſſet creditor de alio mercatore, & ab eodem exegiſſet ſolutionem per literas Lugduni, tunc etenim illud augmentum acquireret. His pro notitia ſuppoſitis.

Quomodo ex diminutione, & augmento poſſit reſultare vtilitas.

3 Reſpondeo, Huiuſmodi contractus per Titium cum tali priuata notitia initos, quatenus ſunt alijs, cum quibus contraxit, noxij, iniuſtos eſſe, & ſaltem quoad quantitatem, in qua ſunt eiſdem noxij, reſcindibiles. Ratio ex eo deducitur primo, quia in huiuſmodi contractibus non ſaluatur æqualitas ad iuſtitiam eorundem requiſita, ſiquidem in caſu dimminutionis quid minus erogaret ad extinctionem maioris debiti, & in caſu augmenti, quid maius acquireret ſupra creditum, quod haberet, ergo illi contractus ratione talis inæqualitatis omninò iniuſti eſſent, adeoque reſcindibiles quoad quantitatem, in qua vtilizaretur ipſe Titius ſic contrahens; Neque dicas, pro tempore, quo contrahit, non eſſe conſiderabilem illam inæqualitatem, cum in loco, in quo contrahit, non intelligatur valor duplarum nec adauctus, nec dimminutus; non enim lex augmenti, ſeu dimminutionis ibi intelligitur promulgata, vnde ibidem ex vſu fori, & ſecundum communem æſtimationem duplæ tanti valent, quanti antecedenter valebant, nec illa priuata ſcientia Titij de valore adaucto, vel dimminuto poteſt obſtare, quandoquidem, vt aſſerebam *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt. & vendit. prænot. 2. num. 9. verſ. probatur ſecundo*, vſus fori, ſeu communis æſtimatio non minuitur per priuatam alicuius ſcientiam, ſeu notitiam, & ſicuti, non læditur æqualitas ad iuſtitiam contractus requiſita, quando

Huiuſmodi cõtractus ſunt iniuſti, & reſcindibiles.

4

Non ſaluaretur æqualitas ad iuſtitiam requiſita.

quis priuatim ſciens valorem monetarum ex præſcripto Principis mox diminuendum, monetas in tali genere expendit iuxtà valorem, quem habent ante decretum dimminutionis, quia priuata illius ſcientia, non poteſt officere vſui fori, & communi æſtimationi, quam tunc habent illæ monetæ per ea, quæ docent *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 77. art. 3. ad quartum, & ibi Caietanus Siluester verb. emptio. q. 15. Sotus de iuſt. & iur. lib. 6. q. 3. art. 2. ad 3. Coaruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 4. num. 5. & 6.*, ita, nec intelligitur eadem æqualitas lædi in caſu præſenti, ſecundum quem in loco, in quo celebratus eſt contractus ex vſu fori, & commune æſtimatione duplæ tanti valent, quanti antecedenter valebant, non obſtante illa priuata ſcientia Titij contrahentis; contra enim impugnaberis, quia, quando lex dimminutionis, vel augmenti edita eſt, & promulgata in loco, in quo facienda eſt ſolutio, parum curandum eſt de notitia, vel ignorantia talis legis latæ in alio loco, in quo celebratur contractus, nec ignorantia aliorum de dimminutione, vel augmento poteſt illis obeſſe, quandoquidem æqualitas deſumenda eſt ſecundum valorem, quem in ſe habet, non quem falsò reputatur habere; nec valet paritas de eo, qui priuatim ſcit, valorem monetarũ dimminuendum eſſe, qui propterea antè dimminutionem monetas expendit ad valorem, quem antecedenter habebant, & tunc etiam habent; quandoquidem pro illo tempore, pro quo expendit, pecunia tanti valebat, pro quanto tunc expendebatur; cum ex lege Principis non fuerit adhuc dimminutus valor, vnde æqualitas refertur ad valorem, quem tunc habet res in ſe ipſa, non conferente notitia, quam contrahens priuatim habebat de futura dimminutione. Adde, quod communis æſtimatio in loco, in quo celebratur contractus de valore monetarum in alio loco, non tollit valorem earundem, quem habent ipſæ monetæ ex lege Principis in tali loco. 5

Attendendus eſt valor ſecundum taxationẽ Principis, non ſecundũ exiſtimationem etiam cõmunem aliorum.

Ratio ſecundo ex eo deducitur, quia quoad ea, quæ reſpiciunt reſolutionem contractus, ſtandum eſt legibus loci, in quo facienda eſt reſolutio per textum *in l. exigere ff. de iudicijs* per ſolutionem, ſed in loco ſolutionis faciendæ ſecundum legem Principis ibi promulgatam valor monetarum intelligitur, & eſt dimminutus, vel adauctus, nec officit, quod alibi etiam ſecundum com- 6

In reſolutione contractus ſtandum eſt legibus loci ſolutionis.

Digitized by Google

communem æſtimationem habeantur pro non dimminuto, vel non adaucto, ergo attendendus eſt talis valor, vt dimminutus, vel vt adauctus, cum quo non ſtat æqualitas ad iuſtitiam contractus requiſita.

Dices, valor monetarum iuxtà vſum fori, & communem æſtimationem non variatur per aliquam legem, ſeu edictum Principis, antequam talis lex, ſeu edictum legitimè promulgetur iuxtà communem Theologorum, & Iuriſtarum intellectum, ſecundum quem lex non obligat ante promulgationem, ſed in loco, in quo celebratur contractus, lex non intelligitur promulgata, quamuis præuiè peruenerit ad notitiam priuati contrahentis, ergo &c. Sed contra, quia ſufficit, quod lex fuerit promulgata in loco, in quo facienda eſt ſolutio, cum lex efficiat pecuniam, vt ibi ſoluendam, quod multis exemplis fit manifeſtum. Iuxtà ea, quæ docuimus in quæſtionibus de dote, lucrum dotis metiendum eſt iuxtà ſtatuta loci, in quo reſoluendus eſt contractus dotis, & ſufficit quid ſtatuta fuerint ibi promulgata, nec requiritur, vt obligent, vt promulgentur in loco contractus. Sic etiam communiter docent, quod qui contrahit pro aliquo loco teneatur legibus talis loci, quamuis in loco, in quo contrahit, huiuſmodi leges non fuerint promulgatæ.

Sufficit quod lex fuerit promulgata in loco ſolutionis.

Ratio tertio ex eo deducitur, quia illa priuata ſcientia de valore mutato, non poteſt prodeſſe Titio, nec ignorantia obeſſe alijs contrahentibus cum eodem; non primum, quia illa notitia potius inducit malam fidem, & dolum, quæ aduerſantur contractui; non ſecundum, quia cum illa ignorantia, non compatitur libertas conſenſus, cum ignorans non intelligatur liberè conſentire.

DISQVISITIONES IV.

A decimaſexta ad vigeſimam Prænotionem excluſiuè.

§. I.

An fideiuſſor promittens poſt moram intelligatur obligatus ad intereſſe propter moram.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus difficultatis. 1.
Difficultas oritur ex textu in l. fin. ff. de eo, quod cert. loc. 2.
Si fideiuſſor acceſſerit limitatiuè pro determinata ſumma correſpondenti ſorti petita per creditorem, non tenetur ad intereſſe propter moram. 3.
Si acceſſerit pro omni eo, ad quod debitor pro illo tempore tenetur ex ſententia Iudicis iudicantis intereſſe accedere principali, tenetur etiam ad intereſſe propter moram. 4.
Si acceſſerit ſine vlla expreſſione, & excluſione probabilius tenetur ad intereſſe. 5.

1 Diſquiſitio I. Titius debitor ex cambio, & non ſoluens tempore conuento coactus fuit poſt moram ad præbendum fideiuſſorem nulla facta expreſſione, quod fideiuſſor debeat obligari non ſolum pro ſorte, ſed etiam pro intereſſe orto ex mora. Orta fuit controuerſia, an fideiuſſor adiectus poſt moram intelligatur obligatus ad intereſſe propter eandem moram.

2 Excitatur potiſſimum hæc controuerſia propter textum *in l. fin. ff. de eo, quod cert. loc.* vbi gloſa propoſito caſu conſimili ei, de quo nos in præſenti loquimur, reſpondet fideiuſſorem abſolutè ad intereſſe poſt moram non obligari; aſſerit enim, *poteſt dici, quod fideiuſſor non tenetur, & hoc indicat litera ſequens, adeo &c. & ſic reſpondetur.* Nihilominus iuxtà ea, quæ dicebamus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 16. per totum* nota, an fideiuſſor acceſſerit limitatiuè tantum quoad determinatam ſummam, & quantitatem non excedentem ſortem, quæ debetur à principali debitore, an acceſſerit pro omni eo, pro quo ex illo tempore, quo fideiubet, eſt

Multipliciter fideiuſſor poteſt accedere.

obli-

obligatus principalis debitor, an tandem acceſſerit fideiubendo pro debitore nulla facta expreſſione de intereſſe, nec excluſione eiuſdem.

3 Reſpondeo primo, ſi acceſſerit limitatiuè pro determinata ſumma correſpondente ſorti petita per creditorem, certè non intelligitur obligatus ad intereſſe propter eandem moram, *Gloſa in ead. l. fin. ff. de eo, quod cert. loc.*, & conſonat ijs, quæ dicta ſunt *in ead. Prænot. 16.* Colligitur expreſſe *ex ead. l. fin.* vbi dicitur *videamus, ne ea pecunia, quæ ex ſententia Iudicis accedere poteſt, non debeatur, nec ſit in obligatione, adeo vt nunc quoque ſorte ſoluta, veluti ſi Capua petatur, arbitrium Iudicis ceſſet*, & Gloſa ibidem ſubinfert *ſi igitur non fuit in obligatione, igitur nec fideiuſſor fuit obligatus*. Accedit, quod ex genere ſuo fideiuſſio ſtat reſtrictiuè, nec extenditur vltra id, ad quod expreſſe aſſumitur *l. 1., & ibi nota ff. de in lit. iur., & l. cum apud ff. iudic. ſol. Bartolus in l. 2. ff. de publ. iud., & in l. quæro ff. loc.*, ergo, ſi acceſſerit fideiuſſor limitatiuè pro determinata ſumma, non poterit cogi ad intereſſe.

4 Reſpondeo ſecundo, ſi acceſſerit pro omni eo, ad quod pro illo tempore principalis debitor eſt obligatus, & ex ſententia Iudicis intereſſe accedere debeat principali, certè etiam ad intereſſe propter moram intelligitur obligatus fideiuſſor *gloſ. in ead. l. fin. ff. de eo, quod cert. loc.* Probatur, quia, ex quo per Iudicem declaratur propter moram intereſse debere accedere principali, ipſe debitor intelligitur vere debitor non ſolum ſortis principalis, ſed etiam eiuſdem intereſſe, ergo fideiuſſor, qui accedit pro omni eo, pro quo principalis eſt debitor pro illo tempore, pro quo ipſe fideiubet, intelligitur etiam obligari ad intereſse, quandoquidem etiam intereſse, ex quo per Iudicem ita declaratur, eſt tanquam pars debiti eiuſdem principalis. Antecedens probatur, quia in controuerſia, an aliquid debeatur, vel non debeatur ſententia Iudicis facit illud eſſe debitum *l. 1. ff. de re iudic. l. res iudicata ff. de reg. iuris Io. Cephal. conſ. 180. num. 3. vol. 2.*, cum ſententia nigrum efficiat album *l. ingenuum ff. de ſtat. hom. l. res iudicata ff. de reg. iu. Ioannes Ceph. conſ. 162. num. 5. vol. 2.*, & faciat rem notoriam, & manifeſtam *l. emptorem ff. de act. empt. l. ſi vero §. qui pro rei qualitate, vbi Iaſon. p. not. ff. qui ſatisd. cog. Bartolus in l. 1. in princip in 1., & 8. vbi Immola num. 8., Ruin., & alij ff. de oper. no. nunt.*

5 Reſpondeo tertio, ſi acceſſerit fideiubendo pro debitore nulla facta expreſſione de intereſse, nec excluſione eiuſdē probabilius eſse obligari etiam ad intereſse. Conſonat ijs, quæ diximus *d. Pran. 16. nu. 3. per totum*. Ratio eſt, quia obligatus ſimplicitèr intelligitur obligatus in omnem cauſam quoad ea, quæ ex cauſa, pro qua fideiubet, proueniunt *l. ſi ſeruum §. nunc videamus l. mora rei ff. de verb. obligat. l. quæro ff. locati*; tunc autem intelligitur ſimplicitèr obligatus, quando obligatur ſine vlla reſtrictione, verba enim abſolutè prolata obligant ſimplicitèr, ſed fideiuſsor in hypotheſi, de qua loquimur, acceſſit ſine vlla reſtrictione, ergo ſimplicitèr, ergo ad omnem cauſam, adeoque etiam ad intereſſe. Recole, quæ dicta ſunt *d. Prænot. 16. n. 3.*, & hic applica.

Obligatus ſimplicitèr eſt obligatus in omnem cauſam.

Dices primo, fideiuſſio, vtpotè ſtricti iuris, non eſt amplianda, ſed reſtringenda, ergo non debet, vbi nihil eſt expreſſum, extendi etiam ad intereſſe. Sed contra, quia non eſt ampliatio, quotieſcunque non extenditur vltra id, quod conſequitur ex natura contractus, ea etenim, quæ conſequuntur ad naturam contractus ſecundum ſe, veniunt ſub obligatione eiuſdem contractus per ea, quæ habet *Gloſ. in d. l. fin. ff. de eo, quod cert. loc.*, intereſſe autem propter moram ex natura contractus videtur prouenire, cum verſemur in cambijs, ex quibus regularitèr intereſſe deducitur, adeoque non eſt, cur fideiuſſio ad ipſum non habeat extendi.

Satisfit instantiæ propoſitæ.

Dices ſecundo, fideiuſſor pro principali ad pænas non videtur obligari, *l. libertus in fin. ff. ad munic. l. Lucius §. 1. arg. ff. de fideiuſſ.*, ſed intereſſe, quod auctore Iudice ſoluendum eſt, eſt quaſi pæna propter moram, ergo &c. Sed contra, quia non eſt præcisè pæna propter moram, ſed iuſta compenſatio pro omni eo, quod intereſſe poteſt creditori, quod debitum non fuerit tempore conuento ſolutum, ſed vltra illud dilatum, & licet fiat auctore Iudice, quia tamen fit pro omni eo, quod pertinere poteſt ad creditorem, non habet præcisè rationem pænæ, ſed iuſtæ compenſationis. Dici etiam poteſt fideiuſsorem non teneri ad pænam, quando hæc eſt extra naturam actionis, ſecus quando iuxta naturam eiuſdem, vt in caſu noſtro.

Non eſt præcisè pæna, ſed compenſatio.

§. II.

Digitized by Google

---

§. II.

An fideiuſſor obligatus pro cambio eximatur ab obligatione, ſi ex conuentione partium prorogetur terminus ſolutionis.

SVMMARIVM.

Refertur caſus, in quo ſtat difficultas. 1.
Creditor nullam poſtea haberet actionem contra fideiuſſorem prorogato termino. 2.
Creditor prorogando terminum conſtituit in periculo fideiuſſorem. 3.
Limita tamen in caſu, in quo fideiuſſor ſe obligaret vſque ad integram, & effectualem ſolutionem ex quacunque cauſa diferatur. 4.
Limita item ſi fideiuſſor intercederet pro dilatione, ſeu prorogatione. 5.

1 DIſquiſitio II. Fideiuſſerat pro Caio debitore ex cambio Seius in fauorem Titij creditoris, cumque Caius pro conuento tempore ad ſolutionem non poſſet reſtituere, facta eſt conuentio inter ipſum, & Titium, vt ſolutio diferri poſſet ad annum, quo elapſo Caius decoxit, vel fugam arripuit. Orta hic fuit controuerſia, an Titius habere poſſet actionem contra Seium fideiuſſorem ex vi fideiuſſionis per ipſum præſtitæ, qui excipiebat, ſe amplius non teneri, cum iterum non ſe obligauerit in prorogatione termini, & per conſequens aſſerebat, ſolutam eſſe obligationem, quam primo contraxerat.

2 Reſpondeo, re vera creditorem non habere actionem contra fideiuſſorem, cum eius obligatio per illam termini prorogationem ſine ipſius interuentu, & conſenſu verè fuerit ſoluta, *Bartolus in l. Labeo §. ſi per fideiuſſorem ff. de recept. arbit. Alexander in l. vbicunque ff. de fideiuſ., Angelus in l. ſi vnus §. cum reo ff. de pact., Abbas poſt alios in cap. conſtitutis in extre. de Fideiuſ. Card. Zab. in cap. 1. §. nos itaque de iure iu. in clem., Decius in l. lecta num. 12. ff. ſi cert. pet.*, vbi affirmat communem hanc eſſe ſententiam. Probatur primo *ex l. Labeo §. ſi per fideiuſſorem ff. de receptis arbitris*, vbi in titulo ſic legitur *in prorogatione termini debent fideiuſſores iterum promittere, vel alij ſimiles adhiberi*, ergo, ſi non promittant, vel non promiſerint, non amplius tenentur ad onera fideiuſſionis. Rurſus in litera ſic legitur; *ſi per fideiuſſores fuerit cautum in primo compromiſſo, & ſequens ſimilitèr proferendum Labeo dicit*, ergo, ſi ſimile non proferatur, non amplius erit cautum per eoſdem fideiuſſores.

Probatur ſecundo ratione, quia fideiuſſio ad certum terminum non poteſt extendi extra illum, niſi expreſſè agatur *Dinus, & Doctores in l. Lucius §. Paulus de adminiſ. tut. Baldus, Angelus, & Alexander in l. ſi vnus in princ. ff. de pactis*, vbi dicunt verum etiam ſi tempus prorogetur principali *Alexander in l. vbicunque ff. de fideiuſ.*, nec incongrua certè ratione, quia non debet ad quid amplius obligari, ac ſe ab initio obligauerit, ergo elapſo termino, ad quem ſe obligauit, & vlterius prorogato ad quem in principio non ſe obligauit, ſi de nouo in prorogatione non acceſſerit, non erit amplius obligatus.

Probatur tertio, quia principalis creditor prorogando terminum debitori ſine conſenſu fideiuſſoris conſtituit in periculo eundem fideiuſſorem, in quo ipſe ſe non conſtituit; longè enim plura ſunt pericula in diuturniori tempore, ac in minori, vt per ſe patet, ergo ad illum terminum prorogatum non intelligitur fideiuſſor obligatus, ne in deteriori conditione conſtituatur, ac ſe per ſe ipſum conſtituerit, ex quo ſequitur poſtea, quod, ſi debitor pro illo termino prorogato fiat impotens ad ſoluendum, creditor non poſſit amplius habere regreſſum contra fideiuſſorem, qui ex arbitrio creditoris non poteſt amplius grauari, ac ſe grauauerit, adeoque creditor debet ſibi imputare, quod prorogarit, & ex prorogatione orta fuerit impotentia in debitore, non fideiuſſori. 3

Creditor prorogãdo terminum conſtituit in periculo fideiuſſorem.

Limita tamen primo reſponſionem in caſu, quo fideiuſſor in obligatione, quam aſſumpſit, fideiuſſionis, ſe obligauerit expreſſè vſque ad integram, & effectualem ſolutionem ex quacunque cauſa diferatur; tunc etenim primus conſenſus præſtitus in prima obligatione aſſumpta virtualitèr protrahitur ad totum illud tempus, pro quo ſolutio non eſt poſita, nec poteſt dici, quod fideiuſſor magis grauetur, ac ſe grauauerit in aſſumptione primę obligationis, quandoquidem ex propriæ voluntatis arbitrio conſenſum virtualitèr protraxit ad totum illud tempus. 4

Limita ſecundo in caſu, quo ipſe fideiuſſor intercederet pro debitore 5

Digitized by Google

apud creditorem pro illa termini prorogatione, quamuis non exprimeret ſe velle pro toto illo tempore protrahere obligationem fideiuſſionis. Ratio eſt, quia ex quo ipſe intercedit pro debitore videtur implicitè intercedere pro continuatione contractus ſecundum omnia illa iura, quæ contractus habet, ſeu habuit in prima ſui origine, nec creditor aliter prorogaſset, niſi per illam interceſſionẽ pręſumpſiſset, eundem fideiuſsorem velle protrahere obligationem aſsumptam in ſui fauorem. Neque obſtare poteſt, ſi aſseratur, ſuaſiones, ſeu interceſſionem ad prorogandum nõ inducere ſecundum ſe onus fideiuſſionis, ergo, cum fideiuſſio pro tali determinato tempore intelligatur illo elapſo ſoluta, non præſumitur poſtea; quod ipſe fideiuſsor interceſserit pro prorogatione, quandoquidem, ſi quando, non eſt fideiuſſio, ſuaſiones præciſè illam non inducunt, nec inducere præſumendæ ſunt, quando extitit quidem fideiuſſio, ſed extincta ſupponitur; in ordine enim ad effectum idem videtur omnino eſse rem non eſse, nec fuiſse, ac rem fuiſse, modo tamen non eſse; Non, inquam, obſtare poteſt, nam non præſumitur extingui ex voluntate fideiuſsoris, quotieſcunque ipſe intercedit pro continuatione contractus, in quo fundatur, & licet ſuaſiones ſecundum ſe non inducant fideiuſſionem, quando antecedentèr non fuit, præſumuntur tamen inducere continuationem, quando antecedentèr ad ipſas extitit, & ipſe ſuadens, ſeu interceſsor pro continuatione eſt ipſemet fideiuſſor, quia præſumitur continuare vſque ad continuationem termini, pro quo intercedit; ex quibus corruunt ea, quæ in inſtantia afferebantur; non enim extinguitur ipſa fideiuſſio, & poſtea ſupponitur reuiuiſcere, ſed præſumitur perſeuerare in voluntate præſumpta eiuſdem fideiuſſoris.

Intercedit pro cõtinuatione cõtractus ſecundũ illa iura, quę prius habebat.

Eſt præſumptio cõtinuationis cõſenſus.

Hic oritur difficultas, an, ſi fideiuſſor acceſſerit ſine vlla expreſſione termini, & terminus in contractu conuentus ad ſolutionem per creditorem prorogetur ſine conſenſu fideiuſſoris intelligatur in illa prorogatione ſolutum vinculum fideiuſſoris. Reſpondeo, verè intelligi tale vinculum diſſolui, ſeu diſſolutum per illam prorogationem. Ratio eſt, quià non præſumitur fideiuſſor voluiſſe obligari, niſi ad terminum, ad quem conſtitutus eſt ipſe contractus, & licet ipſe non aſſignauerit terminum, ad quem extendatur ipſius obligatio, limitari tamen videtur ex natura ſua ad illum terminum, quem ſibi ad ſolutionem præſcripſere contrahentes, nec diſſona præſumenda eſt eiuſdem accedentis pro fideiuſſione mens, & propoſitum.

---

§. III.

An proteſtatio facta coram Iudice de non fideiubendo pro debitore ex cambio, proſit eidem, ſi poſteà coram eodem fideiubeat.

SVMMARIVM.

Exprimitur caſus particularis Diſquiſitionis. 1.

Talis proteſtatio non poteſt obeſſe creditori. 2.

Proteſtatio clam facta, quæ debet fieri coram eo, de cuius intereſſe agitur, perindè eſt, ac ſi non fuerit facta. 3.

Diſquiſitio III. Indigebat Titius Mediolani exiſtens, mille nummos aureos Romæ habere, quos titulo cambij requiſiuit à Fabio campſore, cui promiſit, ſe eoſdem ſoluturum Mediolani poſt annum, cumque Fabius acquieſcere nollet contractui, niſi ſibi per Titium præſtaretur idonea cautio, vel fideiuſſio pro tali ſolutione poſt annum ponenda, idem Titius quæſiuit Franciſcum, vt pro ſe fideiuberet, qui promiſit verbo, ſed non animo id ſe præſtiturum; quo poſito Franciſcus adiuit Iudicem, coram quo præſtare debebat fideiuſſionem, & coram ipſo proteſtatus eſt in hanc formam. Domine Iudex Titius rogauit me, vt pro eo fideiuberem in fauorem Fabij coram vobis, ego propter familiaritatem, quam cum eodem ſeruo, non auſus ſum denegare, ſed promiſi. Nunc ſalua reuerentia proteſtor, quod ſi me recipiatis in fideiuſſorem, nolo teneri. Non obſtante tali proteſtatione facta fuit fideiuſſio, & per Fabium creditorem acceptata coram Iudice. Hic excitata fuit controuerſia, an non obſtante tali proteſtatione ipſe fideiuſſor intelligatur obligatus verſus creditorem. 1

Proponit hanc difficultatem *Angelus in l. mora in princ. in 2. col. in 6. not. ff. de vſuris. Iaſon in l. non ſolum §. morte in 12. col. verſ. item pro iſta concluſione ff. de op. nou. nunt.* qui abſolutè aſſerunt,

Digitized by Google

runt, Fideiuſſorem in ſimili hypotheſi nullatenus obligari. Sed, quæ ibi dicuntur per huiuſmodi Doctores, non faciunt ad rem noſtram, quandòquidem ibi loquebantur in terminis, in quibus fideiuſſio pro reo præſtanda erat coram Iudice in fauorem ipſius, & ad eundem Iudicem ſpectabat acceptare, vel non acceptare fideiuſſorem. Caſus hic erat. Aliquis erat accuſatus de delicto, pro quo erat imponenda magna pæna pecuniaria, pro qua fideiuſſorem debebat aſſignare, alias fuiſſet in carcerem coniectus. Rogauit amicum, qui proteſtatus eſt modo ſupradicto, & nihilominus fuit admiſſus. Sed ſatis diuerſa eſt difficultas in terminis, de quibus hic loquimur, in quibus Iudex merè paſſiuè ſe habuit; cum acceptatio fideiuſſoris ad creditorem ſpectaret ignorantem talis proteſtationis, non ad ipſum Iudicem. Quamobrem

Exponitur caſus Iaſonis diuerſus à noſtro.

Reſpondeo, talem proteſtationem non poſſe obeſſe creditori, niſi eidem fuerit denuntiata, antequam fuerit fideiuſſor acceptatus. Probatur primò, quià proteſtatio debet fieri ei, qui ex ea lædi poteſt *Baldus in l. ſi intrà in 1. quæſt. C. de non num. pecun.* ſed creditor ex ea poteſt lædi, ergo eidem facienda eſt. Confirmatur primò, quia proteſtatio clam facta ab eo, qui palam proteſtari poteſt, non valet *Bartolus, & Doctores in l. quæ in aliena §. fin. ff. de acquir. hæred. Antonius Butrius, & Abbas in cap. tua nos de ſponſalibus. Socin. conſ. 263. vol. 2. conſ. 27. vol. 3.* quinimmò clam facta ab eo, qui iuſto metu, quo minus publicè proteſtaretur impediretur, non valet, cum agitur de præiuditio tertij *Baldus in l. Clari C. de fideicom. Decius in cap. cauſam matrimonij col. 3. de officio deleg. Alexander conſ. 16. col. fin. vol. 3. Franc. Curt. min. conſ. 126. col. 2. vol. 2.* ergo, cum proteſtatio, de qua loquimur, ita facta fuerit, vt non innotuerit creditori acceptanti fideiuſſorem, non poteſt eidem præiudicium inferre.

Dices, ſine animo obligandi ſe non poteſt conſurgere obligatio, ſiquidem obligatio conſurgit ex conſenſu ſe obligantis, qui eſſe non poteſt ſine animo, ſed per proteſtationem declaratur animus proteſtantis *l. Neſennius, & ibi Bartolus in primo not. ff. de neg. geſtis l. qui in aliena §. fin. C. de acquir. hæred. Baldus in l. pacta nouiſſima in prima col. magna in fin. ff. de pactis*, &, cum facta fuerit coram Iudice, videtur ſufficienter promulgata, ergo poſita proteſtatione coram Iudice, per quam indicatur animus proteſtantis, non eſſe ad ſe obligandum, non poteſt in eodem conſurgere obligatio. Sed contrà, quià non præſumitur negatio conſenſus, vbi expreſsè exhibetur per eum, qui illum præſtare debet, ei, cui, ſeu in cuius fauorem exhibetur; cæteroqui in quocunque contractu, in quo expreſsè intercederet conſenſus contrahentium, dubitari ſemper poſſet de validitate contractus, quandòquidem contrahens, qui conſenſum præbuit, poſſet ſemper dicere ſe non præſtitiſſe conſenſum ad contractum, ſeu non habuiſſe animum contrahendi, quod eſſet omnium contractuum, ſeu commertiorum naufragium, nec quidquam prodeſſe poteſt, quod illam conſenſus negationem expoſuerit coram Iudice, ex quo videtur poſſe illam probare; non, inquam, poteſt prodeſſe, quia proteſtatio debet fieri parte præſente, vel citata, quæ ex ea poteſt lædi *Io. Mo. in cap. in generali de reg. iu. in 6. & ibi Ioan. Andræas in nouella. Bartolus in l. non ſolum §. morte, & ibi per Alex. 1. quæſt. princ. ver. his præmiſſis de nou. oper. nunt. Andræas de Piſis in l. ſi quis in princip. ff. de leg. 3.* præcipuè cum habita notitia proteſtationis creditor contractum non iniuiſſet, nec metus grauis interceſſerit in fideiuſſione, ratione cuius poſſit fideiuſſor, ſe excuſare, quod palam proteſtatus non fuerit coram eodem creditore acceptante fideiuſſionem, quandòquidem nulla vis interceſſit, nec ratio inducens ad non proteſtationem palam faciendam.

Obligatio non poteſt eſſe ſine animo ſe obligandi.

3 Probatur ſecundò proteſtatio clam facta, quæ fieri debet coram alio, de cuius intereſſe agitur, per indè eſt, ac ſi non fuerit facta, quandòquidem proteſtatio non nocet ignoranti, cuius conſenſus requirebatur in actu *in cap. Cumana de elect. Baldus in l. pacta nouiſſima 4. col. verſ. item proteſtatio non officit C. de pactis*, ſed quandò non adeſt proteſtatio, fideiuſſor, qui ſe obligauit, non eximitur ab obligatione, quam aſſumpſit, ergo non eximitur, quandò proteſtatio adeſt, ſed clam facta eſt reſpectu illius, cui debuit notificari; neque dicas, quod proteſtatio clandeſtina vnius valeat, quandò per iuſtum metum non audet proteſtari *Petrus Gerar. ſing. 80. incip. proteſtatio clandeſtina*, vt euenit in caſu noſtro, in quo fideiuſſor non audet proteſtari propter metum reuerentialem debitoris, in cuius fauorem ſimulat, ſe fideiubere; contrà enim impugnaberis primò, quia

Digitized by Google

metu non dicitur fieri, quod ciuilitèr fit *Baldus in l. cum aliquis C. de iure delib.*

Metus reuerentialis non præſumitur obligare inter pares.

& metus reuerentialis non præſumitur obligare ad aſſentiendum, quandò eſt inter pares. Secundò, quia, ſi ſimulauit conſenſum propter familiaritatem debitoris, in cuius obſequium fideiuſſit, cur, ſicuti clam proteſtatus fuit coram Iudice, non proteſtatus fuit clam coram creditore? Certè motiuum illud obſequij, quod eſt in ordine ad debitorem, non præſumitur militare aduerſus creditorem.

Fideiuſſio antè factum eſt voluntatis ex poſt facto eſt neceſſitatis.

Probatur tertiò, quià fideiuſſio, licet ante factum ſit actus voluntatis, ex poſt facto eſt actus neceſſitatis, quià acceſſit conſenſus acceptantis, quod valet etiam ſi fuerit præſtita ſine animo ſe obligandi, niſi ille animus innotuerit acceptanti; eſſet enim eidem nimis præiudicialis illa animi occultatio, cum ſibi præcauere non poſſet; vndè iure merito aſſerit *Baldus in d. l. pacta nouiſſima 6. col. verſic. item proteſtatio facit C. de pactis*, quod proteſtatio facit exceptionem declinatoriam poſſe opponi poſt litem conteſtatam, ſi actor conſenſit proteſtationi, ergo, ſi non conſenſit, non poterit opponi, quia exceptio ex vulgatis iuribus firmat regulam.

---

§. IV.

An fideiuſſor poſsit excipere, quod contractus ſit vſurarius, etiam ſi principalis confiteatur contractum eſſe verum.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Diſtinctio Baldi circà caſum, eiuſque ſenſus. 2.
Poteſt fideiuſſor excipere etiam inuito reo principali, præcipuè, ſi iſte fuerit pauper, & non ſoluendo. 3.

1 Disquiſitio IV. In cambio inito inter Titium campſorem, & Fabium campſarium, quo ille ſoluit hic Mediolani mille nummos aureos, iſte recepit cum onere totidem reſtituendi Romæ cum intereſſe, adiectus fuit in ſecuritatem eiuſdem Titij Franciſcus tanquam fideiuſſor pro eodem Fabio debitore. Datis literis per Fabium Romam directis pro ſolutione, & ibi non acceptatis, ſed remiſsis cum proteſtatione, Titius agebat actione fideiuſſoria contra Franciſcum, qui excipiebat de nullitate contractus, eo quod eſſet vſurarius, quem tamen Fabius principalis debitor fatebatur eſſe verum, & reale. Quæritur hic, quid iuris?

Baldus *in l. tam mandatori C. de non numerata pecun.* diſtinguit, vel enim 2
ipſe principalis debitor, pro quo fideiuſſit, eſt pauper, vel diues; ſi pauper, aſſerit abſolutè, quod fideiuſſor poſſit excipere, & ſit audiendus; non verò, ſi diues, quod alia ratione aſſerere non arbitror, niſi quià in paupere poteſt eſſe præſumptio, quod ex motiuo indigentiæ fateatur id, quod non eſt, quæ præſumptio non poteſt eſſe in diuite, quandòquidem in hoc præſumitur bona fides, non ſic in illo, qui ex quo non eſt ſoluendo, de facili colludit *l. 3. in princip. ff. de teſtibus.*

Debitor, vel eſt pauper, vel diues.

Reſpondeo, vtique fideiuſſorem 3
poſſe excipere etiam inuito reo principali, præcipuè ſi iſtè fuerit pauper, & non ſoluendo, *Baldus* qui ſupra deducto arg. *ex l. quintus ff. mandati, & l. ſi fideiuſſor creditori ff. de fideiuſ.*, ea potiſſimum ratione, quod videtur reus facere dolo in necem fideiuſſoris. Ratio huius reſponſionis principalitèr deducitur *ex l. ſi ſtipulatus eſſes ff. de fideiuſ.*, vbi apertè legitur *ſi ſtipulatus eſses à me ſine cauſa, & fideiuſſorem dediſſem, & nollem eum exceptione vti*, & paucis interpoſitis, *fideiuſſori etiam me inuito exceptio dari debet*, vbi expreſsè Gloſa diſertis verbis hoc confirmat, & adducit textus rationem in hunc modum. *Intereſt enim eius pecuniam retinere potius, quam ſolutam ſtipulatori à reo repetere;* vbi nota illud verbum *ſine cauſa*, quod importat ſtipulationem, vel ſub ſpe futuræ numerationis, cum tamen non fuerit numeratio, vel ſub præſumptione, quod Reus deberet, cum tamen non deberet iuxta textum *in l. 11. §. circa ff. de except. donat.*, *& l. ſi fideiuſſor ff. mandati.*

Videtur reus facere dolo in damnū fideiuſſoris.

Dixi præcipuè, *ſi Reus fuerit pauper, & non ſoluendo* non ſolum propter doli præſumptionem, vt innuebam ſupra, ſed etiam propter rationem inſinuatam in litera textus, quia ſcilicet ſecurius eſt non ſoluere indebitum, quam ſolutum poſteà repetere, quod maiorem vim facit, quandò is, à quo iudicio mandati ſolutum eſſet repetendum, non haberet in ære, quo ſolueret, ex quo non incongruè oritur, vt eidem concedatur exceptio, qua grauamina, & difficultates in repetendo poſſet

Securius eſt non ſoluere indebitū, quam ſolutum repetere.

Digitized by Google

poſſet ſubterfugere. Ex quibus omnibus deducit etiam in particulari *Baldus in d. l. tam mandatori C. de non numerat. pecun. num.* 26. quod fideiuſſor iuſtè poſſit excipere de non numerata pecunia, licet debitor principalis compareat, & debitum agnoſcat confitendo pecuniam ſibi fuiſſe numeratam, & hoc, ſi debitor eſt pauper, & hoc propter eandem iuris præſumptionem, quod debitor id faciat dolo ad colludendum fideiuſſorem.

§. V.

An conuentio vnius fideiuſſoris præiudicet creditori contrà alium fideiuſſorem agenti.

SVMMARIVM.

Difficultas proponitur in terminis particularibus. 1.
Multiplex articulus circà difficultatem excitatus. 2.
Per illam conuentionem creditor non ſibi præiudicat in ordine ad alium fideiuſſorem. 3.
Non poteſt creditor intentare actionem contrà ſecundum fideiuſſorem pro tota ſumma, ſed tantum pro complemento crediti detracto eo, quod ſoluit primus fideiuſſor, cum quo conuenit. 4.
Præſumptiuè illa conuentio habet vim tranſactionis, & quomodò. 5.

1 Diſquiſitio V. In terminis præcedentis diſquiſitionis de Cambio inito inter Titium, & Fabium, duo obligati inſolidum acceſſerunt tanquam fideiuſſores, Seius ſcilicet & Caius, ſed cum literæ datæ per Fabium fuerint proteſtatæ, Titius creditor actionem intentare contendebat contrà fideiuſſores, quorum alter nempè Seius conuenit cum Titio creditore, vt à ſe ipſo non peteret, nec ſe ipſum vexaret, & proindè ex centum, pro quibus fideiuſſerat, promiſit dare viginti quinque. Hic multiplex oritur difficultas. 2 Prima eſt, an per talem conuentionem factam cum Seio ſibi Titius præiudicarit in ordine ad alium fideiuſſorem. Secunda ex ſuppoſitione, quod ſibi non præiudicarit, poſſit actionem intentare contrà ſecundum fideiuſſorem pro tota ſumma debita, an verò ſolummodò pro complemento crediti detractis illis viginti quinque promiſſis ab altero fideiuſſore. Tertia, an illa conuentio inducta cenſeatur per modum tranſactionis, vi cuius liberetur, qui conuenit a quacunque vexatione ex vi illius debiti, vel per modum ſimplicis pacti, ne moleſtetur ad tempus retento tamen adhuc onere fideiuſſionis, & his ſimilia.

Multiplex ratio dubitãdi propoſita.

Reſpondeo primò, per illam conuentionem factam cum Seio Titium ſibi non præiudicaſſe in ordine ad alium fideiuſſorem. 3 Ità videtur colligi ex textu *in l. ſi ſtipulatus eſſes §. ſi ex duobus ff. de fideiuſſoribus*, & vlterius ſic euincitur, quia creditor ex vi fideiuſſionis ſibi præſtitæ liber eſt ad agendum contra quemcunque ex fideiuſſoribus voluerit, cum ſinguli intelligantur obligati in ſolidum, ergo altero omiſſo poterit contrà alterum agere ad ſolutionem. Conſequentia probatur, quia per liberationem vnius alios obligatos non eximit ab obligatione, poteſt enim cedere iuri in ordine ad vnum, & illud firmare in ordine ad alterum; non enim per liberationem vnius extinguitur onus principale, in quo fideiuſſio fundatur, nec intercedit nouatio reſpectu omnium; Neque obſtare poteſt, quod alter ex fideiuſſoribus per promiſſionem illorum vigintiquinque induxerit creditorem ad ſe liberandum reſultante indè onere in altero; non, inquam, obſtare poteſt, quia vnicuique licitum eſt iure ſuo vti in ordine ad ſe eximendum ab oneribus, & ſe conſtituendum indemnem, quod, ſi deindè alterius onus conſurgat, hoc eſt præter ipſius intentionem, & non directè intentum, ſed conſurgens ex vi oneris, quod ipſe voluntarie aſſumpſit.

Singuli fideiuſſores intelliguntur obligati in ſolidum.

Poteſt cedere quis iuri in ordine ad vnũ, & illud firmare in ordine ad alterum.

Dices, fideiuſſores ſimul obligati habent inter ſe beneficium diuiſionis, ſcilicet, vt quilibet conueniatur pro parte tantum *l. fideiuſſor, & ibi Baldus C. de fideiuſſoribus*, quod beneficium poſſunt implorare ex officio Iudicis, ſicuti poſſunt illud in iudicio deducere per viam exceptionis *l. ſi contendat, vbi per Alexand. poſt Bartolum ff. de fideiuſſoribus*, vbi Alexander ſingulariter dicit, quod illud officium Iudicis debet implorari coram Iudice ipſius, qui fuiſſet reus in cauſa, ergo vnus non poteſt conuenire, quod creditum ab ipſo non petatur. Sed contrà, quià, vbi obligantur fideiuſſores in ſolidum, poteſt creditor ex propria libertate agere pro toto contrà quemcunque maluerit. Vide Bartolum *in l. creditor §. duobus ff. mandati* quinimò

mò ex ead. l. hoc expreſsè colligitur, vt eam legenti ſit manifeſtum, & vlterius idem Bartolus dicit, quod in dubio omnes obligantur in ſolidum per *§. ſi plures Inſtit. de fideiuſ., & l. non rectè eod. tit.* niſi aliter ceſſerit.

4 Reſpondeo ſecundò, non poſſe creditorem in ea hypotheſi intentare actionem contra ſecundum fideiuſſorem pro tota ſumma debita, ſed tantum pro complemento crediti detractis illis vigintiquinque. Colligitur *ex ead. l. ſi ſtipulatus eſses §. ſi ex duobus ff. de fideiuſsoribus*, vbi legitur, *reliqua autem quinque ſi à priore fideiuſsore petere inſtitueris, doli mali exceptione ſummoueris*, & vlterius ratione ſic euincitur. Non poteſt creditor quid magis exigere à fideiuſſoribus, quam ſibi ſit debitum a principali debitore *l. ſi pupillus ff. de verb. oblig. l. ſi vltrà, & ibi Baldus C. de fideiuſs. l. Gracè §. illud eod. tit.* ſed, ſi poſſet intentare actionem contrà alterum ex fideiuſſoribus pro tota ſumma; poſſet exigere quid magis, quam ſibi debitum eſt, ergo &c.

Non poteſt creditor, quid magis exigere à fideiuſſoribus, quã ſibi debitum ſit.

Dices primò, illa vigintiquinque, quæ exigit à primo fideiuſſore, non exigere ad computum crediti, quod habebat aduerſus principalem debitorem, ſed ratione tranſactionis, ratione cuius obligatur creditor ad ipſum non vexandum, cum de iure vexare potuiſſet. Sed contrà; obſtat instantiæ textus *in l. ſi pupillus ff. de adminiſt. & peric. tut.* nec ille titulus tranſactionis poteſt in hoc ſuffragari eidem creditori, qui non ius habet, niſi ad ſuum creditum exigendum ad æqualitatem, & licet ius habeat ad illud exigendum, ſiuè ab vno, ſiuè ab altero, non tamen poteſt ſiuè ab vno, ſiuè ab altero, ſiue ab vtroque exigere, quod ſibi debitum non eſt, &, ſicuti facta ſolutione adæquata per vnum, non poteſt, quid aliud ab alio exigere, ita facta inadæquatè per vnum non poterit adæquatè ab alio petere. Dicere deindè, quod illud inadæquatum ſit pretium ceſſationis à vexatione, quàm iuſtè poterat intentare, per modum tranſactionis conuentum, eſt dicere poſſe aliquid acquiri ſine titulo, nam non ius habet ipſum vexandi, quotieſcunque vult adæquatè ab altero ſatisfieri; cæteroqui ſemper liberum foret cuicunque creditori habenti plures fideiuſſores obligatos in ſolidum, velle ſemper aliquid exigere ſupra ſortem conueniendo de certo pretio cum vno, ne ipſum vexet, & deindè totum ſuum creditum ab altero adæquatè repetere, quod nimis durum videtur, & contrà iuſtitiæ ordinem.

Facta ſolutione inadequata per vnũ non poteſt adæquatam ſolutionem ab alio petere.

Dices ſecundò, creditorem cedere iuri ſuo non exigendi ſuum creditum ab vno, à quo poteſt exigere, licet retineat ius quoad alterum, eſt ſecundum ſe pretio æſtimabile, ergo ratione illius ceſſionis ſecundum ſe poteſt aliquid exigere. Antecedens ſecundum ſe patet, tùm quia maius ius eſt reſpectu creditoris poſſe ſuum creditum vel ab vno, vel ab altero exigere, quam poſſe ab vno ſolum; tùm quia ex dictis *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mut. & vſur. Prænot. 10. num. 2. verſ. probatur ſecunda pars* exigere in mutuo vltrà ſortem, quod teneatur condonare iniuriam mutuatarius, qua iuſtè, & licetè poteſt mutuantem vexare publica auctoritate, eſt vſurarium, ergo, quià illa condonatio iniuriæ eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis, cæteroqui non induceret vſuram, ergo à fortiori erit pretio æſtimabilis illa ceſſio iuris, ſecundum quod iuſtè, & licitè poſſet creditor publica auctoritate vexare fideiuſſorem, adeòque ratione illius ceſſionis poterit certum intereſſe exigere. Sed contrà primò, quià, ſicuti ratione fideiuſſionis, quam quis præſtat in fauorem alterius, non poteſt exigere, niſi ad ſummum duo, vel tria pro ſingulo centenario, ità vt eximatur ab illo onere, non videtur poſse obligari ad quid magis, quam ad duo vel tria, & ſic iam patet, quod ratione talis ceſſionis incongruè principalis creditor exigeret illa vigintiquinque, præcipuè, cum in ordine ad tale creditum iam tutus eſset ex alia parte nempè in ordine ad alium confideiuſsorem. Secundò, quià illa ceſſio iuris cum illa acquiſitione lucri, quamuis poſset ſecundum ſe ſuſtineri, quià tamen inuoluit plures fraudium præſumptiones, non immeritò damnatur per eandem *l. ſi ſtipulatus eſſes §. ſi ex duobus ff. de fideiuſsoribus* per illa verba *reliqua autem ſi à priore fideiuſſore petere inſtitueris, doli mali exceptione ſummoueris*, vbi Gloſa diſertis verbis hoc confirmat. Tertiò, quià, cum ſupponatur creditor tutus ex eo præcisè, quod ius habeat in alterum fideiuſsorem, ſufficientèr videtur compenſari illa iuris ceſſio aduerſus vnum per vltroneam illam oblationem partis crediti per iſtum præſtitam, quæ partis oblatio non eſt præſumenda dari pro mera iuris ceſſione de non vexando ipſum offerentem, cum ſit excedens,

Inſtantia à paritate deſũpta eiuſq; ſolutio.

In ordine ad creditum principalis iam eſt tutus.

cedens,

cedens, ſed pro extinctione partis crediti. Ad illa, quæ afferuntur ad probationem antecedentis, dicendum eſt certè fortius eſſe ius creditoris, quod habeat duos ſibi obligatos in ſolidum, quam quod habeat vnum tantum, quia tamen ſufficientiſſima cautio habetur per vnum, illa iuris dimminutio, cum ſit modica, compenſatur per illam oblationem partis debiti immediatè quod effectum conſummandum. Idem ferè reſpondeas ad id, quod ſubditur de condonatione iniuriæ conuenta in mutuo, nempè illam iuris ceſſionem compenſari per illam oblationem; deindè in illa iniuriæ condonatione nullum ius amplius remanet in condonante, in ceſſione autem iuris, de qua hic loquimur, adhuc remanet ius in cedente in ordine ad alium confideiuſſorem, adeoque illa ceſſio per quodcunque etiam modicum legitimè, & iuſtè compenſari poteſt.

Illa iuris ceſſio compenſatur per illam modici oblationem.

5 Reſpondeo tertio, non incongruè, præſumendum eſſe, illam conuentionem, de qua loquimur, habere vim tranſactionis, ratione cuius fideiuſſor, qui conuenit, non poſſit amplius moleſtari, cum quo tamen ſtat, quod illud, quod per ipſum ſoluitur, ſit computandum in partem crediti. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia conuentio facta de ceſſione alicuius iuris ſine vlla reſtrictione, ſeu expreſſione ſeu quoad tempus, ſeu quoad modum, intelligitur de ceſſione ſimplicitèr, ſed ceſſio iuris ſimplicitèr facta eximit eum, cui ſit talis ceſſio à quocunque onere abſolutè in ordine ad illud ius, ergo &c. Ratio ſecundæ partis in eo conſiſtit, quod illa conuentio eſt in ordine ad creditum, ergo id, quod erogatur, erit in compenſationem eiuſdem crediti, ad proportionem eius, quod erogatur, ergo erit per modum partis eiuſdem crediti, quod præcipuè verificatur in caſu noſtro, tùm propter illam quantitatem, quæ erogatur, quæque excedit ius, quod ex illa ceſſione extinguitur, tùm propter eam rationem, quod præſumendum eſt, quod ipſe fideiuſſor illa viginti-quinque promiſerit ſoluere non cedendo iuri illa repetendi à principali debitore, quod vtique præſtare non poſſet, ſi illa non in partem debiti ſoluerit, ſed ab ſolum finem ceſſionis iuris, quod creditor haberet aduerſus ipſum fideiuſſorem ſoluentem illa viginti-quinque.

Illa conceſſio habet vim tranſactionis.

Quod erogatur eſt in cōpenſationem crediti.

§. VI.

An fideiuſſor exceptione beneficij cedendarum poſſit ius acquirere, non ſolum aduerſus principalem debitorem, ſed etiam aduerſus alium confideiuſſorem.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis. 1.
Quid ſit oppoſitio de beneficio cedendarum. 2.
In quo conſiſtat ratio dubitandi. 3.
Rationes, ob quas videtur exceptio extendi ad alios confideiuſſores. 4.
Probabilius eſt, poſſe aduerſus alterum confideiuſſorem agere pro repetendo ſoluto. 5.

DIſquiſitio VI. In terminis caſus, de quo locuti fuimus in præcedenti diſquiſitione, vnus fideiuſſor in executione petita contra ipſum excepit de beneficio cedendarum, quod eidem fuit conceſſum, vel per principalem debitorem, vel implorato Iudicis miniſterio. Ex vi talis beneficij contendebat poſtea agere ad repetendum creditum per ſe ipſum ſolutum non ſolum aduerſus principalem debitorem, ſed etiam aduerſus confideiuſſorem. Oritur hic controuerſia, an iuſtè poſſit agere ex vi talis beneficij aduerſus alterum confideiuſſorem. Pro quo 1

Aduerte, fideiuſſorem in executione petita contra ipſum opponere de beneficio cedendarum nihil aliud eſſe, quam petere, quod ſibi actio cedatur, quam habet creditor contra ſe intentans actionem, ſeu petens executionem contra principalem, & quod ſibi tradatur inſtrumentum debiti *Baldus l. nomen ff. de hære. vel act. ven.*, *& ſing. per Alexandrum in l. ſciendum 3. col. ff. de verb. oblig.*, *Paulus de Caſtro in l. ſi mandato meo ff. de fideiuſſor*, *Baldus in auth. præſente C. eod. tit.*, vbi dicunt, quod etiam ante ſententiam poteſt excipere; quinimmò habet etiam fideiuſſor pro beneficio cedendarum nedum exceptionem, quando conuenitur, ſed etiam officium Iudicis, quod contra principalem ipſe poteſt proponere pro eo impetrando *l. ſi contendat per Bart.*, *& Alexand. de fideiuſſor.*, quod eſt verum etiamſi ſtatutum prohibeat omnem defenſionem ſecundum *Baldum not. in auth.* 2

Digitized by Google

auth. præſente C. de fideiuſs., *& Alexander conſ.* 190. *part. prima*. Id, quod con-
3 trouertitur in præſenti eſt, an illa actio, quæ competit fideiuſſori ſoluenti ex beneficio cedendarum non ſolum per exceptionem, ſed etiam per imploratum Iudicis officium reſtringatur ſolummodò ad debitorem, an etiam extendi poſſit ad alium etiam confideiuſſorem.

4 Videtur dicendum, quod etiam poſſit extendi contra alium confideiuſſorem ex multiplici ratione, primo, quia fideiuſſor, qui vtitur exceptione de beneficio cedendarum per ſolutionem, quam præſtat creditori, ſuccedit in omnibus iuribus eiuſdem creditoris, ergo, ſicuti ipſe principalis creditor non ſolum ius habet agendi contra debitorem, ſed etiam contra fideiuſſorem, etiam alter fideiuſſor, qui in ipſius locum ſuccedit, poterit agere &c. Antecedens patet, quia fideiuſſor per actionem ſibi ceſsam conſtituitur in ordine ad illam in eodem iure, in quo erat creditor, cum ius iſtius acquirat. Secundo, quia fideiuſſio fundatur in debito principalis debitoris, quod per ſolutionem factam per vnum fideiuſſorem non extinguitur, ergo, non eſt, cur extinguatur onus in altero fideiuſſore ab ipſo, qui ſoluit. Conſequentia probatur, quia quotieſcunque perſeuerat ſubiectum, & acceſsorium ſecundum ſe non remittitur, non eſt, cur ipſum acceſsorium debeat extingui nec per ſe, nec per accidens. Tertio, quia, ſi alius à principali debitore, & à fideiuſsoribus pro ipſo ſoluat creditori, ipſiuſque iura acquirat non ſolum poteſt agere contra principalem debitorem, ſed etiam contra quemcunque ex fideiuſsoribus, ergo etiam, ſi alter ex fideiuſsoribus ſoluat eidem creditori, poterit agere non ſolum contra debitorem, ſed etiam contra alterum fideiuſsorem. Conſequentia probatur, quia parum referre poſse videtur, quod ſit alius a fideiuſsoribus, qui ſoluat, ac ſit vnus ex eiſdem, nam in tantum alius à fideiuſsoribus poteſt agere tam contra debitorem, quam contra eoſdem fideiuſsores, inquantum acquirit iura creditoris, qui poteſt agere in omnes, nec per ſolutionem per ſe ipſum factam extinguitur ſubiectum principale, quod eſt debitum, & ea, quæ fundantur in ipſo per ſe non remittuntur, ſed etiam vnus ex fideiuſſoribus ſoluens per beneficium cedendarum acquirit iura creditoris, & debitum principalis adhuc perſeuerat, nec alterius fideiuſſoris onus per expreſſam ceſſionem remittitur, ergo &c. His ſic ſtantibus.

Fideiuſſor excipiens de beneficio cedendarum ſuccedit in iuribus creditoris.

Quotieſcunque perſeuerat ſubiectum, acceſſoriū non remittitur.

Alia ratio efficax ad rem noſtram.

Reſpondeo, probabilius eſſe, poſſe aduerſus alterum confideiuſſorem agere pro repetendo ſoluto. Ratio eſſe poteſt primo fundata in ijs omnibus, quæ mox adduximus. Secundo, in iuribus, & præcipuè *in l. fideiuſſoribus ff. de fideiuſsoribus, & mandatoribus*, vbi ſic legitur *Fideiuſſoribus ſuccurri ſolet, vt ſtipulator compellatur ei, qui ſolidum ſoluere paratus eſt, vendere cæterorum nomina*, vbi disertè Gloſa rem explicat iuxta ſenſum noſtræ reſponſionis, dicens quod *creditor debet ſolutori cedere actiones, quas habet aduerſus cæteros fideiuſſores, vt ipſe poſſit recuperare, quod ſoluit*; Hoc idem euincitur *in l. ſi mandato meo, & in l. cum is ff. eod. tit.*, *& in l. creditori l. cum alter C. eod. tit.* 5

Iura cōprobantia aſſertum.

Dices *ex Gloſa in ead. l. fideiuſsoribus ff. de fideiuſs., & mandat.* fideiuſſori ſoluenti ſolidum cedendam eſſe actionem contra fideiuſſorem non in ſolidum, ſed pro rata, hoc eſt pro parte cæterorum *arg. l. ſi pupillus ff. de tut., & rat. diſtrab.*, ergo ſaltem non poterit ab eodem integrè ſolutum repetere, ſed ad ſummum pro medietate ſecum diuidere. Sed contra primo, quia huiuſmodi gloſa non habet aliquod fundamentum in iure, nec textus *in l. pupillus* id dicit, quod gloſa aſſerit. Secundo, valere tantum poſſunt, quando ipſi fideiuſsores acceſſerunt non in ſolidum, ſed tantum pro rata, quod non euenit in præſenti, vndè fideiuſſor, qui ſoluit, poteſt agere pro tota quantitate.

Fideiuſſores acceſſerunt in ſolidū, non pro rata.

Dices ſecundo *ex l. vt fideiuſſor ff. de fideiuſſoribus, & mandat.* fideiuſſori contra fideiuſſorem non datur actio, niſi ceſſa, vbi Gloſa propoſito caſu ait. *Conueni vnum fideiuſſorem, qui mihi totum debitum ſoluit, quæro vtrum debeam cedere actionem iſti fideiuſſori contra ſuum confideiuſſorem. Reſpondeo quod non*, ergo, ſi fideiuſſor non poteſt agere, niſi actio fuerit ceſſa, &, qui ſolutionem recepit, non tenetur actionem eidem cedere, à primo ad vltimū ſequitur, quod fideiuſſor ſoluens non poſſit agere contra ſuum confideiuſsorem. Sed contra, quia, quidquid aſserat Gloſa, litera in textu certè non prohibet talem ceſſionem iurium, ſed tantum dicit, quod, ſi non fuerint ceſsæ actiones, non poſſit confideiuſsorem conuenire pro repetendo ſoluto. Cæterum ex alijs iuribus ſupra allegatis talis ceſſio eſt concedenda.

Litera in textu non prohibet talem ceſſionem iurium.

§. VII.

§. VII.

An literæ cambij reuocari poſſunt, antequam ſoluantur.

SVMMARIVM.

Senſus difficultatis propoſitus. 1.
Auctores agentes de hac difficultate. 2.
Non poſſunt huiuſmodi literæ reuocari, ſi ſint diſpoſitiuæ. 3.

1 DIſquiſitio VII. Depoſuerat Caius centum nummos aureos penes Franciſcum Camptorem, qui Caius cum eſſet debitor Sempronij de eiſdem centum, iuſſit eidem Franciſco Campſori, penes quem depoſuerat, quod illos centum ſolueret eidem Sempronio ſuo creditori. Franciſcus deſcribit illos centum ad partitam Sempronij. Quæritur iam, an idem Caius poſſit poſtea reuocare literas, & prohibere eidem Franciſco, ne amplius ſoluat Sempronio.

2 Proponit hanc difficultatem *Baldus in rubri. C. de conſtit. pecun. num.* 16. vbi expreſsè afferit, literas cambij etiam ante ſolutionem reuocari non poſſe. Id ipſum ſentiunt *Iaſon in repet. ſum. l. admonendi num.* 152. *ff. de iure iurando. Petrus Tuſcus in ſuis ſing. in verſ. literas cambij. Henric. Schuuartbzentethaler in ſuo tract. de ſtipulat. pag.* 872. *num.* 79. *Ioannes Andreas in addit. ad Specul. in tit. de depoſ. ſup. rubr. Puteus dec. ſua* 126. *num.* 3. *lib.* 3. *Card. Tuſcus concl.* 13. *nu.* 2. *in litera C. & num.* 3. *Ioannes Baptiſta Caueatius in tract. de Cambijs pag.* 224. *cap. de literis verſ. quæro, an literæ il* 3. *& il* 4. cum quibus.

Reſpondeo, neutiquam poſſe huiuſmodi literas ſic reuocari per Caium, ſi tales literæ ſint diſpoſitiuæ *ad notata in l. vtrum præſente in verſ. vndè falſam ff. de conſtit. pecun.* ſicque vltrà citatos tenent *Bimius conſ.* 30. *num.* 84. *in primo. Straccha de aſſecurationibus Gloſ.* 11. *num.* 45., *& Cardin Tuſcus concl.* 362. *num.* 3. *in litera L.*

Probatur primò, quia ex quo ſolutio per vnum ex contrahentibus facta eſt, & per alterum datæ literæ, & per eum, cui directæ ſunt, acceptatæ cum poſitione crediti ad partitam eius pro quo fit remiſſa, contractus intelligitur completus, & perfectus, quantum ad onera, & obligationes, quæ ex eodem contractu conſurgunt per ea, quæ diximus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. Pranot.* 1. ſed quando contractus, præcipuè ſi ſit nominatus, completus eſt ex vna parte, non datur amplius locus pænitentiæ reſpectu eius, qui non ſatisfecit per ea, quæ diximus *tom. primo ſub tit. Contractus I. Pranot.* 4. *per totum*, ergo per Caium recepta pecunia, & datis literis pro reſtitutione in loco determinato facienda non poterit altero renuente earundem literarum fieri reuocatio.

In contractibus completis non datur locus pœnitentiæ.

Probatur ſecundò, quià per ſolutionem factam ex vna parte, & dationem literarum ex altera, & acceptationem earundem per eum, ad quem diriguntur, intelligitur facta quaſi quędam copulatio conſenſuum ſimultaneorum eorum omnium, qui in ſimili contractu debent obligari *Baldus in l.* 2. *ff. de pactis*, & euincitur *ex l. qui autem in fin. ff. de conſt pecun. & in l.* 1. *ff. de contrahenda empt. in verſ. & per literas*, ſed poſito ſemel conſenſu, qui ſufficientèr probatur per literas (epiſtola enim ſemper loquitur *l.* 1. *de off. præfect. vrb. l. ſæpe audiui Cæſarem ff. de officio præſid.*) in contractibus nominatis non liberum eſt contrahentibus ab eiſdem recedere, promiſſio etenim facta per epiſtolam ſemper loquentem perficitur per receptionem ipſius epiſtolæ, & ad illud tempus, quo recipitur, retrotrahitur *l. qui abſenti ff. de acquir. poſſeſſ. & l. abſenti ff. de donation.* ergo &c.

Facta eſt copulatio conſenſuum.

Dices, literæ, antequam ſoluantur non habent, niſi rationem ſimplicis mandati, ſed mandatum, quouſque non eſt completum, ſemper per mandantem eſt reuocabile iuxta textum *in l. vtrum præſente in verſ. vndè falſam ff. de conſtit. pecun. Baldus in rub. de conſtit. pecun. num.* 16. *Iaſon in l. admonendi num.* 152. *de iure iurando. Bimius conſ.* 30. *n.* 84. *Straccha de aſſecurationibus gloſ.* 11. *num.* 45. ergo &c. Sed contrà in primis, quia ceſſat hæc ratio, quandò literæ non ſunt ſimplicis mandati, ſed diſpoſitiuæ per ea, quæ ſcribit *Genua de ſcript. priuat. lib.* 3. *fol. mihi* 154. *nu.* 60. cuiuſmodi ſunt illæ, de quibus nos loquimur; Deindè non poſſunt habere rationem ſimplicis mandati, quandò fiunt ex vi contractus ſecundum propriam rationem, & conditiones completi.

Inſtantia propoſita, & ſoluta.

Hinc non incongruè docet *Salicetus in l. ſi filius familias ff. ad Macedonianum*, quod acceptans literas cambij non poſſit poſtea ſolutioni contradicere,

Digitized by Google

etiam ſi mercator, qui literas ſcripſit pendente termino ſolutionis decoxerit, quod etiam pluribus rationibus confirmat *Vincentius de Franch. deciſ. ſum Neapolit. 303. per totum*, vbi quoque Sacrum Concilium refert ità adiudicaſſe *ſub die 26. Nouembris 1583.*, & *Capola conſ. 9. num. primò* aſſerit, quod recipiens literas cambij, eiſque lectis ponens inter alias, & non contradicens cenſeatur illas acceptaſſe, & ità ſe obligaſſe ad contenta in eis, vt non poſſit amplius pænitere, quod etiam confirmarunt *Alexander in addit. Bartoli in l. cum tabernam §. 1. num. 5. in verſ. ex hac lege de pignoribus. Socinus Iun. conſ. 121. num. 31. lib. 2. Rota Genuenſis deciſ. 135. nu. 2. Pariſius conſ. 5. nu. 206. in 4.* ex quibus infero, quod, ſi quis facta conuentione literas dederit ad aliquem pro ſolutione, qui eas acceptarit, renuente eo, in cuius fauorem datæ ſunt, non poſſit amplius eaſdem reuocare, ſiquidem, ſicuti in allegatis etiam decocto datore literarum non poteſt receptor earundem de acceptatione pænitere, quià iùs iam quæſitum eſt reſpectu eius, in cuius fauorem datæ ſunt, ità eiſdem datis, & acceptatis non poſſit eaſdem reuocare, qui eas dedit ex conuentione, & ſolutione ſibi facta, quandòquidem ex datione, & acceptatione earundem ſtipulator perfectum ius acquiſiuit ad complementum ipſarum.

§. VIII.

An literis cambij caſu amiſſis dirigenda ſit actio contrà datorem earundem, an contrà eum, ad quem erant directæ.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Duplex ſenſus difficultatis. 2.
Si literæ cambij fuerunt deperditæ, antequam præſentarentur, actio dirigenda eſt contrà datorem earundem. 3.
Si poſtquam fuerunt præſentatæ, & acceptatæ, contrà eum, qui acceptauit. Ibid.
Dator literarum poteſt cogi ad dandas literas pro eodem loco, ſi creditor velit, & cogere eundem ad acceptandas literas, ſi renuat. 5.

Diſquiſitio VIII. Facta conuentione inter Titium, & Caium, vi cuius Caius ſoluit hic Mediolani centum nummos aureos eidem Titio, vt hic eoſdem Romæ reſtitueret, Titius dedit literas Caio directas Romam ad Sempronium, vt hic ibi ſolueret, ſed in miſſione earundem ipſæ fuerunt deperditæ. Orta fuit hic controuerſia, an pro ſolutione earundem dirigenda ſit actio contra datorem earundem, an verò contrà eum, ad quem erant directæ? Pro ſolutione 1

2 Aduertè iuxtà duplicem ſenſum propoſitam difficultatem poſſe examinari; vel enim literæ fuerunt amiſſæ, antequam præſentarentur, ſeu acceptarentur per eum, ad quem erant directæ pro ſolutione facienda, vel in itinere, antequam eæ præſentarentur, ſeu ab eodem acceptarentur; iuxta quam diſtinctionem clarior fiet diſcuſſio. *Duplex ſeſus difficultatis.*

Reſpondeo igitur, ſi literæ cambij fuerunt deperditæ, antequam præſentaretur, actionem dirigendam eſſe contrà datorem earundem, ſi verò poſtquam fuerunt præſentatæ, & acceptatæ contra eum, qui acceptauit. Prima pars eſt *Baldi in l. iſtrumenta in fin. C. de fideicommiſſis. Iaſonis in repet. l. admonedi num. 153. de iure iur. Pauli de Caſtro in d. l. inſtrumenta C. de fideicommiſſis. Paciani de probationibus lib. primo cap. 63. num. 139. Burſati conſ. 39. num. 12. Maſcardi concl. 631. num. 8. Vincentij de Franchis deciſ. Neapoli. 498. num. 2. Antonij de Gamma deciſ. Luſitaniæ 336. num. 1.* Secunda pars eſt conformis ijs, quæ alibi diximus, limitanda tamen, vt infrà

Probatur prima pars, quià dator literarum euſque remanet debitor contentorum in eiſdem literis, quouſque, vel per realem, vel per virtualem ſolutionem executioni mandentur; ſed in hypotheſi, ſecundum quam ſupponuntur deperditæ ante præſentationem, & acceptationem, nec per realem, nec per virtualem ſolutionem intelliguntur executioni mandatæ, ergo dator literarum adhuc remanet debitor contentorum in ipſis. Minor probatur, quia ipſa datio literarum ſecundum ſe, cum habeat vim ſimplicis mandati, ſeu etiam literæ diſpoſitiuæ non habet vim ſolutionis alicuius ſiuè realis, ſiuè virtualis, donec impleantur, cæteroqui ijs ſemel datis non poſſet creditor habere regreſſum contra datorem earundem etiam in caſu, quo per eum, ad quem diriguntur, non accep- *Datio literarum habet vi ſimplicis mandati.*

acceptarentur, quod eſt contrà communem conſenſum, & praxim. Confirmatur ex textu *in l. qui abſenti ff. de acquir. poſſeſſione*, & per Doctores omnes *in l. ſingularia ff. ſi cert. petatur.* vbi dicitur, quod, quæ continentur in literis, non ſortiantur effectum, niſi quatenus illæ fuerint præſentatæ, ergo eiſdem amiſſis, & non præſentatis adhuc creditor ipſarum ius retinebit aduerſus eum, qui eas dedit, non aduerſus eum, cui deſtinantur pro ſolutione.

Probatur ſecundò eadem prima pars, nam, vel ille, cui literæ deſtinantur, eſt ſimplex mandatarius, vel etiam ſimul debitor datoris earundem, ſed quocunque modo ſe habeat, obligari nequit ſine præſentatione literarum, ergo &c. Minor probatur, quià mandatarius eſſe non poteſt ſine mandato, nec poteſt obligari actione mandati, vbi conſenſum non præſtitit, nec mandatum acceptauit. Rurſus, quamuis fuerit debitor datoris literarum pro æquali ſumma in eiſdem contenta, non tenetur tamen ad illam alteri erogandam, niſi ſibi conſtet de ceſſione iurium illi facta per ſuum creditorem, quod certè eſſe non poteſt ſine præſentatione literarum. Aduertè tamen, quod in caſu, quod actio eſſet intentata contrà datorem ipſarum literarum, & ipſe coactus fuerit ſoluere contenta in eiſdem literis, eſſet per creditorem earundem liberandus in cauta forma per publicum, & ſolemne inſtrumentum.

Mandatarius eſſe non poteſt ſine mandato.

Hic ex occaſione oritur difficultas, an ſi literæ fuerint deperditæ ante præſentationem, actio, quæ conceditur creditori contrà datorem literarum debeat eſſe ad repetendum ſolutum, an verò ad iterandas literas in fauorem eiuſdem creditoris, & quid agendum in hypotheſi, quod creditor nolit amplius literas, ſed ſuum creditum in numerata pecunia, cum illa non amplius egeat in loco, ad quem erant deſtinatæ literæ, & debitor nolit dare, niſi literas pro complemento contractus. Omiſſis aliorum placitis placet reſpondere, datorem literarum poſſe cogi ad dandas literas pro eodem loco, ſi creditor velit, & cogere eundem creditorem ad nouas literas acceptandas, ſi renuat, non autem poſſe cogi, & cogere ad ſolutum in numerata pecunia. Ratio in vniuerſum eſſe poteſt, quia conſtituto cambio contractu ſecundum ſui ſubſtantiam per abſolutum vtriuſque contrahentis conſenſum non datur actio ad reciſcionem, ſed tantum ad complementum, ergo, cum in ſuppoſitione, de qua loquimur, acceſſerit abſolutus vtriuſq; contrahentis conſenſus ad ſubſtantiam contractus, non erit, cur debeat reſolui per reſtitutionem ſoluti, ſi alter contrahentium renuat, ſed velit contractum compleri; neque obſtare poteſt, ſi dicatur, non amplius vigere eaſdem circunſtantias, & conditiones, ſed variato tempore intelligi etiam variatum finem, ob quem initus eſt contractus, nempè indigentiam, quam habebat creditor pro tali loco, vel facilitatem, quam habebat creditor illic correſpondendi; adeoque non amplius vigere ius ad illius complementum, cum ceſſante fine ceſſet etiam ius; non, inquam, obſtare poteſt, quandoquidem ſemel conſtituto per ſua ſubſtantialia contractu, non eſt, cur irritari debeat ex variatione circunſtantiarum; quis enim diceret contractum emptionis mutuo contrahentium conſenſu iam firmatum corruere ex eo, quod emptor variatis temporum differentijs re empta non amplius indigeat? neque ex eo, quod res empta amplius inſeruire nequeat ad vſum, pro quo eſt empta, contractum iam initum irritat. Confirmatur, quia firmis manentibus, quę pertinent ad ſubſtantiam contractus, non eſt, cur irritari debeat ex eo, quod aliquid deficiat, quod pertineat dumtaxat ad probationem, vel ad celerem executionem, ſed ſubſtantialia contractus cambialis etiam literis amiſſis perſeuerat, (quandoquidem hæc conſiſtunt in mutuo contrahentium conſenſu, & in obligationibus, quæ ex eodem conſurgunt) & ſolum literæ ſupponuntur deperditæ, quæ pertinent non ad ſubſtantiam, ſed tantum ad probationem, ergo &c. neque caſus deperditionis obeſſe poteſt contractui, vel contrahentibus volentibus in eodem contractu perſiſtere, quandoquidem ille caſus omninò fortuitus eſt, qui propterea non debet alicui imputari *in ſpec. de iud. §. ſpecialia verò verſ. illud autem, & ſeqq.*

Conſtituto cambio per vtriuſq; conſenſũ datur ſolum actio ad complementum.

Non irritatur cõtractus emptionis ex eo, quod emptor re illa nõ amplius egeat.

Probatur ſecunda pars, quæ tamen procedit in ſuppoſitione, quod ille, ad quem literæ fuerant ordinatæ, ſe debitorem cõſtituerit perferentis eaſdem literas. Nam ex eo, quod ſe conſtituerit debitorem deferentis ad ſe literas, & vt debitor fuerit acceptatus, intelligitur facta nouatio per ea, quæ latè ſupra tradidimus, ſed facta nouatione intelligitur translata obligatio prioris de-

Conſtituendo ſe debitorẽ inducit nouationem.

Digitized by Google

debitoris in eum, qui ſe pro illo conſtituit debitorem, quinimmò extincta obligatio illius, & orta noua in iſto, ergo &c; vndè merito docuit *Baldus in l. pro debito num. 2. C. de bon. auct. iud. poſſid.*, quod creditor, qui acceptauit campſorem, ſeu nummularium in debitorem, ſi hic deueniat in decoctionem, aut effugiat, non poſſit amplius idem creditor habere regreſſum contra priorem debitorem, quia ille per nouationem quodammodo liberatus eſt.

Dixi *in ſuppoſitione, quod ille, ad quem literæ fuerant ordinatæ, ſe debitorem conſtituerit*; propter ea, quæ docui *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. in Diſquiſ. §. 20. num. 2. verſ. probatur ſecundo*, nempè præciſam literarum acceptationem non habere vim promiſſionis, nec ſolutionis, niſi quid aliud ponatur, quod inferat eandem promiſſionem, præcipuè, cum, vt aſſerit *Turri de Cambijs diſp. 2. quæſt. 11. num. 9. verſ. dicendum ſecundo in fine*, & nos etiam docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 20. num. 9. verſ. dices quando ſolutio* receptio literarũ arguat quidem conſenſum ad recipiendum mandatum, non autem ad ea exequenda, quæ in literis continentur per ea, quæ allegatis iuribus, & rationibus ibidem commendauimus.

Præciſa literarũ acceptatio non habet vim promiſſionis.

---

§. IX.

An habens literas cambij pro vno loco poſſit cogere campſorem ad dandum literas pro alio.

SVMMARIVM.

Status difficultatis propoſitæ. 1.
Duplex ſenſus, in quo poteſt examinari .2.
Si literæ datæ pro Venetijs iuxtà conuenta conſequi poſſunt ſuum effectum, non poteſt dator ipſarum cogi ad eas immutandas pro reſtitutione alibi. 3.
Si literæ datæ pro Venetijs non poſſint ibi conſequi ſuum effectum defectu ſe tenente ex parte datoris earundem, nec poteſt cogi ad alias dandas pro alio loco. 4.

1 DIſquiſitio IX. Inito contractu cambij, quo Titius hic Mediolani ſoluit Sempronio mille nummos aureos, & Sempronius eidem Titio dedit literas, vt ijdem mille nummi aurei per ſuum reſpondentem reſtituerentur Venetijs ſecundum conuentionem reſtitutionis ibidem faciendæ, contigit, vt idem Titius non amplius indigeret eiſdem nummis Venetijs, ſed tantum Romæ. Orta fuit controuerſia, an cõmutatis literis potuerit Titius obligare Sempronium ad literas dandas pro Roma ad ſubueniendum proprijs indigentijs ibidem. Proponit hanc difficultatem *Cauatius de Cambijs pag. 224. col. 2. in fine*, quam latè expendunt, & proſequuntur *Franciſcus Bernardinus Porrus in nonnullis ſuis conſultationibus poſt tract. dicti Cauatij de Cambijs, &* *Tuſcus concl. 362. in litera L.* Pro ſolutione

Aduerte, controuerſiam hanc iuxta duplicem ſenſum poſſe examinari, vel enim literæ, quæ primo ex vi contractus iam initi datæ ſunt pro Venetijs, vt in facti ſerie exponebatur, conſequi poterant ſuum effectum in loco, ad quem fuerant deſtinatæ, vel ibi ex impotentia datoris earundẽ literarum effectum conſequi non poterant, quatenus, vel ibi non habuerit, qui literas acceptaret, vel ſoluere vellet, vel ſi habuerit, hic tamen noluerit ex aliquo fine acceptare. Porro, vel dator earundem literarum habebat reſpondentes ſuos tam Venetijs, quam Romæ, & ſolitus erat cambire pro vtroque loco, vel correſpondentem dumtaxat habebat Venetijs, & ſolummodo aſſuetus erat pro tali loco cambire. Tandem, vel pretium cambiorum erat æquale pro vtroque loco, vel maius pro vno, minus pro altero. His pro claritate ſic expoſitis. 2

Senſus, in quibus poteſt examinari difficultas.

Reſpondeo primo, ſi literæ datæ pro Venetijs ſecundum conuentionem initam conſequi poterant ſuum effectum ibi, non poteſt dator ipſarum cogi ad eas immutandas pro reſtitutione Romæ facienda *Ioannes Baptiſta Cauatius de Cambijs pag. 224. col. 2. in fin. Genua de ſcriptura priuata lib. 3. quæſt. 6. ſub titulo quædam notabilia num. 40., & 41.* Probatur, quia, quamuis contractus ſecundum ſe ante celebrationem indiferens eſſet, vt vel pro vno, vel pro altero loco celebraretur, poſt celebrationem tamen non eſt amplius indiferens, ſed adimplendus eſt ſecundum eas cõditiones, quæ in celebratione eiuſdem fuerunt appoſitæ, quia, quæ voluntatis ſunt ante factum, ex poſt facto ſunt neceſſitatis, ergo, ſi literæ poſſunt ſuũ ſortiri effectum pro loco, ad quem datæ fuerunt, non poterunt reluctante datore earundem immutari pro alio loco. Confirmatur, qui vendidit ſuum 3

Quæ voluntatis ſunt ante factum ex poſt facto sũt neceſſitatis.

fru-

frumentum in aliquo determinato loco ſecundum conuentiones tradendũ emptori non poteſt per eundem emptorem cogi ad illud tradendum in alio loco, in quo ipſe emptor indiget, ergo etiam qui pecuniam ſuam abſentem in aliquo determinato, & conuento loco commutauit cum alia præſenti non poterit cogi per alium, cum quo commutauit, ad tradendum in alio loco ab eo, pro quo facta fuit conuentio, quandoquidem pacta ſeruanda ſunt iuxta expreſſam mentem, & conditiones appoſitas per contrahentes ex vulgatiſſimis iuribus. Confirmatur ſecundo, quia ante celebrationem contractus non poterat dator literarum cogi ad cambiendum pro Roma per ea, quæ ſuperius tradidimus, niſi ex publico munere intelligatur ad hoc obligatus, ergo etiam poſt celebrationem contractus pro vno determinato loco non poterit cogi ad conuenta ſoluenda in alio loco, pro quo facta non fuit conuentio. Conſequentia probatur, quia ex eo, quod contraxerit pro vno loco determinato non adempta ipſi eſt libertas ad contrahendum, vel non contrahendum pro alio loco, & ſicuti ſi v. g. contraxit pro vno loco, non poteſt cogi ad ineundum alium contractum diſtinctum à primo pro alio loco, ita ex eo, quod contraxerit pro vno non poteſt cogi ad immutandum eundem contractũ pro alio loco, quinimmo etiamſi poſſet cogi ad contrahendum pro aliquo determinato loco ad exigentiam alterius contrahentis, non poſſet tamen cogi ad contractum iam firmatum pro vno loco commutandũ pro alio, ſiquidem poſitæ conditiones in contractu ſunt adamuſſim obſeruandæ, nec in libertate vnius contrahentis eſt eaſdem commutare altero renuente.

Variæ confirmationes reſponſionis.

Non poteſt immutari, contractus altero diſſentiente.

4 Reſpondeo ſecundo, ſi literæ datæ pro Venetijs conſequi ibi non poterant ſuum effectum, defectu ſe tenente ex parte datoris earundem, nec poteſt cogi idem dator ad alias dandas pro reſtitutione Romæ facienda, ſiuè ibi habeat reſpondentem, & ſolitus fuerit etiam pro tali loco cambire, ſiuè ibi non habeat, nec ſolitus fuerit &c. Eſt contra *Cauatium, & Genuam locis ſupra citatis*. Probatur primo, quia ex vi contractus iam initi non habet creditor ius, niſi ad ea, quæ ſibi intererant, vt contractus in loco compleretur, pro quo fuerat celebratus, ergo, ſi debitor compenſet ea, quæ creditori intererant, vt contractus ibi compleretur per actualem ſolutionem, extinguet quodcunque ius eiuſdem creditoris, qui propterea non poterit, ad quid aliud cogi, nec ad nouas literas dandas pro Roma. Antecedens probatur, quia ex eo, quod quis contraxerit vno modo per vnum contractum non obligat alium contrahentem ad alium contractum, ſed ſolum ad complendum iam initum, vel ad compenſanda ea, quæ ex non complemento proueniunt eidem creditori. Neque dicas obligari quodammodo in pœnam defectus non complementi, qui defectus ex ipſius cauſa ſupponitur prouenire; contra enim impugnaberis, quia tali pœnæ nec ſubeſſe tenetur ex lege, nec ex conuentione, cum lex nullibi hoc præcipiat, nec partes de ipſa in celebratione conuenerint.

Obligatur ſolũmodò ad id, quod intererat creditori, quod in loco conuento ſolueretur.

Probatur ſecundo, iuxta ſuperius dicta, quia ex vno contractu celebrato pro aliquo determinato loco non poteſt obligari ad celebrandum pro alio, cum liber ſit ad celebrandum pro quocunque voluerit, ergo quamuis celebrauerit pro vno loco, in quo creditor ſortiri non poſſit ſuum effectum, non poterit ex illo contractu ad reddendum pro alio loco cogi, pro quo ſe non obligauit. Conſequentia probatur, quia non implementum contractus in loco conuento non confert ius ad alium diuerſum, & diſtinctum contractum; quis enim diceret, quod ex eo, quod ego non adimpleam venditionem firmatam hic per actualem traditionem rei venditæ, vel ex eo, quod illa mea non eſt, vel ex alio capite obliget ad vendendam aliam rem in alio loco exiſtentem?

Non implementum contractus nou confert ius ad alium contractum.

Hæc, quæ dicuntur, ſi verificantur, quandò debitor cambij habet in alio loco, in quo creditor intendit ſolutionem, correſpondentem, a fortiori verificari debent, quandò ibi non habet, vt per ſe patet, & ſi debitor ad hoc cogi non poteſt, quandò pretium cambij eſt pro vtroque loco æquale, à fortiori cogi non poterit, quandò inæquale eſt, & excedens in ſui præiudicium.

§. X.

§. X.

Quemnam obliget ſoluens cambium, & cuinam obligetur recipiens.

SVMMARIVM.

Refertur caſus in ſuis terminis. 1.
Fabius per ſolutionem ſibi obligat Petrum, non Antonium, & per conſequens Antonius obligatur Petro, non Fabio. 2.
Antonius obligatur Petro mandanti, non Fabio ſoluenti. 3.

1 Diſquiſitio X. Mandauerat Petrus Mediolani exiſtens Fabio ſuo reſpondenti Romæ, vt ſolueret ibi mille nummos aureos Antonio. Facta fuit ibi ſolutio, quam Antonius recepit. Excitata fuit ratio dubitandi, an Fabius, qui ſoluit, obligatum habuerit illum, cui ſoluit, an verò eum, cuius mandato ſoluit, & item an Antonius, qui recepit, obligetur verſus Fabium ſoluentem, an verò verſus Petrum mandantem. Ratio dirimendi hanc controuerſiam delata fuit ad Rotam Genuenſem, quæ *deciſ.* 168. *nu. primo* definiuit ſoluentem habere obligatum eum, de cuius mandato ſoluit, non eum, cui ſoluit, & recipientem obligari erga mandantem, non verò erga ſoluentem. Cum eadem Rota Genuenſi tranſeundo

2 Reſpondeo, Fabium per ſolutionem ſibi obligare Petrum, non Antonium, & per conſequens Antonium obligari Petro, non Fabio. Colligitur expreſsè reſponſio ex textu *in l. ſi pupilli §. 1. ff. de ſolutionibus, & in l. ſi me, & Titium ff. ſi cert. pet.* & vlterius ratione ſic euincitur, nam vel Fabius erat debitor Petri, vel ſimplicitèr eius reſpondens, ſoluens tamen ex bonis proprijs, ſi primum; iam per talem ſolutionem quam præſtat Fabius nomine Petri extinguit debitum, quod cum eodem Petro habebat, & ſic nullum ſibi obligat, ſed tantum ſe eximit ab obligatione, quam habebat cum eodem Petro; ſi ſecundum, cum ſoluat nomine, & de mandato eiuſdem Petri eundem Petrum conſtituit debitorem, non enim Fabius ſoluiſſet Antonio, niſi idem Petrus mandaſſet, & vſus communis campſorum eſt, vt ſcribant in ſuis libris rationum eum tanquam debitorem, qui mandat ſolutionem; non eum, cui ſoluunt; neque exiſtimandum eſt, mandantes fieri alteri ſolutionem accedere dumtaxat, vt fideiuſſores pro illo, cui fit ſolutio; non, inquam, exiſtimandum, quandòquidem campſores ex communi praxi non recipiunt eos, quibus ſoluunt, vt principales debitores, ſed velut miniſtros recipientes nomine mandantium, vel vt procuratores eorundem, non curantes, an recipiant ad vſus proprios, vel ad commoda mandantium, ſed præcisè tribuentes nomine eorundem mandantium.

Ex vſu Mercatorum ille conſtituitur debitor, qui mandat ſolutionē

Hinc etiam deducere fas erit, quod Antonius obligabitur Petro mandanti, non Fabio ſoluenti, quod ſic euincitur; Reſpectu illius, ſeu in fauorem illius obligatio debet conſurgere in recipiente, reſpectu cuius, ſeu apud quem reſultat onus ſoluendi debitum, quod contractum eſt, ſed onus ſoluendi debitum, quod contractum eſt, reſultat in Petro mandante, non in Fabio ſoluente, ergo obligatio, quæ conſurgit in Antonio recipiente debet eſſe in fauorem Petri, non Fabij. Confirmatur, quia in contractibus ad quem ſpectat onus, ſpectat etiam ius, quod ex eiſdem reſultat, ſunt etenim contractus oneroſi, & tantum quis deperdit, quantum acquirit, ſed onus ſoluendi Fabio ſpectat ad Petrum, ergo ius repetendi ab Antonio debet ad eundem Petrum pertinere, vt ſaluetur æqualitas conſiſtens in eo, vt tantum quis acquirat, quantum deperdit, & in tanto alleuietur, in quanto grauatur.

Ad quem ſpectat onus ſpectat etiā ius.

§. XI.

An per detentionem, & productionem literarum ſufficientèr probetur earum acceptatio.

SVMMARIVM.

Explicatur ſtatus quæſtionis. 1.
Per detentionem literarum ſine contradictione arguitur acceptatio earundem. 2.
Ad præſumendam acceptationem non ſufficit, quod immediatè poſt præſentationem literarum nulla facta fuerit contradictio, ſed tantum temporis requiritur, vt iudicio prudentum habeatur prudens conſultatio. 3.

Si

Si literæ per eum, cui ſunt directæ, producantur in iudicio, præſumitur acceptatio. 4.

1 DIſquiſitio XI. Conſtituto cambio inter Titium datorem literarum, & Caium ſtipulatorem hic Mediolani literæ fuerunt directę Romam ad Andræam reſponſalem eiuſdem Titij, quas ipſe recepit, nec tamen acceptauit expreſsè, nec aliquid poſuit, quod ſimul cum receptione haberet vim, vel formalis, vel virtualis ſolutionis, quod diximus requiri ad hoc, vt intelligatur facta nouatio, & debitum Titij translatum in eundem Andræam reſpondentem ipſius. Detinuit tamen idem Andræas literas ſibi præſentatas per aliquod ſpatium temporis eis non contradicens, vel fortè etiam ad aliquem finem ſibi proficuum in iudicio præſentauit. Quæritur hic primò, an per detentionem literarum per aliquod temporis ſpatium ſine contradictione ſufficientèr probetur earundem acceptatio? Secundò, ex ſuppoſitione, quod probetur, quodnam temporis interuallum ad probandum requiratur? Tertiò, an illa ipſarum productio in iudicio inferat concludentèr eandem acceptationem?

2 Reſpondeo primò, per detentionem literarum ſine vlla contradictione ſufficientèr præſumi earundem acceptationem quantum ad effectum obligandi detentorem ad ſolutionem *Rota Genuenſis deciſ. 8. num. 13.* quam ſequitur *Genua de ſcriptura priuata lib. 3. quæſt. 6. ſub tit. quædam notabilia num. 18., & alij communitèr*. Probatur primò, quià taciturnitas vltra tempus, quod requiritur ad reſpondendum, habetur pro conſenſu *l. ſi filius C. de pet. hæred. l. qui in aliena ff. de acq. hæred; cap. ea noſcitur de ijs, quæ fiunt à Præl. Ludouicus Roman. in l. quæ dotis ff. ſol. matrim. nu. 42.* præcipuè cum per præſentationem literarum cenſeatur interpellatus ad approbandum, vel improbandum *Abbas in cap. 2. de ijs, quæ fiunt à Præl. ſine conſ. cap. Alexander in l. quæ dotis ff. ſol. matrim.* quinimmò literæ ad aliquem ſcriptæ, eique redditæ, & ab eo lectæ, ità demum eum obligant, ſi eas retinuerit, & tacuerit *l. Titius in extre. vbi Bartolus, & Baldus ff. de conſtit. pecun. Bartolus in l. cum tabernam §. pen. ff. de pignor. Alexander conſ. 78. vol. 1.* ratione coniunctionis ad contenta in eis, niſi ſtatim contradicat *l. ſi filius, & ibi Bartolus ff. de Maced. Baldus in l. ſi abſentis 3. col. C. ſi certum petatur Cardin. in clem. 1. de procuratoribus in 4. not.* vbi habetur, quod eſt verum, niſi legens proteſtetur, quod nolit obligari, ergo per detentionem literarum ſufficientèr probatur quantum ad effectum obligandi ipſarum acceptatio.

Taciturnitas vltrà tempus, quod requiritur ad reſpondendum, habetur pro conſenſu.

Dices, ex ſuperius dictis per ſimplicem receptionem literarum non intelligitur facta nouatio, nec transfuſa obligatio in recipientem, niſi vel ponat promiſſionem, vel aliquem actum poſitiuum, cui intelligatur annexa talis promiſſio, vel virtualis ſolutio, ſed nec per detentionem literarum, licet arguatur conſenſus, non ponitur aliqua promiſſio, nec aliquis actus poſitiuus æquiualens tali promiſſioni, ergo, &c. Sed contrà, quià ipſa actualis detentio eſt æquiualens actui poſitiuo, ſi ſit ad aliquod tempus, poſtquam legerit detinens, eo quià non contradicens ſtatim præſumatur ſe obligare ad contenta in eiſdem *Bartolus in l. quo enim ff. rem rat. hab. & ibi Paulus de Caſtro, & Baldus in rub. C. de fid. inſtrum. in 17. col. in verſ. quæro, quid de literis tranſmiſſis, & in literas ad fin. ff. mandati*. Deindè aliud eſt, quod per detentionem literarum non intelligatur facta nouatio, aliud, quod intelligatur facta acceptatio.

Inſtãtia, eiuſque ſolutio.

Probatur ſecundò, quià ſi poſita adhuc tentione literarum ſine vlla expreſſione acceptationis non obligaretur detinens ad contenta in eiſdem, plurima incommoda inſurgerent in creditore, & debitore cambij; in creditore quidem, quatenus durante illa detentione, ſi debitor principalis vergeret in decoctionem, vel effugeret non haberet, à quo poſſet repetere ſolutum, quod repetijſſet, ſi fuiſſet expreſſa non acceptatio, ſeu non poſita illa detentio; quandòquidem ſtatim ad eundem debitorem ante decoctionem, vel fugam regreſſum habuiſſet; in debitore, quatenus durante illa detentione ſine expreſſione non acceptationis præſumere poſſet factam fuiſſe ſolutionem, ſine qua præſumptione ſibi præcauere poſſet ab vlterioribus incõmodis, & intereſſe, ergo &c. Confirmatur, quia, cum præſcriptum ſit tempus determinatum ad proteſtationem faciendam in caſu non acceptationis literarum, (prout dictum fuit *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. in Diſquiſ. §. 25. num. 3.* iuxtà Statuta Genuenſia *lib. 4. cap. 15.* quæ, cum ſint conformia diſpoſitioni iuris communis, vbique vim habere videntur) intercluderetur via ad ipſam, ſi ille, ad quem li-

Abſurda, quæ ex oppoſito ſequerentur.

Digitized by Google

literæ deferuntur, poſſet ad quodcunque tempus detinere ſine onere acceptationis, quod certè eſſet in perniciem creditoris.

Hic oritur difficultas, an in hypotheſi illius detentionis ſine expreſſione acceptationis, vel non acceptationis literarum, ſi receptor eaſdem detinens ante factam vllam expreſſionem vergat in decoctionem, vel effugiat, creditor ex eiſdem literis poſſit habere regreſſum contra ſuum principalem debitorem. Cui breuitèr occurro reſpondens, ſi tandiù detinuerit, vt prudentèr ſecundum communem æſtimationem præſumatur facta acceptatio, & ſimul ponatur aliquis actus, in quo ſaltem virtualitèr habeatur promiſſio, non poſſe creditorem habere regreſſum pro ſolutione contra ſuum debitorem principalem, ſi verò ita detinuerit, vt concurrentibus circunſtantijs non præſumatur facta acceptatio, nec promiſſio adhuc habere ius ad regreſſum. Prima pars eſt *Bartoli in l. 15. ſingularia num. 49. ff. ſi cert. petatur, Afflicti deciſ. 353. dubia num. 5.*, & expreſsè colligitur ex dictis *ſub hoc eod. tit. de Cambijs I. Diſquiſit. §. 21. nu. 2., & ſeqq. & §. 24. num. 2., & ſeqq.*, quæ ibi recole. Secunda pars facilè liquet, quia, vbi non præſumitur facta acceptatio cum promiſſione, datur locus proteſtationi, nec iuſtè creditur intercedere nouatio, vbi nō intercedit alia obligatio, quę eſſe nō poteſt ſine acceptatione.

Reſpondeo ſecundo, ad præſumendam acceptationem non ſufficit, quod immediatè poſt præſentationem literarum nulla interpoſita mora nulla facta fuerit contradictio, ſed tantum temporis requiritur, quantum arbitrio prudentum inſumi pręſumitur ad incundam prudētem conſultationem, an eas expediat acceptare. Probatur primo, quia illa particula, *ſtatim*, non ſumitur indiuiſibilitèr, ſed arbitrio boni viri *l. ſi ità quis § ſi iactum ff. de verb. oblig. Abbas in cap. potuit de locato*, & quandoque ponitur pro triduo *Gloſ. in verb. triduo in l. 3. C. de errore aduoc. Gloſ. not. hæc tria in l. petens C. de pactis, Ioannes de Porta in l. fructus ff. ſol. matrim., Alexander poſt Bart. in l. 1. §. cui præſens ff. de verborum oblig.*, nec incongrua ſanè ratione, quandoquidem nimis arduum eſſet ijs, ad quos literæ diriguntur, onus ſtatim deliberandi, vel de acceptatione, vel de non acceptatione ſine congruo tempore ad decernendum, an expediat acceptare, vel non acceptare.

Probatur ſecundo, quia in ſolutione literarum cambij, quando etiam in eiſdem dicitur *ſtatim* aut *à lettera viſta* admittitur etiam in fauorem ſoluere debentis aliqua temporis dilatio per ea, quæ docui *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 17. num. 7.* iuxta auctores, & iura ibi allegata, ergo etiam ad deliberandum, an velit, vel non velit acceptare literas ad ſe directas in fauorem eiuſdem proportionata temporis diſtantia eſt admittenda, ergo intra talem temporis diſtantiam non eſt præſumenda acceptatio, niſi exprimatur. Prima conſequentia probatur, quia ſi in ijs, in quibus præſcribitur immediata ſolutio, & imponitur quodamodo onus, admitti poteſt illa dilatio, cur in ijs, quæ libera ſunt, vt acceptentur, vel non acceptentur quoad deliberationem non debet admitti proportionata temporis extenſio? 3

Proportionata temporis diſtantia eſt admittenda ad præſumendam acceptationem.

Reſpondeo tertio, ſi literæ per eum, cui ſunt directæ, ad aliquem finem eidem proficuum producantur in iudicio ſufficientèr præſumuntur acceptatæ, quantum ad effectum obligandi receptorem detinentem ad earundem ſolutionem *Rota Genuenſis deciſ. 8. num. 13.* Probatur primo, quia detentor non habet ius eiſdem literis, quas detinet, vtendi, niſi quatenus ius in eiſdem acquiſiuit, ſed ius in literis ſibi præſentatis acquirere non potuit ſine earundem acceptatione, ergo, ſi vtitur eaſdem producendo in ſui fauorem in iudicio, præſumendus eſt ipſas acceptaſſe. Confirmatur, quia ipſamet eadem productio indicat animum acceptantis, qui non poteſt velle, quod ſibi proficuum eſt, & nolle quod graue eſt, & in contractibus vltro citroque obligatorijs acceptare quoad fauorabilia, & reprobare quoad odioſa, ſed acceptatio in vno implicitè inuoluit acceptationem quoad ea omnia, quæ eidem annectuntur, & ſi producens vult commoda ſentire, debet & incommoda, ergo per talem productionem optimè infertur literarum acceptatio, ex qua deindè poterit ipſe producens obligari ad ponendam ſolutionem, vt ſupra. 4

Ius non poteſt acquirere in literis ſine ipſarum acceptatione.

§. XII.

§. XII.

Quomodo facienda ſit recognitio literarum, quas ſcriptor ad alterum dedit.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries, & ſtatus difficultatis. 1.
Sufficiunt teſtes, qui notam habeant manum ex caractheribus, & figuris literarum, eiſque deficientibus literarum comparatio plenam fidem facit. 2.
Exhibenda eſt ſcriptura integra ſecundum ſe totam ad probandum, non quoad ſolam ſubſcriptionem. 3.

1 DIſquiſitio XII. Dederat literas diſpoſitiuas Antonius Titio impoſito eidem onere ſoluendi centum Sempronio pro totidem per ſe ipſum ab eodem Sempronio receptis. Delatis literis ad eundem Titium excipiebat ipſas non eſſe literas Antonij, cumque præſens non poſſet eſſe Antonius, qui eas recognoſceret, controuertebatur, an neceſſario adhibendi eſſent teſtes, qui fuerint præſentes, & viderint, cum ſcriberentur, an vero ſufficerent teſtes, qui notam manum haberent ex caractheribus, & figuris literarum. Excitat hanc controuerſiam *Genua de ſcriptura priuata lib. 3. quæſt. 6. ſub tit. quædam notabilia nu. 1., & ſeqq.*, vbi pluribus citatis concludit ad recognitionem ſufficere teſtes, qui notam habeant manum ex caractheribus, & figuris. Cum quo ego quoque.

2 Reſpondeo, huiuſmodi teſtes ſufficientes eſse, & concludenter probare, eiſque deficientibus literarum comparationem plenam fidem facere *Burſatus conſ. 103. num. 9.*, qui pro ſe citat *Socinum, Ruinum, Puteum, & alios, Maſcardus concl. 988. nu. 4.*, & quoad comparationem *Gaſpar Theſaurus lib. 1. quæſt. Forenſ. cap. 24. nu. 22.*, qui aſſerit, ita fuiſse iudicatum.

Nulla ſcriptura priuata fidē haberet, ſi teſtibus cognoſcentibus non eſſet ſtandum.

Probatur prima pars ex communi, & approbata Iudicum praxi admittentium ſimilem probationem in alijs ſcripturis etiam priuatis, cui praxi obſtare non poteſt, quod ad ſimilitudinem caractherum potuerit efformari ſcriptura, & ſubſcriptio, & ſic eludi teſtes deponentes de identitate ſcripturæ Antonij; non, inquam, obſtare poteſt, quia ſemel dato, quod teſtium depoſitionibus affirmantium ex qualitate caractherum, & figurarum, quas, ſeu quæ nouiſſe teſtantur, ſcripturam eſſe eius, qui enuntiatur, ſtandum non eſſet, nulla ſcriptura fidem habere poſſet, quandoquidem ſemper poſſet dubitari, an ſcriptura eſſet eius, qui dicitur ſcripſiſſe, an vero efformata ad ſimilitudinem caractherum ipſius, & ſic corruerent humana iudicia de contractibus, quoad probationes ſemper poſſet eſſe controuerſia, & ſic deficerent humana commertia, quoad literas familiares poſſet ſemper ſubeſſe ratio ſuſpicandi de auctore, & ſic laberetur humana ſocietas. Accedit, quod iudicium in huiuſmodi recognitionibus debet efformari humano modo, hoc eſt ſecundum allegata, & probata, quæ ſtant in fide atteſtantium, cui Iudex, ſi ſe accomodet, dicitur prudentèr iudicare, quamuis aſſertioni teſtiū poſſet ſubeſſe falſitas, & teſtes ipſi ſufficientèr videntur concludere ex eo, quod reddant cauſam ſui sciti fundatam in qualitate caractherum, quæ ex alijs ſcripturis eiuſdem auctoris ſe nouiſſe teſtantur.

Probatur ſecunda pars, quia deficientibus alijs probationibus comparatio literarum fieri debet, ſi dubitetur, an ſcriptura ſit confecta manu alicuius ſcriptoris *Baldus in auth. ſed noua 3. col. verſ. 2. de fide comparationis C. ſi cert. petatur, Paulus de Caſtro conſ. 196.*, vbi ponit, quod comparatio probat ſcripturam, & licet *Baldus in l. comparationes 2. quæſt. C. de fid. inſtrum.*, dixerit comparationem inductam eſſe, vt reprobetur falſitas, non per hoc tollit, quinimmo ex directo infert, quod inducat veritatem. Confirmatur, quia literæ cambij per ea, quæ ſparſim ſupra allegauimus, habent vim publici inſtrumenti *Zabarella conſ. 153. in princip. Rota Genuenſis deciſ. 2. num. 9., Cardinalis Tuſcus concl. 13. nu. 1. in litera C.* ſed comparatio in ſcripturis publicis facit plenam probationem per ea, quæ ſcribit *Baldus in l. comparationes C. de fid. inſtrum. in quarta col. verſ. venio ad quartam quæſtionem, Bartolus in l. admonendi in ſexta col. verſ. circa primam ff. de iure iurando, Alexander conſ. 180., Felinus in cap. ſcripta de fid. inſtrum. in ſeptima declaratione, & in ſpecul. de probationibus §. videndum reſtat verſ. inſtrumentorum, & verb. vlt. nouatione.*

Aduerte tamen hic, quod, quando probatio fit per teſtes notam habentes manum ſcriptoris ex caractheribus, & ſcripturis, ſeu figuris exhibenda ſit 3

ſcriptura integra ſecundum ſe totam, non autem quoad ſubſcriptionem tantum per ea, quæ in Sacro Regio Conſilio anno 1583. die 24. Octobris iudicata fuiſſe ſe referente teſtatur *Vincentius de Franchis deciſ. 304. per totum*, & hoc ad plenius indagandam veritatem. Quando vero probatio fit per comparationem literarum, tunc attendi debeat nedum ſcriptura, ſed etiam ſtilus *Baldus in ſecunda conſtit. Cod. §. cordi, & not. in cap. quam graui, & ibi Abbas de crimine falſi*, item ſigna notulæ, nam in eiſdem ſtat oculus comparantis *Baldus in l. comparationes penul. col. in fin. verſ. item debet fieri comparatio, & in auth., ſed nouo in ſecunda col. in principio verſ. item oportet continere C. ſi certum petatur*.

---

§. XIII.

An recipiens capitale cambij poſt poſitam moram poſſit vlterius petere intereſſe ex tali mora.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis refertur. 1.
Duplex modus agendi, vel iure actionis, vel officio Iudicis mercenario, & quomodo vterque ſe habeat. 2.
Si intereſſe debetur iure actionis recepto capitali poteſt creditor agere ad intereſſe. 3.
Verificatur, quamuis creditor in receptione capitalis nihil proteſtatus fuerit de intereſse. 4.
Si ſit debitum ſolum ex officio Iudicis mercenario recepta ſorte non poteſt agere ad intereſſe. 5.
In hac ſuppoſitione non poteſt agere ad intereſſe, licet proteſtatus fuerit quoad illud. 6.
Senſus Bartoli, eiuſque reiectio. 7.
Si creditor proteſtetur, & debitor taceat, nec expreſsè conſentiat, ceſſat actio ad intereſſe. 8.
Si debitor expreſsè conſentiat proteſtationi creditor poteſt agere ad intereſſe præſcriptis verbis. 9.

1 Disquiſitio XIII. Creditor erat Antonij Titius ex cambio mille aureorum, cumque diu differret ſolutionem, idem Titius egit contrà eundem Antonium adhibito Iudicis miniſterio, & vi talis actionis conſecutus eſt capitale ſibi debitum, quod recepit. Contendebat poſteà agere ad intereſſe etiam ex tali mora. Quæritur modo, quid iuris circà tale intereſſe? Pro quo

Aduerte primò, ex duplici iure 2
poſſe agi ad tale intereſſe, vel iure actionis, quatenus ſcilicet hoc debeatur vigore inſtrumenti ex ſtipulatione, & conuentione ipſorum contrahentium, qui de hoc pacta conuentionalia inierint, vel ex officio Iudicis mercenario propter moram præcisè, vel aliam inobſeruantiam contractus, quatenus creditor implorato eiuſdem Iudicis miniſterio contendat illud intereſſe debere ſibi declarari. Iuxtà intereſſe ex vtroque hoc iure propoſita diſquiſitio erit examinanda, circà quam auctores in diuerſas ſententias abijſſe inuenio, in quorum placitis ſiuè approbandis, ſiuè improbandis infrà immorabor.

Quid ſit ius actionis, & quid officium Iudicis mercenarij.

Aduerte ſecundò, quandò intereſſe non debetur iure actionis, ſed dumtaxat officio Iudicis mercenario propter moram, ſeu aliam inobſeruantiam, vel creditor recipiens capitale ſine intereſſe proteſtatus fuit de iure ſibi reſeruato petendi intereſſe, quod intendebat ſibi ſaluum eſſe, vel nullam habuit proteſtationem de illo, ſed ſimplicitèr recepit capitale ſibi debitum, ſeu adiudicatum. Porro, vel habita tali proteſtatione per creditorem debitor ſoluens capitale acquieuit tali proteſtationi, vel eadem habita abſolutè ab ipſa diſſenſit aliam proteſtationem faciens, quod nolit acquieſcere priori factæ per creditorem. His pro notitia ſuppoſitis

Vel creditor recepit capitale cũ proteſtatione, vel ſine.

Reſpondeo primò, ſi intereſſe debetur iure actionis, poſſe debitorem 3
adhuc recepto per creditorem capitali cogi ad ipſum perſoluendum *Iaſon in l. prima num. 3. C. de iudic. Bartolus in l. final. ſub num. 3. ibi circà quod debes ff. de eo, quod cert. loc. Scaccia in tract. de appell. quæſt. 17. limit. 21. n. 45.* Probatur, intereſſe promiſſum per ſolemnem ſtipulationem per ſolutionem ſortis principalis non extinguitur, ſed de per ſe ſtare, & peti poteſt, ergo ſoluto principali adhuc poteſt debitor cogi ad ſolutionem intereſſe. Antecedens probatur, quià acceſſoria debita ex ſolemni ſtipulatione, conuentione inter partes inita, vtpotè fundata in iure obligationis, de per ſe ſtare poſſunt *l. ſi marito §. fin. ff. ſolut. matrimonio*, ergo etiam de per ſe peti. Confirmatur in expenſis, quæ, ſi ſint promiſſæ per ſtipulationem, de per ſe peti poſſunt *Gloſa in l. 3. §. ſi rem, & ibi Bartolus ff. de legat.*

legat. 3. Gloſa in l. non ſolum in gl. fin. ff. de rei vend. Iaſon in l. prima num. 4. C. de iudicijs, ergo etiam intereſſe conuentum ex ſtipulatione de per ſe ſtare, & peti poterit. Conſequentia probatur, quià tota ratio, cur recepto principali non poſſit de per ſe peti intereſſe, ea eſt, quià acceſſorium de per ſe ſtare non poteſt ſine principali iuxtà textum *in l. cum principalis ff. de reg. iuris, & in l. fin. in fin. ff. de eo, quod certo loco*, ſed etiam expenſæ ſe habent per modum acceſſorij ad principale, ergo, ſi expenſæ de per ſe peti poſſunt, quandò ſunt promiſſæ per ſtipulationem iuxtà allegata iura, etiam de iure de per ſe exigi poterit intereſſe, ſi ſit per eandem ſtipulationem, ſeu conuentionem partium promiſſum, ſeu firmatum.

Eluſio rationis contrariæ, & confirmatio noſtrę.

4 Hic oritur difficultas, an recepto per creditorem debito principali peti poſteà poſſit intereſſe, ſiuè in receptione ipſius principalis creditor proteſtatus fuerit, quod ſaluum ſibi voluerit ius ad intereſſe, ſiuè nihil proteſtatus fuerit, nec expreſſerit. Crediderim, adhuc abſolute peti poſſe, quamuis non fuerit poſita illa proteſtatio. Ratio eſſe poteſt, quia, ſi peti non poteſt, vel quià ius ad illud eſſet extinctum ex neceſſitate iuris, vel ex implicita remiſſione creditoris condonantis, ſed nullo ex ijs iuribus extinctum ſupponitur, non ex neceſſitate iuris, eo quià ex ſuprà allegatis cum extinctione ſortis principalis intereſſe firmatum per ſolemnem ſtipulationem ſecundum ſe ſtare poteſt, & perſeuerare; non ex implicita creditoris remiſſione, quia, ex quo acceſſorium poteſt ſtare ex diſpoſitione iuris ſine principali, non præſumitur ad extinctionem principalis cedere acceſſorio, ſicuti facta condonatione quoad vnum creditum non ſupponitur facta remiſſio quoad alterum, etiam, ſi nulla facta fuerit expreſſa reſeruatio, eo quià vnum de per ſe ſtare poſſit ſine altero.

Intereſſe firmatū per ſolēnem ſtipulationem de per ſe ſtare poteſt.

5 Reſpondeo ſecundò, ſi intereſſe ſit debitum ſolum officio Iudicis mercenario, & ſolutio ſortis principalis facta fuerit creditori recipienti eandem, non poſſe hunc poſteà petere idem intereſſe *Iaſon in l. 1. num. 3. C. de iudicijs Doctores in l. fin. vbi Bartolus nu. 3. Paulus de Caſtro ſub nu. 1., & ſeqq. ff. de eo, quod certo loco. Scaccia tract. de commert. §. 1. quaſt. 7. part. 2. ampl. 8. nu. 229. Alciatus tract. de præſumpt. part. 3. præſumpt. 32. num. 7. tom. 4. fol. 314. Virginius de Bocatijs tract. de interd. vti poſſid. cap. 18. num. 8. verſ. vſuræ non debentur tom. 3. part. 2. fol. 314.* Ratio eſſe poteſt, quià ſublato principali officium mercenarium de per ſe non poteſt *l. 4. cum Gloſa C. depoſiti*, vbi legitur, *quod ſi, cum depoſiti actionem expertus es, tantummodo ſortis facta condemnatio eſt, vltrà non potes propter vſuras experiri* cuius diſpoſitionis ratio immediatè ſubditur; *non enim duæ ſunt actiones, alia ſortis, alia vſurarum, ſed vna; ex qua condemnatione facta iterata actio rei iudicatæ exceptione repellitur*; ex quibus clarè liquet, cur extinguatur actio ad intereſſe, quandò petitur facta ſolutione principalis ex officio Iudicis mercenario, non quandò petitur iure actionis, quamuis petatur poſt ſententiam, qua debitor ſit condemnatus ſimplicitèr ad capitale; clarè, inquam, liquet, quandòquidem actio quoad intereſſe, quod petitur ex officio iudicis mercenario, vt potè quæ fundatur in actione quoad principale, quinimmò debet eſſe vna, & eadem cum actione ad principale, non poteſt eſſe ſine principali, adeòque eodem ſublato principali non eſt, cur per ſe vera actio ad acceſſoria ſubſiſtat; actio autem ad intereſſe iure actionis, vtpotè quæ fundatur in iure obligationis, quæ conſurgit ex ſtipulatione, quod ius non extinguitur per ſolutionem principalis, cum ſit omninò indiſtinctum ab ipſo, non eſt, cur extinguatur ad extinctionem eiuſdem principalis, cum adhuc perſeueret ſubiectum, in quo poteſt radicari, & de facto radicatur.

Sublato principali non eſt cur perſeueret actio ad acceſſoria.

Reſpondeo tertiò. In ſuppoſitione, quod intereſſe peti ſolummodò poſſit officio Iudicis mercenario etiam ſi creditor in receptione ſortis principalis proteſtetur, quod velit ſibi ſaluum eſſe ius ſuum ſuper intereſſe, adhuc non poſſet petere intereſſe *Bartolus in d. l. fin. ff. de eo, quod cert. loc. Flam. Cart. deciſ. 38. quidam petijt num. 12. & ſeqq. & nu. 17. Iaſon in ead. l. fin. ſub num. 4. Scaccia de commert. §. 1. quaſt. 7. part. 2. ampliat. 8. num. 300.* Probatur primò, quia proteſtatio ſuper his, quæ dependet à iuris neceſſitate, non a voluntate proteſtantis, non releuat proteſtantem *Gloſa, Bartolus, & Baldus in l. alimenta ad fin. C. de negot. geſtis Bartolus in l. Neſennius ff. eod. tit. in ſecunda col. in principio l. cum oportet §. cum autem, & ibi Baldus C. de bon. quæ lib. in verb. nota quod illud*, ſed proteſtatio facta per creditorem in receptione ſortis principalis, quod velit ſibi ſaluum eſſe ius ad intereſſe eſt ſuper his, quæ dependent a neceſſitate 6

Proteſtatio in iſs, quæ depēdeat à iuris n[...] ceſſi[...]

 iuris

iuris *Bartolus in l. fin. in fin. ff. de eo, quod certo loco, textus in l. centum capuæ ff. eod. tit. in l. 4. C. depoſiti*, vbi dicitur, quod perditur ex neceſſitate, quià, cum ſit officium Iudicis mercenarium, non poteſt ſubſiſtere principali actione ſublata iuxtà textum *in pracit. l. 4. cum gloſ. C. depoſiti*.

7 Neque audiendus eſt hic *Bartolus*, qui *ead. l. fin. ff. de eo, quod certo loco* diſtinctione hac in re procedit; vel enim, aſſerit, creditor recipiens expreſsè liberauit ſoluentem à ſorte proteſtando, quod ſibi ſaluum remaneat ius petendi intereſſe, vel non liberauit, ſed ſimplicitèr ſortem recepit cum illa proteſtatione; ſi primum; concedit, quod creditor per illam proteſtationem non poſſit ſibi conſeruare ius ad illud intereſſe propter rationem ſuperius adductam, quià ſcilicet extinctio actionis ad intereſſe in hac ſuppoſitione oritur ex neceſſitate per ius inducta, non ex tacito conſenſu creditoris; ſi ſecundum; aſſerit, quod re vera illud ius ſibi conſeruet, eo quià non ſupponitur conſenſus creditoris, qui per conſequens docet, quod non videatur debitor liberatus à ſorte, ſed remanet petitio ſortis propter intereſſe eo modo, quo dicemus in ſubſequenti §. quandò ſolutio ſortis non fit principali creditori, ſed adiecto; Non, inquam, audiendus eſt, quandòquidem per talem receptionem ſortis principalis præcisè actio ad illam abſolutè extinguitur, & per conſequens non poteſt perſeuerare actio ad intereſſe propter textum ſuprà allegatum *in l. 4. C. depoſiti*, ſicque ſiuè creditor expreſsè liberet à ſorte, ſiuè præcisè recipiat ſortem nullo facto verbo de liberatione, ſemper actio ad intereſſe diſſoluitur, cum non dependeat à conſenſu, ſed ex neceſſaria iuris diſpoſitione. Ad id, quod dicitur de ſolutione principalis ſortis facta adiecto patebit infra in ſubſequenti diſquiſitione, quid ſit reſpondendum

Diſtinctio Bartoli, eiuſque reiectio.

Hic oritur difficultas, an, ſi creditor in receptione ſortis principalis proteſtetur, quod velit ſibi ſaluum eſſe ius ad intereſſe, & debitor ſoluens acquieſcat huic proteſtationi, ſeu eidem conſentiat, poſſit eidem creditori competere actio ad intereſſe. Circà quam difficultatem *Paulus de Caſtro in d. l. fin. & Iaſon ſub num. 5. ibi in alio caſu quandò debitor ff. de eo, quod cert. loc.* docent, creditori competere actionem ad intereſse non vigore Iudicis officij, vel primæ actionis ſublatæ, ſed noua actione præſcriptis verbis prouueniente ex contractu quodam innominato tempore ſolutionis celebrato, quo creditor conuenit cum debitore hoc pacto *libero te à ſorte principali, vt ſoluas mihi poſteà intereſſe*. Quid enim aliud eſt conſentire proteſtationi, qua vult creditor ſibi ſaluum ius ad intereſse, niſi conſentire ſolutioni intereſse, vt liberetur à ſorte principali? Sed abſolutè diſtinguendum exiſtimo, vel enim debitor 8
ſimplicitèr acquieſcit proteſtationi factæ per creditorem tacendo, vel poſitiuè per promiſſionem externam conſentiendo; ſi primum, certè non obligatur ad illud intereſse ex vi illius contractus innominati, quià taciturnitas in ijs, in quibus requiritur expreſsè conſenſus, non habetur pro conſenſu *Bartolus, & Ludouicus Romanus in l. quæ dotis ff. ſoluto matrimonio, textus in l. 2. §. fin. ff. eod.*, & tacens non videtur conſentire in ijs, quæ ad ipſius commodum non tendunt *l. ſi quidem ff. de except., Baldus in l. Caius ff. de excuſ. tut., Angelus in l. ſi cum dos in princip. ff. de act. rer. amot., & in l. ſi ex pluribus in fin. ff. de ſolut., Alexander in l. 3. col. prima C. de repud. hæred.*, ſed in contractibus ſiuè nominatis, ſiuè innominatis, cum ſint vltro, citroque obligatorij, requiritur expreſsè vtriuſque contrahentis conſenſus, cum hic det formam contractui, ergo &c. Neque obſtare poteſt *Gloſ. in l. ſi fideiuſſor in verbo recuſare, vbi Iacob à Sancto Georgio ff. qui ſatiſd. cog.*, vbi dicitur, quod tacens proteſtationi ſibi factæ acquieſcere videatur, nec item textus *in l. fideiuſſor §. pater Seij ff. de pignor., & in l. Caius ff. de pignor. act.*, vbi dicitur, quod taciturnitas eius, cuius neceſſarius eſt conſenſus ad perficiendum contractum, quia de ipſius intereſſe agitur, ſi contradicendo actū impedire potuit, pro conſenſu habetur, ſed in hypotheſi, in qua hic loquimur, debitor contradicendo actum impedire potuit, ergo ipſius taciturnitas pro conſenſu cenſeri debet; non, inquam, obſtare poteſt, quia tacendo proteſtationi ſibi factæ non videtur annuere, ſed cenſendus eſt ſe remittere diſpoſitioni iuris, nam non tenetur loqui, dum ius pro ipſo loquitur, nec ceſſioni iuris communis videtur ſufficere tacitus conſenſus, ſed requiritur omnino expreſſus cum omnibus clauſulis &c.

Tacens nō videtur conſentire in ijs, quæ ad ipſius commodum non tendunt.

Tacens videtur ſe remittere diſpoſitioni iuris.

Si ſecundum afferatur, ideſt ſupponatur, quod creditor acquieuerit proteſtationi per expreſſum conſenſum, & tunc crederem competere creditori actionem ad intereſſe recepta ſolutione 9

ſor-

Digitized by Google

ſortis principalis propter rationes, quas ſupra afferebat *Paulus de Caſtro* fundatas in illa actione præſcriptis verbis prouueniente ex illo contractu innominato, in quem expreſsè conſenſit idem debitor conſentiendo illi creditoris proteſtationi.

Poteſt agere actione præſcriptis verbis.

---

§. XIV.

An, ſi ſolutio principalis ſortis facta fuerit non ipſi creditori, ſed alteri adiecto, præiudicet eidem creditori quoad intereſſe.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus huius difficultatis in ſuis terminis. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Poteſt creditor agere ad intereſſe non ſimplicitèr, ſed agendo etiam ad ſortem non ad finem eam conſequendi, ſed intereſſe propter ipſam. 3.
Soluitur ratio dubitandi ſupra propoſita. 4.
Quæ dicta ſunt valent etiam, ſi ſolutio facta fuerit adiecto in loco determinato. 5.
In hypotheſi, quod creditor ex ſolutione facta adiecto in alio loco paſſus ſit damnum, poteſt agere ad illud. 6.

1 DIſquiſitio XIV. Iuxta terminos præcedentis diſquiſitionis Antonius debitor Titij illorum mille aureorum poſt tempus ad ſolutionem deſtinatum eoſdem ſoluit non immediatè eidem Titio, ſed alteri adiecto ſolutioni, qui nulla facta proteſtatione eoſdem recepit. Contendebat poſtea idem Titius non obſtante tali ſolutione, & receptione facta per adiectum agere contra debitorem ad intereſſe implorato Iudicis officio mercenario. Quæritur, quid iuris in hoc caſu.

2 Ratio dubitandi potiſſimum deducitur ex ijs, quæ ſupra dicebantur, quod nempè in ijs, quæ peti poſſunt officio Iudicis mercenario, actio ad intereſſe ſit indiſtincta ab actione ad ſortem, & quod proindè extincta actione ad ſortem per actualem ſolutionem non poſſit experiri actio ad intereſſe iuxta allegata iura. Cum igitur per ſolutionem quamuis factam adiecto intelligatur ſublata actio ad ſortem, non videtur per conſequens poſſe ſubſiſtere actio ad idem intereſſe. Nihilominus

3 Reſpondeo, poſſe creditorem agere ad intereſſe non ſimplicitèr, ſed agendo etiam ad ſortem, non ad finem eam conſequendi, ſed intereſſe propter ipſam, *Bartolus in l. vltima ff. de eo, quod cert. loc., Scaccia de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampl.* 8. *num.* 308. Colligitur ex textu *in l. non vtique §. item Iulianus ff. de eo, quod cert. loco*, & vlterius ſic

Probatur. Ignorans læſus per aliquam actionem, ad quam ipſe non concurrit, in aliquo iure poteſt iuſtè implorato Iudicis auxilio petere reſtitutionem in integrum iuxta textum *in l. fin. §. Lucius, & ibi Gloſa Magiſt., & Bartolus ff. de condit. indeb.*, ſed poſita reſtitutione in integrum reuiuiſcit nedum actio ad intereſſe, ſed etiam ad ſortem, non quidem ad finem eam conſequendi, ſed dumtaxat acquirendi propter ipſam intereſſe, ergo &c. Minor probatur, quia reſtitutio in integrum renouat omnia primæua iura, licet poſtea, ſi aliqua fuerunt diſſoluta, ſint compenſanda. Neque dicas, hoc non eſſe conſequi officio Iudicis mercenario, ſed officio Iudicis nobili per ea, quæ ſcribit *Iaſon in l. prima C. de Iudicijs* iuxta textum *in d. l. fin. §. Lucius ff. de condit. indeb.*, cum potiſſimum tunc officium tale ſuccedat loco actionis *l. quod ſi minor §. fin. ff. de min. Gloſ. in l. 4. C. depoſiti*; contra enim impugnaberis, quia, quamuis reſtitutio in integrum ſit ex officio Iudicis nobili, actio tamen, quæ poſtea conſurget facta illa in integrum reſtitutione in ordine ad intereſſe, eſſet ex officio Iudicis mercenario; non enim ſtatim ac poſita eſt illa reſtitutio, debetur illud intereſſe, ſed petendum eſt ſimul cum ſorte.

Læſus ignorans & non concurrens per conſenſū poteſt petere reſtitutionem in integrum.

Reſtitutio in integrum renouat omnia primæua iura.

Probatur ſecundo, quia, ſi ſolutio ſortis principalis facta fuerit ipſi creditori ignoranti, ſeu non ſcienti, remanet adhuc petitio intereſſe, ſeu actio prima, vel actio de dolo, vel actio in factum per ea, quæ ſcribit *Bartolus in l. vltima ff. de eo, quod certo loco* iuxta textum *in l. 3. §. ſi reddita ff. commod., & in l. & eleganter §. non ſolum ff. de donat. inter vir., & vxor.*, ergo etiam eidem creditori competent huiuſmodi actiones ad intereſſe, ſi ſolutio ſortis principalis facta fuerit, non eidem creditori, ſed alteri adiecto ſolutioni. Conſequentia probatur; tum quia fortior eſt præſumptio ignorantiæ, quando ſolutio fit alteri ab ipſo creditore, ac quando fit eidem; tum quia, alter adiectus ſolutioni non poteſt præiudicare ipſi creditori principali, ſicuti ſibi ipſi.

Fortior eſt præſumptio ignorantiæ, quando ſolutio fit alteri à creditori.

Ad

Ad rationem dubitandi, quæ ſupra
4 afferebatur, patet, quid ſit reſpondendum ex dictis; non enim eſt petitio intereſſe ſimplicitèr, ſed petitio ſortis propter intereſſe, vndè merito dicit *Scaccia tract. de commert.* §. 1. *quæſt.* 7. *part.* 2. *ampliat.* 8. *num.* 308., quod in caſu, quo ſors ſoluta eſt adiecto, debeat creditor, quaſi ſoluta non ſit ſors, petere denuo ſortem integram, & intereſſe, ſed in effectu debet conſequi ſolum intereſſe, ne duplicem recipiat ſolutionem.

Hic pro complemento nonnulla dubia excitantur, quæ breuitèr expendo. Primum eſt, an hæc, quæ dicta fuerunt in ſolutione facta adiecto, tantum valeant, quando eadem ſolutio facta fuit eidem adiecto in alio loco à deſtinato ad ſolutionem, an vero etiam quando in eodem loco. Secundum eſt, an, in ſuppoſitione, quod facta fuerit in alio loco ſolutio adiecto, & ob hoc creditor paſſus fuerit intereſſe, intelligatur debitor non ſolum liberatus à ſorte, ſed etiam ab illo ſpeciali intereſſe, quod paſſus eſt creditor ex eo, quod ſolutio facta fuerit alibi.

Duplex ratio dubitandi proponitur.

5 Ad primum reſpondeo in ordine ad intereſſe ex mora per officium Iudicis mercenarium, quæ dicta ſunt valere, etiam ſi ſolutio facta fuerit in eodem loco deſtinato ad ſolutionem. Ratio eſt, quia fundamentum exigendi illud intereſſe per officium Iudicis mercenarium eſt ex dilatione temporis in ſoluendo, non ex diuerſitate loci, in quo ſoluitur, ſed hęc mora interuenit, etiam ſi ſolutio fiat adiecto in eodem loco, ergo &c. Confirmatur, quia, ſi fiat ſolutio, ſeu intendatur fieri poſt moram eidem creditori principali in eodem loco poteſt officio Iudicis mercenario petere non ſolum ſortem, ſed etiam intereſſe, ergo etiam, ſi facta fuerit ſolutio adiecto in eodem loco, poterit creditor agere ad intereſſe, agendo tamen ſimul ad ſortem propter idem intereſſe; dato enim ſemel, quod ſolutio facta adiecto non demat ius creditoris ad agendum modo, quo ſupra dictum eſt, cum in primæuis iuribus conſtituatur, non eſt, cur non poſſit agere, ac ſi non facta eſſet ſolutio in ordine ad conſequendum intereſſe, &, ſi quando per ſe primo agit ad ſolutionem, poteſt ſimul petere intereſſe, cur etiam non poterit ſimul petere poſt ſolutionem factam adiecto, ſi eidem poſt illam ex allegatis rationibus competit actio ad idem intereſſe?

Ius exigendi eſt dilatione temporis non ex diuerſitate loci.

6 Ad ſecundum dico, quod in ſuppoſitione, quod ex ſolutione facta adiecto in alio loco creditor paſſus fuerit aliquod intereſſe, poſſit adhuc extincta ſorte illud petere *l. 3. non vtique §. item Iulianus, & ibi Bartolus, Paulus de Caſtro, & Iaſon ff. de eo, quod cert. loc.*, & hoc non ſolum modo, quo ſupra, ſed etiam iure æquiualenti iuri actionis, quandoquidem debitor cõtraueniendo conuentioni de ſolutione facienda in tali loco in cauſa eſt talis intereſſe, quod creditor patitur, adeoque ex tali actione tenetur compenſare.

---

§. XV.

An recepta per creditorem ſolutione capitalis pro parte videatur remiſſum intereſſe proportionatum pro tali parte.

SVMMARIVM.

Explicatur ſtatus difficultatis in terminis particularibus. 1.

Probabilius eſt, per receptionem partis capitalis ſine vlla reſeruatione remiſſum cenſeri etiam quoad præterita ius ad intereſſe proportionatum pro tali parte. 2.

Obiectum aduerſus reſponſionem, eiuſque ſolutio. 3.

Si pars ſoluta recepta fuerit ſine expreſſione, vel pro ſorte, vel pro intereſse probabilius computari debet pro intereſſe. 4.

Diſquiſitio XV. Elapſo termino ſolutionis ſortis principalis iuxta 1 modos expoſitos in præcedentibus diſquiſitionibus Antonius partem eiuſdẽ ſortis principalis ſoluit Titio creditori, quam ipſe recepit nullo facto verbo de remiſſione intereſſe ſiuè pro toto, ſiuè pro parte. Dum deinde Antonius intenderet ſoluere reliquum capitalis contendebat Titius agere ad totum intereſſe officio Iudicis mercenario ob morã interpoſitam in ſoluendo, & non ſolum pro intereſſe proportionato ad illam partẽ ſortis, quæ nondum fuerat ſoluta. Excipiebat vero Antonius fretus diſpoſitione iuris *in l. 4. cum Gloſa C. depoſiti*, quod, ſicuti facta integra ſolutione ſortis principalis tollitur actio ad intereſse quoad totum, ità poſita ſolutione eiuſdem ſortis quoad partem, quoad eandem partem proportionatam intelligatur etiam dempta actio quoad intereſse, quià, ſicuti ſe habet totum ad totum, ità pars ad par-

partem. Quæritur iam quid iuris quoad hoc? Indubitatum eſt, quod intereſſe pro illa parte capitalis iam ſoluta non poſſit exigi pro tempore, quod fuit interpoſitum inter ſolutionem eiuſdem, & ſolutionem reliquæ partis, quandòquidem, vt aſſerit *Gloſa in l. in executione §. item ſi ità ſtipulatio, verbo prodeſt ff. de verb. obligat.* iniquum eſſet pro tali tempore, & partem capitalis poſſidere, & pœnam exigere. Tota igitur difficultas reducitur ad intereſſe pro illa parte capitalis pro illo tempore antecedenti, pro quo nundum fuerat perſoluta.

Proponit hanc difficultatem *Bartolus in l. fin. in margine ff. de eo, quod certo loc.* illis verbis, *vtrum accipiendæ partim videatur remiſſum pro parte*, vbi pro ſolutione remittit Lectorem ad textum *in d. l. in executione §. penul. ff. de verb. obligationibus*, & ad textum *in l. 2. in princip. ff. ſi quis caution.* nihilque in hoc caſu particulari concludit. Verum textus *in d. l. in executione* non videtur congruè accomodari ſenſui noſtrę propoſitionis, nec item *in d. l. 2.* quandòquidem primus loquitur in caſu ſtipulationis, & ſecundus in caſu tranſactionis; in noſtro autem caſu quoad intereſſe nec ſtipulatio præceſſit, nec facta fuit tranſactio. Quamobrem

2 Reſpondeo, probabilius eſſe in terminis, iuxtà quos procedit diſquiſitio, per receptionem partis capitalis ſine vlla reſeruatione remiſſum cenſeri etiam quoad præterita ius ad intereſſe proportionatum pro tali parte. Ratio eſſe poteſt primo ea, quæ afferebatur in fauorem Antonij, nam quod iuris eſt in toto quoad totum, idem in parte quoad partem per textum *in l. qui ſcit in principio ff. de vſuris*, ergo, ſicuti per ſolutionem totius capitalis debitor liberatur ab onere totius intereſſe, ità per ſolutionem partis eiuſdem liberari cenſendus eſt a parte oneris quo ad idem intereſſe, nam, ſicuti in ſolutione totius capitalis actio ad intereſſe quoad totum de per ſe ſtare non poteſt, quià actio ad intereſſe eſt indiſtincta ab actione ſortis, vt ſuprà probabamus *ex l. 4. C. depoſiti*, ita in ſolutione partis eiuſdem capitalis actio ad intereſſe quoad partem de per ſe ſtare non poteſt ſine actione quoad partem ſortis eidem correſpondentem, nam actio quoad intereſſe ſemper cum proportione ſumpta ità eſt indiſtincta ab actione quoad ſortem, vt ſecundum proportionem cum illa tranſeat.

Quod iuris eſt in toto quoad totum idem eſt in parte quoad partem.

3 Quod, ſi dixeris, quod in extinctione actionis ad totam ſortem extinguatur actio ad intereſſe, quià non eſt ſubiectum, in quo fundetur talis actio ad idem intereſſe, in extinctione autem actionis quoad partem capitalis nihil actionis extinguatur quoad intereſſe, cum hæc poſſit ſubſiſtere in illa parte actionis quoad ſortem, quæ remanet perſoluenda, præcipuè, cum in ſolutione debitorum creditor non pręſumatur ſua iura dimittere, niſi vſque ad poſitum vltimum complementum, &, ſi quid recipit, recipere indiſcriminatim ſiuè ad rationem ſortis, ſiuè ad computum intereſſe; Si, inquam, hæc dixeris, ſtatim impugnaberis, nam ex eadem ratione, qua tu aſſeris extincta actione ad totam ſortem extingui actionem ad intereſſe, quià hæc actio non poteſt eſſe ſine ſubiecto, & ego aſſero, quod extincta actione ad partem capitalis intelligatur extincta actio ad proportionatam partem intereſſe pro illa; neque enim actio ad totum intereſſe poteſt ſufficientèr fundari in parte capitalis, &, cum creditor liberet à parte capitalis, videtur proportionalitèr liberare à parte intereſſe.

Actio ad totū intereſſe non poteſt fundari in ſola parte capitalis.

Aduerte tamen, quod, ſi creditor receperit illam partem, neque ſpeciatim ad computum ſortis, neque ſpeciatim ad computum intereſſe, ſed indiſcriminatim ſine expreſſione vnius, vel alterius, tunc videatur eſſe potior ratio dubitandi, an illa pars ſit accipienda ad computum ſortis, an verò ſaltem ad ratam ad rationem intereſſe. Qua in re crediderim, præſumendum eſſe, acceptum computandum eſſe primo pro intereſſe ad ratam, & quod reliquum eſt ab eodem intereſſe accipiendum eſſe in ſortem, cuius ratio eſt, quià regularitèr in ſolutione debitorum præſumitur prius ſolui intereſſe, quam capitale, & in dubio, an ſolutio facta ſit pro vno, vel pro altero, quandò non ſufficit pro vtroque, præſumitur facta pro intereſſe, & acceptata pro iure eiuſdem; neque dicas, hæc valere, quandò intereſſe debetur iure actionis, non autem quandò officio Iudicis mercenario, quandòquidem hoc non debetur, niſi poſt ſententiam declaratoriam eiuſdem Iudicis; contrà enim impugnaberis, quià, quamuis non debeatur huiuſmodi intereſſe, niſi poſt Iudicis ſententiam, quia tamen receptum eſt, neque ſub ratione ſortis determinatè, nec ſub ratione intereſſe, hinc eſt, quod dum modo creditor contendit agere ad ſortem, & velle vt ſolutum declaretur 4

In ſolutione debitorum prçſumitur prius ſolui intereſſe.

ad

Digitized by Google

ad proportionem pro intereſſe, incipiat poſt declarationem illud habere rationem intereſſe, quod prius fuerat quodammodò receptum in vago ea proportionali ratione, qua, quando creditor recepit quidquam ad computum crediti ſine expreſſione, an ad computum ſortis, vel ad rationem intereſſe ſibi debiti, poteſt in iudicio velle, vt illud declaretur pro intereſſe ex ſuppoſitione, quod illud ſibi debeatur. Cum igitur in illa receptione, de qua modo agimus, non ſe reſtrinxerit creditor, vel ad ſortem, vel ad intereſse, nec ceſſerit iuri ſuo quoad idem intereſse, hinc videtur, poſſe iuſte agere, vt illud, quod recepit, ſaltem ad proportionem declaretur pro intereſse. Hoc, quod ego nunc dico, exiſtimo, illud idem eſſe, quod docuit *Bartolus in l. fin. ff. de eo, quod certo loco*, dum dixit, quod creditor recipiendo, vel liberauit ſoluentem a ſorte, vel ſimpliciter ſortem ſolutam recepit; in primo caſu aſſeruit, quod ceſſet actio ad intereſse, quia hæc ſtare non poteſt ſine actione ad ſortem; in ſecundo autem docuit, quod poſſit eſſe actio ad intereſse ſaltem indirectè, quatenus poteſt eſſe actio ad ſortem propter idem intereſſe, quæ certe, ſi militant quoad totum, non video, cur militare non poſſunt quoad partem, præcipuè cum illa pars magis cadere poſſit ſub dubio, an data fuerit pro ſorte, an pro intereſse; Neque dictis aduerſari poteſt, quod aſſerit *Scaccia de commerc. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampl.* 8. nihil ſcilicet referre, quod expreſsè liberauerit a ſorte, vel receperit præciſe ſortem ſolutam nullo facto verbo de liberatione, quandòquidem ipſa ſolutio, & receptio ipſo iure habent vim liberationis; non, inquam, aduerſari poteſt, nam verum quidem eſt, quod ſolutio, & receptio habeat vim ſecundum ſe liberationis, quando eadem reſpiciunt præciſe ius ad aliquod determinatum, quæque ſupra aliud cadere non poſſunt, niſi ſupra ipſum; hic autem eadem ſolutio, & receptio in dubio eſt, an cadant ſupra ſortem, an ſupra intereſse, adeòque non poſſunt habere vim liberationis, niſi, vel fuerit expreſſum, vel declaretur per iudicem.

Ipſa ſolutio, & receptio ipſo iure habet vim liberationis.

Actio ad intereſſe per ſolutionem ſortis ceſſet ex neceſſitate iuris.

Ratio eſſe poteſt ſecundò, quià, quod actio ad intereſse per ſolutionem ſortis per creditorem receptæ ceſſet, non eſt ratione tacitæ voluntatis, aut implicitæ remiſſionis creditoris, ſed ex diſpoſitione, & neceſſitate iuris, ſed quod per ius diſponitur indefinitè, & abſolutè æquè intelligi debet de toto in ordine ad totum, & de parte in ordine ad partem, nec reſtringi debet ex beneplacito creditoris ex eo, quod velit, quod actio ad partem intereſse correſpondentem parti ſortis ſolutæ radicetur in altera parte ſortis nondum ſolutæ, ergo &c. Maior liquet ex ſuperius dictis. Minor probatur, quia contrahentes non habent ius quoad ea, in quibus non conuenerunt, diſponendi diuerſimodè, ac ſint à iure diſpoſita, cum non pendeant ab ipſorum arbitrio, ergo, cum ius diſponat indefinitè, & abſolutè, nec reſtrictiuè ad totum quoad totum, non poterit &c.

Dices, iura ſaltem illatiuè diſponere, quod in ijs, quæ ſe habent per modum penæ, ille, qui ſatisfacit pro parte, & non pro altera, recidat in pænam quoad totum, vt præcipuè habetur *in d. l. in executione §. vlt. ff. de verb. oblig.* vbi legitur, quod ſi ita ſtipulatio facta ſit. *Si fundus Titianus datus non erit, dari centum? niſi totus fundus detur, pæna committitur centum*, ergo etiam qui pro parte ſoluit capitale, & non pro altera parte ſaltem quoad præterita poterit obligari ad intereſse pro toto, cum hoc computetur etiam pro pæna; nec obſtare poteſt, quod illa pæna, de qua *in d. l. in conuentione* ſit per modum ſtipulationis, non ſic iſta, de qua loquimur; non, inquam, obſtare poteſt, nam ſtipulatio facit quidem, quod illa pæna, cum ſit conuentionalis, debeatur independentèr a miniſterio Iudicis, non autem facit, quod debeatur in totum, ſi pro parte tantum deliquit; erit igitur pæna in totum ex ipſa natura non ſatisfactionis quoad totum, ſiue illa pæna debeatur ex iure actionis, ſeu ſtipulationis, ſiuè ex officio Iudicis mercenario. Confirmatur ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus IV. de Emphytheuſi, & cenſibus Prænot.* 7. nempe emphytheutam per ſolutionem partis canonis ſolummodò, & non totius recidere in commiſſum quoad totum, & item per alienationem partis fundi emphytheutici irrequiſito proprietario cadere in toto, ergo &c. Sed contra omnino diſpar ratio in huiuſmodi iuribus allegatis pro ſtipulatione fundi ſub pæna, & pro emphytheuſi, ac in iuribus pro ſtatu præſentis diſquiſitionis. Ratio diſparitatis in eo potiſſimum ſita eſt, quod ſtipulatio quoad illam pænam, & ius em-

phy-

Inſtantia aduerſus propoſita, eiuſq; ſolutio.

Stipulatio quoad pænam, & ius emphitheaticum indiuidua ſunt

phytheuticum omninò indiuidua ſunt, non ſumpta indiuidua actione ex eo, quod ſecundum ſe partes fundi non poſſint ſeparari, & vna ſeparatim aſſignata ab altera, vt bene notat textus *in d. l. in conuentione §. pen. ff. de verb. oblig.* illis verbis, *nec prodeſt partes fundi poſſe dari ceſſante vna, quemadmodum non prodeſt ad pignus liberandum partem creditori ſoluere*, ſed ex natura ipſa ſtipulationis, quæ ſecundum ſe indiuidua eſt; vndè bene aſſerit *Bartolus in d. l. in conuentione*, quod ſtipulatio pænalis adiecta obligationi dandi etiam certæ ſpeciei pro ſolido committatur, niſi ſolidum detur; actio autem ex mercenario Iudicis officio, cum attingat ſolummodo quantitatem debitam, quæ antè idem Iudicis officium, iam erat ſeparata ab altera parte, quæ antecedentèr fuerat ſoluta, non poteſt extendi ad totum, quinimmò comparatiuè ad iam ſolutum, & receptum omninò diuidua eſt, adeòque &c.

§. XVI.

An data ſententia condemnatoria ad ſortem omiſſo intereſſe poſſit etiam creditor agere ad idem intereſſe, & quomodò.

SVMMARIVM.

Elucidatur ſtatus præſentis difficultatis. 1.
Nonnulla notabilia circà propoſitum titulum. 2.
Si creditor lat. ſententia condemnatoria quoad ſortem omiſſo intereſſe eandem ſortem receperit nullo ſibi iure expreſsè reſeruato agendi ad intereſſe, non poteſt amplius agere ad idem. 3.
Si noluerit ſortem excipere poterit ad idem intereſſe agere. Ibid.
Ex ſuppoſitione, quod poſt ſententiam ſortem receperit, & proteſtatus fuerit de iure ad intereſſe, non poterit agere ad idem, ſi debitor proteſtationi non conſenſerit. 4.
Ex ſuppoſitione, quod creditor non acquieuerit ſententiæ quoad ſortem non poteſt amplius agere coram eodem Iudice quoad intereſſe. 5.
Excipe, niſi Iudex reſeruauerit ſibi ius iudicandi quoad acceſſoria. Ibid.
Iudex appellationis poteſt, & congruentius debet cognoſcere, & ſuper principali, & ſuper intereſſe. 6.

1 Diſquiſitio XVI. Egit Titius creditor contra Antonium debitorem coram Iudice non ſolum pro conſequenda ſorte principali, ſed etiam pro intereſſe ex officio ipſius Mercenario. Per Iudicem lata eſt ſententia condemnatoria contra Antonium pro ſorte principali, ſed pro intereſſe nihil expreſsè in eadem ſententia dictum fuit. Quæritur iam, vtrum iterum poſſit agere ad tale intereſſe, & quomodò. Pro claritate.

Nonnulla ſunt præponderanda, & primò, an creditor lata ſententia condemnatoria quoad ſortem eandem ſortem ex vi ipſius receperit, an verò ſortem non receperit, ſed poſt ſententiam reclamauerit. Secundò ex ſuppoſitione, quod poſt ſententiam ſortem receperit, an proteſtatus fuerit, quod illam receperit, ſeu recipiat ſine læſione ſuorum iurium in ordine ad conſequendum etiam intereſſe, an verò nihil penitus de hoc dixerit. Tertio, ex ſuppoſitione, quod non acquieuerit ſententiæ condemnatoriæ, & poſſit agere etiam ad intereſſe, an poſſit intentare actionem coram eodem Iudice, an verò ſolummodò coram Iudice appellationis. Quarto, an Iudex appellationis, ſi coram ipſo agatur, poſſit cognoſcere ſuper acceſſorio præcisè firma manente ſententia Iudicis à quo quoad principale, an verò poſſit, & teneatur cognoſcere ſuper acceſſorio, & principali ſimul. Iuxtà has omnes acceptiones examinabitur. 2

Reſpondeo primò, ſi creditor lata ſententia condemnatoria quoad ſortem ommiſso intereſse eandem ſortem receperit nullo ſibi iure expreſsè reſeruato agendi ad intereſse, non poterit amplius agere ad idem intereſse; ſi verò noluerit ſortem recipere, poterit ad idem intereſse agere. Prima pars eſt *Baldi conſil. 166. ſtatuto quæſt. 3. lib. 1., Pauli de Caſtro in l. 4. C. depoſiti. Rota Genuenſis deciſ. 87., Ioannes Stephanus n. 5. Scaccia de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampl. 8. nu. 309.* Secunda pars eſt eorundem, & vlterius *Bartoli in d. l. fin., & Alexandri in add. ad eum num. 2., & 3. verſ. vltimò oppono ff. de eo, quod certo loco.* 3

Probatur eadem prima pars primo; per receptionem ſortis principalis independenter à ſententia Iudicis condemnatoria factam per creditorem ſine vlla reſeruatione liberatur abſolutè debitor tàm à ſorte principali, quàm ab intereſse, quod poſset eſse debitum ſine tali receptione officio Iudicis mercenario per ea, quæ ſuprà diximus iuxtà *d. l. 4. C. depoſiti*, ergo

Digitized by Google

etiam per receptionem eiuſdem ſortis principalis poſt ſententiam condemnatoriam quoad ſortem principalem omiſso in eadem ſententia intereſse liberari abſolutè cenſendus erit debitor tàm à ſorte principali, quàm ab intereſse. Conſequentia probatur, quià ſententia Iudicis condemnatoria quoad ſortem non confert maius ius creditori in ordine ad intereſse, quinimmo, cum Iudex in cognitione, & definitione cauſæ de ipſo nihil egerit, videtur debitorem ab onere eiuſdem ſaltem implicitè abſoluiſse, & ſi etiam poſitiuè non abſolueret, ſaltem, vt aſſerebam, maius ius non adderet, ſed ſolum relinqueret creditorem in eo iure, in quo prius erat ante talem ſententiam condemnatoriam, ſed recipiendo ſortem ante illam liberat debitorem etiam ab onere intereſse, ergo &c.

Sententia Iudicis condemnatoria quoad ſortem non confert maius ius ad intereſſe.

Probatur eadem ſecunda pars ſecundò, quià per talem ſententiam cõdemnatoriam debitoris quoad ſortem non tollitur, quin creditor poſſit iterum agere actione prima, ſi talem ſententiam non acceptarit, ergo, ſi noluerit ſortem recipere, poterit iterum agere tàm pro ſorte, quàm pro intereſſe. Antecedens probatur, quià, cum ſibi ſuadeat per talem ſententiam, ſe eſse læſum, poteſt ab eadem appellare, ergo non tollitur, quin poſſit iterum agere. Conſequentia probatur, quià per appellationem extinguitur pronuntiatum, quatenus reſpicit præſens, & ſuſpendit, quatenus reſpicit futurũ *Baldus in l. tale §. qui pronocauit in repe. ff. de pactis. Alexander conſ. 35. part. 4.* & ſententia reſcinditur, & res reducitur ad ſtatum, in quo prius erat ante eandem ſententiam, ergo, ſi noluerit ſortem recipere, poterit iterum per viam appellationis agere tam pro ſorte, quam pro intereſse non minus ac poterat agere ante eandem ſententiam declaratoriam.

Creditor poteſt iterum agere actione prima

4 Reſpondeo ſecundò, ex ſuppoſitione, quod poſt ſententiam declaratoriam ſortem receperit, ſed vel ante, vel ipſa in actuali receptione proteſtatus fuerit de iure ſibi reſeruato ad agendum iterum ad intereſse, non acquieſcente debitore tali proteſtationi non poteſt iterum creditor agere ad tale intereſse, ſi verò poſitiuè acquieuerit, & conſenſerit poteſt agere non ex vi primæ actionis, ſed actione præſcriptis verbis proueniente ex illo contractu innominato, de quo ſuprà. *Scaccia de commerc. §. 1. quæſt. 7. part. 2. ampl. 8. num. 311. verſ. declara limitando, & verſ. ſi hac declaratio.*

Probatur prima pars ex dictis ſuperius, quià quod extincta actione ad ſortem principalem extinguatur actio ad intereſse, quandò peti poteſt ſolummodò officio iudicis mercenario, non pendet ex ſola voluntate creditoris, ſed ex neceſſitate iuris, ergo quamuis creditor proteſtetur velle ſibi ſaluũ eſse ius ad agendum etiam poſt ſententiam condemnatoriam, ſi debitor non annuat, ſed expreſsè contradicat, non poterit adhuc agere ad idem intereſse. Antecedens patet ex ſupra dictis. Conſequentia probatur, quià ex vno capite, vt ſupra dicebam, ſententia condemnatoria quoad ſortem non tribuit maius ius creditori quoad intereſse, ac prius habebat, ergo ſi ante talem ſententiam, quamuis poſita illa proteſtatione, dummodò tamen debitor illi non conſenſerit, non poteſt creditor, qui ſortem principalem recepit, agere poſteà ad intereſse, nec poterit ſtantibus eiſdem conditionibus agere ad tale intereſse; ex alio capite, ſi poſita tali ſententia condemnatoria, & receptione ſortis ſimul cum illa proteſtatione non acceptata poſset agere, vel ageret actione præſcriptis verbis, & hoc non, quia ſine conſenſu eſse non poteſt, vel ageret ad ſortem etiam ſimul cum intereſse in ordine non ad conſequendam ipſam ſortem, ſed intereſse propter illam, & hoc non conceditur, niſi in ordine ad creditorem ignorantem, vel, niſi quandò ſolutio fit adiecto, ſecus quandò fit creditori ſcienter recipienti, qui, ex quo poterat non recipere, niſi ſimul reciperet intereſse, debet ſibi imputare, quod ſolam ſortem receperit.

Nec ageret actione præſcriptis verbis, nec ageret ad ſortem ſimul cũ intereſſe.

Probatur ſecunda pars eiſdem ferè rationibus, quibus probatum eſt ſupra, poſse creditorem agere actione præſcriptis verbis, quandò proteſtationem fecit acceptatam à debitore ante prolatam ſententiam condemnatoriam quoad ſortem principalem, cũ militent etiam poſt eandem, quandòquidem creditor illi ſententiæ ſtare non tenetur; Neque obſtat, ſi dicatur, quod debitor ex eo, quod fuerit dumtaxat condemnatus ad ſortem, videatur quodamodò liberatus à pæna, ſeu intereſse, adeòque cum tali ſententia muniatur contra actionem creditoris, videri non obſtante tali proteſtatione acceptata poſse ſubterfugere ſolutionem intereſse; Non obſtat, inquam; quia, cum creditor non obſtante

Creditor ſententiæ ſtare non tenetur.

ſtante illa ſententia poſſit iterum agere per viam appellationis, poteſt per conſequens proteſtari, & ſi debitor acceptat proteſtationem, eidemque conſentiat videtur cedere iuri ſuo acquiſito ex vi illius ſententiæ, adeòq; &c.

Reſpondeo tertiò, ex ſuppoſitione, quod creditor non acquieuerit illi ſen-
5 tentiæ condemnatoriæ non poteſt iterum agere ad intereſſe coram eodem Iudice, niſi Iudex reſeruauerit ſibi expreſsè in ſententia facultatem condemnandi in acceſſorijs, ſed debet agere coram Iudice appellationis. Ita expreſsè *Iaſon in l. prima C. de iudicijs nu.* 8.

Probatur prima pars *ex l. Iudex poſteà quam ff. de re iudicata*, vbi dicitur, quod *Iudex eſſe deſinit, poſtquam ſemel dixit ſententiam. Et hoc iure vtimur; vt Iudex qui ſemel, vel pluris, vel minoris condemnauit amplius corrigere ſententiam ſuam non poſſit; Semel enim ſiuè malè, ſiuè benè officio functus eſt*; neque obſtare poteſt textus *in l. 42. Paulus reſpondit ff. eodem*, vbi legitur. *Reſcindere quidem ſententiam ſuam præcedentem prætor non poteſt, reliqua autem, quæ ad conſequentiam iam ſtatutorum pertinent, priori tamen ſententiæ deſunt circà condemnandum reum, vel abſoluendum debere ſupplere*, & ibi Gloſa ſubdit *ſupplere poteſt, quod deerat, vt ſi in ſententia condemnauerat de fundo, nunc vult ſupplere in fructibus*, ergo etiam lata ſententia condemnatoria quoad ſortem poterit eandem complere quoad condemnationem quoad intereſſe; Non, inquam, obſtare poteſt, quia, cum præcipuè in tali iudicio agatur, ſeu actum fuerit quoad intereſſe licet ſimul cum ſorte, cum ex ſuperius dictis officio Iudicis mercenario agi non poſſit ad intereſſe, quin ſimul agatur ad ſortem, hinc eſt quod ſi fuerit debitor condemnatus quoad ſortem, & nihil dictum fuerit de intereſſe intelligatur ab illo implicitè abſolutus, adeòque non eſt, cur amplius Iudex valeat quoad idem intereſſe iudicare. Deindè textus *in d. l. Paulus* dicit dumtaxat, quod ea, quæ deſunt priori ſententiæ circà condemnandum reum, vel abſoluendum debeant ſuppleri, *ſed eadem die*, per quod innuitur ſententiam in eo caſu non eſſe completam, ſed eodem die debere compleri, quatenus aſſignetur tota dies ad complendum ſententiam, & quoad hoc nihil contra nos.

Explicatio textus

Probatur eadem prima pars, quoad illas particulas exceptiuas, *niſi Iudex reſeruauerit ſibi expreſsè in ſententia facultatem condemnandi in acceſſorijs*, & primo, quia Iudex in cauſa, quæ multos admitti articulos, poteſt vnum ab alio ſecernere, quoad vnum iudicare retento ſibi iure iudicandi poſtea quoad alterum, ergo etiam poterit iudicare quoad ſortem principalem retento ſibi iure iudicandi quoad intereſſe, quandoquidem ſunt duo articuli quoad iudicium ſeparabiles; neque obſtare poteſt, quod actio ad intereſſe non poſſit de per ſe ſtare ſine actione ad ſortem principalem, adeoque, quod iudicato pro ſorte non poſſit amplius iudicare quoad intereſſe; non, inquam, obſtare poteſt, nam quamuis actio ad intereſſe de per ſe ſtare non poſſit ſine actione ad ſortem, poteſt tamen efformato iudicio quoad principale cum reſeruatione illa ad acceſſorium, fieri poſtea iudicium quoad tale acceſſorium, & ratio eſt, quia, cum acceſſoria fuerint petita in iudicio principali ante litis conteſtationem, reſeruatio ipſa, quam facit ſibi Iudex, videtur referri ad eadem petita, & ipſa reſeruatio facit ſubſiſtere ipſam petitionem intereſſe in ipſo iure ſortis iam iudicatæ, vſque ad complementum reſeruatorum. Hoc docuit clarè *Bartolus in l. terminato C. de fruct., & lit. expen., & no. in l. ab executore in pen. col. ff. de appel. Iaſon in l. prima C. de iudicijs num.* 8.

Iudex in cauſa, quę multos admittit articulos poteſt de vno iudicare reſeruato ſibi iure quoad alium.

Probatur ſecundo quoad eaſdem particulas exceptiuas, quia Iudex in ſententia poteſt ſibi reſeruare facultatem condemnandi in expenſis *Angelus, Immola in l. Paulus prima ff. de re iudicata*, quod idem tenet *Innocentius in cap. ſuper eo, quod me. cauſ.* quem refert, & ſequitur *Baldus in l. eleganterè § ſi quis poſt in pen. col. ff. de conditio. indeb.*, quod notat pro extenſione *l. qui iuſſit ff. de reg. iur.*, qui dicunt, quod iudex, ſi reſeruato ſibi iure condemnandi in expenſis, vel taxandi expenſas ſemel taxauit, poſſit reuocare talem taxationem, ergo poterit etiam ſibi reſeruare ius condemnandi quoad intereſſe, & poſtea quoad illud iudicare. Conſequentia probatur, quia non minus non poteſt eſſe actio ad expenſas ſine actione ſortis, ac non poſſit eſſe actio ad intereſſe ſine actione ad principale, cum tam intereſſe, quam expenſæ ſint acceſſoria ad ſortem, ergo, ſi per reſeruationem poteſt eſſe &c. poterit etiam &c.

Tam intereſſe, quam expenſæ ſunt acceſſoria ad ſortē.

Probatur ſecunda pars, efformato iudicio per Iudicem ſine vlla reſeruatione non poteſt quoad idem iudicium amplius ſe intromittere iuxta textum *in l. Iudex poſteaquam ff. de re iud.*, potiſſimum ſi iudicium fuit intentatum

Digitized by Google

quoad actionem aliquam, ergo actio, ſi quæ poteſt eſſe, debet eſſe pænes iudicem appellationis, ſeu ad quem, non pænes Iudicem à quo, præcipuè, cum quoad talem actionem appellans interponat appellationem, quæ eſt pro conſequendo intereſſe non iudicato in prima cauſa.

6 Reſpondeo quarto. Iudex appellationis, quando appellatum eſt à ſententia lata ſuper principali, in qua omiſſum eſt illud, quod veniebat officio Iudicis mercenario poteſt, & cõgruentius debet cognoſcere, & ſuper principali, & ſuper acceſſorio. In hanc reſponſionem propendet *Iaſon in l. 1. C. de iudicijs* per textum *in cap. 1. ſecundum intellectum Hoſtienſ. de cal.* Ratio eſſe poteſt, quia vel creditor acceptauit ſententiam condemnatoriam quoad ſortem, & appellauit ſolummodo quoad intereſſe, vel appellauit pro vtroque ſimul in ordine ad conſequendum etiam intereſſe. Si primum, cum ex diſpoſitione iuris actio ad intereſſe non poſſit eſſe ſine actione ad ſortem, hinc eſt, quod acceptata ſententia quoad ſortem non poſſit amplius agere ad intereſſe, quod præcipuè euincitur ex ijs, quæ ſupra dicebantur, nempè, quod lata ſententia pro ſorte, & facta receptione eiuſdem ſortis non poſſit amplius creditor agere ad intereſſe, ergo neque ad idem poterit congruentèr agere, quando lata eſt ſententia quoad ſortem, & acceptata, ipſa enim acceptatio æquiualet virtuali ſolutioni, ſi ſecundum, cum appellatio ipſa trahat rem ad ſtatum, in quo cauſa erat, quando facta fuit petitio, & petitio facta fuerit tam pro ſorte, quam pro intereſſe, hic eſt, quod trahatur tam ad ſortem, quam ad intereſſe, & ſic vitantur ea incommoda, quæ ſecus ſequerentur, niſi ageretur ſimul ad ſortem, nempè quod poſſet eſſe actio ad intereſſe extincta actione ad ſortem. Vide, quæ latè tradit *Iaſon in l. prima C. de iudicijs*.

Appellatio trahit rem ad ſtatum quando facta fuit petitio.

§. XVII.

Cuius ſit damnum in falſificatione literarum facta per eum, cui ſolutio facienda eſt.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis in terminis particularibus. 1.
Diſtinctiones, ſecundum quas poteſt examinari titulus. 2.
Si falſificatio fuerit talis, vt adhibita diligentia ſolita adhiberi à campſoribus dignoſci poſſit, periculum ſolutionis pertinet ad ſoluentem. 3.
Si falſificatio fuerit ità latens, vt etiam à perito, & diligenti campſore cognoſci non potuiſset, periculum etiam ſolutionis quoad illum exceſſum pertinet ad eundem ſoluentem. 4.
Siuè falſificatio fuerit latens, ſiuè patens periculum ſolutionis quoad ſummam conuentam inter contrahentes non pertinet ad ſoluentem. 5.
Periculum quoad quantitatem conuentam, quando falſificatio eſt latens, pertinet ad ſtipulatorem. 6.
Quando nullus contractus initus eſt, ſed ſolummodò conficta literæ ad ſimilitudinem caractherum campſarij periculum pertinet ad ipſum ſolutorem. 7.

Diſquiſitio XVII. Titius acceptis hic Mediolani mille nummis aureis a Seio cum onere, vt eorum valorem reſtitueret Romæ Sempronio dedit literas eidem Seio apertas directas ad Calidonium ſuum correſpondentem. Seius acceptatis eiſdem literis Romam eaſdem miſit ad Semproniũ, vt exigeret conuentam ſummam ab eodem Calidonio, ſed Sempronius literas falſificauit in numero, & exegit à Calidonio nummos aureos 2000. faciendo literam 2. ex litera 1., & poſtea fugijt. Oritur hic difficultas, cuius ſit illud damnum proueniens à falſificatione, an Calidonij male ſoluentis, an Titij non cautelatè exarantis caractheres, an Seij eligentis malum virum ad exigendum enuntiatam ſummam in literis. Pro ſolutione. 1

Aduerte, qualis ſit illa falſificatio, an talis, vt facilè à campſoribus ſimilis conditionis adhibita debita, & accurata diligentia puta per comparationem literarum adhibito peritorum 2

iu-

Falſificatio, vel eſt patẽs, vel latẽs, & quomodo.

iudicio cognoſceretur, vel quatenus in literis appareret aliqua raſura, & vitium ſenſibile, vel quatenus aliquid eſſet, quod eaſdem redderet ſuſpectas de falſo; an vero ſit talis, vt etiam à campſoribus peritis, & diligentibus facilè falſitas dignoſci non potuerit, in qua ſecunda acceptione adhuc aduerte, an huiuſmodi literæ verè fuerint per eum, qui dicitur dator, ſcriptæ ex contractu, ſeu virtute contractus re vera initi, & ſolummodo falſificatæ in aliqua parte puta in numero aureorum, an vero nullatenus ab eodem conſcriptæ, cum nullus initus fuerit contractus, ſed tantum confictæ ad ſimilitudinem caractherum ipſius. Quibus poſitis acceptionibus.

3 Reſpondeo primo, ſi falſificatio fuerit talis, vt facilè à quolibet campſore adhibita debita, & accurata diligentia dignoſci potuerit, periculum ſolutionis pertinet ad Calidonium ſoluentem *Angelus conſil. 370. creditor ſub n. 1. verſ. pro hoc adduco ibi, ſed ſi falſificatio. Follerius ad Marant. in ſpec. part. 6. art. 6. nu. 54. verſ. ſed numquid campſor fol. 387.* Probatur reſponſio, incuria non adhibentis in ſuo munere debitas, & congruas inſpectiones, quæ ab alijs ſimilis conditionis adhiberi ſolent, quæque, ſi adhibererentur, facilè inducerent in cognitionem erroris, ſeu falſificationis non poteſt alteri nocere, quam ſibi, ergo periculum, quod ex tali incuria prouenit, ad ipſum ſoluentem, qui adhibere debebat tales inſpectiones, & non adhibuit, pertinere debet. Confirmatur primo, quia illa literarum falſificatio iuxta modum, quo procedit præſens reſponſio, comparatur defectui patenti in re venali, qui ſaltem adhibita congrua diligentia hominibus ſimilis conditionis facile poteſt apparere, ſed quando defectus in re venali eſt patens, ſeu ſaltem de facili cognoſcibilis ab emptore, alijſque ſimilis conditionis periculum ex tali defectu proueniens pertinet ad emptorem, qui non aduertit ad tale periculum per ea, quæ docui *tom. primo ſub tit. Contractus II. de emptione, & vendit. Prænot. 7. n. 9.* ergo etiam, quando illa literarum falſificatio &c. Confirmatur ſecundo, quia illud periculum nullo modo poteſt imputari datori earundem literarum, nec creditori ex ipſis, ergo pertinere debet ad ſolutorem. Antecedens quoad primam partem probatur, quia ipſe dator literarum, nec tenetur ratione rei acceptæ, cum non acceperit totum id, quod ex literis falſificatis

Incuria, ſoluentis incautè non poteſt alteri nocere.

Falſificatio comparatur defectui patenti in re venali.

apparuit, ſed tantum id, quod ipſe ſcripſit, non ratione iniuſtæ acceptionis, cum ipſe non cooperatus fuerit illi falſificationi, ex qua orta eſt illa iniuſta acceptio, nec aliquam cauſam eidem dederit, ergo &c. Quoad ſecundam etiam ob eaſdem rationes euincitur, & vlterius ſic probatur, quia, ſi quæ eſſet ratio, cur creditor literarum teneretur ad aliquod, ſeu tale periculum, ea eſſet, quia elegit malum virum ad exigendum, ſed hæc ratio non obeſt, ergo &c. Minor probatur, quia ipſe ſupponitur non conſcius malitiæ illius, qui falſificauit, cum alias ipſius dolum non cognouerit; neque dicas, quod culpa mandatarij imputetur mandanti, adeoque creditori, qui eidem mandatario dedit literas, & præcepit ſolutionem ipſarum recipere; contrà enim eſt, quia mandans non tenetur de actione mandatarij, quàm hic exercuit vltrà terminos mandati *l. ſi creditor, & ibi Baldus C. de fideiuſ.* quamque nec implicitè, nec explicitè mandans intendit, nec dando operam rei illicitæ nec directè, nec indirectè induxit, vndè tota malitia ſe tenet ex parte eiuſdem mandatarij, cui imputanda eſt.

Periculũ nõ poteſt imputari datori literarum, nec creditori.

Mandans non tenetur de actione mandatarij vltra terminos mandati.

Quod, ſi dixeris, quod, cum mandatarius appareat ad recipiendum in perſona, & nomine mandantis receptionem, de cuius mandato implicitè conſtat ex præſentatione literarum, quam ipſe præſtat, & ex onere impoſito ei, à quo facienda eſt ſolutio, eidem ſoluendi, videatur apparere eo modo, quo apparet famulus ad exigendum à debitoribus domini ſui pecuniam debitam, qui, ſi exigat ſine commiſſione Domini; & poſtea fugiat iuxtà multorum ſententiam in cauſa eſt, vt Dominus non poſſit amplius tale debitum exigere, cum poſset debitor excipere ſe numeraſse ipſius famulo, quo vti conſueuerat ad exigendum, adeòque, ſi ipſe etiam mandatarius exigat quid magis, ac exigere debeat, videatur obligare ſuum principalem ad totam ſummam exactam, quandòquidem ex mandato apparet exigere nomine, & ex commiſſione eiuſdem principalis, &, ſi famulus, quamuis non habeat commiſſionem à Domino, exigens à debitore eiuſdem Domini, ſoluit ius creditoris ad amplius exigendum; cur mandatarius, quamuis non habuerit commiſſionem ad totam ſummam exactam recipiendam, non imponet onus eidem mandanti compenſandi totam illam ſummam exactam? Certè vterque

Obiecta ad reſpõſionẽ, eorundẽq; ſolutio.

Digitized by Google

que videtur exigere nomine ſui principalis. Si, inquam, hoc dixeris; ſtatim impugnaberis, quià, quidquid ſit de famulo exigente debitum ſine commiſsione Domini ſui, de qua re alibi erit ſermo ex profeſso, certum eſt, quod mandatarius ex ſuo dolo exigens vltrà limites mandati nō obliget ſuum principalem, cum hic nec ratione mandati in ordine ad illum exceſsum, nec ratione rei acceptæ, neque aliqua actione præſcriptis verbis obligetur; nec eadem poteſt eſse præſumptio in mandatario exigente, & recipiente in terminis noſtræ reſponſionis, ac in famulo ſolito exigere à debitoribus nomine ſui Domini, quandòquidem, ſi campſor ſoluit mandatario ſtipulatoris ſoluit ex mandato datoris literarum, quem obligatum habet, non receptorem pecuniæ ſolutæ, ſi verò debitor ſoluat famulo, ſoluit ex præſumpto mandato eiuſdem Domini, à quo propterea ratione illius ſolutionis videtur deobligari. Deindè videtur quid magis requiri ad obligandum, quam ad deobligandum, quandòquidem ad deobligandum videntur ſufficere exceptiones ex parte debitoris, quæ, ſi fundentur in congruis præſumptionibus, eximunt ab obligatione, ad obligandum verò requiritur conſenſus eiuſdem, qui, ſi excipiat de negatione eiuſdem, non poterit obligari ad aſsumendum illud onus, ad quod non præſtitit conſenſum.

Videtur, quid magis requiri ad obligandum, quam ad deobligandum.

Reſpondeo ſecundò. Si falſificatio fuerit talis, ſeu ita latens, vt etiam à perito, & diligenti campſore cognoſci non potuiſset, periculum etiam ſolutionis quoad illum exceſsum ſuprà ſummam, pro qua datæ fuerunt verè, & realitèr literæ, quæ poſtea falſificatæ fuerunt, pertinet ad eundem Calidonium. Probatur, quia illa exceſsus exactio facta ex dolo per eum, cui facienda erat ſolutio de determinata ſumma conuenta inter contrahentes comparatur, vt furtum commiſsum in bonis eiuſdem ſoluentis non concurrente ad illud nec ſtipulatore, nec datore literarum, ſed furtum commiſſum in bonis alicuius alio non concurrente quoad damnum pertinet ad eum, in cuius bonis furtum commiſſum eſt, ergo &c. nec poteſt dici, quod vel ſtipulator, vel dator literarum cauſam dederint tali furto, quandòquidem nec directè, nec indirectè, nec operam dando rei illicitæ ad illud concurrerunt.

Illa exceſſus exactio cōparatur furto.

Probatur ſecundò eadem reſponſio, quià, ſi quæ ratio euinceret, quod eximeretur à periculo quoad talem exceſſum, ea eſſet, quià illa falſificatio ità eſſet latens, vt à perito, & diligenti campſore cognoſci non potuerit, ſed hæc ratio nihil euincit, ergo &c. Minor probatur, quià quod fuerit læſus, ſeu damnificatus per artem occultam à decipiente non tribuit ipſi damnificato ius aduerſus alterum à damnificante, ſi ille alter ad damnificationem non concurrerit, ſicuti ſi committatur furtum ſiuè clam, ſiuè palam in bonis alicuius non confertur ius damnificato aduerſus alterum, ergo &c.

Læſio per artē occultā non tribuit læſo ius aduerſus alterum à damnificato.

5 Hic nonnullæ ſuboriuntur difficultates, quas breuitèr expendo. Prima eſt, an falſificatio, ſiuè fuerit patens, vt in prima reſponſione, ſiuè latens, vt in ſecunda, periculum ità pertinere faciat ad ipſum ſoluentem, vt non ſolum teneatur amittere illum exceſſum, in quo falſificatæ fuerunt literæ, ſed etiam ſummam contentam in eiuſdem literis verè conuentam per ipſos contrahentes in celebratione contractus, & datione literarum. Reſpondeo, ſi falſificatio fuerit latens modo, quo ſupra, non facere, vt periculum pertineat ad ſoluentem ſecundum ſummam verè conuentam inter contrahentes, ſed ipſum verè liberari tum à datore literarum, tum à ſtipulatore hoc eſt, tum à Titio, tum à Seio, nec item ſi fuerit patens, quamuis in hoc ſenſu ſoluens poſſet argui de aliqua malitia. Ratio primæ partis eſt, quia quod ſoluerit illam ſummam fuit ex commiſſione datoris literarum iuxta modum ab eodem præſcriptum, & etiam diſpoſitionem creditoris, ergo facit periculum pertinere ad alium à ſe ipſo, & ſic, ſi ex alia cauſa ipſe ſit debitor datoris literarum quoad illam ſummam, pro qua verè datæ fuerunt literæ, liberabitur, vel ſi non fuerit debitor, conſtituet verè debitorem talis ſummæ ipſum datorem literarum, ex cuius commiſſione ſoluit. Conſequentia tenet, quia mandans obligatur ex mandato ipſi mandatario in ijs, quæ ex mandato adimpleta ſunt. Hac eadem ratione euincitur etiam ſecunda pars, nec obſtare poteſt, quod illa falſificatio fuit dumtaxat patens quoad numerum, cæterum quoad ſubſtantiam literæ fuerunt confectæ per ipſarum datorem, qui re vera ordinauerat per eaſdem literas ſolutionem quantitatis conuentæ, non autem exceſſus falſificati, adeòque quoad illam quantitatem conuentam, & ſuprà quam non cadit

Solutio fuit ex commiſſione datoris literarum.

Mandās obligatur ex mandato ipſi mandatario.

Digitized by Google

cadit falſificatio, non eſt, cur obligatus non debeat manere verſus ſolutorem mandatarium ſui ipſius, nec in ordine ad hanc quantitatem per falſificationem intelligitur læſus, vt ex ſe patet.

5 Secunda difficultas eſt in explicando, ad quemnam pertineat periculum ſolutionis pro quantitate conuenta verè, & realitèr inter contrahentes, quandò falſificatio ità erat latens, vt etiam à peritis non potuerit cognoſci, in quo ſenſu diximus, ſoluentem liberari à tali periculo, an ad ſtipulatorem, an verò ad datorem literarum. Reſpondeo, pertinere potius ad ſtipulatorem, ſeu creditorem literarum, quam ad datorem ipſarum, qui non tenetur ad nouas literas dandas. Ità videtur ſentire *Scaccia tract. de commert. §. 2. gloſ. 5. num. 398. verſ. & agendo breuitèr*. Ratio eſſe poteſt, quià per illam ſolutionem factam per reſpondentem datoris literarum ex ipſius mandato, & receptionem talis ſolutionis per mandatarium ſtipulatoris extinguitur quodcunque onus tum eiuſdem ſoluentis, tum datoris literarum, & ius etiam creditoris ex eiſdem literis, quinimmò translatum dominium ſupponitur eiuſdem pecuniæ ſolutæ in procuratorem eiuſdem ſtipulatoris agentis nomine ipſius, ergo, ſi illæ pecuniæ depereant poſt ſolutionem, & receptionem per fugam recipientis, eidem ſtipulatori perire dicendæ ſunt; vndè ad ſummum cedenda erit eidem creditori, ſeu ſtipulatori actio, ſeu condictio furtiua, vt poſſit agere contrà dolosum fugitiuum.

Cedenda eſt creditori actio, ſeu condictio furtiua.

Tertia difficultas eſt in explicando, ad quemnam pertineat periculum ſolutionis, quandò re vera nullus contractus initus eſt, nec per veros contrahentes vllæ datæ fuerunt literæ, ſed ſolum confictæ ad ſimilitudinem caractherum alicuius mercatoris talitèr, vt nec per peritos dignoſci poſſit dolus, vel eorundem caractherum ſimulata expreſſio. Reſpondeo periculum pertinere ad ipſum ſolutorem, non ad eum, cuius nomine confictæ fuerunt literæ, nec ad alium *Scaccia d. §. 2. gloſ. 5. num. 396.*, & ratio eſt, quià ipſe, qui ſoluit, non poteſt ius habere aduerſus alios ad repetendum ſolutum, non aduerſus eum, qui confingitur illas literas ſcripſiſſe, quià, cum ille non ſcripſerit, poteſt ſe tueri exceptione non poſitæ ſcripturæ, non aduerſus eum, qui confingitur, quandòquidem ipſe etiam ſe poteſt tali remedio tueri, ergo proprio infortunio debet imputare, quod ſoluerit, & ſolum agere actione furtiua contrà receptorem.

§. XVIII.

Cuius damno cedat decoctio debitoris, cui mandatarius dederit cambio pecunias mandatoris.

SVMMARIVM.

Explicatio tituli in ſuis terminis. 1.
Duplex ſenſus eiuſdem tituli. 2.
Si Antonius in remiſſa facta Franciſco ordinauit eidem, vt eoſdem nummos aureos remitteret per ſuas literas ſupra ſe, periculum decoctionis Sempronij pertinet ad eundem Franciſcum. 3.
Si mandans ſimplicitèr dixerit ei, cui fecit remiſſam, vt ſummam ſibi remiſſam remitteret per viam cambij, & mandatarius dederit ad cambium alteri ſecundum communem æſtimationem proximo decoctioni, periculum decoctionis pertinet ad mandatarium. 4.

Diſquiſitio XVIII. Remiſerat Antonius ad Franciſcum Romam mille nummos aureos exigendos ibi per eundem Franciſcum à Seio vigore literarum datarum per Teodoricum impoſito eidem Franciſco mandato, vt eoſdem ad ſe remitteret Mediolani. Franciſcus exactis Romæ illis mille nummis aureis iuxtà ordinem ſibi datum ab Antonio remittit dando illos Sempronio ad cambium. Interim Sempronius decoctus eſt. Quæritur cuius damno cedat illa decoctio? Antonij ne, cuius ſunt? an verò Franciſci, qui illos remiſit? 1

Iuxtà duplicem ſenſum examinari poteſt propoſita controuerſia; vel etenim Antonius, quandò mandauit Franciſco, vt illos nummos, quos de mandato Romæ recipere debebat, ad ſe iterum remitteret Mediolanum, ordinauit, vt illos remitteret per ſuas literas ſuprà ſe, vel dixit ſimplicitèr, quod remitteret per viam cambij. Rurſus, ſi impoſuit remiſſionem iuxtà hunc ſecundum ſenſum, vel Sempronius, per quem remittit Franciſcus, quatenus ipſi eoſdem dedit ad cambium, talis conditionis erat, vt in communi omnium mercatorum conſenſu haberetur pro idoneo, adeò vt omnes 2

Varij ſẽſus propoſitæ difficultatis.

omnes eidem fiderent, nec eſſet, qui rationabilitèr poſſet dubitare de ipſius idoneitate, vel talis, vt inidoneus reputaretur, quatenus ipſius decoctio adeò veriſimilitèr eſſet futura, vt nemo ſani iudicij, & inculpatæ diligentiæ eidem daret ad cambium. Iuxtà has inſpectiones dubium diſſoluetur.

Reſpondeo primò. Si Antonius in remiſſa facta Franciſco ordinauit eidem, vt eoſdem nummos aureos remitteret per ſuas literas ſupra ſe, periculum decoctionis Sempronij pertinet ad eundem Franciſcum *Scaccia de commerc. §.2.gloſ.5. nu.400. verſ. primus caſus*. Ratio eſt, quià quandò in literis remiſſæ dicitur mandatario, vt pecuniam ſibi remiſſam remittat iterum mandatori ſupra ſe, idem eſt, ac ſi dicatur, vt remittat periculo ipſius mãdatarij remittentis per ea, quæ ſupra diximus in explicatione particularum quoad literas cambij, vndè ipſe mandatarius acceptans, & exequens mandatum videtur quaſi accedere, vt fideiuſſor in fauorem eiuſdem mandatoris, ſeu tanquam aſſecurator pro eodem, ergo, ſi contingat Semproniũ, per quem mandatarius remittit, vergere in decoctionem, periculum decoctionis pertinebit ad eundem Franciſcum fideiuſſorem, ſeu quaſi aſſecuratorem. Conſequentia probatur, quià, qui acceptat ſimplicitèr mandatum propter expreſſam conuentionem in literis mandatoris contentam tenetur ſtare mandatis, eaque adimplere, ergo, cum imponatur mandatario in ſe aſſumere pericula, & quaſi aſſecurare pecuniam pro, ſeu in fauorem mandantis, ſi aſſumat mandatum per acceptationem &c. tenebitur &c.

Remittere ſupra ſe eſt remittere periculo mandatarij.

4 Reſpondeo ſecundò. Si mandans ſimplicitèr dixerit mandatario, cui facta fuit remiſſa, vt ſummam ſibi remiſſam remitteret per viam cambij, & mandatarius ſummam enuntiatam dederit ad cambium Sempronio, qui talis conditionis eſt, vt communitèr reputetur proximus decoctioni, periculum decoctionis pertinet ad ipſum mandatarium, ſecus verò, ſi dederit Sempronio, qui in communi æſtimatione reputaretur, vt idoneus, & in nullo periculo proximo decoctionis. Ita in vniuerſum docet *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 5. num. 401., & ſeqq., & alij communitèr*.

Ratio primæ partis eſt, quià vel ille, ad quem dirigitur remiſſa remittenda poſteà per ipſum ad directorem, vel eſt mandatarius eiuſdem directoris, vel negotiorum geſtor, ſed tàm mandatarius, quàm negotiorum geſtor tenetur prudentèr exequi mandatum, & gerere negotium ſui principalis, quinimmò obligatur ex negotio, & mandato imprudentèr geſto, & executo cum detrimento principalis *Bartolus in l.3.§.interdum C. de negot. geſt., & in l. ſi negotia ff. eodem tit.* ergo &c. Confirmatur primò, paritate deſumpta à debitore pupilli, qui, ſi ſcientèr perſoluat Tutori, quem nouit eſſe poſtulatum ſuſpectum non liberatur *l. quod ſi fortè 14. §. ſunt quidam ff. de ſolut.*, *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 5. nu. 401. verſ. aut decoctio Antonij*, ergo etiam mandatarius remittens per eum, qui communitèr habetur pro ſuſpecto de proxima decoctione, non præſumendus eſt liberari. Conſequentia tenet, quia motiuum non liberationis in primo caſu, militat etiam in ſecundo. Alias plures paritates, & exempla congerit *Scaccia loc. cit.* quæ vos ipſi apud ipſum videre poteſtis.

Tàm mãdatarius, quàm negotiorũ geſtor tenetur prudentèr exequi mandatum, & negotium.

Ratio ſecundæ partis eſt, quià in data hypotheſi mandatarius, nec tenetur ratione rei acceptæ, nec ratione imprudentis, ſeu doloſæ implicationis, ergo re vera per remiſſam ſic factam liberatur. Antecedens quoad primam partem ex ſe patet, cum pecunia remiſſa penes ipſum non maneat, probatur iam quoad ſecundam, quià non tenetur de culpabili, & imprudẽti implicatione, qui eam adhibuit diligentiam, quam alij ſimilis conditionis adhibendo non imprudentèr agere arbitrarentur, quamque adhibuiſſet ipſa mandans, nec maiorem, ſi præſens fuiſſet, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, ipſe mandatarius credendo pecuniam mãdatoris illi, per quem remittit, id præſtat, quod præſtarent alij ſimilis conditionis, quinimmò ipſe mandator, ſi eſſet præſens, quandòquidem ille, cui creditur pecunia, cum bonæ ſit æſtimationis apud omnes, talis creditur, vt omnes ipſi indifferentèr fidem præſtent ſine hæſitatione, ergo &c. Accedit, quod ipſe mandatarius pecuniam ſuam ſine vllo dubio eidem committeret nihil hæſitans, ergo non imprudentèr agit committendo eidem illam ſui mandatoris. Conſequentia probatur, quia nemo tenetur ad plus in adminiſtratione rerum alienarum, ac teneatur in adminiſtratione rerum ſuarum.

Mandatarius, nec tenetur ratione rei acceptæ, nec imprudentis implicationis.

§.XIX.

Digitized by Google

§. XIX.

Cuiuſnam damno cedat ſolutio facta Procuratori reuocato, de cuius reuocatione conſcius non eſt ſoluens.

SVMMARIVM.

Titulus expoſitus in caſu particulari. 1.
Damnum cedit principali creditori, niſi debitori intimauerit reuocationem. 2.
Acta coram Procuratore reuocato valent, ſi non conſtat de reuocatione. 3.
Suſpenſio iuriſdictionis non inualidat actus iuriſdictionales, niſi conſtet de ſuſpenſione. 4.

1 DIſquiſitio XIX. Debitor erat, vel ex cambio, vel ex alio titulo Frãciſcus Antonij de ſumma mille aureorum, onuſque eidem Franciſco erat impoſitum ſoluendi enuntiatam ſummam Procuratori eiuſdem Antonij, cumque iam præſens eſſet dies ſolutionis, Antonius ex cauſis ſibi notis reuocauit Procuratorem, cuius reuocationis non fuit conſcius Franciſcus, qui per conſequens, cum dies cederet ſolutionis, eidem Procuratori ſolutionem fecit de enuntiata ſumma, & debitam confeſſionem reportauit. Interim Procurator, vel decoctus eſt, vel fugam arripuit. Quæritur iam, cuiuſnam damno cedat illa ſolutio ipſi facta, an Franciſco ſoluenti, an Antonio, qui non manifeſtauit reuocationem eidem.

Proponit hanc difficultatem *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 5. nu. 406., & 407.*, & concludit damnum pertinere ad principalem creditorem per ea, quæ docent *Gloſa, Bartolus, & alij in l. eius qui 41. ff. ſi certum petatur* à quibus non recedendo.

2 Reſpondeo, damnum cedere principali creditori, niſi debitori intimauerit reuocationem. Ratio eſſe poteſt primò, quià ſolutio facta Procuratori conſtante de mandato eidem per principalem facto verè liberat debitorem à debito, vt eſt in cõfeſſo apud omnes, ergo ſolutio facta eidem quamuis reuocato liberabit eundem debitorem à debito, ſi eidem facta non fuerit intimatio, ſeu notificatio reuocationis. Conſequentia probatur, quià, dum conſtat de mandato, & non conſtat de reuocatione, adhuc debitor perſeuerat in bona fide mandati, adeòq; agens iuxtà præſcripta in eodem iuſtè, & legitimè agit, ergo non eſt, cur non debeat liberari, vnde benè habetur *in l. vnica C. de ſatisdan.* quod creditor debeat ſibi imputare, ſi reuocans procuratorem reuocationem debitori non intimauerit *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 5. nu.* 407.

Conſtante de mãdato, & non de reuocatione mãdati debitor perſeuerat in bona fide mandati.

3 Confirmatur primò, argumento deducto ex eodem *Scaccia in tract. de Iudic. cauſ. lib. primo c. 45. nu. 3. in fin. verſ. quinto quià, & cap. 101. ſub num. 42. verſ. declara*, quià acta facta coram Procuratore reuocato, ſi non fuerit parti aduerſæ intimata reuocatio, ſunt valida, ergo etiam valida erit ſolutio facta Procuratori reuocato per debitorem, ſi eidem debitori denuntiata non fuerit reuocatio. Conſequentia tenet, quià ratio, quæ iuſtificat, ſeu reualidat acta coram Procuratore reuocato facta non conſtante de reuocatione, eadem iuſtificat, ſeu iuſtificare poteſt ſolutionem factam eidem Procuratori reuocato non conſtante de reuocatione, & ſi ad vnam ſufficiens eſt, cur non ad alteram?

Acta facta corã Procuratore reuocato valent, ſi non fuerit parti intimata reuocatio.

4 Confirmatur ſecundò. Actus iuriſdictionales exerciti per Iudicem, ſiuè ſæcularem, ſiuè Eccleſiaſticum excommunicatum validi ſunt, ſi fuerint exerciti pro tempore, quo non conſtabat de excommunicatione, & de ſuſpenſione Iuriſdictionis, ergo neque erit inualida ſolutio facta per debitorem Procuratori creditoris, quamuis reuocato, ſi eidem debitori non conſtiterit de reuocatione eiuſdem Procuratoris. Conſequentia patet, quià, ſi ſuſpenſio iuriſdictionis non inualidat actus iuriſdictionales exercitos, antequam cõſtiterit de ſuſpenſione. nec inualidare videtur reuocatio Procuratoris ſolutionem per debitorem eidem factam non conſtante de tali reuocatione; neque dicas diſparem eſſe rationem, eo quià in iuriſdictionalibus error cõmunis facit ius *l. Barbatius Philippus ff. de ſupel. l. 3. contrà ff. de legi l. quod non ratione ff. de aur., & arg.* non ſic in ſolutionibus, & permutationibus, in quibus non ſolum attenditur æqualitas rei ad rem, ſed etiam qualitas debitoris, & creditoris; contrà enim impugnaberis, quià in primis Procurator alterius iuriſdictionem quodammodò ſortitur ab illo, ſicque dum munus ſuſceptum adimplet, dicitur, actus quaſi iuriſdictionales nomine ſui principalis exercere, adeòque error, ſeu ignorantia quoad reuocationem efficit ius &c.

 Dein-

Digitized by Google

Deindè in ordine ad ſolutiones, & permutationes, cum Procurator rapræſentet perſonam creditoris, vt ex mandato procuræ elucet, & manifeſtè conſtet eidem debitori de eiſdem, etiam ſufficientèr ſaluatur qualitas creditoris, & debitoris requiſita ad huiuſmodi actus; vndè principalis creditor debet ſibi imputare, quod non notificauerit eidem debitori reuocationem mandati, ſicque ſaltem ratione talis defectus, ſeu culpæ in non notificando, ad quod tenebatur, contrahit in ſe periculum, ſeu damnum illius ſolutionis talitèr poſitæ.

Creditor debet ſibi imputare, quod non notificarit.

§. XX.

An ſoluens Procuratori, qui eſt effectus malæ conditionis, iuſtè ſoluat, & liberetur à debito.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus diſquiſitionis. 1.
Rationes dubitandi. 2.
Soluens Procuratori effecto malæ conditionis, & proximo decoctioni non liberatur à debito. 3.
Satisfit rationi dubitandi. 4.
Proponuntur obiecta, & ſoluuntur. 5.

1 Diſquiſitio XX. Perſiſtimus in terminis præcedentis diſquiſitionis, iuxtà quos Franciſcus eſt debitor, Antonius eſt creditor eiuſdem de ſumma mille aureorum, & Andræas eſt Procurator eiuſdem Antonij ad omnia ipſius negotia peragenda, & præcipuè ad recipiendas, & faciendas ſolutiones. Aduenîente tempore, quo per Franciſcum facienda eſt ſolutio debiti, Andræas ſtatum deteriorat, & efficitur malæ conditionis, adeò vt communitèr reputetur proximus decoctioni. Quæritur iam hic, an, ſi Franciſcus exiſtente hac Andreæ conditione eidem ſoluerit, talitèr ſoluerit, vt intelligatur liberatus ab onere debiti, quod habebat verſus Antonium.

2 Ratio dubitandi videtur potiſſimum deduci à præcedenti diſquiſitione, ſi enim non obſtante reuocatione poſita Franciſcus legitimè ſoluit Procuratori reuocato, & liberatur à debito, multo magis videtur legitimè ſoluere Procuratori legitimè electo, & non reuocato, quinimmò magis videtur obeſſe validitati ſolutionis reuocatio mandati ad recipiendum, quam proxima mandatarij decoctio, ſiquidem illa ex plena, & deliberata voluntate tollit mandatum, hæc vero non niſi ex præſumpta. Nihilominus

Reſpondeo, ſoluentem Procuratori effecto malæ conditionis, & proximo decoctioni non liberari à debito, ſed periculum ſolutionis ad ipſum pertinere *Paulus de Caſtro in l. 38. cum quis num. 3., & 4. & l. 32. ſi cum Cornelius in fin. ff. de ſolut., Scaccia de commert. §. 2. Gloſ. 5. num. 402.* Probatur primo, quia ſuperueniente cauſa ſecundum ſe nota reuocationis mandati ipſo iure mandatum habetur pro tacitè reuocato *Baldus in l. mandatum num. 14. verſ. modo venio ad quæſtiones C. mandati*, ſed, dum Procurator mutat ſtatum, & efficitur deterioris conditionis, & accedit ad proximum ſtatum decoctionis ſuperuenit iuſta cauſa reuocationis, & quidem nota ſecundum ſe *Mantica tract. de tacit., & ambig. conuent. lib. 7. tit. 22. n. 46., & ſeqq. tom. 1.*, ergo &c. adeoque ſi debitor pro illo ſtatu ſoluerit, intelligitur ſoluiſſe ſcientèr non habenti ius ad recipiendam ſolutionem, per quam propterea non liberatur. 3

Præſumitur ſoluere ſciêter non habenti ius.

Probatur ſecundo, quia, quem eſſe decoctum, & eſſe ſuſpectum de decoctione quoad iudicium prudentis non ſolutionis paria ſunt per ea, quæ ſcribit *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 5. n. 394.* ſed ſolutio facta decocto recipienti nomine alterius principalis quoad effectum ipſum liberandi à debito nulla eſt, ergo &c. Minor probatur, quia in fallitis, & decoctis mandatum ad recipiendum ex ipſa iuris diſpoſitione ſupponitur reuocatum per ea, quæ ſcribunt *Straccha tract. de decoct. part. 3. nu. 50., & ſeqq. tom. 6. part. 1. fol. 318. Rota Genuenſis deciſ. 2. erant num. 30. in fin., & num. 31., & 32.*, ergo etiam eadem iuris præſumptione intelligi debet reuocatum mandatum in ordine ad ſuſpectos, ſeu proximos decoctioni.

Ex ijs facilè erit reſpondere ad id, quod afferebatur ſuperius pro ratione dubitandi; dicet enim, ibi nullam præſupponi notitiam reuocationis, adeoque non imprudentèr debitorem agere ſoluendo, cum eidem conſtet de mandato, non de reuocatione eiuſdem; hic autem manifeſtè conijcitur implicita reuocatio, quæ eſt à iure; iura autem in hoc adeo nota ſunt, vt nulli præſumantur abſcondita, adeoque ſemper eſt præſumptio de ſolutione facta non idoneo ad receptionem, adeoque contra implicitam, & præſumptam voluntatem 4

Reſpondetur rationi dubitandi.

tem creditoris, qui propterea non poteſt in hoc lædi.

5 Aduerſus hæc, quæ hactenus dicta ſunt non modicum facere videntur ea, quæ conſiderant *Ancharanus conſ.* 258. *tria principalia ſub num. 3. verſ. venio ad ſecundam, Crauetus conſ. 6. plura videnda num. 94. verſ. pro hoc facit* in ſolutione facta domino, ſeu Rectori vrbis, qui propter populi rumorem, tumultum &c. cognoſcitur à dominio, ſeu regimine proximè repellendus, quæ certè ſolutio tenet, & eximit ſoluentem à debito, ex quibus non incongruè videtur deduci, quod etiam ſolutio facta Procuratori, qui ex proxima futura decoctione cognoſcitur reuocandus, ſit valida, & eximat debitorem ſoluentem à debito. Sed hæc facilè diſſoluuntur propter rationes, quas conſiderat idem *Ancharanus loc. cit.*, ad quem vos remitto. Mihi ſufficiat hanc vnam rationem adducere diuerſitatis, quia Dominus, ſeu Rector Vrbis recepit nomine proprio, & quouſque dominatur, & regit, Dominus, & rector eſt. Procurator autem recipit nomine alieno, ſeu Domini principalis, & in caſu, quo vergat in decoctionem tum ex diſpoſitione iuris, tum ex præſumpta principalis voluntate deſinit eſſe Procurator, cui propterea illegitimè ſoluitur.

Rationes cõtrariæ diſſolutæ

---

§. XXI.

An detur exceptio de non numerata pecunia, cum probatur ſolutionem non factam fuiſſe in die contractus, ſed multo poſt.

SVMMARIVM.

Titulus in ſuis terminis proponitur. 1.
Titius non poteſt excipere, ſed literæ habent executionem paratam. 2.
Obiectio propoſita, & ſoluta. 3.

1 DIſquiſitio XXI. Dictum fuit *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 19. nu. 4.*, in contractibus cambialibus locum habere diſpoſitionem *l. in contractibus §. ſuper cæteris C. de non numerata pecun.* non autem *l. ſi ex cautione C. eod. tit.* per ea, quæ ibi latè allegata ſunt. His poſitis. Titius ſub die prima Iunij præſentis anni 1678. dedit literas Cambij Caio, in quibus confeſſus eſt, ſe hauiſſe ab eodem Caio pecunias huius cambij in Cartulario Sancti Georgij, & tamen ibi non apparet numeratio, ſeu ſolutio facta pro tali die, ſed poſt ſex, vel ſeptem dies, ſicque poſt literas. Oritur hic controuerſia, an Titius poſſit excipere de non numerata pecunia, & de falſitate literarum, cum conſtet non pecuniam numeratam, ſeu ſolutam fuiſſe ante, vel in eadem die contractus.

Proponit hanc difficultatem *Scaccia de commercijs* §. 2. *gloſ.* 8. *nu.* 15., vbi expoſita facti ſerie concludit, & literas bonas eſſe, & habere executionem paratam, & Titium non poſſe excipere de non numerata pecunia, quod latè probat, tum per ea, quæ ibi adducit, tum per ea, quæ docuit deſumpta paritate à cenſu *eodem* §. 2. *gloſ. 5. num.* 7. 63., & 64., cui adhærens

Reſpondeo, verè non poſſe Titium excipere, ſed literas habere executionem paratam. Probatur primo. Non repugnat quis fateri numerationem habita fide a ſoluere debente, & concepta ſpe de futura numeratione, & ſolutione, nec aliquid deeſt ad acquirendum ius ex ſolutione, niſi quod fides, & ſpes adimpleatur per actualem poſtea poſitam ſolutionem, & numerationem, ergo, ſi poſtea fuerit poſita actualis ſolutio, & numeratio, non erit amplius locus exceptioni non numerationis poſitæ. Antecedens non videtur poſſe verti in dubium. Quid enim vetat, quominus ego creditor tui ad aliquem finem poſſim fateri me recepiſſe pecuniam creditam habita à te promiſſione de ſolutione ponenda? Conſequentia probatur, poſita actuali numeratione tempore initi contractus, & literarum datarum non eſt amplius locus exceptioni, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo neque erit locus eidem poſt celebratum contractum, ſi poſt ipſum poſita fuerit ſolutio, & numeratio. Conſequentia probatur, quia id, quod excludit exceptionem eſt numeratio, ergo quotieſcunque hæc eſt poſita ſemper eandem excludet, neque referre debet, quod vel antea, vel poſtea fuerit poſita. 2

Id, quod excludit exceptionem eſt numeratio.

Probatur ſecundo, quia exceptio conceditur ob non adimplementum ſpei, ſub qua, ſeu vigore cuius facta fuit confeſſio, ergo, quotieſcunque fuerit ſpes adimpleta, non poterit dari exceptio. Conſequentia probatur, quia non poteſt opponi defectus ſpei, vbi ſpes ipſa habuit complementum. Confirmatur primo, quia promiſſio mercatoris de ſolutione ponenda habetur pro ipſa ſolutione *Bartolus in*

Exceptio conceditur ob nõ implementum ſpei.

Digitized by Google

l. 15. ſtipulatoria num. 19. ff. ſi cert. pet., Afflictus deciſ. 353. dubia num. 5., Straccha tract. de decoctoribus part. 5. ſub n. 5. verſ. incurrit tom. 6. part. prima fol. 320., Rot. Rom. diuerſ. deciſ. 285. dixerunt ſub num. 7. coram Card. Pamphilio in Beneuent. Cenſus 29. Maij 1598. in impreſſis Lugduni 1612., ergo à fortiori, quando poſtea ipſa promiſſio in effectu adimpleta eſt per ipſam actualem ſolutionem, ſeu numerationem, adeoque tunc non erit locus exceptioni. Confirmatur ſecundo, quia ſolutio facta poſt quatuor dies à die contractus habetur, ac ſi eſſet poſita ſtatim, & incontinenti ſimul cum contractu per ea, quæ ſcribit *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 5. nu. 7., & in tract. de Iud. cauſ. lib. 2. cap. 7. ſub num.* 674., ſed quando in ipſo contractu facta fuit numeratio, ſeu ſolutio non datur locus exceptioni, ergo neque &c.

Solutio facta poſt quatuor dies habetur pro facta incontinenti.

Ad magis corroborandam hanc opinionem adducit *Scaccia d. §. 2. gloſ. 5. num. 64.*, argumentum in terminis fortioribus in cauſa ſolutionis pretij cenſus, in quo ex diſpoſitione Pij V., vt latè dixi *tom. primo ſub tit. Contractus IV. de Emphyth., & Cenſibus Prænot. 21. ſect. 4.*, requiritur numeratio coram Notario, & teſtibus, & tamen ſi coram eiſdem tradatur cedula Bancharia, perinde ſe habet, ac ſi poſita eſſet numeratio, ita vt non detur amplius locus exceptioni, ex quo infert à fortiori, quod ſi datæ fuerunt literæ cum promiſſione poſtea effectuata ſit perfectè completus contractus, & non detur etiam amplius locus exceptioni.

Cedula Bancharia habetur pro pecunia numerata.

3 Firma igitur manet reſponſio. Solum in præſenti remanet reſpondendum ad id, quod poſſet obijci de commiſſione falſi ex eo, quod in ipſa datione literarum confeſſus fuerit numerationem, quæ tamen tunc temporis poſita non erat. Dic igitur, in illa confeſſione non poſitam eſſe rationem falſi, tum quia ipſa promiſſio ſolutionis per mercatores habetur pro actuali ſolutione; tum quia illa confeſſio ex partium conuentione refertur ad tempus, quo ponetur actualis ſolutio, & numeratio; tum tandem, quia hoc communi vſu inductum eſt, vt nullo iure renuente poſſit fieri huiuſmodi confeſſio, cum hic vſus ſit valdè accommodus humanis commertijs, & ius ipſum ſuppleat defectum actualis numerationis, & confeſſionem referat ad tempus, quo eadem ponitur.

Promiſſio ſolutionis inter mercatores habetur pro ſolutione.

§. XXII.

An verba illa poſita in literis cambij, *per la valuta hauuta de contanti*, præter excluſionem exceptionis, quid aliud importent.

SVMMARIVM.

Exponitur in facto ſtatus controuerſiæ. 1.
Rationes dubitandi. 2.
Illa clauſula præter excluſionem exceptionis non numeratæ pecuniæ excludit etiam ſolutionem in alia ſpecie, & importat ſolutionem in numerato. 3.
Ratio dubitandi diſſoluitur. 4.

1 Diſquiſitio XXII. Literas dederat Titius eidem Caio, in quibus fatebatur, ſe titulo cambij ab eodẽ Caio recepiſſe mille nummos aureos addita illa clauſula *per la valuta hauuta de contanti*. Certũ eſt ex dictis in præcedentibus, quod illa confeſſio excludat exceptionem non numeratæ pecuniæ. Contendebat tamen non obſtante tali excluſione excipere Titius, quod ſolutio non facta fuerit in numerata pecunia, ſed in alia rerum ſpecie. Quæritur iam hic, an re vera per illam clauſulam probetur ſolutio in numerato, adeò vt excludat talem exceptionem.

2 Ratio dubitandi ex eo potiſſimum conſurgit, quod nomine pecuniæ veniunt omnia corpora *l. pecuniæ verſum ff. de verb. ſignific.*, & ſic omnes res tam mobiles, quam immobiles, & item iura *l. pecuniæ nomine ff. eod. tit.* & ſignificat totum id, quod homines in terris poſſident *cap. totum* 1. *quæſt. 3. & l. quiſquis ff. de leg. 3.*, & comprehendit quodcunque in patrimonio conſiſtens, ſiuè ſint homines, ſiuè iumenta, ſiuè terræ *Fort. Garc. in l. iuris gentium num. 17. ff. ſi cert. pet.*, & ea omnia, quæ nummo ponderari poſſunt *Surdus deciſ. 35. ciues num.* 17. ex quibus non incongruè inferre licet, quod, ſi pecunia indiferens eſt ad ſignificandum, vel nummos formalitèr, vel alias res in ſpecie, ità multo magis indiferens ſit ad ea explicanda valor expreſſus per illam clauſulam *per la valuta hauuta in contanti*. His tamen non obſtantibus

3 Reſpondeo, illam clauſulam præter excluſionem exceptionis non numeratæ pecuniæ excludere etiam ſolutionem in alia ſpecie, & importare deter-

determinatè ſolutionem in numerato. Probatur primò, quia, licet appellatione pecuniæ veniant omnia nummis æſtimabilia, propriè tamen, & in rigore veniunt ſoli nummi *Nauarrus in cap. nauiganti ſub num. 6. verſ. ſequitur de vſuris. Romualdus Coli tract. de Cambijs c. 1. & ſecundo. Menochius de arbit. Iud. caſu 316. num. 48. lib. 2. centur. 4.*, & in quocunque euentu illa particula *numerata*, ſeu *de contanti* tollit quamcunque ambiguitatem, & ſpeciatim reducit ſolutionem ad pecuniam numeratam. *Fabianus de Mont. tract. de empt., & vendit. quæſt. 4. princip. ſub num. 20. tom. 6. part. prima fol. 51.* ergo per illam clauſulam *per la valuta hauuta de contanti* exprimitur confeſſio ſolutionis factæ in pecunia numerata, adeòque per illam excluditur exceptio, quod non fuerit poſita ſolutio in numerato.

Illa particula *de contanti* debet ad aliquem finē eſſe inducta. Probatur ſecundò, quià illa particula *de contanti* poſita in literis cambij debet aliquid operari, & ad aliquem finem eſſe inducta, nihil enim præcipuè in literis, ſeu ſcripturis diſpoſitiuis, cuiuſmodi ſunt literæ cambiorum, debet ſuperfluum apponi, ſed, niſi ſignificaret actualem numerationem pecuniæ, nihil operaretur, & ad nullum finem eſſet inducta, ergo &c. Minor probatur, quià ſolutio facta, vel in aliqua ſpecie, vel in nummis ſub indiferentia ſufficientèr exprimitur per præcedentem particulam nempè *per la valuta hauuta*, quæ particula ſecundum ſe indiferens eſt ad exprimendum vtrumque, ergo, niſi reſtringeret illud, quod ſecundum ſe indiferens eſt ad vtrumque, ad vnum tantum, nempè ad ſolutionem poſitam in nummis, illa particula *de contanti* eſſet ſuperfluè appoſita, quod non eſt dicendum.

Ad rationem dubitandi, quæ in principio afferebatur patet, quid ſit
4 reſpondendum; licet enim appellatione pecuniæ veniant quæcunque corpora, ſi pecunia lato modo ſumatur, non veniunt tamen, ſi ſtrictè, & in rigore ſumatur, & verba regularitèr in ſcripturis diſpoſitiuis ſumuntur ſecundum proprium, ſpecificum, & rigoroſum ſenſum, niſi quid aliud exprimatur. Deindè dato etiam, quod æquè primo appellatione pecuniæ venirent omnia corpora ſub indifferentia, hoc eſt tam ſpecies, quam quantitas, tam nummi, quam æquiualens in æſtimatione, in hypotheſi tamen reſponſionis coarctaretur determinatè ad pecuniam numeratam propter ſuperadditam particulam *de contanti*.

Verba diſpoſitiua ſumūtur ſecūdum ſenſum rigoroſum

DISQVISITIONES V.

Ad reliquas omnes Prænotiones de Cambijs II.

§. I.

De onere acceptantis, & ſoluentis partitam ad ſe tractam habita, vel non habita notitia decoctionis eius, qui traxit.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſiæ. 1.
Nonnulla notabilia requiſita ad diſcuſſionem controuerſiæ. 2.
Si acceptauerit bona fide, & promiſerit ſolutionem ignorans, ſeu non habens notitiam ex publica fama decoctionis ſui mandatoris nullum detrimentum ſibi intulit ſoluendo etiam poſt habitam talem notitiam, & quomodò. 3.
Si acceptarit, & promiſerit habita antecedentèr notitia per publicam famam decoctionis poteſt compelli per eum, in cuius fauorem facta fuit tracta, ad ſoluendum. 4.
Non tamen poteſt agere, ſi ſoluerit contrà bona decocti in præiudicium aliorum creditorum. ibid.
Solutio doloſa, & imprudentèr facta non poteſt obeſſe creditoribus. 5.
Si acceptator, promiſſor, ſeu ſolutor fuerit debitor ex cauſa præcedenti reſpectu trahentis ad ſe illam ſummam, & habuerit notitiam decoctionis poſt acceptationem, & promiſſionem licet antè ſolutionem, poteſt licitè, vti compenſatione. 6.
Si verò habuerit notitiam decoctionis antè acceptationem non poteſt eadem compenſatione vti. ibid.

Diſquiſitio I. Cum Fabius traxerit Franciſco partitam mille aureorum ſoluendam v.g. Lugduni, Franciſcus eandem acceptauit tempore tamen, quo idem Fabius vergebat in decoctionem, & pro eodem tempore eandem ſoluit. Quæritur, an per talem acceptationem, & ſolutionem damnum aliquod ſibi intulerit. Pro ſolutione 1

Aduerte primò, iuxtà duplicem ſenſum poſſe examinari; vel enim poſita acceptatione bona fide ſupeṛuenit po- 2
ſtea

ſtcà ad locum, ad quem facta fuit tracta, notitia; ſeu publica vox, & fama de decoctione illius, qui traxit, vel habita fuit notitia, ſeu publica vox, & fama de illius decoctione, antequam literæ tractæ, ſeu tracta ipſa acceptaretur. Iuxtà vtrumque hunc ſenſum, qui certè attentè ponderandus eſt, immorandum eſt in huius diſquiſitionis diſcuſſione.

Proponuntur articuli circa quæſitum.

Aduerte ſecundò, an ille, ad quem dirigitur tracta, fuerit debitor illius, qui ad ſe tractam direxit ex cauſa præcedenti, an verò fuerit ſimplicitèr mandatarius, ſeu reſpondens ex nulla cauſa præcedenti debitor. Quibus pro notitia ſuppoſitis. Id, quod controuertitur circà propoſitum dubium eſt primò, an ſi acceptarit Franciſcus ſine præuia notitia decoctionis eius, qui ad ſe traxit, ſoluerit tamen habita tali notitia præiudicium aliquod per talem ſolutionem ſibi intulerit, &, ſi nullum præiuditium ſibi intulit, contrà quemnam poſſit dirigere actionem ad repetendum ſolutum. Secundò, an, ſi non intulerit præiudicium acceptando non habita tali notitia, ſoluendo tamen poſt illam, intulerit tamen, ſi acceptarit, & ſoluerit habita tali notitia decoctionis &c. Tertiò, an compenſare poſſit in præiudicium aliorum creditorum debitum illud, quod habebat ex cauſa præcedenti cum illa tracta per ſe ſoluta de mandato creditoris, ſiuè habuerit notitiam decoctionis antè acceptationem, & ſolutionem, ſiuè poſt acceptationem, antè tamen ſolutionem.

3 Reſpondeo primò, ſi acceptauerit bona fide, & promiſerit ſolutionem ignorans, ſeu non habens notitiam ex publica voce, & fama decoctionis ſui mandatoris nullum detrimentum ſibi intulit ſoluendo etiam poſt habitam talem notitiam, vndè poteſt agere contrà bona decocti, ſi quæ habet, cumulatiuè cum alijs creditoribus eiuſdem cum iuribus prioritatis, & anterioritatis, ſi quæ habet. In hanc reſponſionem, & iuxta hunc ſenſum præcisè propendet *Scaccia de commerc. §. 2. gloſ. 5. num. 339.*

Probatur, quià poſita illa acceptatione, & promiſſione ſolutionis, de qua ſupra, creditor, in cuius fauorem facta fuit illa tracta, ius acquiſiuit aduerſus acceptantem, & promittentem, vt per ipſum ſoluatur, nec obeſſe poteſt decoctio trahentis cognita poſt acceptationem, & promiſſionem, ergo acceptator, & promiſſor ſoluendo poſt habitam notitiam decoctionis non ſibi præiudicat, ſed ius habet procedendi contrà bona decocti, ſi quæ habet, ad repetendum ſolutum. Antecedens probatur, quià per illam acceptationem, & promiſſionem propriè intelligitur facta nouatio, quæ intelligitur perfecta etiam antè poſitam actualem ſolutionem, vndè ſolutio ipſa poſita poſt notitiam decoctionis non poteſt iuri eiuſdem refragari, qui, ſicuti per talem acceptationem, & promiſſionem ſe ſubiecit oneri ſoluendi, ad quod poteſt impelli, ità ius acquiſiuiſſe dicendus eſt, ratione cuius poſſit compellere, vt iura oneribus iuxta iuſtitiæ ordinem compenſentur. Conſequentia item primi argumenti probatur, quià ſolutio facta iuxtà exigentiam, & ordinem iuſtitiæ tribuit ius ſoluenti exigendi æquiualentem ſummam ſoluto; neque dicas, imprudentèr poſuiſſe ſolutionem, cum eidem conſtaret de decoctione antè eandem ſolutionem; contrà enim impugnaberis, quià dici non poteſt imprudens ſolutio, quæ eſt neceſſaria, nec in poteſtate ſoluentis eandem omittere; poſita autem illa acceptatione, & promiſſione ratione nouationis non amplius liberè ponit ille, in quem facta fuit tracta, ſolutionem, ſed omnino neceſſario.

Per illam acceptationem, & promiſſionē propriè intelligitur facta nouatio.

Solutio facta iuxta ordinem iuſtitiæ tribuit ius ſoluenti exigendi æqualem ſummā.

Reſpondeo ſecundò, ſi acceptauerit, & promiſerit habita antecedentèr ad acceptationem, & promiſſionem notitia per publicam famam decoctionis mandatoris, poteſt quidem compelli per eum, in cuius fauorem facta fuit tracta ad ſoluendum, ſi nondum ſoluerit, non tamen poteſt agere, ſi ſoluerit contra bona mandatoris decocti in præiudicium creditorum *Scaccia, qui ſuprà loco citato*, qui pro ſe citat *Statuta Genuenſia lib. 4. cap. 14. §. nemo poſſit.* 4

Probatur quoad primam partem, quià in ordine ab creditorem per illam acceptationem, & promiſſionem extincta fuit obligatio primi debitoris, & translata in eundem acceptantem, & promittentem, ergo ratione talis obligationis aſſumptæ poterit compelli ad ſoluendum, ſicuti poterat compelli ipſe primus debitor antè talem acceptationem, & promiſſionem. Antecedens patet ex dictis, quià per illam acceptationem, & promiſſionem facta fuit nouatio. Conſequentia verè probatur, quia actio compulſiua poteſt, & debet intentari contra eum, in quem translata eſt obligatio, non ad-uer-

Actio cōpulſiua debet intentari cōtrà eū, in quem translata eſt obligatio.

Digitized by Google

uerſus eum, qui factus eſt immunis ab onere talis obligationis.

5 Probatur ſecunda pars, quia ſolutio imprudentèr facta, & doloſa, & contra iuris ordinem non poteſt obeſſe creditoribus, nec ius ſoluenti tribuere in præiudiitium eorundem, ſed acceptatio, promiſſio, & ſolutio facta cum præcedenti illa notitia decoctionis eſt omninò imprudens, doloſa, & contra iuris ordinem, ergo eiſdem non poteſt obeſſe, ſed totalitèr debet cedere damno eiuſdem ſoluentis. Maior patet, quia culpa, dolus, & imprudentia alteri obeſſe nequeunt ab auctore. Minor etiam ex ſe eſt manifeſta, quis enim prudens aſſumeret onera ſoluendi pro eo, quem nouit impotentem ad ſatisfaciendum? Neque dicas, potuiſſe ſoluentem acceptare ſuum mandatorem, licet non vt idoneum ex ſe, idoneum tamen ex ſuo beneplacito, ſicque velle ſolummodo acquirere illud ius, quod poteſt, ſeu potuit acquirere; contra enim impugnaberis, quia, cum illa acceptatio, & ſolutio in communi omnium æſtimatione, & ſecundum iuris præſumptionem habeatur pro doloſa, non videtur ſuo auctori ius aliquod poſſe tribuere, & ſemper eſt præſumptio, quod facta fuerit in fraudem creditorum, contra quos propterea vim habere non poteſt, quod, ſi voluit acceptare ipſum habita tali notitia, ſibi imputet, vel agat, ſed prius adimplendum eſt ius creditorum, quibus præſumptus ipſius dolus non poteſt præiudicare.

Culpa, & dolus nequeunt alteri ab auctore nocere.

Ad magis corroborandam hanc ſecundam partem reſponſionis noſtræ congerit aliqua argumenta *Scaccia loco citato*, vel ſita in eo, quod ſi quis orta fama de caſu ſiniſtro ſe aſſecurari fecerit, aſſecuratio non teneat, vel ſi quis cognouerit legem iam conditam eſſe promulgandam, qua frumenti pretium eſt diminuendum, non poteſt ſtatim frumentum ſuum vendere currenti pretio, ex quibus infert, quod nec etiam ſi ille, in quem facta fuit tracta, nouerit trahentem ex publica fama eſſe decoctum, vel proximum decoctioni poſſit iuſtè acceptare tractam, nec ipſam ſoluere, & ſi ſoluerit non poſſit repetere per ſe ipſum ſolutum. Sed non facilè acquieſcerem huiuſmodi rationibus, quia in primis ex orta fama de caſu ſiniſtro non tenet aſſecuratio, quia hæc non extenditur ad caſus fortuitos, & inopinatos, vel quia non eſt æqualis conditio aſſecurati, & aſſecurantis, quæ non militant in ſoluente, qui poterat ſibi præcauere, cum antecedentèr habuerit plenam notitiam decoctionis, & ſic reſpectu ipſius illa decoctio non poteſt dici caſus fortuitus, &, ſi eſt inæqualis conditio debet ſibi imputare, quod non præcauerit, cum præcauere potuerit. Ad alteram rationem adductam patet ex dictis *tom. primo ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. Prænot. 2. num. 9., & ſeqq.* falſo inniti fundamento, quandoquidem habita illa notitia de lege mox promulganda dimminutionis valoris quoad frumentum nulla eſſe poteſt iniuſtitia, ſi frumentum antè promulgationem vendatur pretio currenti. Vide, quæ latè dicta ſunt loco citato, quę multum conferunt ad eludendam mentem Scacciæ.

Argumenta Scacciæ, & eorum ſolutio.

Reſpondeo tertio, ſi acceptator, promiſſor, ſeu ſolutor fuerit debitor ex cauſa præcedenti reſpectu trahentis ad ſe illam ſummam, & habuerit notitiam decoctionis poſt acceptationem, & promiſſionem, licet antè ſolutionem poteſt licitè, vti compenſatione, etiam cum excluſione aliorum creditorum; ſi vero habuerit notitiam decoctionis ante acceptationem, & promiſſionem non poteſt in eorum præiudicium eadem vti compenſatione. 6

Ratio primæ partis eſt, quia, vt alibi aſſerebam, quando ex præcedenti cauſa debitor fit ex aliqua iuſta cauſa ſubſequenti creditor ipſo iure inter debitum, & creditum fit compenſatio, ſed quando facta fuit acceptatio, & promiſſio ſolutionis ſine præuia cognitione decoctionis trahentis, ipſe, ad quem tracta defertur, fit ex iuſta cauſa ſubſequenti creditor, ergo iuſtè fit compenſatio huius crediti cum debito præcedenti, adeoque ratione talis compenſationis poterit ſolutor eludere aliorum creditorum intentionem; Neque obſtare poteſt, quod alij creditores fuerint in credito anteriores, adeoque quod in ipſorum prẹiudicium non poſſit fieri compenſatio; Non, inquam, obſtare poteſt, quia, vt ſupra aſſerebamus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Camb. II. Diſquiſ. 3. §. 14.*, ius compenſationis antecellit quamcunque hypothecam quantumuis anteriorem, nedum ſimplex creditum anterius *l. verum l. ſi ambo ff. de compenſationibus, Scaccia §. 2. gloſ. 5. num. 427.*, & nimis durum videtur ſoluere alteri, quod ſibi debetur, ad quam duritiem vitandam admittitur compenſatio ipſo iure *Tiraquel de rett. lign. §. 3. gloſ. 3. ſub num. 8.*

Inter creditum, & debitum fit compenſatio immediatè.

Ius compenſationis antecellit quamcũque hypothecã.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia per illam

illam ſolutionem non iuſtè conſtituitur creditor, nec ius aliquod legitimè acquirit, ergo non poteſt legitimè vti compenſatione in præiudicium aliorum creditorum, adeoque alij creditores poterunt contra ipſum agere. Antecedens, præterquamquod patet ex dictis in præcedenti reſponſione, adhuc ſic euincitur, quia qui illegitimè ſoluit, non liberatur à debito, ſed in data ſuppoſitione ille, ad quem tracta fuit directa, quique ex cauſa præcedenti eſt debitor, illegitimè ſoluit, quinimmo reluctante iure acceptat in præiudicium aliorum creditorum, ergo &c.

Qui illegitimè ſoluit nõ liberatur à debito.

§. II.

An ſolutio literarum Cambij facta alteri ab eo, cui ſunt ſoluendæ, liberet debitorem ab onere ſolutionis.

SVMMARIVM.

Facti ſeries, & rationes dubitandi. 1.

Caius per illam ſolutionem factam per Andræam illi tertiæ perſonæ, quæ ſe ſimulauit Antonium, non liberatur à debito, quod contraxit cum Franciſco. 2.

Caius per ſolutionem factam per Andræam fictæ illi perſonæ non conſtituitur debitor eiuſdem Andreæ. 3.

Periculum illud ſolutionis factæ per Andræam cedit eidem Andreæ. 4.

Argumenta nonnulla propoſita, & ſoluta. 5.

Si dator literarum dixerit, vt mandatarius ſoluat portitori, periculum cedit ipſi datori. 6.

1 Diſquiſitio II. Franciſcus hic Mediolani ſoluit ſcutos centum Caio campſori reſtituendos ſibi Romę, vel Antonio recepturo nomine ſui ipſius per Andræam; Caius è contra dedit literas ſcutorum nonaginta quinq; ſoluendas eidem Antonio ſecundum diſpoſitionem Franciſci, qui acceptis dictis literis eaſdem includit in literis, quas vocant *d'auiſo*, & deferendas commiſit Tabellario. Fuerunt literæ interceptæ a tertia quadam perſona, quę ſimulans, ſe eſſe Antonium, exegit ab Andræa Romæ ſcutos illos nonagintaquinque. His poſitis monitus per Antonium Caius de non receptione literarum, & requiſitus, nouas literas, ſeu ſecundas dedit eiuſdem tenoris, quæ, cum fuerint præſentatæ Andreę, non ſortitæ fuerunt executionem, quandoquidem Andræas excepit in primis literis ſolutionem feciſſe. Hic iam quæritur primo, an Caius per illam ſolutionem factam tertiæ perſonæ, quæ ſimulauit perſonam Antonij fuerit liberatus à debito, quod contraxit cum Franciſco recipiens hic Mediolani illos centum nummos aureos. Secundo ex ſuppoſitione, quod non fuerit liberatus, an remaneat debitor Andreæ, qui ipſius nomine ſoluit tractam illam nonagintaquinque nummorum, an non remaneat, ſed ſolum teneatur cedere Franciſco actionem furtiuam contra eum, cui ſoluit. Tertio, an Andræas ipſe, qui ſoluit, teneatur ſtare periculo ſolutionis, eo quod non ſoluerit ei ex errore, cui fuit commiſſa ſolutio. Quarto, an iuſtius ſit in hoc caſu, vt tam Caius, quam Andræas intelligantur liberati à debito, ſed ſolum teneatur Andræas cedere Franciſco condictionem furtiuam aduerſus eum, qui malitioſè exegit illam ſolutionem ſimulans ſe eſſe commiſſarium ad exigendum.

Variæ rationes dubitãdi.

Reſpondeo primo. Caium per illam ſolutionem factam per Andræam illi
tertiæ perſonæ, quæ ſe ſimulauit An- 2
toniũ commiſſarium Franciſci ad exigendum non liberari à debito, quod contraxit cum eodem Franciſco. Probatur, Caius eouſque remanet debitor Franciſci, & obligatus ad ſolutionem, quouſque eidem, vel eius legitimo Procuratori non fuerint literæ ſolutæ, ſeu facta fuerit promiſſio de ſolutione per eum, ad quem directæ fuerunt, vel ſibi, vel eius legitimo Procuratori per ea, quæ latè ſupra tradidimus, dum de nouationibus, & delegationibus in cambijs, ſed in hypotheſi, de qua hic loquimur, per eum, ad quem literæ fuerunt directæ, nec ſibi, nec ſuo procuratori legitimo facta fuit promiſſio de ſolutione, nec actualis ſolutio, vt per ſe patet, cum facta fuerit alteri ab ipſis, ergo &c.

Debitor eouſque remanet debitor, quouſq; legitimè ſoluerit.

Dices primo, eo ipſo, quod literæ fuerunt acceptatæ per eum, ad quem fuerunt directæ pro ſolutione, & facta per eum promiſſio de ſolutione, intelligitur facta nouatio, & tranſlata obligatio in acceptantem, & promittentem, & onus intelligitur extinctum in principali debitore, ſed in caſu, de quo loquimur, & literæ per eum, ad quem fuerunt directæ, fuerunt acceptatæ, & per eum facta fuit promiſſio, ergo intelligitur extinctum onus in

prin-

Digitized by Google

Ad nouationé non ſuffi. cit quæcunque acceptatio.

principali debitore. Sed contra, quia non ſufficit quæcunque acceptatio, & promiſſio, ſed promiſſio facta, vel ipſi creditori, vel alteri de ipſius commiſſione, quod potiſſimum verificatur, quando in literis cambij perſona, cui fit commiſſio recipiendi, determinatè exprimitur, vt euenit in hypotheſi, de qua loquimur; neque obſtare poteſt, quod ille, cui fit promiſſio, ſeu ſolutio, reputetur, & quidem non imprudentèr, cum ipſe literas præſentet, ille, cui facta fuit commiſſio de recipienda ſolutione per creditorem iuxta enuntiata in literis cambij per datorem earundem literarum; non, inquam, obſtare poteſt, quandoquidem, quod per ſolutorem reputetur, vt talis, non efficit, quod eidem legitimè facta fuerit ſolutio, cum furtiuè illam receperit non fretus aliquo iure, vndè ſoluens debet imputare proprio infortunio, quod per receptatorem fuerit deceptus, ſicuti debet ſuo infortunio imputare ille furtum factum in bonis proprijs, qui ſub ſimulata aliqua amicitiæ ſpecie à ficta quadam perſona fuit damnificatus; neque eidem ſoluenti ſuffragari poteſt circunſtantia delationis, & præſentationis literarum, per quam videtur, quantum pertinet ad prudens iudicium humanũ, legitimari perſona delatoris, tanquã ea, cui facta fuerit commiſſio ad recipiendum; non, inquam, ſuffragari poteſt, quia delatio, & præſentatio literarum ad ſummum legitimat perſonam talis vt portitoris, non vt commiſſarij ad recipiendum, & ſic cum tali delatione, & præſentatione poteſt adhuc eſſe dubietas de identitate commiſſarij, quinimmò, cum paſſim huiuſmodi caſus poſſint obuenire, debent mercatores eſſe cauti, & diligentes in inueſtigatione perſonæ deferentis, & præſentantis, vndè, ſi antequam ſoluant, non inueſtigent, conſtituuntur in aliqua culpa, quæ ſibi nocere debet.

Delatio, & præſẽtatio literarum ad ſummum legitimat perſonã, vt portitoris non vt commiſſarij.

3 Dices ſecundò, dator literarum per ſolutionem legitimam factam per eũ, cui deſtinauit talem ſolutionem, liberatur à creditore ſuo, ſed ſolutio cenſetur legitimè facta, quandò facta eſt per debitorem ei, quem ex iuſta cauſa credit eſſe creditoris procuratorem *Alexander in l. ſi Procuratori 14. nu. 16. ff. de condict. ob cauſ. dat. cauſ. non ſec., Rota diu. deciſ. 76., Chriſtophorus num. 2. verſ. & quamuis coram Orano in Rom. pecun. Ven. 23. Octob.* 1593. quod euenit in caſu noſtro, in quo iuſtis concurrentibus præſumptionibus iuſtè credi poteſt præſentator literarum procurator creditoris, ſeu eiuſdem commiſſarius, ergo per talem ſolutionem legitimè liberatur. Sed contra reſpondet *Scaccia §. 2. gloſ. 5. num.* 342. iuſtam cauſam credendi eum, cui debitor ſoluit, eſſe creditoris Procuratorem excuſare debitorem, ſi eſt debitor certæ rei in indiuidio, ſecus ſi ſit debitor in genere, ſeu in quantitate iuxtà ſenſum *Pauli de Caſtro in d. l. ſi Procuratori not. 3. num. 3. ff. de condict. ob cauſ. dat. cauſ. non ſec.* à quo ſenſu non recedit *Rota d. deciſ. 76. num. 2. in fin., & num. 3.* rationemque adducit, quia debitor rei in indiuiduo liberatur interitu rei debitæ, ſi intereat nullo interueniente dolo, vel culpa, debitor verò rei in genere per interitum certæ rei non liberatur, quià intereunte illa certa re non perit genus eiuſdem, in quo ſita eſt obligatio. Acquieſco doctrinæ, & reſponſioni Scacciæ, quæ ſecundum ſe ſana eſt, ſed adhuc remanet explicandum, cur remaneat liberatus pereunte re obligata in indiuiduo, non quandò eſt debitor rei in genere, potiſſimũ, cum bona fides interueniat in vtroque caſu, quæ videtur eximere ab obligatione. Quamobrem dicendum eſt, liberari, quandò eſt debitor rei in indiuiduo pereunte eadem re nullo interueniente dolo, quia nec obligatus remanere poteſt ratione eiuſdem rei, quę conſumpta ſupponitur, nec ratione iuſtæ conſumptionis, cum conſumpta fuerit ſine ipſius culpa, non liberari verò, quandò eſt debitor in genere, quià pereunte re in tali genere adhuc remanet genus, & ſic tenetur adhuc ratione rei in ſuo genere exiſtentis; nec ſola bona fides ſufficit ad eximendum ab obligatione, quandòquidem obligatio adhuc remanet ratione rei exiſtentis.

Debitor rei in indiuiduo liberatur à debito, ſi res illa pereat, non ſic debitor rei in genere.

Reſpondeo ſecundò. Caium per illam ſolutionem factam per Andræam non conſtitui de illa ſumma ſoluta fictæ illi perſonæ debitorem eiuſdem Andreæ. Deducitur manifeſtè ex præcedenti reſponſione, ſi enim per illam non liberatur à debito, quod contraxerat cum Franciſco, ergo non conſtituitur debitor eiuſdem Andreæ, qui ſoluit illi tertiæ perſonæ fictæ. Conſequentia probatur, quia, in tantum non liberatur à debito verſus Franciſcum, in quantum ſolutio per Andræam facta non eſt ſubſiſtens, nec in ipſius fauorem cedit, ſed ex eo, quod ſolutio illa non ſit ſubſiſtens, non poteſt obligare eum, cuius nomine fit, ergo non po-

Ddd

Digitized by Google

poteſt conſtituere eundem debitorem verſus ſoluentem. Minor probatur, ex eo, quod ſolutio illa non ſit ſubſiſtens, non liberat Caium debitorem à Franciſco creditore, ergo non conſtituit Andræam ſoluentem creditorem, nec eundem Caium, cuius nomine fit ſolutio, debitorem Andreæ. Conſequentia probatur, quià liberatio à creditore per ſolutionem ab altero factam, & conſtitutio eiuſdem in debitorem reſpectu ſoluentis nomine ipſius ſunt eſſentialitèr correlatiua, ergo, ſi non liberatur à creditore, non poteſt conſtitui debitor reſpectu ſolutoris.

Solutio non ſubſiſtens nõ obligat eũ, cuius nomine fit.

4 Reſpondeo tertiò, periculum illud ſolutionis factæ per Andræam cedit eidem Andreæ. In hanc reſponſionem propendet *Scaccia de commert. §.2. gloſ. 5. nu. 341., & ſeqq.* vbi obiecta ſoluit, & ſimul roborat, & confirmat ſuum ſenſum.

Probatur primò ex dictis *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ. 4. §.17. verſ. tertia difficultas*. Si fiat ſolutio ex vi literarum confictarum ad ſimilitudinem caractherum alicuius mercatoris talitèr, vt nec per peritos cognoſci poſſit dolus, vel eorundem caractherum ſimulata expreſſio, periculum ſolutionis pertinet ad eundem ſolutorem, ergo etiam, ſi fiat ſolutio alicui ſe confingenti pro vero commiſſario ad recipiendum taliter, vt non cognoſcatur ſimulatio, periculum eiuſdem pertinere debet ad eundem ſoluentem. Conſequentia probatur, quia non minus eſt confictio quoad neceſſaria in vno, ac in altero caſu, & ratio, quæ militat pro vno, militat etiam pro altero, vt diſcurrenti pariformitèr innoteſcet.

Ratio euincens intentum expoſitũ.

Probatur ſecundò, quià illud periculum pertinere non poteſt, nec ad principalem debitorem datorem literarum, nec ad ſtipulatorem contractus, ergo ad eum, qui tales literas ſoluit. Antecedens quoad primam partem patet ex dictis, quia dator literarum non eximitur per illam ſolutionem à debito, quod contraxit cum Franciſco, nec aliquod debitum contrahit cum Andræa, ergo periculum illius ſolutionis nullo iure pertinere poteſt ad ipſum, cæteroqui pro eodem debito duplici oneri adæquato ſubeſſet, quod non eſt dicendum; Quoad ſecundam autem partem ſic probatur, quià eouſque ſtipulator remanet creditor, quouſque ius, quod acquiſiuit ex contractu extinguatur, ſed eo quod ſolutio facta fuerit alteri à ſuo commiſſario ius, quod ex contractu acquiſiuit, non fuit extinctum, ergo adhuc remanet creditor, adeòque periculum illius ſolutionis non poteſt eidem cedere.

Altera ratio tendens in idem.

Aduerſus hæc, quæ hactenus dicta ſunt, nonnulla congerit argumenta *Scaccia loc. cit. num. 344., & ſeqq.* quæ tamen contendit eneruare. Primum 5
eſt, quia datis literis v. g. per Caium in fauorem Franciſci, vt euenit in facti ſerie, de qua loquimur, eiſdemque ante poſitam ſolutionem amiſſis non tenetur Caius reſtituere eaſdem pecunias ſibi traditas per eundem Franciſcum eidem Franciſco, niſi prius conſultum fuerit eidem Caio per liberationem ab eiſdem literis per publicum inſtrumentum *Baldus in l. inſtrumenta in vltimis verbis C. de fideicom., Ioan. de Anan. in cap. vlt. nauiganti, ſub num. 46. de vſuris* per ea, quæ nos etiam ſuperius tradidimus, ergo ſi Andræas ſoluerit alteri à commiſſario ad recipiendum rectè ſoluiſſe dicendum eſt, nam, ſi malè ſoluiſſet, ſatis Caio conſultum eſſet, abſque eo, quod vlterius cautus redderetur per publicum inſtrumentum liberationis. Huic argumento occurrit *Scaccia loc. cit. num. 355.* aſſerens, quod *quandò res non eſt amplius integra, eo quod tertius literas iam exegiſſet, non ſit amplius locus præfatæ cautelæ liberandi campſorem per inſtrumentum à literis cambij, ſed erit locus, vt campſor, vel reſtituat id, quod accepit, vel faciat alias literas ſoluibiles*. Sunt formaliſſima verba eiuſdem Scacciæ, cui adhæreo.

Secundum argumentum eſt. Si quis à longinquis regionibus veniens aſſerat, ſe eſſe Procuratorem alterius, & doceat de mandato, debet admitti, & recipi tanquam talis, quamuis non doceat de identitate ſuæ perſonæ, quod ſcilicet ſit ille ipſe, qui continetur in mandato, vt Procurator *Baldus in l. ſi qua per calumniam in fin. ſub num. 5. verſ. vltimo inducitur C. de Epiſ., & Cler. Felinus in cap. 2. in nomine ſub nu. 27. verſus finem de teſtibus. Straccha de adiect. part. 4. quæſt. 8. num. 10. tom. 6. part. prima fol. 400.* ergo etiam, ſi quis non cognitus aſſerat ſe eſſe commiſſarium alterius, & per literas, quas præſentat, doceat de mandato, debet admitti vt talis, &, ſi eidem fiat ſolutio, legitimè facta ſupponi debet. Sed huic etiam argumento occurrit idem Scaccia, qui ſupra, aſſerens, quod hæc, quæ dicuntur, vim habeant, quandò conſtitutus eſt Procurator, ſeu apparet, vt Procurator pro certa re in indiuiduo, ſecus

autem

Digitized by Google

autem quandò ad genus, vel ad quantitatem iuxtà modum ſuperius explicatum, ſeu pro genere, vel quantitate iuxtà *Rotam Romanam diuerſ. deciſ. 76., Chriſtophorus nu. 3. coram Orano in Romana pecuniaria Ven. 23. Octobris 1593.*

Hic oritur pro complemento eorũ, quæ dicta ſunt quædam quæſtiuncu-
6 la, an, ſi dator literarum in eiſdem dixerit ei, cui data eſt commiſſio ſoluendi, vt ſoluat portitori talium literarũ nullo determinatè expreſſo, & ipſe ſoluerit ei, qui literas detulit, & præſentauit, qui tamen ille non eſt, cui fuerunt literæ conſignatæ, ſed alter, qui ipſas doloſè intercepit, an, inquã, legitimè ſoluerit, & periculum ſolutionis transferat in datorem earundem literarum. Reſpondeo, ſoluentem legitimè ſoluiſſe, & à ſe abdicaſſe periculum ſolutionis. Ratio eſt, quià per talem ſolutionem adimpleuit adamuſſim mandatum datoris earundem literarum, & ille, cui fit ſolutio, vigore earũdem videtur expreſsè adiectus ſolutioni de commiſſione mandantis, ergo non eſt, cur grauari debeat periculo talis ſolutionis. Conſequentia tenet, quià qui perfectè exequitur alicuius mandatum, ipſum ſibi obligat actione mandati.

Perfectè exequitur mandatum datoris literarum.

---

§. III.

Inito Cambio, & confectis literis, quid agendum ſit, ſi iſtæ amittantur.

SVMMARIVM.

Examinatur titulus, & proponuntur rationes dubitandi. 1.

Re integra in ſuo eſſe permanente non poteſt Franciſcus compellere Caium ad reciſſionem contractus, ſed tantum ad nouas literas. 2.

Si alter literas amiſſas inuenerit, & pecuniam exegerit datis per debitorem nouis literis poteſt creditor, vel repetere à datore pecuniam, vel exigere alias literas ſoluibiles. 3.

In hypotheſi, quod res adhuc fuerit integra, & dator literarum velit nouas literas dare, poteſt exigere, quod liberatur à primis per inſtrumentum. 4.

1 Diſquiſitio III. Siſtendo in terminis præcedentis diſquiſitionis Caius literas dederat Franciſco ſtipulatori, cum commiſſione in eiſdem Andreæ, vt ſolueret contentam, & enunciatam ſummam, non iam Antonio, vt in literis præcedentis caſus, ſed eidemmet Franciſco ſtipulatori, qui Romam proficiſcens eaſdem in itinere amiſit. Cognita Franciſcus amiſſione redit ad Caium, & ab eodem petit, vt pecuniã per ſe ſolutam reſtituat. Quæritur in hoc caſu ad quid obligetur idem Caius, quidue præſtare poſſit, & debeat?

Circa propoſitum dubium erit primo examinare, an Franciſcus poſſit obligare Caium ad reſtitutionem, ſeu ad reciſcionem contractus, an verò tantum ad nouas literas dandas. Secundò, an ſi dentur nouæ literæ per Caium eidem Franciſco, ſed interim alter, qui primas inuenerat, eaſdem exegerit, an, inquam, poſſit repetere ſummam per ſe ſolutam à Caio, ſeu quid ſit agendum in hac hypotheſi. Tertiò in ſuppoſitione, quod Caius obligetur ad nouas literas, quas cautiones poſſit exigere?

Reſpondeo primò, re integra in ſuo eſſe permanente, prout erat, quandò 2
contractus fuit initus, non poſſe Franciſcum obligare, ſeu compellere Caium ad reſtitutionem pecuniæ per ſe ipſum ſolutæ, ſeu ad reciſcionem contractus, ſed tantum ad nouas literas dandas *Baldus conſ. 349. facta fuerunt nu. 2. & 3. lib primo. Ioannes Baptiſta Cauat. tract. de Cambijs tit. de ſolut. in loco, ad quem. Socinus conſ. 68. in cauſa, quæ vertitur in princip. verſ. quæ etiam lib. 3. Follerius ad Marant. in ſpec. part. 6. act. 6. num. 47. verſ. & ſi diſpoſitiuas*, & eſt reſponſio conformis ijs, quæ nos etiam ſupra docuimus.

Probatur primò, quià in contractibus, qui cedunt in vtriuſque contrahentis vtilitatem, non datur locus reciſcioni, niſi accedat vtriuſque contrahentis voluntas, ſed tales ſunt contractus cambiales, ergo amiſſis per campſorem, ſeu ſtipulatorem literis renuente datore earundem non erit locus ad repetendum ſolutum, ſeu ad reciſcionem contractus, ſed ad ſummum ad complementum eiuſdem per nouas literas. Conſequentia probatur, quià literis adhuc exiſtentibus non poteſt campſor à contractu reſilire altero renuente, ergo etiam eiſdem literis amiſſis caſu fortuito. Conſequentia etiam probatur, quia, quod literæ fuerint amiſſæ, non demit ius alterius contrahentis ad permanendum in contractu iam inito, ſed potius imputandum eſt infortunio amiſſoris, ergo &c.

Contractus in vtriuſq; vtilitatem non habet locum reciſcionis, ſinè vtriuſq; conſenſu.

Probatur ſecundò. Contractus nominati, quique ſolo conſenſu perficiuntur talis naturæ, & conditionis ſunt, vt poſito conſenſu ex vtraque parte non detur amplius locus pænitentiæ, niſi accedente mutuo vtriuſque contrahentis conſenſu, ſed contractus cambiales ſunt nominati, atque ex illis, qui mutuo contrahentium conſenſu perficiuntur, ergo illo præſtito non erit amplius locus pænitentiæ, ſed erit actio ad complementum, adeòque ad nouas literas, medijs quibus contractus ipſe compleatur. Confirmatur, quià ipſæ literæ ex alibi dictis non ſunt de ſubſtantia contractus, ſed tantum requiſitæ ad probationem eiuſdem, & ad celerem executionem, ergo ipſis etiam deficientibus non erit, cur ipſe contractus debeat quoad ſui ſubſtantiam deſinere, ſed permanente ſubſtantia contractus non poteſt altero contrahente reluctante reſcindi, ergo &c.

Contractus cambiales ſunt contractus nominati.

3 Reſpondeo ſecundò. Si alter literas amiſſas inuenerit, & pecuniam in eiſdem contentam exegerit datis per debitorem nouis literis poteſt creditor, vel repetere à datore earundem pecuniam ſolutam, vel exigere alias literas ſoluibiles. *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 5. num. 340., & 353.*

Probatur primò, quià ex ſuperius dictis, ſi literæ ſoluantur alteri ab eo, cui nominatim expreſſo in eiſdem facienda eſt ex commiſſione ſolutio, debitor non liberatur a debito, ergo creditor poterit ab eodem repetere ſummam per ſe ſolutam, quandò per tertium inuentæ fuerunt literæ amiſſæ, & per ipſum exactæ, vbi enim debitum non extinguitur, nec extinguitur ius in creditore illud exigendi.

Probatur ſecundo, quia ſolutio facta non creditori, nec alteri habenti facultatem exigendi nomine ipſius non eſt legitimè facta, nec debitorem eximit ab onere ſoluendi, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, ſolutio non eſſet facta legitimo creditori, nec alteri habenti ius ab ipſo exigendi, ergo &c. Minor ſecundum ſe patet, quià ille, qui literas amiſſas inuenit, non habuit aliquod mandatum ad exigendum, quinimmò ex eo, quod in eiſdem ſit alius expreſsè nominatus ad exigendum ipſe intelligitur implicitè excluſus à iure illo exigendi per ea, quæ ſuperius dicta ſunt.

Rationes euincentes intentum propoſitum.

4 Reſpondeo tertiò. In ſuppoſitione, quod res adhuc fuerit integra, & dator literarum velit nouas literas dare, poteſt exigere, quod liberetur à primis per publicum, & ſolemne inſtrumentum, in ſuppoſitione verò, quod ipſe dator velit conſentire reciſcioni contractus per reſtitutionem pecuniæ, quam ipſe receperat à ſtipulatore, tenetur ipſe ſtipulator expectare, donec, & vſquequo ille, ad quem literæ amiſſæ erant directæ, certioretur de reciſcione contractus, & de amiſſione literarum, & tunc poteſt pecuniam acceptam reſtituere exigendo tamen liberationem in authentica forma. Eſt conformis quoad omnes partes naturali æquitati, & conſuetudini vbique locorum, quandòquidem congruum naturæ eſt, vt pro eadem ſumma bis quis non moleſtetur, vt contingeret, ſeu contingere poteſt, ſi in authentica forma non liberaretur iuxtà modum expoſitum.

Congruū equitati, & iuſtitiæ, eſt vt quis bis non moleſtetur pro eadē ſumma.

---

§. IV.

A debitor poſſit ſoluere adiecto ſolutioni, & ab eo cogi ad ſolutionem.

SVMMARIVM.

Titulus in ſuis terminis explicatus. 1.
Quiſnam dicatur adiectus ſolutioni, & eius munera. 2.
Adiectus ſolutioni ex diſpoſitione ſtipulatoris acquirit capacitatem, vt, ſi ipſi fiat ſolutio, intelligatur legitimè facta. 3.
Debitor ex cambio, vel eius reſpondens ſi ſoluant adiecto ſolutioni liberantur à debito. 4.
Debitor inuitus in contentioſo iudicio non poteſt compelli per adiectum ad ſibi ſoluendum, niſi plenè doceat de mandato. 5.
Adiectus ſolutioni per ſolutionem receptam obligatur verſus ſtipulatorem actione mandati. 6.

Diſquiſitio IV. Celebrato contractu cambij inter Titium ſtipulatorem, & Caium datorem literarum pro reſtitutione ſummæ ſibi ſolutæ per ſtipulatorē adiectus fuit ſolutioni Franciſcus. Quæritur iam primò, an debitor ex cambio, vel eius reſpondens, ſi ſoluat eidem adiecto rectè ſoluat, & liberetur a debito. Secundò, an poſſit in iudicio cogi per ipſum adiectum ad ſoluendum. Pro ſolutione. 1

Aduerte, primò adiectum ſolutioni 2

eum

eum dici, qui per creditorem aſſignatus eſt ad recipiendam ſolutionem nomine eiuſdem creditoris per ea, quæ latè ſcribit *Straccha tract. de adiectis part. prima num. 29., & ſub num. 31. tom. 6. part. prima fol.* 384. Huic adiecto ex contractu, ſeu ſtipulatione, in qua eſt adiectus, nulla aquiritur obligatio per ea, quæ ſcribunt *Tiraquel tract. de iure conſtit. poſſeſ. limit. 30. ſub num. 15. Mantica tract. de tacit. & ambig. conuent. lib. 14. tit. 27. num. primo*, rationemque adducunt, quia ſcilicet nemo poteſt alteri ſtipulari *l. ſtipulatio iſta §. alteri ff. de verb. oblig. §. alteri Inſtit. de inutilib. ſtipul.* ſtipulatio enim, & obligatio inuentæ ſunt, vt vnuſquiſque acquirat ſibi, quod ſua intereſt *Coaruuias in cap. quamuis part. 2. §. 4. ſub num. 2. de pactis in ſexto*. Vide quæ latè tradit *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 7. num. 11. & ſeqq. vſque ad num. 36.* vbi varias ponit reſtrictiones, & explicationes, quas non iuuat hic apponere.

3 Aduerte ſecundò, quod, quamuis adiectus ex ſtipulatione nullam ex ipſa poſſit acquirere obligationem per ea, quæ mox aduertebamus, acquirat tamen ius, ſeu ex diſpoſitione ſtipulatoris capacitatem, vt ſi eidem fiat ſolutio, eidem intelligatur rectè, & legitimè facta per ea, quæ ſcribit *Straccha part. prima ſub nu. 30. tom. 6 part. prima fol. 384.* nec incongrua ſane ratione hoc inductum eſt, quandòquidem valdè confert ad commodum negotiatorum exercitium, qui certè, cum vbique eſſe non poſſint, nec vbique ſolutiones poſſint recipere, congruum eſt, vt per alios, quos ſolutioni adijciunt, poſſint recipere *Straccha d. part. prima num. 22. & ſub num. 26.* His pro notitia ſuppoſitis

4 Reſpondeo primò. Debitor ex cambio, vel eius reſpondens, ſi ſoluerint, vel ſoluant adiecto ſolutioni, rectè ſoluerunt, & ſoluunt, & per talem ſolutionem liberati ſunt, vel liberantur à debito *Straccha tract. de adiectis part. prima num. 43. & ſeqq. tom. 6. part. prima fol. 385. Surdus deciſ. 229. verum ſub num.* 8. Colligitur primo ex *l. ſed & ſi filio fam. §. ſi mihi ff. de conſtit. pecun. l. eum qui ità §. qui ſibi, & l. fin. §. pupillus in fin. ff. de verb. obligat. l. verò procuratori ff. de ſolut. & lib.* Colligitur ſecundò ratione hoc pacto. Solutio facta ei, cui creditor commiſit fieri, vel ſaltem expreſsè permiſit, vt fiat, valida eſt *l. ſolutum §. ſolutum ff. de pignor. act. l. ſi cum dotem §. tranſgrediamur ff. ſolut. matrim.*, ſed, quandò fit adiecto ſolutioni, fit ei, cui creditor commiſit fieri, vel ex expreſſa voluntate permiſit fieri, quandòquidem ex eo, quod ipſum adiecerit ſolutioni, ipſum deputauit ad ipſam recipiendam, ergo &c. Confirmatur, quia ſoluere creditori, vel alteri de eius voluntate paria ſunt per ea, quæ ex allegatis iuribus *in l. ſolutum ff. de pignor. act.* dicta ſunt, ſed, quandò ſolutio fit creditori, legitimè fit, vt per ſe patet, ergo etiam quandò fit alteri de ipſius commiſſione.

Ex eo; quod creditor adiecerit, deputauit ad recipiendam ſolutionē.

5 Reſpondeo ſecundò. Debitor inuitus in contentioſo iudicio non poteſt compelli per adiectum ſolutioni ad ſibi ſoluendum, niſi plane doceat de mandato *Rota Genuenſis deciſ. 54. vertente num. 4. verſ. ſecundo dicitur. Flamin. Cartar. deciſ. 126. Hæredes num. primo, & ſexto. Straccha tract. de adiectis part. prima num. 46., & ſeqq. tom. 6. part. prima, & alij, quos citat. & ſequitur. Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 7. num. 40.*

Probatur primò, quià electus præciſè ad recipiendam ſolutionem ex vi talis electionis non intelligitur electus ad agendum, quandòquidem commiſſio non extendi poteſt vltrà expreſſa, ſicuti Procurator ad lites non habet ius ad ricipiendam ſolutionem *l. hoc iure la 2. ff. de ſolution. l. ſi procurator ff. de procurat. Bartolus in l. omnium in prima quæſt. in fin. eod. tit.*, ſed qui adiectus eſt ſolutioni electus eſt præciſè ad recipiendum *l. fin. §. pupillus in fin. ff. de verb. oblig. Gloſ. in §. plane verb. Seio Inſtit. de Inutil. ſtipul. Rota Genuenſis deciſ. 54. vertente num. 4. verſ. ſecundo dicitur*, ergo ex vi talis adiectionis, ſeu electionis non poteſt agere.

Electus ad recipiendum non eſt electus ad agendum.

Probatur ſecundò ex præcedenti reſponſione. Adiectus ſolutioni præciſè nullam ex vi contractus, ſeu ſtipulationis acquirit, ſeu acquirere poteſt obligationem *l. ſed & ſi filio fam. §. ſi mihi ff. de conſtit. pecun.* ergo ex vi talis muneris non poteſt agere, vt ſibi per debitorem fiat ſolutio. Conſequentia probatur, quià fundamentum actionis eſt obligatio prius acquiſita, ergo, ſi ex eo, quod ſit adiectus ſolutioni, nullam acquiſiuit obligationem, nec ius acquiſiuit ad agendum; neque obſtare poteſt, ſi dicatur vim collatam ad recipiendum neceſſariò connecti cum iure ad agendum, quandòquidem mutuo ſe reſpiciunt; non, inquã, obſtare poteſt, quandòquidem ius illud, ſeu facultas ad recipiendam ſolutionem non eſt facultas coactiua, ſed ſimplicitèr permiſſiua, vt, ſi eidem fiat ſolutio, poſſit eandem recipere, non

Facultas ad recipiendum non eſt coactiua, ſed permiſſiua.

autem

autem vt poſſit compellere, vt fiat.

6 Hic immediatè oritur difficultas in explicando, quo iure, ſi ſolutio fiat per debitorem ſpontè adiecto ſolutioni, obligetur idem adiectus ad reſtituendum ſtipulatori pecuniam ſibi ſolutam per eundem debitorem, ſi enim obligatur actione mandati, videtur etiam ius acquiſiuiſſe ratione eiuſdem ad agendum ad ſolutionem, quod non videtur congruere cum dictis in mox ſecunda poſita reſponſione. Nihilominus abſolutè ſentio, obligari actione mandati *Paulus de Caſtro in l. non vtique §. item Iulianus, ibi, ſed ſi ſoluitur adiecto ff. de eo, quod cert. loc.*, & tamen non acquiſiuiſſe ius ad agendum iuxtà ſuperius dicta. Ratio primæ partis eſt, quià adiectus ſolutioni reputatur quaſi procurator creditoris *Straccha tract. de adiect. part. prima ſub num. 27. fol. 384., Matthæus Collerius tract. de proceſſu execut. part. 2. c. 2. num. 66.* ſed non poteſt eſſe procurator ſine mandato ſaltem implicito, ergo, ſi recipit ex eo, quod ſit adiectus ſolutioni, recipit quodamodò ex vi mandati, ſicq; obligatur ad reſtituendum ſolutum ex vi mandati eidem creditori. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ex vi ſua mandatum non extenditur, niſi ad ea, ad quæ ex communi acceptione dirigitur, & poteſt eſſe mandatum ad recipiendum, & non ad agendum, ergo poteſt obligari ex vi mandati ad reſtituendum ſolutum, quia recepit, non ad agendum ad ſolutionem, cum in ordine ad hoc mandatum non receperit.

§. V.

An ſcriptura collata per ſtipulatorem adiecto ſolutioni inferat mandatum ad agendum contrà debitorem.

SVMMARIVM.

Status difficultatis in ſuis terminis. 1.

Probabilius illa ſcripturarum traditio facta per ſtipulatorem adiecto ex præſumpta tradentis voluntate confert ſufficientèr ius ad agendum, dummodò probetur facta per ſtipulatorem. 2.

1 Diſquiſitio V. Siſtendo in terminis præcedentis diſquiſitionis, ſecundum quos Franciſcus adiectus fuit ſolutioni in contractu cambij inito inter Titium ſtipulatorem, & Caium datorem literarum, idem Titius ſtipulator, ſeu creditor tradidit ſcripturam confectam pro tali cambio Franciſco adiecto ſolutioni, qui eandem producens, & ſimul probans ipſam ſibi fuiſſe à ſtipulatore traditam contendebat habere ius ad agēdum ad ſolutionem, contrà quem excipiebat debitor aſſerens adiectionem eidem factam non conferre ius ad agendum iuxtà allegata in ſuperiori diſquiſitione, ſed tantum ad recipiendum, ſi per ipſum debitorem ſolutio ſpontè fiat. Quæritur hic, cuiuſnam ſint potiora iura in propoſito dubio.

Reſpondeo, probabilius eſſe, illam ſcripturarum traditionem factam per ſtipulatorem adiecto ex præſumpta tradentis voluntate conferre ſufficientèr vim ad agendum, dummodò probetur eam fuiſſe traditam per ſtipulatorem *Scaccia de commerc. §. 2. gloſ. 7. nu. 45., & ſeqq.* quamuis numero immediatè prçcedenti rationem pro contraria parte approbarit, cui adhærere videntur *Rebuff. tract. de liter. oblig. art. 1. gloſ. 9. num. 33. verſ. poterit tom. primo. Straccha tract. de adiect. part. 4. quæſt. 8. nu. 8., & ſeqq. verſ. 3. facti ſpecies. Matthæus Coler. tract. de proceſ. execut. part. 2. cap. 2. num. 58., & ſeqq. vers. vſitatum eſt*, quamuis hi omnes loqui videantur ſolummodò in caſu, quo debitor in inſtrumento, ſeu ſcriptura ſe obligarit ſoluere creditori, & cuique alij, qui ſcripturam præſentaret, & adiectus haberet ſcripturam penes ſe, & produceret in iudicio.

Probatur primò, quià illa traditio literarum facta adiecto per ſtipulatorem, & præſentatio earundem præſtita per ipſum adiectum in iudicio cum probatione talis traditionis facit non inutilitèr præſumi, quod ipſe adiectus conſtitutus ſit Procurator eiuſdem creditoris per ea, quæ ſcribit *Scaccia tract. de commerc. §. 2. gloſ. 7. nu. 57. verſ. ratio ergo valida*, ſed Procurator ad exigendum iuſtè poteſt agere ad conſequendam ſolutionem, vt per ſe patet, ergo &c. Confirmatur, quià illa traditio facta per creditorem, & probata per adiectum ad aliquem finem debet intelligi ordinata, cum regularitèr detineri ſoleat penes creditorem, vſquequo pro illa fuerit ſatisfactum, ſed congruentior finis non poteſt aſſignari, quàm ius collatum adiecto exigendi ſolutionem, quod maximè colligitur tum ex electione ipſius, & non alterius ad recipiendum, tùm ex ipſa

Congruẽtior finis illius traditionis probatę non poteſt aſſignari, quàm ius collatum adiecto ad agendum.

tradi-

traditione ſcripturarum, ergo &c.

Dixi, *dummodò probetur, eam fuiſſe traditam per ſtipulatorem*, quidquid aſſerat *Rebuffus tract. de liter. oblig. art. primo gloſ. 9. nu. 34. verſ. nec requiritur*. Ratio eſt, quià ſola ſcripturarum exiſtentia apud aliquem non probata illarum traditione non probat, nec concludentèr euincit, quinimmò nec præſumptiuè eum, apud quem exiſtunt, conſtitutum eſſe Procuratorem ad agendū, ergo ad hoc munus peragendum videtur ſaltem ex præſumptione requiri, quod probetur per creditorem literas, ſeu ſcripturas eſſe traditas ipſi adiecto. Antecedens patet, quià literæ poſſunt exiſtere apud aliquem, vel quia ſurripuerit ipſas, vel quià per alium ad ipſum fuerint delatæ, per quod non infertur, quod ille, apud quem exiſtunt, ſit conſtitutus Procurator ad illas exigendas, ergo ad inferendum, quod ſit conſtitutus Procurator, debet probari concludentèr, quod illæ ſcripturæ fuerint per ſtipulatorem traditę ipſi adiecto. Scio, quod etiam probata illa traditione poſſet res reflecti ad alium finem, puta ad cuſtodiam, vel ad aliquod aliud munus; nihilominus, quià regularitèr traditio fit ad probandum, importat etiam ſaltem præſumptiuè ad agendum, cū ſine iure ad agendum non poſſit eſſe ius ad probandum, quandòquidem probatio eſt medium ad actionem, & cui competit medium ad finem, etiam videatur competere actio ad eundem finem.

Sola ſcripturarū exiſtentia apud aliquem non concludentèr euincit eum eſſe Procuratorem.

Probatio eſt mediū ad actionem.

Probatur ſecundò reſponſio, quià, cum ſcriptura contineat obligationem ſoluendi ſiuè creditori, ſiuè adiecto, ſiuè cuicunque illam præſentarit, non eſt locus dubitandi, quin creditor eam cautè cuſtodiat, nè quis eam ſubtrahat, & exigat à debitore per ea, quæ ſcribit *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 7. §. 61.* quæ ſi verificantur, quandò cautum eſt in eadem ſcriptura, quod debitor teneatur ſoluere cuicumque eam præſentauerit, non eſt, cur verificari non debeant, quandò ſcriptura tradita eſt ei, qui ſpecialitèr adiectus eſt ſolutioni, fortior enim tunc eſt præſumptio, quod creditor velit, quod ipſe adiectus poſſit agere ad ſolutionem, ergo ſemper erit firma præſumptio, quod ſcriptura ipſi adiecto fuerit tradita ad finem, vt poſſet agere tanquam Procurator tradentis ad exigendum creditum.

Fortis præſumptio ad probandum intentum.

§. VI.

An facta promiſſione per mandatarium ſoluendi literas cambij adiecto, qui eas præſentauit, poſſit poſteà ſoluere non ipſi, ſed Domino.

SVMMARIVM.

Proponitur dilucidè ſtatus controuerſiæ. 1.
Si ille, cui facta fuit promiſſio, erat ſimplicitèr Procurator ſtipulatoris, poteſt debitor ipſo omiſſo ſoluere eidem ſtipulatori. 2.
Si verò erat ſimul Procurator, & creditor eiuſdem ex præcedenti cauſa, non poteſt mandatarius ipſum omittere, & ſoluere Domino. Ibid.

Diſquiſitio VI. In cambio, de quo locuti fuimus in duabus præcedentibus diſquiſitionibus, Franciſcus erat adiectus ſolutioni, eique literæ fuerunt traditæ. Præſentauit eaſdem debitori ex tali cambio, qui ipſas acceptauit. Quæritur hic, an in hac hypotheſi potuerit Franciſcus agere ad ſolutionem talitèr, vt non poſſit fieri ſolutio Domino literarum. Quod poſſit agere ad ſolutionem clarè liquet ex dictis in præcedenti paragrapho; ſi enim quandò facta fuit promiſſio ſoluendi literas cuicunque illas præſentauerit, conceditur præſentanti actio ad exigendum, à fortiori videtur concedenda, quandò ſuppoſito mandato ad recipiendum fit promiſſio immediatè ſoluendi ipſi præſentanti, & acceptatio ipſarum literarum. Id, quod controuertendum hic remanet, eſt, an talis promiſſio taliter obſtringat promittentem, ſeu acceptantem ad ſoluendum ipſi adiecto, cui facta fuit promiſſio, vt amplius eidem liberum non ſit ſoluere datori literarum, ſed teneatur abſolutè ſoluere ipſi adiecto. Qua in re *Scaccia tract. de commert. §. 2. gloſ. 8. nu. 76.* abſolutè ſuſtinet teneri ad ſoluendum adiecto, vt Domino literarum rectè ſoluere non poſſit, & refert deciſionem *Rotæ Genuenſis deciſ. 93. nomine num. 7. in fin. verſic. ſexto dum negatur, & nu. 9.*, & aſſerit ità practicari. 1

Reſpondeo cum diſtinctione; vel enim Franciſcus, cui facta fuit promiſſio, erat ſimplicitèr Procurator credi- 2

Diſtinctio iuxta quam examinatur difficultas.

creditoris, vel Procurator ſimul, & creditor ipſius ex alia præcedenti cauſa; ſi primum; non incongruè ſentiendum arbitrarer, non ità per talem literarum acceptationem, & promiſſionem obſtringi debitorem ad ſoluendum adiecto, ſeu Procuratori, vt non poſſit eodem omiſſo ſoluere Domino literarum; Si ſecundum, abſolutè ſentio non poſſe ſoluere Domino literarum, ſed obſtringi ad ſoluendum adiecto. Ratio primæ partis eſt, quia adiectus in illa hypotheſi non ageret nomine proprio, & actione ſibi competente; ſed in perſona creditoris, vt mandatarius eiuſdem, & actione propria eiuſdem, ergo, ſi omiſſo eodem adiecto ſolutio fieret immediatè eidem creditori, vt legitimè facta cenſenda eſt. Conſequentia probatur; tum quia in data hypotheſi, quod ille fuerit adiectus ſolutioni fuit ad commoditatem, & facilitatem debitoris ad ſoluendum, adeoque, ſi æquè poteſt debitor ſoluere creditori, non eſt, cur ſolutio non ſit cenſenda legitimè facta; tum quia, quando ſolutio fit Procuratori nomine principalis perindè eſt, ac ſi fieret ipſi principali, ergo, ſi fiat eidem principali, erit ritè, & legitimè facta; tum quia tandem actiones actiuæ, & paſſiuæ debent ad inuicem correſpondere, ergo, ſi ſolutio, in qua conſiſtit actio paſſiua, fiat habenti actionem actiuam, qui eſt creditor, rectè fieri ſentiendum eſt; nec obſtare poteſt promiſſio facta per debitorem vigore mandati eidem adiecto, ſeu Procuratori; non, inquam, obſtare poteſt, quia promiſſio non eſt facta eidē, vt eidem, ſed ipſi, vt gerenti perſonam creditoris, ſicque eidem, vt eſt æquiualentèr perſona eiuſdem creditoris; parum autem refert, ſi ſolutio fiat, vel perſonæ formali, vel virtuali eiuſdem.

Adiectus non ageret nomine proprio, ſed ſtipulatoris.

Perindè eſt, ac ſi fieret ipſi principali.

Actiones actiuæ, & paſſiuæ debent ſibi inuicem correſpondere.

Confirmatur eadem prima pars, quia in hac hypotheſi cambium non ſpectat ad ipſum adiectum ſolutioni, ſed ad ipſum creditorem, ergo, ſi eidem creditori fieret ſolutio, vt rectè facta eſſet cenſenda. Conſequentia probatur, quia ſolutio ex cambio ſemper præſumitur ritè facta, quando facta eſt Domino cambij, ſeu ei, ad quem ſpectat ipſum cambium, neque ex eo, quod ſolutio commiſſa ſit alteri, inducit ceſſionem iurium per creditorem eidem factam, ſed dumtaxat ius exigendi nomine ſui ipſius, præcipuè, cum hic præſtet nudum miniſterium, ergo &c.

Cambiū non ſpectat ad ipſum adiectū ſolutioni

Ratio ſecundæ partis eſt, quia in illa ſuppoſitione intelligitur facta nouatio, & ceſſio iurium, ergo facta acceptatione literarum, & promiſſione ſolutionis faciendæ adiecto, qui ex cauſa præcedenti eſt creditor creditoris ex tali cambio, quique talem promiſſionem acceptauit, non erit amplius liberum debitori ex cambio ſoluere Domino cambij, ſed tenebitur ſoluere ipſi adiecto. Antecedens probatur, quia in illa hypotheſi interueniunt omnes conditiones requiſitæ ad validam nouationem, nempè transfuſio obligationis in alterum, promiſſio debitoris erga alterum, in quem ſit transfuſio, & acceptatio eiuſdem talis promiſſionis iuxta ea, quæ tradidit *Pariſienſis conſ.* 107. *quæritur num.* 20., *& ſeqq. vſque ad num.* 28. *incluſiuè lib.* 3., *Scaccia §.* 2. *gloſ.* 5. *num.* 245. *confirmat.* 1., *& nu.* 282. *in fine*. Conſequentia etiam euincitur, quia facta nouatione ius prioris creditoris omnino extinguitur, & in eum, in quem ſit nouatio, tranſfunditùr, ergo non eſt amplius liberum debitori ſoluere ei, qui antecedentèr erat Dominus cambij.

Suppoſito, quod Procurator ſit etiā creditor intelligitur facta nouatio.

Confirmatur primo eadem ſecunda pars, quia ſolutio facta creditori creditoris per debitorem de mandato eiuſdem creditoris ipſo iure tranſit in compenſationem per ea, quæ latè ſupra tradidimus conformiter ad iura ſic diſponentia, ergo poſita promiſſione de tali ſolutione facienda creditori creditoris iuxta mandatum eiuſdem ius acquiret creditor creditoris ad talem ſolutionem pro compenſatione talis ſui crediti, adeoque excludet actionem eiuſdem creditoris ad illam exigendam. Conſequentia probatur, quia illa promiſſio ſolutionis acceptata per creditorem creditoris æquiualet actuali ſolutioni, & confert ius ad illam in effectu exigendam, ergo &c.

Solutio facta creditori creditoris tranſit in compenſationem.

Confirmatur ſecundo, quia poſita tali acceptatione, & promiſſione ex parte debitoris, & item acceptatione promiſſionis ex parte adiecti, qui eſt creditor creditoris ex tali cambio, res non eſt amplius integra, ſed actio eſt illi quæſita, qui literas præſentauit, & acceptauit promiſſionem *Scaccia de commert. §.* 2. *gloſ.* 8. *nu.* 76., ſed, quando res non eſt amplius integra, mandatum per creditorem reuocari non poteſt *Rota Genuenſis deciſ.* 93. *nomine nu.* 7. *in fine*, *Paulus de Caſtro in l. ſitum*, *Cornelius ſub num.* 1. *ff. de ſolut.*, *Iaſon in l. non vtique §. item Iulianus ante num.* 2. *ff. de eo quod cert. lo.*, ergo non poterit amplius &c.

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

An creditor poſſit inuito debitore reuocare mandatum in perſona adiecti ſolutioni, ſi hic non ſit creditor eiuſdem creditoris.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus, iuxtà quem procedit titulus. 1.
Diſtinctio Scacciæ, *eiuſque mens exponitur.* 2.
Si nullum indè obueniat damnum debitori, poteſt abſolutè creditor antè ſolutionem ipſum adiectum amouere. 3.

1 Diſquiſitio VII. Siſtimus in terminis præcedentis diſquiſitionis, hocque vnum tantum adijcimus, quo ſupponitur, Franciſcum, qui eſt adiectus ſolutioni, non eſſe creditorem Titij ſtipulatoris. Præſentauit hic literas Caio debitori ex cambio, qui eaſdem acceptauit. Antè actualem ſolutionem earumdem literarum contendebat Titius amouere Franciſcum adiectum ſolutioni, & velle, vt ſibi, vel alteri ab ipſo Franciſco fieret. Oritur hic difficultas, an renuente eodem debitore poſſit creditor ſic adiectum amouere.

2 Scaccia *tract. de commert. d. §. 2. gloſ. 8. num.* 77., diſtinguit, vel enim Franciſcus adiectus eſt in gratiam tùm Titij creditoris, tùm Caij debitoris, vel adiectus eſt præciſè in gratiam creditoris; ſi primo modo fuerit adiectus, aſſerit, quod creditor inuito debitore non poſſit ipſum amouere, & reuocare mandatum; ſi ſecundo modo, aſſerit, vtique poſſe, ſi res adhuc ſit integra. (Exponitur ipſius mens.)

Reſpondeo abſolutè, ſi nullum indè obueniat damnum debitori, vtique poſſe creditorem antè ſolutionem ipſum adiectum amouere, *Straccha tract. de adiectis part. prima ſub num. 30., ibi, ac vbi creditoris tom. 6. part. prima*. Ratio eſſe poteſt primo, quia, vt in præcedenti diſquiſitione in prima parte reſponſionis aſſerebam, ipſe adiectus quidquid agit, non agit nomine proprio, & actione ſibi competente, ſed nomine creditoris, vt mandatarius ipſius, & actione propria eiuſdem creditoris, ſed, quouſque mandatum completum non eſt, ſemper eſt per mandantem reuocabile *l. vtrum præſente in verſ. vndè falſum ff. de conſtit. pecun., Baldus in rub. de conſtit. pecun. num. 16., Iaſon in l. admonendi num. 152. de iure iurando*, ergo &c. (Mandatum quouſq; completum non eſt ſemper per mandantem reuocabile.)

Dices primo, hac ratione facta acceptatione literarum, & ſolutionis promiſſione earundem poſſet creditor reuocare mandatum antè actualem ſolutionem, quod repugnat dictis *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ. 4. §. 7. in fin. verſ. hic non incongruè*; ergo, ſi, hoc non eſt dicendum, neque dicenda erunt, quæ in hac reſponſione afferuntur. Sed contra fateor, quod facta acceptatione literarum, & promiſſione ſolutionis earundem non poſſit amplius creditor reuocare mandatum de ſolutione earundem, nego tamen non poſſe amouere adiectum, ſeu reuocare mandatum in ea parte, quæ reſpicit ipſum adiectum. Ratio negationis in eo fundatur, quia ſolutio literarum ſecundum ſe eſt de ſubſtantia eiuſdem contractus, quæ propterea, ſi fuerunt acceptatæ, non poterunt amplius reuocari, cum perfectum ius fuerit acquiſitum creditori, ſeu ei, cui facienda eſt ſolutio contrà acceptantem, ſolutio autem earundem reſpectu talis adiecti non habenti ius, niſi nomine creditoris, eſt ſolummodo de accidentibus, cum adiectus in hac hypotheſi interueniat ſolummodo vt organum, & pica eiuſdem creditoris, nec officiat debitori, ſiuè ipſi, ſiuè alteri ab ipſo fiat, ſeu facienda ſit ſolutio, nec aliud ius hic acquiſiuit ſibi, ſed tantum creditori, cuius nomine debet recipere ſolutionem, adeoque &c. nec debitor ipſe debet eſſe inuitus ad vni, vel alteri ſoluendum. (Inſtantia oppoſita eiuſque ſolutio.) (Adiectus interuenit ſolummodò, vt organum, & pica creditoris.)

Dices ſecundo, quando facta fuit promiſſio de ſolutione facienda tali determinatæ perſonæ, quæ dicitur ſimplicitèr adiecta, res non eſt amplius integra, ſed, quando res non eſt amplius integra, mandatum non eſt reuocabile per ea, quæ tradidit *Straccha d. tract. de adiectis part. prima ſub num. 30. tom. 6. part. prima*, præcipuè, cum, quando facta fuit promiſſio, interuenerit tàm creditoris, quam debitoris conſenſus, vt per ſe patet, cum pro illo tempore non facta fuerit reuocatio mandati, ergo &c. Sed contra, quia facta promiſſione non eſt quidem res amplius integra quoad obligationem aſſumptam per acceptantem, & promittentem, & quoad ius creditoris acquiſitum aduerſus eundem acceptantem, videtur tamen integra quoad ſolutionem faciendam adiecto, ſiquidem hic non ius (Res eſt adhuc integra quoad ſolutionẽ faciendã adiecto.)

Digitized by Google

aliquod per illam acceptationem, & promiſſionem ſibi acquiſiuit, ſed Domino, ſeu creditori, in cuius nomine ageret, adeoque non conſtante de iure aliquo eiuſdem adiecti, cum ad ipſum cambium non ſpectet, non eſt, cur facto conſcio debitore de tali remotione adiecti, non poſſit reuocari, precipuè, cum non officiat tali debitori, cui parum referre poſſe videtur, quod vni, vel alteri debeat ſoluere.

Adiectus eſt ſimpliciter appoſitus in gratiā creditoris. Ratio eſſe poteſt ſecundo, quia, quando nullum damnum obuenire poteſt debitori ex tali reuocatione, ipſe adiectus intelligitur ſimpliciter appoſitus in gratiam creditoris, ſed creditor ea, quæ in ſui gratiam appoſita ſunt poteſt amouere, & reuocare *Scaccia tract. de commert.* §. 2. *gloſ.* 8. *num.* 78., *Stracchade adiect. part. prima ſub num.* 30. *tom.* 6. *part. prima*, ergo &c.

Dixi, *ſi nullum indè obueniat damnum debitori*, nam, ſi aliquod damnum ei obueniret, tunc non improbabile eſſet, quinimmo æquitati, & iuſtitiæ conſonum, quod non poſſet amouere adiectum, nec reuocare mandatum quoad ipſum. Ratio eſt, quia rationabilitèr præſumitur, quod in hoc caſu literas acceptarit conditionatè, conditione ſcilicet implicitè appoſita, quod ſolutio ſit facienda tali adiecto, ſine qua non acceptaſſet, in quo ſenſu dumtaxat locutus eſt *Paulus de Caſtro in l. ſi cum Cornelius ſub num. primo ff. de ſolut. Iaſon in l. non vtique* §. *item Iulianus ff. de eo, quod certo loc.* Tunc autem in particulari præſumitur obuenire poſſe damnum debitori ex tali adiecti remotione, & reuocatione, quando debitor cum eodem adiecto haberet, vel ius aliquod compenſationis, vel commodiorem ſolutionem, vel quid ſimile.

---

§. VIII.

An ſtipulatio copulatiua pro ſe, & pro adiecto ſit nulla pro vtroque, ſi ſit nulla quoad adiectum.

SVMMARIVM.

Titulus explicatus in terminis particularibus. 1.

Stipulatio, ſi ſit vtilis quoad ſtipulatorem pro ſe ipſo non vitiatur per inutilem conceptam in perſona alterius, ſed valida eſt pro parte ſtipulatoris, inualida pro adiecto. 2.

Diſquiſitio VIII. Titius ſtipulatus eſt ſibi, & Caio dari centum ex titulo aliquo v. g. cambij. Caius renuit ſtare tali contractui, & ſtipulationi, quinimmò, ſi ipſam ſtipulationem factam ſuo nomine ratam non habeat, intelligitur ipſo iure nulla, quià nemo alteri poteſt ſtipulari, præcipuè, ſi non ſit ſub poteſtate ſtipulantis. Quæritur iam hic, an talis ſtipulatio ſit omninò irrita pro vtroque, an valida pro parte ſtipulatoris, & inualida pro parte adiecti, & ſi inualida pro parte adiecti, an iure accreſcendi ſpectare debeat ad ipſum ſtipulatorem. 1

Reſpondeo primò, ſtipulationem, ſi ſit vtilis quoad ſtipulatorem pro ſe ipſo, non vitiari propter inutilem ſtipulationem conceptam in perſona alterius, ſed validam eſſe pro parte ſtipulatoris, inualidam pro parte adiecti. *Stracchad. tract. de adiect. part. prima ſub num.* 19. & 20. *tom.* 6. *part. prima*, *Scaccia de commert.* §. 2. *gloſ.* 7. *num.* 34. & *ſeqq.* Colligitur primo ex textu *in* §. *quod ſi quis Inſtit. de inutilib. ſtipul.* vbi ſic legitur. *Quod ſi quis ſibi, & alij, cuius iuri ſubiectus non ſit, dari centum aureos ſtipulatus eſt, valet quidem ſtipulatio, ſed vtrum totum debeatur ſtipulatori, quod in ſtipulationem deductum eſt, an verò pars dimidia dubitatum eſt, ſed placuit non plus, quam dimidiam partem ei adquiri.* Colligitur ſecundo ex vulgari illo iuris adagio in diuiduis vtile per inutile non vitiatur *l. cum allegas*, & *ibi Baldus ſub nu.* 1. *in tertio & vltim. not. C. de vſuris*, ſed, hic verſamur in diuiduis, cum illa centum poſſint ſeparari, & diuidi, ergo &c. 2

In diuiduis vtile per inutile non vitiatur.

Dices primò, ſi quis emerit fundum pro ſe, & extraneo pro decem tenet contractus quoad totum *l. fundus ff. de contrahenda empt. & vendit. Gloſ. in d.* §. *quod ſi quis Inſtit. de inutil. ſtipul.* ergo etiam, ſi quis ſtipulatus fuerit ſibi, & alteri dari centum, ſtipulatio tenebit quoad totum. Sed contrà reſpondet *Gloſa ibid.* aſſignando diſparitatem, quià ſcilicet contractus emptionis, & venditionis eſt in gratiam vtriuſque contrahentis tam emptoris ſcilicet, quam venditoris, vndè vtrique expedit, quod contractus valeat quoad totum, &, ſi non valeret quoad totum, in alterius detrimentum redundaret, quod æquum non eſſet; quod, ſi quandòque contingat, vt emptori non expediat, quod emptio in totum valeat, hoc omninò per accidens eſt, & debet ſibi emptor imputare, quod eme-

Digitized by Google

Stipulatio expedit promiſſori, quod potius valeat in partem, quam in nihil.

emerit pro toto, nec attendenda ſunt, quæ omninò per accidens contingunt, ſed quæ regularitèr obueniunt iuxtà naturam contractus; ſtipulatio autem ſemper expedit promiſſori, quod potius valeat in partem, quam in nihil, adeòque &c. Hæc ferè ad verbum *Gloſa loc. cit.*

Dices ſecundò. Stipulatio in terminis, in quibus verſamur, concepta eſt per particulas copulatiuas *ſibi ſcilicet, & Caio* non per diſiunctiuas *ſibi ſcilicet, vel Caio*, ergo valere debet, vel quoad totum, vel quoad nihil. Conſequentia probatur, quià de ratione propoſitionis copulatiuæ requiritur, quod verificetur quoad vtramque partem. Sed contrà, quià copula, &, quandòque ſumitur diſiunctiuè pro *vel*, *l. conuentionem, & l. ſæpè per Bart. circa princip. ff. de verborum ſignific. Bartolus in l. prima in ſecunda col. verſ. item oppono, quod malè ff. de pactis, & in l. prima in princip. ff. de iuſt. & iu. & in l. prima in princip. de iuriſd. om. iu. & in l. 1. & 4. de iur. Codic. & in l. ſi Titio la. 1. ff. de vſufruc. leg. Baldus in l. fin. 4. col. verſ. opponitur, & videtur C. de Codicil.* præcipuè, quandò ſtipulatori, in cuius gratiam fit ſtipulatio, intereſt, quod valeat pro illa parte, vt in caſu noſtro.

Copula, &, quandoq; ſumitur diſiunctiuè.

Dices tertiò in ſtipulatione, quandò eſt coniunctio re, & verbis inter ſtipulatorem, & alium adiectum iure accreſcendi, quidquid pertineret ad adiectum, debet acquiri à ſtipulatore, qui ipſum adiecit, ergo totum id, quid venit ſub ſtipulatione, debet pertinere ad ſtipulatorem. Sed contrà, quià ius accreſcendi non habet locum in contractibus *Stracchа d. part. prima ſub num. 19. & 20. Soc. conſil. 34. viſa renuntiatione num. 6. lib. 4. Salicetus in l. vnica quæſt. 10. ſub num. 18. C. quando non pet. Curtius Iunior. tract. de feud. in tertia part. ſecunda part. princip. n. 70. & ſeqq. Azorius Inſtit. mor. part. 3. lib. 10. in fin. c. vlt. quæſt. 3.* Deindè non eſt coniunctio nec re, nec verbis, quandòquidem ipſe adiectus quoad talem ſtipulationem nec rebus, nec verbis concurrit, nec communicat cum ſtipulatore.

Dices quartò, contractus cambij ex alibi ſparſim dictis reducitur ad contractum emptionis, & venditionis, ſed in contractu emptionis, & venditionis emens fundum pro ſe, & pro extraneo obligatur quoad totum per ea, quæ mox dicta ſunt *verſ. dices primo*, ergo etiam ſtipulans pro determinata ſumma pro ſe, & pro alio validè ſtipulatur pro toto. Sed contrà, quià, quamuis per aliquam ſimilitudinem contractus cambij reducatur ad contractum emptionis, & venditionis, non tollitur tamen, quin regularitèr ſit potius in gratiam, & fauorem ſtipulatoris, reſpectu cuius ſemper expedit, vt potius valeat pro parte, quam pro nihilo iuxtà ea, quæ dicebamus ex *Gloſa in §. quod ſi quis Inſtit. de inutil. ſtipul.*

Cambiũ reducitur ad contractum emptionis per quãdam ſimilitudinem.

---

§. IX.

An expiret fideiuſſoria obligatio per nouationem factam inter principalem debitorem, & creditorem ſine interuentu fideiuſſoris.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ exponitur. 1.

Nulla in data ſuppoſitione nouationis competit actio aduerſus fideiuſſorem. 2.

Diſquiſitio IX. Ex cauſa cambij Seius erat debitor verſus Antonium mille nummorum aureorum, & pro eodem Seio acceſſerat, vt Fideiuſſor Theodoricus in fauorem Antonij. Non adhuc perſoluto debito facta fuit nouatio inter Seium debitorem, & Antonium creditorem, vi cuius illa obligatio ex primo debito fuit in aliam obligationem transfuſa priori extincta, vel per delegationem modo explicato *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II Prænot. 21.* in alterum tranſlata. Non perſoluente poſtea eo, in quem tranſlata fuerat obligatio, contendebat Antonius agere contrà Theodoricum ratione actionis fideiuſſoriæ per ipſum præſtitæ pro Seio in fauorem ſui ipſius, qui Theodoricus excipiebat obligationem fideiuſſoriam expiraſſe per nouationem factam inter ipſum, & debitorem ſine interuentu ipſius, qui non poterat ceſſante principali obligatione de nouo obligari ſine nouo ſui conſenſu. Quæritur iam hic quid iuris? 1

Reſpondeo, nullam in data ſuppoſitione nouationis, ſeu delegationis competere actionem Antonio aduerſus Theodoricum fideiuſſorem *Molina tract. 2. diſp. 546. verſ. item expirat fideiuſſoria obligatio*. Probatur primo ex textu *in l. nouatione C. de fideiuſſoribus in l. quicunque ff. eod. tit. in l. nouatione ff.* 2

de nouationibus, & in l. ſolutum in princip. ff. de pignorat. act.

Actio fideiuſſoria eſt acceſſoria ad principalem.

Probatur ſecundò ratione. Extincta principali actione non poteſt perſeuerare actio fideiuſſoria, ſed per nouationẽ extinguitur principalis actio, ergo extinguitur obligatio fideiuſſoria. Maior probatur, quia obligatio fideiuſſoria eſt actio acceſſoria ad actionem, ſeu obligationem principalem, acceſſorium autem non poteſt exiſtere ſine ſuo principali *l. ſi cum exceptione §. Labeo ait, & ibi Bartolus ff. quod me cauſ. l. 1. & ibi Baldus C. de condit. l. eos in princip. & ibi Baldus C. de vſuris l. ex parte §. fin. & ibi Bartol. ff. fam. ercisc.* & eſt inſeparabile ab eodem *l. fin. & ibi Bartolus in 1. not. C. per quas perſ. no. acquir.* cum comparetur tanquam accidens ad ſubiectum, in quo radicatur. Minor non vertitur in dubium, quia per nouationem prius ius extinguitur, & nouum ſuccedit per ea, quæ latè ſparſim diximus.

Dices, cum ſecunda actio paſſiua, ſeu obligatio ſubſtituatur loco primæ, videtur, quod induat omnes conditiones eiuſdem, ſicque actio fideiuſſoria tranſit à prima ad ſecundam obligationem principalem, cæteroqui ſecunda non afficeretur omnibus conditionibus, & iuribus, quibus prima afficiebatur. Sed contrà, quia, ſicuti ex communi Phyloſophorum placito accidens non migrat de ſubiecto in ſubiectum, ità nec acceſſorium, quod computatur, vt accidens, tranſire poſſe videtur ab vno ad aliud ius principale. Deinde ità requiritur ad contractum vtriuſque contrahentis conſenſus, ſicuti ad obligationem fideiuſſoriam accedentem contractui ipſius fideiuſſoris aſſenſus, & placitum. Sicuti igitur ad nouationem contractus requiritur nouus contrahentium conſenſus, ita ad innouandam fideiuſſionem eiuſdem fideiuſſoris nouus conſenſus requiri debet, ſine quo non poteſt innouari fideiuſſio.

Ad innouandam fideiuſſionẽ requiritur nouus fideiuſſoris conſenſus.

Nouatione obligatione liberatur pignus, & hypotheca.

Probatur tertiò. Nouatione obligationis liberatur pignus, & hypotheca *l. nouatione ff. de nouationibus l. ſolutum in princip. ff. de pignorat. action.* ergo etiam nouatione, ſeu delegatione liberari debet fideiuſſor ab onere fideiuſſionis. Conſequentia probatur, quia eodem modo accedunt, & ad eundem finem actioni principali obligationes fideiuſſoriæ, ac pignora, & actiones hypothecariæ, ergo, ſi hypothecæ, & pignora nouatione liberãtur, & liberari fideiuſſores dicendum eſt.

Probatur quartò. Solutione debiti extinguitur obligatio fideiuſſoria pro eodem debito *§. 1. Inſtit. quibus mod. tol. obl.*, ergo etiam nouatione, ſeu delegatione. Conſequentia probatur, quià ex ſparſim alibi dictis ipſa nouatio habet vim æquiualentis ſolutionis, quod præcipuè explicuimus, dum ageremus de cambio recurſæ, in quo reſpondens quodamodò per nouationem dicitur ſibi ipſi ſoluere, dum aſſumendo in ſe ipſo obligationem extinguit obligationem datoris literarum, vndè conſiderata præcisè natura contractus omnia iura, & prærogationes, quæ erant in primo contractu ceſſant per ea, quæ alibi fusè tradidimus, ergo, ſi per ſolutionem formalem extinguitur obligatio fideiuſſoria, etiam per nouationem, quæ eſt virtualis, ſeu æquiualens ſolutio, extingui debet &c.

Ipſa nouatio habet vim æquiualentis ſolutionis.

---

§. X.

An, ſi priori pacto adijciatur aliud pactum pænale contra non adimplentem primum, cenſeatur facta nouatio prioris obligationis ex tali pacto.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in terminis proprijs; & particularibus. 1.
Senſus Molina circà expoſitum factum. 2.
Per pactum pœnale nulla inducitur nouatio præcedentis obligationis. 3.
Reſponſio ad rationes Lopez. 4.

Diſquiſitio X. In contractu cambij inito inter Franciſcum ſtipulatorem, & Caium datorem literarum facta fuit talis conuentio, vt Franciſcus teneretur in effectu ſoluere poſt menſem Caio mille nummos aureos conuentos in ipſo contractu hic Mediolani, è contra verò Caius per ſuum reſpondentem, vel alterum de conſenſu partium illos reſtituere Romæ reſponſali Franciſci. His ſic peractis, poſteà adiecerunt etiam pacta pænalia, vt, ſi alter non adimpleuerit priora pacta, ſeu conditiones, teneretur quid aliud ſoluere ſuprà ſortem conuentam. Oritur hic difficultas, an per talem pænæ appoſitionem intelligatur facta nouatio prioris obligationis ex vi prioris pacti. 1

Proponit hanc difficultatem *Molina tract. 2. de iuſt., & iu. diſp. 559. verſ. dubium* 2

bium deindè eſt, vbi aſſerit conformitèr ad textum *in l. obligationum ferè §. vlt. ff. de act. & oblig.* de iure antiquo præſumptione iuris, & interpretatione cenſeri factam nouationem. Nihilominus rem ſtrictius conſiderando abſolutè concludit nullam in data hypotheſi intercedere nouationem, quod latè ibi comprobat. Cum ipſo

3 Reſpondeo per illius pacti pænalis appoſitionem nullam induci nouationem prioris obligationis. *Gloſa in l. reſcriptum §. penult. verb. ferre ff. de pactis. Gloſa in l. ità ſtipulatus verbo probatur ff. de verb. oblig.* quidquid in contrarium videantur obſtrepere *Gregorius Lopez l. 34 gloſ. prima, & l. 35. gloſ. 2. tit. vndecim. part. 5., Gutier. de iur. confir. part. prima cap. 63. nu. 6.*

Probatur primo ex textu *in l. vlt. C. de nouationibus*, vbi ſic legitur *Nouationum nocentia corrigentes volumina, & veteris iuris ambiguitates reſecantes ſancimus, ſi quis, vel aliam perſonam adhibuerit, vel mutauerit, vel pignus acceperit, vel quantitatem augendam, vel minuendam eſſe crediderit, vel conditionem, ſeu tempus addiderit, vel detraxerit, vel cautionem minorem acceperit, vel aliquid fecerit, ex quo veteris iuris conditores introducebant nouationes, nihil penitus prioris cautelæ innouari, ſed anteriora ſtare, & poſteriora incrementum illis accedere, niſi ipſi ſpecialitèr remiſerint quidem priorem obligationem &c.* & nonnullis interpoſitis, *& generalitèr definimus voluntate ſolum eſſe, non lege nouandum*. Textum ferè ad verbum retuli, vt potè qui clarè euincit intentum reſponſionis.

Textus valdè ancõmodus ad reſpõſionem.

Probatur ſecundò, quià ex ſuprà allegato textu *voluntate ſolum, non lege eſt nouandum* ideſt expreſſis contrahẽtium conuentionibus, & pactis, non legis coniecturis, vel interpretatione, vt explicat *Gloſa in d. l. fin. verb. voluntate*, ſed in expoſito caſu non conſtat de voluntate contrahentium præſumpta, nedum de expreſſa per ea, quæ tradit *Molina loc. ſupra cit.* ergo &c. Minor probatur, quià præciſis iuribus eſt potius præſumptio, quod pæna appoſita ſit ad firmius robur præcedentis pacti, quam ad illius peremptionem per nouationem, nec vllum eſt, aut probabile argumentum, quod probet veriſimilitèr voluntatem contrahentium extendi ad nouationem inducendam.

4 Ad id, quod aſſerit *Lopez ex l. 34. gloſ. prima, & l. 35. gloſ. 2. tit. 11. part. 1.* dicendum eſt, illas diſpoſitiones non inniti regulis nouationum, ſed dumtaxat explicare quomodò, & quandò ille, qui ſtetit priori contractui, agere poſſit aduerſus tranſgreſſorem eiuſdem ad pænam, aut ad pacti implementum, vel ad intereſſe.

---

§. XI.

An quandòque intercedere poſſit nouatio, quamuis expreſsè non fuerit actum.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus difficultatis. 1.
Ratio dubitandi deducta ex l. vlt. C. de nouat. 2.
In caſu expoſito intercedit nouatio prioris obligationis. 3.
Satisfit rationi dubitandi. 4.
Facta mutatione cambij in cenſum, ſi fundus cenſuatus pereat, cenſuarius actiuus non habet regreſſum ad alia debitoris bona. 5.

Diſquiſitio XI. Debitor erat Titius ex cambio verſus Seium creditorem mille aureorum. Antequam eorundem fieret reſtitutio, facta fuit inter ipſos conuentio, vt debitor (præſcindo pro nunc à diſpoſitione Pij V. in ſua Conſtit. ſuper creatione cenſuũ, de qua latè *tom. primo ſub tit. Contractus IV. de emphytheuſi, & Cenſib. Prænot. 21. per vniuerſas ſectiones*, volentis cenſum non poſſe conſtitui, niſi per pecuniam numeratam) venderet creditori annuum redditum in re aliqua immobili nulla facta expreſſione, quod prior obligatio ex cambio per nouationem in aliam obligationem ex contractu cenſus tranſiret. Quæritur iam, an intelligatur per illum ſecundum contractum facta nouatio prioris obligationis, etiam ſi expreſsè de illa non fuerit actum. 1

Ratio dubitandi potiſſimum deducitur *ex præcit. l. vltima C. de nouat.* vbi videtur requiri expreſſa contrahentiũ voluntas, quæ certè voluntas in expoſito caſu non eſt, cum ibi expreſsè non fuerit actum. Nihilominus 2

Reſpondeo, in data hypotheſi intercedere nouationem prioris obligationis *Molina tract. 2. de iuſt., & iu. diſp. 559. verſ. illud eſt obſeruandum. Gregorius Lopez l. 15. verb. por manero. Gutier. de iur. confir. part. prima cap. 63. num. 8.* 3

Probatur primò, quià incompoſſibiles omninò ſunt obligationes ſoluendi eandem ſummam ex cambio, &

ex

Digitized by Google

ex titulo cenſus, ergo, ſi ex partium conuentione eadem ſumma debita ex cambio applicata eſt ad conſtituendũ cenſum in fauorem creditoris, mutato titulo tranſiuit ab obligatione, cui ſuberat cambij, ad obligationem, quam induit cenſus, adeòque facta eſt nouatio. Conſequentia probatur, quia tunc ex neceſſitate fit nouatio, quandò vna obligatio in aliam transfunditur ſiuè reſpectu eiuſdem, ſiuè reſpectu diuerſæ perſonæ, neque hic deficit voluntas contrahentium ad talem obligationum transfuſionem, quandòquidem ſtante incompoſſibilitate duorum ſimul, qui vnum ex illis eligit, aliud deſerere videtur *l. Pomponius §. ſed & is ff. de Procur.* nec expreſſa voluntas requiritur, vbi natura ipſa ex neceſſitate talem ſubinfert conditionem; qui enim expreſsè vult vnum ex incompoſſibilibus ex neceſſe nolle videtur aliud incompoſſibile, & hoc ſufficit ad id efficiendum, quod ex iuris diſpoſitione efficit expreſſa voluntas.

Stante impoſſibilitate duorum ſimul, qui vnum ex illis eligit alterum deſerit.

Probatur ſecundò. In cambio recurſæ reſpondens campſoris per ſimplicem literarum acceptationem, & virtualem illam ſolutionem, per quam ſe ipſum conſtituit debitorem reſpectu campſuarij, intelligitur ſimplicitèr nouare per ea, quæ ſparſim ſuperius diximus, & eſt in confeſſo apud omnes ſuſtinentes cambium recurſæ, vt licitum; ergo etiam nouare intelligitur, qui debitor ex cauſa pręcedenti cambij mutato titulo conſtituit ſe debitorem ex cenſu. Conſequentia probatur, quià ideò in caſu antecedentis intelligitur facta nouatio, quià fit mutatio obligationis per nouum contractum in eodem genere cambij, & obligatio, quæ prius erat in campſuario transfertur in reſpondentem campſoris ſe conſtituentem debitorem pro illo, ſed etiam in hypotheſi conſequentiæ fit commutatio obligationis per nouum contractum in diuerſo genere, & obligatio, quæ prius erat ratione cambij, modo mutato titulo tranſit in obligationem cenſus, ergo &c. Neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, quod in caſu antecedentis obligatio ab vna in alteram perſonam transferatur ſcilicet à campſuario in reſpondentem campſoris, in hypotheſi verò conſequentiæ obligatio maneat penes eundem debitorem; non, inquam, obſtare poteſt; quandòquidem ad nouationem non requiritur diuerſitas perſonarum, ſed dumtaxat commutatio obligationum per ea, quæ diximus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Pranot. 2. nu. 1.* & alibi confirmitèr *ad gloſ. in l. 1. ff. de nouationibus verb. transfuſio.*

Fit mutatio obligationis per nouũ contractum in diuerſo genere.

Probatur tertiò, quià actus voluntatis expreſſus ad vnum ex incompoſſibilibus eſt neceſſario connexus cum excluſione alterius ex eiſdem incompoſſibilibus, nec expreſſio vlterior voluntatis requiritur, vbi natura ipſa incompoſſibilium expreſsè loquitur, ſed quandò contrahentes ex pecunia reſpectiuè debita, & credita volunt conſtitui cenſum expreſsè volunt obligationem actiuam, & paſſiuam, quæ eſt incompoſſibilis cum obligatione actiua, & paſſiua cambij, ergo expreſsè intelliguntur velle excluſionem obligationis ex eodem cambio, ſed per incluſionem expreſſam nouæ obligationis, & excluſionem antiquæ ex ipſis terminis inducitur nouatio, ergo &c. Atque ex his habes, quid reſpondeas ad rationem dubitandi propoſitam in principio diſquiſitionis; dic etenim expreſſam contrahentium voluntatem requiri, quandò natura ipſa contractus ſecundum ſe non inducit talem nouationem, vel dic, talem voluntatem expreſſam ſaltem æquiualentèr interuenire propter rationem ſuperius adductam; qui enim vult vnum ex incompoſſibilibus expreſsè intelligitur velle excluſionem alterius.

Natura ipſa incompoſſibilium expreſsè loquitur.

Ex quibus omnibus inferes primò, quod, ſi conſtituto cenſu modo expoſito in fundo aliquo debitoris ipſe fundus ex inopinato caſu periret, creditor habere non poſſet regreſſum ex titulo cambij aduerſus eundem debitorem in alijs ipſius bonis, quandòquidem illud ius, quod habebat creditor ex cambio, per nouationem abſolutè extinctum eſt; quod autem ſemel extinctum eſt, non amplius reuiuiſcit. Hac eadem ratione euincitur, quod, ſi ex cambio creditor habuiſſet aliquas prælationes, & iura, inito poſtea diuerſo contractu cenſus eaſdem, ſeu eadem amiſerit, niſi eaſdem, ſeu eadem expreſsè in conſtitutione cenſus ſibi reſeruauerit, & ratio eſt, quia ius illud, in quo radicabantur huiuſmodi prælationes, & iura per nouationem extinctum eſt, & per conſequens expirarunt omnia iura, & actiones in ipſo radicata &c. 5

Pereunte fundo cenſuato perit ius creditoris.

Inferes ſecundo in vniuerſum, quod, quamuis contrahentes in ſecundo contractu de eodem credito, ſeu debito reſpectiuè non exprimant, ſe velle facere nouationem, & extinguere priorem

rem

rem obligationem his, vel alijs ſimilibus verbis, & ſtipulationibus, ſi tamen ex modo, ſeu qualitate ſecundi contractus, vel quia cum priori habeat incompoſſibilitatem, vel aliundè cum illo inferat diſonantiam, ſit perſpicuũ eos intendiſſe facere nouationem, & recedere à priori obligatione, tunc facta cenſeatur eadem nouatio. Hoc expreſsè ſtatuit *Gregorius Lopez*, qui etiam teſtatur de communi ſententia *l. 15. cit. verb. por manero*, idque illuſtrat varijs exemplis, *Molina tract. 2. de iuſt., & iu. diſp. 559. verſ. illud verò obſeruandum*, quem ibi pro clariori reſponſionis confirmatione recole.

§. XII.

An mulier poſſit nouare, & eludere nouationem.

SVMMARIVM.

Declaratur in quo conſiſtat difficultas. 1.

Mulier rectè, & validè nouare potuit, ſi erat ſui iuris. 2.

Mulier fideiubens, ſeu pro altero nouans poteſt iuuari beneficio Velleiani. 3.

Mulier procedens habitu virili, & non cognita vt mulier, non poteſt ſe tueri beneficio Velleiani. 4.

Priuilegium Velleiani non habet locum in Mulieribus, ſi ab initio pro alijs ſoluerint, ſecus ſi prius interceſſerint, & poſtea ſoluerint. 5.

Item non habet locum, ſi pro debito proprio ſe obligent, vel etiam pro ſuo creditore. 6.

Vt mulieres vti poſſint hoc priuilegio, debent interceſſiſſe pro alio in publico inſtrumento adhibitis in eodem, & ſubſcriptis tribus teſtibus. 7.

Mulieres muniri non poſſunt priuilegio Velleiani, quando fideiuſſerunt, vel nouarunt pro dote. 8.

Nec quando fideiuſſerunt, vel nouarunt præſente Iudice, & decretum interponente. 9.

Muniri tamen poſſunt, quando interceſſerunt præſente, & non diſſentiente Patre. 10.

Non item poſſunt, quando facta prima interceſſione iterum interceſſerunt poſt biennium. 11.

Non item, quando mater tutrix promiſit indemnitatem pupillo pro facto ſuo. 12.

Secus, ſi promiſit indemnitatem pro tutoribus. ibid.

Non item, quando fideiuſſit decipiendo creditorem. 13.

In ſuppoſitione, quod mulier elidet nouationem beneficio Velleiani, prior debitoris obligatio reuiuiſcit. 14.

Concordia horum, quæ mox dicta ſunt cum præcedentibus. 15.

DIſquiſitio XII. Conſtitutus erat Caius debitor ex cambio centum 1
aureorum verſus Seium. Mulier quædam, quæ ex præcedenti cauſa non erat debitrix eiuſdem Caij partibus conuenientibus ſuſcepit in ſe debitum illius. Quæritur primo, an hæc rectè & validè nouare potuerit. Secundo ex ſuppoſitione, quod potuerit, an aliqua ratione elidere poſſit nouationem extinguendo poſteriorem obligationem in ſe ſuſceptam. Tertio ex ſuppoſitione, quod elidere poſſit, ſeu elidat, an reuiuiſcat prior debitoris obligatio.

Reſpondeo primo, vtique mulierem 2
illam rectè, & validè nouare potuiſſe, ſi fuerit ſui iuris, *Molina tract. 2. de iuſtitia, & iure diſp. 540., & diſp. 559. verſ. mulier quamuis*. Probatur primo ex textu *in l. prima, & l. Senatus conſultum C. ad Senatus conſultum Velleianum*, vbi mulieribus alienam obligationem animo nouandi in ſe ſuſcipientibus ſubuenitur beneficio Velleiani, quod beneficium congruè non concederetur, ſi non poſſent nouare, & in ſe obligationem transferre, quandoquidem fruſtra exciperetur ope Velleiani, ſi illa translatio eſſet ſecundum ſe nulla, & quod ſecundum ſe nullum eſt, non indiget exceptione, vt reſcindatur.

Quod ſecundum ſe nullum eſt non indiget exceptione, vt reſcindatur.

Probatur ſecundo ratione, quia mulier, quæ eſt ſui iuris, poteſt pro alio fideiubere, & pro altero ſoluere, vt videtur colligi *ex tot. tit. C. ad Senatus conſultum Velleianum*, ergo etiam nouando poterit alienam obligationem in ſe ipſa ſuſcipere. Conſequentia probatur, quia ſemel dato, quod mulier poſſit ſe pro altero obligare aſſumendo in ſe onus illius, non eſt, cur illud non poſſit aſſumere, ſiuè per viam fideiuſſionis, ſiuè per viam nouationis, quandoquidem ipſa fideiuſſio eſt ſpecies etiã oneris in ſe aſſumpti reſpectu fideiuſſoris, ſicuti nouatio eſt aſſumptio oneris alieni reſpectu nouatoris.

Mulier, quæ eſt ſui iuris poteſt pro alio fideiubere.

Dixi, *ſi fuerit ſui iuris*, quandoquidem, cum ipſa nouatio ſit ſpecies contractus, qui non poteſt contrahere, non poteſt etiam nouare. Cum igitur mulier, quæ ſui iuris non eſt, non poſſit contrahere præcipuè contractibus ſecundum ſe inducentibus alienationem,

Qui non poteſt contrahere non poteſt nouare.

Digitized by Google

nem, hinc eſt, quod etiam non poſſit nouare aſſumendo in ſe obligationem alienam, ratione cuius deberet deuenire ad alienationem.

3 Reſpondeo ſecundo, mulierem fideiubentem, ſeu pro altero nouantem regularitèr poſſe iuuari beneficio Velleiani *l. 1., & per tot. titu. C. ad Senatus conſultum Velleianum*, & præcipuè in terminis propoſitæ diſquiſitionis. Pro claritate

Ratio ob quā mulieribus conceſſū eſt beneficiū Velleiani.

Aduerte, prout præmittitur in proemio *ad tit. C. ad Velleianum*, quod, ſicuti filijs familias per Senatus conſultum Macedonianum conceſſa eſt exceptio, ratione cuius eximuntur tum filij familias, tum eorum parentes ab onere reſtituendi pecuniam mutuo acceptam ab eiſdem filijs familias, ita mulieribus per Senatus conſultum Velleianum conceſſa eſt exceptio, ratione cuius, ſi alienam obligationem per nouationem in ſe ſuſceperint, poſſint eandem elidere transferendo in priorem debitorem, & hoc in fauorem ſtatus muliebris, vt communitèr teſtantur Doctores. Dictum eſt autem hoc Senatus conſultus Velleianum à Velleio Conſule, qui illud induxit in gratiam mulierum, quæ ex imbecillitate naturæ facile decipi poſſunt ſic nouando.

Probatur iam reſponſio ex diſpoſitione iuris *in d. l. 1., & l. Senatus conſultum C. ad Velleianum*, quæ iuris diſpoſitio adeo perſpicua eſt, vt non amplius locum relinquat ambigendi, vnde merito *Antonius Gomez tom. 2. variar. reſol. c. 13. nu. 16., Gutier. de iur. confir. part. prima cap. 20. num. 5.*, qui pro ſe citant *Panormitanum, & Bartolum*, & teſtantur de communi, aſſerunt, quod mulier, quæ fideiuſſor extitit, & nouauit, poſſit, ſi velit, vti tali priuilegio non ſolum in exteriori, ſed etiam in conſcientiæ foro, rationemque adducunt, quia Princeps ob commune bonum, & ob fragilitatem ſexus iuſtè potuit hoc priuilegium illis concedere, adeoque etiam illæ poſſunt eodem iuſtè vti; vndè, qui ipſas admittunt, debent ſibi imputare, quod admiſerint ſcientes eas gaudere tali priuilegio; nec excuſare ſe poſſunt allegantes ignorantiam talis priuilegij, quandoquidem, cum illa ſit ignorantia iuris, nunquam in allegante præſumitur, vt ſunt vulgata iura. Hoc tamen vnum ſcias, quod, ſi contrahentes, ſeu admittentes eandem mulierem in fideiuſſorem, ignorarent ipſam eſſe fœminam, eo quia virili habitu induta procederet, nec ſe manifeſtaret vt fœminam, tunc hæc non poſſet ſe tueri beneficio Velleiani, vt expreſsè colligitur *ex d. l. 1. C. ad Senatus conſultum Velleianum* per illa verba, *ſi id contrahentes non ignorent*, vbi *Gloſa* ſubdit, *ipſas eſſe fœminas, ſecus ſi ignorent, quià ſunt veſtitæ veſte virili*, quod inductum exiſtimo in pænam deceptionis iuxtà textum *in l. ſi decipiendi ff. ad Senatus conſultum Velleianum*. 4

Qui admiſerūt fœminas debent ſibi imputare, quod admiſerint

Aduerte hic tamen, hanc iuris diſpoſitionem *in l. 1. C. eod.*, locum tantum habere primo, quando mulieres alienam obligationem in ſe ſuſceperunt, & tranſtulerunt, non autem, ſi pro alijs, cum obligatæ non eſſent, pecuniam ſoluerint, quod tamen intellige, ſi ab initio ſoluerint pro alijs, nam ſi prius interceſſerint, & poſtea ſoluerint, tunc habet locum huiuſmodi priuilegium, eoque poſſunt vti. Ratio eſt, quia vt exponit *Gloſa ibi verb. nulla eſt in fin.*, in primo caſu ſupponuntur donaſſe, non ſic in ſecundo; fideiubenti autem, & non donanti ſuccurrit Senatus, vt habetur *l. 2. ff. eod. tit.* Secundo non habere locum, quando mulieres pro debito proprio ſe obligant, nec item quando ſe obligant pro ſuo creditore aſſumendo onus ipſius pro eodem verſus alterum, puta, ſi mulier ſit debitrix Seio in decem, & Seius delegет eandem Sempronio creditori ſuo, vt clarus eſt textus *in l. fruſtra C. eod. tit.* 5

Fideiubenti nō donanti ſuccurrit Senatus conſultū Velleianum.

6

Aduerte ſecundo, quod ad hoc, vt mulieres vti poſſint hoc priuilegio Velleiani, debent interceſſiſſe pro alio in publico inſtrumento adhibitis in eodem, ac ſubſcriptis tribus teſtibus, ſine quibus fideiuſſio per ipſas præſtita, & aſſumptio obligationis pro alio, ipſo iure omnino irrita, & nulla eſt, adeoque ipſæ non indigent exceptione Velleiani ad ſe liberandum à tali obligatione aſſumpta per ea, quæ dilucidè habentur *in l. antiqua §. vltimò C. ad Senatus conſultum Velleianum*; vndè ſtante tali iuris diſpoſitione, ſi mulier in priuata ſcriptura, vel etiam coram mille teſtibus interceſſerit, vel fideiubendo, vel nouando, vel etiam in inſtrumento publico, ſed non adhibitis tribus teſtibus non iuuatur exceptione eiuſdem Velleiani, cum iure ipſam eximente nullatenus obligetur. Audi textum ſic ſtantem. *Sin autem extra eandem obſeruationem mulieres acceperint intercedentes* (loquitur de creditoribus, in quorum fauorem ſit per mulieres fideiuſſio, ſeu nouatio) *pro nibilo habeatur huiuſmodi ſcriptura, vel ſine ſcriptis obligatio* 7

Fideiuſſio priuata præſtita per mulieres eſt ipſo iure irrita.

Digitized by Google

gatio tanquam nec confecta, nec penitus ſcripta, vt nec Senatus conſulti auxilium imploretur, ſed ſit libera, & abſoluta quaſi penitus nullo in eadem cauſa ſubſecuto.

8 Dixi in reſponſione *regularitèr*, & *præcipuè in terminis propoſitæ diſquiſitionis*; non enim renuerim concedere, in multis caſibus huiuſmodi priuilegio fœminas muniri non poſſe; non enim muniri poteſt primo, quando fideiuſſit, vel nouauit pro dote *l. generalitèr, & ibi Gloſa, & Doctores C. ad Velleianum*,
9 etiam nudo pacto, vt ibi eſt caſus, & *Baldus*; Non ſecundo, ſi fideiuſſit, vel nouauit Iudice præſente, & decretum interponente *l. fin. C. ſi mater indemnit. promiſit, & l. fin. §. penult. ff. ad Velleianum*; munitur tamen, ſi fideiuſſit etiam Patre præſente, & non diſſentiente *Baldus in l. fin. §. neceſſitate col. 8. C. de bon., quæ lib.*, Non tertio, quando facta prima interceſſione interceſſit iterum poſt biennium *l. ſi mulier C. ad Velleianum*. Non quarto, quando mater tutrix promiſit indemnitatem
10 pupillo pro facto ſuo, quià ipſa
11 adminiſtrat pro tutore, ſecus ſi promittat indemnitatem pro tutoribus,
12 quià tunc dicitur fideiubere, ideò iu-
13 uatur beneficio Velleiani *l. ſi mater, & ibi Baldus C. eod. tit.* Non quintò, quandò fideiuſſit decipiendo creditorem, & in dolo verſatur *l. fœminis C. eod. tit.* Vide alias exceptiones apud Doctores, non enim hic vacat immorari, cum ad inſtitutum noſtrum non faciant.

Varij caſus, in quibus mulieres gaudere nō poſſūt priuilegio Velleiani.

Reſpondeo tertiò. In ſuppoſitione,
14 quod mulier elidat nouationem beneficio exceptionis Velleiani modo, quo ſuprà, prior debitoris obligatio, quam nouaſſe dicitur, reuiuiſcit *Gregorius Lopez l. 17. tit. 14. part. 5. Molina tract. 2. de iuſt. & iu. diſp. 559. verſ. mulier*.

Probatur primo, quià, quandò mulier pro fideiubendo aliquid accepit, in ſe obligationem alterius animo nouandi transferendo, debet ipſa prius excuti, an ſit ſoluendo, &, ſi non ſit ſoluendo, creditor agere poteſt contrà debitorem veteri actione *l. antiquæ §. ſed ſi minus, & ibi Baldus, & Salicetus. C. ad Velleianum*, ergo, ſi nihil accepit, ſed vtatur ope exceptionis Velleiani, ratione cuius liberatur, poterit creditor eadem primæua actione agere contrà eundem debitorem. Conſequentia probatur, quià non minus interceſſit nouatio in caſu antecedentis, ac in hypotheſi conſequentiæ, & quod aliquid acceperit pro fideiubendo, vel nouando, tantum efficit, quod quandò aliquid accepit, non poſſit vti priuilegio Velleiani, bene autem, quandò nihil accepit, ſicque quià accepit, eſt excutienda, non ſic quandò non accepit, cæterum nouatio remanet in ſuo robore, ergo, ſi quandò accepit, & non eſt ſoluendo reſultante impotentia ex diſcuſione datur creditori actio contrà primum debitorem, etiam quandò non accepit, & ſit exceptio, erit huiuſmodi actio contrà eundem debitorem retorquenda; dato enim ſemel, quod nouatio non officiat primææ actioni creditoris in ordine ad debitorem, quandò non poteſt exerceri contrà mulierem nouantem, æquè non officiet, ſiuè mulier aliquid acceperit pro nouando, ſiuè nihil acceperit, cum accepiſſe tantum tollat remedium exceptionis, vt aſſerebam.

Ratio efficax ad probandum intentum.

Probatur ſecundò, argumento *l. quamuis §. Marcellus verſ. ſi mulier ff. ad Velleianum*, ex quo ſuam mentem præciſè fundat *Molina d. diſp. 559. verſ. mulier*, qui tamen textus, ſi attentè legatur, non videtur ità dilucidè intentum euincere.

Hic ſolum remanet pro comple- 15
mento explicandum, quomodò hæc tertia reſponſio cohæreat cum prima, ſeu quod idem eſt, quomodò poſſit ſubſiſtere in caſu exceptionis actio ad primæua iura contrà primum debitorem, ſimul cum nouatione, quæ propriè ſupponitur interceſſiſſe iuxta dicta in eadem prima reſponſione? Certè nouatio extinguit primum ius aduerſus debitorem, cum ſit prioris in alteram obligationem ſubſequentem tranſfuſio, ſiuè traslatio. Baldus *in d. l. antiquæ §. ſed ſi minus C. ad Velleianum* aſſerit, hunc eſſe caſum ſingularem, & titulus *in d. l. ſed ſi minus* exponit ſimilem caſum nullibi reperiri. Quamobrem ad rationem dubitandi aſſerendum exiſtimo, hanc exceptionem ſingularem à generali regula nouationis inductam eſſe ex ſpeciali motiuo à iure ad conſulendum ſimul fœminis ex fragilitate nouantibus, ſeu fideiubentibus, & creditoribus, dum labili fœminarum fundamento innituntur, ſicque ius quodamodò ſtatuit, vt nouatio per mulieres facta teneat, ſi non fiat, & quouſque fiat exceptio, ceſſet verò poſita eadem exceptione, & tunc reuiuiſcat primæua actio iure quodamodò illam ſuſcitante.

Concordia mox dictorū, cum præcedentibus.

Digitized by Google

§. XIII.

An, ſi mulieres nouantes renuntiarint priuilegio Velleiani, adhuc poſſint excipere.

SVMMARIVM.

Extenſio præcedentis diſquiſitionis cum ipſius explicatione. 1.
Renuntiatio, vel fieri poteſt in genere, & implicitè, vel explicitè, & in indiuiduo. 2.
Facta renuntiatione omnium exceptionum, & priuilegiorum in genere nulla facta expreſſione Velleiani adhuc mulier poteſt excipere. 3.
Etiam poteſt excipere facta renuntiatione priuilegiorum in genere iuramento firmata. 4.
Si mulier certiorata fuerit de tali priuilegio, & nihilominus renuntiauit, ſiuè in genere, ſiuè in ſpecie, non poteſt amplius excipere. 5.

1 DIſquiſitio XIII. Retentis terminis præcedentis diſquiſitionis, ſecundum quos mulier, quæ non erat debitrix ex præcedenti cauſa, nouauerat pro Caio debitore in fauorem Seij creditoris, adiecit etiam in eodem actu nouationis expreſsam renuntiationem exceptionis Velleiani. Quæritur, an poſſit adhuc excipere. Pro ſolutione

Non habet locũ controuerſia, quandò mulier nullam contraxit obligationẽ.

Aduerte primò; hanc controuerſiam locum non habere, quandò mulier ex ſuo contractu, per quem intendit nouationem, nullam contrahit obligationem, eo quia contractus ipſe ex iuris humani diſpoſitione ipſo iure intelligitur nullus, ſeu irritus; ſicuti enim in contractu nullo ipſo iure non habet locum diſpoſitio Senatus conſulti Velleiani, ità nec poteſt habere locum renuntiatio talis diſpoſitionis, & ſic in particulari, ſi mulier fideiuſſerit, vel nouauerit non in publico inſtrumẽto adhibitis tribus teſtibus ſubſcriptis, & in actu ſtipulationis ſimul renuntiarit beneficio eiuſdem Velleiani, adhuc talis renuntiatio non ſubſiſtit, nec habet locum, quandòquidem ipſa etiam non poſita ex nullitate contractus libera, & abſoluta ab omni onere permaneret.

2 Aduerte ſecundò, hanc renuntiationem poſſe fieri, vel in genere, & implicitè, quatenus renuntians cedit omnibus iuribus, priuilegijs, actionibus, & exceptionibus ſibi competentibus, vel quodamodò in indiuiduo, & explicitè, quatenus determinatè cedit tali priuilegio ſingulari exceptionis ex Senatusconſulto Velleiano. Porrò, quandò fit renuntiatio in genere, vel mulier renuntians certiorata eſt, vel certiorata ſupponitur de tali priuilegio, ita vt Tabellio in inſtrumento renuntiationis aſſerat, & teſtetur, mulierem certioratam fuiſſe de omnibus, & ſingulis priuilegijs eidem competentibus, illiſque renuntiaſſe, vel non certiorata ſupponitur, nec ex inſtrumento renuntiationis elucet, ipſam certioratam fuiſſe, ſed tantum in eodem dicitur omnibus priuilegijs, & exceptionibus ceſſiſse, ſeu renuntiaſſe. Tandem, quandò fit renuntiatio, ſiuè certiorata fuerit in indiuiduo, ſiuè non, vel iure iurando firmauit renuntiationem, vel ſimplicitèr renuntiauit nullo addito iuramento. Iuxta has omnes diſtinctiones pro maiori claritate propoſita diſquiſitio examinabitur.

Renuntiatio poteſt eſſe, vel generica, & implicita, vel indiuidualis, & explicita.

Variæ acceptiones renũtiationis.

3 Reſpondeo primò, facta renuntiatione omnium exceptionum, & priuilegiorum in genere præciſè, nulla facta expreſſione Velleiani, adhuc mulierem poſſe excipere, & gaudere priuilegio exceptionis *Gutier. de Iur. confir. part. prima c.20. num.8.* Probatur, quia ad validam renuntiationem alicuius exceptionis, ſeu priuilegij, & ad tollendum per ipſam ius ad eiuſdem vſum præcedere debet ſcientia illius priuilegij in particulari, quia ex vulgatis iuribus ignorans non renuntiat, ſed quandò fit renuntiatio omnium exceptionum, & priuilegiorum in genere, ex eadem non colligitur, nec in foro exteriori præſumitur ſcientia illius priuilegij Velleiani in particulari, ſeu in indiuiduo, ergo poſita tali generali renuntiatione exceptionum adhuc poterit renuntians excipere. Minor probatur, quià in conceptu generis non expreſsè veniunt omnes ſpecies in ipſo contentæ; Neque obſtare poteſt id, quod aſſerit *Baldus in d. l. antiquæ §. ne autem C. ad Velleianum* renuntiantem ſcilicet generalitèr omni legum auxilio non poſſe iuuari beneficio Velleiani; non, inquam, obſtare poteſt, quia Baldus loquitur ſolummodò in ſuppoſitione, quod mulier generalitèr renuntians certiorata fuerit de tali priuilegio in particulari, adeòque cum plena ſcientia priuilegij, cui renuntiat, ſeu cedit.

Ignorans non intelligitur propriè renunciare.

4 Reſpondeo ſecundo, etiam poſſe excipere, & gaudere priuilegio exceptionis

Digitized by Google

tionis facta renuntiatione omnium exceptionum in genere, etiam ſi talis renuntiatio fuerit iuramento firmata *Coaruuias c. quamuis pactum §.2.§.3.n.5.*, quidquid in contrarium aſſerere videatur *Ioannes Andræas in c.2. in not. de pactis in ſexto*, *Bartolus in l. ſi duo de iure iurando*, *Proſdocimus Comes Patauinus in c. ſi diligenti de for. compet.* Ratio eſt, quia iuramentum illud non ſe extenditad incognita, ſeu ignorata, & ſolum extenditur ad ea, ad quæ ſe extendit renuntiatio, ſed renuntiatio in generali ceſſione ex dictis in ſuperiori reſponſione non extenditur, niſi ad ea, in ordine, ad quæ præcedit ſcientia, ergo &c. Neque obſtare poteſt id, quod aſſerit *Molina diſput.* 540. *verſ. Coaruuias num.* 5. *cit.*, nempè mulierem iure iurando promittentem ſe implere fideiuſſionem, ſeu nouationem intelligi omninò id velle adimplere, quod ad ſe attinet, ac proindè nullo vtendo ſuperfugio, præcipuè, cum, ſi ſciuiſſet priuilegium, adhuc per iusiurandum eidem renuntiaſſet; non, inquam, obſtare poteſt, quandoquidem nunquam quis præſumitur renuntiare ignorans, & gratis omninò dicitur, quod etiam iureiurando renuntiaſset, ſi ſciuiſſet tale priuilegium ſibi competere.

Iuramentum non ſe extendit ad incognita.

5 Reſpondeo tertio, ſi mulier certiorata fuerit de tali priuilegio ſibi competente, & in inſtrumento renuntiationis facta fuerit mentio de tali certioratione non poterit amplius excipere, nec gaudere priuilegio exceptionis, ſiuè renuntiauerit cuicunque legis auxilio in genere, ſiuè in particulari tali priuilegio, ſiuè renuntiationem iure iurando firmauerit, ſiuè non *Gloſ.2. l.1., & gloſa in l. vltima §. vltim. ff. ad Velleianum Gloſa in l. tametſi ff. ad Macedonianum*.

Probatur primo, quia quicunque renuntiare poteſt ijs, quæ in ſui fauorem introducta ſunt, &, ſi renuntiarit, non poteſt ipſorum exceptione, ſeu priuilegio vti *l. ſi quis in conſcribendo C. de pactis*, cum ſit regula iuris antiqui omnes licentiam habere, his, quæ pro ſe introducta ſunt, renuntiare *l. quod fauore C. de legibus*, ſed exceptio Senatus Conſulti Velleiani introducta eſt in fauorem mulierum, ergo &c.

Poteſt quis renuntiare ijs, quæ in ſui fauorem introducta ſunt.

Dices primò, quod, quamuis Senatus Conſultum Macedonianum introductum fuerit in fauorem filiorum familias, ſi tamen iſti priuilegio eiuſdem renuntiant, adhuc tamen non tenet renuntiatio, & adhuc poſſunt vti ope exceptionis per ea, quæ latè dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Pranot. 4. num. 14. verſ. hic oritur difficultas*, ergo etiam, quamuis Senatus Conſultũ Velleianum introductum fuerit in fauorem mulierũ, adhuc tamen ipſæ non poterunt renuntiare, &, ſi renuntiarint, adhuc tamen poterunt excipere. Sed contrà neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod Senatus Conſultum Macedonianum inductum eſt nõ ſolum in fauorem filiorum familias exigentium mutuum, ſed etiam & magis præcipuè in fauorem parentum, quibus ijdem filij necem moliebantur, vt poſſent mutuum reſtituere; nemo autem renuntiare poteſt priuilegio in fauorem alterius, & in odium delinquentium inducto; Senatus autem Conſultum Velleianum inductum eſt dumtaxat in fauorem mulierum, cui propterea renuntiare poſſunt, cum per talem renuntiationem nonniſi ſibi præiuditium inferant.

Diſcrimen inter filium familias renuntiãtem Macedoniano, & Mulierẽ renuntiãtem Velleiano.

Dices ſecundò, poſſe quidem quemque renuntiare priuilegio in ſui fauorem introducto, modo cauſa finalis talis conceſſionis priuilegij nõ ſit ætas, ſeu imbecillitas perſonæ; perſeuerante enim eadem cauſa conceſſionis, perſeuerare debet & conceſſio, nec valere poteſt renuntiatio talis priuilegij, nam eſſet quodamodò contra bonos mores *arg. textus in l. in alia §. eleganter ff. ſoluto matrim.* Ità ferè ad verbum *Molina dicta diſp.* 540. *verſ. iuxta hanc ſententiam*. Sed contra primò, quia, ſi hæc inſtantia aliquam vim haberet, torqueret in primis ipſum Molinam aſſerentem *loc. cit. verſ. Coaruuias num.* 5. mulierem renuntiantem iureiurando non amplius gaudere priuilegio exceptionis Velleiani, ſed teneri implere fideiuſſionem promiſſam cum iuramẽto; quo poſito ſic ad hominem contrà ipſum argumentor. Adhuc poſito iuramento perſeuerat cauſa finalis conceſſoria Priuilegij Velleiani, nempè imbecillitas ſexus muliebris, non enim iuramentum tollit talem imbecillitatem, ergo ipſa renuntiatio etiam poſito iuramento deberet ſubſiſtere, adeòque non teneretur adimplere fideiuſſionem, quod ipſe negat. Deindè dum dicit talem renuntiationem eſſe quodamodò contrà bonos mores, deſtruit vim, & robur eiuſdem iuramenti, quãdòquidem iuramentum, quod eſt de re contra bonos mores, non obligat per ea, quæ ſcribunt *Bartolus in extrau. ad reprimendum in verb. denuntiationem. Innocentius in cap. qui plerique de immunit.*

Argumẽtum ad hominẽ contrà Molinã.

Digitized by Google

nit. Eccl. Panormitanus in cap. cum contingat de iure iur. num. 22. Contrà ſecundò, quià, ſi inſtantia vim aliquam haberet, nullam vnquam priuilegij fieri poſſet renuntiatio; nam, vel adhuc dum fieret eadem renuntiatio, perſeueraret cauſa conceſſionis, vel non; ſi primum; iam ex vi inſtantiæ non poſſet fieri; ſi ſecundum, priuilegium ipſum non ſubſiſteret, quandòquidem ceſſante cauſa conceſſionis ceſſare deberet & ipſa conceſſio; vnde adhuc perſeuerante cauſa multæ fiunt renuntiationes nemine reluctante.

Dices tertiò, illud priuilegium Velleiani non eſt conceſſum determinatæ perſonæ, ſed ſtatui muliebri, ſed determinatæ perſonæ in tali ſtatu non poſſunt renuntiare priuilegio ſtatus, ergo &c. Minor probatur, quia priuilegium fori eſt conceſſum ſtatui clericali nullus determinatus clericus quoad ſe poteſt renuntiare tali priuilegio, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo etiam, quia priuilegium Velleiani eſt conceſſum ſtatui muliebri, nulla determinata mulier poteſt cedere tali Priuilegio. Sed contrà, quià priuilegia, quæ cōceduntur alicui ſtatui ſunt in duplici differentia, vel talia, vt reſpiciant dumtaxat perſonas in tali ſtatu, adeò vt, ſi non ſeruentur, officiant ſolummodò eiſdem perſonis, per quas non ſeruantur, ſeu à quibus fit eorundem renuntiatio, vel talia, vt reſpiciant ſimul perſonas in tali ſtatu, & ſtatum ipſum, adeò vt, ſi non ſeruentur per renuntiationem ipſorum, officiant ſimul perſonis renuntiantibus, & ſtatui, vel ſi non perſonis ipſis, officiant tamen ſtatui. Primi generis eſt priuilegium Velleianum; quodnam enim ſtatui præiuditium infertur, ſi vna mulier tali priuilegio renuntiet? Certè gradus aliquis ipſius non læditur. Secundi generis eſt priuilegium fori reſpectu clerici, ſeu Eccleſiaſtici, quod, ſi non ſeruetur, ſtatum ipſum clericalem, ſeu Eccleſiaſticum lædit. Quis enim diceret Eccleſiaſticum gradum non lædi, ſi clericus, ſeu Eccleſiaſticus traheretur ad iudicium laicale, & tribunal ſæculare, vndè reſpectu clerici rectè dici poteſt, quod priuilegium fori non ipſi, ſed Petro, hoc eſt gradui conceſſum eſt. Priuilegijs primi generis poſſunt renuntiare determinatæ perſonæ quoad ſe, quià ipſis dumtaxat officere poteſt talis renuntiatio, nō ſic priuilegijs ſecundi, quià renuntiatio officere poteſt, & ipſis, & ſtatui, vel ſi non ipſis, ſaltem ſtatui. Deindè priuilegia, quæ conceduntur alicui ſtatui, vel conceduntur in ſubſidium alicuius defectus, ne perſonæ in tali ſtatu exiſtentes ex tali defectu damnum aliquod patiantur, vel conceduntur ob excellentiam ſtatus, ne ſtatus ipſe in perſonis in tali ſtatu exiſtentibus deterioretur; ſi ſint priuilegia primi generis, cuiuſmodi eſt priuilegium Velleianum, vtique renuntiari poſſunt, quandòquidem defectus reſpiciunt perſonas ſecundum ſe, quibus dumtaxat officitur; ſi verò ſint ſecundi generis renuntiari neutiquam poſſunt, quia reſpiciunt perſonas ſecundum gradus, excellentia etenim afficit gradum, atque huiuſmodi eſt priuilegium fori.

Priuilegia, quæ concedūtur alicui ſtatui ſūt in duplici differentia, & quomodò.

Probatur ſecundò reſponſio ex textu *in l. vlt. §. vlt. ff. ad Velleianum*, vbi ſic legitur. *Si mulier pro eo, pro quo intercessit, iudicium paratâ ſit accipere, vt non in veterem debitorem actio detur, quoniam exceptionem Senatus conſulti opponere poteſt, cauere debet exceptione ſe non vſuram, & ſic ad Iudicem ire*, ergo, ſi cauere debet exceptione, ſe non vſuram, vtique poterit eadem exceptione vti, ſecus fruſtrà caueret, ſe non vſuram.

Textus ad rem noſtram accomodus.

Dices ex *Molina dicta diſp.* 540. *verſ. ad ſecundum*, hæc, quæ dicuntur in allegato textu, rectè quidem procedere, quia ibi eſt ſermo de renuntiatione facta in iudicio, quæ quidem valet propter auctoritatem, & vigorem iudicij, non autem valere, quandò renuntiatio fit extrà iudicium, vbi non adeſt illa auctoritas. Sed contrà; perpende verba textus, & ſic ceſſabit vis inſtantiæ; non enim ibi dicitur, quod cauere debeat in iudicio exceptione ſe non vſuram, ſed quod, ſi parata eſt iudicium accipere pro eo, pro quo interceſſit, debeat prius cauere, ſe non vſuram &c. & deindè ad iudicem ire, per quod non arguitur renuntiatio facta in iudicio, ſed renuntiatio libera, vt poſſit media illa iudicium accipere pro fideiuſſario. Deindè, ſi fieri non poſſet renuntiatio, quià eſt priuilegiū conceſſum ſtatui, nec poſſet fieri in iudicio, ſicuti nec in iudicio fieri poteſt renuntiatio Priuilegij fori quoad Clericum, quià eſt Priuilegium conceſſum gradui, ſeu ſtatui; niſi fortaſſis velis dicere, Priuilegium fori, nec in iudicio poſſe renuntiari, quià eſt propter excellentiam ſtatus, poſſe autem Priuilegium Velleianum per renuntiationem remitti, quià eſt in ſupplementum defectus eiuſdem ſtatus, quem defe-

Proponitur inſtātia Molinæ, & ſimul diſſoluitur.

ctum

ctum ceſſante etiam Priuilegio per renuntiationem ſupplet auctoritas iudicis, quod non conſiderauit Molina, licet ſit maximè accomodum proprio ſenſui.

Dixi in reſponſione, *ſi mulier certiorata fuerit de tali Priuilegio ſibi competente, & in inſtrumento facta fuerit mentio de tali certioratione, ſiuè renunciauerit cuicunque legis auxilio in genere, ſiuè tali priuilegio in particulari*, non ſolum propter rationes ſuperius adductas comprobantes neceſſitatem talis certiorationis, ſed etiam propter textum *in l. quamuis C. ad Velleianum. Gloſ. in l. fin. §. penult. ff. eod. tit., & per Baldum ſing. in l. 1. C. ad Velleianum.* Quod deindè ſufficiat renuntiatio in genere ſuppoſita illa mentione certiorationis priuilegij Velleiani in particulari facta in inſtrumento facilè euincitur, quià illa renuntiatio in genere refertur ad omnia præcedentia, quæ continentur in tali genere, quæque, cum cognita demonſtrentur per illam mentionem certiorationis, non eſt, cur excludantur defectu ſcientiæ, vel excludi debeant.

---

§. XIV.

An teneat nouatio, ſeu delegatio, per quam delegatur ad ſoluendum ille, qui creditur debitor debitoris delegantis, qui tamen debitor eiuſdem non eſt.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus difficultatis. 1.

Antonius per illam delegationem, ſeu aſſumptionem illius debiti in ſe factam per Titium liberatur à Seio creditore, ſiuè creditor neſcierit Titium non eſſe debitorem Antonij, ſiuè ſciuerit non eſſe talem. 2.

Dummodò creditor fraude, vel dolo non induxerit Titium ad ſe obligandum pro Antonio. 3.

Titius certioratus poſt obligationem aſſumptam de non exiſtentia ſui debiti, ſi ſoluerit, non poteſt ſolutum repetere à Seio, ſi non ſoluerit, non poteſt ei negare ſolutionem, ſed poteſt & debet agere contrà delegantem, vel conditione
1 *incerti, ſi non ſoluerit, vel certi, ſi ſoluerit.* 4.

Diſquiſitio XIV. Titius arbitratus, ſe eſſe debitorem Antonij qui verè debitor erat Seij de ſumma centum aureorum, vel ex ſe motu proprio conſentiente tùm Antonio, tùm Seio, vel per delegationem factam per eundem Antonium acceptante Seio, ipſoque Titio verſus eundem Seium ſe obligante, ſuſcepit in ſe debitum ipſius Antonij, ſeque adſtrinxit ad illud ſoluendum Seio creditori. Excitatur hic difficultas, an Antonius per talem delegationem, ſeu per acceptationem illius debiti in ſe factam per Titium liberetur à Seio creditore. Rurſus, an idem Titius certioratus de non exiſtentia ſui debiti verſus eundem Antonium teneatur ſoluere eidem Seio, ſi nondum ſoluerit, &, an poſſit ab ipſo repetere, ſi ſoluerit, an verò teneatur repetere ab Antonio, & quid in hac hypotheſi ſit peragendum.

Reſpondeo primò, Antonium per 2
illam delegationem, ſeu aſſumptionem illius debiti in ſe factam per Titium liberari à Seio creditore, ſiuè creditor neſciuerit Titium, non eſſe debitorem Antonij, ſiuè ſciuerit determinatè, ipſum non eſſe talem, dummodò tamen dolo, aut fraude non induxerit eundem Titium ad ſe obligandum pro Antonio. Ità in vniuerſum *Molina tract. 2. de iuſt., & iu. diſp. 519. verſ. quandò aliquis arbitratus.*

Probatur primo *ex l. ſi non debitorem ff. de nouationibus, & deleg.* vbi ſic legitur. *Si non debitorem delegauero quaſi debitorem creditori meo exceptio locum non habebit, ſed conditio aduerſus eum, qui delegauit* vbi gloſa expreſſo caſu in particulari proponens, an delegatus vti poſſit contra creditorem exceptione dicens, quod indebitum promiſit, reſpondet, quod non, ſed quod habeat condictionem incerti contra delegantem, eo quod ſoluit creditori ipſius indebitum; ex quibus infero, quod, ſi ipſe delegatus remanet adſtrictus verſus creditorem, delegans intelligatur ab illo liberatus, non enim creditor ob idem creditum duos habere poteſt ſimul obligatos.

Probatio efficax reſponſionis.

Quod, ſi quando Titius eſt delegatus per Antonium, qui cenſetur creditor ſui ipſius, licet reuera non ſit talis, obligatus intelligitur verſus Seium non obſtante exceptione, quod ad indebitum fuerit obligatus, obligari ſeu obligatus à fortiori remanere cenſendus eſt, quando arbitratus ſe illius debitorem eſſe, ex ſe conſentiente tùm Antonio, tùm Seio ſe adſtrinxit, ſeu obligauit ad ſoluendum Seio illud creditum, quod habebat verſus Antonium, vtrobique enim intercedit, vel

noua-

Digitized by Google

nouatio, vel delegatio.

Dixi, *ſiuè creditor ſciuerit Titium non eſſe debitorem Antonij, ſiuè neſciuerit* quandòquidem, vt aſſerit *Gloſa in l. ſi quis delegauerit in princip.ff.de nouat.* creditor, quod ſuum eſt, proſequitur, nec debet curare, an ille, qui ſibi obligatur pro ſuo debitore, fuerit debitor ſui debitoris, an non, cum æquè poſſit ſatisfieri per ipſum, ſiuè fuerit debitor, ſiuè non fuerit debitor; neque obſtare poſſunt ea, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot.21.num.2.* nempè ad delegationem requiri, quod delegatus ſit debitor delegantis per ea, quæ tradit *Scaccia tract. de commert. §.2.gloſ.5.num.281.*, quod non verificatur in præſenti hypotheſi, ſecundum quam delegatus non ſupponitur debitor; non, inquam, obſtare poſſunt, tum quia, quamuis non ſit debitor, obligatur vt debitor, cum cenſeatur vt talis, tum quia licet non obligetur vt delegatus, cum non ſit debitor, obligatur tamen vt nouans, cum in ſe ſpontè aſſumpſerit obligationem pertinentem ad eum, in cuius fauorem nouauit; Ad nouationem autem non requiritur, quod nouator ſit debitor illius, in cuius gratiam aſſumit in ſe obligationem.

3 Dixi *dummodo tamen fraude, & dolo non induxerit eundem Titium ad ſe obligandum pro Antonio*, quod dixi, tum ex eo, quod fraus, & dolus nequeunt ſuffragari auctori; tum ex eo, quod decepti non præſumitur liber, & omninò voluntarius conſenſus.

Deceptus non habet liberum conſenſum.

Probatur ſecundò ratione. Per delegationem impotentis, ſeu acceptationem ipſius factam per creditorem, ſi delegatus, ſeu acceptans cenſeatur, vt potens, debitor delegans, ſeu aſſignans liberatur à ſuo creditore, ergo per delegationem etiam non debitoris, qui reputatur vt debitor, acceptationem eiuſdem per creditorem factam, ſeu per aſſumptionem obligationis eiuſdem primi debitoris factam per eum, qui reputatur, vt debitor eiuſdem primi debitoris, idem primus debitor liberari cenſendus eſt à ſuo creditore. Antecedens communitèr admittitur, & patet in delegatione eius, qui decoctus eſt, licet non appareat vt talis. Conſequentia probatur, quia, ſicuti exiſtimatio potentiæ in impotente cōſtituit ipſum ſufficientem ad aſſumendum in ſe obligationem, quantum ſufficit ad liberandum primum obligatum, ita exiſtimatio debiti exiſtentis in non debitore ſe ſpontè obligante conſtituet ipſum ſufficientem ad aſſumendam eandem obligationem, quantum ſufficit &c.

Argumētū a paritate deductum ad rem noſtram.

Reſpondeo ſecundo. Titius certioratus poſt obligationem aſſumptam de non obligatione, ſeu de non exiſtentia ſui debiti, ſi ſoluerit, non poteſt ſolutum repetere à Seio, &, ſi non ſoluerit, non poteſt eidem negare ſolutionem, ſed poteſt agere, & debet contra delegantem condictione vel incerti, ſi non ſoluerit, vel certi, ſi ſoluerit, & ideo, cum ipſe præſtiterit pecuniam, aget mandati iudicio. Deducitur reſponſio, quoad primam partem ex ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti reſponſione, præcipuè in prima probatione. Quoad vtramque clarè liquet ex diſpoſitione iuris *in l. ſi quis delegauerit ff. de nouat., & deleg.* 4

Debet agere cōtrà delegantem.

---

§. XV.

An delegatus, cui competit except aliqua contra delegantem, poſſit eandem opponere contra eum, cui facta eſt delegatio.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus difficultatis. 1.

Si Titius fuerit ſciens, non poteſt amplius exceptionem opponere, nec aduerſus Caium delegantem, nec aduerſus Andræam acceptantem. 2.

DIſquiſitio XV. Titius inductus fuit dolo ad ſe conſtituendum debitorem Caij de quantitate centum 1 aureorum. Certum eſt eidem Titio competere exceptionem mali doli aduerſus eundem Caium, qui, cum eſſet obligatus ex titulo cambij, vel quolibet alio verſus Andręam de ſimili ſumma, ipſum Titium delegauit eidem Andreæ. Titius ſciens ſibi competere exceptionem mali doli, nihilominus promiſit, adueniente tamen tempore ſolutionis opponebat eandem exceptionem, quam prius tempore promiſſionis non oppoſuerat. Quæritur hic, an vtilitèr ipſam poſſit opponere, vel aduerſus Caium delegantem, vel aduerſus Andræam acceptantem. Si Titius fuerit conſcius talis exceptionis ſibi competentis, certum eſt, quod ipſam non poſſit opponere aduerſus Andræã, cui facta fuit delegatio, quia, vt aſſerit *Gloſa in d. l. ſi quis delegauerit*, ipſe pro-

proſequitur, quod ſuum eſt; poteſt tamen agere aduerſus Caium delegantem conditione incerti, ſi nondum ſoluerit, vel certi, ſi ſoluerit iuxtà ſuperiùs dicta; ſi verò fuerit ſciens.

2 Reſpondeo, non poſſe amplius talem exceptionem opponere, nec aduerſus Caium delegantem, nec aduerſus Andræam acceptantem. Eſt communis apud Iuris interpretes. Colligitur expreſsè *ex d. l. ſi quis delegauerit ff. de nouationibus in princip.* Ratio clarè deducitur ex eodem textu, quia ſciens, ſe poſſe excipere legitimè, & non excipiens, quandò vrgebat neceſſitas exceptionis, quinimmò abſolutè promittens nulla facta reſeruatione exceptionis intelligitur implicitè remittere ius, quod ſibi competit eiuſdem exceptionis, ergo non poterit amplius iure eiuſdem exceptionis vti. Antecedens patet *ex text. in d. l. ſi quis delegauerit*, vbi dicitur, quod ſciens potens excipere, & non excipiens ſimilis videatur ei, qui donat, quoniam remittere exceptionem videtur. Conſequentia probatur, quià ſemel facta condonatione alicuius iuris non poteſt condonans amplius illo iure vti, quandòquidem per condonationem extinctum eſt; ius autem ſemel extinctum non amplius reuiuiſcit, ſicuti creditum per ſolutionem extinctum non amplius viget; neque dicas, ad extinguendum ius aliquod non ſufficere implicitam remiſſionem, ſicuti ad cedendum priuilegio non ſufficit implicita, & tacita renuntiatio, ſed requiritur expreſſa; contrà enim impugnaberis, quià, tunc tantum requiritur expreſsa, quandò ex diſpoſitione iuris, ſeu interpretatione eiuſdem non ineſt intrinſecè alicui actioni, quæ exerceatur; tunc etenim ſimpliciter ſufficit exercitium illius actionis, cui ex iuris præſumptione annectitur illa remiſſio.

Intelligitur non excipiendo remittere ius ſuum.

---

§. XVI.

An obligatio facta creditori, qui creditor creditur, & non eſt, à debitore debitoris, inducat nouationem, quæ ipſum obliget ad ſoluendum.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus difficultatis. 1.
Varij ſenſus, iuxtà quos eadem difficultas poteſt examinari. 2.
In ſuppoſitione, quod Caius ſe obligauerit, & nondum ſoluerit, ſuperueniente notitia, quod Titius non fuerit creditor Antonij, poteſt idem Caius non ſoluere, ſed opponere exceptionem &c. 3.
Superueniente notitia, quod Titius non fuerit creditor antè ſolutionem actualitèr poſitam, quamuis Caius ſe obligarit ad ſoluendum pro Antonio non remanet tamen idem Caius liber, vel ad ſoluendum, vel ad excipiendum, ſed debet abſolutè excipere. 4.
Si Caius nedum ſe obligauerit, ſed etiam ſoluerit de mandato Antonij perſeuerante ignorantia liber manet à ſuo creditore quoad quantitatem, quam pro ipſo ſoluit. 5.
Si verò ſoluerit ſine mandato non liber remanet à ſuo creditore. Ibid.
Si ſoluerit poſt ſuperuentum cognitionis non liber remanet à ſuo creditore. Ibid.

Diſquiſitio XVI. Caius re vera debitor Antonij de ſumma centum aureorum arbitratus eundem Antonium eſſe debitorem Titij de ſimili quantitate, nouationem cum illo fecit, ſe obligando ſoluere Titio illam ſummam, quam arbitrabatur Antonium eidem debere. Compertum poſtea fuit, Antonium nihil Titio debuiſſe, ſeu debere. Modo quæritur, an vrgente eo nouationis contractu teneatur Caius enuntiatam ſummam, pro qua ſe obligauit, eidem Titio ſoluere, an vero eo contractu nihil impediente poſſit ſe tueri exceptione, quod Antonius, qui eſt ſuus creditor, nihil debuerit eidem Titio. 1

Hæc difficultas examinari poteſt, vel in ſuppoſitione, quod Caius ſe obligauerit, ſed nondum ſoluerit, & iuxtà hanc iterum controuerti, an ſi ſuperuenerit notitia, quod Titius non fuerit creditor antè ſolutionem liber ſit ad ſoluendum vigore nouationis, vel ad excipiendum, & an, ſi ſoluerit cum tali notitia, ex quaſi delicto obligatus iterũ maneat verſus Antonium ſuum creditorem, an non; vel in ſuppoſitione, quod ne dum ſe obligauerit, ſed etiã actualitèr ſoluerit, & iuxta hunc, quid agendum, ſiuè ſe adſtrinxerit verſus Titium de mandato eiuſdem Antonij, ſiuè ſine mandato ipſius, ſiuè ſoluerit, antequam ſuperuenerit notitia, quod Titius non fuerit creditor, vel poſtquam ſuperuenerit talis notitia, quibus pro notitia ſic expoſitis.

Varij ſenſus difficultatis.

Reſpondeo primo. In ſuppoſitione, quod Caius ſe obligauerit, & nondum ſoluerit, ſuperueniente notitia, quod Titius

Titius non fuerit creditor Antonij poteſt idem Caius non ſoluere, ſed opponere exceptionem, quod Titius &c. *Molina tract. 2. de iuſtitia, & in. d. diſp. 559. verſ. ſi quis verè eſſet debitor.*

Probatur primò ex textu *in l. Iulianus §. idē Iulianus ff. de dol. mal., & ma. except.* vbi legitur, *ſi ei, quem creditorem tuum eſſe putabas, iuſſu tuo pecuniam, quam me tibi debere exiſtimabam, promiſero, petens doli mali exceptione ſummoueri debet.*

Probatur ſecundò ratione, quià in illa ſuppoſitione Titius nullum habet ius exigendi illam ſummam, ergo nec poterit Caius obligari ad illam ſoluendam, quamuis ignorans illam promiſerit ſoluere. Antecedens ſecundum

Ius exigendi, & onus ſoluendi ſibi ſunt correſpectiua.

ſe patet. Conſequentia probatur, quià ius exigendi, & onus ſoluendi ſibi ſunt correſpectiua, & dicunt ad inuicem connexionem, ergo, ſi in creditore non viget ius exigendi, nec in debitore adeſſe poteſt onus ſoluendi; neque dicas, creditorem acquiſiuiſſe ius exigendi per obligationem, qua ſe obſtrinxit debitor, nempè ipſe Caius; contrà enim impugnaberis, quia Caius ſe dumtaxat obligauit ex ſuppoſitione crediti verè exiſtentis apud Titium, adeòque ceſſante tali titulo ceſſat quoque obligatio.

Dices ex ſuperius dictis, ſi per debitorem delegetur ſuo creditori alter,

Inſtantia aduerſus mox dicta, eiuſque ſolutio.

qui credatur ipſius debitoris debitor, quamuis re vera non ſit, hic cognita etiam poſt obligationem aſſumptam non exiſtentia proprij debiti non poteſt creditori negare ſolutionem, & ſi ſoluerit, non poteſt ab eodem repetere ſolutum iuxta textum *in l. ſi quis delegauerit ff. de nouat., & delegat.*, ergo etiam, ſi ipſe creditor, cui facta fuit delegatio, non fuerit creditor, quamuis crederetur, vt talis, poſt aſſumptam obligationem à debitore ſui debitoris poterit ab ipſo exigere ſolutionem, etiam poſt ſuperuenientem cognitionem non exiſtentiæ crediti, ſi enim non exiſtentia debiti etiam cognita ratione nouationis antecedentèr ad talem cognitionem poſitæ non eximit ipſum delegatum, qui realitèr non eſt debitor, ab onere ſolutionis, cur non exiſtentia crediti etiam cognita ratione eiuſdem nouationis antecedentèr ad ipſam cognitionem poſitæ eximet ipſum creditorem, cui facta eſt delegatio, quamuis realitèr non ſit creditor à iure exigendi ſolutionem ſibi delegatam? Certè, ſi non exiſtentia debiti non eximit ab onere ſoluendi debitum, nec non exiſtentia crediti videtur demere ius exigendi ipſum creditum, quandòquidem nouatio, quæ firmat in delegato debitum, videtur etiam firmare in eo, cui facta eſt delegatio, ius ad creditum. Sed contrà neganda eſt conſequentia. Ratio negationis in eo conſiſtit, quod, vt aſſerit *Gloſa in d. l. ſi quis delegauerit ff. de nouat.* creditor, qui verè eſt creditor proſequitur id, quod ſuum eſt, quod, ſi delegatus non ſit debitor, licet credatur vt talis, hic tamen non poteſt excipere aduerſus eum, cui ſe obligauit, ſed aduerſus eum, intuitu cuius ſe obligauit, cum onus ipſius aſſumpſerit, quod ſibi debitum non erat; creditor verò quamuis putatus, cum tamen verè creditor non ſit, exigendo non poteſt dici, quod proſequatur, quod ſuum eſt, quinimmò id, quod ſuum non eſt, adeòque &c. Quod, ſi dicas, quod non minus diſſonum rationi ſit, creditorem putatum, qui tamen verè creditor non eſt, proſequi, quod ſuum non eſt, ac debitorem putatum, qui tamen verè talis non eſt, compelli ad ſoluendum id, quod ſuum non eſt, hoc eſt à ſe non debitum; ſtatim impugnaberis, quià delegatio accedente conſenſu delegati vim quidem habet obſtringendi conſentientem ad ſoluendum, qui anteà obligatus non erat, cum quis ex propiæ voluntatis arbitrio poſſit debitor pro alio conſtitui aſſumendo obligationem illius; non autem habet vim tribuendi ius aduerſus alterum, quod antecedentèr ad ipſam non habebat, adeòque &c.

Reſpondeo ſecundo, ſuperueniente notitia, quod Titius non fuerit creditor antè ſolutionem actualitèr poſitam, quamuis Caius ſe obligauerit ad ſoluendum pro Antonio, non remanet tamen idem Caius liber, vel ad ſoluendum, vel ad excipiendum, ſed debet abſolutè excipere *Molina loc. cit. verſ. eodem, ſi quis verè* vbi habet, quod *non tenetur ei quidquam ſoluere, ſed tueri ſe poteſt, ac debet exceptione &c.* Colligitur item ex textu *in d. l. Iulianus §. idem Iulianus habet* vbi dicitur, quod *petens doli mali exceptione ſummoueri debet.* 4

Probatur iam ratione; ſoluens determinatæ perſonæ, cui ex certa, & determinata ſcientia ſcit non eſſe ſoluendum, iniquè, & incongruè ſoluit, ergo non eſt liber ad eidem ſoluendum & non ſoluendum, cum, ſi ita ſoluat, contra iuris ordinem ſoluat. Conſequentia tenet, quia id dicimur non poſſe, quod de iure non poſſumus ex vul-

Soluens illegitimæ perſonę ſciēter illegitimè ſoluit.

vulgatis iuribus; neque obſtare poteſt delegatio eidem facta ad ſoluendum; non, inquam, obſtare poteſt, quandoquidem delegatio eſt ex ſuppoſitione, quod ſolutio ritè iuxtà iuris ordinem fieri poſſit, & ipſa delegatio in iure ſubſiſtat, non alitèr &c.

Reſpondeo tertiò. Si Caius nedum
5 ſe obligauerit, ſed etiam ſoluerit de mandato Antonij perſeuerante ignorantia liber manet à ſuo creditore quoad quantitatem, quam ità pro ipſo ſoluit; ſi verò ſoluerit ſine mandato, non liber remanet à ſuo creditore, perindè ac ſi nihil ſoluiſſet; competit tamen eidem ſoluenti in hac hypotheſi ius ad repetendum ſolutum ab eo, cui facta fuit ſolutio; ſi tandem ſoluerit non perſeuerante ignorantia, ſed poſt ſuperuentum cognitionis, adhuc non remanet liber à ſuo creditore. Ratio primæ partis eſt, quià Caius ſoluit de mandato Antonij nihilo obſiſtente tali ſolutioni, ergo Antonius, de cuius mandato facta fuit ſolutio, obligatur ad illam ſummam verſus eundem Caium, ſicque computato debito præcedenti eiuſdem Caij cum credito, quod reſultat ex tali ſolutione, fit æqua compenſatio, adeòque liberatio ipſo iure. Ratio ſecundæ partis eſt, quià ex tali ſolutione nulla reſultat obligatio in Antonio, de cuius mandato non facta fuit illa ſolutio, ergo non eſt, cur liberari debeat Caius ſoluens ab ipſo Antonio creditore, ſiquidem nil opponitur ipſi, quod æquiualeat illi ſolutioni, ſeu liberationi. Ratio tandem tertiæ partis eſt, quia iniquè facta eſt illa ſolutio non creditori cognito vt tali, adeòque contrà omnem iuris ordinem.

§. XVII.

An obligatio conditionalis nouet puram ante conditionis euentum.

SVMMARIVM.

Senſus controuerſiæ expoſitus. 2.

Obligatio conditionalis quaſi duplex, & quomodò. 2.

Si promiſſio fuerit conditionalis ſimplicitèr, nouatio obligationis puræ non valet, niſi à tempore purificatæ conditionis. 3.

Si promiſſio fuerit abſoluta ſimplicitèr, ſed expreſſa ſolummodò ad modum conditionis, nouatio prioris obligationis abſolutè tenet à die ſecundæ promiſſionis, ſi ſpes rei futuræ promiſſæ fuerit proxima, & talis, vt ſecundum ſe adæquet rem purè promiſſam antecedentèr. 4.

DIſquiſitio XVII. Debitor eram tui 1
mille aureorum ex cauſa præcedenti cambij. Animo nouandi promiſi tibi tot gemmas ſub conditione aliqua, quam promiſſionem tu acceptaſti. Quæritur hic, an per talem obligationem, ſeu promiſſionem conditionalem facta fuerit nouatio prioris obligationis puræ; & ex ſuppoſitione, quod facta fuerit, an talis nouatio incipiat a die promiſſionis illius conditionalis, an a tempore adimpletæ conditionis. Occaſionem dedit huius quæſtionis textus *in l. quoties ff. de nouat., & deleg.* vbi videtur concludi, vel, non fieri nouationem, vel incipere dumtaxat à tempore adimpletæ conditionis. Pro ſolutione

Aduerte, promiſſionem conditio- 2
nalem, quaſi duplicitèr poſſe concipi; primò, quatenus eſt ſimplicitèr conditionata, ſi ſcilicet fuerit talis euentus, vel talis euentus, qui ſperatur, adimpleatur, vel talis conditio purificetur, vt ſi promittens dicat *Promitto tibi loco, & ſcontro nummorum, quos tibi debeo, tot gemmas, ſi ex tali loco, à quo eas expecto, venient.* Secundò, quatenus eſt abſoluta ſimplicitèr, ſed cum effectus pendeat à futuro euentu imitatur modum, ſeu eſt ad modum conditionis, vt ſi promittens dicat. *Loco, & ſcontro nummorum, quos tibi debeo, promitto tibi tot gemmas, quas expecto ex tali loco, & volo, quod ſis contentus ſiuè venerint, ſiuè non venerint, adeò vt, ſi venerint tibi eas, dabo, ſi non venerint, actum ſit de tuo credito.* His poſitis

Promiſſio cōditionalis, quaſi duplex, & quomodò.

Reſpondeo primò, ſi promiſſio fue- 3
rit conditionalis primo modo nouatio obligationis puræ non valet, niſi à tempore purificatæ conditionis. Colligitur expreſsè ex textu *cit. in l. quoties ff. de nouat.*, & vlterius ſic euincitur. Contractus ſub conditione ſimplicitèr initus nullum ius confert contrahentibus, niſi à tempore adimpletæ conditionis, vel niſi in caſu, quo adimpleatur conditio, vndè ante ipſam manent in ſuo iure præcedenti, ergo etiam contractus nouationis inductus per promiſſionem conditionalem ſubſequentem vim non tribuet, nec robur habebit quantum ad effectum extinguendi priorem obligationem, niſi in caſu purificetur conditio, ſub qua con-

Contractus conditionatus non confert ius, niſi à tempore purificatæ cōditionis.

Digitized by Google

cepta eſt promiſſio, vndè iurè merito legitur *in §. præſtaret Inſtit. Quibus modis tollitur obligatio. Quod autem diximus, ſi conditio adijciatur, nouationem fieri, ſic intelligi oportet, vt, ſi dicamus factam nouationem, ſi conditio extiterit, aliòqui ſi defecerit, durat prior obligatio*, & vlterius habetur *in l. ſi ſtichum §. 1. ff. de nouationibus §. ſi legata. Si verò ſub conditione non ſtatim nouatio eſt, ſed vbi conditio extiterit.*

Hæc, quæ dicta ſunt in conditione appoſita in poſteriori obligatione, cum prior facta eſſet purè, proportionalitèr intelligenda ſunt in conditione appoſita in priori obligatione, cum poſterior eſſet omninò pura; non enim prius cenſeri debet facta nouatio, quam conditio prioris obligationis impleatur, ſi enim hæc conditio deficiat, euaneſcit poſterior obligatio per ea, quæ expreſsè habentur *in d. l. quoties ff. de nouationibus*. Ex quibus inferes, quod ſi res promiſſa ſub conditione in poſteriori obligatione euaneſcat, ius adhuc vigeat ad primam purè obligatam, ac ſi nihil fuerit nouatum.

4 Reſpondeo ſecundò. Si promiſſio fuerit abſoluta ſimplicitèr, ſed expreſſa ſolummodò ad modum conditionis, quatenus reſpicit rem ſub ſpe ſiuè venerit, ſiuè non euenerit, nouatio prioris obligationis abſolutè valet à die ſecundæ promiſſionis modo prædicto conceptæ, ſi ſpes rei futuræ promiſſę fuerit proxima, & talis, vt ſecundum ſe adæquet rem purè promiſſam antecedentèr. Conſonat reſponſio cum ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. Diſquiſ. 1. §. 1.*

Euincitur ex paritate venditionis rei ſub ſpè proxima futuri euentus.

Probatur primò reſponſio. Venditio de re ſub ſpe proxima futuri euentus facta de præſenti abſolutè etiam valet de præſenti, & transfert dominium pecuniæ in venditorem, etiam ſi ſpes, ſub qua facta fuit venditio, ſuum non ſortiatur effectum per ea, quæ latè dicta ſunt loco citato, ergo etiam commutatio debiti præſentis facta cum alia re, quæ eſt ſub ſpe proxima de futuro, ſi ſit concepta abſolutè modo expoſito ſuum effectum ſortietur de præſenti, quantum ad mutationem obligationis, adeo vt, ſi poſtea ſpes eueniet, rem promiſſam ſub ſpe commutans conſequatur, ſi non eueniet, non conſequatur. Conſequentia tenet, quia non minus ſpes illa de obeundo futuro fine proxima eſt commutabilis, ac ſit vendibilis, ergo &c.

Spes proxima rei futuræ eſt compenſabilis pretio.

Probatur ſecundo. Pro ſpe proxima rei futuræ, ſeu pro iure ad conſequendum, id, quod eſt ſub ſpe proxima poteſt quis nullo iure reluctante ſoluere quantitatem determinatam de præſenti facta commenſuratione proportionata rei cum ſpe, & hoc cum expreſſo pacto, ſiuè ſpes habuerit effectum, ſiuè non habuerit, ergo etiam pro iure ad conſequendam rem promiſſam, quę eſt ſub ſpe proxima futura, poterit quis transferre ius, quod habet de præſenti, iſtudque cum illo commutare, adeo vt commutatio, cum ſit abſoluta, vim habeat de præſenti, nec fruſtretur ex eo, quod ſpes illa poſtea non ſortiatur effectum.

Attendenda eſt veriſimilis proportio.

Dixi, *ſi res promiſſa ſub ſpe proxima ſit talis, vt adæquet rem purè promiſſam*, quandoquidem, vt ſeruetur æqualitas ad iuſtitiam commutatiuam requiſita, cum minoris valoris ſit res, quæ pendet à futuro euentu, ac ſit ius certum de præſenti, requiritur, vt res, quæ ſub ſpe promittitur, excedat valorem rei debitæ, vt compenſetur per illum exceſſum illa aliqualis incertitudo, quam habere poteſt res ſub ſpe de futuro, vt alibi ſparſim diximus, & præcipuè *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 5. §. 3. num. 2.*

§. XVIII.

An Bancherius iuſſus à Domino in extremis conſtituto, vt daret Eccleſiæ pecuniam ſuam pro anima ſua, poſſit, & debeat dare, ſi dominus liberatus reuocet mandatum.

SVMMARIVM.

Difficultas in ſuis terminis examinata, & propoſita. 1.

Varij ſenſus, in quibus poteſt examinari. 2.

Si relictum habebat præcisè rationem legati, ſeu donationis cauſa mortis nulla interueniente ſtipulatione ex parte Eccleſiæ poſita reuocatione mandati Bancherius non debet, nec poteſt legatum dare Eccleſiæ, quinimmò ſi dederit, poteſt reuocare. 3.

Si haberet rationem cuiuſdam relicti, & res adhuc eſſet integra, certum eſt, poſſe adhuc reuocari, ſi autem non eſt integra, quia facta fuit promiſſio, non tamen ſolutio, adhuc poteſt reuocari, ſi verò adhuc facta fuerit ſolutio poſſet ab ipſa Eccleſia condici per condictionem ob cauſam, tanquam donatio cauſa mortis per pænitentiam reuocata. 4.

Diſ-

1 DIſquiſitio XVIII. Depoſuerat Caius centum nummos aureos apud Sempronium Bancherium, vt eis negotiaretur in cambijs, & recambijs. Cum hactenus illi non eſſent implicati, importuno morbo aggreſſus idem Caius decubuit, adeo vt vix eſſet ſpes propriæ ſalutis. Sic conſtitutus mandauit Sempronio Bancherio, vt Eccleſiæ D. Benedicti pecuniam ſuam daret in beneficium animæ propriæ; poſtea conualuit, & reuocauit mandatum. Oritur hic ratio dubitandi, an Caius non obſtante tali reuocatione mandati poſſit, ac debeat dare talem pecuniam eidem Eccleſiæ, & quid, ſi iam dederit. Latè agit de hac difficultate *Bartolus in l. fin. in prima colum. verſ., & hoc poteſt determinari ff. de ſolutionibus*, *Baldus in l. mandatum tertia col. verſ. prædicta faciunt C. mandati*.

Quot modis concipi poſſit huiuſmodi relictum, & quid ſentiendum.

Pro ſolutione, aduerte, huiuſmodi
2 relictum per Caium multiplicitèr poſſe concipi, vel primo, quatenus habeat præcisè rationem legati, ſeu donationis cauſa mortis nulla interueniente ſtipulatione ex parte Eccleſiæ, vel ſecundo, quatenus habeat rationem relicti ſimplicitèr, cum mandato promiſſionis faciendæ, & ſtipulationis ex parte ipſius Eccleſiæ, quatenus ipſe relinquens mandauit ipſi Bancherio, quod illam pecuniam promitteret eidem Eccleſiæ; in quo ſecundo caſu adhuc diſtinguendum eſt, vel enim eidem Caio conualeſcente, & reuocante mandatum res adhuc erat integra, quatenus nondum per Bancherium facta fuerat promiſſio Eccleſiæ, nec ab eadē acceptata, vel non erat integra, quatenus iam facta fuerat promiſſio, & eiuſdem promiſſionis acceptatio, quinimmò quod maius eſt præſtita etiam ſolutio. Quibus pro notitia ſuppoſitis.

Reſpondeo primo, ſi relictum habe-
3 bat præcisè rationem legati, ſeu donationis cauſa mortis nulla interueniente ſtipulatione ex parte Eccleſiæ poſita reuocatione mandati facta per Caium Bancherius nec poteſt, nec debet pecuniam legatam, ſeu donatam dare Eccleſiæ, quinimmo ſi dederit, poterit reuocari. Eſt communis apud omnes, cum legata, & donationes cauſa mortis vim non habeant, niſi interueniente morte legantis, & donantis, & quouſque ipſe viuit, poſſunt reuocari nemine reluctante.

Legata vim non habent, niſi interueniēte morte legantis.

Reſpondeo ſecundo, ſi habebat rationem cuiuſdam relicti, & res adhuc eſſet integra, quatenus adhuc non eſt 4
facta promiſſio, & tunc certum eſt, poſſe adhuc reuocari; ſi autem non eſt integra, quia facta fuit promiſſio, non tamen ſolutio, idem omninò dicendum eſt, ſi verò adhuc facta fuerit ſolutio, poſſet ab ipſa Eccleſia condici per condictionem ob cauſam, tanquam donatio cauſa mortis per pænitentiam reuocata fuerit. Ità in vniuerſum *Baldus ad l. mandatum in tertia col. verſ., & prædicta faciunt C. mandati*.

Ratio primæ partis eſt, quia Eccleſia nullum ius quæſiuit ad rem relictam, &, quotieſcunque res eſt integra, mandans poteſt reuocare mandatum, nam ſicuti, ſi ipſe mandans ſtatuiſſet per ſe ipſum rem illam dare Eccleſiæ, conualeſcens poſſet non dare, ità, ſi mandauit dari, conualeſcens poteſt mandare non dari.

Ratio ſecundæ partis eſt, nam poſita adhuc illa promiſſione, vel Eccleſia ſtipulata fuit ſibi contemplatione legati, quod ſibi faciebat teſtator, vel contemplatione donationis cauſa mortis, vel contemplatione cuiuſdam relicti, quod Caius facere volebat, ſi decederet, quocunque autem ex his modis ſtipulata fuerit, ſemper mandatum poteſt reuocari, nam quemadmodum legatum, & donatio poteſt reuocari, ità ea, quæ contemplatione eiuſdem ſunt ſtipulata per ea, quæ ſcribit *Bartolus in l. vlt. ff. de ſolutionibus*, & a promiſſione facta Bancherius domino prohibente liberatur *arg. l. cum qui decedens ff. de legat. 3.*

Ratio tertiæ partis deducitur *ex arg. in l. eum qui ff. de condiction. ob cauſam* per ea, quæ ſcribit *Baldus in d. l. mandatum C. mandati*. Non vlterius immoror in alijs exceptionibus, & diſtinctionibus, quas admittere poteſt propoſita difficultas, quandoquidem non ſunt præſentis inſtituti, & pro ſuis locis reſeruantur. Atque hæc ſint ſatis de ſecunda ſpecie cambiorum localium. Accedamus iam ad tertiam ſpeciem, nempè ad cambia nundinalia.

CONTRACTVS V.

De Cambijs III. ideſt de tertia ſpecie cambiorum nundinalium.

IAM verſamur in praxi, quæ communior eſt apud negotiatores, vt potè apud ipſos frequentior, & eorum lucris accomodatior. Inualuerunt adeò in ſuis acuminibus campſorum ingenia, vt nullus ſit lucrandi modus, quem non pertigerint, nullum medium, quamuis reconditum, quod non inuenerint, nullam artem quamuìs difficilem, quam non inuexerint. Nec arduus nobis erit aditus ad ipſorum adinuenta capeſcenda, quandòquidem per præcedentia viam ſtrauimus, quæ aſpera reddent plena. Ne igitur aliquid de eorum induſtria deſit, quod Theologica non perueſtiget ſolertia, nihil de ipſorum adinuentionibus, cum quibus noſtra conſideratio non tranſeat, nihil de ſollicita lucrandi cupidine, cum qua ſollicitudo indagandi non miſceatur, has poſtremas diſceptationes de Cambijs nundinalibus ſubijcimus, quibus & arcana recondita perluſtrare, & remota attingere, & inuenta recognoſcere valeamus. Plura iam ex præactis innoteſcunt, quæ, vel occaſio præteriri non deſijt, vel non omitti ſolertia. Quæ omiſſa ſunt, vel ex induſtria, vel neglecta, vt propria è ſede non extraherentur, iuxtà inſtituti noſtri ordinis rationem, & ſeriem hic examinanda proponimus, quibus ſedulò incumbendum, vt plena cambiorum habeatur notitia, & exactis eorum documentis mens noſtra inſtruatur.

PRÆNOTIO I.

Quid, quotuplex ſit cambium nundinarium, & an licitum ſit.

SVMMARIVM.

Denominatio cambij nundinarij vndè deſumpta. 1.
Definitio cambij nundinarij. 2.
Cambium nundinale diuerſificatur ratione pretij, & etiam ratione modi, quo diſſoluitur. 3.
Quod ſit cambium al conto, *& quod cambium* al prezzo corrente. 4.
Cambium aliud liberum, aliud non liberum, & quid vtrumque. 5.
Cambium nundinarium, ſiuè ſit liberum, ſiuè non liberum, non eſt ſecundum ſe illicitum. 6.
Soluitur argumentum ex D. Matthæo non redeunte poſt conuerſionem ad teloniū. 7.
Cambium nundinale non eſt mutuum palliatum, & quare. 8.
Aliud argumentum deſumptum ab auiditate cambientium relatū, & confutatū. 9.

Cam-

1 CAmbium nundinarium dicitur à nundinis, in quibus, vel pro quibus celebrantur cambia; huiuſmodi autem nundinæ ſignificant locum, in quo celebrantur, & fit publicus mercimonialis conuentus ad merces emendas, vel vendendas, quandòquidem verbum *nundinor* idem ſonat, ac *mercor, Calderinus in cap. nauiganti num. 3. de vſuris*; hic tamen dicuntur nundinæ cambiorum, quià in eis cambiantur nummi, vel in eis fit ſolutio ex cambijs, vel ex eis deſtinantur in alio loco; vndè cambia non ſolum dicuntur nundinalia, quandò eorum ſolutio fit ex loco ad nundinas, vel à nundinis ad nundinas, ſed etiam à nundinis ad aliquem locum non nundinarium. Quià autem huiuſmodi nundinæ, in quibus celebrabantur cambia, fiebant Lugduni, & poſteà in Ciuitate Beſanzon apud aliquos vocantur cambia Lugdunenſia, vel Beſuntina, & modo hic in Italia ex eadem ratione vocari poſſunt cambia Placentina, ex quo nundinæ fiunt Placentiæ per ea, quæ tradit *Leſſius de iuſtitia, & iur. lib. 2. cap. 23. num. 59.* Quibus pro notitia nominis ſuppoſitis ſit.

Nundinæ cambiorum, quia in eis cambiantur nummi.

2 ASSERTIO I. Cambium nundinariũ ſic poteſt definiri. *Eſt permutatio pecuniæ pro pecunia ad nundinas, vel ex nundinis*. Eſt communitèr ab omnibus admiſſa, & liquet ex ipſis terminis, nam ex eo, quod ſit permutatio pecuniæ pro pecunia, conuenit cum cambio minuto, & etiam quodamodò cum locali, & differt à quibuſcunque alijs contractibus, qui non ſunt cambia, vt ex dictis *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. Pranot. 1.* innoteſcit; conuenit, inquam, tam cum minuto, quàm cum locali, quandòquidem vtrobique fit pecuniæ cum pecunia permutatio, licet in vno nempè in minuto non ſit admixtus alius contractus virtualis traiectionis, ſeu locationis operarum in traiciendo, in altero verò nempè in locali ſit talis contractus locationis adnexus per ea, quæ ſparſim in ſuperiori titulo de Cambijs II. dicta ſunt. Ex eo autem, quod ſit ad nundinas, vel ex nundinis deducitur aliquod diſcrimen inter cambium locale, & nundinarium, quod tamen omninò accidentale eſt, ſitum in eo, quod illud importat ſolummodò diuerſitatem locorum, in quibus fieri debet conuentio, & ſolutio, quam etiam importat cambium nundinale, tamen non quomodocunque, ſed vt importat loca, in quibus nundinæ ipſæ celebrantur, & in quibus quandòque pretia cambiorum commutantur attenta, vel multitudine, vel inopia pecuniarum, vel concurrentium, vel non concurrentiũ ad cambia. Ex quibus elucet, quod cambium, vt ſic, non ſit propriè, & rigoroſè genus ad minutum, locale, & nundinale, ſed ad modum generis, quandòquidem differentiæ, per quas contrahitur, ſunt purè accidentales, non eſſentiales.

In quo cambiũ nundinarium conueniat, & diſconueniat à minuto, & locali.

Cambiũ, vt ſic nõ eſt propriè genus ad minutũ, locale, & nundinale.

ASSERTIO II. Cambium nundinariũ non ſolum diuerſificatur ratione loci,
in quo celebratur, & diſſoluitur, ſeu 3
ratione termini à quo, & ratione termini ad quem, quatenus dicatur nundinale, vel quià fit à nundinis ad locum, vel à loco ad nundinas, vel à nundinis ad nundinas, vt ſupra innuebã, ſed etiam ratione pretij, vel etiam modi, quo diſſoluitur ipſum cambium. Omiſſis ijs, quæ important diuerſitatem ratione loci, de quibus ſatis in præcedentibus, explico iam diuerſitatem ratione pretij, ratione cuius aliud dicitur cambium *al conto*, aliud cambium *al prezzo corrente*. Primum eſt
illud, quod fit pretio, iuxta quod ta- 4
xatur per Magiſtratum mercatorum initio nundinarum valor ſcuti marcharum per ea, quæ ſcribit *Ioannes Baptiſta Cauatus tract. de Cambijs in prælud. verſ. reſpondeo, & ſeqq.* quod, vt clarius percipias, formo caſum valdè accomodum ad huius rei explicationem. Titius vult in Ciuitate Genuæ v. g. dare Antonio ad cambium centum nummos aureos pro proximo futuro foro Sanctorum, calculat in primis ſcutum auri ad rationem ſexaginta octo ſolidorum, quià ibi in ratione cambij tanti æſtimatur, quod tamen pretium omninò fictitium eſt, quandoquidem ſcutus talis valoris Genuæ non reperitur. Deindè calculat ſcutũ marcharum ad rationem ſolidorum ſexaginta ſeptem v. g. quià tanti pro foro mercatorum eſt taxatus per conſulatum mercatorum; ſemper enim huiuſmodi ſcutus non alium habet valorem, præter illum, qui eidem imponitur per talem conſulatum. His ſic calculatis clarè reſultat, quod pro ſcutis centum auri, qui ſoluuntur per Titium in Ciuitate Genuæ Antonio, eidem Titio per Antonium debeantur in foro Sanctorum ſcuti 101. 9. 9. marcharum, pro quibus proptereà idem Antonius dat literas cambij Titio continentes enuntiatam ſummam ſcutorum marcharum 101. 9. 9. Atque hoc eſt, quod dicitur cambium *al conto*,

Caſus ex preſſiuus cambij, quod dicitur *al conto*.

quia

Digitized by Google

quià eſt iuxtà pretium impoſitum per conſulatum, ſeu Magiſtratum mercatorum. Aduerte hic tamen, hæc, quæ dicta ſunt, procedere in ordine ad pretium, quod imponitur per Magiſtratum ſcutis marcharum pro nundinis, quia verò quandòque ex nundinis fit nouum aliquod cambium ex illis ſcutis marcharum 101. 9. 9. ad aliquam ciuitatem, ſeu pro aliqua ciuitate, ideò per Magiſtratum aliud pretium pro tali Ciuitate imponitur, quod dicitur pretium pro reditu fori, ſeu de reditu nundinarum. Exemplum adductum pertinet ſolummodò ad cambia, quæ celebrantur in Ciuitate Genuæ; Cæterum quoad alias ciuitates & regiones cambia regenda ſunt iuxtà morem, & conſuetudinem talium regionum, quæ tu recole. Cambium ſecundum, ideſt *al prezzo corrente* illud eſt, quod iuxtà communem æſtimationem pro talibus nundinis ſequuntur mercatores, quandò nihil per Magiſtratum ſtatutum eſt, vel de quo quoad pretium conueniunt ipſi cambientes poſt impoſitum à conſulatu mercatorum per ea, quæ notat *Ioannes Baptiſta Cauatus tract. de Cambijs in præludijs verſ. reſpondeo*, quod tamen non debet multum excedere pretium eiuſdem conſulatus per notata à *Scaccia tract. de commert.* §. 1. *quæſt.* 5. *num.* 70; vſus autem in aliquo minimo variandi pretium per Magiſtratum taxatum ex eo inualuit, quod mercatores præpotentes ratione maioris ſecuritatis ſibi ſtatuunt poſſe quid amplius acquirere, quam alij non ita diuites & potentes.

Quid ſit cambiū *al prezzo corrente*.

5 Explico item diuerſitatem rationemodi, quo diſſoluitur ipſum cambium nundinale; vel enim cambium nundinale eſt liberum, vel non liberum, ſed *con la ricorſa, ò del ricapitar le lettere ſopra il datore*. Primum eſt, quo venditor ſcutorum *di marche*, qui prius acceperat ab emptore ſcutos auri, dat literas ſuo reſpondenti, vel alteri mandatario, quibus mandat, vt abſolutè ſoluat ſtipulatori, vel alteri de eiuſdem mandato contento, & expreſſo in literis, atque hoc indiferens eſt, vt ſit *al conto*, aut *al prezzo corrente* iuxtà partium conuentiones. Secundum eſt, quo ipſe venditor ſcutorum marchæ rogat amicum, vt committat ſuo reſpondenti, quod ſoluat ſibi ipſi literas cambij iuxtà modum à nobis ſparſim ſuprà expoſitum, & deindè reflectat tractam ſuprà ipſum venditorem ſoluendam in loco, vbi primò contractus fuerat celebratus.

Diuiſio cambij in liberū, & non liberum.

Diſſident hic non parùm Doctores inter ſe quoad hoc genus cambij non liberi, dum aliquod diſcrimen conantur inferre inter cambium *con la ricorſa*, & cambium *con le contationi*, & cambium *con ricapitar le lettere ſopra il datore*, ſitum in eo, quod cambium *con le contationi*, importat ſuprà illud *del ricapitare le lettere ſopra il datore*, onus ſoluēdi duplicem prouiſionem, vnam ſcilicet correſpondenti, qui debet ſibi ipſi virtualitèr ſoluere, alteram illi, qui dedit ad cambium; cambium verò, *con la ricorſa*, importat ſuper illud, *del ricapitar le lettere ſopra il datore, e delle contationi*, onus, ſeu obligationem ciuilem, ſecundum quam ille, qui emit, conſtringit venditorem ad acceptandum eiuſdem emptoris correſpondentem pro ſolutione. Sed nihil negotij faceſcit huiuſmodi diſcrimen, quandòquidem, vel in vtroque cambio debetur duplex prouiſio, vel in nullo, & hoc, ſiuè verificetur in vno, ſiuè in altero ſenſu, non variat ſpeciem cambij non liberi. Ad id, quod ſubditur de cambio recurſæ, falſum omninò eſt in cambio recurſæ imponi tale onus ciuile, quo obligetur recipiens ad vtendum præcisè reſpondente ſtipulatoris, quinimmò ſupra docuimus, ſic inducentem non eximi à labe vſuræ per ea, quæ docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ.* 2. §. 1.

Cambiū non liberum, vel eſt *con la ricorſa*, vel *con le contationi*, vel cō *il capitare le lettere ſopra il datore*.

Assertio III. Cambium nundinarium ſecundum ſe ſumptum, ſiuè ſit liberum, ſiuè non liberum non eſt ſecundum ſe illicitum, nec vſurarium. *Baldus in l.* 2. *num.* 2. *verſ. item cambia C. de vſuris rei iudic. Salicetus in l. inſtitoria in fin. C. de exercit., & inſtit. act. & in auth. adhac num.* 10. *q.* 11. *C. de vſuris, Iaſon in l.* 1. *in prima lect. nu.* 64. *quæſt.* 6. *C. de ſumm. Trinit., & fid. Cathol. Laurentius de Rodulphis in c. conſuluit part.* 2. *quæſt.* 26. *num.* 8., *& part.* 3. *num.* 1., *& ſeqq. de vſuris, Ioan. de Anan. in c. nauiganti num.* 46. *de vſuris*, quidquid innumeris argumentis contrarium aliqui ſtatuere contendant apud *Scacciam tract. de commert.* §. 1. *quæſt.* 7. *part. prima num.* 7., *& ſeqq.*, quibus infrà ſatisfiet.

Probatur primò, quià cambium locale, ſi ſeruentur debitæ conditiones requiſitæ, de quibus ſupra locuti fuimus, non eſt illicitum, ergo nec cambium nundinale. Conſequentia probatur, quià cambium nundinale ſecundum ſe non differt à locali, niſi acci-

Cambiū nundinale nō differt, niſi accidentalitèr à locali.

accidentalitèr, & ſecundum hoc, quod illud fit à loco ad locum indifferenter, illud verò à nundinis ad locum; vel a loco ad nundinas, vel à nūdinis ad nundinas, quæ diuerſitas non poteſt importare prauitatem in contractu.

Dices, prauitatem in contractu nundinali in eo conſiſtere, quod fiat præcisè ad finem quæſtus, & lucri ad differentiam localis ſimplicitèr, qui ſupponitur fieri ex neceſſitate. Sed contrà, quià quandò contractus ſecundū ſui naturam, attentiſque circumſtantijs, quæ ad ipſum concurrunt, eſt licitus, non eſt, cur deprauetur ex fine quæſtus, ſeu lucri intenti ex illo, quandòquidem, & mercatores exercent mercaturam ex fine lucrandi, nec vllus eſt, qui artem mercandi condemnet tanquam illicitam, & vſurariam; neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, in arte mercandi ſemper interuenire neceſſitatem ex parte alterius contrahentis, & præcipuè emptoris, quæ neceſſitas non videtur ineſſe in cambio nundinali; non, inquam, obſtare poteſt, nam in primis neceſſitas vnius ex contrahentibus non confert ius alteri contrahendi cum lucro, vt videre eſt in mutuo, alijſque contractibus. Deindè etiam in arte mercandi poteſt non adeſſe neceſſitas ex parte vtriuſq; contrahentis, ſed tantum finis lucrandi, vt videre eſt in mercatore emente merces ab alio ad finem eas vendendi alijs cum lucro.

Finis lucri non deprauat iuſtitiam contractus ſecundum ſe liciti.

Probatur ſecundò *ex conſtit. Pij V. ſuprà relata ſub hoc tit. Contractus V. de Cambijs I. Prænot. V. per extenſum*, vbi cambia nundinalia non reprobantur, ſed tantum præſcribuntur conditiones ad ea legitimè ineunda -ibi- *Hæc realia cambia aliter, quam pro primis nundinis, vbi illa celebrantur*, ergo cambia, qua nundinaria præcisè ſunt, non ſunt prohibita, nec illicita; neque ex hoc inferas, ergo cambia nundinalia, quæ dicuntur recurſæ ex præcitata Pij conſtitutione ſunt prohibita & illicita, quandòquidem extenduntur vltra primas nundinas, non, inquam, hoc inferas, nam non eſt vnum, & idem cambium, ſed multiplex; primū enim per nouationem extinguitur in primis nundinis, & nouum poſteà in eiſdem initur pro alijs per ea, quæ dicta ſunt ſuperius. Accedit, quod idem Pius V. in ſua conſtitutione ad mercatores Bononienſes hæc cambia nundinalia expreſsè confirmauit, de qua Conſtitutione infrà vberius.

Non reprobantur cambia nundinalia per Pium V.

Probatur tertiò, quià rationes iuſtificantes cambium ſimplicitèr locale ſufficientes ſunt ad iuſtificandum etiā nundinale, ergo, ſi illud ex ſuperius dictis ſufficientèr cohoneſtatur, etiam & iſtud. Antecedens probatur, quia rationes iuſtificantes locale ſimpliciter quoad intereſſe, quod exigitur, eſt virtualis traiectio, & valor pecuniarum diuerſus, ſed hæ æquè militant in cambio nundinali, vt per ſe patet, ergo &c.

Virtualis traiectio iuſtificat lucrum in cambio.

7 Multa aduerſus præſentem aſſertionem congeruntur argumenta, quæ nunc propono, & diſſoluo. Primum eſt, quod deducitur ex Sacra Scriptura de Matthæo, qui conuerſus ad Chriſtum, cum eſſet anteà Telonearius, non redijt ad telonei negotium, Petrus verò cum eſſet piſcator redijt ad piſcationem, quod explicans *D. Gregorius homil. 24. ſuper 21. Ioannis* aſſerit, quod Petrus redierit ad piſcationem, quià hæc ars exerceri poterat ſine peccato, non verò Matthæus, eo quià vix ſine peccato ad teloneum poterat redire, ergo, quià ars telonearia eſt ſecundum ſe iniqua & illicita. Accedit, quod Chriſtus Dominus menſas nummulariorum euertit *Matthæi* 21. Sed facilè huic argumento occurro, & in primis hac ratione euinceretur, quod ne dum cambia nundinalia, ſed quæcunque cambia in genere eſſent prohibita contrà ſuperius dicta, & probata. Deindè dico, Matthæum poſt conuerſionem non rediјſse ad telonei negotium, quià, cum vocatus eſſet ad euangelicam perfectionem, non debebat amplius in negotiationibus ſæcularibus, quæ mentes offundunt, & remouent à diuinorum contemplatione, implicari, quod ex conſilio eſt, non ex præcepto. Quod ſi Gregorius dixerit, quod *vix ſine peccato redire poterat ad teloneum*, hoc fuit ad indicandum facilitatem, quam habent nummularij ex innata lucrandi cupidine acquirendi ea, quæ iuſtè acquirere non poſſunt, non autem ad oſtendendum ipſam artem telonearеam eſſe peccaminoſam, vndè defectus, ſi qui obueniunt, ſunt ex peruerſitate cambientium, non ex facultate ipſa cambiendi, vndè iure merito habetur Eccleſiaſtici 26. *Duæ ſpecies difficiles, & periculoſæ mihi apparuerunt; difficilè exuitur negotians à negligentia, & non iuſtificabitur caupo à peccatis*. Ad id, quod ſubditur de Chriſto Domino euertente menſas nummulariorum, dicendum eſt, non ideò euertiſſe, quia ipſa negotiatio eſſet

Non redijt ad teloniū, quià malum eſſet, ſed quià maioris perfectionis.

eſſet ſecundum ſe peccaminoſa, ſed quià exercebatur in templo, quod erat contra cultum Deo debitum in tali loco per ea, quæ ſcribunt *Antonius de Roſella tract. de vſuris nu. 50. in fin. tom. 7. Medina in ſuis tract. tom. 2. de rebus reſtituendis quæſt. 30. verſ. per hæc*, vndè emanauit decretum *in cap. decet domum de immunit. Eccl. in ſexto* -ibi- *Ceſſent in Eccleſijs, earumque cœmeterijs negotiationes, & præcipuè nundinarum*, aſſerente Chriſto Domino *Matthæi* 21. *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*.

2 Secundum eſt, quià, ſi attentè conſideretur natura huius cambij nundinalis, comperitur, nihil aliud eſſe, quam mutuum palliatum, & id, quod exigitur ſuprà valorem ſortis, aliud non eſſe, quam lucrum ex ſola temporis dilatione in reſtituendo, adeòque vſuram; & quidem, ſi contractum ipſum conſideres, quid eſt cambire ad nundinas, quam dare pecuniam cum translatione dominij in eum, cui datur cambio, & cum dilatione temporis ad reſtituendum, pro vt innuunt *Caietanus tract. de cambijs cap. 2. nu. 2. tom. 6. part. prima. Sotus de iuſt., & iur. lib. 6. quæſt. 10. art. primo in ſecundo argumento col. prima*? Quid autem eſt mutuum, niſi dare pecuniam cum dilatione temporis ad reſtituendam aliam ſimilis ſpeciei, & numeri transferendo dominium in eum, cui fit mutuum? Si conſideres modum, innumeros implexus, ambageſque ad palliandas vſuras dignoſces. Quid enim eſt illa fictio venditionis ſcutorum marcharum, qui verè non exiſtunt in rerum natura, quam palliatio, cum re vera tradantur ſcuti auri in auro, & reſtituantur alij ſcuti auri in auro cum incremento? Quid importat illa obligatio conſignandi ſcutos marcharum in nundinis, quam ſtatuere terminum ad reſtituendum puta duos, vel tres menſes, pro vt nundinæ plus, vel minus diſtant, ſicque nundinæ videntur inductæ, & inuentæ ad obſcurandam, tegendamque reſtitutionis dilationem, quæ locum habet in mutuo? Neque obſtare poteſt, quin ex huiuſmodi contractibus nundinarijs interueniat mutuum, diuerſitas loci, quæ in iſtis ſtatuitur; non, inquam, obſtare poteſt, quià confingunt illam ſolutionem ibi, cum tamen intendant reſtitutionem faciendam in loco celebrati contractus per viam recambij. Si tandem ad finem attendas. Quid aliud volunt mercatores concedentes ad cambium, niſi vt ſibi intereſſe debeatur ex dilatione? Quid accipientes, niſi vt pecunias habeant per aliquod tempus ad ſibi, ſuiſque indigentijs ſubueniendum? non enim mercatores dant pecunias ſuas, quià egeant, vt ſibi in alio loco reſtituantur, ſed vt illas poſt aliquod tempus in eodem loco cum lucro recipiant, & qui accipiunt, non ideò accipiunt, vt alibi reſtituant, ſed vt illis ſibi prouideant, reſtituturi poſteà in eodem loco, ergo à primo ad vltimum huiuſmodi cambia nundinalia vndequaque vſuris redolent.

Argumentum euincens eſſe mutuū palliatum.

Sed huic etiam argumento facilè occurro aſſerens, & quidem ad primum quoad naturam contractus fateor cambire ad nundinas importare translationem dominij in eum, cui datur cambio, & dilationem temporis ad reſtituendum, non tamen per ſe, ſed per accidens ratione loci, ad quem deſtinatur ſolutio, qui locus, cum ſit diſtans, exigit temporis dilationem, nego tamen, huiuſmodi contractus inuoluere mutuum, quamuis hoc etiam importet translationem dominij rei mutuatæ in eum, cui fit mutuum. Ratio negationis in eo conſiſtit, quià mutuum non eſt præcisè, quià res mutuata ſit cum translatione dominij, cæteroqui omnes contractus, qui important translationem dominij tranſirent in mutuum, ſed quià eſt cum onere reſtituendi in eodem loco cum ſola temporis dilatione ſine vllo alio reſpectu, quod non militat in hypotheſi cambiorum nundinalium, in qua non importatur dilatio temporis ſecundum ſe & per ſe, ſed tantum per accidens ratione diſtantiæ localis, & vlterius importatur onus illud translationis virtualis, quod eſt ſecundum ſe meritorium illius intereſſe, quod exigitur, quodque non importatur in mutuo ſecundum ſe. Quoad ſecundum quoad modum non eſt præter iuris ordinem, quod ad faciliora, & commodiora mercatorum commertia confingantur huiuſmodi ſcuti marcharum, qui iuxtà diuerſas circunſtantias occurrentes ex mercatorū placitis recipiant maius, vel minus pretium, & ad ipſorum valorem regantur cambia nundinalia, quandòquidem contractui cambij annectitur alius contractus innominatus fortunæ aleæ, ſecundum quem poteſt lucrari, de lucro deperdere; neque huiuſmodi figmenta inducuntur ad aliquam vſuram palliandam, ſed dumtaxat ad commoditatem regendi eadem cambia iuxtà valorem, quem ex

Solutio argumēti propoſiti.

Interuenit alius contractus innominatus fortunæ aleæ.

ex vſu fori habent illi marcharum ſcuti tempore reſtitutionis faciendę; vndè illi ſcuti marcharum computantur, vt merces emptæ, quæ, ſicuti ſi creſcant, vel decreſcant in valore, creſcunt, vel decreſcunt Emptori, ità illi ſcuti ſiuè creſcant, ſiuè decreſcant, eidem campſori, qui emit, creſcere, vel decreſcere debent. Ex quibus etiam deduces, quod illa obligatio conſignandi ſcutos marcharum in nundinis non ſit inducta ad palliandam dilationem reſtitutionis, ſed ad conſtituendum legitimum pretium eorundem ſcutorum marcharum cum ſpe, & periculo emptoris augmenti, vel decrementi, quod nullam iniuſtitiam præſefert, ſicuti non præſefert aliquam iniuſtitiam obligatio, quam quis aſſumit in venditione frumenti, tradendi idem frumentum ſecundum valorem, quem habebit tempore conuento ad traditionem, quandò eſt in æquilibri ſpe, & periculo, quod pro illo tempore ſit pluris, vel minoris valiturum; neque abſolutè verum eſt, quod intendant diſſolutionem eiuſdem cambij in eodem loco celebrati contractus per ſolutionem ibi faciendam, quandòquidem diſſolutio eiuſdem cambij fit in loco nundinarum abſolutè, ſi ſic cambium liberum, vel per virtualem illam ſolutionem, de qua latè diſſeruimus ſuprà, ſi non ſit liberum, ſed cum recurſa. Ad tertium tandem quoad finem dicendum eſt omninò gratis confingi, quod cambientes intendant præciſè intereſſe ex dilatione ſolutionis, ſed ex illa virtuali traiectione, & ex valore, quem ex vſu fori acquirere poſſunt illi ſcuti marcharum poſito illo contractu virtuali implicito innominato fortunæ aleæ, vtſuprà dicebam.

Non intendunt intereſſe ex dilatione ſolutionis præciſè.

Tertium argumentum eſt, quià hoc cambium nundinarium non eſt propter publicam vtilitatem pro commodo mercaturæ, & beneficio peregrinantium, ad quem finem ex prima ſui inſtitutione ordinatus fuit vſus cambij, ſed propter ſpecialem cambientium auiditatem, qui inhiantes lucris, nunquam ſitim cumulandi pecuniam extingunt, ergo vtpotè non contentum in iouentis, & ordinatis erit ab eiſdem excluſum, adeòque illicitum. Hoc argumento potiſſimum vtitur *Boninſignius tract. de Cambijs cap. 5. verſ. trà le altre. Fabianus eod. tract. de Cambijs nu. 9. tom. 6. part. prima fol. 411.* Cui tamen breuiter occurro aſſerens, ſi quæ eſt prauitas ex fine non eſſe ex natura eiuſdem cambij ſecundum ſe, ſed ex peruerſitate cambientium, nec finis lucri præciſè ſumptus, ſi cum debitis conditionibus ſumatur, importat aliquam iniuſtitiam aſſerente *D. Thoma ſecunda ſecundæ quæſt. 77. art. 4. verſ. reſpondeo circa finem, lucrum tamen, quod eſt negotiationis finis, etſi in ſua ratione non importet aliquod honeſtum, vel neceſſarium, nihil tamen importat de ſui ratione vitioſum, vel virtuti contrarium, vndè nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem neceſſarium vel honeſtum, & ſic negotiatio licita reddetur.*

Plura alia congerit argumenta, & diſſoluit *Scaccia tract. de commert. §. 1. quæſt. 7. part. prima à num. 13. vſque ad finem*, quæ, quià vel ſolutionem recipiunt per ea, quæ ſuperius diximus, vel faciliora ſunt, conſultò omittuntur. Si quis ea examinare cupiat, conſulat eundem Scacciam, qui iuxtà ſuum morem exactè ea proponit, dilucidè examinat, & accurratè diſcutit.

PRÆNOTIO II.

An liceat cambium ex aliqua Ciuitate ad nundinas, quæ in eadem celebrantur.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus difficultatis. 1.
Licitus eſt talis contractus in ratione emptionis, & venditionis, non in ratione cambij. 2.
Cambium exigit diuerſitatem localem. 3.
Licet etiam contractus ſub tali ratione, & modo à nundinis vnius temporis ad nundinas alterius in eadem Ciuitate celebrandas. 4.

Senſus difficultatis hic eſt. Cum in aliquibus inſignioribus Italiæ vrbibus ex mercatorum praxi, & Principum indultis celebrentur nundinæ, ſicuti ex alijs locis, & ciuitatibus cambia ineuntur, vt ipſorum ſolutio fiat in nundinis, quæ in tali determinata ciuitate celebrantur, ità ex eadem ciuitate antecedentèr ad tempora nundinarum per aliquas determinatas perſonas fiunt cambia, vt aduenientibus nundinis per ſolutionem poſteà in eiſdem faciendam diſſoluantur. De hoc vſu, ſi qui eſt, celebrandi cambia à platea, ſeu à ciuitate ad nundinas eiuſdem ciuitatis ex profeſſo hic agendum occurrit, circa quem, an interueniat iuſtitia, vel iniuſtitia examinabitur, & an aliquo poſſit titulo cohoneſtari, 1

Vſus celebrandi cambia pro nundinis, ſeu in nundinis.

neſtari, & iuſtificari. Pro quo

Aduertè ex alibi ſparſim, & fusè dictis iuſtitiam pretij cambiorum ſecundum duplicem titulum poſſe conſiderari, vel ſecundum contractum eiſdem cambijs annexum virtualis traiectionis, de quo latè locuti fuimus ſupra, & præcipuè *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot.* 1., vel ſecundum diuerſitatem valoris monetarum, pro vt actum fuit *d. Prænot. prima*. Cambium cum illo lucro non poſſe cohoneſtari in hypotheſi, de qua loquimur, per illum titulum virtualis traiectionis ſatis ex ſe liquet, cum in tali cambio nulla fiat locatio operarum in ordine ad talem traiectionem, niſi fortaſſis cambium ſit talitèr initum pro nundinis, vt ex eiſdem ſit onus impoſitum alio traijciendi, ſeu ad alias nundinas alibi celebrandas. Tota igitur difficultas reducitur in ordine ad titulum diuerſitatis valoris pecuniæ. Pro quo

Quomodò regantur cambia explicatur.

Aduerte ſecundo, ſeu potius recole ex dictis *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ. III. §. 1. in princip.* huiuſmodi cambia ſic regi. Qui vult implicare pecunias ſuas ad cambia pro primis nundinis Sanctorum, emit hic, & nunc ſcutos auri ſolis, vel marcharum ad rationem tot ſolidorum pro vnoquoque ſcuto ea ratione, & conditione, vt ſibi in nundinis reſtituatur ſecundum eum valorem, qui tunc fuerit taxatus per conſulatum, ſeu Magiſtratum Mercatorum, ſeu ex vſu fori pro eo tempore nundinarum ſtatutus; cum autem, quandoque reſultet, quod in principio, vel in medio, vel in fine nundinarum ſcutorum auri ſolis, vel marchæ valor augeatur, hinc tribuit occaſionem iuſtè inquirendi, an non obſtante identitate ciuitatis, in qua celebratur cambium, & in qua facienda eſt reſtitutio, licet in nundinis, poſſit optimè ſaluari iuſtitia contractus etiã cum illo augmento, quod reſultat ex variatione ſcuti auri ſolis, vel marcharum.

2 Assertio. Licitus eſt contractus de Ciuitate ad nundinas, quæ in eadem determinatis temporibus celebrantur, non ſub ratione cambij, ſed ſub ratione emptionis, & venditionis, ſi fiat permutatio auri in auro, vel argenti in argento ad rationem tot ſolidorum cum auro ſolis, vel marcharum ad rationem valoris, quam habebunt ſcuti auri ſolis, vel marcharum, tempore nundinarum, dummodò dubium ſit æquilibre quoad incrementum, vel decrementum valoris dictorum ſcutorum auri ſolis, vel marcharum comparatiuè ad ſolutum per emptorem talium ſcutorum marcharum, vel ſolis; eſt conformis his, quæ dicebamus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ. II. §. 1. verſ. reſpondeo*. Ex quibus ſequitur, quod iuſtè creditor ex tali cambio acquirere poſſit illud augmentum, ſi concurrentibus debitis circunſtantijs ſcuti marcharum in valore creuerint pro tempore reſtitutionis.

Probatur prima pars aſſertionis, quia ex diſpoſitione Pij V. fictum eſt cambium, quo pecunia datur, vt in eodem loco reſtituatur ex conuentione; hoc etenim non poteſt eſſe, niſi mutuum palliatum titulo cambij, ergo non poteſt eſſe licitum. 3

Probatur ſecunda pars aſſertionis, quia nulla eſt iniuſtitia nec ex parte emptoris, nec ex parte venditoris, nec ex parte contractus ſecundum ſe, ergo non eſt, cur contractus, de quo loquimur, non debeat eſſe licitus. Antecedens quoad emptorem, & venditorem facilè ſic euincitur, quia vterque ſe exponit æquali periculo, & ſpei melioris, vel deterioris fortunæ, adeoque conſtituitur in æquali conditione, & ſpes cum periculo reſpectu vtriuſque compenſatur. Quoad contractum verò ſic oſtenditur, quia ſcuti auri ſolis ad proportionem valoris, quem habere poſſunt, ſeu habebunt tempore conuento ad reſtitutionem verè ſunt commutabiles cum pecunia præſenti, ergo, ſi ſeruetur debita proportio attentis æqualibus conditionibus ad ſpem, & ad periculum, erit æqualis, & iuſta cõmutatio. Confirmatur ſtante æquali ſpe, & periculo augmenti, vel decrementi poteſt de præſenti fieri emptio, & venditio frumenti ſecundum valorem, quem habebit tempore conuento ad traditionem, & fieri commutatio frumenti cum pecunia iuxta valorem, quem tempore traditionis habebit frumentum, ergo etiam iuſtè poterit fieri ſtantibus eiſdem conditionibus per pecuniam præſentem emptio ſcutorum marcharum, ſeu ſolis ad proportionem valoris, quem tempore reſtitutionis habebunt.

Illud lucrum nõ acquiritur ob dilationem tẽporis, ſed vt lucrũ contractus innominati.

Dices ſecundo, hoc eſſe acquirere lucrum præciſè ratione dilationis temporis, quod vſurariam importat prauitatem. Sed contra, nego eſſe ob ſolam temporis dilationem, cum lucrum illud acquiratur ratione contractus innominati fortunæ aleæ, ſecundum quem correſpondet contrahentibus æquali

Digitized by Google

æquali periculo decrementi æqualis ſpes incrementi, vndè, ſi quid contingat acquiri ſupra ſortem ſolutam, erit ex propriæ ſortis conditione, non ex illa dilatione præcisè, ea proportionali ratione, qua imputandum eſt ſorti acquirentis in emptione rei ſub ſpe, puta iactus retis, quod maxima piſciũ copia ſupra id, quod fuit ſolutum, fuerit extracta in piſcatione.

Ex ijs, quæ dicta ſunt, facilè etiam
4 erit colligere, quod licitus quoque ſit contractus hoc modo à nundinis, ſeu ſub ratione emptionis, quæ aliquo determinato tempore celebrantur in aliqua ciuitate ad nundinas, quæ pro alio tempore in eadem ciuitate erunt celebrandæ, dummodò tamen ratione dilationis temporis præcisè non aliquid exigatur, quod ſit ſupra id, quod exigit illud incrementum, quod contingat acquirere ex fortunæ ludo illos ſcutos marcharum; ſi enim poteſt fieri huiuſmodi cambium de ciuitate ad nundinas eiuſdem, cur etiam fieri non poterit de nundinis eiuſdem ad alias futuras nundinas? Quod, ſi Pius V. in ſua conſtitutione ſtatuerit, quod cambium non fiat vltra primas nundinas, hoc intelligendum eſt iuxta alibi dicta quoad protractionem ſolummodò ad finem maioris lucri, non aliter.

Eadem ratio eſt de emptione à nundinis ad nundinas eiuſdem loci.

PRÆNOTIO III.

De introductione, & praxi nundinarum.

SVMMARIVM.

Refertur tempus nundinarum in Hiſpania comparatiuè ad tempus nundinarum, quæ celebrantur in Flandria. 1.
Diſtributio nundinarum, quæ celebrantur Lugduni. 2.
Diſtributio temporis quoad nundinas, quæ celebrantur Placentiæ. 3.
Licet pecuniam cambire à nundinis ab vno loco ad nundinas in alio habito reſpectu copiæ, quæ eſt in vno, & inopiæ, quæ eſt in alio. 4.
Argumentum propoſitum, & ſolutum. 5.

1 IAm deuenimus ad locum, vbi cambiorum natura, quæ mercatoribus in vſu habentur, explicanda eſt. Superius iecimus fundamenta; nunc ex profeſſo praxis antè oculos conſtituenda. Refert igitur in primis *Sotus de iuſt., & iur. lib. 6. quæſt. 12. art. 2. verſ. peruentum nobis tandem*, quatuor in Hiſpania ſtatutas eſſe nundinas, quę pro diuerſis temporibus in eodẽ anno celebrantur, quibus totidem correſpondent in Flandria ad opportuniorem contrahentium vtilitatem. Primę celebrantur Metinę Campenſis ſub menſem Maium, vbi nummulariorum menſæ ſternuntur ad ſoluendũ quintadecima Iulij, durantque ſolutiones, vſque ad decimam Auguſti. His correſpondent aliæ in Flandria ſub menſem Septembrem, vbi cambia aperiuntur die decima menſis Nouembris, & durant pro toto illo menſe. Secundæ celebrantur Metinæ riui ſicci incipientes die 15. Septembris, & terminant decima Octobris. His reſpondent aliæ in Flandria, quæ fiunt ſub natalem Domini, & incipiunt cambia decima Februarij, & per totum illum menſem perdurant. Tertiæ fiunt etiam Metinæ Campenſis ſub menſem Octobrem, & aperiuntur cambia à principio Decembris, & clauduntur in fine. His reſpondent nundinæ reſſurrectionis in Flandria, incipiutque decima Maij, & terminantur in fine eiuſdem menſis. Quartæ fiunt in Villalon, incipiuntque à dimidio quadrageſimæ, & protrahantur ad finem. His reſpondent in Flandria nundinæ Iunij, & incipiunt principio Auguſti, & clauduntur in fine. Nec incongruè facta eſt hæc diuiſio cum tali temporis protractione reſpectiuè ad omnes ſiuè in Hiſpania, ſiuè in Flandria, quandoquidem aſſignatur congruum tempus, quo in vno loco celebrantur cambia, vt reſtitutionem recipiant in alio, ſic v.g. qui in primis nundinis, quæ celebrantur in Hiſpania Metinæ Campenſis, ſoluit pecunias menſe Iulij eſt recepturus in Flandria menſe Nouembris, & ſic ſucceſſiuè ſeruato ordine diſcurrendo per alias.

Tempora nundinarum in Hiſpania, & in Flandria

Quoad nundinas verò, quæ cele- 2
brantur Lugduni *Ioannes Baptiſta Lupus in cap. nauiganti §. 2. num. 18.*, hoc ordine eas diſtribuit. Primæ incohantur die octaua poſt Pentecoſten. Secundæ ſecundò nonas Auguſti. Tertiæ tertiò nonas Nouembris. Quartæ Idibus Ianuarij, & ſingulæ durant per quindecim dies vtiles. Quibus, an aliæ correſpondeant in alijs locis non inuenio. Crederem tamen indè expediri cambia pro alijs nundinis, quæ vbique terrarum celebrantur ad commodiorem contrahentium vtilitatem.

Nundinę Lugdunenſes quoad ſua tempora.

Quoad nundinas, quæ celebrantur 3
in Italia celebriores ſunt illæ, quæ fiunt Placentiæ, quæque hoc ordine diſtribuuntur, ita vt fiant ſingulo tri-

Nundinæ Placentinæ.

meſtri. *Primæ* dicuntur nundinæ apparitionis denominatione deſumpta, ſiuè ab apparitione Stellæ in Natiuitate Domini, vt aliqui volunt, ſiuè ab apparitione Magorum ad adorandum Chriſtum natum, vt ſtatuerunt alij, quæ tamen non immediatè incipiunt poſt tempus talis apparitionis Stellæ ad Magos, vel Magorum ad Chriſtum Dominum, ſed principio menſis Februarij; Dicuntur autem apparitionis, quamuis à tali die non modicum diſtent, vel quia ab initio celebrabantur immediatè poſt feſtum Ephiphaniæ, vel denominatione deſumpta à maiori feſto, quod ſit propinquius. Secundæ dicuntur Paſchatis, quæ tamen non incipiunt, niſi a Kalendis Maij. Tertiæ initio Auguſti. Quartæ initio Nouembris, quæ etiam dicuntur nundinæ Sanctorum, pro vt ſeruato eodem ordine loquitur *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 10. tit. de Cambijs cap. 8.*, & ſingulæ nundinæ durant per octo dies.

Vltra has nundinas, quas in diuerſis Regnis, & Prouincijs aſſignauimus, aliæ alibi celebrantur, & præcipuè Francoforti in Germania, quibus ſua tempora congruo ordine aſſignantur; quæ a praxi talium locorum ediſcenda ſunt, non ſingularitèr à nobis referenda. Huiuſmodi nundinæ Placentiæ inductæ fuerunt per nationem Genuenſem, & potius ibi, quam alibi, quia locus aptior eſt commoditati negotiatorum, & concurrentium, & quia huiuſmodi nundinæ Placentiæ fiunt a Genuenſibus, idcircò Reſpublica Genuenſis condit leges, & ordines pertinentes ad hanc negotiationem, quæ leges ab omnibus illuc concurrentibus ad contractus ineundos ſunt obſeruandæ.

Pro nundinis Placentinis Reſpublica Genuenſis condit leges.

Nec incongrua ſanè ratione huiuſmodi nundinæ in aliquot Ciuitatibus omnium Regnorum, ſeu Prouinciarum videntur inductæ, quandoquidem multum conferunt non ſolum ad priuatam campſorum vtilitatem, ſed etiam ad publicum commodum Regnorum, & Ciuitatum ſplendorem, ad augmentum artis mercatoriæ, ad faciliora hominum commertia &c., vndè iure merito docuit *Scaccia* §. 1. *quæſt. 6. ſub num. 8. verſ. prima*, quod aucto s mirum in modum mercaturis, & negotijs neceſſitas has docuit nundinas, experientia earum vtilitatem patefecit. Quomodò enim tàm facilè potuiſſet pecunia in tàm diuerſa, & diſtantia loca, vbi merces eſſent emendæ ad hominum commertia neceſſariæ, realitèr tranſportari? Congruè equidem omnia cæperunt chirographis tranſigi, & horum chirographorum ſolutiones non poterant commodius alibi fieri, quam in nundinis. Accedit, quod, ſicuti aliarum rerum ad vſum hominum neceſſariarum non inutilitèr inſtitutæ ſunt nundinæ, in quibus poſſent ſinguli ſibi in rebus neceſſarijs prouidere; ità inſtitui debuerunt, & nundinæ nummorum, in quibus nummi, quibus aliarum rerum venalium ſit acquiſitio, acquiri poſſent.

Vtilitates, & commoda nundinarum

His pro clariori notitia inſtitutionis, vtilitatis, & neceſſitatis huiuſmodi nundinarum explicatis, plures eſſent hic difficultates examinandæ, ſed quia alibi ſparſim propoſitæ, & diſcuſſæ fuerunt, ad hanc vnam me reduco, quam proponit *Sotus de iuſt., & iu. lib. 6. quæſt. 10.*, an ſcilicet licitum ſit pecuniam à nundinis in vno loco ad nundinas in alio cambire habito reſpectu copiæ, quæ eſt in vno, atque inopiæ, quæ eſt in altero, ità vt ſcilicet pro maiori numerata, vbi eſt copia, minor recipiatur, vbi eſt inopia. Senſus difficultatis hic eſt. Extat v.g. in hac Mediolanenſi Prouincia maxima pecuniarum inopia, ratione cuius modica quantitas tanti hic habetur, quanti habetur in Hiſpania maior quantitas, vbi maxima pecuniarum eſt copia, adeo vt v.g. Metinæ quadringenti, & decem denarioli, qui ibi dipondia appellantur, hicque quatrini, & apud Gallos turoni, tanti ſolummodò æſtimentur, quanti hic tercenti ſexaginta. Quæritur modo, an ſoluens hic tercentos, & ſexaginta denariolos poſſit iuſtè recipere Metinæ quadringentos, & decem, & è conuerſo, an ſoluens Metinæ quadringentos, & decem non poſſit plures hic recipere, quam tercentos ſexaginta. Plura de hac difficultate diximus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 1. à num. 11. vſque ad 15.*, quæ ibi recole. Nunc ad vberiorem notitiam ſit

Exponitur ſenſus cuiuſdam difficultatis quoad rem præſentem.

4 Assertio. Licet pecuniam cambire à nundinis in vno loco ad nundinas in alio habito reſpectu copiæ, quæ eſt in vno, atque inopiæ, quæ eſt in altero iuxtà modum expoſitum. Ità expreſsè *Sotus loc. cit.*, & conſonat cum ijs, quę à nobis *d. Prænot. prima* dicta ſunt

Probatur primo, in huiuſmodi cambijs ſic celebratis ſaluatur proportionata æqualitas dati ad acceptum requiſita ad iuſtitiam commutatiuam, & ea

In huiuſmodi cābijs nō relucet aliqua inæ-

Digitized by Google

qualitas oppoſita iuſtitiæ.

& ea omnia, quæ requiruntur ad ſubſtantiam contractus cambialis, ergo non eſt, cur honeſtatem non præſeferant, & iuſtitiam. Antecedens probatur, quia æqualitas dati ad acceptum attendenda eſt ſecundum valorem, & communem æſtimationem, quam habent res commutabiles, ſed ſecundum communem ęſtimationem tanti habentur quadringenti, & decem denarioli in loco, vbi maior eſt affluentia, quanti habentur tercenti, & ſexaginta in loco, vbi minor eſt copia, quin potius inopia, ergo per ipſorum commutationem in eiſdem locis ſaluatur proportionata æqualitas ad iuſtitiam commutatiuam requiſita. Confirmatur, quia, ſi in aliqua regione magna ſit affluentia olei, & in alia minor, adeo vt in illa tanti æſtimentur centum cadi olei, quanti in iſta ſeptuaginta propter penuriam, quæ hic reperitur, non iniuſtè poteſt fieri commutatio centum cadorum ibi cum ſeptuaginta hic reſtituendis, ergo etiam, ſi in aliqua regione ſit maxima pecuniarum ſumma, ſeu quantitas, & in alia maxima penuria, poterit ad æqualitatem fieri commutatio, ſi maior ibi quantitas pro minori hic reſtituenda tradatur.

Poſſunt alicubi tantum æſtimari centum cadi olei quantum alibi 70.

Probatur ſecundo, quia, ſi quis vellet pecuniam ſuam, quam habet in Hiſpania, tranſmittere Mediolanum, & propter incurſiones hoſtium, propter vaſtationes latronum non poſſet, niſi cambiando tranſmittere, ſi Mediolani eſſet pecuniarum penuria, adeò vt pluris æſtimarentur, quam in Hiſpania, liceret eidem minorem hic reddere, eo quia hic tanti habetur, quanti in Hiſpania maior, ergo poteſt licitè fieri permutatio maioris pro minori, ſeu minoris pro maiori iuxta proportionem maioris, ſeu minoris valoris, quem pecunia habet reſpectiuè ad vtrumque locum; Neque dicas, in hac hypotheſi commutantem in Hiſpania, ſeu tranſmittentem ex Hiſpania Mediolanum pecuniam pro altero non videri aliud ius habere poſſe, quam ius exigendi compenſationem pro virtuali illa traiectione, quam præſtat in fauorem alterius, ſiquidem ſupplet tantummodò defectum realis traiectionis, quam præſtaret hic alter, ſi impedimenta illa, quæ afferuntur in probatione, non obſtarent; contrà enim impugnaberis, quia commutans, ſeu traijciens poteſt nolle attendere traiectioni, ſed ſtare ſolummodò valori pecuniarum, quem habent in vtroque loco, qui, cum ſit æqualis in maiori, vbi eſt affluentia, comparatiuè ad minorem, vbi eſt inopia, poteſt fundare æqualitatem ad naturam contractus requiſitam, adeoque nullam præſeferre iniuſtitiam.

Poteſt velle ſtare valori pecuniarum, non traiectioni.

5 Aduerſus hæc, quæ in hac aſſertione afferuntur, arguendo à loco ad tempus poſſet inferri, quod ex ſola temporis dilatione poſſet ille exceſſus acquiri in eodem loco, quod non videtur conſonum, & tamen ſic euidentèr probo. Tota ratio acquiſitionis illius maioris exceſſus in loco, vbi maior eſt copia, & defectus in loco, vbi eſt minor, eſt affluentia, & penuria pecuniarum, quæ fundant æqualem æſtimationem in diuerſa quantitate, ſed hæc eadem ratio militare poteſt pro diuerſo tempore in eodem loco, ergo &c. Minor probatur, quia poſſet vnuſquiſque in hac Mediolani Ciuitate ſuo conciui numerare decem Phylippos v. g. quos ſuppono, vt efformem vim argumenti, eſſe longe maioris valoris, ac ſint in Hiſpania propter affluentiam pecuniarum, quæ ibi adeſt ea conditione, & pacto, vt quando eſſet Mediolani tanti affluentia, pecuniæ, quanta eſt in Hiſpania reciperet pro ſingulis Phylippis tantam quantitatem, quantam modo reciperet in Hiſpania, ergo, ſi propter affluentiam in Hiſpania licet, liceret quoque extante eadem affluentia hic Mediolani. Huic argumento occurrit *Sotus lib. 6. de iuſt., & iu. quæſt. 12. art. 2. prope medium* aſſerens, non ſubſiſtere ſimilitudinem, eo quia numerare hic pecuniam, vt poſt deſignatum tempus reſtituatur etiam hic, non poteſt eſſe, niſi mutuum, vi cuius nihil poteſt ſuprà ſortem extorqueri, numerare verò in hoc loco, vt in alio reſtituatur ratione diuerſitatis loci nō eſt mutuum, ſed vera cambitio duarum rerum quoad tempus præſentium, quarum valor modo æqualis eſt. Quod, vt comprobet, hanc ſibi efformat regulam, qua ſtatuit, quod quiſque ratione huiuſmodi cambij aliud quidpiam recipere non poſſit, quam ſi duæ res in præſenti exiſtentes cambirentur, qui propterea ſubdit, quod tribuens pecuniam hic Mediolani, debeat tantummodò exigere in Hiſpania, quantum, ſi hoc poſſibile eſſet, in hoc puncto, quo tribuit, reciperet æquiualens in Hiſpania, vndè, ſi eſt aliqua dilatio ad recipiendum in Hiſpania, non eſt ex genere cambij, ſed ex neceſſitate, quam inducit talis dilationis diſtantia localis; quæ certè non militant in caſu,

Reſponſio Soti, & regula ab ipſo efformata.

caſu, quo Phylippi tribuerentur hic Mediolani, vt poſt deſignatum tempus hic etiam reſtituerentur, poſt quod ſupponitur futura illa affluentia, quæ datur in argumento, vndè in hoc caſu acquiſitio illius exceſſus eſſet ex ſola temporis dilatione.

Sed, quidquid ſit de mente eiuſdem Soti, quæ ſanè in hoc valdè ſubtilis eſt, & de ſuo more ingenioſa, alitèr iuxtà alibi dicta placet reſpondere. Dico igitur, vel enim quandò reſtitutio facienda eſt poſt aliquod temporis puta affluentiæ in eodem loco præſcriptum eſt determinatum tempus, intrà quod debeat fieri reſtitutio, ſiuè affluentia euenerit, ſiuè non, vel nullum tempus determinatum ſtatutum eſt. Rurſus ſi præſcriptum eſt determinatum tempus, intra quod fieri debeat reſtitutio, ſiuè euenerit affluentia, ſiuè non euenerit, vel dubium eſt æquilibre, quod poſſit eſſe maior affluentia, vel minor, vel maior eſt probabilitas, quod intrà illud tempus ſit futura maior affluentia, ſeu, quod idem eſt, maior rationabilis præſumptio de maiori affluentia pro illo tempore, quam de negatione eiuſdem. Si igitur ex conuentione facienda eſt reſtitutio in eodem loco intrà aliquod tempus, intra quod ſit æqualis ſpes, & periculum affluentiæ, vel maioris inopiæ licita eſt talis permutatio, quià vtriuſque eſt æqualis conditio, & ſicuti licita eſt de præſenti emptio rei futuræ ſub ſpe, ſi ſpes proportionetur pretio, quod ſoluitur, ità non eſt, cur licita eſſe non debeat commutatio rei præſentis cum re de futuro præſtanda, ſiuè cum maiori valore, ſi caſus euenerit, ſiuè cum minori, ſi non euenerit, quandò tempore contractus dubium de maioritate, vel de minoritate eſt æquale, ſi verò dubium non ſit æquale, ſed magis propendeat pro affluentia futura, tunc illicita eſt permutatio, eo quià non eſt æqualis vtriuſque contrahentis conditio, nec ſaluatur proportionata æqualitas. Si tandem tempus ad reſtitutionem ſit indefinitum, vſque dum fuerit illa affluentia, ſed ex coniecturis, & circumſtantijs veriſimilitèr, ſeu etiam moralitèr certò præuideatur mox futura illa affluentia, vel quià penuria pro illo tempore eſt ex aliquo accidente, quod poſt aliquod tempus eſt ceſſaturum, vel quia ex aliqua cauſa ſcitur magnam pecuniarum copiam debere ſuperuenire, & tunc etiam computata illa ſpe cum periculo comparatiuè ad pretium ſolutum licitus erit contractus, ſi erit æqualitas, illicitus, ſi inæqualitas; ſi verò non præuideatur futura illa affluentia, tunc erit ſpes omninò remota, & caſus ferè metaphyſicus, qui, ſi euenerit, non erit improbabile, quod debitor ex tali cambio teneretur ad illam maiorem quantitatem, quià caſus ille ſuperuenientis affluentiæ inopinatæ compenſaretur cum periculo, quod præerat de non ſuperuenientia futura, & per conſequens cum iure, quod acquiſierat debitor non ſoluendi ſortem receptam, ſi caſus affluentiæ non ſuperueniſſet.

Reſponſio noſtra magis plana ad argumentum.

PRÆNOTIO IV.

An cambium, quod fit intercalatis, & prætermiſſis primis nundinis in alias ſubſequentes, ſit licitum.

SVMMARIVM.

Propoſitio difficultatis expreſſa. 1.

Cambium, quod fit vltrà primas nundinas ad finem maioris lucri eſt iniquum etiam iure naturæ. 2.

Cambium ad ſecundas nundinas cum eodem lucro, quod exigeret in primis, eſt licitum. 3.

In cambijs ad vlteriores nundinas ad exigentiam campſuariorum ratione maioris periculi ſortis, damni emergentis, vel lucri ceſſantis licitum eſt quid magis exigere, ac exigat ipſum cambium in primis nundinis. 4.

Intellige in foro interno animæ, non in externo. Ibid.

Non tamen ratione plurium concurrentium ad exigendum cambium, nec ratione æquiualentiæ ad duplex. Ibid.

SVb alijs terminis hanc difficultatem aliqui proponunt, qui tamen recidunt in idem, dum inquirunt, an poſſint celebrari cambia vltrà primas nundinas cum maiori prouentu reſpectu concedentis, vel an liceat cambium Francofortenſe, & ſimilia, in quibus pretium variatur pro maiori, vel minori temporis intercapedine. Circa quam plura in ſuperioribus præiecimus, ità vt de hac in præſenti inquirendo videamur iam actum agere, & in quæſtionem quodamodò deducere, quod anteà firmiter ſtabiliuimus. Nihilominus, quià adeò negotiantium luxuria prouoluta eſt, vt non obſtantibus Summorum Pontificum decretis, & ſanctionibus, tot Doctorum auctori- 1

ctoritatibus, tot rationum pondere ab hac labe non ſe reuocent, ideò ex profeſſo nouo examini ſubijcio, vel vt vias, quas ſibi aperiunt, præcludam, vel vt argumenta, quibus innituntur, elidam, vel vt ſubterfugia, ad quæ ſe conferunt, eliminem, & quià potiſſimum aliqui ſibi præfigunt huiuſmodi cambia, quæ fiunt intercalatis nundinis prohiberi dumtaxat iure poſitiuo ex Conſtit. Pij V. ſupra relata, adeò vt, vbi illa recepta non eſt, nullum ius naturæ vetet, quin poſſint celebrari, ideò non inutilitèr ſingula dilucidè examinare, & diſcutere operæ pretium duxi. Vt autem clarius procedamus.

An ſit prohibitum iure tantum poſitiuo, an etiam iure naturæ.

Aduerte ex multis cauſis, quandò conceditur tempus vltrà primas nundinas ad ſoluendum, poſſe lucrum, ſeu maius intereſſe exigi, vel ratione protractionis temporis præcisè, vel ratione maioris periculi quoad ſortem, vel ratione alicuius lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis ex tali dilatione, vel quià ex maiori illa temporis protractione plures concurrant ad exigendum cambium, qui non concurrerent, ſi ad minus tempus extenderetur, ex quo concurſu augetur pretium cambiorum, vel quià illa conceſſio ad ſecundas, & tertias nundinas æquiualeat duplici, vel triplici cambio, quatenus, ſi cambium non fieret ad illud tempus, qui egent pro pluribus menſibus pecunia accepta deberent plures ad cambium petere cum magno ſuo damno, & incommodo, ſicque campſores concedunt ad longius tempus, vt in vno cambio virtualitèr concedant plura, ſicque auctius exigendo intereſſe virtualitèr in vno auctiori intelligantur intereſſe ſingulorùm exigere. De variatione pretij in ordine ad hos omnes fines eſt meta quæſtionis, pro qua ſit

Ob rationes aliquas poteſt exigi lucrum ex protractione cambij vltra primas nundinas.

2 Assertio I. Cambium, quod fit intercalatis, & prætermiſſis primis nundinis in alias ſubſequentes ad finem maioris lucri ex ſola temporis dilatione eſt iniquum, non ſolum attento iure poſitiuo, ſed etiam iure naturæ *Sotus de iuſt. & iur. lib.6. quæſt.12. art.5. Michael Salonius de Cambijs quæſt.4. art.2. controu.20. Leſſius 2. de iuſt., & iu. cap.23. dub.6. Medina quæſt.4. de Cambijs §. de alia cauſa, quæ tempus. Ognate tract.24. de Cambijs diſp.88. ſectione 6.*, qui pro hac aſſert. citat *D. Thomam ſecunda ſecundæ quæſt. 78. art. 1., Caietanum opuſ. 6. de Cambijs multis in locis Hieronymum de Luca tract. de Cambijs 6. §. 4. num. 4., Fabianum Genuenſem tract. de Cambijs ſecunda part. cap. 7. num. 68. in princip. §. Reuerendiſſimus Præſul.*

Probatur in vniuerſum aſſertio. Augere pretium ex ea ratione præcisè, qua tempus vltra primas nundinas protrahitur, idem re ipſa eſt, ac augere pretium ratione dilatæ ſolutionis, ſed pretium adauctum præcisè ratione dilatæ ſolutionis eſt manifeſtè vſura, non ſolum iure humano poſitiuo prohibita, ſed etiam diuino, & naturali, ergo cambium, in quo augetur pretium ratione nundinarum intercalatarum, ſeu quod idem eſt ratione protractionis temporis, vltrà quod exigit natura eiuſdem, eſt omninò illicitum, prohibitum non ſolum iure poſitiuo, ſed etiam naturali.

Eſſet exigere lucrum ratione temporis præcisè.

Dices, pretium illud augeri non ratione dilatæ ſolutionis præcisè, ſed quia ex illa temporis dilatione æquiualet duplici cambio reali, ſicque illud pretium adauctum computari, vt iuſtum pretium vtriuſque. Sed contrà, quia gratis omninò confingitur illud duplex cambium virtuale; non enim temporis dilatio præcisè vim habet multiplicandi contractus, cum ad conſtituendum ſecundum cambium requiratur diſſolutio primi per virtualem illam ſolutionem, de qua locuti fuimus in præcedentibus, quæ certè in hoc caſu non interuenit; neque commoditas, quam indè conſequitur campſuarius, maius ius confert campſori ad conſequendum illud maius intereſſe, quandòquidem etiam ex mutuo prorogato mutuatarius conſequitur maius commodum, nec tamen mutuans indè aliquid lucrari poteſt.

Gratis confingitur illud duplex cambiũ.

Probatur ſecundò, quià cambium ad primas nundinas comparatur contractui emptionis in numerato, cambium ad vlteriores nundinas contractui emptionis dilata ſolutione per ea, quæ ſcribunt *Sotus de iuſt., & iu. lib. 6 quæſt. 12. art. 5., Salonius de Cambijs quæſt. 4. art. 2. controu. 20. num. 6.* nec incongrua ſanè ratione, quandòquidem contractus cambij ad primas nundinas, quantum eſt ex ſe, non exigit temporis dilationem, ſed ſolummodò per accidens ratione ſcilicet diſtantiæ localis, quinimmò, vt aſſerit idem Sotus, cambium locale ità debet concipi, ac ſi in eo puncto, quo per campſorem ſolueret in hoc loco, campſarius in alio reſolueret, cum dilatio temporis ſit vltrà rationem contractus, & requiſita non ſecundum ſe, ſed ex neceſſitate diſtantiæ localis ad transferendas illas lite-

Argumentum à paritate deductum.

literas, vbi facienda eſt reſtitutio, ſed in contractu emptionis non eſt licitum aliquid exigere ſupra iuſtum pretium ob expectatam ſolutionem per ea, quæ docuimus *tom. primo ſub tit. Contractus II. de emption. & vendit. ſparſim per prænotiones*, ergo nec in contractu cambij licitum erit aliquid exigere ſuprà iuſtum intereſſe ex protractione temporis ad vlteriores nundinas.

Expreſſa mens Pij V. Probatur tertiò quoad ius poſitiuũ ex edita extrau. Pij V. circa cambia, vbi expreſsè ſic legitur. *Porro ad tollendas quoque in cambijs, quantum cum Deo poſſumus, occaſiones peccandi, fraudeſque fœneratorum, ſtatuimus, ne deinceps quiſquam audeat, ſiuè à principio, ſiuè alias certum, & determinatum intereſſe etiam in caſu non ſolutionis paciſci, neque realia cambia alitèr, quàm pro primis nundinis, vbi illa celebrantur, vbi verò non celebrantur, pro primis terminis iuxtà receptum locorum vſum, exercere, abuſu illo prorſus reiecto cambia pro ſecundis nundinis, ſeu terminis exercendi.*

Plura argumenta, quæ aduerſus hanc aſſertionem congeruntur per mercatorum fautores, ſeu per auaritiæ patronos vide apud *Sotum loc. cit.* qui ea adamuſſim examinat, & radicitus euellit, nos ea alibi ſparſim attigimus, & latè diſſoluimus, vndè non eſt, cur vlterius in ipſorum diſſolutione immoremur.

3 Assertio II. Cambium, quod fit intercalatis, & prætermiſſis primis nundinis in alias ſubſequentes ſine onere maioris pretij, ac exigeretur in primis, non eſt ex genere ſuo illicitum. Conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. Prænot. 6.* quæ ibi recole. Quibus accedunt *Salonius loc. ſuprà cit. nu. 6., Marius Antonius var. reſol. lib. primo reſol. 27. n. 7., Lupus in c. nauiganti tom. 3. §. 2. num. 77., Nauarrus cap. 17. nu. 301. vers. nota quinto, Lopez de contract. lib. 2 cap. 13. verſ. hic igitur eſt intellectus*; nec difficilis eſt probatio huius aſſertionis, quandòquidem illa conditio, quod nõ protrahatur cambium vltra primas nundinas, inducta eſt in fauorem recipientis, ne ſcilicet ex maiori temporis protractione magis grauetur, quam par ſit, & exigat ipſa natura contractus; quando autem talis temporis extenſio non eſt cum onere maioris lucri, nullo modò aggrauat, ſed potius releuat ipſum recipientem; nec ex genere ſuo cambium exigit, vt immediatè per complementum ex vtraque parte conſummetur.

Soluitur inſtantia deducta ex verbis conſtitutionis Pianæ. Solum hic remanet dubitandum, quomodò huiuſmodi cambium ſic dilatum cohæreat cum præcitatis verbis conſtitutionis Pianæ *abuſu illo penitus reiecto cambia pro ſecundis terminis, ſeu nundinis exercendi*, quæ certè non limitanda videntur ad cambium cum onere maioris lucri, quandòquidem Pontifex ibi abſolutè loquitur, & indefinitè, nec diſtinguit inter ea, quæ fiunt cum maiori pretio, & ea, quæ fiunt ſeruato iuſto, & debito pretio, vt benè notat *Salonius loc. cit. num. verſ. 7. vbi Summus Pontifex*; quod autem lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Sed in primis, ſi attendas verbis aſſertionis, textus facilè conciliabis, quandoquidem aſſertio procedit conſiderato cambio ſecundum genus ſuũ, non ſecundum quod reſpicit iura poſitiua. Deinde ſiſtendo etiam in iure poſitiuo valet regula, quod lex non diſtinguit, nec non diſtinguere debemus, quandò ex fine expreſsè legis non arguitur diſtinctio, ſecus quandò ex illa manifeſtè infertur. Quid autem voluit Pontifex in illarum conditionum prohibitione, quam fœnerandi euertere occaſiones ibi *Ne dum longiores præfiguntur, quam loca deſtinatæ ſolutionis deſiderant, fœnerandi detur occaſio*. Quomodò autem poteſt eſſe occaſio fœnerandi, vbi eſt expreſſa conuentio de eodem lucro, quod exigeretur in primis nundinis? Atque huic intellectui optimè conſenſerunt *Lupus in d. c. nauiganti tom. 3. §. 2. nu. 77.*, & alij, quos in aſſertione allegaui.

4 Assertio III. In cambijs ad vlteriores nundinas a primis factis ad exigentiam campſuariorum ratione maioris periculi ſortis, damni emergentis, vel lucri ceſſantis, licitum eſt quid magis exigere, ac exigat ipſum cambium pro primis nundinis loquendo in foro interno animæ, non ſic in externo, non autem ratione plurium cõcurrentium ad exigendum cambium, nec ratione æquiualentiæ ad duplex cambium ſecundum ſe. Quoad primam partem conſentit *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iu. cap. 23. dub. 6. num. 18., Salas de Cambijs dub. 19. nu. 2., Ognate de Cambijs tract. 24. diſp. 88. ſect. 5. n. 135., Molina diſp. 404. nu. 9., Fillincius tract. 35. cap. 7. quæſt. 2. nu. 408., & ſeqq.* qui tamen omnes loquuntur non in terminis cambij ad nundinas intercalatas, ſed in cambijs ad longius tempus. Quoad ſecundam conſentit *Sotus loc. cit.* aduerſus hos omnes, qui pro prima parte allegantur.

Pro-

Digitized by Google

Probatur prima pars, quià, quanto maiora, & plura ſunt onera ob cauſam cambiendi ſuſcepta, tanto magis licitum eſt in lucro aſcendere, ſed, quādo maius adeſt periculum ſortis, impenditque ex ipſo cambio damnum aliquod cambienti, ſeu lucrum ceſſat, maiora ſunt onera ob cauſam cambiēdi, ergo, ſi ex protractione cambij ad ſecundas nundinas, vrget tale maius periculum, & damnum emergat, ſeu emerſurum ſit, lucrumque ceſſaturum poterit cambiens in lucro ad proportionem aſcendere, eoque maius acquirere, quo periculum erit proximius, & probabilius, & damnum, ſeu lucrum &c. Confirmatur, quià periculum, quod quis aſſumit in fauorem alterius eſt ſecundum ſe pretio compenſabile, ergo, quo maius erit, erit etiam maiori pretio compenſabile. Confirmatur vlterius quoad lucrum ceſſans, ſeu damnum emergens ex eadem ratione, quià hæc ſecundum ſe ſunt pretio compenſabilia, nec creditor tenetur illa gratis ſubire, ergo, ſi ex protractione temporis campſuario conceſſi lucrum, ſeu damnum &c. compenſatio illa iuſtè poterit exigi; neque obſtare poteſt conſtitutio Piana ſuper cambijs ibi *ſtatuimus, ne deinceps quiſquam audeat ſiuè à principio, ſiuè alias certum, & determinatum intereſſe etiam in caſu non ſolutionis paciſci* confirmitèr ad ea, quæ nos etiam ſupra docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. Prænot. 6.* vbi damnauimus conuentionem de determinato intereſſe etiam ratione lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis; non, inquam, obſtare poteſt, quia hæc dumtaxat habent vim in foro externo attenta eadem Pij V. extrauaganti, non autem in interno ſuppoſito vero intereſſe per ea, quæ diximus *d. Prænot. 6. num. 1.*, quæ ibi recole.

Maiora onera exigunt maius lucrum.

Periculū in fauorem alterius aſſūptum eſt pretio compenſabile.

Secunda pars quoad forum externum clarè liquet ex præcit. Verbis Cōſtitutionis Pianæ *Statuimus ne deinceps &c.* quæ, cum adeò perſpicua ſint, non vlteriori indigent explicatione.

Probatur iam tertia pars, ratione ſcilicet plurium concurrentium ad exigendum cambium, & ratione æquiualentiæ ad duplex cambium ſecundū ſe non poſſe exigi maius pretium, & quidem quoad primum ſic euincitur. In data hypotheſi numeroſior multitudo recipientium cambia non aliundè naſcitur, quam quod laxiores indulgentur ad ſoluendum induciæ per ea, quæ ſubtilitèr cōſiderat *Sotus lib. 6. de iuſt., & iur. quaſt. 13. art. 2.* ſed augmentum ex illa cauſa eſt manifeſta iniquitas, vtpotè, quod prouenit ex corrupta radice, ergo ratione plurium concurrentium ratione dilationis temporis ad exigenda cambia non poteſt licitè exigi illud augmentum. Maior ex ſe patet; ad quid enim plures concurrunt ad exigenda cambia pro ſecundis nundinis, & non pro primis, niſi quia laxiores illis conceduntur indutiæ? Minor etiam euincitur, quia illud augmentum eſt præcisè ex protractione temporis, quæ temporis protractio in ordine ad illud intereſſe eſt radix infecta, & vſuraria, vndè quidquid ex illa prouenit, non poteſt eſſe, niſi infectum.

Augmētum prouentus ex radice infecta eſt manifeſta iniquitas.

Probatur ſecundò eadem tertia pars quoad idem. Inopia rerum, quæ prouenit ex infecta radice non confert ius venditori maius pretium exigendi pro illis, ac ſi non eſſet talis inopia, ergo neque multitudo concurrentium ad exigendum cambium, quandò illa multitudo eſt ex cauſa illicita, & inepta ad inducendum maius illud pretiū confert ius cambienti ad maius intereſſe. Antecedens probatur. Inducta per monopolium penuria rerum, in aliquo genere, quamuis hæc ſecundū ſe tribuat fundamentum maioris valoris quoad tales res, non poteſt tamen quis non ignorans talem inductam eſſe inopiam ex monopolio, tanquam ex infecta radice, res ſuas vendere illo maiori pretio adaucto ratione eiuſdem monopolij per ea, quæ latè diximus *tom. primo ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. Prænot. 1.*, & in terminis cambij præcipuè *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs 1. Prænot. 8. num. 3.*, quimmò ſi vendiderit, ſeu permutarit cū maiori illo pretio adaucto per monopolium tenetur ad reſtitutionem exceſſus, ergo &c. Conſequentia primi argumenti ſic euincitur. Ideo pretium adauctum ex inopia rerum, ſeu pecuniarum inducta ex monopolio non poteſt iuſtè acquiri per conſcium monopolij, quamuis in illo non communicarit, quia talis inopia, ſeu augmentum ex illa prouenit ex cauſa illicita, & infecta, ſeu corrupta radice, & quamuis inopia ſecundum ſe ſit iuſta cauſa augmenti redditur tamen illicita ex illicita cauſa, ſed etiam pretium adauctum ex multitudine concurrentium ad exigenda cambia ob longiorē temporis dilationem eſt adauctum ex illicita cauſa, & quamuis illa multitudo ſecundum ſe apta ſit ad augen-

Euincitur exemplo monopolij.

Monopola tenetur reſtituere pretium adauctū ex monopolio.

dum illud, prouenit tamen ex corrupta radice, quæ effectus corrumpit, ergo &c.

Dices primo. Inter rationes augentes pretia cambiorũ præcipuè eſt multitudo concurrentium ad exigenda cambia per ea, quæ latè diximus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Pr*æ*not. 1. nu. 21.*, quibus conſentiunt *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iu. cap. 23. dub. 11. nu. 90.*, *Caietanus tract. de Cambijs cap. 5. Sotus de iuſt. quæſt. 12. art. 2.*, *& alij*, ſed in data hypotheſi verè concurrit multitudo, ergo &c. Sed contra, quia multitudo non quomodocunque accepta eſt iuſta ratio augendi rerum, ſeu cambiorum pretium, ſed multitudo, quæ non pullulat ex infecta radice, qualis non eſt illa, de qua hic loquimur, pro vt rectè notat *Sotus d. quæſt. 13. art. 2.*, cæteroqui etiam penuria rerum, quæ proueniret ex monopolio eſſet ſufficiens &c., quod &c.

Dices ſecundo, ex dictis *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. in Diſquiſ. §. 16. nu. 2.* Campſores poſſunt maius lucrum exigere ex eo, quod nundinæ, in quibus facienda eſt reſtitutio plus diſtent, quod non aliundè prouenit, niſi ex maiori temporis extenſione, ratione cuius plures concurrunt ad exigenda cambia, ad quæ corroboranda adduci vlterius poſſunt ea, quæ alibi etiam dicta ſunt, licere ſcilicet cambium locale ab vno in alium locum intra idem Regnum dummodò tamen ſit cum minori lucro, ac ſi eſſet extrà Regnum, quibus conſentire videtur *Sotus lib. 6. de iuſtitia, & iur. quæſt. 12. art. primo*. Sed contrà iterum admitto, quæ ibi dicta ſunt; nego autem ea ſequi in hypotheſi, de qua hic loquimur. Ratio negationis in eo conſiſtit, quia ibi non eſt conceſſio temporis ex parte campſoris ad finem maioris lucri, ſed illa dilatio temporis maioris eſt ex natura, & conditionibus contractus talis, vndè ſi plures concurrunt eſt ex optione campſuariorum concurrentium, non ex auiditate campſorum concedentium vltrà id, quod exigit natura, & conditio talis contractus, ſicque, ſi augetur pretium ex illa concurrentia non augetur ex conditione ſe tenente ex parte campſorum inducentium per conceſſionem dilationis ad talem concurſum, ex parte quorum ſolummodò conſideratur vſuraria peruerſitas, ſed ex arbitrio recipientium, ſeu conditione ſe tenente ex parte campſuariorum volentium ex ſua libertate vti illa dilatione, quam trahit neceſſitas talis maioris diſtantiæ localis, vndè ſi augetur pretium non eſt imputandũ vſurariæ prauitati campſorum, ſed voluntati exigentium ad cambium, ſeu eorum neceſſitati habendi pecunias pro tanto tempore, quantum exigit talis diſtantia, ea proportionali ratione, qua exiſtente aliquo genere rerum venalium apud vnum, vel alterum mercatorem, qui tamen res illas non coegerunt ad finem monopolij, nec maioris lucri non eſt imputandum eorum culpæ, quod pluribus apud ipſos concurrentibus augeatur talium rerum pretium, quandoquidem ipſi per iniquam coadunationem cauſam non dederunt tali augmẽmento. Res autem diuerſimodè ſe habet in hypotheſi, de qua loquimur, ſiquidem hic eſt ſermo de conceſſione vltra id, quod exigit natura talis cambij ſecundum ſe conſiderati facta ex parte concedentis ad finem maioris lucri; vndè ſemper firma manet ratio ad probationem aſſertionis adducta, quod augmentum ex illa cauſa eſt manifeſta iniquitas, vtpotè quæ prouenit ex corrupta radice ex conceſſione ſcilicet vlterioris temporis ad finem lucri facta ex fine dantium ad cambium, & protrahentium tempus ad finem lucrandi.

Aſſignatur diſpar ratio in caſu propoſito ab ijs, quæ dicta ſunt.

Ad id, quod ſubditur de cambio ab vno in aliũ locum intra idem Regnum fateor licere quidem cum minori pretio, ac ſi eſſet extrà tale Regnum, & hoc non ratione vlterioris temporis, ſed ratione virtualis traiectionis, quæ, ſi ſit ad longiora, & diſtantiora loca, videtur maiori quodamodò digna mercede, licet quandoque etiam ſit magis compenſabilis in loco propinquiori, quam in remotiori, eo quia propter frequentiora, & crebriora commertia, quæ in iſto fiunt, & non in illo, facilior ad iſtum fit illa virtualis traiectio; Certum tamen eſt, quod illud magis, & minus, quod exigi poteſt in cambio, vel intrà idem Regnum, vel extrà illud debeat eſſe quid modicum, eo quia illa diſtantia maior, vel minor regulariter modicũ apud negotiationes conſideratur. Dici etiam poteſt cambium intra idem regnum non tam eſſe lucratiuum, ac extrà Regnum, quia regulariter intrà idem non poteſt eſſe alius titulus lucrandi nempè diuerſitas valoris monetarum, ſicuti eſt extra illud.

Quandoque traiectio eſt magis compenſabilis in loco proximiori, quam in remotiori.

Confutatur illa æquiualentia ad duplex cambiũ.

Probatur tertio, eadem tertia pars quoad illam æquiualentiam ad duplex cambium, quia per illam extenſionem ad vlterius tempus non fit aliqua virtualis ſolutio, nec conſtituitur recambium,

Digitized by Google

bium, nec aliquid ponitur in virtute cuius duplex ille confictus contractus poſſit ſubſiſtere, ergo non poteſt iuſtificari ille exceſſus, qui exigeretur per æquiualentiam ad duplex illud cambium. Antecedens probatur, quia ſola extenſio temporis non efficit, quod idem contractus habeatur pro duplici, & quod duplicis contractus exigatur intereſſe. Quis enim diceret, quod ex quo mutuum aliquod prorogetur dicatur conſtitui duplex mutuum? ex eo quod diferatur ſolutio emptionis conſtituatur duplex emptio?

PRÆNOTIO V.

De Proxenetis in Cambijs interuenientibus.

SVMMARIVM.

Munera, & onera Proxenetarum quænam ſint. 1.
Quantum ſit emolumentum proxenetarum. 2.
Si proxenetæ ſcienter cooperati fuerint contractui ſecundum ſe illicito, & præſeferenti vſurariam prauitatem, & lethalitèr peccarunt, & obligantur ad reſtitutionem. 3.
Non obligantur tamen ad reſtitutionem principalitèr, ſed tantum in ſubſidium. Ibid.
Si cooperati fuerint bona fide ignorantes prauitatem contractus ad nihilum tenentur, nec ad reſtitutionem lucri, quod acquiſierint, ſi conſumpſerint in bona fide. 4.
Quinimmò nec videntur teneri, etiam ſi non conſumpſerint, vel facti fuerint locupletiores. 5.
Dummodò non fuerit ignorantia iuris. 6.

NEquid deſit, quod ad perfectam cambiorum notitiam conferat, Proxenetarum, quì eorundem cambiorum miniſtri ſunt, & mediatores, munera in agendo, onera ex muneribus, quæ ſubeunt, iuſtitiam, vel iniuſtitiam in acquirendo, cæteraque, quæ ex ipſis proueniunt, vel prouenire poſſunt, examinanda propono; quæ, vt ſingillatim expendam, per ſingula capita ſic procedo.

1 Munus igitur præcipuum ipſorum eſt inquirere campſores, qui alijs ſoluant, & campſuarios, qui recipiant, inter negotiatores commertia promouere, pretia inter ipſos concordare, & regularitèr librum quendam, quaſi diurnum habere, in quo dietim propria manu ſcribant omnia cambia, quorum fuerint mediatores, expreſsè nominantes quemcunque contractum cum nominibus ſtipulatoris, & receptoris in vnoquoque. Ad hæc tamen munera obeunda regularitèr in quocunque foro mercatorum eliguntur, & approbantur, vt videre in ſtatutis mercatorum cuiuslibet Ciuitatis, & præcipuè in capitulis Mercatorum Bononienſium approbatis per Pium V. Sanct. recordationis, quæ ex profeſſo, & per extenſum infrà referam. Qui proxenetæ, ſi in aliquo ex his deficiant, remouentur ab officio, & quacunque prouiſione, ſi qua gaudent, priuantur.

Proxenetæ regularitèr eliguntur in foro mercatorum.

Quoad emolumentum, quod conſequuntur ex muneribus, quæ præſtant, tale regularitèr eſt, vt pro ſingulis cambijs realibus, quorum fuerint mediatores, acquirant binos ſolidos auri ex ſingulis centenarijs ſcutis, vt videre eſt in eiſdem capitulis Mercatorum Bononienſium. Ibi. *Il pagamento de ſenſali, che ſaranno mezzani à detti cambij reali, habbi d'eſſere due ſoldi d'oro per ogni cento ſcudi da ciaſcuna delle parti*. Dixi *tale regularitèr eſt*, nam in ſtatutis aliquarum Ciuitatum quid diuerſum præſcribitur, quamobrem ſingula in hoc genere cōſulenda ſunt, & iuxtà eorum præſcriptum res adamuſſim obſeruanda. His pro notitia munerum, & onerum proxenetarum ſuppoſitis. 2

Emolumentum proxenetarum eſt duorum ſolidorū auri pro ſingulis centenarijs ſcutis

Id, quod ſpecialitèr examinandum eſt in hac prænotione, eſt, an ad aliquid teneantur, & ad quid, ſi fuerint miniſtri, & mediatores in aliquo cambio ſecundum ſe præſeferente iniuſtitiam; proquo attendendum erit, an bona fide cooperati fuerit celebrationi talis contractus ignorantes iniuſtitiam in ipſo exiſtentem, an verò mala fide ſcientes prauitatem contractus, ſeu in contractu inexiſtentem.

Assertio I. Si Proxenetæ cooperati fuerint mala fide contractui ſecundum ſe iniuſto, & præſeferente vſurariam prauitatem, & lethalitèr peccauerunt, & obligantur ad reſtitutionem. *Michael Salonius de Cambijs quæſt. 4. art. 2. controuerſia 3. ſub tit. de proxenetis campſorum*, & conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſur. Prænot. 17. num. 2.* Aduerte tamen, quod in ordine ad onus reſtitutionis non obligantur principalitèr, ſed in ſubſidium principalium. *Sotus 6. de iuſt. quæſt. 1. art. 4. ad fin., Nauarrus in manuali cap. 17. nu. 260.* 3

Probatur primò quoad peccatum,

Digitized by Google

quià cooperantes cum plena cognitione actioni ſecundum ſe peccaminoſæ communicant cū principali in eodem peccato,& labe ipſius inficiuntur, quinimmò quandòque ipſi cooperantes peccant, quamuis nòn peccent principales, puta, ſi ipſi cooperantes norint prauitatem, quam non cognoſcant principales, ſed proxenetæ componentes inter ſe campſorem, & campſuarium ad contractum iniquum, & vſurarium ineundum, verè cooperantur actioni ſecundum ſe peccaminoſæ, ipſe enim contractus ex ſuppoſitione, quod fuerit talis, importat vſurariam prauitatem, ergo &c.

Malitia clarè deducitur ex ſcientia.

Probatur ſecundò quoad obligationem reſtitutionis; Qui confluit, ſeu concurrit ad damnificationem, iniquamquè acceptionem obligatur verſus damnificatum ad conſtituendum ipſum indemnem in eo, in quo ratione talis concurſus læſus eſt, ſed proxenentæ verè confluunt, & concurrunt ad damnificationem illam, quæ iniqua, & vſuraria ſupponitur,ergo &c.Maior patet exemplo conſulentis, & præmouentis ad furtum per ea, quæ tradunt *Bartolus in l. ſi ſeruus* 1. *ff.de condit.furt. & in l. peculium §. ſi opem ff. de pecul. Alexander in prac. §. ſi Procurator nu.*13. & ad vſuras, per ea, quæ nos tradidimus *tom.primo ſub tit. Contractus III. de mut., & vſur. Prænot.* 17. *num.* 3. *verſ. probatur quoad ſecundam part.*

Probatur tertiò, quod non obligentur principalitèr. Proxenetæ non ſunt principalitèr delinquentes, nec damnificantes, ergo principalitèr non tenentur ad reſtitutionem. Recole pro vberiori confirmatione ea, quæ dicta ſunt *tom.primo d. Prænot.*17. *de mutuo, & vſuris num.*2.*&* 3., & hic applica, quandòquidem dilucidè euincunt intentum. Ex quibus etiam deducere poteris, obligationem, quæ conſurgit in eiſdem proxenetis in ſubſidium, ſeu in defectum principalium, quæ non vacat hic repetere.

Proxenetæ non ſūt principaliter delinquētes.

4 Assertio II. Si cooperati fuerint bona fide ignorantes prauitatem contractus, cognita poſteà prauitate ad nihilum tenentur, nec in ſubſidium, quinimmò, ſi lucrum aliquod inde perceperint, quod ex vſu fori confe« ratur proxenetis pro cambijs realibus, nec tenentur illud reſtituere, ſi conſumpſerint in bona fide.

Probatur prima pars, quià ad illam reſtitutionem, ſeu reintegrationem nec tenentur ratione rei acceptæ, nec ratione iniuſtæ acceptionis, ſeu cooperationis ad talem iniuſtam acceptionem, ergo &c. Antecedens probatur quoad primam partem, quia res illa accepta non eſt collata ipſis proxenetis, ſed Dominis, pro quibus ipſi concurrerunt ad contractum; quoad ſecundam item ſic euincitur, quià bona fide iudicauerunt cambium illud iuſtum, neque vllam ipſi in eo exercuerunt iniquitatem, vel culpam

Non tenetur, nec ratione rei acceptæ; nec iniuſtæ acceptionis.

Propter eandem rationem euincitur etiam ſecunda pars, quod ſcilicet non teneantur ad reſtitutionem lucri acquiſiti ratione muneris, ſi illud perceperint, & conſumpſerint, quandòquidem nec res extat, ratione cuius teneatur, nec iniquè vſurpauit, nec conſumpſit, cum acquiſierit, & conſumpſerit in bona fide

Maior difficultas hic eſt, an, ſi non conſumpſerit, vel factus fuerit ex eo ditior comperta poſtea inualiditate contractus teneatur illud, ſeu æquiualens reſtituere. Qua in re tutius crediderim, non teneri, quidquid aſſerat *Salonius de Cambijs d. quæſt.* 4. *art.* 2. *ſub tit. de proxenetis campſorum num.* 2. Ratio eſſe poteſt, quià illud lucrum non eſt intereſſe contractus ſecundum ſe, ſed laboris, & induſtriæ propter contractum, ſed proxeneta in data hypotheſi æquè impendit ſuam opem, & induſtriam proptèr illum contractum ſic initum, ac impendiſſet, ſi ille contractus non fuiſſet ex occulta iniuſtitia interueniente irritus, quinimmò,quod fuerit irritus, non eſt ex conditione ipſius proxenetæ, qui contractum rectum ſibi firmare ſuaſit, ergo non eſt, cur non poſſit illud lucrum medio proprio labore, & induſtria acquiſitum ſibi iuſtè obtinere, ſiquidem ex eo, quod contractus fuerit irritus, non tollit, quin legitimè ſuum laborem, & opem, & induſtriam impenderit; neque obſtare poteſt,ſi aſſeratur,quod, quamuis opem impenderit, & induſtriam ad ſtabiliendum contractum, non poſſit tamen conſequi illud lucrum, ſi contractus non fuerit firmatus, & ſtabilitus, ergo neque poterit illud retinere, ſi induſtriam impenderit, & contractum firmarit, quandò contractus ipſe in ſua ſubſtantia fuerit irritus. Conſequentia probatur, quià quod contractus fuerit initus, ſed inualidè, & quod non fuerit initus paria ſunt in ordine ad effectus, qui ex contractu reſultant, ergo, ſi quandò non fuit initus, lucrum illud proxeneta non poteſt acquirere, nec poterit illud iuſtè retinere, quandò contractus 5

Illud lucrum eſt fructus laboris, & induſtriæ non intereſſe contractus.

Quod ſi initus in eſt ex cōditione proxenetæ.

ctus

ctus fuit quidem initus, ſed inualidè, quandòquidem contractus irritus, ſeu nullus, & non contractus per ea, quæ alibi fuſe diximus, idem ſunt; Non, inquam, obſtare poteſt, quià lucrum, quod conceditur proxenetis non eſt pro labore, ope, & induſtria quomodòcunque, ſed pro eiſdem ſuppoſito complemento contractus, tanquam conditione ad hoc requiſita; ſicque proxeneta, quantum eſt ex ſe, compleuit; & firmauit contractum, adeòque poſuit omnia requiſita ad acquirendum, exigendum, & retinendum illud lucrum, quæ non verificantur, quandò initus non eſt; quod deindè contractus, quamuis initus, fuerit irritus, non ponit onus reſtitutionis, quandòquidem hoc non prouenit ex conditione eiuſdem proxenetæ, qui, quantum fuit ex ſe, poſuit ea omnia, quæ requiruntur ad complementum contractus, cui eſt debitum illud lucrum. Deindè videtur, quid magis requiri ad reuocandum poſſeſſum, quam ad non concedendum, ſiquidem poſſeſſio iam acquiſita magis firmat ius poſſidentis.

Dices ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 6. & 7.* ex contractu vſurario, adeòque irrito nullum poſſe ſequi effectum, nec lucrum, quinimmò, ſi hoc fuerit perſolutum, iuſtè poteſt reuocari non obſtante traditione iam facta, ſeu poſſeſſione iam acquiſita per vſurarium, ergo, ſi illud cambium, de quo loquimur, fuerit vſurarium, & per conſequens irritum nullum poteſt ius tribuere ad illud lucrum reſpectu proxenetæ, cum hoc debeat eſſe ex completo contractu, & ſi fuerit perſolutum non obſtante ipſa poſſeſſione poterit reuocari. Sed contra; conceſſo antecedenti neganda eſt conſequentia. Ratio negationis eſt, quià illud lucrum, de quo agitur in antecedenti, eſt lucrum præcisè contractus, quod propterea non tenet corruente contractu; lucrum autem proxenetæ, de quo loquimur, non eſt lucrum contractus, ſed fructus induſtriæ medio ipſo contractu, qui, cum firmatus fuerit, non eſt, cur deſtruat ius ad illum fructum iam acquiſitum.

Inſtantia propoſita, & ſoluta.

Hic tamen aduertendum eſt pro vberiori aſſertionis notitia, quod, quamuis dixerimus, quod quandò proxenetæ cooperati ſunt ignorantes prauitatem contractus cognita poſteà prauitate ad nihilum teneantur, quinimmò nec ad lucrum indè acquiſitum; hæc verificentur, quandò ignorantia non eſt ignorantia iuris, quæ non præſumitur præcipuè in eiſdem proxenetis, cum norint iſti plurimum, quæ ficta ſint cambia, vel iniqua, & cum ipſis interuenientibus fiant, quinimmò ipſi componant campſores, & campſarios in pretio, alijſque qualitatibus contractus non eſt præſumendum prauitatem ipſos latere. Accedit, quod, cum genus cambiorum ſit valdè ſuſpectum, ipſos obligat ad cautius procedendum, vndè, ſi aliquis ſubſtantialis defectus obrepat, ipſi, quaſi ex delicto videntur obligari, & teneri; vndè vix videntur poſſe excuſari, niſi campſores ità aſtutè egerint, vt iniquitas illius cambij videatur ſuperare peritiam illius artis in miniſtro quamuis verſato.

Ignorantia iuris non præſumitur.

PRÆNOTIO VI.

An accipiens cambium nundinarium in alterius vtilitatem poſſit ipſum obligare ad intereſſe cambiorum.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus propoſitæ difficultatis. 1.
Si tradens non comonefecerit accipientem de illo onere non poteſt ipſum obligare ad intereſſe cambiorum. 2.
Si comonefecerit indicans præcisè animum illius beneuolentiam captandi non poteſt etiam exigere. 3.
Si comonefecerit indicando animum obligandi, & nihilominus ille acceptauit, poteſt ipſum obligare ad intereſſe. 4.
Si comonefecerit indicando obligationem per ſe aſſumptam non exprimens, an id faciat animo obligandi, an captandi beneuolentiam, præſumendum eſt pro hoc ſecundo. 5.

Senſus propoſitæ difficultatis hic eſt. Conſtitutus quidam nobilis in neceſſitate habendi aliqua nummorum pondera, petijt illa in mutuum à quodam mercatore, qui ex vno capite nolens diſtrahere pecunias apud ſe congeſtas ex fine eaſdem implicandi in ſuis negotiationibus, vel fortaſſis illam quantitatem à ſe petitam non habens, ex altero propter obligationes, quibus afficiebatur erga eundem virum nobilem nolens gratitudinis obſequia præterire, illa nummorum pondera à campſoribus accepit titulo cambij, ſicque accepta tradidit illi viro nobili. Iuxtà hanc facti ſeriem excita- 1

ta

taeſt controuerſia, an mercator ille potuerit iuſtè à viro illo nobili illud intereſſe, ad quod ipſe ſe obligauit ex cambio, exigere. Pro ſolutione

Duplex ſenſus, ſecundum quē poteſt examinari titulus. Aduerte, ſub duplici ſenſu poſſe controuerſiam procedere; vel enim mercator ille, qui pecuniam accepit titulo cambij, comonefecit virum illum nobilem ſe accepiſſe illam titulo cambij, & ſub intereſſe, vel præcisè contulit nil de illo onere per ſe aſsumpto comonefaciendo. Rurſus, vel comonefaciens innuiſse præſumitur dūtaxat illud onus à ſe aſsumptum ad finem magis beneuolentiam recipientis illam captandi nulla facta conuentione de compenſatione illius oneris per ſe aſsumpti facienda, vel explicitè, ſeu ſaltem implicitè comonefeciſse intelligitur intendens in ipſum inducere obligationem compenſandi id, ad quod pro tali pecunia à ſe accepta ſoluendum ipſe ſe obligauit. Tandem in ſuppoſitione, quod comonefecerit exprimendo quidem obligationem per ſe aſsumptam, ſed non indicans animum obligandi ad compenſationem, vel præſumendum eſt tradidiſse animo illum obligandi, & iuxtà hunc ſenſum acceptatam obligationem à recipiente, vel præſumendum, tradidiſse animo magis ipſius beneuolentiam captandi. Iuxtà omnes hos ſenſus ſermo erit in præſenti prænotione.

2 Assertio I. Si tradiderit non comonefaciendo virum illum nobilem de obligatione per ſe ipſum aſsumpta ſoluendi intereſse ex cambio, non poterit ipſum obligare ad intereſse cambiorum perſoluendum. Ità expreſsè *Michael Salonius tract. de Cambijs quæſt. 4. art. 2. controu. 3. nu. primo*, & conſonat cum ijs, quæ latè dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris ſparſim per prænotiones*.

Probatur aſſertio primò, quia Nobilis ille recipiens illas pecunias non alio titulo recipit, quam titulo præcisè mutui, ergo ad quid aliud non obligatur, niſi ad id, quod exigit præcisè titulus mutui. Conſequentia probatur, quia nullus obligatur niſi ad id, ad quod ſpontè ſe obligat, niſi obligatio ex natura ſua adnectatur intrinſecè alicui actioni, quam actionem liberè velit, atque ad ipſam ſe obliget, quià, qui vnum vult, ex neceſſitate intelligitur velle ea omnia, quæ intrinſecè, & ex natura ſua ſunt illi annexa, ſed nobilis ille non ſe obligauit, niſi ex mutuo, ſeu titulo mutui, nec intrinſecè, & ex natura ſua eidem mutuo annectitur aliqua alia obligatio, niſi ſoluendi ſortem, ergo &c.

Obligatio illa non ineſt intrinſecè illi actioni.

Probatur ſecundò, quià, ſi quæ eſſet obligatio ſoluendi intereſſe ex cambio, ad quod ſe obligauit mutuans, maximè ob rationem lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis ob conceſſionem illius pecuniæ mutuo acceptæ, ſed illa obligatio in hypotheſi, in qua verſamur, non vrget, ergo &c. Minor probatur, quià non eſt obligatio ſoluendi intereſſe in mutuo ob lucrum ceſſans, vel damnum emergens, niſi de illo expreſsè facta fuerit conuentio per ea, quæ latè tradidimus *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris prænot. 13. num. 1.* quinimmò mutuans debet certiorem facere mutuatarium de tali damno, eo quia mutuatarius nollet cum eo onere mutuum accipere, ſed cum minori diſpendio vellet alio modo ſibi, rebuſque ſuis conſulere per ea, quæ tradit *Leſſius lib. 2. de iuſt., & in. cap. 20. dub. 10. num. 37. vers. aduerte*, ergo &c.

Compenſatio damni emergentis, vel lucri ceſſantis nō debetur niſi ex conuentione.

Assertio II. Si tradiderit comonefaciendo virum illum nobilem de obligatione per ſe ipſum aſſumpta ſoluendi intereſſe ex cambio indicans præcisè animum beneuolentiam ipſius captandi ex illo mutuo, non poterit ipſum obligare ad intereſſe cambiorum. Conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris prænot. 9.* 3

Probatur aſſertio, quia in data hypotheſi, nec præſumitur animus mutuantis obligandi ad illud intereſſe, nec mutuatarij ſe obſtringendi ad illud onus, ſeu obligationem, ergo ex vi illius obligationis non poterit mutuatarius obligari ad ſoluendum illud intereſſe, ad quod ſe obligauit mutuans ex cambio. Antecedens probatur quoad primam partem, quia animus acquirendi beneuolentiam præcisè non coniungitur cum aliquo onere reſpectu illius, cuius beneuolentiam acquirere intendit, quinimmò docuimus *d. prænot. 9 de mut., & vſuris* non eſſe vſurariam prauitatem mutuare ea ſpe, & intentione, vt mutuans acquirat beneuolentiam mutuatarij, etiam ſi indè ſperet ex titulo gratitudinis aliquod bonum temporale, quamuis illud intendatur tanquam finis principalis per ea, quæ docent *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 78. art. 2., Caietanus ibidem art. primo ad quartū. Sotus lib. 6. de iuſt. quæſt. prima art. 2.* ex quibus ex directo ſequitur, quod ille animus acquirendi beneuolentiam nō coniun-

coniungatur ex iuſtitia cum aliquo onere ex parte mutuatarij, cæteroqui illa mutuatio eſſet vſuraria, ergo &c. Probatur iam idem antecedens quoad ſecundam partem, quia nemo præſumitur velle aſſumere obligationem, ad quam non obligatur ex vi contractus, neque ex animo obligandi alterius cõtrahentis. Conſequentia primi argumẽti probatur, quia nemo poteſt obligari ad id, ad quod non obligat ſubſtantia contractus, neque obligatur ex ſe, neque ex onere impoſito ab altero contrahente, ergo &c.

Nemo præſumitur aſſumere obligationem, ad quam non ſe obligat.

Assertio III. Si comonefecerit de obligatione per ſe ipſum aſſumpta ſol-
4 uendi intereſſe ex cambio explicitè, vel implicitè indicans, velle reſpectu mutuatarij obligationem compenſandi id, ad quod ipſe ſe obligauit ex cambio, & mutuatarius expreſsè acceptat mutuum cum illo onere, vel ſimpliciter acceptat ipſum mutuum non reluctans animo expreſſo mutuantis poteſt obligari ad illud intereſſe. In hoc ſenſu præciſè exiſtimo locutum *Michaelem Salonium de Cambijs quæſt.* 4. *art.* 2. *controu.* 3. *num. primo* dum aſſerit, *vel mercator iſte conferens Principi pecunias, quas ab alijs accepit per cambium, admonet illum ſe accepiſſe illas per cambium, & ſub intereſſe, vel nihil horum explicat &c.* & paulò poſt ſubdit. *Si priori modo, poteſt exigere, & recipere omne damnum, & intereſſe, quod patitur, quin & ſtipendium, quod arbitrio prudentum cenſebitur iuſtum, & debitum labori, & induſtriæ, quam adhibuit.*

Probatur primò aſſertio, quia illa manifeſtatio cum illo animo, ſiuè expreſſo, ſiuè implicito, tali tamen, vt manifeſtè indicet intentionem obligãdi, & acceptatio illius pecuniæ non obſtante tali manifeſtatione æquiualet expreſſæ conuentioni de intereſſe ratione lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis, ſed quando eſt conuentio de compenſatione lucri ceſſantis, vel damni emergentis verè reſultat obligatio illud compenſandi, ſi illud ceſſat, ſeu emergat per ea, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub d. tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris prænot.* 9. ergo &c. Maior probatur, quid enim aliud importat conuentio de compenſatione lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis, niſi expreſsũ animum obligandi ad illam, & conſenſum præſtitum à recipiente, qui, ex quo non excepit contrà illum animum, quinimmò ipſo non obſtante acceptauit, iuſtè præſumitur conſenſiſſe?

Illa manifeſtatio, & acceptatio æquiualet expreſſæ conuentioni.

Probatur ſecundò, qui alteri mutuat exprimens ſuam conſuetudinem mutuandi ad vſuram peccat, ſi poſteà à mutuatario, cui expreſſit talem conſuetudinem aliquid ſupra ſortem recipiat per ea, quæ tradidi *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. IV.* §. 2. *num.* 2. ergo etiam, qui alteri mutuat ſuſcepto in ſe onere propter mutuum ex cambio ſoluendi intereſſe admonens, ſe pecuniam cambio accepiſſe ſub intereſſe, & vlterius indicans animum obligandi ad compenſationem illius intereſſe, cui non reluctauit mutuatarius, poterit eundem obligare ad talem compenſationem. Conſequentia probatur, quia in tantum illa expreſſio conſuetudinis vſuraria eſt, in quantum per illam intenditur, ſeu præſumitur velle inducere obligationem retribuendi ex iuſtitia, &, ſi ponatur retributio, præſumitur poni, tanquam debitum iuſtitiæ per ea, quæ dicta ibi ſunt, ergo, ſi illa expreſſio præſumitur ponere obligationem iuſtitiæ, vbi poni non poteſt, a fortiori ſupponitur ponere, vbi poni poteſt. Cum igitur extante illo intereſſe ex cambio, ad quod mutuans ſe obligauit in fauorem mutuatarij notificato eidem mutuatario, adſit iuſta cauſa obligandi eundem ad compenſationem, ex conſequenti ſequitur, quod illa expreſſio re vera inducat obligationem.

Argumẽtũ à paritate deductum valde efficax.

Assertio IV. Ex ſupppoſitione, quod comonofecerit de onere à ſe aſ- 5
ſumpto ſub intereſſe cambij ſine expreſſione animi obligandi ad compenſationem præſumendum potius eſt, quod tradiderit animo non obligandi, ſed acquirendi beneuolentiam, quam intentione obligandi.

Probatur reſponſio primò, quia comonefactio illa de onere à ſe aſſumpto facta per mutuatarium indiferens eſt, vel vt coniungatur cum animo obligandi ad retributionem, ſeu compenſationem illius oneris aſſumpti, vel cum animo gratificandi mutuatarium præciſè; quot enim extant opera ſecundum ſe meritoria lucri præſtita in fauorem alterius, non cum animo acquirendi retributionem, ſed cum intentione præciſè ſe gratos reddendi illi, in cuius fauorem illa impendunt, ſed ſtante illa indifferentia ſecundum ſe non reſtricta per aliquam expreſſionem, ſeu quod idem eſt in dubio, in qua parte declinet animus mutuantis, mitior pars eſt eligenda in fauorem mutuatarij, ergo potius præſumendũ eſt,

In dubio mitior pars eſt eligenda in fauorem mutuatarij.

Digitized by Google

eſt, quod mutuans notificauerit cum animo ſe gratum reddendi, quam cum intentione obligandi. Minor probatur, quia mutuum inductum eſt in fauorem potius mutuatariorum, quam mutuantium, ſiquidem eſt beneficium per iſtos illis præſtitum, ſed in ijs, quæ inducta ſunt in fauorem alterius, in dubijs potius interpretandum eſt pro illo, quàm pro alijs, in quorum fauorem non eſt inductum, ergo &c.

Dices, beneficium non debet retorqueri in odium beneficantis, ergo cum illud grauamen cedat quodamodò in damnum mutuantis beneficantis, in dubio non eſt contrà ipſum refundendum. Sed contrà, quià, cum grauamen, quod oritur ratione lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis, debeat pro ſui compenſatione vel expreſsè, vel per æquiualens deduci in pactum per ea, quæ docui *ſub eod. tit. Contractus III. d. Prænot. 9.*, & cum eſſet in poteſtate mutuantis, vel expreſsè, vel æquiualentèr conuenire, nec vllo modo conuenerit, nec expreſſerit ſuam intentionē conueniendi, præſumendum eſt, quod ceſſerit illi grauamini, vndè dici non poteſt, quod grauamen retorqueatur in odium beneficantis, cum hoc non fiat ipſo nolente, ſed ſecundum eius voluntatem conſentientem, vel ſaltem non reluctantem

Non retorquetur in odium beneficantis cum fiat ipſo volente.

Probatur ſecundò, Mutuans ad mutuandum exigenti accepit illam pecuniam titulo cambij nec exigente, nec conſentiente mutuatario, ſed motu, & ſponte propria, ergo, cum illam conceſſerit mutuatario ipſum non obligando, ſed præcisè notificando illud onus à ſe aſſumptum, non intelligitur illum obligare ad aſſumendum in ſe illud onus a ſe prius ſuſceptum. Conſequentia probatur, quia dato caſu, quod mutuatarius nollet illud onus in ſe aſſumere iam ex ſe mutuans obligaretur ad illud ex eo præcisè, quod illud aſſumpſerit non conſentiente mutuatario, ergo ex vi præcedentis obligationis mutuatarius non obligatur. Rurſus, cum nec explicitè conuenerit mutuans, non induxit obligationem ſubſequenter, ergo nec ex antecedenti, nec ex conſequenti mutuatarius obligatur. Confirmatur, quia ad exigendum intereſſe ob lucrū ceſſans, vel damnum emergens debet ille, cui tale lucrum ceſſat, vel damnum emergit, probare, quod ex illa cauſa conceſſionis damnū illud emerſerit, vel lucrum ceſſarit, ſed hoc in data hypotheſi aſſertionis mutuans non poteſt probare ſaltem, quod euenerit contrà eius voluntatem, ergo &c. Minor probatur, quia etiam ante conceſſionem, & acceptationem mutuatarij illud damnum ei emergeret, quandòquidem illud cambium exegit antè conſenſum præſtitum à mutuatario; vndè, ſi ille cognito illo onere non acceptaſſet mutuum, adhuc mutuans teneretur illud intereſſe perſoluere, ex eo, quod ſponte propria non conſentiente mutuatario illud cambium exegerit, ergo &c.

Rationes euincentes animũ gratificandi, non explicitè obligandi in...

PRÆNOTIO VII.

An liceat cambium ab vno in alium locum ſub vno pretio, & ab hoc alio in primum ſub diuerſo.

SVMMARIVM.

Expreſſio caſus facta per Salonium cum ſuis conditionibus. 1.
Huiuſmodi cambia hoc modo celebrata, quamuis cum illa inæqualitate, iuſta ſunt, ſi attendatur debitus modus, & rationes, ſecundum quas celebrantur. 2.
Eliditur probatio Nauarri. 3.
Validior, & efficacior probatio Salonij. 4.

PRoponit hanc difficultatem *Michael Salonius tract. de Cambijs quæſt. 4. art. 2. controu. 19. in appendice ad præcedentem controuerſiam* ſub terminis, ſub quibus conſtituatur cambium Romæ in Valentiam, ſecundum quod campſarius recipiens pecunias Romæ reddat communitèr ſex, vel ſeptem ſolidos pro ducato, vt dicunt de camera veteri in pretium, & intereſſe illius cambij, & deindè aliud cambium conſtituatur Valentiæ, ſecundum quod ille, qui fuerat campſarius in primo cambio, qui fuerat celebratus Romæ, pecunias Valentiæ alteri pro Roma prius conferat, & deindè Romæ non recipiat pro pretio, & intereſſe talis cambij, niſi tres, vel quatuor ſolidos monetæ Valentinæ. Quod, vt clarius explicet, procedit hoc modo. Supponit in primis, quod quis indigens pecunijs Romæ eaſdem exigat, & recipiat à campſore cū onere eaſdem reſtituendi Valentiæ. Soluit hic campſor Romę pecuniam à ſe requiſitam in tot ducatis v. g. de camera veteri, quorum valor in ſingulis eſt viginti trium, vel vigintiquatuor ſolidorum, ſed in reſtitutione per eum facienda Valentiæ, qui prius Romæ recepit, obligat eundem 1

Caſus expreſſus in ſuis terminis particularibus.

Digitized by Google

dem ad ſoluendum Valentiæ viginti nouem, vel triginta ſolidos pro ſingulis ducatis. Supponit deindè, quod ille, qui primo Romæ receperat, vel antecedentèr ad receptionem Romæ, vel ſubſequenter ad illam nullo habito reſpectu ad illum contractum Romę celebratum, vel celebrandum prius ſoluat alicui campſori Valentiæ aliquam pecuniarum ſummã in tot etiam ducatis de camera veteri, & non recipiat in reſtitutione Romæ, niſi ad rationem viginti ſex, vel viginti ſeptem ſolidorum. Quibus poſitis quærit, an huiuſmodi cambia cum illa variatione pretiorum in conſcientia, & in iure ſubſiſtant. Hanc eandem difficultatem examinat *Sotus lib. 6. de iuſtitia quæſt. 12. art. primo*, ante ſolutiones in terminis cambiorum à Metina in Flandriam, & à Flandria in Metinam. Pro ſolutione

Debet in eodẽ loco valor pecuniæ eſſe inuariatus.

Aduerte, difficultatem non habere locum, niſi in loco, quo maneat eadem pecuniæ æſtimatio omnino immutata, & inuariata; ſi enim ſupponas, quod medio tempore intercedente inter primum, & ſecundum cambium valor pecuniarum vel in vno, vel in altero loco commutetur, tunc nulli dubium, quin iuſtè poſſint contingere huiuſmodi cambia cum illa variatione pretiorum, dummodo ſeruetur æqualitas ſecundum valorem, quem in vnoquoque ex his locis habent, vndè non incongruè docuimus ſupra *ſub hoc eod. tit. de Cambijs III. Prænot. 3.*, licere pecuniam in nundinis in vno loco ad nundinas in alio cambire habito reſpectu copiæ, quæ eſt in vno, & inopiæ, quæ eſt in altero, ità vt ſcilicet pro maiori numerata, vbi eſt copia, minor recipiatur, vbi eſt inopia. His ſic pro explicatione præſuppoſitis ſit

2 Assertio, huiuſmodi cambia hoc modo celebrata, quamuis cum illa inæqualitate iuſta eſſe, & licita, ſi attendatur debitus modus, & rationes, quibus celebrantur *Nauarrus in comment. de Cambijs à nu. 68. vſque ad n. 76., Michael Salonius tract. de Cambijs quæſt. 4. art. 2. controuerſ. 19. num. 7. verſ. ſed diluenda eſt dubitatio in appendice ad præcedentem controuerſiam.*

3 Probat Nauarrus, quia mercator iuſtè poteſt emere pecunia præſenti aliam abſentem minori pretio, ac illa valeat, quia abſens minoris valere cenſenda eſt. Sed hæc ratio, præterquam quod ſuperius latè reprobata eſt, in præſenti, cum Sanctiſs. D. N. Innocentius XI. Pontifex fel. recor. damnarit propoſitionem illam, quæ eſt in numero quadrageſima prima *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non minoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram poteſt creditor aliquid vltrà ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vſura excuſari*, nullam vim penitus habere poteſt.

Probatio Nauarri, eiuſque confutatio.

Probatur igitur cum Salonio hoc pacto. Licitum eſt inire cambia, vel cum intereſſe ſolius virtualis traiectionis, vel ſecundum intereſſe attenta æſtimatione, quam habet pecunia in vtroque loco, ſi fiant ad exigentiam indigentium pecunia in talibus locis; quibus poſitis ſic argumentor. Quando campſor ad exigentiam campſuarij prius confert pecuniam Romæ, vt eandem poſtea recipiat Valentiæ, ipſe non eget illuc ſuam pecuniam transferre, ſed potius mutuatarius, vt ſibi hic conferatur, ergo poteſt iuſtè velle, vt attendatur pecunia ſecundum maiorem valorem, quem habet in loco, in quo eam ſoluit. Cum igitur Romæ, vbi ſoluit, habeat maiorem valorem, quam Valentiæ; tùm quia ibi adeſt minor pecuniarum affluentia, tùm quia pecunia maximè Romæ neceſſaria eſt ad innumera negotia, quæ in curia Romana paſſim occurrunt, hinc fit, quod tanti Romæ æſtimantur vigintiquatuor, quanti Valentiæ triginta, ergo poteſt iuſtè velle ſolummodò cambire ſecundum illum valorem, ſecundum quem pro vigintiquatuor, quos ſoluit Romæ, ibi triginta conferantur Valentiæ, vbi maior eſt copia, & minor neceſſitas. 4

Firma probatio Michaelis Salonij.

Rurſus, quandò campſor prius recipit Valentiæ, vt Romæ reſtituat cũ præciſè habeat traijcere Romam illam pecuniam, quam Valentiæ recepit, poteſt iuſtè exigere pretium illius traiectionis ad rationem trium, vel quatuor, ergo poterit iuſtè recipere Valentiæ viginti ſex, vel viginti ſeptem ſolidos, vt Romæ tradat nonniſi viginti tres, vel viginti quatuor ſecundum æſtimationem, quam ibi habet, ergo ſub hac conſideratione licitus erit hic vſus cambiendi à Valentia in Romam ſub minori pretio, & a Roma in Valentiam ſub maiori, quandoquidem vtrobique exiſtunt diuerſæ cauſæ ſub diuerſo reſpectu iuſtificantes talia cambia.

Alia probatio valdè efficax.

Si autem hic inquiras, cur in priori caſu attendatur valor pecuniarum præciſè, non ſic in ſecundo, ſed tantum onus virtualis traiectionis; ſtatim reſpondeo hoc prouenire, quia cam-

Digitized by Google

bia ineuntur in fauorem campſuarij ſic exigentis, vndè in primo caſu non tenetur campſor pecuniam Romæ erogare ſecundum diuerſum valorem, quem ibi habet, non enim ipſe indiget, pecuniam ſuam Valentiam transferre, in ſecundo autem ipſe aliud non præſtat, quam traiectionem, adeoque non niſi ſtipendium ipſius poteſt juſtè exigere. Et ecce cauſa talis diſcriminis, quam ingenuè fatetur *Sotus lib. 6. de iuſt. quæſt. 12. art. primo*, ſe ignorare; vndè non eſt, cur per ipſum ità ſtrenuè denegetur iuſtitia huiuſmodi contractuum, quos etiam mercatores paſſim, & frequentèr ineunt, non alia ducti ratione, niſi quia vident communi vſu comprobari ignorantes legitimam rationem, in qua huiuſmodi vſus radicetur.

PRÆNOTIO VIII.

An licita ſint cambia, quæ fiunt ab Hiſpali in Luſitaniam cum recurſa à Luſitania in Hiſpalim, & quomodò fiant.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries in terminis proprijs. 1.
Opinio Nauarri approbantis talia cambia. 2.
Opinio Soti reprobantis. 3.
Ille cambiorum vſus ſecundum expoſitum ſenſum licitus eſt. 4.
Rationes intentum euincentes. 5.
Soluuntur argumenta Soti. 6.

1 Exponitur ſenſus quæſtionis in ſuis terminis. NOn valdè diſſimilis præcedenti quæſtio hæc eſt, quam modo examinandam propono. Vt autem clarius procedatur, praxim in primis refero, & modum, quo huiuſmodi cambia celebrantur. Mercator in fine nundinarum reperitur, qui ex negotiationibus, quas ibi habuit, pecunias plurimas congeſtas habet, & ſuperſtites, quaſque, cum otioſas retinere nolit, eaſdem confert campſori titulo cambij Vliſiponæ ſibi poſt menſem reſtituendas. Hoc vnum certum eſt maiorem Hiſpali, vbi cambium celebratur, adeſſe pecuniarum affluentiam, quam in Luſitania, & propterea eam confert cum exiguo lucro, puta vnius pro centenario. Cum deindè illam Vliſiponæ recuperat eandem iterum tradit per aliud cambium ab Vliſipona in Hiſpalim cum intereſſe, & lucro recipiendo ab eodem campſore, puta quinque, vel ſex pro centum. De huiuſmodi cambiendi vſu hic erit ſermo inquirendo, an iuſtitiam præferat, vel iniuſtitiam.

Nauarrus *in comment. de Cambijs à num. 68. vſque ad nu. 76.*, ipſum approbat, multiſque aſſertum argumentis comprobare contendit, præcipuè ex communi vſu mercatorum a nemine reprobato, quin potius celebrato omnibus, ad quos pertinet reprobare, ſcientibus, & non reluctantibus, & ex neceſſitate ad varia humana commertia, cum ſine tali cambiendi vſu magnũ emergeret Reipublicæ detrimentum. Secundo ex illo principio, quod exiſtimet pluris valere pecuniam præſentem, quam abſentem. 2 Rationes Nauarri approbãtis cõtractum.

Sotus verò *lib. 6. de iuſt. quæſt. 13. art. 2.* huiuſmodi vſum abſolutè damnat, multiſque ſibi ſuadet intentum euincere. Primò, quia illud vnum, quod confert tradens pecuniam Hiſpali pro Vliſipona eſt ratione traiectionis pecuniæ, & quidem iuſtum; illa verò quinque, vel ſex, quandò reducuntur pecuniæ ex Vliſipona in Hiſpalim ad proximas ſequentes nundinas non videntur poſſe eſſe iuſta, quia non aliundè videntur poſſe iuſtificari, quam ex maiori campſoris dilatione, quod redolet vſuram. Secundo, quia, quando cambium reducitur ex Vliſipona in Hiſpalim, vel illa quinque, vel ſex pro centenario exigerentur ratione traiectionis præcisè, vel ratione diuerſæ æſtimationis pecuniæ in vtroque loco propter penuriam, & copiam pecuniarum, quæ eſt reſpectiuè in vtroque loco; ſi primum; iniuſtum videtur illud pretium, quia, ſicuti ex Hiſpali in Vliſiponam non confertur per tradentem pecuniam, nonniſi vnum pro centenario transferenti, ita transferenti ex Vliſipona in Hiſpalim vnum pro centenario à tradente potius eſſet conferendum, quam ipſi tradenti quinque, vel ſex pro centenario per eum, qui debet reſtituere Hiſpali. Si ſecundum, fatetur quidem ratione maioris æſtimationis, quam habet pecunia in Luſitania, quam Hiſpali poſſe tradentem, quid lucrari, non tamen quinque, vel ſex pro centenario, quià illa differentia æſtimationis non eſt tanta, vt mereatur illam compenſationem quinque, vel ſex, vndè illa exigentia non poteſt ex alia cauſa prouenire, quam ex temporis dilatione, quod vſurariam redolet prauitatem. Quid igitur concludendum? 3 Rationes Soti ipſũ reprobantis.

4 ASSERTIO. Ille Cambiorum vſus ſecun-

ſecundum expoſitum ſenſum licitus eſt, & omni penitus labe vſuræ, ſeu iniuſtitiæ immunis *Nauarrus qui ſuprà. Michael Salonius de Cambijs quaſt.4.art.2. controu. 19. num. 5.* Adhæreo quidem in hac aſſertione Nauarro, non tamen propter rationes, quibus ipſe innititur, cum ſuperius confutatæ remaneant.

5 Probatur igitur aſſertio primò quoad primum cambium celebratum Hiſpali in Vliſiponam, quià illud pretium vnius pro centenario iuſtum eſt pro onere illius virtualis traiectionis, nec in aliquo grauatur ipſe campſuarius transferens, ſiquidem non quid amplius debet conferre tradenti, niſi id, quod in loco reſtitutionis æquiualet pecuniæ in loco receptionis illius, ergo in illo cambio nulla interuenit vſuræ, nec iniuſtitiæ labes. In hac parte conſentit nobiſcum Sotus, qui in vniuerſum allegatus fuit pro contraria ſententia.

Probatio quoad primum cambiũ celebratum Hiſpali.

Probatur aſſertio ſecundò quoad ſecundum cambium celebratum Vliſipona in Hiſpalim, quià in eo ſaluatur debita, & proportionata æqualitas requiſita ad naturam contractus cambialis, ergo non eſt, cur talis contractus non debeat ſubſiſtere. Antecedens probatur, quià tanti valoris ſunt illa minora, quæ tribuuntur Vliſiponæ, quanti ſunt illa maiora, quæ reſtitui debet Hiſpali propter rationes penuriæ, & affluentiæ pecuniarum, quæ ſunt reſpectiuè in vtroque loco. Non amplius immoror, quià hæc aſſertio non eſt diſſimilis in ſubſtantialibus à præcedenti, & eiſdem innititur fundamentis, & rationibus roboratur.

Probatio quoad ſecundũ celebratum Vliſiponæ.

6 Ad argumenta nunc, quæ ex Soto referuntur, reſpondendum eſt, & quidem ad primum facile patet, quid ſit dicendum, non enim ex traiectione, quæ fit ex Vliſopona in ſecundo cambio in Hiſpalim acquiritur ille exceſſus, quin potius, ſi ex hoc capite proueniret ille exceſſus, tribuendus eſſet traijcienti, non ei, in cuius fauorem transfertur, ſed ex valore diuerſo, quem habet pecunia in vtroque loco, qui tamen valor in æqualitate pecuniæ quoad numerum æquiualens eſt in vtroque loco, nec verum eſt, quod ille exceſſus acquiratur ſolummodò ex motiuo protractionis temporis, vt male arbitratur idem Sotus. Ad ſecundum, incongruè aſſerit idem Sotus, quod non mereatur totum illum exceſſum, quandòquidem ille ſupponitur eſſe intrà æqualitatem debitam, nec in alio ſenſu procedit aſſertio, niſi in ſuppoſitione æqualitatis valoris in vtroque loco.

Soluuntur argumenta per Sotũ producta.

PRÆNOTIO IX.

De quadam induſtria mercatorum ſubtrahendi pecunias ſuas à debitore, quem timent vergere in decoctionem.

SVMMARIVM.

Exponitur praxis talis induſtriæ. 1.
Iniurioſa eſt talis induſtria, quam ego adhibeo, adeòque contra me parit actionem doli in fauorem Sempronij, ſi ſoluerit, non eius, qui contulit talem ſummam Seio Genuæ. 2.
Confutatio Filiutij, eiuſdemque rationum. 3.

Specialis eſt modus ſe ſubtrahendi à periculo decoctionis debitoris ex cambio, quem mercatores italico ſermone vocant *modo d'vſcire di ſotto d'vn debitore, del quale ſi dubita, che sij per fallire*, de cuius iuſtitia modo contingit loqui. Vt autem clarè procedatur, praxis hæc eſt.

Seius Genuæ debet mihi mille nummos aureos, quos reſtituere debet ad proximas futuras nundinas Placentiæ celebrandas. Excitato quodam ſtrepitu de proxima decoctione Seij, ego ex induſtria ſcribo eidem, vt remittat mihi mille Mediolanum, eoſque trahat Romam ad Sempronium meo nomine me conſtituendo debitorem eiuſdem Sempronij, promittens me curaturum ſolutionem eorundem ab eodem Sempronio, cui tamen nihil committo. Seius vigore talis commiſſionis illos mille mihi remittit per literas, quibus acceptatis illos exigo. Interim Sempronius, ad quem Romam trahuntur illi mille, vel illos ſoluit, vel non, ſi ſoluit nulla habita mei commiſſione periculum decoctionis Seij in ſe aſſumit; ſi verò non ſoluit, tunc periculum transfertur in eum, qui dedit Seio ad cambium illos mille, ſicque quodamodò, ego videor ex tali induſtria liberari à periculo decoctionis eiuſdem Seij. 1

Exponitur modus talis induſtriæ

Quod Sempronius illos mille ſoluendo Romæ ſine mea commiſſione in ſe periculum aſſumat decoctionis, ſi euenerit, Seij, ex eo facilè euincitur, quià acceptando literas Seij, eaſque ſoluendo conſtituendo me debitorem,

Argumẽta contra Sempronium.

Digitized by Google

cum id perficiat ſine mea commiſſione non me obligat, ergo retinet præcisè obligatum ipſum Seium mandantem. Antecedens patet, quià non eſt aſſignabilis titulus, quo ego obligari poſſim erga eundem Sempronium, non titulo delegationis, nec nouationis, quandòquidem ſine mea acceptatione non poteſt eſſe nouatio, nec delegatio, non actione mandati, quià ego mandatum non dedi ſoluendi, qua ratione etiam non teneor actione præſcriptis verbis; non ex culpa ratione deceptionis, quandòquidem ipſum non decepi, cum non egerim cum ipſo.

Quod etiam non ſoluente Sempronio periculum decoctionis pertineat ad eum, qui dedit Seio ad cambium facilè ſic euincitur, quià ipſe non ſoluit exigente me eidem Seio, ergo, ſi malè ſoluerit, ipſius infortunio imputandum eſt, non mihi. Conſequentia tenet, quià quod quis ſoluerit alteri, qui ſit, vel poſtea reddatur impotens ad ſolutionem, non poteſt alterum, qui non concurrit, obligare ad reſtitutionem ſoluti. Quid enim mihi, quod ille ſoluerit non habenti, quo reſtituat? Nihilominus ſit.

Rationes contra eum, qui dedit Seio ad cambiũ.

Assertio. Iniurioſa eſt talis induſtria, quam ego adhibeo, adeòque contra me parit actionem doli in fauorem Sempronij, ſi ſoluerit, non eius, qui contulit talem ſummam Seio Genuæ *Filliutius quaſt. mor. tract. 35. part. 2. de cenſibus, & Cambijs cap. 9. num. 462.* qui tamen videtur diſcordare quoad ſecundam partem.

2 Probatur, quià per talem induſtriam confero efficacem occaſionem damni Sempronio, & quidem conſcius talis periculi, in quo idem Sempronius conſtituitur, ergo, ſi tale damnum illi obueniat, tenebor ſaltem in ſubſidium illud reparare. Conſequentia tenet, quià qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur *l. qui occidit §. hac quoque actione ff. ad leg. Aquil.*; neque obſtare poteſt, ſi aſſeras, id totum damni tribuendum eſſe nimiæ credulitati, & ſimplicitati dicti Sempronij ſoluentis ſine meo mandato, vel commiſſione; non, inquam, obſtare poteſt, quià quod ſoluerit originem traxit à dolo meo, qui, vt me eximerem, in periculum alterum illorum conieci; neque enim Seius traxiſſet in Sempronium illam ſummam, niſi id ego ei commiſiſſem per meas literas; neque item facilitas Sempronij ad credendum me eximit a dolo, ſiquidem regularitèr talis eſt inter mercatores fides, quam ſibi ad inuicem adhibent, vt dubitare non potuerim, quin Sempronius eſſet illico ſoluturus præcipuè audito nomine meo, quod ſcio eſſe cum optima opinione acceptum apud ipſum Sempronium, adeòque in tali commiſſione data Seio vtor quodamodò humanitate Sempronij ad ipſum decipiendum, quod iniuſtum eſt.

Solutio facta per Semproniũ originẽ traxit à dolo meo.

Ratio ſecundæ partis eſt, quià ego vtens tali induſtria non commiſi Seio, vt acciperet ad cambium ab alijs, ſed tantum vt remitteret ad me pecuniam, eamque traheret Romam nomine meo obligando me ad lucrum cambiorum, & ſtipendia prouiſionum vſque ad tempus ſolutionis, ergo, ſi ab alijs ad cambium acceperit, non eſt mihi imputandum, quandòquidem potuiſſet Petrus id præſtare non accipiendo ab alijs, ſed tranſmittendo ex ſua pecunia; & quoad hanc partem aſſertionis multum faciunt ea, quæ aſſerebam ſupra ante poſitam aſſertionem *verſ. quod etiam non ſoluente Sempronio*.

3 Hic acquieſcere non poſſum Filliutio loc. mox alleg. qui agens in terminis, de quibus procedit aſſertio, abſolutè aſſerit in caſu, quod Sempronius non ſolueret, quod periculum non pertineret ad illum, qui contulit talem ſummam Genuæ ipſi Seio, ſed ad me; agens verò in terminis (in quibus ſupponit, quod ego commiſerim eidem Seio, vt remittat mihi mille, eoſque trahat meo nomine Romam perſonæ, quam poſtea ipſi ſignificabo pro nunc non determinans ad finem dignoſcendi, quid emergat de eodem Seio) aſſerit, quod ille, qui contulit talem ſummam ſubiaceat periculo, nec mihi ſit imputandum. Dicat quæſo Filliutius, cur tale periculum in hoc ſecundo caſu ad me non pertineat, nec mihi ſit imputandum? Reſpondet, quià ego non commiſi Seio, vt acciperet ad cambium ab alijs, ſed tantum, vt ad me remitteret pecuniam, quam vtique ex ſua, non accipiendo ab alijs poterat remittere. Reflectat modo ad primum caſum. Anne ego eidem commiſi, vt ab aliquo illam ſummam reciperet? Nequaquam. Quomodò ergo in me transfundit periculum, quem exemerat in caſu præcedenti? Certè eadem viget ratio in vtroque, adeòque & idem ius. Quod deindè in caſu præſentis aſſertionis ego commiſerim, vt traheret illam ſummam Romæ ad Sempronium determinatè; in caſu verò, de quo loquitur ſecundò loco Filliutius, non commiſerim, vt traheret

Nõ arridet opinio Filliutij quo ad hanc rem.

de

Digitized by Google

de præſenti, & determinatæ perſonæ, ſed de futuro, & perſonæ, quam poſtea nominauero, nihil facit in ordine ad eum, qui contulit talem ſummàm Seio Genuæ, vel aſſumpſit in ſe onus talis ſummæ, quandòquidem ego non coegi ipſum Seium ad accipiendam talem pecuniam ad cambium, nec decepi illum, qui dedit, cum enim non commiſerim, vt nomine meo acciperet, non ſum cauſa efficax damni, quod ſequitur in dante ad cambium, nec eſt aliqua connexio inter hanc acceptionem, & commiſionem trahendi talem ſummam Romam, vel ad Sempronium, vel ad alterum poſteà nominandum, adeòque &c.

PRÆNOTIO X.

De Conceſſionibus, & Pontificum approbationibus quoad cambia, eorumque conditiones.

SVMMARIVM.

Conceſſio Pij V. Mercatoribus Bononienſibus per extenſum. 1.

Conditiones in ipſa appoſita, & reprobatæ. 2.

Quamuis hæc conſtitutio non ſit præceptiua eſt tamen approbatiua. 3.

Conſtitutio Pij V. ſuper cambia per extenſum. 4.

AD pleniorem notitiam eorum, quæ vel ad iuſtitiam, vel iniuſtitiam cambiorum pertinere poſſunt, & animos cambientium inſtruere ad negotiationis talis honeſtatem in ijs, quæ approbantur, & turpitudinem in ijs, quæ ſunt refellenda, placet ſanctiones Pontificum, quæ varijs in caſibus emanarunt, per extenſum referre, vt nouerit quiſque, quæ liceant, ſequi, quæquè non liceant, perſequi. Plura ſanè attigi *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. Pranot. 6.* in Cõſtitutione Pij V., in qua plures præſcribuntur conditiones in conſtitutione cambiorum obſeruandæ, quià tamen ſucceſſiuè ex perſpicaci in lucrando campſorum acumine nouæ artes, nouæque conditiones inductæ fuerunt, & in dies inducuntur, nouæ etiam induci debuerunt conſtitutiones, & declarationes, quibus & cohiberi poſſet auida eorundem campſorũ lucrandi ingluuies in ijs, quæ æqua non ſunt, & neutiquam in ijs retardari, quę nulla iniuſtitiæ labe deturpantur. Prodeat nunc igitur primo Pius V. ſanctiſſimæ recordationis, qui prius normam cambijs præſcripſerat, ſuamque mentem aperiat in approbatione capitulorum, quæ per Mercatores Bononienſes eidem fuerunt propoſita, in ſua Bulla, quæ eſt ſequentis tenoris videlicet.

PAPA PIVS V. ad perpetuam rei memoriam.

1 *EX debito paſtoralis officij nobis licet immeritis diuina diſpoſitione commiſſi erga Chriſtifidelium vniuerſorum ſtatum proſperè, fæliciterque dirigendum omnem mentis noſtræ aciem aſſiduè intendentes, illos præcipua cura, ſtudioque maiori proſequimur, quos tanquam peculiares etiam temporali noſtro, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ regimini commiſit Altiſſimus, & ea, quæ pro publica, priuataque illorum vtilitate, & commoditate prouida conſideratione ordinata eſſe reperimus, quo firmiore gradu nitantur, approbationis noſtræ beneficio libentèr ſtabilimus. Nuper ſiquidem, ſicut accepimus, dilecti filij mercatores ciuitatis Bononiæ publico, & priuato bono, & commodo, ipſiusque Ciuitatis decori conſulere volentes nonnulla capitula Emporij, ſeu cambij realis in dicta Ciuitate, vti Romæ, & in pleriſque alijs præcipuis tàm Italiæ, quàm extrà Italiam fieri ſolet, introductionem, & ipſorum mercatorum, aliarumque perſonarum ſecuritatem concernentia ſub noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito condiderant, quorum tenor ſequitur, & eſt talis.*

2 Volendoſi dar principio al fare in queſta magnifica Città di Bologna publica piazza de Cambij reali per diuerſi luoghi, come ſi coſtuma nelle principali Città d'Italia, & ſpecialmẽte in Roma, non ſolo per commodo, & vtile de' particolari, mà ancora per honore d'eſſa Cittade, come ſi preſupone, che eſſere debba, & intendendoſi fare ciò con buona gratia, e ſodisfattione de' Superiori, & non altrimente, ſi dice, e domandaſi per parte de' Mercanti, che per conſeguire queſta coſa ſij loro conceſſo da' Superiori, & confirmato da Noſtro Signore, quanto quì nelli infraſcritti capitoli ſi contiene.

In prima, che la Piazza ſij libera per ogni ſorte di perſone, coſì terriere, come foreſtiere, & tanto non mercanti,

ti, quanto mercanti, di modo, che ad ogni ſorte di perſone di qualſiuoglia grado, e conditione ſij lecito il dare, & il pigliare danari à cambio, purche il cambio ſij reale. Intendendo, eſſere cambio reale, quando con effetto ſi dà il danaro in vn luogo, accioche ſij pagato in vn' altro, ſecondo che cantano le lettere del cambio, & così le lettere vadino con effetto al luogo, & alle perſone, à chi ſono indrizzate, & che iui ſijno pagate, ò ricuſate.

Appreſſo, che ſij in poteſtà di ciaſcuna perſona etiamdio, che non ſij Mercante il dare i ſuoi danari in mano de' Mercanti, accioche li dijno à cambio reale con farſi ſtare del credere, come ſi vſa nelle altre Piazze d'Italia, e fuori d'Italia, & poſſa ogni perſona ancora dare danari à cambio, & far, che ſijno ricapitate le lettere ſopra di eſſi datori, & così tenerli sù li cambij, fino che ſaranno rimborſati da chi haurà preſo il danaro.

Terzo, che, ſe da' foraſtieri ſaranno mandati danari contanti in queſta Cittade, purche ſi dijno à Cambio in detta Piazza, cotali danari s'intendano eſſere, & ſijno liberi, e franchi à fauore del foraſtiero, che li haurà mandati, etiandio, che egli per qualſiuoglia cauſa foſſe bandito, e condannato dallo ſtato di Santa Chieſa, eccetto per cauſa d'hereſia, e læſæ Maieſtatis, ouero per qualſiuoglia cagione foſſe debitore alla Camera, ò al Fiſco, & non ſi poſſa, ne ſi debba fare alcuna rapreſaglia di tali danari, ma come è detto, ſijno ſempre liberi, & franchi alla volontà di detto foraſtiere. Et queſto medeſimo ſia detto, & s'intenda parimente delle rimeſſe de' danari, che per lettere di cambio di fuori foſſero da tali perſone rimeſſe in queſta Cittade.

Quarto, che di tutte le queſtioni, & liti, che occorreranno per cauſa di detti cambij in queſta Cittade trà qualſiuoglia ſorte, e gradi di perſone ſolamente il Giudice, ò Conſoli, ò ſopraconſoli del foro de' Mercanti ſijno, e s'intendino eſſere Giudici competenti, & che niuno altro Giudice, ò Tribunale, ne qualſiuoglia altro Superiore ſe ne debba, ò poſſa intromettere ne per conoſcere & giudicare, ne per reſpondere & impedire, ò inhibire al detto foro, ò in qualſiuoglia altro modo impacciarſene, mà che ſemplicemente, e ſenza oſtacolo alcuno la cognitione, & deciſione, & eſſecutione di dette liti, e queſtioni, e cauſe ſpetti, & appartenghi ſolamente al detto foro non ſolo nella prima inſtanza; mà ancora nelle appellationi fino all'vltimo fine della cauſa, ſecondo la diſpoſitione, & forma delli ſtatuti di detto foro, & ſe alcuno ſi appellaſſe à noſtro Signore, cotale appellatione s'intenda deuoluere, & ſij deuoluta ipſo iure al Giudice delle appellationi, & alli ſopraconſoli, come ſpecialmente delegati da ſua Santità in tal caſo, dinanzi à loro l'appellante debba proſeguire la cauſa dell' appellatione nel debito tempo dato dallo ſtatuto di detto foro, altrimente l'appellatione ſij nulla, e di niuno valore, & la ſentenza data ſi debba eſeguire per il Giudice, & Conſoli, come ſe non ſi foſſe appellato.

Il luogo della Piazza, oue s'habbino à ragunare i Mercanti, ſij la loggia del foro ſopradetto, ouero altro luogo, che foſſe giudicato migliore.

Et in tal luogo ſi debbano ridurre i Mercanti d'vn' hora innanzi deſinare, & così vn'hora innanzi la ſera per trè giorni della ſettimana, cioè il Lune, il Mercore, & il Venere, ſe ſaranno giorni di lauoro, altrimente ſi facci piazza il giorno auanti, ſe non ſarà di feſta, & non mai in dì di feſta per negotiare.

Li cambij ſi debbano fare à ſcudi d'oro in oro di Zeccha per tutte le Piazze, & in conti, & ſcritture s'habbino a tenere a ſcudi d'oro in oro di Zeccha, così con li terreri, come foreſtieri.

L'vſo del tempo a pagare le lettere del Cambio, che ſaranno drizzate a Bologna, e diranno *ad vſo*, ſij, & s'intenda eſſere, come qui appreſſo.

Da Roma, & Genua dieci giorni viſta.

Da Milano, Venetia, Fiorenza, Piſa, Luccha, & altri luoghi di Toſcana otto giorni viſta.

D'Ancona, la Marcha, la Romagna, & altre terre di Lombardia otto giorni viſta.

Da Napoli giorni quindeci viſta.

Da Palermo, Meſſina, Bari, & altre terre del Regno meſe vno viſta.

Da Lione, Biſanzone, & Spagna ſecondo la fiera.

D'Anuerſa, Parigi, e tutte le terre della Fiandra, e della Francia due meſi fatta.

Da Londra, e da Leuante meſi trè fatta.

Il pagamento de' ſenſali, che ſaranno mezzani a detti cambij reali habbi da eſſere vn ſoldo d'oro per ogni cento ſcudi da ciaſcuna delle parti, & che detti ſenſali debbano eſſere approuati, & licentiati nel foro de' Mercanti, & offer-

Digitized by Google

oſſeruare, & fare tutte quelle coſe, che da loro ſi ricercano, ſecondo la diſpoſitione de' Statuti del detto foro, & in ſpecie debbano tener conto in vn libro regolato a guiſa di giornale, ſcriuendoui di ſua mano di giorno in giorno tutti i cambij, de' quali ſaranno ſtati mezzani nominando chiaramente ciaſcuna partita, il datore, & il prenditore, le quantità, & a che prezzo, & il luogo, per il quale ſi ſarà cambiato, & mancando eſſi di fare queſta in tutto, ò parte debbino eſſere caſſi, e priuati dell' officio, & le ſij leuato ogni prouiſione, che perciò haueſſero.

Quanto alle liti, & queſtioni, che per conto di detti cambij potrebbono accadere, ſe alcuna lettera di cambio fatta in Bologna ritornarà di qualſiuoglia luogo ricuſata, ò non pagata con il proteſto, il creditore, in mano del quale ritornarà detta lettera, debba preſentarſi dinanzi al Giudice, & Conſoli del foro della mercantia, ſe all'hora vi ſi ritroueranno, altrimente inanzi ad vno de' Notarij di detto foro, e dimandare l'eſſecutione di tale lettera contro quelli, che l'hauranno fatta, i quali Giudici, ò Conſoli, ouero il detto Notaro ſenz'altra intimatione, ò citatione incontinenti debbano darci la detta eſſecutione, & poſſa il creditore con vno de' meſſi della Corte andare di ſubito alla Caſa del debitore, & fare l'eſsecutione ne' ſuoi beni per aſſecuratione d'eſſo creditore per quella ſomma, che canterà la lettera del cambio, & per le ſpeſe, danni, & intereſſi ad arbitrio del Giudice, & Conſole.

Et caſo, che alla detta eſſecutione oſtaſſe qualche impedimento, ò diſeſa debba il meſſo ſubito farne la relatione al Notaro, il quale ſij tenuto dare incontinente il precetto perſonale al detto creditore contro il debitore. Et fatta tale eſſecutione nelli beni poſſa poi il debitore comparire innanzi alli detti Giudici, & Conſole a dimandare ragione, ſe ſi ſentirà aggrauato, ò ſe vorrà allegare alcune delle eccettioni, che ſi poſſono opporre alle lettere di cambio, come di ſotto ſi dirà, ma non ſij vdito in modo alcuno, ſe prima non haurà aſſecurato il creditore, ancora che non foſse il tempo del pagamento della lettera del cambio.

Ma in caſo, che ritornaſſe alcuna lettera di cambio con proteſto, e che ſi trouaſſe eſſere morto colui, che fece detta lettera, ſi debba, e poſſa procedere per l'eſſecutione ne' beni dell' heredità del morto, non altrimente, che ſe eſſo foſſe viuo, non oſtante, che ſi diceſſe detta heredità eſſere giacente, & pendere il tempo dato dalla legge ad adire, ò ripudiare l'heredita, ò à fare l'inuentario, ò eſſerui pupilli, à quali non foſſe ſtato prouiſto di tutore, & non oſtante qualunque altra coſa, ò ragione, che ſi allegaſſe in contrario.

Et in tanto, che gl' heredi del morto haueſſero tolta l'heredità con il beneficio di legge, & inuentario, & fatto l'inuentario legitimamente innanzi, che il creditore ſij comparſo à dimandare la detta eſſecutione, & voleſſero detti heredi ſeruirſe di detto beneficio per impedire l'eſſecutione di detta lettera, poſſa il creditore, & le ſij lecito pigliare la ſomma de' denari di quelle lettere à cambio, & ricambio a tutte ſpeſe, e danni della detta heredità inſino à tanto, che egli non ſarà ſodisfatto intieramente.

Dichiarandoſi, che ogni ſorte di perſone di qualſiuoglia grado, ancora che foſſero di Magiſtrato, contro de quali ritornaſſe lettera di cambio non accettata, ò non pagata con il proteſto poſſono, e debbano ad inſtanza del creditore eſſere eſſati nelli ſuoi beni per il pagamento, ò per l'aſſecuratione del pagamento di tal lettera incontinenti, che ne ſarà fatta l'inſtanza per il creditore dinanzi al Giudice, & Conſole, ò al Notario, come di ſopra è detto. Non oſtante legge, ſtatuti, conſuetudini, priuilegij, ò qualunque altra coſa incontrario.

Et perche occorre alle volte, che alcuno, che dà danari à cambio, lo fà con hauer ſigurtà, la quale ſottoſcriue la ſeconda, ò la terza di cambio, come ſi coſtuma in tutte le Piazze, però ſi dichiara, che quando la prima lettera ritornaſſe ricuſata, ò non pagata con il proteſto il creditore poſſa così agere contro colui, che haurà ſottoſcritta la ſeconda, ò terza di cambio, come contro il principale, che l'haurà fatta, come à lui più piacerà, & ſenza ſuo pregiudicio contro l'altra parte, & tutto quello, che ſi è detto del fare l'eſſecutione contro il principale, ſi intende parimente detto del ſottoſcriuente, non oſtante coſa alcuna incontrario.

Alle dette lettere di cambio reale non corra mai preſcrittione di tempo, & à quelli, che ritornaſſero indietro recuſate con il proteſto, non ſe ne poſsa opporre eccettione alcuna ſaluo, ò che la lettera non ſij ſcritta, ò ſottoſcritta di mano di chi vi è nominato per ſcriben-

ben-

bente, ò ſottoſcribente, ò di ſuo inſtitore, ò che ella ſij ſtata pagata. Et ſopra queſte due eccettioni ſi proceda, conoſca, & determini ſommariamente, di piano, ſenza ſtrepito, ò figura di giudicio, & à modo di buono Mercante, & reietta ogni cauilatione, & ſolamente conſiderata la pura verità del fatto. Et ſi dichiara, che in tutti i luoghi di queſti capitoli, doue ſi nomina colui, che habbi fatto la lettera di cambio s'intenda per fattore, ò ſcribente della lettera colui, ò coloro, che ſono nominati nella ſottoſcrittione in nome de' quali è fatta la lettera, ſe bene non foſse fatta, ò ſottoſcritta di lor mano, purche ſij ſottoſcritta di mano di perſona, che habbia il compimento della ragione, ancorche egli non foſse compagno, ò altrimente intereſſato in eſsa ragione.

Quanto poi alle lettere di cambio fatte in qualſiuoglia luogo per Bologna, ſe alcuna lettera non ſarà accettata ſecondo il tenor ſuo, potrà il preſentante proteſtare d'ogni ſpeſa, danno, & intereſse contro colui, che haurà fatta la lettera, & contro ciaſcuno, che vi foſse obligato. Et caſo, che foſse aſsente da Bologna colui, à cui ſarà diretta la lettera, ne ci foſse, chi per lui haueſse facoltà, ò compimento d'accettarla, poſsa il preſentante andar alla Caſa del detto aſsente inſieme con vno de' Notari del foro de' Mercanti, e quiui fare il ſuo proteſto ſopra l'accettatione, ſe per all'hora non ſarà il tempo del pagamento, & venuto il tempo del pagamento, ne eſsendo pagata, potrà rifare il ſuo proteſto ſopra del pagamento.

L'accettatione delle dette lettere di cambio, che ſaranno drizzate à pagarſi in Bologna, ſi debba fare ſolamente per mano di chi haurà il compimento della ragione, alla quale ſaranno ſtati tratti i danari, ò ſij Padrone, ò inſtitore, che habbi tal compimento, altrimente cotale accettatione ſij di niun valore, ſe bene foſse fatta per mano d'alcuno compagno, agente, ò garzone della ragione, & ciaſchedun Mercante ſij tenuto dar notitia al Conſeruatore del detto foro della perſona, ò perſone, che hanno, ò che pro tempore haueranno il compimento della ſua ragione, il qual Conſeruatore ne debba far rogito nel libro a ciò deputato, e parimente ſi facci rogito, quando ſi riuocaſse tal compimento.

Et quando le dette lettere ſaranno ſtate accettate da chi deue, & può accettarle, come ſi è detto, ſij obligato la ragione farne il pagamento à ſuo debito tempo, ne per tal' accettatione s'intenda eſsere pregiudicato al preſentante, che non poſsa agere contro qualunque perſona, che al cambio di quella lettera in qualunque modo foſse obligato, con tutto che di vna parte foſse ſeguito il pagamento, ma reſti ſempre ſalda la ſua ragione contro ciaſcuno intereſsato in detta lettera ſino all' intiera ſodisfattione di quello, tanto della vera ſorte, quanto delle ſpeſe, danni, & intereſſi.

Et ſe aueniſse, che doppo l'accettatione della lettera di cambio ſeguitaſse rottura, ò fallimento della ragione, che la doueua pagare, & così eſsa lettera non haueſse il ſuo debito compimento al tempo, in tal caſo il preſentante potrà fare il ſuo proteſto, & che haurà fatta la lettera ſarà tenuto al creditore d'eſsa ſatisfare della vera ſorte, & ogni ſpeſa, danno, & intereſse.

Et in ciaſcun caſo di lite, queſtione, ò controuerſia, che ſij per occorrere per conto di dette lettere di cambio non poſsano mai comparire, ne ſi debbano ammettere in alcun modo Procuratori, eccetto, che nelli caſi, ne i quali è permeſso per li detti ſtatuti del foro dei Mercanti nel trattato delle lettere di cambio, & con quelli modi, & con quelle conditioni, che in detto trattato ſi contengono, quanto ad eſſi Procuratori, & non altrimente, ne in altri caſi.

Et ſe per conto di detti cambij reali occorreſsero liti, ò queſtioni in alcun caſo, del quale non ſij prouiſto per li preſenti capitoli in tal caſo ſi ſtij all' arbitrio del Giudice, & Conſoli di detto foro, ò della maggior parte di loro, ma in tutti li ſopraſcritti caſi ſi debba procedere, far eſercitare, giudicare, & eſsequire ſecondo la diſpoſitione de' preſenti capitoli, & non ſecondo il ſtatuto di detto foro della mercantia, doue ſi tratta delle lettere di cambio, in quanto che ſijno diuerſi, ò contrarij ad eſſi capitoli, ma nel reſto rimanghino detti ſtatuti nel ſuo priſtino vigore, & oſseruanza, così circa le dette lettere di cambio, & circa li ſcritti priuati, come ancora in tutte le ſue altre parti, & maſſimamente in tutti i luoghi, doue ſi parla della giuriſdittione, & podeſtà, ò del Giudice, ò dei Conſoli, ò i ſopraconſoli, ò de ſtatutieri in qualunque modo, ò cauſa, non oſtante qualſiuoglia coſa incontrario.

Qua

Quæ quidem ſtatuta dilecti filij Ioannes Baptiſta Doria cameræ Apoſtolicæ Præſidens Clericus, & modernus ipſius Ciuitatis Gubernator, ac Quadraginta Reformatores Status libertatis dictæ Ciuitatis rata, & grata habuerunt. Cum autem ijdem mercatores cupiant præmiſſa ſtatuta pro illorum ſubſiſtentia firmiori Apoſtolicæ confirmationis munimine roborari. Nos igitur, qui quarumlibet Ciuitatum præſertim nobis, & Apoſtolicæ ſedi temporali dominio immediatè ſubiectarum ornamentum, & decus, ac vtilitatem, quantum cum Deo poſſumus, libentèr procuramus, præfatos mercatores, eorumque ſingulos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, motu proprio, non ad ipſorum mercatorum, vel cuiuslibet ipſorum nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de meræ liberalitate, & ex certa ſcientia noſtris præinſerta capitula, ac prout illa concernunt omnia, & ſingula in inſtrumento, ſeu inſtrumentis, aut documentis, ſeu ſcripturis publicis, aut priuatis deſuper confectis contenta, & indè ſecuta quæcunque licita tamen, & honeſta Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, omneſque, & ſingulos iuris, & facti, ac ſolemnitatum defectus, ſi qui fortè interuenerint, in eiſdem ſupplemus.

Nec non illa omnia, & ſingula capitula, ac in eis contenta, & confirmationem, approbationem, adiectionem, ſuppletionem huiuſmodi præſenteſque literas nullo vnquam tempore quouis quæſito colore, vel ingenio de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, alioue vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut quopiam alio defectu notari, vel impugnari poſſe. Neque ſub quibuſue alternationibus, limitationibus, reuocationibus, derogationibus, vel ſuſpenſionibus etiam à nobis, & ſede præfata nunc, & pro tempore emanatis comprehendi, ſed ſemper ab illis (excepta, & quoties illæ emanabunt toties in priſtinum ſtatum, & denuo etiam ſub poſteriore datum per mercatores præfatos eligenda, conceſſa, & firma perpetuo valida, & efficacia eſſe, ac cenſeri, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, ac ab omnibus, & ſingulis, quos præmiſſa quomodolibet concernunt, & pro tempore concernent inuiolabilitèr, & ad vnguem perpetuò obſeruari debere. Nec non præfatos mercatores, & eorum ſingulos cuiuſuis ſtatus, gradus, conditionis, & præminentiæ exiſtant ad omnimodam illorum capitulorum obſeruationem teneri, & efficacitèr obligatos fore, ac ad id ſententijs, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ac alijs quibuſuis opportunis iuris, & facti remedijs compelli. Et ſic per quoſcunque Iudices etiam ipſius Ciuitatis Gubernatores pro tempore exiſtentes, ac etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, nec non dictæ Sedis etiam de latere legatos ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere. At ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignorantèr attentari contigerit irritum, & inane decernimus.

Quocirca dilectis filijs cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, & dictæ Ciuitatis Bononienſis Gubernatori, ac Vener. Fratri Epiſcop. Bononienſis Vicario in ſpiritualibus Generali Motuſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum mercatorum, vel alicuius illorum fuerint requiſiti ſolemnitèr publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes noſtra auctoritate faciant mercatores, illorumque ſingulos confirmatione, approbatione, adiectione, ſuppletione, & decreto, alijſque præmiſſis iuxtà præſentium continentiam, & tenorem pacificè frui, & gaudere. Non permittentes illos deſuper per quoſcunque quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, & inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque oppurtuna iuris remedia appellatione poſtpoſita compeſcendum, nec non legitimis ſuper his habendis, ſed ratis proceſſibus illas cenſuras, & pœnas ipſas incurriſſe declarandum, eaſque etiam iteratis vicibus aggrauandum. Inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio bracchij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, de vna, & Concil. Generalis de duabus dietis, dummodò quis vigore præſentium vltra tres dietas ad iudicium non trahatur, ac alijs fori mercatorum dictæ Ciuitatis inſtrumentis confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ipſi foro, & illius, ac quibuſuis alijs perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque e[illegible]cationibus, & inſolitis clauſulis irritantibuſque, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliòs quomodòlibet etiam pluries conceſſis, innouatis, confirmatis.

Qui-

Quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quauis alia expreſſio habenda, aut alia aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret illorum tenores, formas, & datas ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes illis in ſuo priſtino robore, & efficacia non tantum circa literas, verum etiam circa ſcripta priuata, & denique circa iuriſdictionem, & poteſtatem Iudicis, & conſulum, ac reliquas alias omnes, & ſingulas ſtatuti, & priuilegiorum, ac indultorum prædictorum ipſius fori tangentes partes permanſuris, & valituris illa, ſi opus eſt, rurſus, & denuò harum ſerie etiam perpetuò approbantes, confirmantes, & concedentes, ac etiam ab omnibus, & quibuſcunque etiam quauis dignitate, iuriſdictione, & auctoritate fulgentibus, & fungentibus etiam ſi ſint Legati, Vice Legati, & Gubernatores ſublata etiam illis, & illorum cuilibet quauis aliter faciendum, iudicandum, definiendum, decernendum, reſcribendum, & ſtatuendum facultate, poteſtate, & auctoritate inuiolabilitèr obſeruari mandantes, ac ex nunc pro vt ex tunc, & è contra quidquid ſecus, vel in contrarium per eos, aut quemcunque, vel quoſcunque alios quauis auctoritatè ſcientèr, vel ignorantèr quomodocunque, & qualitèrcunque fieri, aut attentari contigerit, irritum, & inane decernentes hac vice dumtaxat ſpecialitèr, & expreſsè motu, & ſcientia paritèr derogamus contrarijs quibuſcunque, aut ſi aliquibus communitèr, vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Dat. &c.

3 Hæc Piana conceſſio, ſeu approbatio capitulorum Bononienſium, quamuis non præſcribat certam regulam cambiorum, vbique ſeruandam, approbat tamen conditiones aliquot, quæ, ſi alicubi obſeruentur, improbæ damnari non poſſunt prauitatis. Oraculum etenim veritatis, & ſummæ iuſtitiæ norma, cum ſit in terris diuinitatis interpres, & moderator veritatis, non niſi certas iuſtitiæ regulas poteſt præſcribere, vel approbare. Ex quibus multa confirmantur, quæ ſparſim, & ſucceſſiuè ſuis in locis in hiſce quæſtionibus fuerunt actitata, & primò licitum eſſe cuicunque cambire, pro vt latè dictum eſt *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. ſparſim per Pranot., & Diſquiſitiones*, dummodò lex aliqua non obſiſtat, vel quid aliud non prohibeat. Secundò ad realitatem cambij requiri, quod pecunia in effectu in vno loco conferatur, vt reſtituatur in alio, & re vera dentur literæ ad locum, ad quem ſunt directæ, & non confingantur, pro vt conſtat *ex eod. tit. Pranot. 6.* Tertiò, ex natura ſua non reprobari contractus *della ricorſa, ò del ricapitare le lettere ſopra l'iſteſſi datori*, pro vt dictum eſt *ſub eod. tit. de Cambijs II. Pranot. 4. num. 9., & Pranot. 21. per totum*, & poſſe continuari cambia, donec integrè fiat ſolutio. Quartò, aſſignatur immunitas fori mercantilis, locus celebrandi cambia, & pecuniæ, quibus debent regulari huiuſmodi cambia, quæ dicuntur ſcuti aurei in auro vulgo *di Zeccha*, quibus deſignatur certus, & determinatus valor, ſicuti conſtituitur ſcutis Marcharum in alijs locis, & ſcutis auri ſolis Lugduni. Circa hos ſcutos auri in auro *di Zeccha* emanauit decretum pro foro mercantili Bononienſium, quod eſt huiuſmodi. *Che per li pagamenti delli cambij reali, che qui ſi cambiaranno ſotto nome di ſcudi d'oro in oro di Zeccha, e parimente per i pagamenti di cambio, li quali ſaranno ſtati fatti altroue per Bologna, che cantaranno de' ſcudi d'oro in oro di Zeccha pagare la valuta à ragione di lire quattro, e ſoldi cinque di quatrini per ſcudo, dando, ò ſcudi d'oro correnti per il prezzo, che correranno, ouero tanta moneta d'argento. Con queſto, che le monete d'argento baſſo, come muraiole, bolognini, ſeſini, quatrini non s'intendono ſotto nome di moneta d'argento, mà ſijno eſcluſi da queſti pagamenti.* Quintò, aſſignatur tempus ſolutionis à diuerſis orbis partibus, modus procedendi in caſu non ſolutionis, forma acceptationis, & his ſimilia, de quibus ſparſim in his omnibus quæſtionibus.

Sed quià non ſolum attinet ad hunc locum conſiderare, quæ in hoc negotiationis genere per ſummos Pontifices permittuntur, & approbantur, ſed ea etiam, quæ eorundem Sanctionibus reprobantur vltrà ea, quæ dicta ſunt ex Pij V. declarationibus in Conſtitutione relata *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. Pranot. 6.* placet etiam per extenſum Pij IV. Conſtitutionem ſuper eiſdem cambijs referre, quæ eſt tenoris, vt ſequitur.

PIVS

PIVS PAPA IV. motu proprio &c.

CVM ſicut accepimus non ſine maxima animi noſtri diſplicentia etiam poſt publicationem cuiuſdam proclamatis, ſeu banni de expreſſo mandato noſtro facti, & commiſſione Ven. Fr. noſtri Hieronymi Epiſc. Martoranenſis tunc almæ Vrbis noſtræ Gubernatoris ſub die 27. menſis Maij 1560. in locis conſuetis publicati auaritiam omnium malorum peſſimum genus inter dilectos filios almæ Vrbis noſtræ Mercatores adeò ſerpuiſſe, atque in dies ſerpere, vt iam illorum vnicuique breui, & modico tempore proximi iactura diteſcere in pecunijs curialibus eiuſdem Vrbis, & præcipuè Ciſalpinis ad cambium, & recambium, vt vulgo dicunt mutandis facillimus pateat aditus, ità vt & Dei timore poſtpoſito, animarumque ſuarum ſalutis, ac Chriſtianæ charitatis, & Euangelicæ eruditionis, quæ bona nobis à Deo collata indulgentibus nihil lucri indè ſperantes caritatiuè mutuare monemur penitus immemores non ſolum ad pretium eiuſdem mercatoribus à Summis Pontificibus noſtris prædeceſſoribus retroactis temporibus toleratum ſuas pecunias ad cambium, & recambium huiuſmodi Curialibus prædictis dederint, verum etiam in præſentiarum illas ad longè maiorem, & nimis exceſſiuam, penituſque vſurariam, ac Chriſtianam profitentibus Religionem Sacris Canonibus interdictam, atque damnatam ſummam dare conantur, vndè euenit, vt plurimi dictæ Vrbis Curiales hac neceſſitate coacti eaſdem pecunias ſub tàm graui fœnore accipientes, & pro illorum amicis mercatoribus præfatis fideiubentes, ac ſe in ampliori forma Cameræ Apoſtolicæ obligantes tum ob varia itinerum pericula, tùm etiam aeris diuerſis in locis intemperiem pecunias, vt præmittitur acceptas eiſdem mercatoribus tempore conuento reddere nequeuntes maxima cum illorum iactura ad eorundem mercatorum importunitatem pluries, vt aiunt, recambiare coacti, & nonnulli etiam carceribus inhumanitèr cum illorum ingenti tùm corporis, & bonorum, tùm etiam honoris, & famæ detrimento diuturno tempore detenti fuerint. Nos igitur cupientes pro noſtri officij Paſtoralis debito præmiſſis, quantum cum Deo poſſumus, via celeri remedium aliquod adhibere eorundem Mercatorum inſtabilis vſuræ prauitati, eorumque animarum ſaluti, & mercantilis exercitij fidelitati, curialiumque prædictorum tàm enormibus læſionibus, atque incommoditatibus paterno affectu opportunè conſulere. Motu ſimili &c. Dilecto filio dictæ vrbis noſtræ moderno Gubernatori, vt ad Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarij Generalis, nec non partis læſæ querelam, ſeu inſtantiam omnibus, & ſingulis mercatoribus Romanæ Curiæ; ſeque ſic impoſterum à die datæ præſentium ſub maioris excommunicationis latæ ſententiæ, ac duorum millium ducatorum auri in auro eidem Cameræ irremiſſibilitèr applicandorum ipſo facto incurrendis pœnis à dictæ vrbis Curialibus quibuſcunque ratione quarumcunque obligationum etiam in ampliori forma Cameræ tàm principali, quàm acceſſorio, & fideiuſſorio reſpectiuè nominibus factarum, deinceps quomodolibet fiendarum pro pecunijs ad cambium, recambium, & huiuſmodi ſic vſurariè, & malo modo acceptis, & accipiendis, ac in partibus non ſolutis, & non ſoluendis vltra ſummam conuenientem, quæ mercatoribus realibus, qui vera cambia realia, & non ſicca faciunt, de iure, & ſtilo mercantili vere deberetur, hic in curia petere, exigere, aut eoſdem Curiales via iuris obligationum etiam in forma dictæ Cameræ celebratarum, & celebrandarum vigore, ſeu prætextu cogere, ſeu cogi, aut excommunicari &c. vel alias quomodolibet in eorum perſonis, & bonis obligari, ſeu inquietari facere audeant, vel præſumant diſtrictius ſub pœna, quæ in Conſtitutionibus Marchiæ contra vſurarios ſtatutis, & alijs ſuo arbitrio moderandis pœnis inhibeat, nec non quaſcunque obligationes etiam in præfata forma Cameræ occaſione quarumcunque partitarum pecuniarum ad cambium, & recambium huiuſmodi prædictis mercatoribus cum eiſdem Curialibus quomodolibet factas, & quæ mercatores ipſi à prædictis Curialibus tanquam principalibus, ſeu fideiuſſoribus hic in vrbe poſt dictum bannum dumtaxat repetierunt, & exegerunt, & recuperarunt, ac pro non ſolutis exigere, & recuperare intendunt, cum cambia huiuſmodi ſicca, vel non realia à Sacris Canonibus prohibita ſint, vſurarias, prauas, iniquas deteſtabiles, interdictas, & damnatas, & quaſcunque obligationes etiam in forma præfata Cameræ Apoſtolicæ poſt dictum bannum dumtaxat deſuper illarum occaſione factas, nullas, & inualidas exiſtere auctoritate noſtra decernet, & declaret, totamque ſummam principalem per eoſdem mercatores exactam, & recuperatam iuxta formam dictorum bannimentorum ex nunc ipſo facto eidem Cameræ Apoſtolicæ, parti vero læſæ id, quod vltrà prædictam ſummam principalem in cambijs, & recambijs &c. à dictis mercatoribus irremiſſibilitèr exigendam, recuperandam, & reſtituandam applicet, & eoſdem Mercatores iuxtà Conſtitutiones prædictas Marchiæ condemnet. Cum poteſtate eoſdem Mercatores, & eorum quemlibet, omneſque alios, & ſingulos ſeù communiter, vel diuiſim quomodolibet intereſſe putantes in dicta Curia, & extra eam citandi, ac quibus, &

quoties inhibendum erit etiam ſub excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis etiam pecuniarijs eiuſdem Gubernatoris arbitrio moderandis, & applicandis inhibendi, inobedienteſque, & rebelles quoſcunque ſententias, cenſuras, & penas huiuſmodi incidiſſe, & incurriſſe declarandi, & aggrauandi, reaggrauandi, & interdicendi inuocato etiam ad hoc, ſi opus ſit, bracchij ſæcularis auxilio, nec non ſuper præmiſſis omnibus, ſummariè, ſimpliciter, & de pleno, ſine ſtrepitu, & figura iuditij, ſeu tela iudiciaria ſingulis diebus, & horis, præterquam in honorem Dei feriatis procedendi, dictoſque mercatores, & eorum quemlibet ad exibendum quoſcunque libros etiam rationum via iuris, & ſub eiſdem cenſuris, & pœnis compellendi, cæteraque alia faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, & exequendi, quæ in præmiſſis omnibus, & circa ea neceſſaria fuerunt, ſeu quomodolibet opportuna committimus, & mandamus præmiſſis, ac quibuſcunque alijs conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis, conſuetudinibus, capitulationibus, & pactis, nec non obligationibus etiam in d. forma Cameræ etiam iuramento &c. vallatis, ac Palatij, & Curiæ mercatorum huiuſmodi ſtilo, nec non partitis, libris, & rationibus, ac computis deſuper quomodolibet factis, & quibuſuis licentijs forſan dictis Mercatoribus per quoſcunque etiam noſtros maiores officiales, etiam Vrbis Gubernatores conceſſas, quas contrà expreſſam mentem noſtram factas eſſe declaramus, cæteriſque in contrarium quomodolibet faciendis, non obſtantibus quibuſcunque Mercatorum, & Curialium huiuſmodi nomina cognomina, & qualitates, ac pecuniarum; & creditorum quantitates, aliorumque hic forſan de neceſsitate exprimi neceſſariorum tenores, continentias, formas, & compendia pro plenè, & ſufficientèr expreſsis habendis, præſentiſque noſtri motus proprij ſolam ſignaturam, etiam abſque illius regiſtratura ſufficere, & vbique fidem facere tam in iudicio, quam extrà, attento quod in vrbe hac iuxta illius formam, & tenorem per quoſcunque Iudices &c. ſublata &c. iudicari &c. debere, nec de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ defectu vllo vnquam tempore, aut impugnari poſſe, illiuſque copiæ per vnum ex noſtris Curſoribus cum originali auſcultatæ, & Mercatoribus, aliiſque perſonis, & iudicibus præſentatæ vim validæ, & efficacis inhibitionis habeant, ac ſi originale hoc præſentatum foret quacunque regula, ſiuè conſtitutione in contrarium forſan edita nequaquam obſtante &c.

PRÆNOTIO XI.

Exponuntur caſus per Rempublicam Genuenſem propoſiti Vrbano VIII. eorumque reſolutiones.

SVMMARIVM.

Reſpublica Genuenſis ſollicita ſuper iuſtitia vel iniuſtitia talis contractus. 1.
Exponitur primus caſus, de quo erat controuerſia. 2.
Formula primarum literarum, quas campſarius dat campſori, vt ſibi ſoluat. 3.
Formula literarum, quibus remittitur tracta ad primum debitorem. 4.
Reſolutio primi caſus per congregationem Theologorum iuſſu Vrbani VIII. 5.
Exponitur ſecundus caſus de cambio cum intereſſe limitato. 6.
Reſolutio eiuſdem ſecundi caſus per eandem congregationem. 7.
Exponitur tertius caſus de continuatione cambiorum. 8.
Formula literarum tractæ ad campſarium. 9.
Ordo campſuarij ad ſuum reſpondentem. 10.
Literæ reſpondentis ad campſarium. 11.
Aliæ literæ d'auiſo eiuſdem reſpondentis. 12.
Continuatio cambiorum iuxta mox poſitam formam. 13.
Reſolutio eiuſdem congregationis ſuper tertium caſum. 14.
Approbatio Vrbani VIII. ſuper huiuſmodi reſolutiones. 15.
Noua theſis caſuum propoſita per eandem Rempublicam Genuenſem Vrbano VIII. 16.
Conditiones quoad eandem theſim. 17.
Approbatio eiuſdem theſis cum ſuis conditionibus per eandem Theologorũ congregationem. 18.
In quibus conueniat hæc vltima approbatio cum reſolutione primi caſus. 19.
In quibus differat. 20.
Conuenientiæ, & diſconuenientiæ huius vltimæ approbationis cum reſolutione ſecundi caſus. 21.

INualuerat tempore Vrbani VIII. quidam mos apud Genuenſes celebrandi cambia continuationum, ſeu cum recurſu, de cuius iuſtitia multi contendebant, licet teſte *Raphaelle de Turri de Cambijs diſp. 3. quæſt. 1. in prolegomenis nu. 33. verſ. intremuit* ab omnibus fore Regularibus inſignioris notæ eſſet approbatus. Ad tollendas omnes anxietates, & ſcrupulos circa talem cambiendi modum Genuenſis Reſpublica tres caſus circa eundem emanantes 1 Reſpublica Genuenſis ſollicita de reſolutione talis contractus.

tes per ſuum oratorem detulit ad eundem Vrbanum, vt oraculum veritatis in reſolutione eorundem acciperet. Demandauit Pontifex examen eorundem quibuſdam Theologis ab ipſo ſpecialitèr electis cum aſſiſtentia Sacræ Rotæ Romanæ Coccini Decani, qui poſt longas diſceptationes, & accuratum iudicium ſenſum ſuum aparuerunt Pontifici iuxta tenorem, de quo infra.

Vt autem vniuerſa dilucidius enucleentur ſeriem caſuum referemus, & reſolutiones indè habitas ſingula ſingulis referendo exponemus.

PRIMVS CASVS.

2 Primus caſus, ſuper quo cadit dubium.

Dante in Maßa fera di Paſqua dà à cambio à Pietro ſcudi milla per Milano con la ricorſa ad eßo Dante, cioè che l'iſteſſo Dante habbia penſiero di far compire in Milano la lettera di Pietro à ſuo tempo, e che il debito sij di nouo tratto nella ſeguente fera d'Agoſto.

Pietro riceuuti in fera li ſudetti ſcudi milla fà le lettere dirette à Dante in Milano del tenore ſeguente.

1625. *a' trè Maggio in Maſſa ſcudi milla à ſoldi centocinquanta per ſcudo.*

3 Formula primarũ literarũ, quas cãpſarius dat ad campſorem, vt ſibi ſoluat.

Alli 8. del preſente meſe pagate per queſta prima di cambio à voi ſteßo ſcudi milla à ſoldi centocinquanta per ſcudo valuta del noſtro Dante di quì, e ponete à mio conto, valendoui del mancamento nella proſſima d'Agoſto al conto, che ſarà poſto. A Dio.

Pietro.

A tergo. A Dante in Milano.

Sequitur forma talis contractus.

Dante manda la ſudetta lettera in Milano ad vn ſuo amico, ò Agente, quale in virtù d'ordine, che gli dà con ſua lettera, ò procura rapreſenta la ſua medeſima perſona tanto per compire la lettera di Pietro diretta ad eſſo Dante, quanto per ſcuodere egli ſteſſo da ſe medeſimo li ſcudi milla, che hà d'hauer in virtù d'eſſa lettera.

E perche il detto Agente non hà altri danari, ò credito di pigliarli à cambio in piazza per pagare à ſe ſteſſo, ſi ſerue del credito della rimeßa ſpettante al medeſimo Dante. Venuto il termine del pagamento l'Agente, che rappreſenta la perſona di Dante, forma la ſcrittura, e fà debitore Pietro di fera di lire ſette milla cinquecento valuta di ſcudi milla, e creditore d'eßo Dante ſudetto.

Poi eſtingue il conto di Pietro con fargli tratta, nella ſeguente fera d'Agoſto di ſcudi milla, e venti cambiati à ſoldi centoquarantaſette, che vagliano le medeſime lire 7500., e ne dà debito à Dante, al quale le rimette per lettere di cambio del tenor ſeguente.

4 Formula literarũ, quibus remittitur tracta ad primũ debitorẽ.

1625. *a' 28. Maggio in Milano ſcudi milla, e venti di Marche.*

A pagamenti proſſimi di fera d'Agoſto pagate per queſta prima di Cambio al mio Dante ſcudi milla, e venti di marche in me cambiati, e ſono contro li ſcudi milla trattemi dalla paſſata di Paſqua, e ponete à conto noſtro. A Dio.

Dante.

A tergo. A Pietro in Maſſa fera d'Agoſto.

Propoſito hoc caſu in dicta Congregatione Theologorum, & coram Coccino Sacræ Rotæ Decano, eoq; ſæpius diſcuſſo fuit reſolutum iuxtà formam, quæ ſequitur.

Die Sabbati tertia Octobris 1626.

5 Reſolutio eiuſdẽ primi caſus per congregationem Theologorũ ſub Vrbano VIII.

In congregatione habita de ſpeciali mandato Sanctiſs. D. N. Vrbani Papæ VIII. in Palatio R. P. D. Ioannis Baptiſtæ Coccini Sacræ Rotæ Decani in regione S. Euſtachij coram RR. PP. DD. Coccino prædicto, Fratre Nicolao Rodulphio Ordinis Prædicatorum Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici, Fratre Hypolito Maria Lancio eiuſdem Ordinis Commißario Generali S. Officij, Auguſtino Oreggio Theologo Sanctiſs., Fratre Franciſco à Genua Procuratore Generali Ordinis Fratrum Capucinorum P. Stephani de Bubalis Societatis Ieſu, & Fratre Nicolao Riccardio Ordinis Prædicatorum Regente S. Mariæ ſuper Mineruam ſpecialitèr Deputatis ab eodem Sanctiſs. D. N. die 31. Aprilis 1626.

Maturè conſiderato primo caſu expoſito in memoriali exhibito Sanctiſs. D. N. Nomine Reipublicæ Genuæ in materia cambiorum D. cenſuerunt non ſubſiſtere, vt exponitur.

SECVNDVS CASVS.

Cambij cum intereſſe limitato.

6 Exponitur ſecundus caſus de cãbio cum intereſſe limitato.

Sopra il cambio ſudetto ſenza variar forma ne ſoſtanza ſi è introdotto d'aſſicurare con nouo contratto, ò sij limitare l'intereſſe, che da vna fera all' altra non poßa il danno eccedere vn tanto per cento, che s'accorda più ò meno ſecondo l'abbondanza, ò careſtia del danaro con conditione però, che ſe il cambio riſpondeſſe meno sij ſolamente quello, che haurà riſpoſto.

Propoſito hoc ſecundo caſu intereſſe limitati iuxtà modum expoſitum coram eadem Congregatione Theologorum emanauit reſponſio in modum, qui ſequitur.

Die

Die 18. Nouembris 1626.

7 Reſolutio eiuſdẽ per eandẽ congregationem

In eadem congregatione diſcuſſo ſecundo caſu contento in dicto memoriali D. pariter cenſuerunt non ſubſiſtere, cum innitatur primo.

TERTIVS CASVS.

Formæ continuationum cambiorum.

8 Exponitur tertius caſus de continuatione cambiorũ.

Diego reſidente in Madrid dà ſue lettere di cambio dirette ad Emilio in Maſſa fera d'Agoſto di ſcudi dieci milla di Marche, ordina che li paghi, e li piglij à cambio à ſuo danno per Lione ò altra Piazza, e che da eſſa ſi facia Emilio di nouo trarre il debito in fera de Santi ſeguente. Il qual Diego prouederà l'eſtintione del capitale, ſpeſe & intereſſe. Emilio in fera paga li ſcudi dieci mille, e nel ſuo ſcartafacio ò ſù libro ne fà debitore Diego con più ſcudi trentatrè per la prouigione, e trouandoſi eſſo Emilio con auanzo non piglia altrimente à cambio da terza perſona, ma ſeruendoſi del ſuo proprio fà tratta in Roma à Romolo di ſcudi dieci milla, e trenta trè à ſcudi 99. di ſtampe per ogni ſcudo cento di Marche aſſegnando à ſe ſteſſo la rimeſſa, e ſcriue gli ordini ſeguenti.

1625. a' 4. Agoſto in Maſſa ſcudi dieci mille, e trenta trè à nouanta noue.

9 Formula literarũ tractæ ad campſarium.

Alli 25. Agoſto pagate per queſta prima di cambio à voi ſteſſo ſcudi dieci milla, e trenta trè à nouantanoue per cento di ſtampe in me conti, e ponete come per ſpaccio.

Emilio

A tergo. A Romolo à Roma.

Ordine, ò ſij ſpaccio d'Emilio.

10 Ordo vulgo ſpaccio cãpſuarij ad reſpondentem.

Da queſta fera d'Agoſto vi hò tratto ſcudi mille, e trenta trè à 99. per cento in voi ſteſſo in me conti. Al tempo ne paſſarete la ſcrittura con far debitore Diego di Madrid ſopra di me; e di quanto vi mancarà vi prouederete nella proſſima fera de Santi da me ſteſſo. Et in mio conto corrente mi darete credito della rimeſſa d'eſſi ſcudi diecimille, e trenta trè rimanendomi parimente il mio auanzo in detta fera de Santi.

Venuto il termine Romolo conforme l'ordine d'Emilio fà debitore Diego della valuta delli dieci mille, e trenta trè ſcudi di Marche, e creditore il medeſimo Emilio, e per aggiuſtarne tanto il debito quanto il credito in la ſeguente de Santi fà la lettera de ſcudi mille ducento trenta cinque di Marche cambiati à nouanta ſette ſtampe per ogni cento di Marche nel modo ſeguente.

1625. a' 28. Agoſto in Roma dieci mille, e ducento trentacinque di Marche.

A pagamenti di fera proſſima de Santi pagate per queſta prima di cambio à voi ſteſſo ſcudi dieci mille, e ducento trenta cinque di Marche in me conti, e ponete come per ſpaccio. 11

Literæ reſpondentis ad campſarium.

Romolo

Spaccio di Romolo di Roma ad Emilio in Maſſa fera de Santi.

In riſpoſta del voſtro ſpaccio di fera d'Agoſto paſſata dirò hauer pagato li ſcudi mille, e trenta trè di Marche trattemi in me ſteſſo, e datone debito à Diego di Madrid ſopra di voi in ſcudi noue mille, e noue cento trent'vno ſtampe, e credito all'incontro delli medeſimi ſcudi dieci mille, e ducento trentacinque rimeſſemi in queſta d'Agoſto da me ſteſſo, & attentone il conto con la rimeſſa, che ve n'hò fatto nella proſſima fera de Santi da voi ſteſſo con mia lettera, che à ſuo tempo compirete. E Noſtro Signore vi guardi. 12

Aliæ literæ eiuſdẽ reſpondentis.

In fera de Santi in Maſſa Emilio fà debitore Diego delli ſcudi dieci mille, e ducento trentacinque, e ſe non li viene da eſſo Diego proueduto il debito, di nuouo torna à valerſene ſotto l'iſteſa forma, e continua nel medemo modo in più fiera, finche realmente Diego faccia la prouiſione al ſuo debito. 13

Cõtinuatio cambiorum iuxta mox poſitam formam.

Propoſito etiam hoc tertio caſu in eadem Theologorum Congregatione emanauit reſponſio in hunc qui ſequitur modum.

Die quarta Iunij 1627. In eadem congregatione diligenter perpenſo, tertio caſu in dicto Memoriali Domini dixerunt tertium caſum, qui dicitur cambium continuationum ſubſiſtere, ſi Romæ, & Maſſæ vera fiat ſolutio, ex legitimo mandato Didaci ab habentibus, vndè ſoluant ex proprijs, vel alienis pecunijs, quæ non ſint creditoris, cui ſit ſolutio, ſecundum eandem rationem bancariam permanentem, ità tamen, vt continuatio permaneat ſemper libera iuxtà conſtitutionem fel. recordat. Papæ Pij V. in reliquis etiam omnibus ſeruandam. Non verò ſubſiſtere, dum cambia, quæ continuantur, fiunt ſecundum modum in primo caſu propoſitum. 14

Reſolutio eiuſdem Congregationis ſuper tertium caſum.

Hæ reſolutiones per præfatam Congregationem habitæ fuerunt delatæ ad eundem Vrbanum VIII., & ab ipſo approbatæ, & tranſmiſſæ ad Rempublicam Genuæ. 15

Approbatio huiuſmodi reſolutionum ab Vrbano VIII.

Habita prædictarum reſolutionum notitia intremuiſſe vniuerſam Ciuitatem aſſerit *Raphael de Turri d. diſp. 3. qu. 1. num. 34.*, cum omnes ferè ciues ditiores, ſi prædicti modi cambiendi continerent iniuſtitiam, eſſent hac labe infecti. Quamobrem iterum ad eundem Romanum Pontificem recurſum ha-

habuit eadem Reſpublica pro clariori, & pleniori in re tanti negotij reſponſione, & elucidatione, qui Pontifex rem ad eandem Congregationem Theologorum remiſit, cui ſub alijs terminis theſis fuit expoſita in hunc, qui ſequitur, modum.

16 Noua theſis caſuum propoſita per eandem Rẽpublicã Vrbano VIII. *Gioanni in fiera dà ſcudi mille à cambio à Pietro per Milano, e conuengono inſieme, che Pietro ne faccia la tratta ad Antonio perſona diſtinta, e di negotio, e di credito in detta Città di Milano, al quale Gioanni ne fà anche la rimeſsa. Antonio in Milano paſsa la ſcrittura di quella partita in debito di Pietro, & in credito di Gioanni, e non eſtinguendo Pietro tal debito con altra rimeſsa, ò pagamento, come potrebbe fare, riflette nella fiera ſeguente il ſuo credito à Gioanni, & il debito à Pietro, & in eſsa fiera s'eſtingue la negotiatione.*

17 Cõditiones circa eandem Theſim. *S'aggionge vna circonſtanza, che Gioanni promette à Pietro, che Antonio in Milano compirà la ſua tratta.*

Se n'aggionge vn' altra, che Gioanni promette à Pietro, che nella tratta, che eſso fà à Milano, come ſopra, l'intereſse non eccederà vn tanto per cento conforme eſſi accordaranno inſieme con conditione però, che, ſe il cambio reſpondeſse meno, ſia ſolamente quello haurà riſpoſto.

Hac igitur noua theſi ſic propoſita emanauit reſponſio tenoris ſequentis, quæ etiam ab eodem Vrbano VIII. fuit approbata.

Die Sabbati 27. Settembris 1631.

18 Approbatio eiuſdem theſis, cum ſuis conditionibus per eandem Theologorum Congregationẽ. *In Congregatione habita de ſpeciali mandato &c. Poſt diligentem diſcuſſionem Domini dixerunt, nihil in prædictis caſu, & circunſtantijs contineri, quominus licitè practicari poſſint.*

Habita huius reſponſionis, & approbationis notitia tremor ciuitatis euanuit, & luctus conuerſus eſt in citharam. Annuit enim Reſpublica iuſtæ, & rationabili reſolutioni, & nullum, ſeu ferè nullum cognoſcens diſcrimen inter hunc caſum, qui omnes tres prædictos licet ſtrictioribus terminis comprehendit, & inter dictos tres ſupra expoſitos arbitrata eſt in approbatione iſtius illos omnes cenſeri approbatos.

Conferamus iam pro clariori comprehenſione prædictorum hunc caſum vltimo loco propoſitum ſecundum omnes ſuas conditiones, & circunſtantias cum tribus ſupra expoſitis, & inquiramus, in quibus nam differant, & in quibus conueniant, vt dignoſcamus, an diuerſimodè ſit de vtriſque iudicandum. In hoc conuenit primo hic vltimus caſus a Congregatione approbatus cum primo ſupra expoſito; quod in vtroque tracta, & remiſſa ſit ad vnam, & eandem perſonam, cum onere ſibi ipſi ſoluendi. Secundò in 19 In quibus cõueniat hæc approbatio cum reſolutione primi caſus.
vtroque ille, qui dat ad cambium, aſſumit onus, quod debitum perſoluetur in loco, in quo ſolutio eſt deſtinata; nam in vltimo caſu dicitur. *S'aggionge vna circonſtanza, che Gioanni prometta à Pietro, che Antonio in Milano compirà la ſua tratta*; in primo verò dicitur, *che l'iſteſso Dante habbia penſiero di far compire in Milano le lettere di Pietro à ſuo tempo*. Tertiò in vtroque dicitur, debitum remittendum eſſe in ſequenti fera; nam in vltimo caſu legitur, *e non eſtinguendo Pietro tal debito con altra rimeſsa, ò pagamento, come potrebbe fare, riflette nella fiera ſeguente il ſuo credito à Gioanni, & il debito à Pietro*; & in primo caſu ſic legitur, *e che il debito ſij di nuouo tratto nella ſeguente fiera d'Agoſto*.

20 In quibus differat. Differentia ſolummodò, quæ verſatur inter vltimum caſum, & primum ſupra expoſitum conſiſtit, vel in eo, quod in vltimo caſu expoſito ſupponitur, quod perſona, ad quam dirigitur tracta, & remiſſa, ſit perſona diſtincta, & negotiatione, & credito in ciuitate Mediolani - Ibi- *conuengono inſieme, che Pietro ne faccia la tratta ad Antonio perſona diſtinta, e di negotio, e di credito in detta Città di Milano*; in primo verò caſu ſupponitur, quod tracta, & remiſſa dirigatur ad Agentem Dantis, qui agens non ſopponitur perſona negotiatione diſtincta ab eodem Dante, cum agat nomine eiuſdem Dantis - Ibi- *Dante manda la ſudetta lettera in Milano ad vn ſuo amico, ò Agente in Milano, quale in virtù d'ordine, che li dà con ſua lettera, ò procura, rappreſenta la ſua medeſima perſona tanto per compire la lettera di Pietro diretta ad eſso Dante, quanto per ſcuodere egli ſteſſo da ſe medeſimo li ſcudi &c.*, vel in eo, quod in vltimo caſu ſupponitur, quod correſpondens Ioannis habeat alios nummos, ſeu credita accipiendi ad cambium in Platea; in primo verò caſu ſupponitur, quod Agens, ad quem remittitur Mediolani tracta, & remiſſa, non habeat alios nummos ſeu credita, ſed dumtaxat creditum talis remiſſæ, quod pertinet ad ipſum Dantem - Ibi- *E perche il detto Agente non hà altri danari, ne credito di pigliarli à cambio in Piazza per pagare à ſe ſteſſo, ſi ſerue dal credito della rimeſsa ſpettante al medeſimo Dante*, quæ differentię videntur fuiſſe fundamentum, propter quod eadem Theologorum congregatio ap-

pro-

probauit tanquam licitum contractum iuxta vltimum modum expoſitum, damnauit autem contractum initum iuxta primum caſum. Sed an etiam caſus primus ſtante hac approbatione vltimi, poſſit cohoneſtari, in ſequenti prænotione latè examinabitur.

21 Conuenientiæ, & diſcõuenientię huius approbationis cum reſolutione ſecundi caſus.

Conferamus item hunc vltimum caſum cum ſecundo de intereſſe limitato, & videamus an per approbationem illius intelligatur facta correctio ſecundi, qui fuit per eandem Theologorum Congregationem damnatus, an vero vltimus ſit in diuerſo ſenſu accipiendus à ſecundo, & quidē in vltimo expreſsè apponitur limitatio intereſſe per ea verba in vltima circunſtantia expreſsa. *S'aggionge vn'altra circunſtanza, che Gioanni promette à Pietro, che nella tratta, che eſso fà à Milano, come ſopra l'intereſse non eccederà vn tanto per cento conforme eſſi accorderanno inſieme con conditione però, che ſe il cambio riſpondeſſe meno, ſij ſolamente quello haurà riſpoſto*, & iuxta hunc caſum eadem Congregatio reſoluit nihil in prædictis caſu, & circunſtantijs contineri, quominus licitè practicari poſſit; in ſecundo item expreſsè apponitur huiuſmodi limitatio intereſſe. *Si è introdotto d'aſſicurare con nuouo contratto, ò ſij limitare l'intereſse, che da vna fera all'altra non poſsa il danno eccedere vn tanto per cento, che s'accorda più, ò meno; ſecondo l'abbondanza, ò careſtia del danaro con conditione però, che ſe il cambio riſpondeſse meno ſij ſolamente quello, che haurà riſpoſto*, & tamen eadē congregatio hunc ſecundū caſum ſic propoſitum reprobauit. Ibi. *Die* 18. *Nouembris* 1626. *in eadem congregatione diſcuſſo ſecundo caſu contento in dicto Memoriali D. pariter cenſuerunt non ſubſiſtere, cum innitatur primo*. Sed, ſi benè perpendantur verba huius reſolutionis, clare apparebit non damnari cambium cum intereſſe limitato iuxta ſenſum expoſitum, ſed damnari hoc cambium, prout inuoluit omnes conditiones cambij iuxta primum caſum initi, & propterea dicitur *cum innitatur primo*, quod eſt cauſa formalis reprobationis. Pro cuius rei clariori notitia aduerte, quod propoſitio facta fuit in hunc modum. *Sopra il cambio ſudetto ſenza variar forma, ne ſoſtanza s'è introdotto &c.*, cui reſpondens Congregatio dixit non ſubſiſtere, cum innitatur primo; innititur autem primo caſui in eo, quod in illo dictum fuerit, quod tracta, & remiſſa fiat non ad perſonam diſtinctam negotiatione, & credito, & quod reſpondens, cui remittitur tracta non habeat in loco, in quo fieri debet ſolutio, alios nummos, nec credita, ſed tantum pecuniam remiſſæ, quæ eſt propria eius, qui dirigit tractam; non autem innititur in eo, quod fuit pactū de limitato intereſſe. Quamobrem adhuc remanet inquirendum, an cambium cum limitato intereſſe licitum ſit, nec ne; quod etiam in ſubſequentibus examinabitur.

22 Conuenientiæ, & diſconuenientię eiuſdem approbationis cū reſolutione tertij caſus.

Comparando tandem eundem vltimum caſum cum tertio ſupra propoſito reperitur omnimoda conuenientia; nam, ſi in vltimo dicitur, *E non eſtinguendo Pietro tal debito con altra rimeſsa, ò pagamento, come potrebbe fare, riflette nella fiera ſeguente il ſuo credito à Gioanni, & il debito à Pietro*, in tertio etiam dicitur fere idem ſub conſimilibus terminis. Sed congregatio vltimum caſum abſolutè approbauit; tertium verò nonniſi cum nonnullis limitationibus in hunc modum. Die 4. Iunij 1627. in eadem Congregatione diligenter perpenſo tertio caſu in dicto memoriali Domini dixerunt tertium caſum, qui dicitur cambium continuationum ſubſiſtere, ſi Romæ, & Maſſæ vera fiat ſolutio ex legitimo mandato Didaci ab habentibus vndè ſoluant ex proprijs, vel alienis pecunijs, quæ non ſint creditoris, cui fit ſolutio ſecundum eandem rationem Banchariam permanentem, ita tamen, vt continuatio permaneat ſemper libera iuxta conſtitutionem fel. record. Papæ Pij V. in reliquis etiam omnibus ſeruandam, non verò ſubſiſtere, dum cambia, quæ continuantur fiunt ſecundum modum in primo caſu propoſitum. In hac reſolutione duas cernitis limitationes; prima, quæ eſt congruens ad deciſionem primi caſus, quod ſcilicet ſolutio in loco deſtinato non fiat ex pecunia creditoris, ſecundum eandē rationem banchariam permanentem. Secunda, quod eadem continuatio ſit libera, hoc eſt, quod debitor poſſit pro libertate idem cambium reſoluere per ſolutionem, non verò compellatur inuitus ad illud continuandum. De ijs etiam limitationibus in ſequentibus prænotionibus erit ſermo.

PRÆNOTIO XII.

An ſtante approbatione caſus vltimo loco propoſiti intelligatur deciſio ſuper primum correcta, an verò in ſuo robore permanere.

SVMMARIVM.

Rationes dubitandi circa propoſitum titulum. 1.

Non eſt difficultas, quin tracta, & remiſſa poſſit fieri ad eundem agentem campſoris. 2.

Difficultas ſiſtit, an ex pecunia eiuſdem campſoris poſſit fieri ſolutio in loco deſtinato. 3.

Ex pecunia eiuſdem campſoris ex diuerſa negotiatione poteſt fieri ſolutio primi cambij. 4.

Ex pecunia numerata campſuarij, & debita campſori poteſt conſtitui recambium, & quomodo. 5.

DD. aſſerentes ex credito campſoris per virtualem ſolutionem poſſe diſſolui primum cambium, & conſtitui recambium. 6.

Hoc cambium per eoſdem DD. non eſſet mutuum palliatum, & quare. 7.

Campſor promittens campſuario, quod ſuum debitum in loco deſtinato perſoluetur per ſuum reſpondentem, ſe ipſum obligat ad talem ſolutionem, & ſua bona. 8.

Reſpondens campſoris quodamodo accipit pecuniam mutuam eiuſdem campſoris, vt ſoluat pro campſuario. 9.

Nonnulla obiecta Azorij, & eorum ſolutiones. 10.

In hoc caſu reſpondens campſoris conſtituitur debitor eiuſdem, & quomodo. 11.

Reſponſio ad deciſionem Theologorum ſub Vrbano VIII. 12.

Campſor ordinando ſuo reſpondenti, vt recipiat remiſſam debiti campſuarij, quodamodo deponit ſuum creditum apud eundem reſpondentem. 13.

Auctor circa hanc controuerſiam nihil ſtatuit, ſed ſe remittit. 14.

DIfficultas, prout attigimus in præcedenti prænotione, dum de differentijs inter caſum vltimo loco propoſitum, & propoſitum primo loco, in eo conſiſtit, quod in caſu primo loco propoſito ſupponitur, quod creditor ex primo cambio dirigat tractam, & remiſſam ad ſuum proprium agentem, qui non videtur perſona diſtincta negotiatione, & credito ab ipſo creditore; in caſu verò vltimo loco expoſito creditor ſupponitur dirigere tractam, & remiſſam ad perſonam negotiatione, & credito diſtinctam. Item in caſu primo loco expoſito, ſupponitur, quod ille, ad quem dirigitur tracta, non habeat pecuniam propriam, nec aliam, ſed illam dumtaxat, quæ fuit remiſſa à creditore, & quod per illam extinguat primum cambium; in caſu verò vltimo loco expoſito ſupponitur, quod habeat pecuniam propriam, vel aliam ab illa creditoris, ac proindè illa Theologorum congregatio caſum primo loco propoſitum reprobauit, non tamen caſum vltimo loco expoſitum; vndè ex allegatis differentijs optimè videtur concludi, per vltimam reſolutionem non intelligi correctum primum, cum militent diuerſæ rationes, quas optimè nouiſſe Genuenſes agentes cauſam pro iuſtificatione contractus recurſæ teſtatur *Cardinalis de Lugo diſp. 28. de cambijs ſect. 7. num. 93.*, dum ſe declararunt, nolle defendere iuſtitiam cambij, quo pro reſtitutione pecuniæ in cambium datæ aſſignaretur creditum, quod campſor acquiſiuit ex tali cambio.

1 Rationes dubitandi circa propoſitum titulum.

Id igitur, quod controuertendum hic venit, eſt, an ſtante approbatione vltimi caſus propoſiti intelligatur factus receſſus a primi caſus deciſione, adeo vt modo poſſit iniri cambium cum directione tractæ, & remiſſæ ad Agentem campſoris, qui pecuniam dedit ad cambium, & an poſſit fieri ſolutio ex pecunia propria eiuſdem creditoris, cum eius reſpondens aliam nec habeat, nec habere poſſit in loco deſtinatæ ſolutionis, an verò reſolutio primi caſus adhuc permaneat in pleno ſuo robore, adeo vt deciſio vltima in nullo feriat eadem primam?

Ex eo, quod dicatur in propoſitione vltimi caſus, *conuengono inſieme, che Pietro ne faccia la tratta ad Antonio perſona diſtinta, e di negotio, e di credito in detta Città di Milano*, non arbitror excludi, quin tracta poſſit dirigi ad Agentem, ſeu Procuratorem creditoris, cum hic poſſit eſſe perſona diſtincta negotiatione, quatenus non vtatur pecunia eiuſdem negotiationis formaliter ad extinguendum primum cambium, & etiam credito, cum poſſit habere plura bona propria, vel ab alijs accepta, quibus idem primum cambium extinguat; vnde nos etiam *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 5. à nu. 4. ad fin.*, latè docuimus eundem reſpondentem campſoris cre-

2 Non eſt difficultas, quin tracta, & remiſſa poſſit fieri ad eundem agētē campſoris.

Digitized by Google

ditoris ex literis cambij poſſe, eſſe etiam reſpondentem campſarij debitoris ſoluendo pro ipſo debitum ex cambio contractum, prout etiam firmarunt *Leſſius de iuſt., & iure cap. 23. dub. 7. Diana tom. 1. tract. 7. reſol. 1. Sigiſmundus Scaccia de comert., & cambijs relatus à Lugo de cambijs diſp. 28. ſect. 7. num. 77. Salonius quæſt. 4. de cambijs art. 2. controu. 12. num. 5.*, ex quibus non incongruè arbitror, motiuum reprobationis primi caſus in dicta Theologorum Congregatione non fuiſſe præcisè deſumptum ex eo, quod tracta, & remiſſa fuerit directa ad eundem agentem campſoris creditoris, ſed ex eo, quod ille, ad quem fuit directa tracta, & remiſſa, non haberet pecuniam propriam, vel aliam ab illa creditoris, quæ ad eundem fuit remiſſa.

Quamobrem difficultas reducitur

3 Difficultas in eo ſiſtit, an ex pecunia eiuſdem cāpſoris poſſit fieri ſolutio in loco deſtinato.

ſolum, an ſtante approbatione vltimi caſus propoſiti (in cuius expoſitione nulla facta eſt diſtinctio, an extinctio primi cambij fiat per reſpondentem ex pecunijs proprijs eiuſdem reſpondentis, vel aliorum, an verò ex pecunia eiuſdem creditoris, quæ ipſi fuerat per eundem creditorem remiſſa) poſſit ſubſiſtere cambium, etiam ſi eiuſdem ſolutio facta ſit ex pecunia eiuſdem creditoris; cum alia non haberetur; de qua re, cum nihil expreſsè dictum fuerit in reſolutione vltimi caſus, videtur reſolutio primi in ſuo robore permanere, quod ſcilicet cambium illud non ſubſiſtat.

Ego de hac re plurima dixiſſe inuenio in præcedentibus, & primò *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. X. num. 2. ex mente Lugi de cambijs diſp. 28. ſect. 7. num. 93.* (non tamen ex propria, cum nihil ibi decreuerim) quod ſi in loco ſolutionis apud reſpondentem campſoris, non ſit, nec pecunia, nec aliud creditum præter illud, quo campſuarius ex vi cambij obligatus eſt erga campſorem, non ſit licitum illud cambium, nec licita fuit illius ſolutio. Secundò *ſub hoc eod. tit. de Cambijs II. Diſq. 2. §. 5.*, vbi diſtinguens

4 Ex pecunia eiuſdem cāpſoris ex diuerſa negotiatione poteſt fieri eadē ſolutio primi cābij.

de pecunia creditoris ſub eadem negotiatione, ſiuè ſub diuerſa dixi, quod ſi fuerit pecunia creditoris ſub diuerſa negotiatione, vtique per illam poſſit fieri ſolutio, & extinctio primi cambij, in quo conſentit *Raphael de Turri de Cambijs diſp. 3. quæſt. 13. num. 12., & 13.*, quod etiam firmauerat antecedentèr *d. diſp. 3. quæſt. 5.*, ſi verò fuerit pecunia creditoris ex eadem negotiatione *d. tit. de Cambijs II. diſq. 2. §. 5.* retuli rationes pro vtraque parte militantes; nihil tamen, quoad propriam ſententiam ex profeſſo ſtatui.

Difficultas ſolummodò eſſe poteſt, quod ea, quæ hic dicuntur de pecunia creditoris, ſiuè ex diuerſa, ſiuè ex eadem negotiatione, videntur aduerſari directè reſolutioni d. Theologorum congregationis quoad primum, & tertium caſum ab Vrbano VIII. approbatæ. Ibi- *Si Romæ, & Maſſæ vera fiat ſolutio ex legitimo mandato Didaci ab habentibus, vndè ſoluant ex proprijs, vel alienis pecunijs, quæ non ſint creditoris, cui fit ſolutio ſecundum eandem rationem banchariam permanentem*; Sed facilis poteſt ad hæc omnia eſſe reſponſio, ſingula conciliando, & primo, ſi loquamur de ſolutione in pecunia numerata, quatenus debitor in loco deſtinatæ ſolutionis effectualiter ſoluat reſpondenti campſoris, non videtur poſſe eſſe difficultas, quin ex illa poſſit recambium conſtitui, quatenus exactor tractæ poſſit ſummam exactam reddere ex recambio impetratis litteris ed eundem primum datorem literarum primi cambij; ſicuti enim nil impedit, quin eandem pecuniam, quam quis a ſuo debitore exegit in diſſolutionem debiti præcedentis, eidem eandem tradat incontinenti ex alia cauſa per textum *in l. ſi quis duos homines ff. de ſolut.*, ita etiam nihil impedire videtur, quia ille, qui nomine campſoris exegit tractam in pecunia numerata, poſſit eandem recambij nomine reddere ſoluenti, & impetrare literas ad primum debitorem cambij, in quo conſiſtit tota ratio recambij, ſeu cambij cum recurſu, quæ omnia videntur vim habere *in d. l. ſi quis duos homines ff. de ſolut.*, atque in hoc conuenit *Raphael de Turri de cambijs diſp. 3. quæſt. 3. à num. 23. ad fin.*

5 Ex pecunia numerata cāpſuarij, & debita campſori poteſt recambium conſtitui.

Si verò loquamur de ſolutione illa virtuali, tunc videtur eſſe maior difficultas, quandòquidem tunc videtur directè aduerſari ijs, quæ fuerunt decisa per allegatam Theologorum Congregationem, quoad primum, & tertium caſum in illis verbis, *ſi fiat ſolutio ab habentibus, vndè ſoluant ex proprijs, vel alienis pecunijs, quæ non ſint creditoris, cui fit ſolutio*; & quidem etiam in hoc caſu virtualis ſolutionis ſubſiſtere cambium recurſæ, non damnat ſimplicitèr *Azorius Inſtit. mor. part. 3. lib. 10. cap. 9. quæſt. 2. verſ. cæterum, quia eſt aliorum opinio*, vbi dicit quod, quamuis conſilium non daret de huiuſmodi cambio exercendo, non tamen damnaret poſt factum; ipſe tamen re vera

6 Doctores aſſerētes ex credito campſoris per virtualē ſolutionē poſſe primum cābiū ſolui, & conſtitui recābium.

ſentit

ſentit tale cambium illicitum eſſe, & Leſſius de iuſtitia, & iure, non improbabile iudicat aſſerere huiuſmodi cābium licitum eſſe, quamuis contrariam opinionem ſuſtineat. Abſolutè alij apud eundem Azorium loc.cit.ſuſtinere videntur huiuſmodi cambium ſubſiſtere, quantumuis procurator campſoris non habeat, quo ſoluat in loco deſtinato, niſi pecuniam eiuſdem campſoris etiam ex eadem negotiatione. Ad hoc aſſerendum pluribus rationibus mouentur; primo argumento negatiuo, quatenus, ſi hoc cambium illicitum eſſet, maximè hoc eſſet, quia eſſet mutuum palliatum; quid enim

7 aliud eſt dare ad cambium pro aliquo loco, in quo reſtitutio certò ſcitur non facienda, niſi per eandem pecuniam a campſore ſic datam, & deindè remittendā ad eundem campſorem, vt per campſarium reſtituatur in loco, in quo primo ipſam accepit, niſi mutuo dare eandem pecuniam, vt reſtituatur cum lucro in loco, in quo fuit recepta, ſed hoc non poteſt ſubſiſtere, quandòquidem ſolutio pecuniæ non fieret in loco, in quo primo data, & recepta eſt ex vi primi cambij, quod finitur in loco, ad quem literæ mittuntur, ſed virtute ſecundi cambij celebrati in loco, ad quem primæ literæ fuerunt directæ, quod tollit quamcunque rationem mutui. Quod, ſi dicas, non poſſe intelligi ſolutionem pro primo cambio factam in loco, ad quem literæ fuerunt primo directæ, quando interuenit ſolummodò pecunia campſoris ex eadem negotiatione, quia campſarius ſemper eſſet debitor campſoris, ſicut erat prius, & illa ſolutio ex pecunia eiuſdem campſoris in loco, ad quem fuerunt literæ directæ, eſt merè imaginaria, & pallium mutui; ſtatim impugnaberis, quia, ex quo ipſe campſor creditor ordinauit ſuo Procuratori, ſeu reſpondenti, vt ſibi ipſi nomine campſarij ſolueret, & tractam ad eundem campſarium remitteret, & ad ſe remiſſam, videtur quoquo modo fideiuſſiſſe pro eodem campſario, & ſi campſarius poterat ex alterius amici pecunia ſoluere, cur non potuit etiam ſoluere ex pecunia eiuſdem campſoris?

Hoc cābium per eoſdem DD. non eſſet mutuū palliatum, & quare.

8 Secundò ea ratione mouentur, quià eadem Theologorum Congregatio approbauit cambium iuxtà vltimum modum expoſitum, in quo idem campſor creditor promiſit campſuario, quod reſpondens eiuſdem campſoris ſoluet in loco deſtinato tractam ad ipſum remiſſam. Ibi: *S'aggionge vna circonſtanza, che Gioanni promette à Pietro, che Antonio in Milano compirà la ſua tratta*, ergo, nec erit improbandum cambium, quo reſpondens campſoris ſoluit in loco deſtinato ad ſolutionem pecuniæ eiuſdem campſoris. Conſequentia hæc euincitur, quia campſor promittendo ſolutionem per ſuum reſpondentem ponendam in loco ſolutionis, ſe ipſum obligat ad talem ſolutionem, ergo, ipſe tenetur illam ſolutionem ponere in defectum reſpondentis, quod vtique præſtaret per ſuam pecuniam, ergo, etiam ipſe reſpondens poterit ſoluere ex pecunia eiuſdem campſoris. Confirmatur, quia campſor promittendo campſuario, quod per ſuum reſpondentem tracta ſoluetur obligat ſuam fidem ad ſolutionem, adeòque ſe ipſum, & ſuam pecuniam pro ſolutione, ergo, eiuſdem campſoris pecunia illud cambium poterit diſſolui.

Campſor promittendo, quod debitū cāpſuarij ſoluetur in loco deſtinato, ſe ipsū obligat, & ſua bona ad talem ſolutionem.

Tertiò ex eo mouentur, quia correſpondens campſoris poteſt cambium diſſoluere per pecuniam propriam, vel alienā, quam ſcilicet recipit ab amico, ergo, etiam poterit illud diſſoluere per pecuniam eiuſdē campſoris quantumuis ex eadem negotiatione; ſi enim poteſt exigere pecuniam ab amico, & illa mediante diſſoluere primum cambium, cur non poterit quodamodo à campſore exigere, & illa diſſoluere?

Ad hoc argumentum reſpondet *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 10. c. 9. quæſt. 2. verſ., at obijciet quiſquam*, quod quando reſpondens campſoris in loco deſtinato ad ſolutionem cambij ſoluit vel ex ſua, vel ex aliena pecunia mutuum non eſt, ſed cambium ſecundū, quod idem reſpondens init in eodem loco ſolutionis gratia campſuarij, quia idem reſpondens ſuam pecuniam, vel alienam commutat cum pecunia abſenti, quam campſarius in loco, in quo eſt celebratum primum cambium, eſt ſoluturus, & perindè eſt cambium diſtinctum ab eo, quod fuit primo celebratum, & ita ex illo ſecundo cambio campſarius factus eſt debitor non eiuſdem campſoris, ſed reſpondentis eiuſdem, vel alterius; quando vero reſpondens campſoris in loco deſtinato ſoluit pecunia eiuſdem campſoris, mutuum eſt, non cambium, quia campſuarius ſemper remanet debitor campſoris, ſicuti prius erat; ſed non de facili acquieſcerē huic reſponſioni; quia, quantumuis adhuc remaneret campſarius debitor campſoris, non propterea poteſt dici mutuum, cum non remaneret debitor

9 Reſpondens cāpſoris quodamodò recipit mutuam pecuniā eiuſdem, vt ſoluat pro campſuario.

10 Nōnulla obiecta Azorij, & eorū ſolutiones.

campſoris ex primo cambio, ſed ex ſecundo inito in loco, in quo facta fuit prima ſolutio, ſeu deſtinato ad primam ſolutionem, & ſicuti, ſi quis mihi daret mutuos centum nummos aureos, vt totidem ipſi ſoluerem, quæ debebam ex priori mutuo, ego remanerem obligatus ad ſoluendos illos centum non ex vi primi mutui, quod intelligitur extinctum, ſed ex vi ſecundi, ità ſi quis mihi concederet ad cambium centum nummos aureos, vt ſoluerem totidem, quibus teneor ex primo cambio, debitor illius ſummæ vtique ero ex vi ſecundi cambij, non ex vi primi, cum hoc ſolutum intelligatur, & ſi poſſum accipere mutuo ſecundo, vt ſoluam primum, & remanere debitor ex ſecundo, non ex primo, cur non potero accipere ad cambium ſecundo, vt ſoluam primum, & remanere debitor ex ſecundo?

Vrget idem *Azorius loc. cit. verſ., at obijciet quiſpiam in fine* in hypotheſi, de qua loquimur, non poſſe eſſe cambium, ſed merum mutuum, quia ex pacto primi cambij campſarius obligatur ad ſoluendum in loco, in quo ipſe primo acceperat pecuniam ad cambium. Sed contra ex hoc fit tranſitio à ratione ad rationem. Scopus; circa quem verſantur allegatæ rationes, in eo conſiſtit, quod ex pecunia campſoris poſſit ſolui cambium primo initum, quatenus adhibetur creditum eiuſdem campſoris ad ſoluendum debitum campſuarij, & modo difficultas refunditur in pactum, ratione cuius campſuarius obligatur ad ſoluendam negotiationem in loco, in quo primum cambium initum eſt; Ad hoc dicam quod, ſi ex vi talis pacti cambium verteretur in mutuum, vt videtur aſſerere *idem Azorius*, actum eſſet de cambio recurſæ, cum ex vi eiuſdem negotiatio per ſolutionem ſit ſoluenda in eo loco ſaltem regularitèr loquendo, in quo primum cambium celebratum eſt; Quod ſi repetas, quod in cambio recurſæ ſimplicitèr primum cambium diſſoluatur in loco deſtinato, & nouũ contrahatur diſſoluendum in loco, in quo primum fuerat celebratum, & ipſi repetunt, quod etiam in caſu, de quo loquimur, primum cambium diſſoluatur in loco deſtinato per ſolutionem illam virtualem ex credito ipſius cãpſoris quodamodo conceſſo ſuo reſpondenti, & deindè nouum ineatur cum remiſſa tractæ ad eundem campſuarium, vndè difficultas non fundatur in eo, quod ex vi pacti ſolutio vltima ſit facienda in loco, in quo primum cambium fuit celebratum, cæteroqui iniquum eſſet cambium recurſæ, ſed in eo, quod ſolutio fiat ex credito campſoris in loco deſtinato, quod vtique fieri poſſe ex allegatis rationibus innoteſcit.

Quarto ex eo mouentur, quia inito primo cambio, quo tracta remittitur ad reſpondentem campſoris, nulla eſt difficultas, quin idem reſpondens mutuo accipiat a campſore creditũ, quod habet aduerſus campſarium, & illud hoc titulo mutui acceptum refundat in gratiam campſuarij in extinctionem debiti eiuſdem ex primo cambio, ſicuti enim, vtſupra dicebamus, ego debitor ex mutuo erga alterum poſſum ab eodem altero aliam ſimilem ſummam accipere, & eadem extinguere primum debitum, in quo caſu remaneo ſolum debitor ex ſecundo, non ex primo, ità non eſt, cur inito primo cambio media perſona reſpondentis cãpſoris nõn poſſim accipere mutuo ab eodem campſore illam ſummam, & medio illo mutuo ſoluere primum cambium, & nouum celebrare, ergo &c. Confirmatur ex ijs, quæ docet *Turri de cambijs diſp. 3. quæſt. 4. num. 9., & 10.*, nempè in recambio miniſterio nouationis poſſe interuenire cum identitate ſubiecti diuerſitatem formæ, cum nihil impediat debitorem tractæ per ipſum acceptatæ loco ſolutionis per numerationem pecuniæ, qua cambium perficitur, eandem ſummam per nouum cambium ſibi imputare in cauſam pretij eiuſdem, & ſic nouando eam recambiare, ergo &c. 11 In hoc caſu illius virtualis ſolutionis reſpõdens cãpſoris conſtituitur debitor eiuſdem, & quomodò.

Procedentes poſtea ad reſolutionem dictę Congregationis Theologorum ſub Vrbano VIII. ſuper primo, & tertio caſu dicunt, vel eandem reſolutionem ad primum caſum ſaltem in ea parte, de qua hic agitur, intelligi implicitè reuocatam per reſolutionem caſus vltimo loco expoſiti; cum etenim in eadem approbetur caſus, quo tracta, & remiſſa fit ad eundem reſpondentem campſoris, & in quo idem reſpondens admittit ſcripturam illius partitæ in debitum campſuarij, & in creditum campſoris addita etiam circumſtantia, qua campſor ſe ipſum obligat, ſuamq; fidem, quod reſpondens illam partitam perſoluet in loco deſtinato ad ſolutionem, videtur etiam implicitè approbari caſus, quo idem reſpondens perſoluit in loco deſtinato primũ cambium ex credito campſoris, quia ſic adimplet onus, ad quod quodamodò, 12 Reſponſio ad deciſionem Theologorũ ſub Vrbano VIII.

Digitized by Google

modò, ſe obligauit idem campſor, cum etenim promiſerit ſolutionem in loco deſtinato, ſe, ſuaq; obligauit ad illam; vel fortè etiam dicunt reſolutionem primi caſus procedere ſolum, quando creditum campſoris perſeuerat formalitèr, vt idem, non autem quando, vel fuit versũ titulo mutui in eundem reſpondentem campſoris, vel fortè etiam nouatione in alium titulum traslatum, quod fortè eſt id, quod voluit innuere eadem Theologorum Congregatio, dum in reſolutione tertij caſus dixit, *ſi fiat ſolutio ab habentibus, vndè ſoluant ex proprijs, vel alienis pecunijs, quæ non ſint creditoris, cui fit ſolutio, ſecundum eandem rationem banchariam permanentem*; non enim poteſt dici permanere eadem ratio bancharia, quando fuit conceſſa titulo mutui, vel nouata.

Confirmant vltimo, quia, quando campſor ordinat ſuo reſpondenti, vt recipiat remiſſam debiti campſuarij, quodamodò deponit ſuum creditum apud reſpondentem, vndè, ſicuti depoſitarius iuxtà alibi dicta poteſt, vti pecunia deponentis ad ſua negotia obeunda, dummodò paratus ſit ipſam reſtituere, ità poteſt, vti eodem credito depoſito ad ſatisfaciendum primo cambio, vndè poſtea ipſe reſpondens conſtituitur debitor illius ſummæ erga campſorem, quod eſt id, quod conſiderauit *Turri de cambijs diſp. 3. quæſt. 14.*, dum dixit facta tali virtuali ſolutione ipſum reſpondentem remanere debitorem campſoris.

Quod, ſi dicatur, poſita hac doctrina actum eſſet de vſuris, quandòquidem omnia cambia, quantumuis ſicca, omnia mutua, quantumuis cum lucro poſſent iuſtificari, & ex conuentione partium mutato nomine contractus reduci ad hanc formam contrahendi; petenti enim mutuum poſſet quis reſpondere, ſe velle dare ad cambium iuxtà hunc modum, in quo reſpectu recipientis non alia obligatio conſurgeret, quam illa mutui, & propterea recipiens eidem formæ non repugnaret. Statim reſpondent, quod hæc inſtantia nimis probat; probat enim, quod nec poſſet contrahi cambium recurſæ per ſolutionem virtualem faciendam in loco deſtinato ex pecunia campſoris ex alia negotiatione, quandòquidem etiam petenti mutuum poſſet offerre cambium recurſæ, in quo primum cambium extingueretur per ſuam pecuniam ex alia negotiatione; quinimmò, nec licitum eſſet cambium diſſoluendum ex pecunia amici eiuſdem campſoris &c. Quamobrem dicunt, inter hoc cambium ſecundum hanc formam initum, & inter mutuum cum lucro intercedere hoc diſcrimen, quod in primo ſit permutatio pecuniæ præſentis cum abſenti cum virtuali traiectione, in loco deſtinato ſit æquiualenter ſolutio, & diſſolutio primi cambij cum celebratione ſecundi, & tranſmiſſione tractæ, & reſpectiuè remiſſæ eiuſdem; in ſecundo verò ſolum ſit conceſſio pecuniæ, cum dilatione temporis, & quidem cum lucro ſine rationibus idem lucrum cohoneſtantibus.

Ex dictis, tum in hac prænotione, tum *ſub tit. de Cambijs II. Prænot.* 10., *& Diſq. II. §. 5.*, patet, quam ſit difficultatibus inuoluta hæc controuerſia. Nobis ſufficiat pro vtraque parte rationes retuliſſe. Videant, qui legunt, quænam rationes magis concludentes ſint, & pro ſua prudentia iudicent, quænam opinio ſit magis veritati congrua.

PRÆNOTIO XIII.

An cambium recurſæ cum limitato intereſſe ſit licitum.

SVMMARIVM.

Repetitur ſecundus caſus propoſitus eidem Theologorum Congregationi cum ſua reſolutione. 1.
Hæc reſolutio non tangit dubium, quod in ſecundo caſu propoſuit Reſpublica Genuenſis. 2.
Hoc cambium recurſæ cum limitato intereſſe approbatur per eandem Theologorum Congregationem. 3.
Conditiones in fauorem debitorum non reprobantur. 4.

Hic recolenda ſunt ea, quæ in ſecundo caſu per Rempublicam Genuenſem propoſita fuerunt Vrbano VIII., iuxtà ſeriem in prænotione vndecima quoad eundem ſecundum caſum expoſitam in his terminis.

1 *Sopra il caſo ſudetto ſenza variar forma, ne ſoſtanza, s'è introdotto d'aſſicurare con nuouo contratto, ò sij limitare l'intereſſe, che da vna fera all'altra non poſſa eccedere &c.* Repetitur propoſitio ſecundi caſus cũ ſua reſolutione.

Super quo emanauit illa reſolutio per prædictam Congregationem, nempè *Propoſito hoc ſecundo caſu intereſſe limitati iuxtà modum expoſitum, & in eadem Congre-*

gregatione diſcuſſo Domini pariter cenſuerunt, non ſubſiſtere, cum innitatur primo.

Reſpublica Genuenſis per propoſitionem huiuſmodi caſus voluit præciſè edoceri, an pactum de hoc limitato intereſſe eſſet licitum, nec ne, neque enim intendit reſolutionem circa formam, & ſubſtantiam primi, cum de tali forma, & ſubſtantia deciſionem petijſſet in primo, & tamen eadem Cõgregatio omiſſo principali intento in hoc ſecundo caſu de tali limitato intereſſe ſolum reſpondit ad prædictam formam, ſcilicet non ſubſiſtere, cum innitatur primo. Cum autem nos in præcedenti prænotione in pluribus caſibus, idem cambium iuxtà primum modum initum à quacunque labe deputauerimus, quod etiam præſtitit eadem Theologorum Congregatio declarans caſum vltimo loco propoſitum (qui certè non valdè differt a primo) ſubſiſtere, remanet modo inquirendum, an inficiatur ex eo, quod fuerit initum cum tali limitato intereſſe, iuxtà modum in tali ſecundo caſu expoſitum.

2 Hæc reſolutio non tangit dubium, quod propoſuit in ſecundo caſu Reſpublica Genuenſis.

Quoad hoc non videtur amplius ambigendum, cum eadem Theologorum Congregatio in vltimo caſu eidem expoſito ipſum approbauerit, & ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum circumſtantias. Ibi *Poſt diligentem diſcuſſionem, dixerunt, nihil in prædictis caſu, & circunſtantijs contineri, quominus licitè practicari poſſint*; inter circunſtantias autem hæc numerabatur. *Se n'aggionge vn'altra, che Gioanni promette à Pietro, che nella tratta, che eſſo fà à Milano, come ſopra, l'intereſſe non eccederà vn tanto per cento, conforme eſſi accorderanno inſieme, con conditione però, che ſe il cambio riſpondeſſe meno, sij ſolamente quello haurà riſpoſto*; ex quibus clarè eruitur ſecundum mentem eiuſdem Congregationis hoc intereſſe limitatum in cambio etiam recurſæ licitè poſſe conueniri, & exigi.

3 Hoc cambium recurſæ cũ limitato intereſſe approbatur per eandem Congregationẽ.

Difficultas ſolummodò aliqua videtur eſſe, vel in eo, quod ſtante illa conditione, *che ſe il cambio riſpondeſſe meno, sij ſolamente quello, che haurà riſpoſto*, non videtur eſſe æqualis vtriuſque contrahentis conditio, quandòquidem per conuentionem de illo intereſſe limitato, videtur intereſſe incertum, quod poteſt eſſe ex illo cambio, commutari cum certo limitato, compenſando ſpem cum periculo; non poteſt autem eſſe ſpes, & periculum æquale, quando, ſi cambium minus reſpondeat, non niſi illud, quod minus reſpondet, conferendum eſt, ſi autem quid maius ſupra conuentum reſpondeat, non niſi conuentum eſt erogandum, vt per ſe patet, vel in eo quod per conſtitutionem Pij V. ſupra allegatam quæcunque conuentio de lucro certo prohibita eſt. Sed vtraque difficultas poteſt de facili dirimi, ſi aduertatur illam conditionem fauorabilem eſſe campſuario debitori, aduerſus quem ſolummodò poſſunt eſſe fraudes, quas Pius V. in ſua conſtitutione ſuper hoc edita voluit auertere, ne, ſupra quam æquum ſit, debitor ex cambio per grauetur; vndè quoad primum de illa inæquali conditione contrahentium dicendum eſt, non poſſe illam inæqualitatem in hoc caſu conſiderari, quia in taxando intereſſe, in contractu, qui non habet illud determinatum, ſed poteſt eſſe maius, vel minus ſecundum copiam, vel inopiam nummorum, conditio debet ſemper eſſe fauorabilior debitori ex propria cõditione, adeoque ſemper attendendum eſt id, quod ipſi minus graue eſſe poteſt, ſicque mirum non eſt, quod non poſſit obligari ſupra id, quod minus reddit ipſum cambium, & poſſit ex conuentione eximi à maiori obligatione, quando cambium reddit ſupra conuentum; Quoad id, verò quod dicitur de conſtitutione Pij V. dicendum eſt, ipſum voluiſſe, ſolummodò tollere fraudes, quæ poſſunt contingere in præiudicium debitoris ex cãbio, adeòque demere conditiones, quæ ſunt campſori fauorabiles, non eas, quæ ſunt vtiles campſuario; cæteròqui id, quod in iſtius fauorem inductum eſt retorqueretur in ipſius odium.

4 Conditiones in fauorem debitorũ non reprobantur.

PRÆNOTIO XIV.

An cambium continuationum ſecundum ſe ſit licitum.

SVMMARIVM.

Repetitur reſolutio eiuſdem Congregationis ſuper tertium caſum. 1.
Sententia reprobans continuationem cambiorum tanquam iniuſtam. 2.
Rationes pro hac ſententia. 3.
Illud, quod eſſet perfectio contractus, eſſet etiam ſubſtantia. 4.
Non ſeruaretur æqualitas ad naturam contractus requiſita. 5.
Repugnat diſpoſitioni Pij V. 6.
Et damnatur tanquam vſurariũ à Pio IV. 7.
Sententia approbans hanc cambiorum continuationem, & præfertur. 8.

Appro-

Digitized by Google

Approbationes eiuſdem ſententiæ. 9.
Non eſt repugnantia quin id, quod eſt perfectio extrinſeca reſpectu vnius, ſit ſubſtantia reſpectu alterius. 10.
Æqualitas attendenda eſt in ordine ad vtrumque contractum. 11.
Non damnatur hæc continuatio per Pium Quintum. 12.
Nec per Pium IV. 13.
Hæc continuatio debet eſſe libera, quatenus non obligetur campſuarius ad perſeuerandum in recambijs. 14.

IAm aggredimur examinare caſum tertio loco expoſitum Vrbano VIII. per Rempublicam Genuenſem, & excuſſum, & deciſum per eandem Theologorum Congregationem ſub die 4. Iunij 1627. ſub his terminis.

1 Repetitur reſolutio eiuſdem congregationis ſuper tertium caſum.

Diligentèr perpenſo tertio caſu in dicto Memoriali Domini dixerunt, tertium caſum, qui dicitur cambium continuationum ſubſiſtere, ſi Romæ, & Maſſæ vera fiat ſolutio ex legitimo mandato Didaci ab habentibus, vndè ſoluant ex proprijs, vel alienis pecunijs, quæ non ſint creditoris, cui ſit ſolutio ſecundum eandem rationem banchariam permanentem, ità tamen, vt continuatio permaneat ſemper libera iuxtà conſtitutionem felicis recordationis Papæ Pij V., in reliquis etiam omnibus ſeruandam; non verò ſubſiſtere, dum cambia, quæ continuantur, fiunt ſecundum modum in primo caſu propoſitum.

Reſpublica Genuenſis, quæ reclamauerat circa primum, & ſecundum caſum propoſitum, circa deciſionem huius tertij caſus nullum recurſum habendum eſſe cenſuit; habita etenim declaratione ſuper primo, & ſecundo iam in votis habebat quidquid circa tertium exigebat. Nos rem adamuſſim examinantes vberioris doctrinæ gratia ſub hoc titulo inquiremus primo, non ſecundum aliquas factorum ſpecies, ſed re ſecundum ſe cõſiderata, prout importat præciſè continuationem cambiorum, an præferat aliquam iniuſtitiæ labem, an fœdetur aliqua nota? Secundo quid importat illa clauſula, *ità tamen, vt continuatio permaneat ſemper libera*.

2 Sententia reprobãs cõtinuationem cambiorum.

Pluribus rationibus plerique ſuppreſſo nomine *apud Raphaelem de Turri de Cambijs diſp. 3. quæſt. 2. à num. 2. ad 8.* cõtendunt probare iniuſtitiam huiuſmodi contractus continuationum, quem ipſe Turri appellat duplicationem cambij. Primo, quia quotieſcunque fit conuentio circa aliquem contractum, in qua conuentione veniant ea, quæ ſunt incompatibilia cum ſubſtantia contractus, tunc contractus ille ſecundum ſuam ſubſtantiam corruit, ſed in continuatione cambiorum, qua cambia continuata ſunt præſcindendo à quacumque facti ſpecie, aliqua interueniunt, quæ ſunt incompatibilia cum ſubſtantia contractus, quandoquidem id, quod eſt ex genere ſuo perfectio contractus, eſſet etiam ſubſtantia eiuſdem, quod eſt impoſſibile, quod autem id, quod eſt perfectio, eſſet ſubſtantia actus ſic euincitur, quia ſolutio eſt complementum, & perfectio primi cambij, hæc autem eadem ſolutio in ordine ad continuationem, ſeu duplicationem aſſumit naturam pretij, & ſic fit ipſa ſubſtantia contractus.

3 Rationes pro hac ſentẽtia.

4 Illud, quod eſſet perfectio cõtractus eſſet etiã ſubſtãtia.

Secundo, quia in continuatione cambij non ſeruatur æqualitas, & iuſtitia requiſita ad ſubſtantiam actus, quandoquidem non eſt eadem quantitas in recambio, quæ fuit in cambio, ſed maior aucta ſcilicet lucro, quod verè, & formalitèr reſultat ex recambio.

5 Non ſeruaretur æqualitas ad naturam contractus requiſita.

Tertio, quia hæc cambiorum continuatio videtur expreſsè aduerſari menti, & verbis Pij V. fel. record. in præallegata eiuſdem conſtitutione damnantis cambia, quibus, qui recipit pecuniam, literas quidem cambij dat, ſed non mittuntur, vel ita mittuntur, vt tranſacto tempore, vndè proceſſerant, inanes referantur, & pecunia ibi denique repoſcitur cum intereſſe, vbi cõtractus fuerat celebratus, quandoquidem hæc cambiorum continuatio ad id videtur ordinari, vt circumſcripta quacumque ſolutione facienda in loco deſtinato vigore prioris cambij, eadem ſumma cum intereſſe exigatur in loco primi cambij.

6 Repugnat diſpoſitioni Pij V.

Quarto, quia huiuſmodi cambiorum duplicatio præciſa etiam quacunque facti ſerie prohibita eſt tanquam vſuraria ſub pœna excommunicationis maioris latæ ſententiæ à Pio IV.

7 Et damnatur à Pio IV.

His tamen non obſtantibus ſit

ASSERTIO. Hæc cambiorum continuatio, ſeu duplicatio ſecundum ſe conſiderata, & præciſa quacunque facti ſpecie nullam iniuſtitiam continet, quinimmò tanquam omninò iuſta à ſummis Pontificibus approbatur. In hanc conſentiunt communitèr, tam Theologi, quam iuris interpretes, & hoc ſuadet communis Mercatorum praxis ſcientibus Eccleſiæ Prælatis, nec contradicentibus; inter cæteros hoc ſingularitèr docet *Raphael de Turri de Cambijs diſp. 3. quæſt. 2. per totum*, vbi

8 Præfertur ſententia approbãs hanc cãbiorum continuationem.

etiam

Digitized by Google

etiam reſpondet omnibus aduerſantium rationibus. Idipſum nos latè docuimus *ſupra de Cambijs II. prænot. 5. ferè per totum*, vbi latè probauimus aſſertionem, & à contrarijs omnibus vindicauimus.

Addo ſolummodo pro complemento probationum ijs, quę ibi dicta ſunt,

9 *Approbationes eiuſdem ſententiæ*

hanc praxim, ſeu modum cambiendi cum continuatione approbatum eſſe ex reſcripto Pij V. ad Bononienſes prout notat *Comitolus reſp. mor. lib. 3. quæſt. 15. nu.* 10. item per ſacram Congregationem regnante, & approbante Gregorio XIII. in reſcripto ad Archiepiſcopum Panormitanum anno 1574. de quo meminit *idem Comitolus loc. cit*; tandem approbatũ eſt per Vrbanum VIII. in reſponſione ad tertium, & quartum caſum, vbi aliqua recambia fuerunt, vt licita declarata; ex quo infero, quod recambia, vt recambia ex genere ſuo ſint quacunque labe iniuſtitiæ immunia, nam, ſi vt talia præferrent aliquam labem, nullum recambium poſſet eſſe ſine tali labe, quia, quod eſt ex genere ſuo tale, ſemper, & in quocunque caſu debet eſſe tale; cum igitur recambia, de quibus in tertio, & quarto caſu propoſitis Vrbano VIII., non contineant aliquam fœditatem, recta conſequentia deducitur, quod recambia, vt talia nulla labe inficiantur.

Nunc remanet hæc aſſertio ab oppoſitis vindicanda.

10 *Non eſt repugnãtia, quin idem reſpectu vnius ſit perfectio, & reſpectu alterius ſubſtãtia.*

Ad primum fateor, quod ſecundum eandem rationem, & in ordine ad eundem contractum id, quod eſt præcisè perfectio eiuſdem, non poſſit eſſe ſubſtantia, nego autem quod id, quod in ordine ad vnum contractum eſt extrinſeca perfectio, non poſſit eſſe ſubſtantia reſpectu alterius; ſic in caſu de quo loquimur, ſcutus marcharum, qui eſt perfectio extrinſeca primi cambij tanquã res deducta in primo contractu, in ſecundo interuenit, vt pretium, & ſic eſt ſubſtantia propria eiuſdem, ſicque idem deſeruit ad duplicem contractũ cambij, ſed ſub duplici formalitate, & in actu omnino ſeparato.

11 *Æqualitas attendenda eſt in ordine ad vtrũq; contractum.*

Ad ſecundum dicendum eſt, æqualitatem, quæ ſeruanda eſt in cambio continuationum, nõ eſſe attendendam in ordine ad primum cambium præcisè, adeò vt tanta debeat eſſe quantitas in ſecundo, quanta præcisè eſt in primo, ſed attendendam eſſe in ordine ad vtrumque contractum, prout eſt ſpecificatum à circunſtantijs temporis, locorum, alijſque, de quibus ſparſim in pręcedentibus, quæ circunſtantię, cum vt plurimum in vtroque varientur, variant etiam quodamodo intereſſe.

Ad tertium negandum eſt, hanc duplicationem cambij aduerſari menti Pij V. in allegata conſtitutione, ſi ſecundum ſe, & ſecundum rationem duplicationis præcisè ſumatur, licet eidē quandoque aduerſetur ſecundum ali- **12** *Nõ damnatur hec cõtinuatio per Pium V.*

quam facti ſpeciem, à qua abſtrahit noſtra aſſertio, & licet vltimata ſolutio ſit facienda in loco, in quo initus eſt primus contractus, non propterea contractus cadit ſub illa Pontificis diſpoſitione, quod, vt clarius dignoſcatur, attende verbis eiuſdem Pontificis, ibi, *Pecunia ibi denique cum intereſſe repoſcitur, vbi contractus fuerat celebratus, nam inter dantes, & recipientes vſq; à principio ità conuenerat, vel certè talis intentio erat, neque quiſquam eſt, qui in nundinis, aut locis ſupraſcriptis huiuſmodi lucris receptis ſolutionem faciat*; ex quibus dignoſces, non ideo Pontificem damnare contractum recambij, quia in eodem loco pecunia repoſcatur cum lucro, in quo primus contractus fuit celebratus, ſed ideo, quia in nundinis, aut locis ſupraſcriptis nulla facta fuit ſolutio, quod non militat in caſu continuationum, de quo nos loquimur, cum in hoc ſupponatur in nundinis, vel locis &c. interueniſſe veram, ſeu æquiualentem ſolutionem, & pecunia, quæ repoſcitur in eodem loco primi contractus, non eſt ex vi eiuſdem primi contractus, cum hic intelligatur in nundinis diſſolutus, ſed ex vi ſecundi &c.

Ad quartum dicendũ eſt, Pium IV., **13** *Nec per Pium IV.*

non damnaſſe in illa conſtitutione tanquam fœneratitium recambium, quatale eſt, ſed vti continens nimis exceſſiuam pretij taxationem, quod colligitur ex verbis conſtitutionis eiuſdem Pontificis Ibi. *Non ſolum ad pretium eiſdem Mercatoribus à Summis Pontificibus noſtris Prædeceſſoribus retroactis temporibus toleratum pecunias ſuas &c.*, per quæ verba ſupponit, quod Mercatores prætergredientes illud pretium à Prædeceſſoribus toleratum ex ſua ingluuie immoderatum expoſcerent.

Dixi *duplicatio ſecundũ ſe conſiderata, & præciſa quacunq; facti ſpecie*; non enim negauerim ſecundũ aliquã ſpeciem facti, & ſecundum aliquam circunſtantiã huiuſmodi contractum poſſe infici. Si autem inquiras, in quanam facti ſpecie, & quanam circunſtantia inficiatur, tunc te remittam ad conſtitutionem eiuſdem Pij V., & ad ea, quę dicta ſunt

ſub

Digitized by Google

ſub hoc eodem titulo Contractus V. de Cambijs I. Prænot. 6. per tot.

Examinata iam iuſtitia cambij continuationum ſecundum ſe, quam etiam cognouit eadem Theologorum Congregatio, nunc examinandam proponimus conditionem quam eadem Congregatio in reſolutione appoſuit, *ità tamen, vt continuatio permaneat ſemper libera*, inquirentes, quid propriè veniat nomine talis conditionis, & quid ſignanter per illam præcipiatur? Pro quo ſit

ASSERTIO II. Per hanc conditionem prohibetur, ne imponatur onus debitori cambij, ratione cuius non poſſit pro libertate ſe eximere ab onere recambiendi, quotieſcunque voluerit, ſeu quod idem eſt prohibetur conuentio per quam obligatur ille, qui recipit ad cambium ad perſeuerandum in re-
14 cambijs. Conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt ſupra *de Cambijs II. diſq. 2. §. 2. n. 4.*, iuxtà DD. ibi allegatos. Rationes ibidem adductæ plenè hanc aſſertionem euincunt; illud enim onus recambiendi, ſeu conſtituendi nouum cambium, vt potè quod importat obligationem eiuſdem, eſt ſecundum ſe pretio æſtimabile, adeòque, ſi imponatur vltra reſtitutionem ſortis, vſurariè imponitur. Adde, quod, ſicuti vſuraria eſt conuentio, qua mutuans obligat mutuatarium vltra reſtitutionem ſortis ad emendas res ab ipſo mutuante, vel ad molendum in ipſius Molendinis per ea quæ docuimus *tom. I. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſur. Prænot. 10. aſſert. 3. num. 2.*, ità videtur vſuraria conuentio, qua creditor ex cambio, ſeu dans pecuniam ad cambium ciuiliter obligat eum, qui recipit, ad nouum cambium ineundum cum ſe ipſo, & ſoluendum ex ipſo lucrum.

Hęc continuatio debet eſſe libera, quatenus non obligetur cāpſarius ad perſeuerandum in recābijs.

De Praxi cambiorum continuationum latè agit *Ioannes Dominicus Peri in ſuo negotiatore part. 2. cap. 11. per totum*, ad quem vtpotè maximè verſatum in huiuſmodi negotiationibus, & formis earundem vos remitto.

PRÆNOTIO XV.

Expenditur ſententia Michaelis Salonij circa continuationem cambiorum, & cenſura Raphaelis de Turri aduerſus ipſum.

SVMMARIVM.

Refertur caſus ſeries per extenſum, quam ſibi figurat Salonius. 1.
Referuntur etiam circunſtantiæ, quas idem adijcit caſui. 2.
Concluſio eiuſdem qua damnat huiuſmodi recambia tanquam vſuraria. 3.
Quando non eſt facta conuentio, vt, ſi literæ non fuerint ſolutæ in loco deſtinato, remittantur cum intereſſe, aſſerit Salonius, non poſſe exigi intereſſe, & qua ratione. 4.
Item dicit fieri cum maxima iniquitate, & quarè. 5.
Item aduerſari conſtitutioni Pij V. 6.
Cenſuræ Raphaelis de Turri contra Salonium. 7.
Damnat primo, quia in illo cambiendi modo Salonis agnoſcit recambium. 8.
Secundo in eo, quod non exprimat perſonam, cui dirigitur tracta, & remiſſa. 9.
Tertio in eo, quod duplex confingat intereſſe, cum vnum tantum debeatur. 10.
Quarto in eo, quod proteſtationes appellat figmenta. 11.
Quinto in eo, quod dicat literas redire ſimpliciter, cum redeant cum proteſtatione. 12.
Sexto in eo, quod dicat eſſe neceſſariam conuentionem de intereſſe. 13.
Septimo in eo, quod Salonius dicat deberi intereſſe de intereſſe. 14.
Octauo in rationibus, quas Salonius adducit. 15.
Nono in eo, quod aſſerit, non poſita conuentione de intereſſe illud non deberi. 16.
Nullibi Salonius ſtatuit in illa forma cambiendi conſiſtere recambium, quin potius contrarium ſuſtinuit. 17.
Non fecit mentionem de perſona, cui dirigitur tracta, & remiſſa, quia hæc ex genere contractus ſupponitur. 18.
Communius admittitur duplex intereſſe, vt etiam fatetur Raphael de Turri. 19.
Quod illæ proteſtationes appellentur figmenta, eſt quæſtio de nomine. 20.
Simplex cambium ex qualitatibus ſibi annexis eſt meritorium lucri. 21.
Quamuis intereſſe tranſeat in ordine ad ſuccedentia cambia in ſortem, comparatiuè tamen ad primam ſortem dicitur lucrum, ſeu intereſſe. 22.

Arguitur Raphael de Turri de imputatione, & de inconſequentia. 23.
Salonius non dicit, quod conuentio cambiendi, & recambiendi in caſu non ſolutionis ſit recambium. 24.
Sed dicit habere vim mutui, nec deberi intereſſe. 25.
Fallit tamen in eo, quod aſſeris non deberi intereſſe, quia illa conuentio eſt ex neceſſitate. 26.
Pontifex damnat ſolum conuentionem de certo, & determinato intereſſe. 27.
Non poteſt fieri cambium à Valentia in Hiſpalim, & ab Hiſpali in Valentiam cum æquali lucro, & quarè. 28.
Nulla poſita conuentione cambiendi, & recambiendi in caſu non poſitæ ſolutionis, non poteſt debitor obligari ad intereſſe cambiorum, & recambiorum. 29.
Sed ad ſummum ad intereſſe lucri ceſſantis. 30.
Quando campſor eſt certus de non futura ſolutione in loco destinato cambium eſt ſiccum. 31.
Quando verò campſor eſt dubius, & dubium eſt negatiuum, etiã eſt ſiccum. 32.

MIrum eſt, quam ſub apparentibus Theologorum præconijs eos intimè lædat Raphael de Turri. Attollit, vt deprimat. Commendat, vt damnet. Doctiſſimos paſſim in ſuo Codice appellat, ſed crebrò eorum doctrinam contemnit. Non eſt meum hoc in loco Theologos ab huiuſmodi conuitijs vendicare, ſed examinare, an quæ dixerint, vero iuris fundamenti innitantur, an minus firmo, & per conſequens, an idem Turri iuſtè in eorum dictis eos impetat, an verò immerito, & temerè.

Signanter primo loco circa hanc cambiorum duplicationem in pluribus impetit Michaelem Salonium, quem præmiſſa laude ſub appellatione doctiſſimi Theologi, & auctoris damnat poſtea de ignorantia praxis cambiorum, iuris, & ſubſtantiæ contractus. Videamus, an rectè in ſua cenſura procedat.

1 Refertur caſus ſeries, quã ſibi figurat Salonius.

Supponit primo idem Raphael de Turri *Salonium quæſt.4. art.2. controuerſia decimaquarta* formam recambijs ſibi ità figurare. *Cum campſuarij literis à Valentia in Metinam datis non exiſtat Metinæ, qui illas admittat, & recipiat vel velit illas acceptare, vel ſi ab aliquo illæ recipiantur, non perſoluuntur, factor campſoris factis quibuſdam proteſtationibus, ſeu figmentis, quibus conſtet in loco ſolutionis literas illas à nemine fuiſſe admiſſas, vel ſolutas remittat eaſdem ad campſorem Valentinum cum alio nouo intereſſe ſuperaddito; Quo fit, vt duplex intereſſe in hoc contractu à miſero campſuario exigatur, aliud ratione cambij celebrati à Valentia Metinam, aliud verò ratione literarum illarum, quæ, cum Metinæ admiſſæ non fuerint, vel non ſolutæ in Valentiam fuere remiſſæ, quam remiſſionem literarum cum hoc ſecundo pretio, & intereſſe vocant recambium. Cuius nominis ea forſan ratio eſt, & origo, quia veluti ſecundum cambium cum remiſſione earundem literarum &c.*

2 Referuntur etiam circunſtantiæ quas idẽ adijcit caſui.

Rurſus huic formæ addit circunſtantiam huiuſmodi. *Conueniunt cum illo in ipſo limine contractus, vt niſi literæ illius datæ, v.g. Valentiæ in Metinam ad priores nundinas Metinæ ſoluantur, poſſit factor campſoris illas inſolutas Valentiam cum nouo intereſſe remittere, quin etiam, vt niſi tunc ab ipſo campſuario perſoluantur, valeat rurſus campſor eaſdem ad alias nundinas ſecundo deſtinare, & ſub eodem pacto, vt niſi ab aliquo fuerint ibi tunc admiſſæ, ſeu ſolutæ Valentiam rurſus cum ſimili intereſſe ex cambio remittantur, duretque hic circulus &c. aliquando verò, & ſine vlla conuentione, vel pacto inter campſorem, & campſuarium à principio inito fiunt huiuſmodi litterarum miſſiones, & remiſſiones nouo ſemper intereſſe per ſingulos trimeſtres, vel quadrimeſtres decurrente.*

Rurſus *ibidem, & verſ. in quo genere* addit aliam circunſtantiam quæ magis ſpecificat facti ſpeciem ponderando augmentum eiuſdem debiti per additamentum in quolibet loco deſtinatæ ſolutionis, ne dum de intereſſe, ſed etiam intereſſe eiuſdem intereſſe.

3 Concluſio eiuſdem, qua reprobat huiuſmodi recãbia.

Tandem concludit in hæc verba. *Recambia iſta, de quibus hic loquimur, formaliter, & propriè loquendo nimirum ſub ratione recambij, & eo modo, quo à campſarijs exercentur, iniqua ſunt omnino, & vſuraria.*

Rationes quibus innititur Salonius.

Huius ſuæ opinionis multiplicem rationem adducit idem *Salonius loc. cit.* & primo procedit hoc pacto. Aut creditor ſcit tempore contractus debitorem nullam habere pecuniam in loco deſtinatæ ſolutionis, aut ſaltem de hoc eſt dubius; quodcunque ex ijs aſſeratur, concludit tale cambium eſſe fictum, & iniquum, quinimmò non ſolum eſſe iniquum, recambiare cum nouo intereſſe, & lucro, ſed etiam cambiare primo cum lucro, & intereſſe, cum ſit verum mutuum palliatum nomine cambij.

Secundò ſic procedit. Quando creditor dans ad cambium id præſtat bona

bona fide prudenter iudicans, verè ſibi in loco deſtinato reſtituendam pecuniam commutatam, vel facta fuit inter ipſum, & debitorem tempore contractus conuentio, vt literis non ſolutis remittantur illæ cum nouo intereſſe data facultate eidem creditori exercendi circuitum iſtum, & progreſſum cambiandi, & recambiandi, vel non facta fuit huiuſmodi conuentio; Si nulla ſuper hoc facta fuerit conuentio, damnat hanc formam contrahendi, & recipiendi ex illa intereſſe ex triplici capite; primò, quia nulla poſita conuentione exiſtente debitore in mora non poteſt obligari, niſi ad debitum; ſecundò, quia diſponeretur de bonis eiuſdem campſarij debitoris ſine eiuſdem conſenſu, quod redolet furtum; tertiò, quia in tali caſu non concurrit vtriuſque contrahentis conſenſus. Si facta fuit conuentio, de qua ſupra; tunc idem Salonius tribus argumentis probat iniuſtitiam, & iniquitatem talis contractus; primò ex eo, quod illa conuentio ex parte campſarij debitoris non ſit libera, ſed inuoluntaria mixtè, ſicuti enim in mutuo conſenſus debitoris non iuſtificat contractum cum lucro, ità, nec videtur iuſtificare in cambio, cum hic non ponatur liberè, ſed cum quadam inuoluntarietate. Secundò, quià huiuſmodi contractus cum duplicatione fiunt cum magna iniquitate, quandòquidem, dum fiunt à Valentia in Hiſpalim ratione maioris abundantiæ pecuniæ exiſtentis Hiſpali pro centum dantur centum duo, vel tria, propter quam rationem argumento à contrario ſenſu deſumpto, dum fierent ab Hiſpali in Valentiam deberent fieri ad minorem quantitatem, & tamen adhuc fiunt ſub maiori ad effectum, vt ſecundum lucrum etiam in recambio creditor conſequatur, quod certè videtur iniquum. Tertiò, quia hoc genus cambiendi videtur eſſe contra conſtitutionem Pij V. in illis verbis. *Ne deinceps quiſquam audeat ſiuè à principio, ſiuè alias certum, & determinatum intereſſe in caſu non ſolutionis paciſci*; arbitratur enim per hæc verba non ſignificari certam, & definitam quantitatem, ſed in genere certum, & determinatum lucrum non ſpecificatum.

4 Quando non eſt facta cōuentio, vt literis nō ſolutis remittātur cū intereſſe dicit Salonius, quod nō poſſit exigi intereſſe.

5 Itē dicit fieri cum magna iniquitate, nempè cum inæqualitate, & quarè.

6 Item aduerſari conſtitutioni Pij V.

7 Circa hanc ſeriem facti, circunſtantias, reſolutionem, & rationes Salonij plurima reprobat, nonnulla approbat *Raphael de Turri loc. cit.*, ſemper tamen arguendo imperitiam auctoris, & quoad praxim, & quoad iura.

Cenſuræ Raphaelis de Turri cō. tra Salonium.

Incipiendo à forma facti in omnibus ferè arguit eundem Salonium, eo quod non benè perſpectam habuerit praxim cambiorum, ſubſtantiam actus, & minus diſpoſitionem iurium quoad eadem; & primo impetit ipſum eo quod dicat in tali praxi, ſeu modo cambiendi ſaluari recambium; aſſerit enim, nulla ratione poſſe ſubſiſtere in hac hypotheſi recambium, cum in loco deſtinato, nec perficiatur cambium primum per ſolutionem, nec contrahatur ſecundum, ſed literæ remittantur inanes, ſed cum proteſtatione. Secundò eundem impetit eo quod nullam mentionem fecerit in tali ſerie de perſona, ad quam dirigitur tracta, vel remiſſa, quæ perſona dicatur perficere cambium, & celebrare recambium, ſine qua non eſt conſiderabile recambium, cum ad hoc neceſſe ſit vt ille, ad quem dirigitur tracta, & remiſſa, in ijs expediendis obligetur. Tertiò, quoad ſubſtantiam actus eundem impetit, eo quod in duplici cambio confingit duplex intereſſe a campſuario exigendum, quod tamen falſum aſſerit, cum in primo cambio nullum lucrum verſetur, ſed ſolummodò æquiualens, ſeu tantundem reſtituatur in alio loco. Quartò eundem impetit de ignorantia iuris, dum proteſtationes, quæ fiunt à Procuratore creditoris in caſu, quo literæ nec acceptantur, nec ſoluuntur, appellat figmenta, quod dici non poſſe aſſerit, cum huiuſmodi proteſtationes ſint iuxtà naturam cambij.

8 Damnat primo in eo, quod in illo cābiēdi modo Salonius credat ſaluari recambiū.

9 Secundò in eo, quod nō exprimat perſonā, cui dirigitur tracta, & remiſſa.

10 Tertiò in eo, quod duplex cōfingat intereſſe cum vnū tantum debeatur

11 Quartò in eo, quod proteſtationes appellat figmenta.

Proſequendo poſteà quoad circunſtantias, quibus ipſe Salonius coarctat ſpeciem cambij, quam ipſe ſibi figurauit, ipſum reprehendit in multis, & primo in eo (repetendo quod ſupradixit) quod illæ litteræ non redeant ſimplicitèr ad locum, à quo proceſſerunt, ſed cum proteſtatione, ſicque in loco, ad quem primò fuerunt directæ, primum cambium non fuit perfectum, & per conſequens, nec contractum ſecundum. Secundò in eo reprehendit, quod, dum Salonius repetit miſſiones illas, & remiſſiones literarum, non aſſerit inter quos, & quando id contingat, & inter quas perſonas, & quomodò dirigantur. Tertiò arguit in eo, quod Salonius deſtinguat, quando inter campſorem, & Campſarium facta eſt expreſſa conuentio de huiuſmodi miſſionibus, & remiſſionibus literarum, quando non ſit ſolutio in loco deſtinato, & quando de hoc nulla facta eſt conuentio; aſſerit enim,

12 Quintò in eo, quod dicat literas redire ſimpliciter, cū redeant cū proteſtatione.

13 Sextò in eo, quod non ſit neceſſaria conuentio de intereſſe.

quod fruſtranea ſit illa conuentio, cum ſit de natura cambij, vt non facta ſolutione in loco deſtinato per eum, cui remiſſa erat deſtinata, vel ſaltem per alium ſuper proteſtu, vel pro honore literarum, quod dator eorundem remaneat debitor nedum ſummæ, de qua in eiſdem literis, ſed etiam de intereſſe decurſo, & decurrendo vſque ad actualem ſolutionem.

Vlterius proſequendo cenſuram
14 Septimò in eo, quod Salonius dicat deberi intereſſe de intereſſe.
eundem Salonium damnat in eo, quod ponderat augmentum eiuſdem debiti per additamentum in quolibet loco deſtinatæ ſolutionis, nedum de intereſse, ſed etiam de intereſse ipſius intereſse; in quo aſserit aberrare à praxi, dum in quolibet cambio certam quantitatem intereſse ſuperaddit ſorti, quod non poteſt contingere, niſi in duplicatione eiuſdem; deindè dicit, quod ipſe Salonius non aſsequatur ſubſtantiam contractus, dum intereſse diſtinguit à ſorte, cum qua ſit vnum quod.

Tandem in concluſione, quam ſuper enuntiata facti ſerie firmauit idem Salonius, qua dixit, *recambia iſta, de quibus, hic loquimur formaliter, & propriè loquendo nimirum ſub ratione recambij, & eo modo, quo à campſarijs exercentur, iniqua ſunt omninò, & vſuraria*, ipſum Salonium commendat,
15 Octauò damnat in rationibus quas Salonius adducit.
dum aſserit pietate ſua meruiſse, vt in hac concluſione prophetaret, ſed damnat quoad principia, ex quibus ipſam deducit; aſserit enim, quod idem Salonius nullibi in tota hac controuerſia vim fecerit ſuper ratione formali ipſius recambij, quinimmò, nec in caſus figuratione formam recambij expreſſerit, & tamen hãc negatiuam concluſionem ad dictam rationem formalem recambij reſtrixit.

Deindè proſequitur improbando rationem, cui innititur idem Salonius. Aduerſus quam plurima accumulat idem Raphael de Turri; & primo dicit, quando facta eſt conuentio inter campſorem, & campſarium de illa, ſeu illis duplicatione, ſeu duplicationibus cambiorum, dum non eſt facta ſolutio primi cambij in loco deſtinato, quod tunc argumenta Salonij ad probandum illa recambia eſse iniqua non ſubſiſtere, eundemque Salonium non callere nec praxim, nec ius; non praxim, quia in illa conuen-
Aliæ reprobationes Salonij.
tione non poteſt conſiſtere recambium, ſed poteſt illa cõuentio ſtare in ſimplici mutuo cum pacto, vt liceat creditori in defectum reſtitutionis ſummam debitam cambiare, & recambiare, quo caſu debitor non tenetur formaliter ex cambio, nec ex recambio, ſed ex illa promiſſione, quæ duo ſunt inter ſe valdè diuerſa, vt cognouit *Rota Romana in vna pecuniaria cambiorum* 10. *Iunij* 1615. *coram Sacrato*; Non ius, quia ipſe Salonius impugnat caſum ex eo, quod ſicuti debitor ex mutuo promittit vſuras ex neceſſitate, id ipſum facit debitor ex cambio, quæ ratio nullo modo poteſt ſubſiſtere, quandòquidem in hoc neceſſitas non venit in conſideratione, ſed ſolummodò, an contractus ſecundum ſe ſit meritorius illius lucri, nec ne? Quis enim diceret iniquum eſſe contractum venditionis ex eo, quod fiat pauperi neceſſitate preſſo.

Secundò dicit, quod (dum Salonius damnat iniquitatis illum contractum, quo quis dat cambio Valentiæ, vt reſtituatur Hiſpali, vbi eſt maior copia pecuniarum, & in quo ratione eiuſdem maioris copiæ acquirit duo, vel tria pro centenario, & deindè dum ab Hiſpali remittitur Valentiam, remittitur cum eodem lucro, cum deberet remitti cum minori, cum non ſit illa pe- Aliæ reprobationes contrà rationes à Salonio adductas
cuniarum quantitas, quæ eſt Hiſpalis) rectè procedat quoad iuſtitiam, & diſpoſitionem iuris, ſed valdè erret quoad praxim, & quoad factum, non enim ſic exercetur à mercatoribus, & iniquitas, ſi verè contingeret, non conſiſteret in illo priori cambio ex Valentia in Hiſpalim, nam data illa maiori abundantia proportionata ad illa duo, vel tria pro ſingulo centenario, illa duo, vel tria nullo modo poſſent dici eſſe in lucro, ſed ex vtraque parte venit tantundem, cum centum duo, vel tria in Hiſpali correſpondeant centum Valentiæ. Iniquitas igitur contingeret in ſecundo cambio ex Hiſpali in Valentiam, ſi fieret cum æquali lucro, ſeu augmento ſicuti in primo, hoc eſt fieret cum augmento, ſeu eo quia iniuſtitia reſultaret ex inæqualitate pretij.

Tertiò dicit, quod incongruè procedat Salonius, dum aſſerit contra naturam, & rationem cambiorum iniquè, & fraudulenter illum agere, qui conueniat cum debitore ab initio, vt in defectum ſolutionis literarum debeat aliquam quantitatem vltra intereſſe primi cambij reddere, vel, vt liceat creditori literas illas non ſolutas iterum atque iterum nouo ſuperaddito intereſſe recambiare, cum hoc ſit directè contra bullam Pij V. ſupra relatam

latam

Digitized by Google

latam in illis verbis. *Ne deinceps quiſquam audeat*; per hæc etenim verba non ſignificatur certa, & determinata quantitas, ſed in genere certum, & determinatum lucrum non ſpecificatum; Incongruè, inquam, in hoc dicit procedere, quia, cum Pontifex expreſsè loquatur de certo, & determinato intereſſe, non eſt trahenda eius diſpoſitio ad intereſſe in genere incertum, & indeterminatum, vt nos etiam ſupra probauimus.

Quando verò nulla facta eſt conuentio, tunc idem Raphael de Turri

16 Nono in eo, quod Salonius aſſerit nō poſita cō. uentione de intereſſe illud non deberi.

improbat argumenta eiuſdem Salonij eo quod in illis nec factum recambij attigerit, nec ius; non factum, quia, quando celebratur cambium nullo pacto interpoſito, ex natura eiuſdem actus deficiente ſolutione in loco deſtinato, & poſitis debitis proteſtationibus conſurgit onus ad quodcunque intereſſe decurſum, & decurrendum vſque ad integram ſolutionem, & hoc ex cōmuni recepta praxi inter mercatores, & tunc ex mora debitor tenetur ad intereſſe recambij, non tamen verificatur, quod celebrat recambium, quæ duo valdè ſunt inter ſe diuerſa, vt per ſe patet; Non ius; nam certo certius eſt, ex mora ſcilicet debitoris debitum augeri maximè inter mercatores ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, nec verum eſt, quod creditor continuando debitum ſibi non ſolutum ſuper cambijs, & recambijs committat furtum; non enim contrectat rem alienam inuito Domino; ſi enim pecunia debita ſemel deueniſſet ad campſorem creditorem non potuiſſet illam cambiare, & recambiare, adeòque non verificatur, quod inuito Domino illam contractauerit, cum nec minus attigerit. Minus obſtare poteſt, quod non interueniat conſenſus debitoris, quia talis conſenſus interuenit ab initio contractus, dum etenim debitor conſenſit in cambium intelligitur conſenſiſſe in ea omnia, quæ ſunt de natura, & conſecutiua illius cambij, adeòque ad illud intereſſe, quod conſequitur ex non poſita ſolutione in loco deſtinato.

Examinantur cenſuræ eiuſdem Raphaelis de Turri contrà Salonium.

DAmnat in primis eundem Salonium de ignorantia praxis cambiorum, ſubſtantiæ actus, & diſpoſitionis iuriſum, eo quod arbitretur in illo modo cambiendi ſaluari recambium, nec in illo mentionem fecerit de perſona, ad quam dirigitur tracta, & remiſſa, quod erat neceſſarium, & quod vlterius confinxerit duplex intereſſe à campſuario exigendum, quod tamen falſum aſſerit, cum in primo cambio nullum lucrum verſetur, & tandem in eo quod proteſtationes appellat figmenta, quæ talia non ſunt, cum ſint iuxtà naturam actus.

Singula iam perpendamus, & videamus, an rationabilitèr in his impetat Salonium, an verò temerè? Quoad primum nullibi idem Salonius apertè aſſeruit, in illa literarum non ſolutarum remiſſione propriè, & rigoroſè conſiſtere recambium. In figuratione caſus in illa remiſſione literarum non dicit fieri recambium, *ſed factorem campſoris factis quibuſdam proteſtationibus, ſeu figmentis, quibus conſtat in loco ſolutionis literas illas à nemine fuiſſe admiſſas, vel ſolutas remittit eaſdem ad campſorem Valentinum cum alio nouo intereſſe ſuperaddito*, quæ certè verba non indicant initum recambium, cæteròqui non remitterentur eædem literæ, ſed aliæ diuerſæ ab illis; dum deindè ſubdit *quo fit, vt duplex intereſſe in hoc contractu à miſero campſuario exigatur, aliud ratione cambij celebrati à Valentia Metinam, aliud verò ratione illarum literarum, quæ, cum Metinæ admiſſæ non fuerint, vel non ſolutæ, in Valentiam fuere remiſſæ*, non dicit, quod aliud intereſſe exigatur ratione recambij, ſed ratione literarum non ſolutarum, & remiſſarum Valentiam, quæ duo valdè diuerſa ſunt, vt fatetur idem *Raphael de Turri d. diſp. 3. quæſt. 12. num. 28.*, dum aſſerit quid diuerſum eſſe aliquem teneri ad intereſſe recambij, aliud celebrare recambium, vndè ex eo, quod teneatur ad intereſſe recambij, non benè arguitur, quod recambium celebrarit, & propterea, dum Salonius dixit, teneri ad intereſſe ratione litterarum remiſſarum non ſolutarum, non benè infertur, quod voluerit affirmare recambium; & licet idem Salonius dicat. *Quam remiſſionem literarum cum hoc ſecundo pretio, & intereſſe vocant recambium*, non propterea ipſe dicit, quod ſit recambium, ſed ſolum annuit, quod alij dicunt, quod clarius explicat, dum dicit. *Cuius nominis, & forſan ratio eſt, & origo, quia velut ſecundum cambium cum remiſſione earundem literarum*. Vbi nota, quod, cum reddat rationem de tali nomine per particulam *forſan* voluit ſignificare, non eſſe

17 Nullibi Salonius ſtatuit in illa forma cambiendi conſiſtere recābium.

pro-

Digitized by Google

propriè recambium, cæteròqui fruſtra inſudaſſet in afferenda tali ratione, ſed ad ſimilitudinem eiuſdem, quatenus, ſicuti propriè recambium parit intereſſe, ità, & illarum remiſſio litterarum ſine ſolutione, ob moram debitoris pariat intereſſe, vndè ſubdit *veluti ſecundum cambium,* hoc eſt non quaſi propriè, & rigoroſè ſecundum cambium, ſed adinſtar illius. Clarius idem Salonius ſuam mentem expoſuit ibidem in concluſione *ſub num.* 4. dum dixit. *Recambia iſta, de quibus hìc loquimur, formaliter, & propriè loquendo nimirum ſub ratione recambij, & eo modo quo à campſarijs exercentur, iniqua ſunt omninò, & vſuraria;* Ex quibus omnibus apertè dignoſcitur quam inaniter ſiniſtrè interpretando ipſius mentem Raphael de Turri impetat Salonium.

18 Quoad ſecundum, quod ſcilicet Salonius mentionem in illa caſus figuratione non fecerit de perſona, ad quam dirigitur tracta, & remiſſa, etiam inanitèr idem de Turri eundem Salonium impetit, quandòquidem licet hoc non expreſſerit, non intelligitur tamen voluiſſe, quod non interuenerit hæc perſona, ad quam fuerit deſtinata tracta, & remiſſa, ſed ideò omiſit, quia venit ex natura contractus; nullus enim ignorat, literas pro ſolutione ad aliquem locum ordinatas debere remitti ad perſonam, quæ debeat ſolutionem præſtare, nec erat neceſſe exprimere id, de quo non poterat eſſe dubitatio. Quod deindè dicatur, quod *non exiſtat Metinæ, qui illas admittat, aut recipiat, & conſtet, in loco ſolutionis literas illas à nemine fuiſſe admiſſas, vel ſolutas,* hoc ad illud refertur, quod communiter dicitur iuxta *ſtatuta Genuenſim lib.* 4. *cap.* 14. §. *ſi tracta*, nempe quod mandatario recuſante literas ſoluere, poſſint alij in honorem literarum eaſdem acceptare, vel, ſi nullus acceptet, debeant remitti ſuper proteſtu. Hoc idem nos docuimus *ſupra ſub tit. de Cambijs II. Tranot.* 15. *nu.* 16., vbi quod poſſit alius recuſante mandatario ſoluere literas datoris earundem in ipſius honorem. Idipſum approbat idem *Raphael de Turri diſp.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 36., vbi notat diſcrimen inter eleuare proteſtum, & ſoluere literas ſuper proteſtu, & ibi etiam dicit, quod renuente eo, ad quem tracta fuit directa, ſoluere literas, poſſit alius eaſdem ſoluere ſuper proteſtu in honorem earundem literarum. Idem commendat *Ioannes Dominicus Peri in ſuo negotiatore part.* 2. *cap.* 13., atque in hoc conſentiunt omnes mercatores; ex quibus ſic arguo: Vel ſupponitur per huiuſmodi Doctores, non obſtante, quod literæ ſint ſolubiles à quocunque, quod tracta fuerit remiſſa ad determinatam perſonam, qua non ſoluente alius, ſeu alij ſoluere poſſint ſuper proteſtu in honorem litterarum; vel ſupponitur per eoſdem, quod literæ indefinitè ad perſonas fuerint directæ ad locum ſolutionis? Si primum; hoc idem ſupponendum eſt, quod voluerit Salonius, quod ſcilicet tracta fuerit directa ad determinatam perſonam, qua non ſoluentur poſſint alij ſoluere, & nemine volente ſoluere remittantur cum illo intereſſe; quod deindè in facti figuratione illam perſonam, ad quam facta ſupponitur tracta, non expreſſerit, hoc non eſt, quia non ſuppoſuerit hoc non eſſe neceſſarium, ſed quia hoc tanquam conforme naturæ contractus ſuppoſuit ſubintelligi, adeòque in facti figuratione in abſtracto non arbitratus eſt hanc expreſſionem neceſſariam; Si ſecundum; cum omnes approbent talem modum cambiandi per illam directionem indefinitam, non eſt cur impetat tanquam ignarum praxis eundem Salonium, cum ſolum id præſtet, quod alij, & ipſe Raphael de Turri arbitrantur ſufficere.

Nõ facta eſt mentio de perſona, cui dirigitur tractæ, & remiſſa, quia hæc ex genere contractus ſupponitur.

Quandòque recuſante eo, cui diriguntur literæ acceptare alij acceptant in reuerentiam literarũ, & datoris.

Quoad tertium, quod ſcilicet Salonius ſibi confingat duplex intereſſe in præiudicium miſeri campſuarij, alterum ratione primi cambij, alterum ratione literarum remiſſarum ſine ſolutione in loco deſtinato, cum tamen debeatur ſolummodò intereſſe ratione literarum inſolutarum, gratis etiam, & ſine fundamento impetit eundem Salonium, quandòquidem denegari non poteſt etiam in primo cambio interuenire omnes conditiones, quæ iuſtificare poſſunt lucrum, ſeu intereſſe ex eodem prouenienс. Pro quo recole ea, quæ dicta ſunt *ſupra de Cambijs I. Tranot.* 3., inſuper ea, quæ habet *Leſſius de iuſt., & iur. lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 4. *per totum*, vbi enumerat titulos, ex quibus campſor, qui prior dat pecuniam, vt alibi recipiat, lucrari poteſt, in quod etiam conſentiunt *Conradus quæſt.* 99. *Caietanus tract. de cambijs cap.* 6. *Sotus lib.* 6. *de iuſt. quæſt.* 10. *art.* 1. *Nauarrus cap.* 17. *num.* 289., & primo titulum virtualis traiectionis, quam iuſtificare lucrum in cambij late affirmauimus in præcedentibus, & probat idem *Leſſius loco quo ſupra*; ſecundò titulum diuerſæ æſtimationis pecuniæ in diuerſis locis, prout latè nos probauimus *d. prænot.* 3., 19

Communius admittitur illud duplex intereſſe prout fatetur etiam Raphael de Turri.

not. 3., tertiò titulum carentiæ propriæ pecuniæ, & id, quod huic carentiæ eſt coniunctum; atque hic eſt potiſſimus titulus, quem mercarores in cambijs hoc tempore ſpectant, vt ipſi met directè fatentur. Cum igitur etiam in primo cambio hæc omnia poſſint interuenire, non video, cur non poſſint pro eodem iuſtificare lucrum, quod etiam affirmarunt *Nauarrus ad cap. fin. de vſuris num.* 28. *Romualdus Colli in tract. de cambijs cap.* 7. *num.* 27. *Leſſius lib.* 2. *de iuſt. cap.* 23. *dub.* 4. *num.* 32. *Emanuel ſecunda part. ſummæ cap.* 104. *num.* 4. *Rebellus de oblig. iuſt. part.* 2. *lib.* 11. *qu.* 6. *num.* 14. *Molina tract.* 2. *de iuſt. diſp.* 405. *Toletus lib.* 5. *cap.* 54. *Angles de cambijs art.* 4. *concl.* 2. *Vega in ſumma, & Epitome verb. cambium conſ.* 27., & 28., vbi probant, cambium de vno loco in alium intra idem Regnum cum lucro licitum eſſe, quorum opinionem communiorem eſſe, & frequentiori calculo receptam fatetur *idem Raphael de Turri diſp.* 1. *quæſt.* 28. *num.* 4., licet ipſe eandem improbet, cum exiſtimet, in cambio ſimplici eſſe dumtaxat obligationem reddendi tãtundem eius, quod fuit ſolutum, lucrum verò, quod in cambio intenditur, verè, & formalitèr non ex contractu cambij ſimplicis, ſed ex duplicatione eiuſdem reſultare; Sed non video, qua ratione id poſſit aſſerere, ſi attendat ad ea, quæ fuerunt pro titulis iuſtificantibus huiuſmodi lucrum conſiderata. Quis enim in cambium ſimplex daret ſuam pecuniam præſentem in fauorem campſuarij, vt ſolummodò tantundem in loco deſtinato ab eodem reciperet? Demus caſum, quod quis exigeret pecuniam ad cambium ſoluendum in loco deſtinato, & ibidem perficiendum per reſtitutionem. Quis denegaret hic concedentem pecuniam ſuam præſentem, vt in alio loco reciperet non poſſe lucrum aliquod recipere? Quis inficiaretur mercedem virtualis traiectionis? Quis infirmaret ex varia pecuniæ eſtimatione, & velut poſſe lucrum conſequi? Certè contractus cambij, de quo loquimur, ſecundum figurationem Salonij initus eſt, vt perficeretur in loco deſtinato, quod deindè ibi ex defectu recipientis, & ſoluentis literas non perficiatur, non tollit, quin ſit initus ad illum effectum.

Quoad quartum nimis fidit in verbis Raphael de Turri, dum Salonium increpat ex eo, quod proteſtationes, quæ fiunt ob non receptionem, & ſolutionem literarum appellat figmenta. Dum conſtat, Salonium admittere id, quod communiter approbant DD., 20 nempè ipſas proteſtationes, quod dicitur per mercatores eleuare proteſtũ parum curandum eſt, quod vno, vel altero nomine appellarit. Fortè appellauit figmenta, quia ille modus loquendi fuit nouiter adinuentus per Mercatores, vel quia generale vocabulum eſt ad omnia, quæ ingenio, manuque artificioſè formantur, vt apud Ciceronem lib. 1. offic. *Apum examina non fingendorum fauorum cauſa congregantur, ſed cum congregabilia animalia natura ſint, fingunt fauos*, & Virgilius 8. Eneid., *& corpora fingere lingua*, ideſt lambendo formare; ex quibus elucet, Raphaelem de Turri in leui nominis nomenclatione impetere Salonium, non in ſubſtantia, vndè parum curandum eſt de modo loquendi, dum conſtat conuenire in ſubſtantia.

Quod ille proteſtationes appellentur figmenta eſt quæſtio de nomine.

Damnat item quoad conditiones coarctantes figurationem caſus; ſed in hoc ſupponit idem Raphael de Turri id, quod nec cogitauit Salonius; ſupponit enim in primis iuxta ſuperius dicta, quod Salonius ſibi finxerit in illo caſu interuenire recambium, quod non dixit, ſed ſolummodo, quod, ſi non fuerint literæ ſolutæ per factorem campſoris, poſſint remitti ad locum, à quo proceſſerunt inſolutæ cum nouo intereſſe, & ſic ſucceſſiuè, quod nõ eſt celebrare recambium, vt per ſe patet, cum non facta fuerit ſolutio primarum literarum in loco deſtinato, & remiſſio nouarum; dum deindè repetit, quod Salonius non aperiat, inter quos fiant illæ miſſiones, & remiſſiones, & quomodo remittantur; nihil de nouo dicit ab ijs, quæ dixerat contra figurationem caſus, vndè eaſdem recipit exceptiones, & reſponſiones. Dum deindè damnat diſtinctionem, qua vtitur Salonius, quando inter campſorem, & campſuarium facta eſt conuentio de huiuſmodi miſſionibus, & remiſſionibus literarum, & quando de hoc nulla facta eſt conuentio, dicens, quod ſit fruſtranea illa conuentio, cum ſit de natura cambij, vt non facta ſolutione in loco deſtinato per eum, cui remiſſa fuerat deſtinata, vel ſaltem per alium ſuper proteſtu, vel pro honore literarum, quod dator earundem remaneat debitor nedum ſummæ, de qua in eiſdem literis, ſed etiam de intereſſe decurſo, & decurrendo vſque ad integram ſolutionem, aliquid dicit, de cuius veritate, vel falſitate erit infrà ſermo vberrimus, dum

Inaniter repetit Raphael de Turri id, quod ante præmiſerat contra Saloniũ.

Digitized by Google

dum de cenſura ſuper rationes, quas adducit Salonius ad probationem ſuæ concluſionis.

Damnat item eundem Salonium, eo quod aberret à praxi, dum ponderat augmentum eiuſdem debiti in quolibet loco deſtinatæ ſolutionis nedum de intereſſe, ſed etiam de intereſſe ipſius intereſſe, dum dicit, quod in primo cambio non poſſit conſiderari intereſſe, ſed ſolummodò in duplicatione eiuſdem, & quod malè idem Salonius diſtinguat intereſſe à ſorte, cum qua ſit quid vnum. Sed hanc cenſuram, & damnationem comperies nullius roboris eſſe, ſi reflectas ad ea, quæ ſuperius dicta ſunt, nempè ſimplex cambium ex qualitatibus eidem annexis eſſe meritorium proportionati lucri, ex ratione ſcilicet virtualis traiectionis, ex diuerſa æſtimatione, & valore pecuniæ, alijſque ſupra conſideratis, in quo conſentiunt omnes Theologi, quorum plurimos allegat ipſe *Raphael de Turri diſp. 1. q. 28. num. 4.* quam opinionem fatetur communiorem, & frequentiori calculo receptam; vndè non video, qua ratione ſingularitèr improbet eundem Salonium, tanquam à praxi aberrantem, dum conuenit in communiori ſententia; nec aliquid euincit in eo, quod ſubdit, Salonium ſcilicet malè diſtinguere intereſſe a ſorte, cum ſint quid vnum, quandoquidem licet ipſum intereſſe tranſeat in ſortem, denegari tamen nõ poteſt, quod ab eadem ſorte proueniat, & certum eſt, quod conſiſtat in exceſſu ſupra eandem ſortem *Albericus in l. 1. nu. 1. ff. de act. empt.*, *Dinus in reg. mora nu. 6., & ſeqq. de reg. iur.* quod etiã admittit idem *Raphael de Turri diſp. 2. q. 24. nu. 36.* vndè licet in ordine ad ſuccedentia cambia poſſit dici capitale, relatè tamen ad primam ſortem, à qua prouenit, poteſt dici lucrum, & intereſſe; vtrum deindè intereſſe poſſit in capitale conſtitui, & ex illo nouum intereſſe exigi infra examinabitur.

21 Simplex cambium ex qualitatibus ſibi annexis eſt meritoriũ lucri.

22 Quamuis intereſſe in ordine ad ſuccedentia cambia tranſeat in ſortẽ, in ordine tamen ad primam ſortem dicitur lucrum, ſeu intereſſe.

Damnat item eundem Salonium, non in concluſione, quam ex præactis ſtatuit, nempè, quod recambia illa, de quibus hic loquimur formalitèr, & propriè loquendo nimirũ ſub ratione recambij, & eo modo, quo à campſuarijs exercentur, iniqua eſſe omnino, & vſuraria, ſed in principijs, ex quibus ipſam deducit; dicit enim, quod nullibi in tota hac controuerſia vim fecerit ſuper ratione formali ipſius recambij: quinimmò, nec in caſus figuratione formam recambij expreſſerit, & tamen hanc negatiuam concluſionem ad dictam rationem formalem recambij reſtrinxit. Si benè aduertiſſet Raphael de Turri ad omnia præcedentia, & ſubſequentia, quæ habet idem Solonius, comperiſſet in omnibus eidem principio ſe conformaſſe; cum etenim in præcedentibus omnibus non agnouerit in illa caſus figuratione propriam rationem recambij, hinc eſt, quod ſtatuerit in concluſione, in ratione recambij contractum illum non ſubſiſtere. Quinimmò ex hoc conuincitur idem Raphael de Turri, nedum de ſiniſtra imputatione eidem Salonio, ſed de incongruo, & inconſequenti modo, quò aduerſus ipſum procedit. In primis iuxtà præcedenter dicta ipſum improbat, quaſi quod confixerit recambium in illa caſus figuratione; modo fatetur, quod idem Solonius nullibi in tota hac controuerſia vim fecerit ſuper ratione formali recambij, nec in facti figuratione formã recambij expreſſerit. Ecce, inquam in inconſequentiam incidit, dum ſiniſtrè interpretando, & quaſi imputando damnat in eo, quod nec ſomniáuit dicere idem Salonius.

23 Salonius in his omnibus eſt conformis ſuis principijs.

Damnat item in ratione, ſeu rationibus, quas accumulat idem Salonius, quando facta eſt conuentio inter campſorem, & campſuarium de illa duplicatione, ſeu duplicationibus cambiorum, & quidem in eo, quod damnando aſſerit, quod hæc conuentio nõ ſit recambium, ſed poſſit conſiſtere in ſimplici mutuo cum pacto, vt liceat creditori in defectũ reſtitutionis ſummam debitam cambiare, & recambiare, quo caſu debitor non tenetur formaliter ex cambio, nec ex recambio, ſed ex illa promiſſione, quæ duo inter ſe longe differre aſſerit; verum dicit; ſed hoc non eſt, quod aſſerit Salonius; non enim dicit, quod in ea hypotheſi debitor teneatur ex recambio, ſed, quod non teneatur ad aliquod intereſſe, cum potius habeat vim mutui, quod eſt id, quod aſſerit idem Raphael de Turri, dum dicit poſſe conſiſtere cum pacto, vt liceat creditori in defectum reſtitutionis ſummam debitam cambiare, & recambiare, quod vltimum de poteſtate cambiandi, & recambiandi, negat Salonius, eo quia debitor talem facultatem concedit, nõ ex voluntate, ſed ex neceſsitatè ea ratione, qua mutuatarius promittit vſuras ex mutuo non liberè, ſed inuoluntarie mixtè. In hoc vltimo, in quo Raphael de Turri, arguit Salonium, rectè

24 Michael Salonius nõ dicit, quod cõuentio cambiandi, & recambiandi in caſu non ſolutionis ſit recambium.

25 Dicit habere vim mutui, nec parere intereſſe.

Digitized by Google

rectè quidem procedit, quandoquidem indubitati iuris videtur, quod campſor inito tali pacto, & accepta ex vi illius facultate cambiandi, & recambiandi vtique poſſit exigere intereſſe cambiorum, & recambiorum, ſiue prout importat compenſationem lucri ceſſantis, vel damni emergentis, ſiuè, vt dicit iuſtam alterius vtilitatem, prout docuerunt *Decius conſ. 562. viſo puncto diligentèr in primo dubio, Tiraquel de retract. lignag. §. hoc ſermone limit. 6. n.8. in fine, Scipio Ruuitus in ſuo conſ. 103. lib.2. nu. 3., Sapia 4. part. iur. reg. tit. de cambijs nu. 43.*, qui teſtatur ita fuiſſe iudicatum a Regio conſil. Neapolitano ſub die 15. Martij 1602., quod etiã nos latè commendauimus *in hoc eod. vol. ſub tit. Contractus V. de cambijs II. Diſq. 1. §. 16. nu. 4., & ſeqq.*, vbi latè rationes adduximus, & vindicauimus à contrarijs obiectis; nec vim aliquam facit id, quod ſubdit primo idem Salonius, quod ſcilicet debitor ex cambio non liberè, ſed ex neceſſitate conſentiat illi pacto cambiandi, & recambiandi, ſicuti mutuatarius non liberè conſentit vſuris, ſed inuoluntariè mixtè, ob neceſſitatem, quam habet habendi mutuum; Non, inquam, vim aliquam facit; nam, ſi verè ſit debitor ex cambio, non poteſt campſuarius ſe eximere ab onere illius intereſſe ex motiuo neceſſitatis, qua premitur, quandoquidem, cum verè talis contractus ſit lucratiuus illius intereſſe, non eſt damnandus ex neceſſitate recipientis, quià, vt bene in hoc notat idem *Raphael de Turri d. diſp. 3. q. 12. num. 32.*, non eſt iniuſtitiæ damnandus Piſtor, qui vendit panem eſurienti, & fame pereunti, dummodò iuſto pretio id faciat; ſi verò ſit debitor ex alia cauſa, puta ex mutuo, ſeruatis debitis conditionibus, poteſt iuſtè fieri talis conuentio in compenſationem lucri ceſſantis, vel damni emergentis, ſi creditor eſſet illam pecuniam implicaturus in negotiationem cambiorum, vel recambiorum per ea, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mut., & vſuris prænot. 12. nu. 1., & 6., & in hoc eodem vol. ſub tit. Contractus V. de cambijs II. Diſq. 1. §. 16. n. 4. verſ. dices primo.*

26 Fallit tamen in eo, quod aſſerit nõ deberi intereſſe.

Neceſſitas campſuarij nõ tollit, quin poſſit intereſſe exigi.

Nec item vim aliquam facit, dum dicit illam conuentionem cambiandi, & recambiandi in defectum ſolutionis eſſe contra Bullam Pij V. in illis verbis. *Ne deinceps quiſquam audeat, ſiue à principio, ſiue alias certum, & determinatum intereſſe in caſu non ſolutionis paciſci*, per quæ verba arbitratur, Pontificem non damnare præcisè certam, & determinatam quantitatem venire ſub conuentione, ſed in genere certũ, & determinatum lucrum non ſpecificatum. Non, inquam, vim aliquam facit, quia Pontifex per ea verba damnat ſolummodo conuentionem de certo, & determinato intereſſe; certum autem in iure dicitur illud, quod certam habet, & ſpecificam determinationem *DD. communiter in rub. ff. ſi cert. pet. & l. certum ff. ead. l. ſtipulationum ff. de verb. oblig. l. qui negotia in princip., & §. cum hæres ff. mandati l. ſi neceſſarius §. 1. ff. de pignor. act.*, ſicque eius diſpoſitio non eſt trahenda ad intereſſe indeterminatum, & in genere. Vide, quæ latè diximus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de cambijs I. prænot. 6. num. 4., & ſeqq. & de cambijs II. Diſq. 1. §. 16. num. 4. verſ. dices 3.*, quæ non vacat hic repetere.

27 Pontifex damnat ſolam cõuentionẽ de certo, & determinato intereſſe.

Circa illud, quod aſſerit Salonius de contractu cambij, qui ſit Valentiæ, & Hiſpalim, vbi eſt maior copia pecuniarum, & ratione cuius acquirit campſor duo, vel tria pro centenario, & deindè ab Hiſpali remittitur Valentiam cum æquali lucro, fateor, eſſe iniquitatem aliquam in recambio, quę ab Hiſpali fit in Valentiã cum æquali lucro, àdeo vt Valentiæ in perfectione ſecundi cambij pro centum debeant reſtitui centum, & ſex, quia non eſt ratio illa iuſtificatiua illius intereſſe in ſecundo cambio, quod fit ab Hiſpali in Valentiam, quæ eſt in primo cambio à Valentia in Hiſpalim, nempè illa pecuniarum copia, vndè etiam nos diximus *in hoc eod. vol. ſub tit. de Cambijs III. prænot. 7.* licitum eſſe inire cambia ſecundum intereſſe attenta æſtimatione, quam habet pecunia in vtroque loco, ex quo deducitur, quod, ſi in vno loco æſtimatio pecuniæ ob maiorem copiam ſit minor, & in alio maior, non liceat cambiare cum eodem intereſſe; Sed quamuis Salonius in hoc verum dicat, errat tamen in praxi, quia ſupponit, quod mercatores ineant cambia in vtroque loco cum eodem intereſſe, & lucro, quod verum non eſt.

28 Non poteſt fieri cambium à Valentia in Hiſpalim, & ab Hiſpali in Valentiam cũ æquali lucro, & quare.

Damnat item Raphael de Turri Salonium in eo, quod dicit, quod, ſi nulla facta fuerit conuentio, tunc non poſſit creditor exigere intereſſe cambiorum, & recambiorum, cum contrectaret pecuniam alienam inuito Domino, adeoq; committeret furtum; Aſſerit enim idem de Turri, quod proſcripta etiam quacunque conuentione deficiente ſolutione ex natura eiuſ-

29 Nulla poſita conuentione de cambiando, & recambiando, non poteſt creditor exigere intereſſe cambiorum, & recambiorum

Digitized by Google

eiuſdem actus poſitis debitis proteſtationibus conſurgat onus ad quodcunque intereſſe vſque ad integram ſolutionem. Sed in hoc inanitèr Raphael de Turri impetit Salonium, quandoquidem nulla facta conuentione, ex mora præcisè non poteſt campſor obligare campſuarium ad eandem ſummam recipiendam ad recambium, vt benè notauit *Leſſius de iuſt., & iur. lib.2.c.23.dub.9.n.82., & ſeqq.* niſi certo conſtet tantum lucri ex illa mora amiſſurum, quãtum ex recambio perciperet, cum non poſſit plus recipere ratione moræ, quam æſtimationem lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis; cum igitur detrimenta recambiorum ſæpè ſint maiora, non poteſt illum ad hæc obligare. Id ipſum videtur ſentire idem *Raphael de Turri diſp. 3. q. 9. num. 59.*, dum dixit, quod creditor ex cambio ad hoc, vt poſſit exigere à moroſo debitore, debeat non ſolum probare quantitatem illius intereſſe, ſed etiam, quod, ſi habuiſſet pecuniam creditam, illam expendiſſet in negotiationem cambiorum; ex quibus omnibus ſequitur, quod ex natura præcisè cambij non teneatur ad illud intereſſe cambiorum, & recambiorum. Idipſum clarioribus terminis nos docuimus *ſub hoc eod. tit. de Cambijs II. §.2. ferè per tot.*

30 Sed ad ſummum ad intereſse lucri ceſſãtis.

In eo tandem, in quo damnat ipſum Salonium, quod dixerit, quod quando campſor eſt certus, aut dubius, quod campſuarius in loco deſtinato ad ſolutionem non habeat, quo ſoluat, cambium illud ſit ſiccum, & iniquum, eo quod ſcientia illa, ſeu dubietas, quod non ſit pecunia debitoris in tali loco non attingat ſubſtantiam cambij, cum hoc ſolum perficiatur conſenſu ea proportionali ratione, qua emptio, & venditio ſolo conſenſu perficiuntur, & rei traditio eſt ſolummodo quid extrinſecum ſubſtantiæ eiuſdem contractus, ex quo illa circumſcripta oriatur efficax actio ex empto ad rem tradendam, in cuius defectum venit intereſſe, per textum *in l.1. cum toto titul. ff. de act. empt.* In eo, inquam, in quo in hoc damnat Salonium, oſtendit Raphael de Turri, ſe non callere Pontificum conſtitutiones hac in materia emanatas, & præcipuè Pij V. damnantis cambium, vt ſiccum, quando re vera mittuntur literæ ad locum, vbi pecuniæ eſſent ſoluendæ, ſed remittũtur inanes, eo quia non ſit in nundinis, aut locis ſupradictis, qui huiuſmodi literis receptis ſolutionem faciat, addita etiã ratione, quia *inter dantes, & accipientes vſque à principio, ita conuenerant; aut certè talis intentio erat, neque quiſquam eſt in nundinis, aut locis ſupradictis &c.*; quæ quidem indubitantèr procedunt, quando campſor certus eſt, quod in loco ſolutionis non erit, qui ſoluat; quandò verò eſt dubium, quod non ſit futurus in loco deſtinato, qui ſoluat, & contractet, tunc fæneratium eſſe, & iniquum ſuſtinẽt *Silueſter verb. vſura 4. §.8., Sotus de iuſt. lib.6. q.13. art.1. concl. 3., Nauarrus in c. nauiganti n.25. de vſuris, Hieronymus de Lucca tract. de Cambijs in verb. pro deciſione num.43. tom. 6. part.1., Fabianus Genuenſis tract. de Cambijs ſub n.46. verſ. decima, Ioannes Baptiſta Cauatius tract. de Cambijs tit. de dante, verſ. quæro, an campſor, Romualdus Colli tract. de Cambijs c.19. intorno*, quod etiã nos latè probauimus *ſub hoc eod. tit. de Cambijs II. Diſq.1.§.15.*, quando dubiũ eſt negatiuum, vel non ſit cum æquali probabilitate, ita vt campſor habeat ſolummodo ſpem remotam de ſolutione, ſed magis propendeat in eam partem, quod cambium ibi non ſit ſoluendum; tunc enim verificatur diſpoſitio Pontificis, eo quia licet ſpecie deſtinetur ſolutio in alium locum, re tamen vera ſolutio in loco deſtinato non eſt facienda, ſed in loco, vbi fuerat primus cõtractus celebratus, quod etiam videtur cognouiſſe idem *Turri diſp. 1. q.11. n.15.*, vndè non militant ea, quæ per eundem in contrarium afferebantur, quod ſcilicet contractus cambij ſolo conſenſu perficiatur obſtante eiuſdem Pontificis diſpoſitione, qui in hoc formam præſcripſit contractui.

31 Quando campſor eſt certus de non futura ſolutione in loco deſtinato cambium eſt ſiccũ.

32 Quando vero eſt dubius, & dubio negatiuo etiam eſt ſiccum.

PRÆNOTIO XVI.

Exploduntur aliæ cenſuræ Raphaelis de Turri contra Salonium.

SVMMARIVM.

Referuntur aliæ concluſiones Salonij per extenſum. 1.
Raphael de Turri approbat concluſiones Salonij, ſed reprobat rationes. 2.
Aſſerit egredi terminos controuerſiæ de recambio. 3.
Secundam concluſionem dicit non eſse contingibilem, vel ſuperfluam. 4.
Damnat in eo, quod Salonius ſupponit dari lucrum ex cambio ſimplici. 5.
Item in eo, quod aſserit non deberi intereſſe recambiorum. 6.
Reſoluuntur cenſuræ Raphaelis de Turri contra Salonium. 7.

Nun-

Digitized by Google

Nunquam cogitauit Salonius in hac ſerie de natura recambij. 8.

Negato illo intereſse ex recambio, negat etiam ex pæna. 9.

Et caſus ſecundæ concluſionis poteſt eſse contingibilis, & probatur non eſse ſuperfluus. 10.

Ex cambio ſimplici debetur lucrum. 11.

Refelluntur aliæ cenſuræ Raphaelis de Turri contra Salonium. 12.

1 Referuntur aliæ concluſiones Salonij.

MIchael Salonius *in eadem quæſt. 4. art. 2. controu. 14.*, duas alias ponit concluſiones, quarum prima eſt. *Neque titulo pænæ propter moroſam ſolutionem licere hæc recambia, ſicut ſunt in vſu, exercere*, ſecunda verò eſt, quam ibidem ponit *num. 6. Poteſt campſor, qui bona fide tradidit pecuniam ſuam campſuario certo vel probabilitèr credens, illum habere pecuniam, vel creditum in loco ſolutionis conuenire cum illo de lucro, quod verè illi ceſſauerit, & damno, quod verè illi fuerit ſubſecutum ex non ſolutis literis in termino, & loco ſolutionis deſignato.*

2 Raphael de Turri approbat cõcluſiones, ſed damnat rationes Salonij.

Quamuis Raphael de Turri vtramque hanc concluſionem veriſſimam aſſerat, mirum eſt, quam lubricè, & contra modum, & contra eiuſdem rationes inuehat damnans eundem de ignorantia iuris, & obiter monens cautè legendas eſſe lucubrationes Theologorum in propoſito conuentionum. In ſpecie dicit, quod prima concluſio non attingit recambium ipſum, ſed pænam ob non factam ſolutionem, & ſic totam, quanta eſt egredi terminos propriæ controuerſiæ de recambio; ſubdit deindè, quod in probatione eiuſdem primæ concluſionis confundat pænam conuentionalem cum intereſſe, & cum lucro, quod non prouenit, niſi ex ignorantia iuris. Deindè quoad ſecundam concluſionem, quam dicit eſſe veriſſimam, ſubdit, vel non eſſe contingibilem, vel eſſe ſuperfluam; non contingibilem, quia, ſi debitor eſt habiturus pecuniam in loco deſtinatæ ſolutionis, vtique ſolutionem conſummabit; ſuperfluam; quia non poſita ſolutione in loco deſtinato proteſtatis literis ex ipſo actu ſine aliqua conuentione reſultat obligatio ad intereſſe, & vlterius repetit id, quod antecedenter dixerat, quod illa credulitas creditoris de futura ſolutione in loco deſtinato ſit omninò ſuperflua.

3 Aſſerit egredi terminos controuerſiæ de recãbio.

4 Secundã cõcluſionem aſſerit non eſſe contingibilẽ, vel ſuperfluam

Proſequitur deindè idem Raphael de Turri damnare ea, quæ in probatione eiuſdem ſecundæ concluſionis adducit Salonius, nempè in cambio per Bullam Pij V. damnari quidem quamcunque taxationem certi intereſſe, non autem compenſationem lucri ceſsantis, vel damni emergentis in genere, & quidem non damnat in eo, quod aſserit non prohiberi per dictam Bullam lucrum ceſſans, & damnum emergens, ſed in eo, quod ſupponat in cambio ſimplici dari lucrum, quod ipſe de Turri ore aperto aſſerit non dari, ſed ſolummodò in recambio, qui propterea aſſerit, quod, dum Pius V. damnat, & prohibet quamcunque taxationem lucri, loquatur ſolummodò de cambio ſimplici, non de duplici.

5 Damnat in eo, quod Salonius ſupponit dari lucrum ex cambio ſimplici.

Rurſus damnat in eo, quod aſſerit *idem Salonius num. 9.*, nempè, valde differre inter ſe hæc duo, pactum ſcilicet de ſatisfaciendo lucro ceſſante, & damno emergente, quod re vera contingit literis non ſolutis, & recambia ipſa, & quod intereſſe debeatur ratione primi, non ratione ſecundi; Damnat, inquam, non in eo, quod illa duo ſint diuerſa, ſed in eo, quod Salonius aſſerit, intereſse non deberi ratione recambiorum, quando creditori nullum emergit damnum, nec lucrum aliquod ceſsat, & hoc quia ignorat praxim cambiorum, quandòquidem non eſt contingibile campſorem damnum non pati ſaltem ex ceſſatione lucri ex eo, quod literæ non ſoluantur. Procedit vlterius reprobando rationes, quibus innititur Salonius, ad probandum in hac hypotheſi non deberi intereſse ex recambijs; dum enim dicit Salonius, quod debitor ex neceſſitate conſentiat recambio, ac proindè reſultet iniuſtitia in contractu, & ſic debeatur ſolummodò intereſse ex primo cambio, non verò ex vlteriori, ipſum redarguit idem Raphael de Turri, eo quod neceſſitas non ſit in hoc conſiderabilis, ex quo contractus habuit originem omninò liberam, &, ſi effectus reſpiciatur, idem eſt intereſse, ſiuè literæ proteſtentur, ſiuè recambium celebretur, vndè aſserit, quod immerito ex parte oneris adiecti debitori permiſso primo intereſse denegetur ſecundum; Subdit vlterius aduerſus eundem Salonium, quod immerito dicat, quod creditor exigat primum debitum cum intereſse prioris cambij, & remittat literas abſque vlteriori intereſse, cum ex hoc nullum ſentiat intereſse, nam in primo cambio nullum eſt dare intereſse, & hinc eſt, quod quando literæ cãbij non ſoluuntur, illas proteſtatas remittat creditori quidem, & in eadem ſumma prorſus, de

6 Item in eo, quod aſſerit nõ deberi intereſſe recambiorum.

Rationes propter quas dãnat.

Repetit, quæ ſuperius dixerat.

Digitized by Google

qua in literis, ſed ſoluenda vna cum intereſse recambij ob ſolutionem non factam, & hoc inquit eſſe illud intereſſe, quod ſentit creditor ob ſolutionem non factam, non autem intereſſe primi cambij, quod nullum eſt, niſi fortè in mente, vel in ſpe, quod deindè æquè prouenit, ſiuè literæ remittantur cum proteſtatione, ſiuè per duplicationem cambij, ſeu per viam recambij.

Examinatur, an iuſtæ ſint huiuſmodi cenſuræ Raphaelis de Turri.

7 INcipiendo à prima cenſura contra primam concluſionem eiuſdem Salonij incongruè procedit idem de Turri, dum damnat in eo, quod tranſitum faciat à recambij intereſſe ad pænam conuentionalem; non enim ipſe Salonius in hoc ſiſtit præcisè in natura recambij ſecundum ſe, ſed, cum dixiſſet, ex illo recambio ſecundum ſe non deberi intereſſe, modo ampliatiuè procedens dixit, quod neque illud intereſſe recambij debeatur ex pæna conuentionali, cum illa pæna nequeat adijci, in quo non eſt, cur damnetur Salonius; concluſiones etenim negatiuæ etiam recipiunt ſuas exceptiones, & ampliationes; Neque vim aliquam facit id, quod ſubdit idem Raphael de Turri, nempè, quod Salonius confundat pænam conuentionalem cum intereſſe, & lucro recambij; non enim poteſt eſſe difficultas, quod aliquod intereſse, quod non debetur ex natura contractus, poſſit eſse debitum ex pęna, ſeu ex conuentione pænæ, ſi non adimpleantur, quæ ſunt adimplenda, vel ſaltem poſſit eſse controuerſia, an illa pæna ob non adimplementum poſſit eſse debita, quam controuerſiam ipſe Salonius dirimit negatiuè reſpondendo, in quo non diſsentit ipſe Raphael de Turri, vndè incongruè in hoc redarguit ipſum.

Reſoluũtur cenſuræ Raphaelis de Turri.

8 Nunquã in hac ſerie Salonius cogitauit de natura recãbij.

9 Negato intereſſe illius recãbij negat etiã tale intereſse ex pæna.

Proſequendo poſtea in ſecunda concluſione Salonij aſserit Raphael de Turri, vel illam non eſse in praxi contingibilem eo quia, cum in loco deſtinato habeat debitor, quo ſoluat, & hoc certè cognoſcatur à creditore, vtique ponetur ſolutio, & ſic non erit locus compenſationi lucri ceſsantis, vel damni emergentis, vel eſse ſuperfluã, cum certum ſit, quod non ſecuta ſolutione in loco deſtinato literæ proteſtentur, cuius proteſtationis vigore, & ex ipſo actu abſque alia conuentione reſultat obligatio ad intereſse. Sed hæc duo, quæ obijcit Raphael de Turri, inter ſe directè ad inuicem pugnant; ſi enim ſupponit in ſecundo membro, quod, ſi literæ non ſoluantur, poſſit contra eas eleuari proteſtatio, ergo ſupponit, quod non obſtante, quod campſor habeat bonam fidem de ſolutione futura, eo quia nouit debitorem habere in loco deſtinato pecuniam, qua ſoluere poſſit, nihilominus poſſit non ſequi ſolutio; cum veriſſimum ſit, quod habens pecuniam in loco deſtinato poſſit ibi nolle ſoluere, cum vel illa pecunia indigeat ad alias negotiationes ſibi vtiliores obeundas, vel illam velit ibi reſeruare; vndè ex primo capite non contingibilitatis nihil euincit; ex ſecundo verò ſuperfluitatis rectè quidem procedit Turri, ſed non ſecundum eã latitudinem, quam ipſe fortè arbitratur, exiſtimans poſse exigere intereſſe recambiorum, cum dumtaxat poſſit habere compenſationem lucri ceſſantis, vel damni emergentis, quod non menſuratur ad normam recambiorum, quæ regularitèr amplior eſt; niſi fortè creditor patiatur intereſſe recambiorum, quatenus, ſi habuiſſet pecuniã in loco deſtinato, recambiaſset, in quo caſu lucrum ceſſans correſponderet intereſſe recambij. Vide quæ in præcedenti prænotione dicta ſunt.

10 Et caſus ſecundæ cõcluſionis poteſt eſſe contingibilis, & nõ eſſe ſuperfluus.

Ad id, quo damnat Salonium quoad probationem ſecundæ concluſionis eiuſdem, dicẽdum eſt incongruè procedere, dum ſupponit in *cambio* ſimplici non dari lucrum, quod tamen ex præactis falſum eſt. Recole ea, quæ in præcedenti prænotione quoad hoc dicta ſunt.

11 Iam ex dictis ex cambio ſimplici poteſt eſſe lucrum.

Ad vltimum tandem, in quo Raphael de Turri arguit Salonium, dicendum eſt, incongruè ipſum impetere, eo quod non ſit contingibile, quod campſor damnum non patiatur ex nõ ſolutione literarum in loco deſtinato; poteſt enim contingere, quod, ſi facta ibidem eſset ſolutio, creditor pecuniam receptam otioſam teneret. Deindè inanis eſset quæſtio apud Doctores, an nullo lucro ceſsante, vel damno emergente poſſit eſse lucrum ex cambio ob non ſolutionem præſtitam in loco deſtinato, ſi ſemper eſset aliqua lucri ceſsatio, vel damnum aliquod, vt ſupponit Raphael de Turri. Rurſus, dum idem de Turri opponit Salonio, quod incongruè ſtatuat, quod ob non poſitam ſolutionem in loco deſtinato non poſſit debitor compelli ad ſoluendum intereſse recambij,

12 Refellũtur aliæ cenſuræ eiuſdem de Turri contra Saloniũ.

bij, cum ad illud non libere conſenſerit, ſed ex neceſſitate, facit mirabilem tranſitum, in quo ipſe de Turri arguebat Salonium; ſupponit enim, quod ipſe Salonius voluerit, poſse creditorem recipere intereſse ex recambio, quod certè ſtatuit, ſed voluit ſolummodò Salonius in hac concluſione, quod poſſit [illegible] de compenſatione lucri [illegible] vel damni emergentis, ſi quod [illegible]erit, vel emerſerit. Recole quoad hoc ea, quæ in præcedentibus dicta ſunt, & hic applica.

PRÆNOTIO XVII.

Expenduntur cenſuræ Raphaelis de Turri contra Azorium.

SVMMARIVM.

Refertur caſus, quem ſibi figurat Azorius per extenſum. 1.

Referuntur ſpecialitèr ea omnia, quæ circa talem caſum aſſerit Azorius. 2.

Cenſuræ Raphaelis de Turri contra eundem. 3.

Damnat, quia Azorius non exprimit ex cuius pecunijs reſpondens ſoluat primum cambium. 4.

Item, quia non explicat, an literæ ſecundæ, quæ remittuntur, ſint ex nouo cambio, an ex ſimplici mandato. 5.

Item, quia obligat debitorem ad duplex lucrum. 6.

Primum cambium poteſt ſolui vel ex pecunijs reſpondentis, vel alterius. 7.

Dum Azorius loquitur de ſecundis literis ſufficientèr indicat, has eſſe ex nouo cambio. 8.

Re vera ex duplici cambio debetur duplex intereſſe. 9.

Oſtenditur hunc caſum comprehendi ſub approbatione Gregorij XIII. 10.

Laudando in hoc Azorium Raphael de Turri reprobat Salonium, ſed immerito. 11.

Dum Azorius negat ex pecunia eiuſdem nummularij poſſe ſolui cambium, intelligendus eſt de pecunia eiuſdem negotiationis. 12.

Raphael de Turri damnans Azorium in eo, quod dixerit, reſpondentem repræſentare duplicem perſonam, damnat in eo, quod ipſe approbat. 13.

Azorius nomine fictionis intelligit illam virtualem ſolutionem. 14.

Oſtenditur, quomodò miniſter poſſit eſſe creditor, & debitor eiuſdem. 15.

Aliæ cenſura Raphaelis de Turri contra Azorium. 16.

Re vera in illo contractu non interuenit mutuum. 17.

In illa etiam ſolutione primi cambij ex pecunia nummularij eiuſdem negotiationis damnat idem Raphael de Turri Azorium in eo, quod ipſe approbauit. 18.

Si campſor obligaret campſarium ad vtendum proprio reſpondente, cum poſset alitèr ſatisfacere, vtique iniuſtè ageret. 19.

Cenſura Raphaelis de Turri contra reſponſionem Azorij. 20.

Azorius non dicit, quod miniſter per ſolutionem tractæ præcisè conſtituat nouum cambium. 21.

Refellitur eadem cenſura Raphaelis de Turri. 22.

Refertur alia facti ſeries, quam ſibi figurat Azorius. 23.

Aſſerit, quod cambium celebratum pro loco, in quo non fiunt nundinæ cum pacto, vt intereſse reſpondeat illi, quod ſoluitur in nundinis, vbi celebrantur, ſit vſurarium. 24.

Rationes, quibus innititur Azorius. 25.

Variæ conſiderationes Raphaelis de Turri circa caſum Azorij. 26.

Cenſuræ Raphaelis de Turri circa dicta Azorij. 27.

Conſiderationes Raphaelis de Turri non faciunt ad rem in caſu præſenti. 28.

Ex cambio ſimplici debetur intereſſe. 29.

Hoc genus cābiendi non eſt fruſtraneum. 30.

Azorius damnat tanquam vſurarium cambium, quo plus exigitur, quia nundinæ magis diſtant tempore. 31.

Confutat excuſationes mercatorum. 32.

Raphael de Turri damnat in hoc Azorium & de ignorantia praxis, & iuris. 33.

Nunquam ſomniauit Azorius, tale cambium fieri vltra primas nundinas. 34.

Maius lucrum ex ſola temporis dilatione eſt vſura. 35.

Maius lucrum poſset exigi ex concurrentia plurium mercatorum. 36.

Pretia rerum poſſunt augeri ex copia concurrentium, ſiuè contractus fiat numerata pecunia, ſiuè expectata. 37.

Refertur praxis Raphaelis de Turri circa ſolutiones. 38.

Hæc praxis non poteſt officere reſolutioni noſtræ. 39.

Pactum, vt campſarius teneatur literas dare ad miniſtrum campſoris ſecundum Azorium, vt ſit licitum, debet eſse cum dimminutione pretij. 40.

Reijcitur oppoſitio Raphaelis de Turri remiſſiuè. 41.

Refertur caſus Azorij, quo depoſitarius plurium mercatorum concedit pecunias eorundem indigenti cum onere, vt detineātur in cambijs ad quatuor anni ferias. 42.

Con-

Conſiderabilia plura Raphaelis de Turri contra caſum Azorij. 43.
Opponit, quod in explicatione recedat à facti figuratione. 44.
Depoſitarius, ſiuè detineat in vim depoſiti, ſiuè mandati, poteſt validè contrahere. 45.
Solum intendit Azorius probare illas cambiationes per integrum annum eſſe licitas. 46.
Sunt licitæ, ſiuè obligatio ſe teneat ex parte vtriuſque, ſiuè ex parte tantum debitoris. 47.
Nec obſtat tertio reſponſo Vrbani VIII. 48.
Oſtenditur, Azorium in explicatione non diſcedere à caſus figuratione. 49.
De Turri in oppoſitionibus contra Azorium ſibi contradicit. 50.
Soluitur vltima cenſura Raphaelis de Turri. 51.

LAudat Raphael de Turri Azorium in eo, quod melius nouerit praxim cambiorum, quam Salonius, & tamen ferè omnia eidem Azorio opponit, quæ oppoſuerat Salonio. Singula ſucceſſiuè referam, in quibus vel carpit, vel palpat Azorium.

1 Caſus figuratus ab Azorio.

Azorius *Inſtit. mor. part.3.lib.10.c.9. de cambijs quaſt. 2.*, ſibi figurat caſum in his terminis. *Titius nummularius dat Genuæ Caio mille aureos, vt ſoluat eos in primis nundinis Lugduni, & Caius Lugduni nec habet filium, nec fratrem, nec ſocium, nec miniſtrum, nec procuratorem, nec alium aliquem ſibi notum, qui pro eo ibi ſoluat, & ideò Titius offert ei Seium ſuum miniſtrum vel Procuratorem, vel amicum, aut Socium Lugduni commorantem, qui pro eo ſoluat; & ità Caius literas ſcribit ad Seium miniſtrum, vel Procuratorem Titij, vt ſoluat ſibi ipſi tanquam miniſtro, & Procuratori Titij mille aureos, quos fatetur ipſe Caius ſe Genuæ à Titio accepiſſe, & tunc idem Seius Lugduni mille aureos ſoluit pro Caio, & conſtituit ipſum Caium debitorem mille aureorum, quos pro ipſo Lugduni Seius ſoluit; & deindè Seius ſcribit literas ad Titium, vel ad alium nummularium Genuenſem, vt exigat mille aureos à Caio, quos pro eo ipſe Seius Lugduni ſoluit, ac propterea Caius cogitur lucrum ex cambio duplicatum ſoluere, vnum Lugduni, vbi finitum eſt primum cambium, & ſoluti ſunt mille aurei, quos Genuæ à Titio Caius receperat; ſecundum lucrum ſoluit Caius Genuæ, vbi finitur ſecundum cambium, & ſoluuntur mille aurei, quos Lugduni Seius ſoluerat pro Caio.*

2 Aſſerit Azorius hunc caſum ſecūdum ſeriem expoſitam eſſe approbatū à Gregorio XIII. in reſponſo ad Archiepiſcopum Panormitanum.

Circa hanc caſus figurationem aſſerit idem *Azorius loc. cit. verſ. hoc cambium*, contractum in eadem ſignatum fuiſſe per Congregationem à Gregorio XIII. deſtinatam Cardinalium, firmatum per reſponſum ab eiſdem Cardinalibus datum Archiepiſcopo Panormitano, per quod dixerunt hoc cambium Pij V. conſtitutione, & literis non comprehendi: ſubdit deindè *in verſ. in h*[illegible] quod, quāuis [illegible] ad Miniſt[illegible] Titij nummul[illegible] infirmetur contractus, modo idem Miniſter, vel Procurator, non ex pecunia ipſius nummularij, ſed vel ex ſua, vel ex aliena ſoluat. Item ſubdit, quod Seius, prout rapræſentat perſonam Titij creditoris ſit creditor Caij, qui eſt debitor Titij, & dum ſibi ipſi ſoluit nomine Caij rapræſentat perſonam Caij, ratione cuius ſit debitor Titij nummularij Genuenſis, quia fingitur nomine Titij accepiſſe Lugduni mille nummos aureos, quia totidem Titius Genuæ dederat Caio; cum deindè literas alias Genuam remittit, vt ſoluat Caius Titio mille aureos, obligat ſibi ex Titio tanquam debitorem ipſum Caium, & ſe, & Titium facit creditorem.

Itē, quod tracta, & remiſſa, poſſit fieri ad eundem reſpondentem nummularij.

Itē, quod reſpondens nūmularij, rapræſentat duplicem perſonam, & quomodo.

In verſ. *verum dubiæ quaſtionis eſt*, dicit idem Azorius, nō eſſe licitum cambium, cum Miniſter, vel Procurator nummularij ſoluit ex ipſius nummularij pecunijs Lugduni pro eo, qui Genuæ pecunias receperat, quia perindè hoc cambium ſe habet, ac ſi nummularius mutuo daret Caio mille, vt ſibi ſolueret quoque totidem, quæ ex mutuo debebat, nam quamuis mutuum illud extingueretur, maneret tamen ſemper mutuum, ac perindè nequit lucrum exigere, niſi cum vſuraria prauitate. Addit vlterius, quod, quamuis mutuum in hoc contractu non interueniret, interueniret tamen ex eodem cambio ſpecies vſuræ, quia obligaretur debitor ex pacto primi cambij ad ſoluendum totidem cum lucro in eodem loco, vbi eas accepit, cum illa obligatio determinatè ſoluendi in eodem loco ſine libertate ſoluendi in alio loco ſit pretio æſtimabilis, adeoq; hoc exigeretur ſupra ſortem.

Item aſſerit, quod reſpondens campſoris, nō poſſit ſoluere ex pecunia eiuſdem.

Reſpondens poſteà idem *Azorius loc. cit. verſ. at obyciet*, cuidam inſtantiæ, quæ contra ſe ipſum afferri poteſt, nempè, quod, cum Procurator Titij nummularij Lugduni poſſit ſoluere ex pecunia ſua, vel aliena, videatur etiam poſſe ſoluere ex pecunia eiuſdem creditoris, dicit magnam eſſe diſparitatem, quia dum ſua, vel aliena pecunia ſoluit, mutuum non

Itē, quod quando reſpondens ſoluit ex pecunia campſoris ſit mutuum.

non eſt, ſed cambium ſecundum Lugduni contractum gratia Caij, quia Seius ſuam pecuniam, vel alienam commutat cum pecunia abſenti, quam Caius Genuæ debet perſoluere, ac proindè eſt cambium diſtinctum ab eo, quod fuit celebratum Genuæ, & ità ex illo factus eſt Caius debitor non Titij, ſed Seij procuratoris, vel alterius; at verò cum ſoluit ex pecunia eiuſdem Titij nummularij mutuum eſt, non cambium, quia Caius ſemper eſt debitor Titij, ſicut erat prius, cum præcipuè Caius ex pacto primi cambij obligetur ad ſoluendum Genuæ, vbi nummos acceperat.

3 Cenſuræ Raphaelis de Turri contra eundem.

4 Primo, quia non exponit, ex quibus pecunijs ſoluatur primum cābium.

5 Secundo, non aperit, an ſecundæ literæ, quæ remittuntur, ſint ex nouo cambio, an ex ſimplici mādato.

6 Tertio, quia obligat debitorem ad duplex lucrum.

7 Primum cambium poteſt ſolui, vel ex pecunijs reſpondentis, vel alterius.

In ijs omnibus, quæ aſſerit Azorius nonnulla approbat idem Raphael de Turri, nonnulla reprobat; Reprobat primo ex eo, quod, cum Seius dicat in loco deſtinato pro cambio ſoluere, non aperit quomodo ſoluat, an ſcilicet de pecunijs ipſius ſoluentis, an vero de pecunijs creditoris, an vero ex pecunijs alienis, quod erat explicandum. Secundo in eo, quod, cum dicat, Seium dare literas ad Titium creditorem ex primo cambio, vt exigat à Caio debitore primi cambij, non aperit, an mandatum prædictum proueniat à nouo cambio Lugduni celebrato, an vero ex ſimplici mandato, quæ duo valdè inter ſe diferunt, nam in primo caſu interuenit duplicatio contractus, non ſic in ſecundo. Tertio, reprobat in eo, quod dicat, Caium ex duplicato contractu teneri duplicatū lucrum ſoluere, quod aſſerit, non eſſe verum, cum ex ſimplici cambio non exigatur lucrum, ſed dumtaxat ex duplicato. Sed immerito in ijs omnibus damnat Azorium, in primo quidem, quia non fuit neceſſe, hoc exprimere, cum ęque potuerit ſoluere ex pecunijs proprijs, vel ex pecunijs aliundè habitis, quod optimè notauit idem *Azorius loc. cit. verſ. in hac re ſatis perplexa*, dum dixit, *cambium ſubſiſtere, quamuis, qui pecunias recipit, in eo loco, in quo debet ſoluere nullos nummos habeat dummodo tamen probabili ſpe, & poteſtate habeat, quia ſcilicet ibi habeat amicum, vel alium, qui pro ipſo ſoluere queat*, quod etiam non denegat ipſe de Turri, nec curandum eſt, an vnius, vel alterius pecunijs ſoluerit, dummodo in loco deſtinato poſita fuerit ſolutio; quinimmo ex eo, quod ipſe Azorius aſſerat, ſolutionem, non poſſe fieri ex pecunijs eiuſdem nummularij, intelligitur voluiſſe, quod facta fuerit ex pecunijs eiuſdem Miniſtri, vel alterius; vndè in hoc voluit ſignificare Azorius, quomodo potuit diſſolui primum cambiū, pecunia ſcilicet ipſius ſoluentis, vel aliena, ita vt quomodocunque fiat, teneat & cambium, & ſolutio, non autem ſe reſtringere ad modū ſpecialem, quo determinatè facta fuerit ſolutio, quod ſatis expreſſit, dum dixit, *ita tamen, vt Miniſter, vel Procurator ille non ex pecunia ipſius nummularij, ſed, vel ex ſua, vel aliena, hoc eſt ab alio accepta ſoluat*.

8 Dū Azorius loquitur de nouis, ſeu ſecundis literis ſufficienter indicat has eſſe ex nouo cambio.

Secundo, immerito damnat in eo, quod ſecundo loco obijcit, nempè Azorium in ea caſus figuratione, non exprimere, an ſecundæ literæ proueniant ex nouo cambio, an verò ex ſimplici mandato; immeritò, inquam, quia in hoc ipſe Raphael de Turri oſtendit, ſe praxim ignorare; quando etenim primæ literæ non ſoluuntur in loco deſtinato, non remittuntur nouæ literæ, ſed primæ cum proteſtatione. Deindè ſatis indicauit Azorius, ſe loqui de duplicatione cambij, dum vocat cambium *con la ricorſa*, quod certè ex genere ſuo importat duplicationem. Tandem hoc ſatis expreſſit idem Azorius, dum dicit, quod cogitur debitor ex duplicato cambio duplicatum lucrum perſoluere, vnum Lugduni, vbi finitum eſt primum cambium, ſecundum Genuæ, vbi finitur ſecundum cambium.

9 Re vera ex duplici cambio, debetur duplex intereſſe.

Tertio, immerito damnat etiam in eo, quod dicat debitorem teneri ad duplex lucrum, cum re vera debeatur, vt patet ex ijs, quæ diximus in præcedentibus prænotionibus vindicando Salonium ab oppoſitis per eundem Raphaelem de Turri.

10 Oſtenditur hunc caſum comprehendi ſub approbatione Gregorij xiij.

Reprobat item idem Raphael de Turri Azorium in eo, quod dicit, cambium illud, quod expoſuit, eſſe approbatum per Gregorium XIII. per reſponſum ad Archiepiſcopum Panormitanum; aſſerit enim, hoc cambium nō comprehendi ſub illo reſponſo, cum in illo caſu figurato per Azorium non appareat, quomodo facta ſit ſolutio, nec quod facta fuerit conuentio ſecundi cambij, in qua dicit conſiſtere pondus totius difficultatis. Bone Deus? Quæ non confingit de Turri, vt inuehat? Si benè ponderaſſet verba, & ſenſum Azorij, nec ſibi confixiſſet defectus, in quibus illum impetit, certè cognouiſſet, ſe ſimulaſſe errorem, vbi nō eſt error. Quomodocunque facta fuerit ſolutio primi cambij in loco deſtinato ſiuè ex pecunijs miniſtri campſo-

ris,

Digitized by Google

ris, ſiue ab alio acceptis, congruè facta intelligitur teſte eodem Raphaele de Turri; in facti ſerie expoſita per Azorium dicitur expreſsè, quod *Seius Miniſter campſoris Lugduni mille nummos aureos ſoluit pro Caio*, ex quo coniectat non apparere modum ſolutionis, dum verbis apertis Azorius aſſerit Seium ibi ſoluere? Si Raphael de Turri reflexiſſet, hic non agi de cambio ſimplici, ſed de cambio continuato, ſeu de recurſu, cognouiſſet implicitè conuentionem illam de recambio ineſſe. Si ponderaſſet, quod Caius ex ſolutione primi cambij facta Lugduni per miniſtrum nummularij conſtituatur debitor eiuſdem Seij ex cambio, & memor eſſet eorum, quæ docuit *diſp. 3. q. 12.*, nempè, quod ex mora debitoris ex cābio præſcripta etiam quacunque conuentione oriatur ius in creditore recambiandi ſummam ſibi debitam, non feciſſet vim in illa conuentione, nec dixiſſet in ea conſiſtere totum robur difficultatis.

11 Raphael de Turri laudando Azoriū, damnat Salonium, ſed immeritò.

Ponderat poſtea idem Raphael de Turri id, quod dicit *Azorius in verſ. in hac re ſatis perplexa*, & aſſerit verum dicere in ea parte, qua docet, poſſe creditorem ex cambio, licet ſciat debitorem non habiturum in loco deſtinato ad ſolutionem, qui debitum pro ipſo ſoluat, curare, vt dicta ſolutio fiat per alium, dictumque munus demandare ſuo Procuratori, vel miniſtro in dicto loco commoranti, & in hoc aſſerit Azorium diſſentiri à Salonio, quem dicit nunquam admiſiſſe cambium celebratum cum eo, quem ſciebat creditor non habiturum pecuniam in loco deſtinatæ ſolutionis; in ea vero parte, in qua Azorius limitando dicit, ita tamen, vt ille, ideſt miniſter nummularij, non ex pecunia ipſius mandantis, ſed ex propria, vel aliena ſoluat, poſita diſtinctione de pecunia nummularij, vel ex eadem, vel ex diuerſa negotiatione commendat dictū Salonij, ſi intelligatur de pecunia nūmularij ex eadem negotiatione, reprobat verò, ſi procedat etiam de pecunia eiuſdem ex diuerſa negotiatione.

Antequam deſcendam ad explicandam mentem Azorij, eiuſque in hoc doctrinam placet Salonium à cenſura eidem per Raphaelem de Turri impicta vindicare. Nunquam cogitauit Salonius, aſſerere, quod quando campſor nouit campſarium non habiturum eſſe pecuniam actu, habiturum tamen eſſe poteſtate, quatenus, vel ibi habuerit amicum, qui poſſit pro ipſo ſoluere, vel etiam reſpondentem campſoris, non ſubſiſtere cambiū, quinimmò expreſsè docuit *de cambijs q. 4. art. 2. controu. 7. n. 4. verſ. ſecundo communi omnium mercatorum vſu*, cambium ſubſiſtere, quando campſarius non habet pecuniam in loco ſolutionis, habet tamen amicum, qui pro ipſo ſoluat. Ibi: *Quamuis nullus habeat actu pecunias in Flandria, habeat tamen amicum, qui pro ipſo ſoluere poſſit, nullus eſt peritorum, & prudentum, qui iudicat illum fictum*; Item approbat contractum, in quo idem campſor curat debitum campſarij per ſuum reſpondentem ſolui, & hoc præſtat *d. q. 4. art. 2. controuerſ. 12. nu. 5.*, vndè non eſt, cur idem de Turri aduerſus ipſum inuehat.

12 Dū Azorius negat ex pecunia eiuſdem nummularij poſſe ſolui cābium, intelligendus eſt, de pecunia eiuſdem negotiationis.

Redeundo iam ad cenſuram aduerſus Azorium, dico rectè quidem procedere eundem de Turri, dum dicit etiam ex pecunia eiuſdem nummularij poſſe ſolui primum cambium, quando tales pecuniæ ſunt ex diuerſa negotiatione, quod etiam nos in præcedentibus commendauimus, nec arbitror aliter ſenſiſſe Azorium, licet dixerit in genere cambium non poſſe ſolui ex pecunijs eiuſdem nummularij; intelligendus enim videtur reſtrictiuè per pecunias eiuſdem negotiationis. Vtrū verò poſſit ſolui ex pecunia eiuſdem negotiationis, vide, quæ ſupra dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. de cambijs III. prænot. 12. ferè per totum*.

Damnat vlterius idem Raphael de Turri Azorium in eo, quod dicit, quod Miniſter, ſeu Procurator Titij nummularij, prout rapræſentat perſonam Titij creditoris eſſe creditorem Caij, qui eſt debitor Titij, & prout ſoluit nomine Caij rapræſentare perſonam eiuſdem Caij, aſſerit enim primo, quod miniſter in expedienda ſolutione omnia præſtet ex propria perſona, quæ neceſſario obligatur actiuè, & paſſiuè reſpectu diuerſorum, perfectionis ſcilicet cambij prioris, & celebratione recambij, ſicque non rapræſentat alienam perſonam, licet prædicta adimpleat commodo, vel incommodo eorum, de quorum ordine prædicta agit. Secundo, damnat in eo, quod dicit Azorius, quod ſcilicet in hac negotiatione fingatur, quod Seius miniſter Lugduni ille mille aureos receperit; ſi etenim ſupponatur id fingi, deſtruitur tota ſubſtantia negotiationis, quæ conſiſtit in perfectione prioris cābij, quæ fieri debet per veram ſolutionem, non fictam. Tertio, in eo damnat, quod aſſerit, quod Seius miniſter

ſol-

Digitized by Google

ſoluens pro Caio fit debitor, & creditor eiuſdem Caij; ſed creditor quidem eſt Caij, pro quo ſoluit, debitor verò Titij, pro quo exegit receptitiſſima actione mandati contraria.

Sed nimis acritèr procedit aduerſus eundem Azorium, & nimis ſiſtit in verbis; & in primis, dum negat, reſpondentem nummularij rapræſentare perſonam creditoris, & debitoris in illa negotiatione, id in alijs damnat, quod ipſe antecedentèr approbauerat; meminerit eorum, quæ ipſe tradidit *diſp. 3. q. 1. in prologomenis n. 17.* Ibi· *Cum enim, vt memini, alibi me probaſſe, & fuſius infra ſuo loco vna eademque perſona, prout eſt præpoſita diuerſæ negotiationi in locis diuerſis poteſt plurium perſonarum vices exercere.* Rurſus, *ibidem nu. 19. cum Procurator Titij exiſtens in feria, licet ſit perſona longè diuerſa à Titio, tamen, cum eius mandato vtitur, eandem prorſus refert.* Et quidem, ſi ex generali regula dicitur mandatarius rapræſentare perſonam mandantis, non video cur

13 Raphael de Turri, dũ damnat Azorium in eo, quod aſſerit reſpondentem rapreſentare duplicem perſonam, damnat in eo, quod ipſe approbat

reſpondens, qui exequitur mandatum campſoris, & campſarij, non poſſit dici eorundem perſonam rapræſentare. Deindè, dum dicit, quod Azorius deſtruat totam ſubſtantiam negotiationis, dum aſſerit in hac negotiatione fingi Seium Lugduni mille à Caio recepiſſe, nimis ſiſtit in verbis, ſeu in cortice verborum; per ly enim, *fingere*, intelligit Azorius illam virtualem ſolutionem, quæ fit per hoc, quod ille, cui dirigitur tracta, receptis literis cãbij dirigit ſcripturam in libris rationum, & dat creditum de remiſſa ei, cui facienda eſt ſolutio, quod etiam approbat idem *Raphael de Turri diſp. 2. q. 17. nu. 3.* per hoc enim dicitur virtualitèr ſoluere. Sumit ergo per ly, *fingere*, Azorius ſolutionem, quæ non fit per pecuniam numeratam, ſed per virtualem iuxta modum expoſitum; in quo non deberet adeo deſudare Raphael de Turri, dum Azorius non diſcrepat in ſubſtantia, ſed dumtaxat in modo exprimendi. Tandem, dum damnat Azorium in eo, quod aſſerit Seium miniſtrum eſſe ſimul creditorẽ, & debitorem Caij, cum ſit ſolummodò creditor Caij, & debitor Titij, incongruè etiam procedit, quandoquidem licet in reſolutione ſecundi contractus videatur ſolummodò eſſe creditor Caij, & debitor Titij, cui propterea in ſolutionẽ talis debiti remittit ſummam ab eodem Caio exigendam, cum tamen in perfectione primi contractus duplicem rapræſentet perſonam, &

14 Azorius, nomine fictionis, intelligit illam virtualem ſolutionem.

15 Oſtenditur quomodo Miniſter poſſit ſimul eſſe creditor, ex debitor eiuſdem.

Titij nummularij creditoris, & Caij debitoris, videtur vtramque qualitatem induere, creditoris ſcilicet, vt rapræſentat perſonam Titij, quatenus proindè ſe habet, ac, ſi eſſet Titius, & debitoris, quatenus rapræſentat perſonam Caij. Hoc idem, quod Azorius, docuit idem *Raphael de Turri diſp. 3. qu. 6. num. 10.*, licet modo damnet.

Reprobat vlterius Azorium in eo, quod dicit, quod quando miniſter ſoluit ex pecunia nummularij primum cambium, tunc interueniat mutuum, cum perindè ſe habeat res, ac, ſi nummularius mutuo daret pecuniam in loco, vt in eodem poſtea reciperet cum lucro, & in eo, quod ſubdit, quod quamuis in hoc contractu non interueniret mutuum, interueniret tamen aliqua ſpecies vſuræ, ſeu iniuſtitiæ, qua obligaretur debitor ex primo cãbio ad ſoluendum totidem cum lucro in eodem loco, vbi pecuniam recepit, quandoquidem illa obligatio eſt res pretio æſtimabilis ſupra ſortem. Reprobat, inquam, in primo, quia, ſi pecunia, qua ſoluitur primum cambiũ, eſt quidem eiuſdem nummularij, non ex eadem, ſed ex diuerſa negotiatione iuxta præacta, eſſet iuſta ſolutio, & validum cambium; ſi verè eſſet pecunia eiuſdem negotiationis approbat dictũ Azorij tanquam verum, ſed reprobat rationem, cui innititur, nec enim aſſerit eſſe vitioſum contractum, quia fit mutuum, ſed quia illa obligatio non diſſolueretur per illam ſolutionem factam ex pecunia nummularij, nam, vel fieret ex pecunia numerata eiuſdem, & hoc non, quia eſt neceſſe ad effectum, vt poſſit extinguere debitum, quod reducatur in actu ſecundo expendibilitatis, ad quem actum non reducitur, dum eſt ſub dominio creditoris, vel fieret per nouationem obligationis, vel per delegationem, aut etiam compenſationem, & hoc dicit eſſe impoſſibile reſpectu eiuſdem perſonæ. Reprobat item in ſecundo, quia illa obligatio recambiendi retento correſpondente nũmularij creditoris prouenit ex voluntate antecedenti, & ex præſuppoſitis, quod ipſe debitor non poſſit ſatisfacere debito in loco deſtinato contracto ex primo cambio. Cum ergo dicta obligatio cum recurſa ſupponat debitorem habere neceſſitatem iterandi cambium in loco deſtinatæ ſolutionis ad hoc, vt poſſit primum perficere, hoc pactum recurrendi pro prædictis ad miniſtrum nummularij

16 Aliæ cenſuræ Raphaelis de Turri contra Azorium

Ppp non

Digitized by Google

non eſt grauamen, ſed potius leuamen, cum eximatur ab illa cura alium inueniendi, qui prædicta adminiſtret, ſicque non eſt pretio æſtimabilis.

17 Re vera in illo cõtractu nõ interuenit mutuum.

Iam has reprobationes perpendo, & quidem in hoc, quod in illo contractu non ſit mutuum, vt aſſerebat Azorius, rectè procedit, & opponit Raphael de Turri, prout nos etiam in præcedentibus docuimus; in eo verò quod opponit, quod per pecuniam nummularij creditoris non poſſit extingui primum cambium, ſi ſit pecunia eiuſdem negotiationis, non rectè videtur impugnare, & minus congruè procedere opponendo; nam tota ratio, per quam dicit per pecuniam eiuſdem nummularij ex eadem negotiatione non poſſe extingui primum cambium, ea eſt, quia illa pecunia non eſt redacta ad actum ſecundum expendibilitatis, cum ſit ſub dominio creditoris, quod eſt neceſſe ad effectum, vt poſſit extinguere debitum, cæteròqui per illam magis debitum firmaretur, quam extingueretur; ſed hoc idem verificaretur, ſi ſolueretur debitũ ex pecunia eiuſdem nũmularij, quantumuis eſſet ex diuerſa negotiatione, quandòquidē & hæc ſupponitur eſſe ſub dominio eiuſdem creditoris. Sicuti igitur quoad pecuniam ex diuerſa negotiatione rectè per ipſum Raphaelem de Turri ſoluitur primum cambium, quia illa pecunia ſupponitur ceſſa ipſi debitori in ordine ad perficiendum primum cambium, ità non videtur eſſe aliqua repugnantia quin rectè ſoluatur ex pecunia eiuſdem nummularij, quantumuis ſit eiuſdem negotiationis, ſi intelligatur ceſſa eidem debitori, & per eundem, ſeu eius miniſtrum collata ad perficiendum primum cambium, & alterum ineundum; hac etenim ratione illa pecunia per illam ceſſionem intelligitur deſijſſe à dominio creditoris; quæ omnia vim videntur habere in textu *d. ſi quis duos homines ff. de ſolut.*, vbi dicitur, *Seruius ait eum, qui nummos à debitore ſuo acceperit, & liberare eum velit, poſſe ſæpius illos nummos accipiendo ab eo, eique retrodando, & rurſus accipiendo id efficere &c.*, ſi enim creditor accipiendo a debitore pecuniam creditam in diſſolutionem debiti præcedentis eidem poteſt tradere incontinenti ex alia cauſa, cur idem creditor non poterit antecedenter ſuam pecuniam dare debitori, vt illa debito ſatisfaciat, eandemque iterum recipere in nouam cauſam recambij? Deindè ſolutio primi cambij poteſt fieri per nouationem, quod etiam videtur firmaſſe *idem Raphael de Turri diſp. 3. quæſt. 3. num.* 14., dum dicit ex communi omnium mercatorum praxi, & Theologorum, & canoniſtarum doctrina intelligi omnia recambia ideo celebrari, quia debitor ex cambio, cum non habeat in loco deſtinatæ ſolutionis modum alium ſatiſfaciendi debito prædicto, id ſolum curat, vt alterius cambij miniſterio eidem debito ſatisfaciat conuertendo ſcilicet illam eandem ſummam debitam pro executione cambij in aliam cauſam recambij ſcilicet debendam, quod etiam clarius videtur inſinuaſſe *dict. diſp. 3. quæſt. 4. num. 9., &* 10. *Ibi cum nihil impediat debitorem tractæ per ipſum acceptatæ loco ſolutionis per numerationem pecuniæ, qua cambium perficitur, eandem ſummam per nouum cambium ſibi imputare in cauſam pretij eiuſdem, & ſic nouando eam recambiare*; vndè neſcio, quomodò nunc hanc ſolutionem per nouationem improbet, quam in locis prædictis approbauerat, quod etiam præſtitit *diſp. 2. quæſt. 8. num.* 19., vbi ait, *& propterea negandum non eſt, & per nouationem perfici cambium, & illius literis, quæ ad dictam perfectionem ordinatur nouatione ſatisfieri*, quæ de qualibet obligatione fieri poteſt *l. 2. & ibi Gloſ. ff. de nouat.*, & non ſolum per noſmet ipſos, ſed, & per alios de voluntate noſtra.

18 In illa etiam ſolutione primi cãbij cum pecunia nũmularij, dãnat Raphael de Turri Azorium quam ipſe approbauit.

In eo verò, quod obijcit Raphael de Turri, quod ſcilicet debitor ex primo cambio id præſtat ex voluntate præcedenti, & quaſi ex neceſſitate, cum non habeat alium, qui pro ipſo ſoluat in loco deſtinato, ac proindè obligationem illam vtendi miniſtro campſoris pro recambio eſſe potius leuamen, quam grauamen ipſi debitori conſiderandum eſt, an verè id præſtat debitor ex neceſſitate, & in leuamen, an verò ex obligatione præcisè impoſita ab ipſo campſore, quatenus ita voluerit dare ad cambium, vt vtatur campſarius, ſeu debitor ſuo reſpondente, aliter non daturus, ſi in eundem non conſenſerit, cum alitèr ipſe campſarius poſſet ſatisfacere. Iuxtà primum ſenſum, certè non incongruè videtur procedere, quia in hoc campſarius non ſentiret incommodum, ſed potius commodum. Iuxtà ſecundum verò ſenſum, certè militaret aſſertum Azorij, cum imponeretur eidem campſario obligatio pretio æſtimabilis ſupra ſortem; atque iuxtà hunc ſenſum procedunt ea, quæ diximus *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſq. 2. §. 1. per tot.*, quæ ſunt ibi videnda.

19 Si campſor obligaret cãpſarium ad vtendum pro. prio reſpondente, cum ille poſſet aliter ſatiſfacere, vtique iniuſtè ageret.

Vlte-

Vlterius damnat idem Raphael de Turri quoad reſponſionem, quam obiectioni, quam ſibi fecerat (nempè quod ſicuti miniſter campſoris poteſt ex propria, vel aliena pecunia ſoluere primum cambium, ita & pecunia creditoris) adhibet dicens, quod quando miniſter ſua, vel aliena pecunia ſoluit non mutuat eam ſcilicet, quam Caius Genuæ eſt ſoluturus, & proindè eſt cambium diſtinctum ab eo, quod prius factum fuerat Genuæ, damnat, inquam, dicens, in hoc longè recedere, & à praxi cambiorum, & à iuris diſpoſitione, quandòquidem, dum miniſter ſoluit tractam primi cambij de proprijs, vel alienis pecunijs, nec de facto contrahit cambium cum Caio debitore ex primo cambio, nec de iure aliquam ex cambio acquirit actionem verſus eundem, ſed ſolum perficit primum cambium extrà, & acquirit actionem mandati verſus ipſum Caium, cuius iuſſu ſoluit. Subdit poſtea, quod poſſet quidem contingere, quod miniſter ad perficiendum extrinſecè primum cambium per ſolutionem, pecunias ad cambium ſumeret, ſed tali caſu ipſe, & Caius obligaretur ex ſecundo cambio licet pro dicta obligatione iuſſu, & ad commodum Caij contracta haberet eundem obligatum eadem actione mandati, quæ tamen omnes obligationes diſſoluuntur, ſi, & quatenus Caius, cui dirigitur tracta ſecundi cambij eam complendo perficiat ſecundum; ex quibus infert liquido conſtare, nil minus contingere in iure, & in facto, quam id, quod adducit Azorius in aſſignato diſcrimine. Hæc ferme ad verbum Raphael de Turri, improbans reſponſionem, & diſcrimen aſſignatum ab Azorio inter caſum, quo miniſter ſoluit primum cambium ex pecunia propria, vel aliena, & inter caſum, quo ſoluit ex pecunia creditoris.

20 Cenſura Raphaelis de Turri cõtra reſponſionẽ Azorij.

Licet ea, quæ hic tangit Raphael de Turri, verum dicant, non tamen tangunt Azorium, nec diſcrimen ab eodem aſſignatum euacuant. Non tangunt ipſum; non enim ipſe præciſè dicit, quod, dum miniſter ſoluit tractam primi cambij de proprijs, vel alienis pecunijs, ex ea præciſè ſolutione contrahat cambium cum eodem Caio, ſed, quod per illam pecuniam vel propriam, vel alienam ſoluat primum cambium, ex qua ſolutione vel ipſe, vel alius, à quo pecuniam illam accepit, euadat creditor Caij, ex quo credito conſtituat ſecundum cãbium, vi cuius remittit tractam ad eundem Caium; quam ipſe Caius ſoluendo ſoluit ſecundum cambium, & tollit quamcunque obligationem: Non euacuat diſcrimen ab eodem aſſignatum, quia Azorius dicit, quod quando miniſter ſoluit ex ſua, vel aliena pecunia, mutuum non conſtituat, ſed ſoluat primum cambium per ſolutionem, ex qua deindè nouum cambium celebret, vi cuius Caius, qui erat debitor ex primo cambio verſus Titium, conſtituatur debitor non eiuſdem Titij, ſed Seij miniſtri, ac proindè eſt cambium diſtinctum ab eo, quod fuerat celebratum inter Titium, & Caium; quando verò miniſter ſoluit ex pecunia creditoris, mutuum conſtituat, nõ nouum cambium, quia Caius ſemper eſt debitor Titij, cuius ante erat, quod magis reſultat ex eo, quod ex pacto primi cambij Caius obligatur ad ſoluendum Genuæ, vbi nummos acceperat. Ipſe verò Raphael de Turri intendens euacuare differentiam aſſignatam dicit ſolummodò, quod Seius miniſter, dum ſoluit tractam, vel ex propria, vel ex aliena pecunia, perficiat ſolummodò extrinſecè primum cambium, & licet contingat, ſeu poſſit contingere, quod pecuniam, qua perficit primum cambium per ſolutionem, accipiat cambio vel à ſe ipſo, vel ab alio, ipſe tamen miniſter ſimul cum Caio obligentur ex ſecundo cambio, & quidem reſpectu Caij ſolum actione mandati. Hoc autem non euacuat diſcrimen ab Azorio aſſignatum, vt per ſe patet, ſiquidem adhuc remanet, quod, quando fit ſolutio primi cambij ex pecunia creditoris, adhuc Caius remaneat debitor eiuſdem creditoris, & quod ex pacto primi cambij ipſe Caius obligatur ad ſoluendum Genuæ, vbi nummos acceperat, in quo debebat inſiſtere idem Raphael de Turri probando, quod ex illo ſecundo cambio Caius debitor non remaneat verſus Titium, ſed ſolum verſus miniſtrum, quod non præſtat, quinimmò ipſe *n. 32. verſ. ad obiectionem* firmat, quod ab eodem Titio, non poſſit accipi pecunia ad ſoluendum primum cambium, quia hoc eſſet fruſtraneum; ex quo ſequitur, quod ſentiat, quod Caius ſemper remaneat debitor ex primo cambio, quando ſolutio primi fieret ex pecunia eiuſdem Titij creditoris; ſi enim ab eodem non poteſt accipi pecunia pro ſolutione primi cambij, quia hoc fruſtatorium, & inane eſſet, vtique ſequitur, quod adhuc remaneat ex primo cambio debitor,

21 Azorius nõ dicit, quod miniſter per ſolutionẽ tractæ præciſè cõſtituat ſecundũ cãbium.

22 Refellitur cenſura eiuſdem de Turri.

Digitized by Google

bitor, quod eſt id, quod volebat Azorius, vndè inanitèr ipſum impetit. Quamobrem alia via procedendum eſt contra Azorium in illo diſcrimine aſſignato, pro quo recole, quæ ſuperius dicta ſunt *ſub hoc eodem titulo de cambijs 3. prænot. 12. verſ. ad hoc argumentum reſpondet Azorius*, vbi latè examinauimus reſponſionem eiuſdem Azorij ad argumenta, quæ non ſunt hic ſine neceſſitate repetenda.

Alia ratione refellenda eſt reſpōſio Azorij.

23 Refertur alia ſeries facti quam adſtruit Azorius.

Aliam facti ſeriem ſibi figurat idem *Azorius d. lib. 10. cap. 9. queſt. 3.* in his terminis: *Titius dat Caio Genuæ centum aureos, vt ſoluat in alio loco, vbi nullæ celebrantur nundinæ eo pacto, vt totidem aureos cum tanto lucro ſibi ſoluat ad tres menſes, cum quanto lucro totidem aurei ſoluentur, ſeu ſoluerentur ad primas nundinas in loco conſueto*; quam ſpeciem cambij ipſe vſurariam arbitratur, vel ſaltem redolentem vſuram, quod ex multis capitibus conatur euincere; primò, quia, ſi locus, in quo eſt pecunia ſoluenda, non tam longè abeſt, quam locus, vbi primæ nundinæ celebrantur non poteſt tantum lucrum exigi, quātum exigitur ex cambio, cuius pecuniæ ſoluerentur in loco nundinarum, cum hoc ſic expreſsè contra conſtitutionem Pij V. volentis, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus facienda eſt ſolutio. Secundò, quia etiam, ſi ſit æqua locorum diſtantia, tunc conſiderat, an certo ſciatur, aut probabiliter credatur æſtimationem pecuniæ in loco ſolutionis futuram eſſe maiorem, non minorem, vel æqualem, & tunc dicit, cambium non eſſe licitum, quia nummularius præter lucrum, quod ratione ſui muneris, & officij exigit, recipiet maius pecuniæ incrementum, quod non contingeret, quando nummularius probabilitèr crederet pretium pecuniarum in loco nundinarum futurum eſſe maius, minuſvè, aut æquale, aut quando re vera daturus erat ſuas pecunias, vt ſibi in illo loco nundinarum ſoluerentur, & coactus vel rogatus, vel requiſitus ab eo dedit ei pecunias, vt eas ſolueret in loco, vbi nundinæ non celebrantur; tunc etenim ratione lucri ceſſantis, & non cambij lucrum exigit. Hæc fermè ad verbum idem Azorius.

24 Cambiū non nundinale, cū intereſſe nundinalis reprobatur ab Azorio.

25 Rationes quibus innititur Azorius.

De hac facti ſpecie citatis eiſdem *Azorio Inſtit. mor. lib. 10. c. 9. verſ. tertio quæritur, & Raphaele de Turri diſp. 3. queſt. 13. à nu. 34. vſque ad 44.*, nos latè locuti fuimus *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſq. II. §. 5. per totum*, vndè eiſdem retentis non eſt, cur aliquid ſuperaddamus. Solum hic examinanda veniunt ea, quæ conſiderat *Raphael de Turri loc. cit.* aduerſus Azorium, quod eſt meta præſentis inſtituti. Conſiderat igitur primo, an illi centum aurei dati fuerint in cauſam cambij, & tunc, an literæ dicti cambij ſoluantur in loco ſolutionis, vel non ſoluantur, ſed remittantur cum proteſtatione, &, ſi ſoluantur, tunc dicit non eſſe locum repetitioni ſortis; ſi non ſoluantur, ſed proteſtentur, & tunc dicit, quod repoſcitur ſors, quæ ſoluenda erat vna cum intereſſe ob non factam ſolutionem, quod certè regulari debet habito reſpectu ad nundinas, vbi cambia celebrantur, ſed tunc non intrat conuentio, de qua in hypotheſi; an verò dati fuerint in cauſam mutui adiecto pacto, vt creditori ſoluatur pro lucro ceſſante intereſſe cambiorum, & tunc non verſemur in lucro cambij, ſed in intereſſe cambij. Secundo, conſiderat, quod, ſi dentur in cauſam mutui, illa deſtinatio ſolutionis ad alium locum, in quo nundinæ non celebrantur, videatur prorſus inanis, cum ad nihil prorſus operetur, quandoquidem quantitas intereſſe ſecundum ea, quæ proponuntur, ſit deſumenda ex cambijs nundinarijs. Conſiderat tertio, non exprimi in facti figuratione, quam ponit Azorius, an partes conuenerint de duplicatione cambij, quod erat neceſſarium, cum verba expoſita videantur importare ſolum vnicum cambiū, in quo aſſerit, non poſſe conſiderari aliquod lucrum.

26 Variæ cōſiderationes Raphaelis de Turri circa caſum Azorij.

Quibus conſideratis damnat primo Azorium in eo, quod aſſerit, non poſſe tantum lucri exigi, quantum exigeretur in nundinis, quando locus ſolutionis non tantum diſtat, quantum locus nundinarum reſiſtente Bulla Pij V., damnat, inquam, primo, quia Azorius in ea facti ſerie ponit lucrum in cābio ſimplici, quod nullo modo poteſt conſiderari. Secundo, in eo, quod Azorius, tàm in cambio regulari, quā in irregulari requirat eandem diſtantiam locorum, & temporis, quod falſum aſſerit de Turri per ea, quæ probauit *diſp. 1. q. 31.* Tertio in eo, quod ſupponit, hoc eſſe frequentiſſimum inter mercatores; dicit enim vix vnquam factum fuiſſe, nam fruſtraneum eſſet, tàm reſpectu creditoris, quàm reſpectu debitoris inire cambium irregulare, ſi intenderetur ad ſolum intereſſe cambij regularis, cum integrum eſſet eis

27 Cenſuræ Raphaelis de Turri circa dicta Azorij.

ab

Digitized by Google

ab initio cambium regulare contrahere. Quarto in eo, quod Azorius adducit Bullam Pij V. in confirmationem ſuæ opinionis; dicit enim in propoſito non intrare deciſionem Pontificiam circa commenſurationem temporis ad locorum diſtantiam, cum agatur quouis modo de intereſſe reſultante ex cambio regulari; quandoquidem Bulla Pij V., non eſt intelligenda de cambijs regularibus, in quibus ſunt certa, & determinata tempora, quia celebrari debeant à quocunque loco quamuis remotiſſimo proueniant, ſed de cambijs irregularibus, in quibus, cum tempora ſolutionum pendeant à partium voluntate, æquiſſimum eſt, tempora commenſurari diſtantiæ locali, ne, ſi tempus vltra diſtantiam protrahatur, poſſit oriri ratio ſuſpicandi, dictam maiorem dilationem pretio redimi.

Iam inſiſtamus huiuſmodi cenſuris; neque enim circa quæſtionem, & eiuſdem reſolutionem inſiſtendum eſt, cum

28 Conſiderationes Raphaelis de Turri non faciunt ad rem in caſu præſenti, & quare.

deciſionem habeamus ex ijs, quæ diximus *d. tit. de cambijs II. Diſq. 2. §. 5. per totum*, à quibus non eſt recedendum; & quidem circa conſiderationes, quas præmittit idem Raphael de Turri, dicendum eſt, fruſtra inquiri, an illi centum dati fuerint in cauſam cambij, an vero in cauſam mutui, cum certo appareat, eſſe datos in cauſam cambij, nec conſideratio, an literæ cambij, ſoluantur in loco deſtinato, an verò non ſoluantur, ſed remittantur cum proteſtatione, aliquid confert ad præſentem caſum, in quo difficultas non eſt circa ſolutionem, vel non ſolutionem, ſed circa diſtantiam localem, quæ, ſi non ſit tanta, quanta eſt loci, vbi celebrantur primæ nundinæ, ex ſententia Azorij non exigit tantum lucrũ, quantum exigunt cambia ad primas nundinas, quod debebat impugnare Raphael de Turri, non difficultatem refundere in ſolutionem, vel non ſolutionem in loco deſtinato. Siuè ergo ſoluantur illi nummi aurei, ſiuè non ſoluantur, ſed remittantur literæ cum proteſtatione, adhuc remanet dubitãdum, an cum illo lucro, quod exigeretur in primis nundinis, ſi pro illis fuiſſet celebratum cambium, ſit licitũ, vel illicitum. Quoad illud, quod cõſiderat Raphael de Turri, non exprimi in illa facti figuratione, an partes conuenerint de duplicatione cambij, dicẽdum eſt, hoc non fuiſse neceſſarium exprimere, cum difficultas ſolummodo in tali facti ſerie reduceretur ad hoc, an illa conuentio facta pro loco, pro quo non celebrantur nundinæ cum onere, vt totidem aurei cum tanto lucro ſoluantur creditori ad tres menſes, cum quanto lucro totidem aurei ſoluerentur ad primas nundinas, ad quod impertinenter ſe habet, quod facta fuerit, vel non facta fuerit conuentio duplicationis, nec verum eſt, quod ſolummodo in recambio poſſit conſiderari lucrum per ea, quæ latè docuimus in defenſione Salonij.

Quoad oppoſitiones deindè, quas facit Raphael de Turri Azorio, & præcipuè quoad primam non eſt diutiùs immorandum, quandoquidem ſupponit, quod ex cambio ſimplici nõ poſſit lucrum exigi, quod falſum probatum eſt. 29

29 Ex cambio ſimplici debetur intereſſe.

Quoad ſecundam incongruè etiam videtur procedere Raphael de Turri, quandoquidem non aſſerit Azorius requiri eandem diſtantiam localem, & temporis ſimplicitèr in cambio irregulari, ac regulari, ſed ſolummodo quoad idem lucrum, vndè, ſi in cambio regulari ad nundinas exigeretur maius lucrum, eo quia magis diſtat loco, & tempore, in cambio vero irregulari exigeretur quid minus, eo quod locus ſolutionis minus diſtet, non damnat talem contractum, in quo tamen nos non conuenimus cum Azorio, vt patet ex ijs, quæ nos ſupra dicebamus *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs I. prænot. 6. nu.* 11. vbi diximus illa verba Bullæ Pij V. *curandum eſse, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinata eſt, ne dum longiores præfiguntur termini, quam loca deſtinata ſolutioni deſiderant fænerandi detur occaſio*, non referri ad maius, vel minus pretium cambij taxandum, ſed tantum ad aſſignandum terminum competentem pro ſolutione.

Raphael de Turri non impugnat id, quod dicit Azorius.

Debebat igitur Raphael de Turri impugnare Azorium ex eo, quod dixerit, quod non tantum lucri poſſit exigi, quando ſolutio eſt deſtinata in loco minus diſtanti, & in tempore minori, quantum exigitur in nundinis, quæ magis diſtant, non pro libertate ſupponere, quod voluerit in irregulari requiri tantam diſtantiam loci, & temporis, quanta requiritur in regulari. Verum tamen eſt, quod, ſi creditor ex maiori loci, & temporis diſtantia maius intereſſe pateretur, non eſſet incongruum, quod maius lucrum ad ratam eiuſdem intereſſe poſſet ex conuentione exigere. Quoad tertiam quidquid ſit, quod hoc genus cam-

bien-

Digitized by Google

biendi ſit vſu frequentiſſimum apud mercatores, vt aſſerebat Azorius, vel quod nunquam, vel ferè nunquam fuerit in vſu, vt obijciebat Raphael de Turri, non eſt tamen fruſtraneum, vt ſubdebat idem de Turri, cum poſſet contingere, quod debitor indigeret pecunia non pro nundinis, ſed pro tali loco. Ad quartam admiſſo etiam, quod Pius V. loquatur ſolummodo de cambijs irregularibus, vt vult Raphael de Turri, in quibus dicit habendam eſse rationem longinquitatis, & vicinitatis locorum in ordine ad præfigendum terminum ſolutionis competentem, ne dum longiores præfiguntur termini, detur occaſio fænerandi, obiectio eiuſdem de Turri non poteſt militare contra Azorium, qui loquitur tantũ de cambio irregulari, quod, ſi ſit ſoluendum in minori diſtantia, vult non exigere tantum lucrum, quãtum exigi poſſit in nundinis, in quibus eſſet diſtantior terminus ad ſolutionem, ac proindè in illo, ſi ſit ad locum minus diſtantem, non poſſe exigi lucrum cambij regularis.

30 Hoc genus cambiendi, non eſt fruſtraneum.

Aliam facti ſeriem ſibi figurat *Azorius d. part. 3. lib. 10. c. 9. verſ. quarto quæritur*, in his terminis, *An poſſit nummularius plus lucri exigere ad cambium, quod ad primas, vel proximas nundinas ſit quo magis tempore diſtant primæ nundinæ?* Circa quam aſſerit, omninò eſse vſurariam, quia maius lucrum exigeretur ratione maioris temporis protractionis. Neque in hoc audiendos aſserit nummularios, dum ſe excuſant dicentes, quod, dum nundinæ remotiores tempore ſunt, plures ſint, qui pecunias accipiant ſoluendas in nundinis, dum viciniores ſunt, pauci ſunt, qui accipiant; pretium autem augetur, vel minuitur ex copia, vel penuria emptorum, & venditorum. Non, inquam, audiendos aſserit, quia valet quidem, quod pretium mercium augeatur, vel diminuatur ex copia, & penuria venditorum, vel emptorum, quando merces emuntur, vel venduntur pecunia præſenti, & numerata, non quando venduntur expectata ad tempus ſolutione, ſeu pecunia credita; non ſic autem rem ſe habere aſſerit in cambijs, vel nundinis, in quibus nequit augeri, vel minui pretium eo quod ſint propinquiores, vel remotiores nundinæ, tunc enim ob dilatam ad tempus ſolutionem pretium augetur, ac proindè nihil refert, ſi adſint tunc plures venditores pecuniarum abſentium, eo quod plures inueniantur, qui pecunias accipiunt ad longius tempus ſoluendas, vt eo tempore longiori poſſint fructuoſius pecunijs, vti. Ità ferè ad verbum Azorius.

31 Alia facti ſeries propoſita ab Azorio, quam aſſerit vſurariã.

32 Confutat excuſationem mercatorum.

Circa hanc facti figurationem, & deciſionem, quam dicit, ſe nolle examinare aduertit Raphael de Turri Lectorem, vt ab ea, eiuſque deciſione benè caueat, tam quoad praxim, quàm quoad ius; quoad praxim dicit, errare Azorium, dum indiſtinctè loquitur de tempore, quo magis, vel minus diſtant nundinæ, & ad ſecundas nundinas; nam licet cambia celebrentur pro ferijs, quæ quodque magis, quandoq; minus diſtant, nunquam tamen auditum, & ferè impracticabile eſt, cambia celebrari pro ſecundis nundinis, pro quibus, cum pretia nec à mercatoribus, nec conſuetudine ponantur, impoſſibile eſt cambia pro ſecundis nundinis celebrari, ſed ſolum pro inſtantibus, & quatenus de facto fierent, eſſet merum figmentum. Quoad ius etiam errare dicit, quia, ſi intelligit, quod eatenus maiori pretio contrahantur cambia, quatenus nundinæ ſunt viciniores, minori vero, quatenus ſunt remotiores, quod recipit maius, vel minus incommodum debitoris, contra ius loquitur, prout aſſerit, ſe probaſſe *diſp. 1. q. 13.*

33 Raphal de Turri damnat in hoc Azorium de ignorantia praxis, & iuris.

Sed incongruè & quoad praxim, & quoad ius contra Azorium procedit Raphael de Turri; non enim dicit Azorius, quod cambia fiant vltra primas nundinas, ſeu ad ſecundas, quia expreſsè loquitur de cambio ad primas nundinas, quæ poſſunt vel magis, vel minus diſtare, vt legenti ſit manifeſtum; dicit enim in quæſito. *An poſſit nummularius plus lucri ex cambio exigere quo magis diſtant tempore primæ nundinæ*, & in propoſitione exempli non facit computationem à tempore antè primas nundinas ad ſecundas, ſed à tempore poſt primas nundinas ad ſecundas. Ibi- *Inter primas, & ſecundas nundinas hoc eſt à primis ad ſecundas ſunt tres menſes, ſi nummularij dent pecuniam in primo menſe ſibi ad ſecundas nundinas ſoluendam &c.*, vbi vides procedere Azorium à completis primis nundinis ad ſecundas, quod propriè eſt cambire pro nundinis immediatè ſequentibus; ex quibus ſequitur quoad praxim immeritò de Turri procedere contra Azorium. Quoad ius verò non video, quod, ſi illud maius lucrum refundatur ſolum in maiorem temporis protractionem, non ſit computandum in vſuram, cum omnia iura clament, lucrum,

34 Nunquã ſomniauit Azorius tale cambiũ fieri vltra primas nundinas.

35 SI maius lucrum exigeretur ſolũ ob tẽporis dilationẽ eſſet vſurarium.

Digitized by Google

erum, quod ex ſola temporis diuerſitate prouenit, eſſe vſurarium, niſi alia ratione cohoneſtetur.

Hæc diximus ad vindicandum præciſè Azorium à cenſuris Raphaelis de Turri. Cæterum nos *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs I. Diſq.1. §.16.*, aduerſus eundem Azorium docuimus, poſſe exigi maius lucrum, quando ſolutio cambij ad longius tempus protrahitur, non præciſè ex temporis dilatione, ſed ex eo, quod, quando longius diſtat ſolutionis tēpus, plures ſint, qui

36 Illud maius lucrū poteſt eſſe ex maiori concurrentium copia.

pecunias accipiant ſoluendas, & pauciores, qui pecunias dent; ex multitudine autem, & inopia rerum pretia augentur, & minuuntur, in quibus ſatisfaciendum eſt; vndè ſolum pro complemento remanet modo reſpondendum ad diſparitatem, quam aſſignauit Azorius inter res, quarum pretium augetur, vel minuitur ex maiori, vel minori concurſu ementium, & cambia, quorum pretium nō augetur, nec minuitur ex copia, & penuria accipientium ad cambium. Diſparitas igitur, quam ipſe adducit, non videtur aliquid euincere; nam non minus pretia rerum augeri poſſunt, vel minui ex copia, vel penuria emptorum concurrentium numerata pecunia, & præſenti, quam ex copia, & penuria eorundem

37 Pretia rerū poſſunt augeri ex copia cōcurrentium ſiuè contractus fiant numerata pecunia, ſiuè expectata.

cōcurrentium ſolumodò credita, & expectata pecunia; ſi etenim mos eſſet in aliqua regione, quod merces non ſoluerentur, ſeu non poneretur earundem ſolutio, niſi poſt aliquod tempus, & maxima eſſet copia concurrentium ad emptionem tali pacto, & pauci eſſent vendentes, certū eſt, quod cariori pretio merces illæ venderentur, & tamen tunc in actu venditionis non concurreret pecunia præſens, & numerata, ex quo patet diſcrimen aſſignatum ab Azorio non ſubſiſtere.

Minus obſiſtere poteſt aduerſus noſtram doctrinam allegato loco expoſitam *Raphael de Turri diſp. 1. quæſt. 13.*

38 Refertur praxis quam affert Raphael de Turri, circa huiuſmodi ſolutiones.

num. 37., dum dicit in praxi cambiorum hæc contingere. Ferijs completis, ac diſſolutis mercatores ad ſuas reſpectiuè redeunt ciuitates ſolutiones ibi & exactiones curaturi de remiſſis ac tractis, quæ è dicta feria pretijs ibidem appoſitis factæ fuerunt ad dictas ciuitates, quod vulgo dicitur expediri in redditibus talis feriæ; atque hæ exactiones, & ſolutiones in prædictis redditibus certo dierum ſpacio incohantur, & terminantur. Hæ ſolutiones, & exactiones rarò, ſeu fere nunquam fiunt pecunia numerata, ſed vt plurimum per noua cambia, ſiuè cum eiſdem creditoribus, vel debitoribus fiunt, quæ cambia diriguntur ad proximam feriam, adeòque die ſecunda ſolutionum per perſonas idoneas à publico ad id munus deputatas ſtatuitur pretium, quo cambia celebrari debeant pro ipſa proxima feria; vndè ſubdit idem Raphael de Turri, quod mercatores illi, qui debita aliena ſibi ſoluenda aſſumpſerunt ſiuè ex propria, ſiuè ex aliena pecunia, illa ſoluant in dictis redditibus, & de ſolutione via cambij tractam faciunt debitori in proximam feriam, & id quidem, niſi aliter peculiari pacto inter ipſos conuentum fuerit, pretio, vt ſupra, taxato; illi verò, qui debita propria ſoluere debent, id faciunt pecunia numerata, quod tamen rarò contingit, vel nouum contrahendo cambium pro dicta proxima feria, vel eodem pretio taxato, vel vt plurimum vltrà illud; Quod, ſi eodem tempore ad ſolutionem deſtinato id non præſtiterint, ſi hoc fuerit ob impotentiam, foro cedunt, ſi ex incuria; tunc in electione creditoris eſt, vt intelligatur contractum nouum cambium cum eodem debitore pretio, vt ſupra taxato, quod non prouenit ex vi cambij, ſed per locorum ſtatuta ad tollendas moras, & ſubterfugia debitorum. Suppoſita hac praxi dicit Raphael de Turri, doctrinam illam de augmento, & dimminutione pretij ex copia, & penuria emptorum, & venditorum vix eſſe applicabilem eidem praxi, nam, licet hoc de plano verificetur, quando ſolutiones fiunt in numerata pecunia, non verificatur tamen, quando fiunt pecunia abſenti, & expectata ad certum tempus, quia tunc nihil operari poteſt multitudo, ſeu penuria emptorum, quandòquidem in tempore prædicto ſolutionum, quo nullum longius diſtat à ferijs, certum, & indubitatum eſt, tunc temporis eſſe maximam quantitatem eorum, qui indigent tali negotiatione, & tamen idem pretium taxatur, ſignum euidens, quod tota ratio vilioris, vel carioris pretij non ſit adſcribenda maiori, vel minori copiæ concurrentium, ſed potius maiori, vel minori temporis protractioni.

Minus, inquam, obſiſtere poteſt, quia etiam admiſſa illa praxi per Raphaelem de Turri relata, cum referatur pretium taxandum pro proxima feria ad perſonas idoneas ad hoc munus

nus

Digitized by Google

nus à publico deputatas, vt fatetur idem de Turri, non eſt ambigendum, quin illæ perſonæ iuxtà rationem, & vſum fori omnibus conſideratis, quæ tunc euenient, debeant tale pretium taxare, adeòque etiam habita conſideratione illius maioris,& minoris copiæ concurrentium, cum hæc etiam ex vſu fori ſit ratio iuſtificans augmentum, vel dimminutionem pretij rerum non obſtante, quod ſolutio non fiat pecunia numerata, ſed referatur ad proximas nundinas per ea, quæ dicta ſunt in reſponſione ad diſparitatem aſſignatam ab Azorio. Deindè, cum ipſe etiam Raphael de Turri dicat mercatore contrahere taxato pretio *niſi alitèr peculiari pacto inter eos conuentum ſit*; rurſus *id, quod faciunt vel pretio, vt ſuprà taxato, vel vt plurimum intra illud*, videtur agnoſcere, quod ex ſpecialibus rationibus interuenientibus poſſit pretium augeri, vel minui, inter quas communitèr numeratur copia illa, vel penuria emptorum.

39 Hęc praxis non poteſt officere reſolutioni noſtræ.

Aliam facti ſeriem quinto loco ſibi proponit *Azorius d. part.3.lib.*10.*cap.9. verſ. quinto quæritur*, quæ videtur concordare cum illa, quam ipſe poſuit in ſecundo quæſito, quod primo loco nos ſub hac eadem prænotione examinauimus ſolum addito pacto, vt debitor teneatur recurſam habere ad factorem creditoris pro negotiatione exequenda. In his terminis eandem ſeriem concipit. Nummularius dat pecunias Caio, ſed eo pacto, & obligatione, vt is, qui pecunias recipit, ſuas literas mittat ad miniſtrum, ſeu Procuratorem illius, qui pecunias dat, & quærit, an ſic obligando debitorem vſuram contrahat; Reſpondet in hoc cambio non interuenire vſuram, ſed dimminuendum eſſe pretium ratione illius obligationis appoſitæ.

40 Pactum, quod cāpſarius teneatur literas dare ad miniſtrū cāpſoris ſecundū Azoriū, vt ſit licitū debet eſſe cū dimminutione pretij.

Aduerſus hanc facti ſeriem, & deciſionem Azorij inuehit etiam idem Raphael de Turri, & præcipuè in eo, quod aſſerit Azorius dimminuendum eſſe pretium ratione illius obligationis oppoſitæ, vt debitor teneatur recurſum habere ad miniſtrum creditoris; inuehit, inquam, quia debitor id præſtat ex præſuppoſito antecedenti, & voluntate, & illud pactum cedit potius in leuamen debitoris, quam in onus. In hoc non inſiſtimus, cum aſſumptum eiuſdem Raphaelis de Turri ſupra confutauerimus.

41 Reijcitur oppoſitio Raphaelis de Turri remiſſiuè.

Aliam etiam facti ſeriem ſibi adſtruit *Azorius d.3.part.lib.*10.*c.9.q.6.*, ſecundum quam ſupponit, quod negotiator in nundinis habeat apud ſe multorum pecunias depoſitas ad effectum negotiationis, & permutationis illarum; rurſus ſupponit, quod quidam alius indigeat mille nummis aureis, qui propterea ab eodem negotiatore eos petat, & negotiator illi illos tradat eo pacto, vt ad annum integrum eos in ipſis cambijs detineat; hoc eſt, vt accipiat eos aureos in vim cambij, & deindè ad primas nundinas ſoluat, & ad ſoluendum denuo pecunias accipiat, quas poſtea ſoluat, & ſic ſucceſſiuè per quatuor anni ferias, donec integer annus dilabatur; atque hoc genus cambiendi, approbat idem Azorius, quia idem negotiator induit multorū perſonam, ac perindè ex pecunijs vnius ſoluit pecunias alterius, ac ſi multæ eſſent perſonæ.

42 Caſus propoſitus ab Azorio, quo depoſitarius mercatorum dat pecunias eorundem ad cambium, vt detineantur in cābijs ad quatuor anni ferias.

Quoad hanc facti ſeriem multa cōſiderat, multa opponit, multa damnat Raphael de Turri; conſiderat primo, quod, dum dicit, quod negotiator in nundinis habet apud ſe multorum pecunias depoſitas, vt eis negotietur, agnoſcat Azorius ſolum naturam depoſiti, per quod non transfertur dominium illarum in earundem negotiatorem, cum tamen ad hunc effectum neceſſe ſit in illum tranſire, cum poſtea ab eodē tracta cambiorum, debeat in alios transferri. Secundo, conſiderat, quod Azorius in illa facti ſerie cōfundit munus Procuratoris cum munere mandatarij, dum dicit adminiſtrare tanquam procuratorem illorū, quorum habet pecunias depoſitas, quę duo tamen ſunt diuerſa, nam, adminiſtrare tanquam procuratorem, eſt adminiſtrare alieno nomine, adminiſtrare vero de mandato alterius, eſt gerere nomine proprio, & ex fide propria, licet in vtroque caſu agatur ad commodū mādantis, at hęc praxis admittit prædicta fieri de mandato alterius, & non procuratorio nomine. Tertio, conſiderat, quod, dum Azorius dicit illum negotiatorem dare illam pecuniam alteri eo pacto, vt illam ad annum detineat, non aperiat, an pactum illud ſit reciprocum, & vtrumq; contrahentem obliget, an vero ſolummodo debitorem, quod certe erat aperiendum, nam, ſi vtrumque obligaret, eſſet pactum omnino vſurarium, & contra ſubſtātiam perfectionis extrinſecæ cambij, quæ in ſolutione conſiſtit, & contra libertatem cōtinuationis, de qua in tertio reſponſo ad Archiepiſcopum Genuenſem, ſi vero illud pactum obligaret tantum debitorem, nihil eſſet

43 Raphael de Turri multa conſiderat contra Azorium, & quænam.

ſet

ſet contra conuentionem. Quarto, conſiderat, quod Azorius in illa facti ſerie non aperiat, quomodo in illa continuatione, & cui ſoluat, & in quam cauſam, & à quo, & quomodo denuo accipiat, vt iterum ſoluat, in quibus ſolutionibus, & ſtatutis acceptionibus conſiſtit pondus difficultatis.

44 Opponit, quod in explicatione recedat à caſu quẽ propoſuit.

Deindè opponit eidem Azorio, quod (in explicatione caſus, quem adducit exemplificando in Titio, qui, cũ habeat apud ſe depoſitas pecunias Caij, Seij, & Meuij, & aliorũ multorũ dat Sempronio mille, vt alibi ſoluat, & deindè ipſe ſibi ſoluit ex pecunijs Caij, quas denuo, vt ſoluat, accipit poſtea ex pecunijs Seij, quas etiã ſoluit ex pecunijs Meuij, & ita hoc modo Titius gerit perſonam multorum) recedat à prima caſus figuratione, & ſtante hoc receſſu, dicit, quod multa veniant explicatione digna, & primo repetit id, quod antecedenter dicebat, neceſſarium eſſe ſcire, an illas pecunias, quas dicitur Titius habere apud ſe depoſitas, habeat, vti proprias, quatenus habeat, vt illis negotietur ſuper cambijs, an vero, vt alienas, quatenus illis negotietur procuratorio, & alieno nomine, nam hoc ſecundo modo poteſt facilius contingere ſolutio ſibi ipſi, vel ad perficiendum, vel ad contrahendum cambium, quam priori; Secundo dicit, quod, dum Azorius aſſerit, Titium ſibi ſoluere ex pecunijs Caij, non appareat, quomodo hoc poſſit ſubſiſtere, niſi addatur vlterior explicatio, quandoquidem pecuniæ, quæ dicuntur per Titiũ datæ Sempronio ad cambium in feria ſolui deberent ad locum, ad quem cambium fuerat deſtinatum, & ſic non

Aliæ oppoſitiones Raphaelis de Turri contra Azorium

in feria; quomodo iam poterit Titius ſibi ſoluere ex pecunijs Caij, quod erat ſoluendum vigore cambij initi cum Sempronio? Certè non in feria, ſed in loco deſtinato ad ſolutionem, nec à Titio, ſed ab illo, cui fuiſſet directa tracta; niſi fortè velimus dicere, quod in loco ſolutionis fuerit inſtitor Titij, vel ipſe Titius exiſtente inſtitore in nũdinis; ſed in tali caſu debebat Azorius exprimere, quomodo pecuniæ Caij, quæ proponuntur in ferijs penes Titium, ſint etiam penes Titium, vel eius inſtitorem in loco deſtinatæ ſolutionis. Tertio dicit, quod, dum Azorius aſſerit, quod, quando ab eodem Titio ſolui debent pecuniæ Caio debitæ ex pecunijs Seij, quas, vt ſoluat, accipit ex pecunijs Meuij ad complendũ circulum imaginatum, vtique ſupponat eundem circulum complendum eſſe in feria, cum tamen debeat eſſe ad minus inter duo loca diſtincta, locum ſcilicet, in quo celebratur feria, & illũ, ad quem cambia diriguntur, & poſtea reflectuntur.

Singula iàm perpendamus, in quibus Raphael de Turri impetit Azorium; & primo quoad primam conſiderationem inutiliter inſudat Raphael de Turri, nam ſiuè dicamus, quod Titius habeat penes ſe depoſitas aliorum pecunias in vim ſimplicis depoſiti, & vt negotietur procuratorio nomine, ſiuè quod illas habeat in vim mandati cum dominio, ſemper verificari poteſt, quod ſit licitum cambium, quod non videtur poſſe negare Raphael de Turri, niſi velit ſibi ipſi contradicere; & quidem, ſi illas detineat procuratorio nomine, fatetur ipſe 45

45 Depoſitarius, ſiuè pecunias detineat in vim depoſiti, ſiuè in vim mãdati poteſt contrahere modo prædicto.

nu. 59. verſ. primo refert ſcire, quod ſi Titius habeat illas pecunias, & reſpectiuè exigat procuratorio nomine, hoc modo poſſet facilius contingere ſolutio ſibi ipſi, vel ad perficiendum, vel ad contrahendum cambium, quam, quando haberet illas pecunias, vt proprias; ſi ergo iam hoc fatetur in præſenti, cur negauit in prima conſideratione? Nullam ergo inuenio difficultatem, propter quam idem procuratorio nomine multorum poſſit eoſdem rapræſentare, & eorum vices gerendo illos contractus perficere, ſicuti poſſent perſonæ rapræſentatæ illa negotia per ſe ipſas adimplere. Si vero detineat de mandato ad effectum negotiandi, & cum dominio, tunc conuenit Azorius cum eodem de Turri, qui *d. diſp. 3. q. 13. num. 55.* aſſerit praxim comunem admittere, vt hoc modo fiant contractus cambiales, & ſic non procuratorio nomine. Ad quid ergo inuehit contra Azorium in eo, quod ipſe appróbat?

Quoad ſecundam conſiderationem admitto pro nunc illud diſcrimen, 46

46 Solum intendit Azorius probare, quod cãbiationes per integrũ annũ poſſint eſſe licitæ concurrẽtibus requiſitis.

quod intercedit inter munus procuratoris, & munus mandatarij, & eſt aſſignatum per eundem Raphaelem de Turri; nec hoc impugnat Azorius, ſed ſolummodo videtur innuere, quod ſiuè Titius agat nomine procuratorio, ſiuè de mandato aliorum, ſemper validè agat, cum agere iuxtà vtrumque ſenſum, nec repugnet naturæ contractus, nec diſpoſitioni iuris, nec in illa diſtinctione ſiſtit Azorius, quia hoc non erat ipſius intentum in præſenti diſputatione, ſed ſolum comprobare, quod ille contractus per illas continuatas cambiationes, & recambiatio-

nes per integrum annum poſſet eſſe ſubſiſtens, ſupponendo, quod in alijs cõcurrant cõditiones à iure requiſitæ.

Quoad tertiam conſiderationem etiam incongruè aduerſus Azorium videtur procedere Raphael de Turri in illa diſtinctione de pacto, & obligatione mutua, & de pacto ſe tenente ſolummodo ex parte debitoris, ipſumque dumtaxat obligante, & quidem quoad primum membrum, quando pactum eſt mutuum, & vtrumque ſimul obligat, irrationabilitèr aſſerit eſſe vſurarium, & aduerſari diſpoſitioni Vrbani VIII. in reſponſo tertio ad Archiepiſcopum Genuenſem; ex quo enim arguit illam vſuram ex eo, quod obliget ſimul cum debitore creditorem? Fortè ex eo, quod illa obligatio ex parte creditoris ſit pretio æſtimabilis eo quod ipſum obliget ad non repetendum creditum ante curriculum anni? Dato hoc etiam illa obligatio compenſaretur per ſimilem obligationem, qua afficeretur debitor, ratione cuius non poſſet debitum ante annum reſtituere. Deindè vſura, vt notat idem *Raphael de Turri diſp.* 1. *q.* 13. *num.* 124. ſubeſſe tantum poteſt quan-

47 do aliquid pretio æſtimabile inducitur in fauorem creditoris, ſecus quando in fauorem debitoris, cum vſura ſit onus impoſitum debitori ſupra ſortem, illa autem obligatio reſpectu creditoris ad non repetendam ſortem intra annum poteſt cedere in fauorem debitoris, adeoque non poteſt inducecere ſuſpicionem vſurariæ prauitatis, & ſicuti in contractu cenſuali nõ cõſideratur tanquam vſurarium illud onus, quod aſſumit creditor non exigendi ſortem, niſi per cenſuarium paſſiuum reſtituatur, ſed eſſet indebita conuentio, qua obligaretur idem cenſuarius paſſiuus, vt non poſſet ſortem reſtituere, vt expreſsè conſtat ex Bulla Pij V. edita ſuper creatione cenſuum, ita nec videtur conſideranda illa conuentio tanquam vſuraria in contractu cambiali, per quam ſimul cum debitore obligaretur creditor ad non repetendam ſortem, niſi poſt annum factis illis girationibus, & iterationibus cambiorum vtſupra. Nec dici poteſt, quod aduerſetur illi tertio reſponſo Vrbani VIII. ad Archiepiſcopum Ge-

Sunt licitæ, ſiuè obligatio ſit mutua, ſiuè ſe teneat ex parte debitoris.

48 nuenſem, quandoquidem licet in eodem dicatur, *ita tamen, vt continuatio permaneat ſemper libera iuxta conſtitutionem fel. recordat. Papæ Pij V., in reliquis etiam omnibus ſeruandam*, hoc tamen nõ videtur officere, quod illa libertas, de

Nec obſtat tertio reſpõſo Vrbani VIII.

qua in tali reſponſo, potius videtur conſideranda in fauorem debitoris, cui conſulere voluit in illo Vrbanus VIII., & Pius V. in illa ſua conſtitutione, quam in fauorem creditoris, ita vt ille non poſſit coarctari ad detinendam pecuniam in continuationibus cambiorum, & tamen ipſe Raphael de Turri potius contrarium ſtatuit, dum docet, quod ſubſiſtat contractus, quando obligatio apponitur debitori, vt non poſſit ſortem reſtituere, niſi poſt iteratas illas cambiationes poſt annũ, ſecus quando ſimul apponitur creditori, quia tunc dicit eſſe vſurariam prauitatem; ex quibus elucet, quod contractus facta illa obligatione reſpectu debitoris detinendi pecunias in cambijs, & recambijs vſque ad complementum anni potius cohoneſtetur per ſimilem obligationem additam creditori non repetendi ſortem, niſi poſt annum, quam deturpetur, quia per illam obligationem creditoris compenſatur illa impoſita debitori.

Quoad quartam conſiderationem miror, quomodo Raphael de Turri dicat, quod erat in facti ſerie per Azorium aperiendum, quomodo in illa continuatione, & cui fiat ſolutio, & in quam cauſam, & à quo &c. Si benè aduertiſſet ad exemplum, quod pro explicatione poſuit Azorius, cognouiſſet, quod Titius dedit in cauſam cambij Sempronio; cognouiſſet item quod ad perficiendum extrinſecè hoc cambium, acceperit pecunias cambij, & ex illis ſibi ipſi ſoluerit, & contraxerit nouum cambium, & deindè ad hoc perficiendum acceperit pecunias Meuij, & ſibi iterum ex illis ſoluerit, & ſic ſucceſſiuè; ex quibus apparet, quomodo, cui, & ex quorum pecunijs, & in quaſnam cauſas hæc omnia fuerint peracta, vndè incongruè dicit fuiſſe aperiendum id, quod plenè fuit apertum, & expreſſum.

Azorius aperuit omnia, quę erant aperiẽda.

In ordine poſtea ad oppoſitiones, quas congerit aduerſus Azorium, nunc eas adamuſim examino; & quidem, dum dicit, quod in exemplo recedat à facti figuratione, quam primo poſuit, dicendum eſt, hoc gratis dicere, & potius ſibi fingere, quam probare. Ad claritatem conferamus caſum cum exemplo ab Azorio adducto. Ponit caſum in his terminis. *Cum quis negotiatur in nundinis, & habet apud ſe multorum pecunias, qui ipſas apud eum depoſuerunt in negotiatione, hoc eſt, vt ipſe tanquam Procurator ipſorum negotiaretur & permutaret pecunias, & tunc quidem alius*

pecu-

Digitized by Google

pecunijs indigens petit ab ipſo mille nummos aureos eo pacto, vt ad annum integrum eas in dictis cambijs detineat, hoc eſt, vt accipiat eos in vim cambij, & deindè ad primas nundinas ſoluat, & ad ſoluendum denuo pecunias accipiat, quas poſtea ſoluat, & ità itiendidem &c. Poſtea exemplificat in his terminis. *Titius habet pecunias Caij, & Seuij, & Meuij, & aliorum.* Ecce id, quod dicebat in caſus figuratione. Habet apud ſe multorum pecunias, qui eas apud ipſum depoſuerunt; *dat Sempronio mille, vt alibi ſoluat.* Ecce id, quod aſſerebat, & tunc quidam alius pecunijs indigens petit ab ipſo mille nummos aureos, vt deindè ad primas nundinas ſoluat, & *deindè ſibi ipſi ſoluit ex pecunijs Caij.* Ecce id, quod aſſerebat, eo pacto, vt ad annum integrum eas in dictis cambij detineat, hoc eſt, vt accipiat eas in vim cambij, & ad primas nundinas ſoluat, *quas denuò, vt ſoluat accipit poſtea ex pecunijs Meuij.* Ecce id, quod dicebat, & ad ſoluendam denuò pecunias accipiat, & ità identidem. Aſſignet iam Raphael de Turri, in quo recedat Azorius ab ipſa prima caſus figuratione.

49 Nõ recedit Azorius in explicatione à caſus figuratione.

Dum verò dicit, quod ſciendum eſt, vtrum negotiator habeat illas pecunias, vt proprias, an, vt alienas, nam, ſi habeat, vt alienas facilius poſſit contingere ſolutio ſibi ipſi vel ad perficiendum, vel ad contrahendum nouum cambium, manifeſtè ſibi contradicit Raphael de Turri, vt innuebam in examine circa ipſius primam conſiderationem, nam ibi dicit, quod praxis obtinuerit, vt ſcilicet cambia fiant non procuratorio nomine, ſed de mandato alterius ac proindè, quod pecunias adminiſtrat, vt proprias, non vt alienas, & modo dicit, quod quando adminiſtrat, vt alienas, & procuratorio nomine poſſit facilius ſibi ipſi ſoluere perficere, vel nouum cambium contrahere, quæ duo ſunt manifeſtè oppoſita.

50 Raphael de Turri in oppoſitionibus cõtra Azoriũ ſibi contradicit.

Dum verò dicit, quod non poſſit apparere, quomodò Titius poſſit ſibi ſoluere pecunijs datis Sempronio per pecunias Caij, cum illæ datæ Sempronio per Titium ſolui debeant non in feria, ſed in loco deſtinato ad ſolutionem, non à Titio, ſed ab illo, ad quem fuit directa tracta, niſi dicatur, quod in loco ſolutionis fuerit inſtitor Titij, vel ipſe Titius exiſtente inſtitore in nundinis, quo caſu erat exprimendum, quomodò pecuniæ Caij, quæ proponuntur in ferijs penes Titium ſint etiam penes Titium, vel eius inſtitorem in loco ſolutionis; dum, inquam, hæc dicit, nihil videtur euincere, quia in ſententia illorum, qui admittunt cambia purè nundinalia, hoc eſt de nundinis ad nundinas in eodem loco, de qua nos meminimus infrà *ſub hoc eodem titul. de Cambijs III. Pranot. 1., & 2.*, nullam prorſus vim habet hæc obiectio. Deindè etiam ſi requiratur, quod ſolutio fiat in alio loco, cum neceſſe non ſit, vt fiat per actualem numerationem per ea, quæ ſupra ſparſim commendauimus, non eſt difficultas, quin per Inſtitorem eiuſdem Titij, vt rapreſentãtem perſonam eiuſdem non poſſit fieri conſtituendo creditorem eundem Caium, de cuius credito fit virtualitèr illa ſolutio, quod etiam approbauit *idem Raphael de Turri diſp. 2. quaſt. 17. num. 3.*, vbi dicit per ſolam ſcripturæ directionem contingere ſolutionem, quæ præcipuè verificantur ſtante ſententia, quam nos ſupra approbauimus *ſub hoc eodem tit. de Cambijs II. Pranot. 9. per totum*, quam etiam ſuſtinet *Cardinalis de Lugo de Cambijs diſp. 28. ſect. 7. nu. 91.*, quod iuſtum probabilitèr ſit cambium initum ad locum, vbi reſpondens nec habet pecuniam ſuam, nec campſarij, nec ibi creditum, ſed tantum in alio loco; Atque per hæc reſponderi poteſt ad alia, quæ ſubdit obijciendo idem Raphael de Turri.

51 Soluitur vltima cenſura Raphaelis de Turri.

Atque ex his omnibus innoteſcit, quot inuentiones inuenerit Raphael de Turri, vt inueheret contra Azorium, quot imputationes, vt impugnaret, quot cauillos, vt contra ipſum intorqueret, quot figmenta, vt impeteret. Cautius egiſſet, ſi ſuam opinionem ſtabilius firmaſſet, non aſſumpſiſſet onus ea impugnandi, quæ vel non rectè percepit, vel ſiniſtrè interpretatus eſt.

PRÆNOTIO XVIII.

Expenduntur aliæ cenſuræ Raphaelis de Turri contra Azorium.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries, quam ſibi proponit Azorius per extenſum. 1.

Aſſerit nullam vſuræ ſpeciem in tali caſu interuenire. 2.

Raphael de Turri damnat Azorium in eo, quod dicit non ſolutionem non eſſe ex culpa debitoris. 3.

Digitized by Google

Dicit iterum intereſſe non deberi ex ſimplici cambio. 4.

Aſſerit intereſſe creditoris non eſſe metiendum ob ſolutionem non factam Toleti ex recambio Romam dirigendo. 5.

Poteſt contingere, quod non ſolutio non proueniat ex culpa debitoris, & quomodò. 6.

Incongruè dicitur non deberi intereſſe ex ſimplici cambio. 7.

Azorius reducit tale intereſſe ad normam rectæ rationis. 8.

Factum relatum ab Azorio quo nummularius dat Regi pecunias cum pacto, vt ſi non ſoluerit in nundinis ſoluat omnia lucra, quæ in nundinis eſſet percepturus. 9.

Hoc cambiendi genus damnatur ab Azorio tanquam ſiccum. 10.

Raphael de Turri arguit Azorium de inconſequentia, ſed immeritò. 11.

Refertur nouus caſus per Azorium, & approbatur ab eodem, ſi fiat cum moderato intereſſe. 12.

Raphael de Turri dicit, hanc cambiendi formam non eſſe in praxi. 13.

Refert praxim, quæ ſeruatur inter Regem, & mercatores. 14.

Quid ſint aſſienti, & aſſientiſtæ. 15.

Ratione diuerſitatis pecuniarum, & penuriæ earundem aſſerit de Turri, non poſſe dictum Azorij ſubſiſtere. 16.

Aſſerit deberi intereſſe ratione recambiorum. 17.

Praxis, quam adducit Azorius, non eſt ea, de qua refert de Turri. 18.

Reijciuntur alia, quæ opponit Raphael de Turri Azorio. 19.

Illud moderatè, quod oppoſuit Azorius, fuit ad excludendum exceſſum ſupra debitum. 20.

1 IDem *Azorius d. part.3. lib.10. cap.11. quæſt.4.*, caſum ſibi figurat ſub his terminis. *Caius accipit Romæ à Titio nummulario centum aureos, quibus nunc Romæ indiget, ſoluturus eos Toleti in Hiſpania ad tres menſes eo pacto, vt, ſi Toleti ſolutæ non fuerint pecuniæ tempore conſtituto, debeat ſoluere Caius Romæ ipſi Titio centum aureos vna cum lucro, quod perciperet Titius, ſi Caius Toleti centum aureos ſolueret, quos Procurator Titij Toleti iterum dediſſet alteri ſoluturo eos hic Romæ, & pactum eſt, vt lucrum tale ſoluat Caius, prout fuerit hic Romæ officio Iudicis æſtimatum, quo pacto inito Caius Titio nummulario tradit literas, qui eas mittit Toletum ad Seium, quem Caius nominauit, vt is pro ipſo ſoluat, ſed ille Toleti ad diem præſtitutum non ſoluit, aut quia noluit, aut quia non potuit. Quarè miniſter, ſeu Procurator Titij alias literas ex vrbe Toleti Romam miſit ad Titium, quibus ſcribit Seium pro Caio non ſoluiſſe pecunias, & propterea cogitur Caius Romæ ſoluere Titio non ſolum pecunias, quas accepit, ſed etiam totum lucrum, quod erat Titius percepturus ex pecunijs, ſi eſſent Toleti ſolutæ; illæ etenim nomine cambij, & iure eſſent alteri datæ Toleti, vt cum lucro Romæ ſoluerentur Titio; aut cogitur ipſe Caius iterum ab eodem Titio Romæ pecunias accipere nomine, & iure Cambij, vt eas Seius pro eo Toleti ſoluat eo pacto, & conditione, vt ſi Seius Toleti non ſoluerit, Caius ſoluat Romæ decreto, & ſententia Iudicis ſeptem vltra centum, quæ acceperat.*

Facti ſeries propoſita per Azorium.

Circa hunc caſum *Azorius loco cit.*, ſentit, nullam vſuræ, nec iniuſtitiæ labem interuenire, nec Pij V. conſtitutione prohiberi, cum non ſit de certo, & determinato lucro ſoluendo, ſed taxando officio, & decreto Iudicis, nec etiam ſub eadem conſtitutione continetur pactum, vi cuius Caius iterum nomine, & iure cambij literas ad Seium miſit, vt pro eo ſoluat, ſin minus Caius Romæ ſoluat ſententia Iudicis ſeptem præter centum, quæ accepit, quandòquidem Pij V. conſtitutio prohibet pactum de certo lucro ſoluendo ex arbitrio nummularij, non autem, ſi pactum fiat de certo lucro, quod decreto, & ſententia Iudicis fuit taxatum; nec illud lucrum venit nomine pœnæ propter culpam, ſed potius nomine conditionis. Circa conſimilem caſum plura nos diximus *ſub hoc eodem tit. de Cambijs II. Diſq.2. §.2.*, vndè non eſt, cur in hoc inſiſtamus, cum in eiſdem ibidem ſtabilitis ſit perſiſtendum. Solum hic mens eſt examinare ea, in quibus Raphael de Turri impetit Azorium. 2

Aſſerit nullam vſuræ ſpeciem in tali caſu interuenire.

Damnat igitur in eo, quod aſſerit Azorius, onus reſpectu debitoris ſoluendi intereſſe recambij ob non factam ſolutionem per Seium Toleti non conſurgere ex culpa Seij debitoris, ſed in vim conditionis; dicit enim Raphael de Turri, quod illa non ſolutio ſit imputanda culpæ eiuſdem Caij, quia Caius accipiendo pecunias Titij in vim cambij, & aſſignando Seium pro ſolutione Toleti, obligationem in ſe ſuſcepit de ſolutione facienda per Seium, vndè non ſolutio eſt eidem Caio imputabilis, & licet in iure regulariter verum ſit, promiſſionem facti alieni non obligare promittentem per *textum in l. ſtipulatio in princip. ff. de verb. oblig., & §. ſi quis alicui Inſtit. de inut. ſtip.* 3

Intereſſe recambij ob non ſolutionẽ imputat Raphael de Turri culpæ debitoris.

hoc

Digitized by Google

hoc tamen fallit, quando talis promiſſio interponitur ſuper contractu, de cuius natura eſt, vt teneatur de facto tertij *l. emptorem §. qui autem ff. de act. empt. l. inter ſtipulantem in princip. ff. de verb. oblig.*, fallit item, quando factum tertij tendit ad obſeruantiam eius, quod quis promiſit *l. qui autem §. ſed & ſi quis ff. de conſt. pecun. Iaſon in d. l. ſtipulatio limit. 3. ff. de verb. oblig.*

4 Dicit iterum non deberi intereſſe ex ſimplici cambio.

Damnat item in eo, quod Azorius agnoſcit lucrum in cambio ſimplici, & duplex lucrum in duplici cambio, quod falſum ſupponit Raphael de Turri ex probatis per ipſum *diſp. 1. quæſt. 13.*

5 Aſſerit intereſſe creditoris ob nō factā ſolutionem non eſſe metiendū ex recambio Romam dirigēdo.

Damnat tandem in eo, quod Azorius videatur metiri intereſſe Titij creditoris ex ſuppoſitione non factæ ſolutionis Toleti per Seium ex recambio dirigendo Romam, ſi pecunia fuiſſet ſoluta ibidem, nempè Toleti, & per Procuratorem Titij fuiſſet aliud cambium initum ibidem, & remiſſum Romam, quod aſſerit, non poſſe conſiderari, nam nullum, ſi iuſtè fieret, reſultaret lucrum, quod, vt explicat, ſic procedit. Aſſerit, quod ſumma ſoluenda Toleti in ea quantitate, in qua excedit ſummam Romæ ſolutam, non aliundè prouenerit, quam à maiori abundantia pecuniarum conſiderata etiam diſtantia locali, & temporis dilatione; ex quo infert, quod, ſi nouum cambium fieret Toleti, & Romam remitteretur ex eiſdem cauſis ferè ad eandem ratam aut nihil, aut parum lucraretur Titius; vndè deducit, quod ad dignoſcendum intereſſe Titij ob nō ſolutionem factam Toleti debeat conſiderari, & ratio haberi, perindè ac ſi Titius pecunias ſibi ſolutas Toleti dediſſet ad cambium pro feria proxima cambiorum Placentiæ, vel vbi feriæ cambiorum in Italia celebrantur, & exindè eas vi noui cambij Romam ſibi remitti curaſſet, quæ omnia non ponderauit Azorius. In his reprobat eundem Azorium, in reliquis eius doctrinam circa hanc facti ſeriem, & reſolutionem approbat.

6 Poteſt cōtingere, quod non ſolutio in loco deſtinato non proueniat ex culpa debitoris.

Ponderemus iam ſingula damnationum capita. Denegari non poteſt, quin ſaltem quandoque non ſit imputabilis ad culpam Caio, quod Seius pro ipſo Toleti non ſoluerit, cum poſſit contingere, quod idem Caius bona fide crediderit Seium ſoluturum Toleti, cum tunc in communi hominum exiſtimatione eſſet ſoluendo, & poſtea, dum literæ Toletum dirigerentur, factus fuerit impotens; certè hæc impotentia, & per conſequens non ſolutio non eſt imputabilis Caio ad culpam; vndè, ſi obligatur, obligatur ex vi, ſeu in vim conditionis, non autem in vim pœnæ, quæ non poteſt conſiderari, vbi non eſt culpa, & licet dicatur, quod quandoque præcipuè in allegatis caſibus, quis obligatur de facto tertij, hoc tamen non prouenit ſemper ex vi culpæ, ſed regularitèr in vim conditionis, quod eſt id, quod ponderabat Azorius.

7 Incōgruè dicitur non deberi intereſſe ex ſimplici cambio.

Nec vim aliquam facit id, in quo ſecundo loco damnat Azorium, quandoquidem ex præcedentèr examinatis in ſolutione eorū, quæ idem Raphael de Turri obijciebat Salonio, iam manifeſtè apparet etiam in cambio ſimplici ex cauſis, & rationibus ibi inſinuatis poſſe lucrum, et intereſſe exigi, quæ hic non repetimus, cum poſſint ibidem recoli.

8 Azorius reducit tale intereſſe ad normam rectæ rationis.

Non tandem, quid euincit tertia damnatio, quia, cum per Azorium referatur lucrum ad illud, quod fuiſſet Titius percepturus, ſi ſolutio facta fuiſſet Toleti, vel ad ſententiam Iudicis, qui conſideratis omnibus, quæ in hoc genere ſunt conſideranda, taxet lucrum, ſeu intereſſe cambij, refertur ad regulam iuſtæ rationis, & maximæ æquitatis, nec verum eſt, quod in cambijs etiam irregularibus non poſſit ſequi lucrum, & intereſſe, licet regularitèr pretium, ſeu lucrum cambij irregularis normam ſumat à regularibus, quod verificatur, quando non eſt alia norma taxandi reſultans, vel à lucro ceſſante, vel damno emergente, vel ex Iudicis ſententia, vt in noſtro caſu.

9 Noua ſeries facti propoſita ab Azorio.

10 Damnatur ab eodem.

Aliam ſibi facti ſpeciem componit *Azorius d. part. 3. lib. 10. c. 11. q. 7.* in hanc formam. *Nummularius dat pecunias Regi, aut Principi indigenti eo pacto, vt ſoluat in nundinis, ſin minus ſoluat omnia lucra, quæ nummularius eſset in nundinis, ex repetitis identidem cambijs, donec Rex ipſe ſoluerit, percepturus*, & reſoluit hoc cambium, ſiccum eſſe, eo, quod nummularius certè, aut probabilitèr ſcit Regem, ſeu Principem non eſſe ſoluturum in nundinis.

11 Raphael de Turri arguit Azorium de inconſequētia, ſed immeritò.

Hanc reſolutionem improbat Raphael de Turri arguens de inconſequentia Azorium, eo quia hic antecedentèr docuerat cambium illud ſubſiſtere, quo creditor certò ſcit debitorum non habiturum, vndè ſoluat, niſi ab alio cambio accipiat, quia ad cambium ſufficit permutatio præſentis pro abſen-

Digitized by Google

abſenti; ex quo deducit idem Raphael de Turri, quod non ſit, cur ſit improbandum cambium initum cum Rege, cum ſine dubio Rex in feria poſſit habere, qui pecuniam pro ipſo ſoluat. Sed, ſi benè perpendiſſet de Turri rationem per Azorium adductam, non ita facilè de inconſequentia arguiſſet; aliud enim eſt, quem non habere in loco deſtinato ad ſolutionem actu pecuniam, qua ſoluat, habere tamen virtute, vel credito in tali loco, aliud campſorem ſcire debitorem certò, vel probabilitèr non ſoluturum, vel quia non habeat nec actu, nec virtute, vel quia, quamuis poſſit habere virtute, ſciatur, illa non vſuram, & per conſequens non ſoluturũ; cum primo poteſt ſtare cambium cum lucro, quia poteſt eſſe probabilis ſpes futuræ ſolutionis; cum ſecundo ſtare non poteſt cambium, quia eſt moralis certitudo, quod ibi non ſequetur ſolutio, vndè talis contractus reſoluitur in mutuum palliatum. Primum dicit Azorius loco per eundem de Turri allegato, & per conſequens ſubſiſtere cambium. Secundum dicit hic, negando ſubſiſtere cambium, in quo verum dicit, cum ſuppoſita tali ſcientia, & morali certitudine hoc nihil aliud ſit, quam mutuum, quo conceditur pecunia hic, vt hic etiam reſtituatur cum lucro, quod vſurariam redolet prauitatem.

12 Refertur nouus caſus per Azorium & approbatur ab eodem, ſi fiat cum moderato intereſſe.

Aliam etiam facti ſeriem ſibi figurat *Azorius d.part.3.lib.10.c.11.q.8.* in hæc verba: *Titius v. g. dat Principi pecunias in Hiſpania, vt eas ſoluat in Belgio, deindè verò miſſis illuc literis nulla fit pecuniæ ſolutio, ob bella, pericula, cauſaſue alias, quare nouæ literæ remittuntur ex Belgio in Hiſpaniam denuò alio cambio facto, & propterea ſoluere cogitur Princeps in Hiſpania non ſolum ſortem principalem, ſed etiam lucrum, quod erat ex primo cambio ex Hiſpania in Belgium, & ex ſecundo ex Belgio in Hiſpaniam nummularius percepturus, & propterea exigitur etiam à Principe lucrum ex lucro.* Hanc cambiendi formam ex mente nummulariorum, approbat idem Azorius dummodo moderatè hoc eſt cum moderato lucro fiat; tum quia lucrum, quod exigitur, cohoneſtatur ratione lucri ceſſantis, & item damni emergentis, quia niſi hoc pactum à principio fieret inter Principem, & nummularios, tota cambiorum negotiatio, quæ valdè Reipublicæ vtilis eſt, corueret; & ſolum damnat, quando modus excederetur, & immoderata lucra exigerentur, quia tunc eſſet ſpecies vſuræ, & tribueretur occaſio plurium fraudium.

13 Raphael de Turri dicit hāc cambiendi normā non eſſe in praxi.

Damnat in primis quoad praxim hanc cambiendi formam Raphael de Turri, & dicit Azorium, vel eam à parum peritis mercatoribus hauſiſſe, vel non integrè rem totam percepiſſe; vndè dicit, quod nec mercator det Matriti pecunias Principi reſtituendas per eum in Belgio, nec Princeps literas faciat, quarum ſolutio per ipſum, vel alium de ipſius mandato deſtinetur in Belgio; nec ob defectum ſolutionis in Belgio ibi celebretur nouum cambiũ, cuius ſolutio deſtinetur Matriti. Quamobrem hanc praxim dicit ſeruari. Princeps, cum indigeat pecunia in Belgio ob ingentes ſumptus, qui ibi fiunt cauſa bellorum, nec poſſit de facili ob immenſos maris tractus, & ob hoſtiles incurſiones traijcere, vel ob alias cauſas, ideo conuenit cum Mercatoribus, vt ipſi, quam citò prædicta expediant, quæ conuentiones vulgo dicuntur *Aſſienti*, & ab eis mercatores appellantur *Aſſientiſti*; quarum conuentionum vigore pecuniæ non ſoluuntur per Regem Matriti, nec ſolutionem mandat Rex fieri in Belgio, ſed mercator, qui ad eum effectum literas cambij conficit, & tranſmittit ad ſuos correſpondentes, & defectus ſolutionis non prouenit à Principe, ſed à mercatore; vndè, ſi ob defectum prædictum literæ in Belgium tranſmiſſæ non ſoluantur adminiſtratoribus Regijs, remittuntur cum debita proteſtatione contra Aſſientiſtam, qui ex vi illius proteſtationis obſtringitur ad intereſſe deducendum, non ex cambio celebrando a Belgio in Matritum, ſed ex eo, quod celebratum fuiſſet in Belgio in feriam, & ex feria deindè Matritum; vndè ſolum Aſſientiſta obligatur.

14 Refert praxim, quā Rex cū mercatoribus cōtrahit.

15 Quid ſit aſſienti, & aſſientiſtæ.

Verum tamen eſt, quod mercatores nec de ſuo, nec gratis prædicta præſtant, nam à Rege in aſſientis illis recipiunt promiſſiones, vulgò aſſignationes, ex quibus non ſolum indemnitati, ſed etiam vtilitati ſuæ conſulunt; ſed aſſignationes illæ non ſunt cambia, nec ex cambio, ſed recompenſatiuæ oneris per aſſientiſtam ſuſcepti. Cauere tamen debent huiuſmodi aſſientiſtæ, vt limites iuſtitiæ ſeruent, nec plus, quam æquitas poſtulat, exigant, ſicuti cauere debent Regij conſiliarij, ne impendant huiuſmodi congruas aſſignationes, quandoquidem ex tali impedimẽto conſurgent plurima Reipublicæ damna, exitia mercatorum, & etiam ruinæ particularium perſonarum,

rum, à quibus ipſi Aſſientiſtæ plurimas pecunias vt plurimum recipiunt, vt Regijs conſulant indigentijs.

Redeundo iam ad praxim ab Azorio compoſitam eadem retenta in pluribus damnat eundem Azorium; & primo in eo, quod dicit, quod mille viginti aurei, qui erant ſoluendi vigore primi cambij in Belgio, vigore recambij ſolui debeant in Hiſpania cum lucro; Dicit enim, quod cambia, quæ celebrantur in qualibet parte Regnorum Hiſpaniæ, quorum ſolutio deſtinatur in Belgio, non celebrētur in ſcutis auri, ſed in libris groſſorum pro totidem Marauedinis habitis, vel promiſſis in loco celebrati cōtractus, quod ait, valde conſiderandum eſſe; nam denegari non poteſt, quod cambium, quod fit ab Hiſpania in Belgium, ſit cambium irregulare, cuius iuſtitia pendet in compenſanda maiori, vel minori indigentia pecuniæ inter loca, inter quæ cambium illud celebratur habita ratione, quibus pretijs in vtraque platea celebrentur tunc cambia regularia. Hinc deducit, quod non ſolum attento diuerſo genere monetarum, ſed etiam attenta penuria pecuniarū, quæ ferè ſemper maior eſt in Belgio, ob bellicas neceſſitates, quam in Hiſpanijs, non poſſit verificari, quod pro mille aureis ſolutis Matriti ſoluantur mille viginti in Belgio, quinimmo poſſit contingere in damnum debitoris iniuſtitia, & exceſſus pretij ex cambio, licet illis mille receptis in Hiſpania

16 ſoluere cogeretur in Belgio noningenta octuaginta tantum, cum illa maior caritas, ſeu penuria excedat quandoque longè vltra illa viginti, & hunc dicit eſſe communem errorem, quotquot ſcripſerunt de cambio, eo quod non habuerint certam, & exactam notitiam praxis eiuſdem; atque ad hoc confirmandum adducit exemplum de pondere piperis in inſulis, in quibus gignitur, vbi centum pondera commutabuntur cū nonaginta ponderibus in alio loco, vbi non gignitur. Ex quibus omnibus concludendo dicit, quod malè ſentiat Azorius, dum pro mille ſolutis in Hiſpania vult via cambij ſolui mille viginti in Belgio, tum quia non conſiderat maiorem penuriam pecuniarum, tum quia imaginatur lucrum ex cambio ſimplici, & vtrumque prouenit ex eo, quod non conſiderauit duplex genus monetæ, quod regularitèr exigitur in cambio. Addit vlterius contra eundem Azoriū, quod id, quod dicit in recambio ſcilicet,

Ratione diuerſitatis pecuniarum, & penuriæ earūdem aſſerit de Turri opinionē Azorij non poſſe ſubſiſtere

quod celebratur ob ſolutionem non ſecutam in Belgio, & remittitur Matritum venire illa eadem mille viginti vna cum lucro ſecundi cambij, vix eſſet in praxi contingibile, quamuis enim in recambio veniat totū id, quod debebatur ex primo cambio, non verificatur tamen id, nec de eodem genere monetæ, quæ erat ſoluenda vigore primi cambij, nec de intereſſe illius quantitatis formaliter, qui exceſſus tunc formalitèr euenit, & in eodem genere quando ſecundum cambium perficitur ſolutione.

Secundo, damnat in eo, quod aſſerit Azorius, mercatores ſcilicet hæc cambia tueri ratione lucri ceſsantis, adeoque, ſi moderatè fiant, non repugnent iuri naturali; aſſerit enim, quod, ſi illa ratio lucri ceſsantis conſideretur, vt ratio formalis dicti lucri, tunc deſtruatur tota ratio cambij, & recambij, cum etiam hoc veniat in mutuo formali concurrentibus debitis requiſitis; ſi vero conſideretur eadem ratio lucri ceſsantis, vt cauſa, ſuper qua fundatur conuentio illa, vt creditor poſſit quantitatem debitam continuare ſuper cambijs, tunc aſſerit verum dicere Azorium, ſed non aperire, quomodo celebratum fuerit primum cambium in Hiſpania, quomodo fuerit ad perfectionem deductam in Belgio, & quomodo ibidem fuerit initum nouū cambium, & remiſſum Matritum, quod erat aperiendum ad tollenda figmenta. 17

Aſſerit item non deberi intereſſe, ratione lucri ceſſantis præcisè, ſed ratione, & ad normam recambiorum.

Tertio, damnat in eo, quod Azorius reſoluit nempè, ſi moderatè fiat, non damnari iure naturali; Aſſerit enim, hanc reſolutionem nullum robur habere, nam ſiuè res ſe habeat in puris terminis lucri ceſsantis, ſiue vt cauſa, ratione cuius concedatur continuatio ſuper cambijs, non ſolum iure naturali, ſed etiam iure ciuili, illud intereſse, qualecunque tandem fuerit eſſe ſoluendum. Subdit deindè, quod dum Azorius dicit, quod, ſi modus excedatur, tunc præferatur ſpecies vſurariæ prauitatis, non benè reſpexerit ad recambium celebratum in Belgio, ſed ad caſum compræhenſum in Bulla Pij IV. in quo cambium celebratur Romæ, & dirigitur in Hiſpanias, vbi non fit ſolutio, nec celebratur recambium, ſed in defectum ſolutionis repoſcitur Romæ, quod ſoluendum erat in Hiſpanijs cum eo lucro, quod conſecutus fuiſſet creditor, ſi ibi facta fuiſſet ſolutio, & celebratum nouum cambium ad beneficium creditoris,

quæ

Digitized by Google

quæ negotiatio tota pendet à moderatione pretij, vt in eadem Bulla, à qua moderatione, vtpotè aliena omninò abſtrahit, quando intereſſe debetur formalitèr ex lucrò ceſſante, vel cauſaliter ex continuatione cambiorum.

Poſtquam tot,tantaque Raphael de Turri impinxit Azorio, in pluribus damnat de ignorantia praxis, in alijs de imperitia iuris, in alijs de inconſequentia, tandem ipſum laudat, quod plenius aſſecutus fuerit tàm in praxi, quàm in diſpoſitione iuris hanc cambiorum materiam, quam fecerit Salonius.

18 Raphael referẽdo vnã praxim non probat eã quam adducit Azorius inuoluere repugnantiã.

Siſtamus iam in huiuſmodi damnationibus, & videamus, an Raphael de Turri in eiſdem rectè proceſſerit. Quoad primam de praxi tranſit à caſu ad caſum. Azorius loquitur de vno, & Raphael de Turri alterum refert, quem non damnat Azorius, cum de eo non loquatur. Eſto, quod in praxi habeatur id, quod refert de Turri, an propterea non ſeruatur in praxi id, quod exponit Azorius? Debebat de Turri probare modum expoſitum ab Azorio nullo modo eſſe in praxi, vel praxim illam, ſi eſt, inuoluere aliquam repugnantiam, ob quam eſſet eliminanda; non nouam formam inducere non repugnantem cum forma expoſita, & ex illa iſtam excludere.

Quoad ſecundam, quidquid ſit, quod mos vigeat in Regnis Hiſpaniarum celebrandi cambia pro Belgio non in ſcutis auri, ſed in libris groſſorum pro totidem Marauadinis habitis, vel promiſſis in loco celebrati contractus, hic mos non tollit, quin per priuatas contrahentium conuentiones, & pacta non poſſint celebrari in ſcutis auri, & cum hoc ità fieri proponatur per Azorium, nec ſit aliqua repugnantia, ratione cuius hæc ità poſſint celebrari,

19 Reijciũtur alia, quæ opponit Azorio Raphael de Turri.

debebat Raphael de Turri ſiſtendo in facti ſerie propoſita examinare, an rectè Azorius in illa proceſſerit, non adducere alium morem celebrãdi huiuſmodi cambia, & iuxtà horum tenorem damnare ea, quæ in alia forma cambiorum idem Azorius aſſeruerat. Suppoſito igitur, quod illud cambium fuerit celebratum in ſcutis auri, cum onere reſtituendi totidem in Belgio cum lucro, & in defectum ſolutionis ibidem cum onere reſtituendi eoſdem, cum primo, & ſecundo lucro in Hiſpania, non videntur vim habere ea, quæ opponit idem Raphael de Turri, ſcilicet, quod non ſolum attento diuerſo genere monetarum, ſed etiam attenta penuria pecuniarum, quæ ferè ſemper maior eſt in Belgio ob bellicas neceſſitates, non poſſit verificari, quod pro mille aureis ſolutis Matriti ſoluantur mille viginti in Belgio, quinimmò poſſet contingere in damnum debitoris iniuſtitia, & exceſſus pretij in cambio, licet illis mille receptis in Hiſpania ſoluere cogeretur in Belgio noningenta octuaginta tantum, cum illa maior caritas, ſeu penuria excedat quandoque longè vltrà illa viginti; Non, inquam, videntur vim habere, ſi conſiderentur ea, quæ ex communi mercatorum, ſeu nummulariorum praxi referunt *Molina de iuſt. tract. diſp.* 407., *& Mercatus tract. de cambijs cap.*5. *in fin., & cap.* 6., nempè in commutationibus pecuniarum de loco ad locũ potius haberi rationem auri, & argenti, quam æris, quod in ratione monetæ in diuerſis locis regularitèr eſt diuerſum; aureum autem, & argentum quamuis comparatione minorum monetatum maiorem valorem habeat in vno loco, quam in altero, comparatiuè tamen ad ſe ſemper eundem valorem retinet, vndè penes mercatores in ordine ad cambia, aliaſque negotiationes de loco ad locum pecunia minuta non fit menſura auri, & argenti, ſed potius è contra aurum, & argentum fit menſura pecuniarum minutarum; Quibus ſuppoſitis, dicendum eſt, penes campſores, & negotiatores ſemper praxim fuiſſe, vt aurum, & argentum ſemper eundem valorem vbique haberet, ex quo ſequitur, vt vnius pro altero ſecundum ſe etiam in *diuerſis locis* æqualis ſit commutatio, & in permutationibus poſſunt campſores, ſeu negotiatores ſine iniuſtitiæ ſcrupulo velle ſe dumtaxat accomodare valori legali, quem habet aurum, & argentum ſecundum ſe, non comparatiuè ad maiorem, vel minorem æſtimationem monetarum minutarum.

Quoad tertiam, ſi benè perpendiſſet Raphael de Turri formam expoſitam ab Azorio non appoſuiſſet illam duplicem conſiderationem, an illa ratio lucri ceſſantis ponderetur formaliter, an tantum cauſatiuè, quandòquidem cognouiſſet illam tantum Azorium poſuiſſe cauſatiuè; cum etenim dicat, quod, cum ſolutio non fiat in Belgio, quo primæ litteræ fuerunt remiſſæ, quarè nouæ literæ remittuntur ex Belgio in Hiſpaniam denuo alio cambio facto, &, cum nummularij huiuſmodi recambia cohoneſtare intendant ratione lucri ceſſantis, cum ceſſent nummularij

Digitized by Google

larij ab alijs licitis cambijs, vtique ſe ſentire oſtendit, illam ceſſationem lucri eſſe cauſam, propter quam illam quantitatem debitam poſſint continuare in cambijs, & ex illis lucrum acquirere vſque ad integram ſolutionem; nec ea, quæ ſubdit idem Raphael de Turri, aliquam vim contra Azorium inferre poſſunt, quandòquidem illa iterata cambia ob defectum ſolutionis ſupponuntur ritè, & iuxtà formam iuris inita, nec fuit neceſſe, vt Azorius exprimeret formam, & modum, quo fuerunt inita, cum in ea hypotheſi difficultas non verſaretur circa modum, quo inirentur illa cambia, quod alibi conſiderauerat Azorius, & per conſequens omnia requiſita ſupponit interuenire, ſed in eo conſiſteret, an illa conuentio ob defectum ſolutionis iterandi cambia cum lucro ſubſiſteret, in quo totam vim poſuit, cum eſſet tota ratio controuerſiæ.

Quoad tertiam tandem non eſt, cur
20 Raphael de Turri inuehat contra Azorium, ſiquidem iſte, dum dixit, licitè hæc fieri, ſi moderatè, hoc eſt, cum moderato lucro fiunt, per ly *moderatè* voluit, quod fiant cum proportionato lucro iuxtà naturam contractus, & non cum exceſſu; hocque conſulto poſuit ad tollendam nummulariorum ingluuiem, qui ex quo contrahunt cum Rege, ſibi præſumunt, poſſe maioribus lucris inhiare, ac exigat natura eiuſdem contractus.

Illud *moderatè*, quod appoſuit Azorius fuit ad tollendũ exceſſum ſupra debitum.

PRÆNOTIO XIX.

Expenduntur cenſuræ Raphaelis de Turri aduerſus Leſſium.

SVMMARIVM.

Prima cenſura aduerſus Leſſium, eo quod ignorauerit reſpondentem campſarij per acceptationem literarum obligari. 1.

Recedit à cenſura, dum poſtea cognoſcit, in quo ſenſu locutus eſt Leſſius. 2.

Secunda cenſura aduerſus eundem, dum dicit campſorem certò ſcire non poſſe, quantum ſit lucraturus ex cambijs, & recambijs. 3.

Vindicatur Leſſius ab eadem cenſura. 4.

Tertia cenſura in eo, quod Leſſius non aſſignat, quinam ſit ille executor, & contrahens, & quomodò gerat quatuor perſonas. 5.

Vindicatur Leſſius ab hac cenſura. 6.

Oſtenditur, quomodò idem reſpondens campſoris poſſit munera plurium perſonarum exercere. 7.

Campſarius contrahit cum ſufficienti libertate, & quomodò. 8.

Leſſius ſtatuit, quod, ſi campſarius non habeat nec actu, nec habitu pecuniam in loco reſtitutionis, & campſor hoc nouerit, cambium ſit iniuſtum, & ſiccum. 9.

Secundo, quod, ſi campſarius poſſit alibi habere pecuniam vel per amicum, vel per alium, qui non ſit ſocius campſoris, non peccet campſor dando ei ad cambium. 10.

Tertio, quod, ſi campſarius non habeat alium, qui eius nomine ſatisfaciat, niſi campſorem, vel eius ſocium cambium ſit iniuſtum. 11.

Cenſura Raphaelis de Turri contra dicta Leſſij. 12.

Clarè Leſſius docet, per eundem reſpondentem & perfici primum cambium, & celebrari recambium. 13.

Oſtenditur non eſſe repugnantiam, quin per eandem perſonam poſſint hæc fieri. 14.

Arguit Leſſium in eo, quod hic dicit, quod ſoluente reſpondente campſoris per indè eſt, ac, ſi ſolueret ipſe campſor. 15.

In hoc Raphael de Turri ſibi ipſi contradicit, & quomodò. 16.

Arguit Leſſium in eo, quod dicit famulum, ſeu executorem campſoris non poſſe perficere primum cambium, & celebrare ſecundum. 17.

Item in eo, quod aſſerit campſorem ſubire duas perſonas, alteram campſoris, alteram campſarij. 18.

Item in eo, quod dicit reſpondentem campſoris ſubire perſonam campſoris, & campſuarij. 19.

In primo oppoſito Raphael de Turri ſibi contradicit. 20.

Quomodò intelligat Leſſius, quod campſor ſimul in hoc caſu gerat vices campſuarij. 21.

Oppoſita Raphaelis de Turri circa reſolutionem Leſſij. 22.

Arbitratur non eſſe neceſſe, quod campſarius habeat actu, vel virtute pecuniam in loco deſtinato. 23.

Aſſerit vix poſſe contingere carentiam pecuniæ actu, vel virtute cum notitia campſoris. 24.

Aſſerit contra permutantem, & vendentem rem, quam non habet, dari actionem præſcriptis verbis, & actionem ex empto. 25.

In primo caſu Leſſius ſolum dicit, quod quando in loco deſtinato non eſt pecunia nec actu, nec credito, non teneat cambium. 26.

In pluribus ſibi contradicit Raphael de Turri, & in quibus. 27.

Ex eo, quod campſor noueri[illegible] futuram ſolutionem in loco deſtina[illegible]rius digno-

gnoſcitur eius malitia in contrahendo. 28.

Damnat Raphael de Turri Leſſium in eo, quod dicit, quod quando aſſignatur reſpondens, qui eſt in miniſterio, & ſocietate campſoris, non teneat cambium. 29.

In hoc etiam ſibi contradicit Raphael de Turri, & quomodò. 30.

Damnat item in eo, quod Leſſius æquiparat campſorem, & ſocium eiuſdem in ſolutione primi cambij. 31.

Item in eo, quod Leſſius totam iniuſtitiam refundat in eo, quod nouerit campſor non habiturum pecuniam in loco ſolutionis. 32.

An, & quomodò iuxtà mentem Raphaelis de Turri poſſit campſor, vel non poſſit ſoluere primum cambium. 33.

Oſtendit Raphael de Turri aduerſus Leſſium, interuenire omnia, quæ requiruntur ad verum cambium. 34.

Aſſerit vlterius Leſſium ſibi contradicere, dum modo dicit rem in illo cambiendi genere ſerio agi, modo non agi ſerio. 35.

Aſſerit ex vi acceptationis literarum præcisè non naſci ſolutionem primi cambij. 36.

Nullam agnoſcit actionem indirectam. 37.

Nec præſumptionem vſurarum. 38.

Poſitis debitis conditionibus etiam campſor per ſe ipſum poteſt perficere primum cambium. 39.

Quando res ſeriò non aguntur, præſumuntur fieri ad palliandum mutuum. 40.

Ex praua intentione agentis inficitur contractus. 41.

Leſſius ſupponit cum acceptatione literarum reſpondentem ea præſtare, quæ requiruntur ad ſolutionẽ virtualem. 42.

Quid intelligat Leſſius nomine illius actionis indirectæ. 43.

Exponitur quid ſentiat Leſſius in noua dubitatione. 44.

In quibus Raphael de Turri commendat Leſſium circa dicta in hac noua dubitatione. 45.

In commendatione etiam lædit, & quomodò. 46.

In quibus reprobat ipſum Leſſium. 47.

Oppoſitiones proueniunt vel ex mala intelligentia, vel ex ſiniſtra interpretatione. 48.

Suppoſito diuerſo reſpectu poteſt eſſe diuerſum intereſſe lucri ceſſantis, & intereſſe cambiorum. 49.

PRæmittit de more quoddam palliatum laudationum genus Raphael de Turri erga eundem Leſſium, aſſerens [illegible] omnes, qui de cambio ſcripſeru[illegible] ſiuè ſint Theologi, ſiuè Iuriſtæ, praxim cambiorum intimius nouiſſe; ſed poſtea in proceſſu quæſtionum ipſum impetit arguens de negligentia, & ignorantia iuris, & praxis, vt in ſequentibus latè videbimus.

1 Incipiendo igitur ab eo, quod *Leſſius* habet *lib.2. de iuſtitia cap.23. dubit.5.* circa praxim cambiorum, quæ temporibus eiuſdem Leſſij vigebant, approbat Raphael de Turri dicta eiuſdem Leſſij quoad ea, quæ concernunt diſtinctionem perſonarum, quæ concurrunt ad huiuſmodi cambia, ſed reprobat in eo, quod addit, nempè ſæpè contingere, vt reſpondens campſarij, cui dirigitur tracta, non ſoluat reſpondenti campſoris, cui dirigitur remiſſa, ſed tradat illi obligationem tanquam ab eo accepiſſet ad cambium, quam ille, nempè reſpondens campſoris remittit ad campſorem, & ſimul ſcribit ad campſarium, vt ſoluat campſori recambium; Reprobat, inquam, in hoc arguens eundem Leſſium de ignorantia iuris, cum negligat obligationem reſpondentis campſarij, quæ oritur ex acceptatione literarum, nec aduertat obligationem ex dicta acceptatione nouatione extingui, & in obligationem ex cambio in eodem debitore mutari, per quam mutationem, & nouationem verè, & propriè contingit ſolutio primæ obligationis, propter quam iuris ignorantiam aſſerit, Leſſium negare correſpondentem campſuarij ſoluere correſpondenti campſoris, vndè ſubdit, quod ſibi met ipſi idem Leſſius contradicat, cum antea dixerit, completum eſſe primum cambium, quod eſſe non poteſt, niſi ſolutione facta prioris cambij, quam negat. Hæc, cum obiecerit Raphael de Turri, vt poſtea mitius ageret cum eodem Leſſio, ne fortè ſibi videretur contradicere in ijs, quæ paulo antè dixerat, nempè ipſum melius nouiſſe praxim cambiorum, quam alij, dixit, quod Leſſius intelligendus ſit in eo

Arguit primo Raphael de Turri Leſſium de ignorantia iuris, eo quod nõ nouerit reſpondentem campſarij ex acceptatione literarum obligari.

2 ſenſu, quo voluerit correſpondentem campſarij non ſoluere tractam ea ſolutione, quà extinguat omnem obligationem ex cambio, quæ fit per compenſationem, non autem de illa ſolutione, quæ per nouationem prioris obligationis contingit, quia licet prior obligatio nouata extinguatur, alia tamen ex contractu nouante oritur; & ſic, dum ſubdit Leſſius, vice ſolutionis tradi à correſpondente campſarij obligationem ei, cui directa fuerat remiſſa, intelligendus ſit in eo ſenſu, quo non prior obligatio, ſed obligatio, quæ ex nouo

Recedit à cẽſura, dum cognoſcit, in quo ſenſu locutus eſt Leſſius.

nouo cambio cum eo conſurgit.

Vindicatur à cenſura Leſſius.

Mitius, & cautius cum Leſſio egiſſet Raphael de Turri, ſi relicto illo improprio, quod defecerit in cognitione iuris, in ſano ſenſu germanam illius mentem intellexiſſet, prout intellexiſſe demonſtrat, dum explicat ſenſum, in quo intelligendus eſt; nec certè poterat de Turri cogitare virum, quem cæteroqui doctiſſimum appellat, & præ cæteris verſatum in praxi cambiorum, tam inconſequenter locutum, dum antecedenter docuerat ad recambium requiri ſolutionem ſaltem virtualem primi cambij, per quam idem primum extinguitur; vndè patet ad inſtantiam illam ſiniſtram interpretationem interpoſuiſſe, vt in ipſum inueheret.

3 Arguit ſecundo Leſſiũ in eo, quod dicit cãp. ſorẽ ſcire non poſſe quantum lucretur.

Proſequitur idem Leſſius in eadem dubitatione in hæc verba *Campſor tamen ordinariè ſcire non poteſt, quantum lucretur, niſi dum pecunia per ſecundum, vel tertium cambium tandem ad ipſum redit.* Aduerſus hæc dicta inſurgit Raphael de Turri obijciens id, quod antea dixerat *Leſſius dubit. 3., & 4.*, nempè poſſe dari lucrum in cambio ſimplici, ſiuè campſor prius dat, ſiuè prius recipiat, ex quo infert, ergo, ſi ex cambio ſimplici poteſt lucrum recipere, poterit certo cognoſcere, quantum illud ſit, quod, ſi non poteſt certo ſcire, id eſt, quia ex cambio ſimplici non poteſt lucrum exigi contra id, quod docet ipſe Leſſius, vndè ſubdit Raphael de Turri minus rectè ſentiens de eodem Leſſio, quod notum non habuerit cuius generis, & quam exactum ſit illud *tantundem*, quod venit in cambio.

4 Vindicatur Leſſius ab eadem cenſura.

Oh quam inutilia cogitat Raphael de Turri, vt inuehat? Eſto, quod in cambio ſimplici poſſit lucrum percipi. Quid indè? An ideò poteſt creditor certò cognoſcere, quantum ſit percepturus ex continuatis cambijs? Numquid ſemper ſunt eadem, & in omni loco pretia cambiorum? Numquid & ipſe Raphael de Turri aſſerit, diuerſam eſſe æſtimationem ex diuerſitate locorum, & temporis? Si conſideraſſet, quod Leſſins non computat præcisè lucrum ex primo cambio, ſed quod ex iteratis cambijs emergere debet, & quidem copulatiuè vſque ad vltimatum complemẽtum eorundem, non ità ſtrenuè, & animosè inſurrexiſſet, nec damnaſſet Leſſium ignorantiæ.

Vlterius progreditur idem Leſſius in hunc modum. *Interdum fit, vt campſarius non habeat reſpondentem in loco, vbi pecunia eſt reſtituenda, ſed campſor aſſignet ei ſuum reſpondentem, qui acceptet debitum, & ſibi ſoluat, quatenus diuerſas perſonas rapreſentat, ſeu diuerſa officia ſubit. Hic rurſus obligationem ſcribit tanquam ipſe ad cambium receperit, eamque tranſmittit ad primum campſorem, vt à campſario ſolutionem accipiat cum pretio cambij, & recambij.* Contra hæc quoque inuehendo de neglectu iuris progreditur de Turri arguens, quod non diſtinguat Leſſius, quinam ſit iſte executor, & contrahens, & quomodò quadruplex illud munus exequatur, duplex ſcilicet in perficiendo primum contractum per ſolutionem ſcilicet, & exactionem, & duplex ſcilicet in contrahendo recambio promiſſoris ſcilicet, & ſtipulatoris, nec agit de requiſitis, quæ ad omnia dicta munera exequenda ſunt neceſſaria, ex quorum defectu hæc negotiatio reſoluitur in merum figmentum.

5 Arguit tertio in eo, quod Leſſius non aſſignet, quiſnã ſit ille executor, & cõtrahens, & quomodò exequatur munus quatuor perſonarum.

Bone Deus? Quæ non cogitat de Turri, vt poſſit inuehere? Communitèr admittunt DD. tam Theologi, quam Iuriſtæ cambium, quo dirigitur ſimul tracta, & remiſſa vni, & eidem perſonæ, nempè reſpondẽti campſoris, per quam etiam ineatur recambium; Quo iure, ſeu qua facie modo impetit Leſſium in eo, in quo conuenit cum cæteris omnibus, & etiam cum ſe ipſo? Certè, & ipſe admittit hanc normam cambiendi *diſp. 3. quæſt. 8. fere per totum.* Fortè ex eo inuehit, quod Leſſius non recenſeat omnia requiſita, quæ neceſſaria ſunt, vt vna, & eadem perſona plures repræſentet? Si hic non enumerat, non excludit tamen, quin potius ſupponit, nec hic erat locus inueſtigandi talia requiſita, cum alibi de illis egerit, vel eſſet acturus, quinimmò *Leſſius loc. cit. num. 50. in fin.*, proteſtatur ſe de iuſtitia, vel iniuſtitia eiuſdem contractus acturum *dub. 7., & 8.*

6 Vindicatur Leſſius ab hac cenſura.

Quamobrem, vt hæc clarius innoteſcant, accedamus ad ea, quæ examinat *d. dub. 7.* Ibi proponit primo caſum de omni cambio, quod dirigitur ad locum, vbi campſarius, nec vllam pecuniam, nec vllum reſpondentem, nec fidem habet, ſed rogat campſorem, vt ipſe nomine eius aliquem, qui reſpondeat, procuret, vel ipſe per ſuum factorem reſpondeat, qui poſteà eandem pecuniam per recambium remittit, & ità fiat ſolutio cambij, & recambij in loco, vbi primo fuit accepta. Poſita hac caſus figuratione proponit ſententiam illorum, qui nullam iniuſtitiam

Digitized by Google

in eadem cognoſcunt, & ſimul eorum rationes conſiſtentes in eo, quod ratio aduerſatiua, ſi quæ eſſet, ea eſſet, quod campſarius non haberet pecunias in loco, quo ſoluenda eſt; atque hæc ratio obſtare non poteſt, quia non requiritur, quod actu habeat, ſed ſufficit, quod habeat poteſtate, vel ſcilicet credito, vel fide apud alium reſpondentem; Quod, ſi dicatur, in hac hypotheſi non habere campſarium creditum, nec alium reſpondentem, niſi illum campſoris, ac proindè rem in ſubſtantia ita ſe habere, ac ſi ipſe campſor reſponderet, quod eſt in fraudem vſurarum; reſpondet *idem Leſſius ibid. nu. 62. bo.* nullo modo eſſe in fraudem vſurarum, quandòquidem campſor non cogeret campſarium, vt ſuo reſpondenti debitum traijceret, ſed id in eiuſdem campſarij libertatem relinqueret, quinimmò ipſe campſarius rogaret in ea hypotheſi campſorem, vt ſuum daret reſpondentem, in quo nulla inuoluitur iniuria eidem campſario, nec iniuſtitia, & ſicuti quilibet alius poteſt ei reſpondere, ità is, quo ipſe campſor vtitur, ibi poteſt hoc munere fungi. Quod, ſi repetatur, quod

7 Oſtenditur, quomodo idem reſpondens campſoris poſſit munera plurium perſonarũ exercere.

hoc non poſſet locum habere, quando reſpondens campſoris eſt eius famulus, vel merus executor campſoris, quia tunc haberetur, ac ſi eſſet vna perſona cum campſore, qui propterea non poteſt ſibi met ipſi ſoluere, & ſi ſolueret eſſet fictitia ſolutio; reſpondet idem Leſſius, non eſſe hoc fictitium ſoluere, cum poſſit vna, & eadem perſona ræpræſentare plures perſonas, & officia, & per conſequens ſibi ſoluere; vndè in hoc cambiendi genere idem campſor duo munera exercet, vnum campſoris, quatenus hic dat ad cambium, & traſmittit creditum ad ſuum reſpondentem, & campſarij, quatenus nomine eius trajcit debitum ad ſuum reſpondentem. Item reſpondens eiuſdem campſoris duplex officium gerit; primum, quo creditum acceptat tanquam reſpondens campſoris; ſecundum, quo debitum acceptat, eſtque reſpondens campſarij ſoluturus ſibi ipſi tanquam reſpondenti campſoris. Addit vlterius pro eadẽ ſentẽtia hoc aliud argumentum a paritate deductum, quia, ſi quis petat a mercatore mutuas pecunias, quas ille renuat dare, ſed exhibeat petenti tot merces credito, & petens accipiat, & immediatè eidem venditori, vel alteri reuendat, non peccet mercator contra iuſtitiam, ergo etiam non peccabit contra iuſtitiam campſor, qui ſuum reſpondentem exhibet campſario ad complendum contractum primum, & nouum ineundum, cum campſor in hoc cambiendi genere nihil aliud præſtet, quam dicere, ſe nolle mutuare, ſed paratum eſſe emere pecunia præſenti alterius pecuniam abſentem, & ſi ibi non habeat, nec poſſit habere ab alijs, paratus ſit eidem vendere credito, & præſenti pecunia eandem emere.

Quod, ſi aduerſus hanc rationem obijciatur, quod campſarius non liberè, ſed coactè accipiat hanc pecuniam ad cambium, vel quod pretium in hoc cambio non ſit iuſtum eo, quod pecunia, quam campſarius vendit campſori, pluris valeat ob ſumptus, quibus eam comparare debet, vel quod hoc cambium videatur ſiccum, & verum mutuum, quia litteræ remittuntur inanes; tunc reſpondet idem Leſſius ad primùm, eſſe ſufficientem libertatem ad validitatem contractus, quia liberè, & voluntariè contrahit, & licet ex parte faciet inuoluntariè, quia mallet alia ratione pecuniam conſequi, quia tamen ad hunc contrahendi modum per iniuriam non compellitur, non poteſt dici, quod ſit inuoluntarius quantum ad effectum nullitatis contractus. Ad ſecundum dicit, quod quando merces ſecundum ſe habent communem æſtimationem, non ideò pluris valeant ex eo, quod maioribus ſumptibus ſint comparatæ. Ad tertium dicit, literas non redire inanes, cum ibi virtualiter ſoluantur, & nouæ literæ ex nouo cambio remittantur.

8 Campſarius contrahit cũ ſufficienti libertate, & oſtenditur.

Explicata hac ſententia, & à contrarijs obiectis vindicata plura quoad ſuum ſenſum dicit Leſſius, & primo, quod, ſi ille, qui petit à campſore, non ſit habiturus pecunias alibi actu, vel poteſtate in credito, & id cognoſcat campſor, cambium illud ad lucrum ſit iniuſtum addita ratione, quia dare pecuniam ad cambium nihil aliud eſt, quam permutare pecuniam præſentem cum abſente, vel pecuniam abſentem emere, aut transferre, ſed hæc nequeunt euenire, quando campſarius non habet pecuniam nec actu, nec habitu, adeòque nec poteſt eſſe permutatio, nec venditio; hic tamen aduertit, quod, ſi campſor bona fide dederit ad cambium exiſtimans alterum ibi habere, vel habiturum pecuniam, vbi reſciuerit fraudem, poſſit cogere eundem campſarium, vt contractum impleat, & ibi ſoluat, quod, ſi ille noluerit ſoluere, poſſit repetere ſortem, & pretium cam-

9 Leſſius ſtatuit, quod, ſi cãpſarius cum ſciẽtia cãpſoris non habeat actu, nec habitu pecuniã in loco reſtitutionis cãbium ſit ſiccum.

cambij in loco, vbi dedit, & intereſſe, quod patitur ex eo, quod loco conſtituto ſolutum non ſit, quia, cum ipſe bona fide contractum compleuerit, tenetur alter quoque ex ſua parte complere, cæteròqui contractus ſemper paterent fraudibus. Secundo dicit, quod, ſi is, qui petit, poſſit alibi habere pecuniam per amicum, vel aliū, qui non ſit in miniſterio, vel ſocietate campſoris, non peccet campſor contra iuſtitiam, ſi nolit ei dare, niſi ad cambium in talem locum, rationemque ex eo adducit, quia ex vno capite non tenetur campſor illam pecuniam dare mutuo, ſed ſolum emendo iuſto pretio, ſed pecunia illa, quam quis poteſt habere, eſt pretio æſtimabilis, ergo, campſor poteſt nolle dare ſuam pecuniam præſentem, niſi vt acquirat illam abſentem, quæ eſt pretio æſtimabilis. Dicit tertio, quod, ſi is, qui petit à campſore, non habeat alium, qui eius nomine ſatisfaciat, quam ipſum campſorem, vel eius ſocium, cui pecunia in illo loco eſt ſoluenda, probabile eſſe tale cambium eſſe contra iuſtitiam, quamvis fateatur contrariam ſententiam non eſſe improbabilem, & ſpeculatiuè veriorem, diſſuadendam tamen, nec facilè permittendam; quia videtur eſſe mutuum palliatum, nec aliam fuiſſe intentionem, quam dare pecuniam cum obligatione, vt in eodem loco reſtituatur cum lucro. Hæc omnia ex mente eiuſdem Leſſij, & fere ad verbum retuli, vt poſſit dignoſci, an rectè aduerſus ipſum procedat Raphael de Turri.

10 Dicit vlterius, quod, ſi cãpſarius poſſit habere amicum, qui nõ ſit ſocius cãpſoris non peccet campſor cum eo cambiẽdo.

11 Vlterius, quod, ſi non habear, niſi ſocium campſoris, iniuſtè cambiat.

Aduerſus hæc omnia cõgerit plura idem Raphael de Turri, & primo tangit Leſſium in argumẽto primo, quod format, ad probãdam illorũ ſententiã, qui probant talem contractũ fundatũ in eo, quod non eſt repugnantia, quod quis habens ſolummodo pecuniam in credito, vel penes amicum, poſſit illam permutare pro pecunia præſenti. Tangit, inquam, quia per hoc argumentum probat ſolum, quod perficiatur primum cambium per illam ſolutionem, non autem, quod conſtituatur nouum cambium, quod erat principalius in hac difficultate; tum quia in illo argumento gratis omnino aſſumitur, ex eo ſolum dubitari de iniuſtitia, quia debitor pecunias nõ habeat in loco deſtinatæ ſolutionis, cum dubitandi ratio oriatur ex eo, quod ſecundum ea, quæ proponuntur, verè, & realitèr perficiatur primum cambium ſolutione, & ſimul nouum ineatur in loco eodem ſolutioni deſtinato per vnam, & eandem perſonam, cui fuit directa ſimul tracta, & remiſſa, quod aſſerit nõ poſſe eſſe, niſi ſecundum diſtinctiones, quas ipſe adducit *diſp.3.q.8.*, tum quia per illud argumentum egreditur è terminis, ſecundum quos caſum ſibi figurauit Leſſius, dum in ſolutione argumenti ſupponit eum, cui tracta dirigitur, ſumere mutuo, vel cambio ſummam neceſſariam pro cambij ſatisfactione, & ſolutione, de quo mentionem non fecit in caſus figuratione.

12 Cenſuræ Raphaelis de Turri contra dicta Leſſij.

Sed tangit immeritò, quia vult tangere, non quia habeat fundamentum tangendi. Si aduertiſſet, quod Leſſius dicit, quod per reſpondentem campſoris perficitur primum cambium, & celebratur ſecundum, quod remittitur ad locum, vbi primum fuerat celebratum, non dixiſſet, quod perficiatur ſolum primum cambium, non ſecundũ ineatur; quod, ſi in argumento ſolum dixerit, quod non ſit repugnantia, quod quis habens ſolummodo pecuniam in credito, vel apud amicum poſſit illam permutare cum pecunia præſenti, adeoque illa pecunia in credito poſſit primum cambium perficere, hoc dixit, quia difficultas videbatur ſolum in eo verſari; cæterum dato, quod illa pecunia exiſtente ſolummodo in credito poſſet primum cambium perfici, nulla poterat eſſe difficultas, quin ex eadem pecunia ſic exiſtente in credito, & ceſſa in extinctionem primi cambij, non poſſet nouum cambium conſtitui, vel quod clarius eſt, iuxta caſus propoſiti figurationem nulla eſt difficultas, quin quodamodo mutua accepta pecunia à reſpondente campſoris eadem vtatur ad perficiendum primum cambium, & cum ex eadem iterum conſtituatur debitor erga eundem reſpondentem, idem debitum conſtituatur in nouum cambium, & remittatur tracta ad eundem debitorem, vt tandem illam ſoluat primo creditori. Neq; id, quod ſubdit primo loco idem Raphael de Turri, quod ſcilicet difficultas non verſetur in eo, quod campſarius non habeat pecunias in loco deſtinato ſolutioni, ſed in eo, quod ſolutio primi, & conſtitutio ſecundi fiat per vnam, & eandem perſonam, quod eſſe nequit, niſi ſeruatis conditionibus, quas ipſe *Raphael de Turri*, ponit *hac eadem diſp.3. q.8.*, poteſt aliquid officere, quandoquidem hic modus cambiendi eſt communi Mercatorum, & Scriptorum calculo comprobatus, & admiſſus ab Vrbano VIII. fel. record. in reſponſ.4. ad

13 Clarè Leſſius docet & perfici primum cambiũ, & celebrari recambium per eundem reſpondentem.

ad Archiepiſcopum Genuenſem; & licet ipſe *Raphael de Turri d. diſp. 3. q. 8.* pluribus præactis in ſuo primo dicto,
14 ſecundo, & tertio aſſerat impoſſibile regularitèr eſſe per vnam, eandemque perſonam perfici cambium, & celebrari recambium per plura incompatibilia, quæ ibi enumerat; in dicto tamen tertio aſſerit, quod, ſi dirigatur tracta vna cum remiſſa vni, eidemque perſonæ, quæ ſit bancherius, & vices plurium perſonarum, eius ſcilicet, cui ſit tracta, & eius, cui remiſſa reſpectiuè, adimpleat, poſſit cambium perficere, & recambium celebrare accedentibus debitis conſenſibus per nuntium, vel per Epiſtolam. Rurſus *n. 33. verſ. ſed quoniam in concluſione*, dicit explicando ea, quæ per concluſiones negatiuas dixerat, quod, quandoque etiam, ſi ille, cui dirigitur tracta ſimul, & remiſſa, non ſit bancherius, ſolutio primi cambij, & celebratio ſecundi poſſit per ipſum fieri, quod explicat fieri, quotieſcunque in caſibus nouationis, & delegationis additur conſenſus reſpectiuè eorum, quorum intereſt ſaltem per literas ad recambium celebrandum. Per quam explicationem, ſi benè aduertit, deſtruit negatiuas præcedentes, cum regularitèr in recambijs, quæ hoc modo fiunt, interueniant nouationes, per quas prima obligatio, quam contraxerat campſarius ex primo cambio, transfundatur in alteram, quæ conſurgit ex recambio, & interueniat cõſenſus tàm campſoris, quam campſarij, eo quod ad eundem reſpondentem dirigant literas, vt primum cambium per ſolutionem perficiat, & de nouo contrahat &c. Nec tandem aliquid euincit id, quod ſecundo loco ſubdit; nam certè non egreditur Leſſius terminos, ſub quibus caſum ſibi figurauit, quamuis enim non expreſſerit in eadẽ figuratione, quod ille, cui dirigitur tracta, accipiat mutuo pecuniam, qua ſoluit primum cambium, de quo mutuo mentionem facit in reſponſione ad argumentum, non propterea receditá terminis eiuſdem caſus, nam eo ipſo, quod ſoluit primum cambium nomine campſarij, debet quoquo modo intelligi accipere illam pecuniam, vel ipſam dare mutuo, ex quo conſtituit debitorem ipſum campſarium, cui propterea per nouas literas remittit tractam ſoluendam primo creditori.

Oſtenditur poſſe hæc fieri per vnã, & eãdem perſonã.

Raphael de Turri ſibimet ipſi contrarius.

15 Secundo tangit eundem Leſſium Raphael de Turri quoad primũ obiectum, & quoad reſponſionem ad idem; dicit enim in primis aſſumptum, quo

Arguit Leſſium in eo quod dicit, quod

dicitur ſoluente campſoris correſpondente perindè eſſet, ac ſi ipſe campſor ſolueret, quod eſt in fraudem vſurarũ, eſſe falſiſſimum, cum correſpondens ſit perſona omninò diuerſa à campſore, vt patet ex reſponſo P. j V. ad Bononienſes; Deindè dicit reſponſionem, quam adhibet ad obiectum dicens, id facere campſarium quaſi coactè, non facere ad rem, cum de hac coactione nulla facta fuerit mentio in caſus figuratione.

ſoluente reſpondẽte campſoris perindè eſſet, ac ſi ſolueret ipſe campſor.

Benè venerit quoad primum Raphael de Turri. Iam admittit correſpondentem campſoris eſſe perſonam omnino diſtinctam ab eodem campſore, 16 quantum ad effectum perficiendi primum contractum, cur non poterit conſiderari, vt perſona diſtincta etiam à campſario in ordine ad illud perficiendum, & contrahendum nouum cambium? Ex hac igitur ratione diuerſitatis perſonarum, quæ rapræſentatur per vnam, & eandem perſonam, non poteſt eſſe repugnantia, cur huiuſmodi cambium, & recambium poſſit iniri, nec aliter ſenſit Leſſius, quinimmo ſic obijciendo ſibi met ipſi manifeſtè oſtendit, ſe contrarium ab obiecto ſentire. Verum tamen eſt, quod eidem obiecto reſpondendo non videtur directè eidem ſatisfacere, ſed in aliam rationem repugnantiam refundere, nempè in coactionem quodamodo campſuario illatam accipiendi ſcilicet pro ſolutione primi cambij, & celebratione ſecundi reſpondentem campſoris, quod non eſt conſiderabile in ordine ad vim obiecti.

In hoc Raphael de Turri ſibi ipſi contradicit.

17 Tertio tangit in eo, quod affert Leſſius in ſecundo obiecto, quod ſcilicet reſpondens campſoris, quando eſt famulus, vel merus executor eiuſdem, & per conſequens vna, & eadem perſona, non poſſit cambium perficere, & aliud celebrare; dicit enim Raphael de Turri ex ijs, quæ docuit *diſp. 3. q. 7.* ex natura inſtitoriæ non obſtante idẽtitate perſonæ poſita diuerſa negotiatione ſuſtineri in iure tãquàm diuerſa, adeout ſit capacitas actionum actiuarum, & paſſiuarũ ad inuicem. Rurſus dicit non intrare reſponſionem Leſſij de officio duplici, quod per vnam, & 18 eandem perſonam poſſit exerceri, quatenus poſſit ſimul eſſe creditor, & debitor, cum hoc ſit omninò impoſſibile. Rurſus damnat eundem Leſſium in eo, quod dicit campſorem in hac hypotheſi ſubire duas perſonas, campſoris ſcilicet, quatenus dat ad cambium, & facit remiſſam ad ſuum reſpondentem;

Arguit Leſſiũ in eo, quod dicit famulum, & executorem campſoris non poſſe perficere primum cambium & contrahere ſecundũ.

Item in eo, quod aſſerit campſorẽ ſubire ſimul munus campſoris, & campſuarij.

Digitized by Google

tem; campſarij verò, quatenus eius nomine facit tractam eidem reſpondenti, quod poſtremum ſecundum præſentem hypotheſim falſum aſſerit, nam licet reſpondens campſoris tractam campſarij adimpleat de mandato ipſius campſoris, nihilominus tracta ipſa ei fit per campſuarium debitorem; itē damnat in eo, quod aſſerit, correſpondentem campſoris duplicem gerere perſonam, campſuarij ſcilicet, dum ſoluit, & campſoris, dum exigit, eo quia, dum correſpondens prædicta exequitur ex propria, & non aliena perſona agit, tum quia illa propoſitio de ſibi ipſi ſoluendo non eſt generalitèr vera, ſed tunc tantum, quando interueniunt ſubſtantialia ad perficiendum ſolutione primum contractum, & contrahendum ſecundum, de quibus in ſpecie propoſita non meminit Leſſius.

19 Item in eo quod dicit reſpondentē cāpſoris ſubire perſonā campſoris, & cāpſarij.

Bone Devs? In quas anguſtias non ſe conijcit Raphael de Turri, vt reprehendat Leſſium? Ipſe in oppugnatione ad argumentum per eundem Leſſium propoſitum aperto ore aſſerit, nō obſtante identitate perſonæ ſuſtineri in iure vnū, eundemq; eſſe capacem ſimul actionum actiuarū, & paſſiuarū adinuicem, & deindè impugnando reſponſionem ab eodem Leſſio traditam eodem argumento negat vtriuſque perſonæ munus per eundem reſpondentem campſoris poſſe adimpleri, adeout conſtituatur ſimul creditor, & debitor. Quid enim eſt aliud contrahere ſimul actiones actiuas, & paſſiuas adinuicem, quam conſtitui creditorem ſimul, & debitorem? Si primum admittit, non video cur poſſit negare ſecundum? Non poteſt effugere difficultatem ex eo, quod in primo dicat, ſupponi diuerſitatem negotiationis, licet interueniat identitas perſonæ, quod ſatis eſt ad validandam perfectionem primi contractus, & celebrationem ſecundi. Non poteſt, inquam, effugere; nam, vel intelligit in vtroque caſu interuenire illam diuerſitatem negotiationis, vel in primo interuenire, & non in ſecundo. Si primum aſſerat; Ad quid in oppugnatione ad argumentum aſſerit, non obſtante identitate perſonæ vnam, & eandem perſonam eſſe capacem actionum actiuarum, & paſſiuarum adinuicem, & poſtea impugnando reſponſionem Leſſij ad idem argumentum negat eandem perſonam eſſe ſimul capacem, vt ſit debitor, & creditor reſpectu eiuſdem; cum militet eadem ratio; Si aſſerat ſecundum; quamuis rectè ſecundum ſua principia videatur procedere, non tamen videtur congruè impetere eundem Leſſium; nam debuiſſet prius inueſtigare, an loquatur de eodem reſpondente campſoris ex vi eiuſdem negotiationis, an verò ratione diuerſæ, & ſi nouiſſet loqui ex vi eiuſdem negotiationis, aduerſus ipſum modo prædicto inſurgere, non ſumere eiuſdem verba, quæ poſſunt intelligi in ordine ad diuerſam ſignificationem, & intelligendo iuxtà ſenſum ab ipſo de Turri conceptum, vel ſuo modo interpretatum ipſum damnare; & quidem iure merito idem Leſſius potuit intelligere in ordine ad diuerſam negotiationem, cum etenim ſupponatur reſpondens campſoris, poteſt intelligi, quod non ſolum ſit reſpondens ratione eiuſdem negotiationis, ſed etiam aliarum præcedentium, quod à fortiori intelligendum eſt, dum Leſſius concipit caſum in terminis famuli eiuſdem campſoris.

20 In primo obiecto Raphael de Turri ſibi contradicit.

Sine prę‑uia cognitione mentis eiuſdem Leſſij ipſum impugnat.

Ad illud, quod deindè ſubdit Raphael de Turri contra Leſſium, quod ſcilicet incautè dicat, eundem Campſorem ſubire duas perſonas campſoris ſcilicet dando ad cambium, & campſarij trahendo ad ſuum correſpondentem illam ſummam per eundem reſpondentem ſoluendam, dicendum eſt, in leui ſiſtere fundamento, & potius in cortice verborum, quam in medula ſubſtantiæ; non enim negat Leſſius, quod tracta pertineat ad campſarium, ſed ſolum dicit, quod, dum campſor ordinat ad ſuum correſpondentem, vt ſibi ipſi ſoluat, quod fortè non peregiſſet ſine tali mandato, videatur quodamodò gerere vices campſarij, cum hoc munus ſic ordinandi ad hunc regularitèr ſpectat, quinimmò, dum ſic ordinat, videtur, ſe conſtituere fideiuſſorem pro ipſo campſario, & accedere loco eiuſdem, ſicquè in hoc vices illius gerere, non in eo, quod illa ſumma, cuius ſit tracta prout eſt debita, pertineat ad ipſum campſorem, cum hic ſit creditor eiuſdem. Leui item fundamento procedit Raphael de Turri, dum negat, correſpondentem campſoris duplicem gerere perſonam campſarij ſcilicet ſoluendo, & campſoris recipiendo eo quia hæc munera præſtat ex perſona propria, non aliena; leui, inquam, fundamento, quia vel hæc munera præſtat procuratorio nomine, vel de mandato tantum; vtroque etenim modò poteſt præſtare; ſi procuratorio nomine; iam patet præſtare hæc munera in perſona campſoris, & campſarij,

21 Quomodo poſſit intelligi in ea hypotheſi, quod cāpſor gerat etiam vices cāpſuarij.

Digitized by Google

ſarij, quorum vices ſimplicitèr gerit; ſi de mandato; eſto, quod hæc præſtet in perſona propria; denegari tamen non poteſt, quod ſoluendo id non præſtet, vt campſarius, & recipiendo, vt campſor, quod eſt, quod voluit Leſſius; duo etenim munera in eadem perſona campſoris cognoſcit in celebratione primi cambij iuxta mox explicata, & duo alia in reſolutione eiuſdem contractus in perſona reſpondentis campſoris, dum ſoluit, & dum recipit.

Reſpondens cāp. ſoris poteſt ſoluere, & contrahere ſecundum cambiū procuratorio nomine.

Quartò tangit in paritate, quam adducit Leſſius ad probandam iuſtitiam talis contractus, fundata in eo, quod, ſicuti requiſitus de mutuo poteſt loco mutui vendere ſuas merces petenti mutuum, & deindè eaſdem pecunia præſenti emere, ita requiſitus de mutuo poteſt nolle mutuum dare, ſed ſe paratum oſtendere emere pecunia præſenti alterius pecuniam abſentem, &, ſi ibi non habeat, nec poſſit habere ab alijs &c. exhibere &c. Tangit, inquam; dicens ſe plura habere conſideranda circa venditiones illas, & illarum iuſtitiam, ſed libenter ſe abſtinere ab illis, cum ſint extra argumentum cambiorum. Sed cum non ponat huiuſmodi conſiderationes, non eſt, cur immoremur. Hoc vnum moneo, quod argumentum deſumptum ex illis venditionibus, quantumuis ſecundum ſe non tangat materiam de cambijs, ex paritate tamen ad illorum notitiam poteſt plurimum conferre, vndè debebat reſpondere, non effugere difficultatem ſub eo reſpectu, quod non pertineat ad quæſtionem cambiorum.

Nonnulla opponit, ſed ſine fundamēto, cū illud non exprimat.

Quoad ea, quæ objicit Leſſius contra iuſtitiam talis contractus, & quoad ea, quæ obiectis reſpondit nihil ſingulare opponit Raphael de Turri, quin ferè per omnia conueniit, vndè non eſt, cur immoremur.

22 Quintò tangit in eo, quod pro reſolutione difficultatis ex proprio ſenſu ponit *Leſſius loc. cit. num. 68.*, nempè, quod, ſi campſor ſciat campſarium non habere actu pecuniam, nec virtute in loco deſtinato ad ſolutionem, non poſſit licitè, & iuſtè ei cambium concedere; ac proindè circa eius dictum plura conſiderat; primo, quod egreditur terminos propoſitæ difficultatis, cum ſupponatur habere reſpondentem campſoris, qui pro ipſo reſpondeat. Secundo, conſiderat non eſſe neceſſe, quod campſarius habeat ſiuè actu, ſiuè virtute pecuniam in loco deſtinato ad ſolutionem, &, quamuis campſor hoc norit, non infici tamen contractum; nam ſicuti exiſtentia, vel non exiſtentia rei venditæ non reſpicite ſubſtantiam venditionis, ſed tantum eius perfectionem extrinſecam, quæ in præſtatione rei venditæ verſatur, ità exiſtentia, vel non exiſtentia pecuniæ in loco deſtinato ad ſolutionem non reſpiciti ſubſtantiam cambij ſimplicis, etiam ſi talis non exiſtentia fuerit ad notitiam campſoris, ſed eius perfectionem extrinſecam, per quam non deſtruitur ipſa ſubſtantia cambij; vndè, ſi ibi non fiat ſolutio defectu talis non exiſtentię proteſtatis literis compellendus erit debitor ad ſoluendam quantitatem vna cum intereſſe ad normam iuris *in l. 1. cum toto tit. ff. de eo, quod cert. loc.* Tertiò conſiderat, quod vix poſſit contingere talis carentia pecuniæ actu, vel virtute cum notitia campſoris, cum moraliter impoſſibile ſit, quod quis in negotiationibus velit ſuum concedere illi, quem ſit nec actu, nec proteſtate habiturum pecuniam pro ſolutione, hoc enim eſſet prodigere ſuum, quod non eſt præſumendum in negotiatore. Quartò conſiderat, quod ad ſummum hæc Leſſij reſolutio locum habeat in terminis veri cambij, & recambij, & in quibus debitor verè, & formalitèr obligatur ad cambium, & recambium, non autem in illis terminis, quando debitor concedit campſori facultatem cambiendi; & recambiendi, in quibus terminis certum eſt, quod campſor nouerit, debitorem non habere pecuniam vllo modo in loco deſtinatæ ſolutionis.

Oppoſita Raphaelis de Turri circa reſolutionē Leſſij.

23 Arbitratur non eſſe neceſſe, quod cāpſarius habeat actu, vel virtute pecuniā in loco deſtinato

24 Aſſerit vix poſſe cōtingere carentiam pecuniæ actu, vel virtute cum ſcētia campſoris.

Proſequitur deindè Raphael de Turri tangere eundem Leſſium quoad rationes per ipſum adductas in confirmationem ſui dicti, & quidem, dum dicit Leſſius, quod non poſſit eſſe permutatio, nec emptio rei, quæ non eſt, attollit vocem Raphael dicens, nunquam auditum dari exceptionem debitori ex eo, quod ad ſcientiam creditoris rem in contractu deductam non habuerit nec actu, nec poteſtate, nam contra permutantem, & vendentem rem, quam non habet datur actio præſcriptis verbis contra non adimplentem, & actio ex empto contra venditorem non data re empta *ex tot. tit. ff. de præſcript. verb., & de act. empt.* Dum verò Leſſius ſubdit paritatem de re per ruſticum illam non habentem vendita præſenti pecunia, replicat Raphael de Turri, non habere maiorem vim hæc paritas, ac habeat ratio per eundem Leſſium ſupra adducta, quandòqui-

25 Aſſerit contra permutātem, & vendentē rem, quā nō habet, dari actionē pręſcriptis verbis, ſeu actionē ex empto.

Digitized by Google

dòquidem talis venditio abſolutè tenet, nec inuoluit aliquam iniuſtitiam, ſi facta fuerit iuſto pretio, quod aſſerit nullum ſani capitis poſſe negare, dato etiam, quod emptor certo nouerit venditorem nec habiturum actu, nec poteſtate bouem venditum, vndè refutat etiam id, quod ſubdit idem Leſſius, quod, ſi ſcilicet dans pecuniam ad cambium bona fide dederit exiſtimans recipientem habiturum pecuniam, quam reſtituat in loco ad ſolutionem deſtinato, poſſit cogere eundem recipientem ad contractum implendum, & in illius defectum ad ſoluendum debitum ex illo cambio vna cum intereſſe; refutat, inquam, quia hoc non ſolum verificatur, quando bona fide tradidit, ſed etiam quando tradidit cum ſcientia non exiſtentiæ pecuniæ in tali loco, ſiuè actu, ſiuè virtute, eo quia, ſicuti traditio rei venditæ non eſt de ſubſtantia contractus venditionis, ſed etiam ea circumſcripta datur actio ex empto per textum *in l.1. ff. de act. empt.* ità etiam ſolutio cambij non eſt de ſubſtantia eiuſdem, vndè eadem non poſita conſurget actio &c.

Idem aſſerit de vendente bouem, quem nō habet.

Sed nec in his omnibus, quæ congerit Raphael de Turri, valdè ferit eundem Leſſium. Singula propterea examinemus. Dum dicit primo egredi terminos præſentis difficultatis, cum habeat respondentem campſoris, qui pro ipſo ſoluit, rectè quidem procedit, ſed non tangit Leſſium, qui in eo primo dicto difficultatem examinat in abſtracto abſtrahendo à facti ſerie propoſita, ex qua deindè gradatim procedendo infert poſteà ad facti ſeriem in ſecundo, & tertio dicto; nec nouum eſt, quod ad propoſitionem alicuius facti reſoluendam præmittantur vniuerſalia, & quaſi in abſtracto, vt deindè inferatur, quid dicendum ſit in concreto eiuſdem facti. Sic in particulari præmiſit Leſſius, quod quando campſor nouit campſarium nec habiturum actu, nec poteſtate, quo ſolueret in loco deſtinatæ ſolutionis, iniuſtè eidem det ad cambium; ex quo poſtea voluit inferre in vltimo dicto, quod etiam iniuſtè dat, quando nouit non habiturum, quo ſoluat, niſi ex pecunia eiuſdem campſoris; ſed, an rectè procedat Leſſius in tali illatione infrà examinabitur. Dum deindè dicit, exiſtentiam, vel non exiſtentiam pecuniæ in loco ad ſolutionem deſtinato non reſpicere ſubſtantiam cambij ſimplicis, cum pertineat ſolum ad perfectionem extrinſecā eiuſdem, ſibi videtur directè contradicere; ipſe etenim iuxtà reſponſum tertium Vrbani VIII. ad Archiepiſcopum Genuenſem aſſerit, quādo in loco ſolutionis non eſt, vndè ſoluatur, niſi ex pecunijs eiuſdem campſoris, non ſubſiſtere contractum cambij, quod poſteà clarius explicans dixit *diſp. 3. quæſt. 7.* hoc intelligendum eſſe, quando non adeſt, niſi pecunia campſoris ex eadem negotiatione, ſecus quando adeſt ex diuerſa negotiatione; ſi ergo iuxtà ipſius mentem non tenet contractus, quando ſolummodò pro ſolutione adeſt pecunia eiuſdem campſoris ex eadem negotiatione, a fortiori non poterit tenere, quando nulla adeſt pecunia nec campſoris, nec alterius, & certo ſcitur à campſore non eſſe ibi futura. Hoc clarius cognouiſſet Raphael de Turri, ſi reflexiſſet ad Bullam Pij V. in qua damnauit tanquam ſiccum cambium, quando re vera mittuntur literæ ad locum, vbi pecuniæ eſſent ſoluendæ, ſed remittuntur inanes, eo quia non ſit in nundinis, aut locis ſupradictis, qui huiuſmodi literis receptis ſolutionem faciat addita etiam ratione, *quia inter dantes, & accipientes vſque à principio, ità conuenerant, aut talis intentio erat, neque quiſquam in nundinis, aut locis ſupradictis &c.*, nec dubitari poteſt, quin fuerit talis intentio campſoris, cum ab initio nouerit non futurum eſſe in loco, qui ſolueret. Quamobrem ſtantibus his iuribus poſitiuis in hoc genere contractuum non ſunt attendenda ea, quæ agglomerat Raphael de Turri ex paritate venditionis rei non exiſtentis, de qua alibi erit ſermo. Dum verò dicit vix poſſe contingere talem carentiam pecuniæ actu, vel virtute cum notitia campſoris, cum non ſit præſumendum, quod hic velit ſuum prodigere, in primis egreditur è terminis Leſſij, ſecundum quos ſupponit campſorem plenè nouiſſe talem carentiam; Deindè planius inſinuat malitiam, & intentionem eiuſdem campſoris; nam ſupponitur, quod non intenderit ſuum prodigere, ſed ſic contrahendo voluerit recipere ſolutionem in loco, in quo primus contractus fuerat celebratus, & quidem cum lucro, quod eſt id, quod intendit damnare Pius V. in præfata ſua conſtitutione per mox allegata verba. Dum tandem dicit, quod reſolutio Leſſij procedat tantum in veris terminis cambij, & recambij, & in quibus debitor verè, & formalitèr obligatur ad cambium, & recambium, non autem in terminis,

26 In primo dicto Leſſius ſupponit nullo modo eſſe pecuniā in loco deſtinato, & propterea dicit cambiū illud non tenere.

27 In pluribus ſibi contradicit Raphael de Turri, & in quibus

28 Ex eo, quod cāpſor nouerit non futuram pecuniā in loco ſolutionis, & nihilominus contraxerit dignoſcitur eius prauitas lucrandi ex mutuo.

Digitized by Google

quando campſarius defectu ſolutionis concedit facultatem cambiendi, & recambiendi vſque ad integram ſolutionem; nihil dicit ad rem; nam iuxtà ſecundum membrum diſtinctionis ab eodem Raphaele de Turri poſitæ, vel ſupponit, quod campſor vtatur tali facultate cambiandi, & recambiandi, & ſic ſupponit, quod ipſe campſor perficiat primum cambium per virtualem ſolutionem, de qua ſupra, & per conſequens non verificatur, quod nullus ſit in loco deſtinato, qui ſoluat contra id, quod ſupponit Leſſius, vel non vtitur tali facultate, & tunc eſt manifeſta præſumptio, quod cambium illud ſit initum ea intentione, vt reſtitueretur in eodem loco, in quo fuit celebratum cum lucro, quod eſt directè contra id, quod ſtatuit Pius V. in allegata conſtitutione. In alijs, in quibus Raphael de Turri impetit Leſſium quoad rationes ſui primi dicti, non eſt immorandum, quandòquidem exceptiones, quas ponit aduerſus eaſdem rationes eo ſolum tendunt, vt euincant ad ſubſtantiam cambij, non eſſe neceſſariam exiſtentiam pecuniæ in loco deſtinato ad ſolutionem, quod præcipuè in genere cambiorum ex præactis falſum apparet.

Semper eſt præſumptio, quod cābiū fuerit celebratū cum intentione, vt reſtitutio fiat in eodem loco cum lucro.

Sextò tangit in eo, quod in reſolutione caſus ſecundo loco dicit Leſſius, nempè, quod, ſi ille, qui petit ad cambium pro aliquo loco ſit habiturus pecuniam per amicum, vel alium, qui non ſit in miniſterio, vel ſocietate cāpſoris, poſſit campſor nolle ei dare mutuo, ſed tantum ad cambium pro tali loco, nec peccabit contra iuſtitiam; Tangit, inquam, quia licet verum ſit, quod dicit Leſſius, quando campſarius habiturus eſt, vel per amicum, vel alium, fallit tamen in eo, in quo excipit, *qui non ſit in miniſterio, & ſocietate*

29 *campſoris*; aſſerit enim Raphael de Turri, quod, quantumuis ille, qui eſt ſoluturus in loco deſtinato, ſit miniſter, & ſocius campſoris, poſſit tamen validè ſoluere, & perficere cambium, ſi non ſit miniſter, & ſocius ex eadem negotiatione, ſed ex diuerſa per ea, quæ latè docuit in præcedentibus; Subdit vlterius, quod hoc dictum Leſſij non procedit ex theſi præcedenti, quæ reſpicit duplicationem contractus, cum hoc dictum reſpiciat ſolum cambium ſimplex, & perfectionem eiuſdem.

Damnat Raphael de Turri Leſsiū in eo, quod aſſerit, quod quando reſpondens eſt miniſter, & ſocius campſoris non teneat cambiū.

Quamuis in eo, quod aſſerit primo loco idem Raphael de Turri, videatur rectè procedere, non tamen videtur ferire Leſſium, cuius mens erat prius inueſtiganda, an intelligat de ſocio, & miniſtro eiuſdem negotiationis, an vero etiam diuerſæ, & ſi dixiſſet procedere etiam quoad miniſtrum eiuſdem negotiationis, tunc poterat opponere, quæ opponit, in qua tamen oppoſitione, non ità infallibilitèr procederet, vt ſupponit conſideratis ijs, 30
quæ in præcedentibus nos innuimus, quinimmò ipſe inconſequentèr etiam videretur procedere, cum antecedenter dixerit abſolutè exiſtentiam pecuniæ in loco deſtinato non pertinere ad ſubſtantiam cambij, ſed ad ſummum ad perfectionem eiuſdem. Cæterum (quidquid ſit de hoc) cum Leſſius non aperuerit, an intelligat de ſocio eiuſdem, vel diuerſæ negotiationis, non videtur habere locum oppoſitio Raphaelis de Turri, cum poſſet ſemper reſpondere Leſſius ſuum dictum procedere tantum de ſocio eiuſdem negotiationis. Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt, Leſſium in hoc ſecundo ſuo dicto ponderaſſe ſolummodò, an, ſi campſarius ſit habiturus ſolummodò pecuniam in loco ſolutionis ope amici, vel miniſterio alicuius alterius, poſſit ſubſiſtere cambium cum campſore celebratum, ex cuius dicti deciſione poterat poſtea deduci, an poſſet, vel non poſſet iuſtè celebrari recambium; vndè non poteſt dici, quod Leſſius recedat à theſi propoſita, cum eius dictum aperiat viam ad reſoluendum id, quod in theſi propoſuerat.

In hoc etiā ſibi contradicit Raphael de Turri, & quo modo.

Septimo tangit in eo, quod in reſolutione tertio loco dicit Leſſius, nempe, quod, ſi is, qui petit a campſore, non poſſit habere alium, qui in loco condicto eius nomine ſatisfaciat, quam ipſum campſorem, vel eius ſocium, probabilitèr cambium cum ipſo initum ſit contra iuſtitiam, licet aſſerat contrariam ſententiam, non eſſe improbabilem. Tangit, inquam, & quidem in multis (aduerte tamen, quod Raphael de Turri recitans dictum tertium eiuſdem Leſſij non rectè recitat, dum legit, probabile eſſe ad cambium dare poſſe, cum tamen Leſſius 31
hæc formalia verba dicat, *probabile eſſe contra iuſtitiam, tunc ad cambium dare*, ſed arbitror hoc contigiſſe ex errore typographi); & primo in eo, quod Leſſius æquiparat in hoc campſorem ipſum, nempè creditorem cambij, & ſocium eiuſdem, dum dicit, *nec poſſit habere alium, niſi ipſum campſorem, vel eius ſocium*; aſſerit enim Raphael de Turri, valdè referre, an per

Damnat item in eo, quod Leſſius æquiparat cāpſorē ipſū, & ſociū eiuſdem in ſolutione primi cambij.

Digitized by Google

per eundem campſorem facienda ſit ſolutio tractæ, an verò per eius ſocium, nam per eundem campſorem certè fieri non poteſt, cum quoad omnia ſit eadem perſona, fieri autem poteſt per eius ſocium, ſeu inſtitorem, cum ſit perſona diuerſa ſaltem quoad ortum & originem, & interitum obligationum etiam correlatiuè oppoſitarum. Secundò in eo, quod Leſſius in hoc poſteriori dicto totam vim iuſtitię, vel iniuſtitiæ duplicationis cambij collocat in illa conſideratione, an campſor nouerit, quod debitor eſſet ſoluturus, vel non ſoluturus actu, vel habitu in loco deſtinatæ ſolutionis, non vero conſiderat alia, quæ in hoc genere ſunt conſideranda, an ſcilicet, &

32 Item in eo, quod Leſſius refundit totã iniuſtitiã cãbij in eo, quod cãpſuariũ nouerit campſor non habiturum, quo ſoluat.

quomodò perficiatur primum cambium, reali, & effectiua ſolutione, & an verè, & realitèr celebratur nouum cambium, quorum conſideratio erat neceſſaria, ne fictitia intelligatur tota negotiatio. Explicans poſtea Raphael de Turri id, in quo primo loco tangebat Leſſium, nempè de æquiparantia campſoris, & ſocij eiuſdem dicit, quod, ſi ſit ſermo de ſocio omninò extraneo re, & nomine, nulla ſit difficultas, quin tutiſſimè campſarius poſſit ab eo curare huiuſmodi ſolutionem, cum de hoc habeatur expreſſum reſponſum Pontificium ad Bononienſes; ſi verò ſit ſermo de ſocio, qui non ſit extraneus nomine, tunc dicit, quod, ſi fuerit ſocius ex diuerſa negotiatione, adhuc poſſit licitè per eundem curari ſolutionem tractæ, ſecus, ſi fuerit ſocius eiuſdem negotiationis. Si vero ſit ſermo de ipſo met campſore, ſeu creditore ex cambio; tunc adhuc diſtinguit; vel etenim literæ cambij fiunt, & ſubſcribuntur ab ipſo met campſore, & tunc dicit, hoc eſſe non poſſe, quia, cum literæ illæ mandatum ſubſcribentis contineant ad eum, ad quem diriguntur, non poſſunt per eundem exequi, quia non poteſt eſſe, nec intelligi mandatum ſibi ipſi dirigi; vel literæ illæ ſubſcribuntur à campſario, vel ab aliquo tertio, & tunc adhuc diſtinguit; vel ille campſor, ſeu creditor habet pecunias, vel actiones campſarij, & tunc nihil impedit etiam ab ipſo met creditoré ſolutionem prædictam fieri concurrentibus illis, quæ ſunt neceſſaria ad ſibi ipſi ſoluendum, vel non habet, nec antequam ſoluat, eſt habiturus, & tunc eſt merum figmentum.

33 An, & quomodò campſor iuxtà mentem Raphaelis de Turri poſſit per ſe ipſum, vel non poſſit ſoluere primũ cambiũ.

Proſequitur deindè Raphael de Turri examinare rationes, quas in corroborationem ſui tertij dicti adducit Leſſius, & primo damnat in eo, quod aſſerit, nempè videri illud cambium mutuum palliatum, intentio enim non videtur eſſe alia, quam dare pecuniam cum obligatione, vt in eodem loco reſtituatur, & cætera, quæ videntur in illo cambio interuenire, non videntur ſerio agi, ſed cauſa fingendi mutuum; damnat, inquam, quia ex quo apparent in illo cambiendi modo interueniſſe omnia requiſita ad cãbiũ, nempè conſenſus, res, pretium, pecunia diuerſi generis, & ſolutio in alium locum deſtinata, non eſt præſumendum de mutuo palliato; nec eſt recurrendum ad intentionem de mutuo, quando habentur omnia requiſita ad cambium, & licet intentio campſoris fuerit ordinata ad lucrum, non eſt damnanda, cum fiat per media licita, & à iure permiſſa. Damnat item in eo, quod ad probandam ſententiam contrariam non eſſe improbabilem ſupponit Leſſius rem ſerio agi, quandòquidem opponit Leſſium ſibi in hoc contradicere; cum etenim in præcedenti parte dixerit, hæc ſerio non fieri, ſed cauſa tegendi mutuum, cur modo vult ſupponere, rem ſerio agi? Certè hæc videntur de diametro ſuppoſita contraria. Inflicto hoc vulnere ſtudet apparenter Raphael de Turri eidem mederi, ſed atrociori vulnere latenter; linit primo vulnera dicens ſapientiſſimum hunc Theologum ſola æquitate, non ſcripta, ea cognouiſſe, & pro certis habuiſſe, quæ nullus ex Iuriſtis, qui toti in iure ſcripto verſantur, cognouit; dicit enim ſe ſupponere, ſi reſpondens campſoris, qui reſpondet pro campſario vergeret in decoctionem, campſorem non eſſe habiturum directè, & nomine ſuo actionem in campſarium; ſed poſtea cuſpidem atrociorem euibrat, & facit vulnus acrius recrudeſcere; in primis enim arguit ipſum Leſſium in eo, quod in propoſito habet, nempè, quod acceptata obligatione per reſpondentem campſoris campſuarius liberetur, & tali caſu campſori competat ſolum actio indirecta contra campſarium nomine ſui debitoris; dicit enim, quod ex vi acceptationis tractæ non reſultet præciſè ſolutio, vndè requiritur ad effectum illius ſolutionis illa acceptatio, vi cuius attentis circunſtantijs ad compenſationem requiſitis reſultat ſolutio per viam compenſationis, vel illa acceptatio, quæ non conſiſtit in puris terminis acceptationis tractæ prioris cambij, ſed quando correſpondens,

34 Oſtendit Raphael de Turri aduerſus Leſſium interuenire omnia, quæ requirũtur ad verum cambiũ.

35 Damnat contradictionis ipſum Leſſium, & quomodò.

36 Aſſerit ex vi acceptationis literarũ pręciſè non naſci ſolutionem primi cãbij.

dens, qui acceptauit tractam, incipit debere ex cãbio vigore recambij celebrati. Deindè arguit in eo, quod concedat in data hypotheſi actionem indirectam campſori aduerſus campſarium, nam in toto iure nulla datur actio indirecta, niſi fortè nomine actionis indirectæ velit intelligere actiones vtiles,

37 Nullam agnoſcit actionẽ indirectam.

quæ quandòque competunt aduerſus debitores debitoris, quæ tamen in hoc caſu non poſſunt competere, quandòquidem hæ ſolummodò in iure conceduntur creditori hypothecario per textum *in l. nomen C. Quæ res pign. oblig. poſ.* Tandem arguit in eo, quod dicit Leſſius talem cambiendi modum eſſe contra charitatem, & inducere præſumptionem iuris, & de iure vſurarum, vt patet ex Bulla Pij V., dicit enim nulla ratione adhærendum eſſe Leſſio retento eius ſuppoſito poſteriori, quod ſcilicet res ſerio

38 Nec præſumptionem vſurarum.

agatur; quod, ſi res conſideretur attento priori ſuppoſito, ſecundum quod res ſerio non agitur, dicit veriſſimam eſſe aſſertionem Leſſij, & non ſolum ex præſumptione iuris, & de iure, vtpotè contra dictam Bullam, cambium eſſe, ſed deficere in ſubſtantia perfectionis cambij, ſuper qua fundari deberet celebratio recambij, & ſic reſolueretur in mutuum, quod cum lucro omninò iure damnatur tanquam vſurarium.

Singula iam perpẽdamus quoad has damnationes. Incipiẽdo à prima de negatione æquiparantiæ inter cãpſorem, & eius ſociũ in ordine ad perficiendum cãbium, & explicatione, quam adhibet Raphael de Turri dicendum eſt in eadem immeritò procedere; vel etenim neuter aptus eſt ad perficiendum, vel vterque ſeruatis alijs, quæ in hoc genere ſunt ſeruanda, & cum ipſe aſſerat, quod, ſi fuerit ſocius poſſit hoc munus obire ex eo capite, quod poſſit rapræſentare duplicem perſonam, & campſoris ſcilicet, & campſarij, non video, cur id munus duplicis perſonæ, non poſſit exercere idem campſor, ſi ſe transferret ad locum ſolutionis. Certe,

39 Poſitis debitis conditionibus oſtenditur per campſorẽ ipſum poſſe perfici primum cambiũ.

& nos docuimus *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot. 8. per totum*, poſſe campſorem per ſe ipſum quoad perfectionem cambij ea adimplere, quæ poſſet adimplere per ſuum reſpondentem; nec in hoc videtur diſſentire idem Raphael de Turri, dum in explicatione ſui dicti aſſerit campſorem, ſi habeat pecunias campſarij poſſe per ſe ipſum adimplere ea, quæ poſſet eiuſdem reſpondens adimplere, & ſi poteſt adimplere, ſi habet pecunias campſuarij, cur non poterit adimplere per pecunias proprias ex alia negotiatione, ſicuti per eaſdem eiuſdem campſoris ex alia negotiatione poteſt adimplere reſpondens? Dato etenim ſemel, quod ipſe campſor poſſit, ſi proficiſcatur ad locum deſtinatæ ſolutionis, adimplere, & perficere cambium, & nouum conſtituere, parum referre poteſt, quod prædicta adimpleat per pecunias campſarij, vel per proprias ex alia negotiatione, ſuppoſito, quod campſor per ſuas pecunias poſſit illa omnia efficere, & ſi poteſt per reſpondentem efficere, cur non per ſe ipſum? Nec lædit in eo, quod ſecundo loco opponit Leſſio, nempè, quod totam iuſtitiam, vel iniuſtitiam duplicationis cambij refundat in ſcientiam, vel ignorantiam campſoris, quod campſarius ſit habiturus, vel non habiturus, quo ſoluat in loco deſtinato non conſideratis alijs, quæ in hoc genere conſideranda erant; Non lædit, inquam, quia Leſſius ſupponit cætera omnia interuenire, quæ in hoc genere requiruntur, nec de eis mentionem fecit, quia præſens difficultas in illis non verſabatur, ſed dumtaxat circa exiſtentiam, vel non exiſtentiam pecuniæ campſarij in loco deſtinato cum ſcientia campſoris.

Leſſius ſupponit alia requiſita interuenire.

Proſequendo poſtea ea, quæ circa rationes tertij dicti opponit Leſſio de mutuo palliato, dicendum eſt, incongruè Raphaelem de Turri in hoc procedere, cum Leſſius prædicta aſſerat in ſuppoſitione, quod res non fuerit ſerio acta, ſed animo tegendi *mutuum*, qua ſtante ſuppoſitione non eſt iuſta cauſa damnationis; Nec obſtant ea, quæ congerit de Turri, ſcilicet non eſſe curandum de intentione, quando interueniunt omnia requiſita ad cambium, & recambium, vt ſupponit interueniſſe in hac hypotheſi, nempè conſenſum, rem, pretium, pecuniam diuerſi generis, & ſolutionem in loco deſtinato, quæ iuſtificant naturam cambij, vt diſtinctam à natura mutui;

40 Quando res ſerio nõ aguntur fiunt ad palliãdum mutuum.

Non obſtant, inquam, quia data ſuppoſitione, quod illa ſerio non agantur, ſunt merum pallium iniquitatis, cum illa adhibeantur extrinſecè, & apparenter, non ea intentione, vt verè, & realiter fiat cambium, & recambiũ, ſed ad ſummum apparenter; nec nouum eſt in praxi, quod quandòque extrinſecè omnia apponantur, quæ videntur requiri ad naturam alicuius contractus, ex praua tamen intentione con-

Digitized by Google

contrahentium intendentium alium finem prohibitum contractus ille inficiatur, & deprauetur; ſic, vt aliqua afferam exempla, contractus, quo quis petit a mercatore mutuum pecu-

41 niarum, & hic nolit dare, ſed exhibeat ſuas merces titulo venditionis expectata pecunia, & quidem pretio iuſto, & ſummo, quas petens mutuum acceptet, & deindè eidem mercatori nulla præhabita conuentione reuendat pretio infimo, vel medio habet omnia requiſita ad venditionem, & reuenditionem, & tamen, ſi fiat cum contractu retrouenditionis prçuiè inito cum intentione lucri, infectus eſt, & vſurarius, prout declarauit Innocentius XI. ſemper glorioſæ recordationis, qui in Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis inquiſitionis habita die 2. Martij 1679. damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in numero quadrageſima, *Contractus Moatra licitus eſt etiam reſpectu eiuſdem perſonæ, cum contractu retrouenditionis præuiè inito cum intentione lucri*. Item contractus trium contractuum, de quo nos latè egimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris diſq. 6. §. 8.*, ſi fiat ſimplicitèr, hoc eſt nullo præuio pacto, & intentione habet omnia requiſita ad iuſtificationem, & licitus eſt, & tamen, ſi fiat cum praua intentione palliandi mutuum cum illis conditionibus, vſurarius eſt. Item contractus mutui cum aliqua retributione titulo gratitudinis præſtita à mutuatario ſine præuia conuentione licitus eſt cum illa retributione, & tamen, ſi præceſſit in mutuante intentio propria vſuram accipiendi ex mutuo, tanquam pretium eiuſdem, ſeu debitum ex iuſtitia, euadit vſurarius per ea, quæ nos docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mut., & vſur. diſq. 4. §. 3.* Quamobrem in præſenti hypotheſi dicendum eſt, quod illa requiſita, quæ dicuntur per Raphaellem de Turri interuenire, apponantur ſimulatè, & ad apparentiã, non verè, & realitèr ex ſuppoſitione, quod res ſerio non agatur, & in hoc ſenſu præcisè intelligendus eſt Leſſius. Nec etiam congruè procedit Raphael de Turri contra Leſſium in eo, quod Leſſius arguens pro ſecunda ſententia ſupponat rem ſerio agi cum iura ſcilicet veri, & realis cambij, & recambij, aſſerens, quod ſibi contradicat, dum in ſua ſententia dicit, quod ſupponat rem non ſerio agi, in hac vero aliorum ſententia ſopponit rem ſerio agi, quæ ſunt duo ſuppoſita incompatibilia; Non, inquam, congruè procedit ſuppoſita diſtinctione ſententiarum; quid enim vetat, quod in vna ſupponatur de non ſeria actione, in altera ſupponatur de ſeria, & iuxtà hanc diuerſam ſuppoſitionem diuerſa inferantur? Nec maiorem vim infert aduerſus Leſſium, dum dicit ex ſola acceptatione literarum factam per reſpondentem campſoris non conſurgere liberationem campſarij verſus campſorem, cum ad talem liberationem requiratur acceptatio per viam compenſationis concurrentibus omnibus requiſitis ad eandem compenſationem, vel talis, vt reſpondens, qui acceptauit tractam incipiat debere ex cambio 42

vigore recambij celebrati; Non, inquam, maiorem vim facit, quandòquidem iuxtà ſecundam ſententiam, in qua ſupponit rem ſerio agi, ſupponit etiam interuenire omnia, quæ requiruntur ad perfectionem primi cãbij, & celebrationem ſecundi, adeòque acceptationem talem, qua reſpondens obligetur ex recambio; Nec item vim infert in eo, quod obijcit contra actionem illam indirectam, quam aſſerit Leſſius, competere campſori aduerſus campſarium, in caſu, quo reſpondens campſoris facta illa acceptatione decoqueret, vel fugeret. Non, inquam, vim infert; primò, quia in ijs regionibus, in quibus ex diſpoſitione iurium municipalium literis cambij conçeditur hypotheca, vt in hoc dominio Mediolanenſi *ex nouis conſtit. ſub tit. de offic. Abbat., & conſ. mercat.* non poteſt habere locum oppoſitio, quia, vt fatetur ipſe Raphael de Turri, quando creditor eſt hypothecarius ius habet etiam in nomina debitorum debitoris. Secundò, quia in alijs regio- 43

nibus, in quibus non viget ius hypothecæ reſpectu literarum cambij, ſi reſpondens campſoris eſſet ipſius famulus, cum hic omnia ageret nomine eiuſdem campſoris procuratorio nomine, vtique ipſe campſor haberet actionem ex recambio in ipſum campſarium; ſi vero reſpondens campſoris, non ſit eius famulus, ſed perſona nomine, & negotiatione diſtincta, tunc, cum campſor mandatum dederit eidem reſpondenti, vt tractam ſibi remiſſam nomine campſarij ſolueret, videtur quaſi fideiuſſiſſe pro eodem campſario, ſicque acquiſiuiſſe actiones ſubſidialitèr, & ſecundario aduerſus ipſum reſpondentem, adeòque ſaltem ſecundario acquiſiuiſſe iura eiuſdem reſpondentis in campſarium primum de-

Ex praua intẽtione agentis contractus inficitur.

Varijs exemplis euincitur.

Poſita diuerſitate ſentẽtiarũ diuerſa emanant ſine contradictione.

Cum acceptatione literarum prçſumũtur ea interuenire, quæ requirũtur ad virtualẽ ſolutionem.

Quid intelligat Leſſius nomine illius actionis indirectæ.

Digitized by Google

debitorem ex cambio, quod etiam videtur innuiſſe *idem Raphael de Turri d. diſp. 3. quaſt. 14. num. 54.*, dum dixit Leſſium intelligendum eſſe de actione indirecto modo in campſorem peruenta, ſcilicet per ceſſionem factoris, quæ tamen ceſſio non videtur in hoc caſu neceſſaria ſuppoſito munere fideiuſſoris, quod præſtitit campſor in fauorem campſarij per illud mãdatum &c. Non tandem lædit Leſſium in vltimo argumento, quod affert ipſe de Turri contra ea, quæ dixerat ipſe Leſſius, ſcilicet ſecundam ſententiam, quamuis non ſit improbabilis, quinimmò ſpeculatiuè verior, eſſe omninò diſſuadendam, nec facilè permittendam; Non lædit, inquam, quia quantumuis Leſſius ſupponat in dicta ſecunda ſententia rem ſerio agi, in qua ſuppoſitione, ſi vera eſſet, non fieret contra iuſtitiam, ſi ſcilicet cambiretur, & recambiretur, exiſtimat tamen talem ſuppoſitionem vix poſſe procedere ſine præſumptione iuris, & de iure, quod non fiat ſerio, adeòque inuoluat præſumptionem vſurarum.

Expurgatis iam ijs, quæ Leſſio oppoſuerat Raphael de Turri circa ſeptimam dubitationem, nunc remanent expurganda, quæ opponit circa nonam dubitationem, quam inſtituit

44 *Exponitur quid ſentiat Leſſius in nona dubitatione.*

ipſe Leſſius; In hac Leſſius primo loco dicit, (loquendo de pacto de intereſſe campſoris exiſtente campſario in mora ſolutionis) quod iuſtè poſſit fieri pactum de intereſſe, ſicut in alijs contractibus, vt, ſi campſor ob hanc moram debuerit accipere pecuniam ſub vſura, aut lucris per eam ſperatis, exciderit; aſſerit tamen, quod pactum à principio poſſit quidem eſſe de intereſſe incerto ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis, prout poſtea compertum fuerit eueniſſe, non autem de certo ratione periculi, cui ſe exponit concedendo dilationem vltra terminum ordinarium, vbi ſeruatur Bulla Pij V. de cambijs; ſecundo loco dicit, quod campſor non poſſit paciſci cum campſario, vt, ſi elapſo termino non ſoluerit, teneatur eandem ſummam accipere ad recambium, niſi certò conſtet tantum lucri ex illa mora amiſſurum, quantum ex recambio perciperet, addita etiam ratione, quia non poteſt plus exigi ratione moræ, quam importet æſtimatio lucri ceſſantis, & periculi ſortis; cum igitur detrimenta cambiorum ſæpè ſint maiora, non poteſt ſine labe iniuſtitiæ campſor obligare campſarium ad illa, niſi in caſu, quo campſor certè illam pecuniam fuiſſet implicaturus ad cambia, & recambia, quorum habuiſſet paratas occaſiones, quia hoc nihil aliud eſſet, quam obligare campſarium ad intereſſe lucri ceſſantis.

Quoad hæc, quæ aſſerit Leſſius in hac nona dubitatione, in multis commendat Raphael de Turri, in multis reprobat; cõmendat in primis quoad primum dictum de pacto de intereſſe incerto ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis, prout rei demonſtrauerit euentus, item in eo commendat, quod Leſſius ſubdit, non poſſe fieri 45

In quibus cõmẽdet Raphael de Turri Leſſium circa dicta in nona dubitatione.

pactum de lucro certo ratione periculi ſortis ob dilationem conceſſam vltra terminum ordinarium, ſed in hoc dicit Raphael de Turri, quod Leſſius egrediatur terminos propoſitæ pactionis ob moram, cum nunquam auditum fuerit, quod creditor ob periculum dilationis ad ſoluendum conceſſę quidquam exegerit; commendat item in ſecundo dicto, quod creditor non poſſit conuenire cum debitore, vt in defectu ſolutionis tempore præfinito teneatur eandem ſummam recipere ad recambium, niſi certo conſtet tantum lucri ex illa mora amiſſurum, quantum ex cambio acquireret; ſed in ipſa commendatione cuſpidem acuit, 46

In commendatione etiã lædit, & quomodò.

vt lædat, dicens Leſſium pro diuerſis accipere intereſſe ex lucro ceſſante, & intereſſe cambiorum, quod licet in abſtracto verum ſit, cum intereſſe lucri ceſſantis ſit tanquam genus ad intereſſe cambiorum, non eſt tamen verum in concreto præſentis hypotheſis, ſecundum quam intereſſe lucri ceſſantis non poteſt eſſe, niſi intereſſe cambiorum; ſpecialitèr vero reprobat in eo, quod Leſſius dicit, quod, ſcilicet, ſi 47

In quibus reprobet ipſum Leſſium.

campſor certus eſſet moraliter, ſi eandem pecuniam præfixo termino accepiſſet, ſe ad cambium æquè lucroſum dare poſſe, poſſet ſtipulari, vt campſarius teneatur tandiu pecuniam illam per cambia, & recambia ad ſingulos terminos accipere, donec &c. reprobat, inquam, quia non eſt practicabile, quod debitor moroſus capiat ſummam debitam ad cambium, eamque continuet vſque ad ſolutionem; ſi enim acciperet ad cambium, haberet, vndè ſolueret debitum antiquius, nec eſſet dare, vt continuaret ſummam debitam ſuper cambijs vſque ad integram ſatisfactionem, nec apparet, quęnam ſit vtilitas creditoris, vt ſtipuletur debitorem teneri ad continuandum ſuper cambijs ſummam ſibi debitam;

Digitized by Google

bitam; vndè aſſerit, quod in hoc æquiuocet Leſſius ex ignorantia praxis cambiorum.

Sed leuia ſunt, quæ obijcit Raphael de Turri contra Leſſium, & prouenniunt, vel ex ſiniſtra interpretatione mentis eiuſdem, vel ex labili fundamento. Quamobrem ad primum, quod obijcit, dico ſuppoſito diuerſo reſpectu non inanitèr ſumere Leſſium pro diuerſis intereſſe lucri ceſſantis, & intereſſe cambiorum; poterat enim contingere, quod campſor creditor cambij non eſſet implicaturus pecuniam debitam, ſi tempore præfinito fuiſſet reſtituta in negotiationem cambiorum, vel quia ad alia munera obeunda deſtinaſſet, vel quia non eſſet habiturus paratas occaſiones ad cambia, & recambia, in qua hypotheſi illud non eſſet intereſſe cambiorum, ſed lucri ceſſantis ex alia cauſa, vndè non eſt, cur in hoc inuehat Raphael de Turri, qui tamen verum dicit, ſuppoſito, quod eſſet implicaturus in negotiatione cambiorum, & certo haberet paratas occaſiones ſic implicandi, quia in hac hypotheſi intereſſe lucri ceſſantis eſſet intereſſe eorundem cambiorum, quæ inirentur. Ad ſecundum, quod obijcit, non eſſe contingibile, quod debitor accipiat ad cambium, quia ſic accipiendo extingueret primum debitum, dicendum eſt Raphaelem de Turri nimis materialitèr accipere verba Leſſij, qui voluit ſolummodò indicare, per illam pactionem poſſe obligari debitorem ad continuandam illam ſummam debitam ſuper cambijs, & recambijs, vſque ad integram ſatisfactionem, non quatenus ipſe accipiat ad nouum cambium, ſed quatenus ex vi illius pactionis permittat eidem creditori, vt illam continuet ſuper cambijs, & recambijs, &, cum campſor illam continuationem præſtet quodamodò nomine debitoris, quatenus hoc fecit ex pacto cum ipſo præmiſſo, dicitur quodamodò, licet impropriè, ipſe debitor accipere ad cambium.

48 Oppoſitiones proueniunt vel ex mala intelligẽtia, vel ex ſiniſtra interpretatione.

49 Suppoſito diuerſo reſpectu poteſt eſſe diuersũ intereſſe lucri ceſſantis, & intereſſe cambiorum.

Ex ijs omnibus clarè patet, Raphaelem de Turri voluiſſe ex ſiniſtra erga eoſdem intentione inuehere contra Theologos, vt ſuſpectam eorum fidem faceret in hac negotiatione cambiorum cum continuatione, non ex aliquo rationabili fundamento. Debuiſſet aduertere, Theologos normam huiuſmodi contractibus præbuiſſe, quibus propterea obſequium potius debebatur, quam iurgia, & conſultius egiſſet abſtinendo ſimul à laudibus eorum, quas præmiſit, & à damnationibus, quas poſtea intulit, quam laudando, vt reprobaret, ſed fere ſemper immeritò.

PRÆNOTIO XX.

Expenduntur cenſuræ Raphaelis de Turri ad deciſionem Rotæ Romanę in vna Mediolanenſis pecuniaria Mercurij 27. Martij 1602. coram Litta relata ab eodem de Turri poſt tractatum de cambijs. fol. 515.

SVMMARIVM.

Refertur facti ſeries expoſita in ſacro Rota Auditorio. 1.
Deciſio eiuſdem Rotæ Romanæ in tali facto. 2.
Ad hoc, vt debitor poſſit obligari ad intereſſe cambiorum, & recambiorum, plura requiruntur. 3.
Primo, vt data fuerit facultas creditori in caſu moræ cambiendi, & recambiendi, vel quod emittat proteſtationem modo debito, & intimationem. 4.
Secundo, vt creditor verè accipiat illam pecuniam ad cambium, & recambium. 5.
Oppoſitiones Raphaelis de Turri. 6.
Soluuntur oppoſitiones eiuſdem. 7.

NOn contentus Raphael de Turri inuehere contra Theologos, os etiam audet ponere in limatiſſimum ſacræ Rotæ Romanæ Tribunal, quod ipſe præconijs pluribus *in d. diſp. 3.*, antè expoſitionem deciſionum eiuſdem latè commendauerat; eo quod Religioſiſſimi illi Patres nec legis mortuæ inflexibilitatem, nec viuæ æquabilitatem deſiderent?

Propoſita fuerat in ſacro Rotæ auditorio controuerſia in caſu, de quo ſubdo. Conſtitutus erat debitor vel ex cambio, vel ex alia cauſa Dominus Conſtantinus Magnus ſocietatis alias cantantis ſub nomine de Annonis, & Blancis, & tunc, quando controuerſia fuit mota ſub nomine de Verganis ex quo debito ex conuentione partium facta fuerat creditoribus facultas accipiendi pecunias debitas per Dominum Conſtantinum, & fratrem ad cambium, & recambium vſque ad integralem ſolutionem debiti eorundem; cum poſtea excitatum eſset dubium, an re vera illa pecunia debita per Conſtantinum eſset capta, vel non ad

1 Refertur facti ſeries propoſita in eodem Rotę auditorio.

Digitized by Google

ad cambium, & recambium ad effectum, vt Conſtantinus, & eius frater potuerit de iure cõſtitui debitor cambij, & recambij, re delata ad eandem Rotam Romanam in contumaciam illorum de Verganis informantibus ſolummodò Procuratore, & Aduocatis Domini Conſtantini fuit per eandem Rotam reſolutum pro negatiua, quod ſcilicet Dominus Conſtantinus, non potuerit conſtitui debitor dictæ ſocietatis de cambijs, & recambijs; & hoc ex defectu requiſitorum ad licitè acquirendum ius ex talibus cambijs, & recambijs; inter cætera enim requiſita eadem Rota hæc enumerat; primum, vt creditor habeat facultatem à debitore, vbi tempore præfinito, & in loco deſtinato non ſoluerit, accipiendi tantundem ad cambium, & recambium damno ipſius debitoris, vel, ſi non habuerit talem facultatem teneatur emittere proteſtationem modo debito, & intimationem facere eidem debitori; ſecundam, vt in vtroque caſu ſiuè habitæ facultatis, ſiuè præmiſſæ proteſtationis cum intimatione creditor verè, & in effectu accipiat illam pecuniam debitam ſibi ad cambium, & recambium, idque notificet ipſi debitori ad effectum, vt certo ſciat debitum ſuum iam eſſe ſub vſuris, &, vbi velit, poſſit ſe liberare a debito poſtea illas ſoluendi, pro quo referuntur plures aliæ eiuſdem Rotæ deciſiones. Licet autem in hypotheſi, de qua ibi agebatur, facta fuerit conuentio inter partes, vt non poſita ſolutione poſſet creditor tantundem recipere ad cambium, & recambium, non conſtat tamen illud tantumdem fuiſſe captum per creditorem ad cambium, & recambium, nec, quod debitor fuerit de prædictis certioratus; & licet tunc diceretur, quod in computis factis inter partes fuerint admiſſa cambia, & recambia, de quibus agebatur, reſpondebat tamen eadem Rota, quod in prohibitis non ſit ſtandum aſſertioni partium, ne in earum poteſtate ſit facere licitum, quod alias illicitum eſt, prout notat *Bartolus in l. ſi fortè ff. de caſtr. pecul. Iaſon in l. ſi donatione ff. de collat.*

2 Deciſio eiuſdem Rotæ Romanę in tali facto.

3 Adhoc, vt debitor poſſit obligari ad intereſſe cābiorum, & recābiorum plura requiruntur.

4 Primo, vt data ſit facultas cambiendi, & recambiendi, vel quod fiat proteſtatio cum intimatione.

5 Secundo, vt creditor verè accipiat illam pecuniam ad cambium, & recambium.

Aduerſus hæc nonnulla objicit Raphael de Turri *loc. cit.* poſt relatam ad verbum eiuſdem Rotæ deciſionem; & primo, quod cautè intelligenda ſit eiuſdem Rotæ deciſio, cum lata fuerit parte inaudita. Secundo dicit requiſita per eandem Rotam in hac hypotheſi, non eſſe reducibilia ad praxim, quando in celebratione contractus non eſt facta illa facultas cambiandi, & recambiandi, cum ſit impoſſibile eidem debitori fieri proteſtationem, & intimationem, cum ſupponatur abeſſe, & degere in loco celebrati contractus, qui debet eſſe diſſitus à loco, ad quem dirigitur tracta, vndè ſufficit, quod proteſtatio, & intimatio fiat ei, ad quem eadem tracta dirigitur, cuius notitia optimo iure ſupplet notitiam eiuſdem debitoris. Tertio dicit, quod, quamuis de facto pecuniæ per debitorem debitæ non fuerint acceptæ ad cambium, & recambium, non propterea fiat, quin data proteſtatione literarum in loco deſtinatæ ſolutionis non debeatur intereſſe cambij, cum id debeatur ſummo iure etiam circumſcripta quacunque cambij materia ex eo, quod ille, qui non curat ſolutionem in loco conuento, teneatur vltra ſortem etiam ad intereſſe actione arbitraria per textum *in l. 1. ff. de eo, quod cert. loc.* Quarto dicit, quod quando data eſt hæc facultas capiendi ad cambium, & recambium non intrent requiſita per eandem Rotam recenſita. Quinto dicit aduerſus id, quod reſpondebat eadem Rota ad obiectionem de confeſſione partium, quod confeſſio magnam vim habet regularitèr, ſi vltra confeſſionem in verificationem facti aliqua vrgerent inditia; nec poſſit dici, quod ſit confeſſio ſuper illicito, niſi prius conſtaret cambia illa acceptata fuiſſe illicita. Tandem dicit Rotæ deciſionem optimo iure procedere, ſi agatur de lucro cambij, & recambij, & quoad vſum facultatis accipiendi cambio, & recambio, quia in hoc caſu requiritur celebratio multiplicata eiuſdem contractus, in qua debet formaliter ſeruari diſtantia localis; non tamen rectè procedere in intereſſe cambij debito ob moram, cum in eodem exigatur actualis celebratio contractus cambij.

6 Oppoſitiones Raphaelis de Turri cõtra Rotæ deciſionem.

Singulas eiuſdem Raphaelis de Turri exceptiones ponderemus. Ad primam dicendum eſt nimis incautè, & minus reuerentèr agere in eandem Rotam Romanam, dum dicit cautius intelligenda eſſe ea, quæ in fauorem debitoris fuerunt per eandem deciſa parte inaudita. Eſto etenim, quod ex eo, quod fuerit pars inaudita, potuerit error in facto contingere, non tamen præſumendus eſt error in iure quoad ea, quæ fuerunt ſub oculis, & maturo iudicio eiuſdem Rotæ; cum igitur nihil opponatur in facto, de iure talis deciſionis non eſt ambigendum;

7 Soluūtur eiuſdem Raphaelis de Turri oppoſitiones.

qui-

quinimmò ex eo, quod ſupponatur, & expreſsè dicatur, quod fuerit exhibitus in actis proceſſus Ibi *cum in reuolutione proceſſus de partibus non conſtet &c.* ſupponuntur omnia etiam quoad factum in iudicium veniſſe.

Impoſſibilia ſupponit, vbi omnia ſunt de plano.

Ad ſecundam dicendum eſt, impoſſibilitatem ſupponere, vbi omnia ſunt de plano, & in iure diſpoſita. Eſto etenim, quod, vbi facienda eſt ſolutio prima, non poſſit fieri proteſtatio debitori, cum præſumatur abſens, & in loco celebrati contractus, literæ tamen eiuſdem ſunt proteſtandæ, vel coram conſulatu loci, in quo facienda erat ſolutio, vel coram eo, cui fuerat tracta remiſſa iuxtà ſtatuta, & conſuetudines locorum, & poſtea remittendæ cum proteſtatione ad debitorem, vbi primus contractus fuerat celebratus, cui propterea poſtea eſt denuntianda eadem proteſtatio, qui, ſi non ſoluerit cum intereſſe, tunc eidem facienda eſt intimatio, quod pecunia debita capietur in ipſius damnum ad cambia, & recambia, vt poſſit, ſi velit, ſibi conſulere; nec aliud in hoc voluit eadem Rota Romana, quæ, cum ageretur de multiplicatis cambijs, & recambijs, noluit debitorem damnare ad lucra, ſeu vſuras eorundem, cum non conſtiterit nec de proteſtatione, nec de intimatione requiſita.

Sibi expreſsè contradicit.

Ad tertiam dicendum eſt in hac exceptione eundem Raphaelem de Turri ſibi directè contradicere; debebat enim reminiſci eorum, quæ docuerat *diſp. 3. qu. 11. nu. 85. verſ. limita è conuerſo*, vbi quod, ſi verè, & cũ effectu creditor non fuerit vſus facultate cambiandi, & recambiandi, & plenè non docuerit de vſu talis facultatis, nulla ratione poſſit contra debitorem vigore promiſſionis, qua ſibi eſt obligatus, agere ad reficiendum intereſſe conuentum, nec etiam præſcriptis verbis, vt latè ſubſequenter probat; Quomodò ergo iam hic docet, quod poſſit agere ſummo iure ad talem refectionem? Vide, quæ latè nos de hoc egimus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſq. 1. §. 18. per tot.*

Ad quartam etiam dicendum eſt, quod, cum requiratur vſus facultatis conceſſæ, requiratur etiam ſcientia reſpectu debitoris, quod talis vſus ponatur in eſſe, vt ſi voluerit, poſſit ſibi præcauere ab vlteriori intereſſe, ſeu vſuris per actualem ſolutionem pecuniæ debitæ; vndè incongruè aſſerit idem de Turri, quod poſita illa facultate non intrent alia requiſita, ac proindè in hoc etiam ſibi contradicit.

Ad quintam ſuper reſponſione eiuſdem Rotæ ad obiectum dicendum eſt, quod confeſſio partium nihil poſſit in hoc prodeſsè creditoribus, cum re vera verſemur in prohibitis, & prohibitio non conſiſtit in eo, quod ſupponantur cambia illicita celebrata, ſed quia ſupponuntur non celebrata, & iura non conſtante de celebratione præſumunt de fraudibus, & vſuraria prauitate, quæ omni iure eſt damnata ad textum *in auth. ad hoc C. de vſuris*.

In quo conſiſtat prohibitio.

Ad vltimam dicendum eſt, nec lucra cambij, & recambij poſſe exigere eo quod ipſa non fuerint celebrata, nec intereſſe recambiorum ob moram debitorum ſuppoſito non vſu facultatis habitæ ſuppoſitis ijs, quæ habuit *idem de Turri dict. diſp. 3. quæſt. 11. n. 85.*

Adeo progreditur in oſtentatione ſui ipſius idem met Raphael de Turri, vt in omnibus eiuſdem Rotę Romanæ deciſionibus, quas refert, exceptiones non modicas afferat, & obiecta. Nimis arduum eſſet ſingulas in ſingulis referre. Ex ijs, quæ dicta ſunt poterit ſatis innoteſcere quanti faciendæ ſunt eiuſdem exceptiones. Si eius opiniones reuoluerentur, certè non modica nota digna, & inconſequentiæ plena dignoſcerentur. Nobis ſatis ſit Theologos à notis eiſdem incuſſis vindicaſſe.

DISQVISITIONES I.

A prima ad quintam Prænotionem incluſiuè.

§. I.

An facta conuentione de reſtitutione cambij, cuius pretium ſoluendum eſt in numerato intra tres menſes, facienda poſt ſeptem menſes obligetur debitor ad reſtitutionem illius, ſi ex aliquo caſu differatur ſolutio.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus quæſtionis, & explicatur. 1.

Senſus Salonij aſſerentis poſſe exigi poſt ſeptem menſes reſtitutionem, quamuis non facta fuerit ſolutio intrà tempus conuentum. 2.

Ttt Non

Non poteſt compelli, qui non recepit tempore conuento ad reſtituendum poſt illos ſeptem menſes immediatè. 3.
Reſpondetur rationibus Salonij. 4.

1 DIſquiſitio I. Seius mercator Genuenſis habet Placentiæ in nundinis Maij apud ſuum menſarium mille nummos aureos. Confert illos Ioanni per chyrographum, cuius virtute recipiat illos à ſuo menſario in nundinis proximè ſequentibus Octobris, nempè poſt quatuor menſes ea lege, & conditione, vt teneatur Ioannes poſt ſeptem menſes à die, quo accepit chyrographum reſtituere ipſi Seio illos mille nummos aureos Genuæ, hancquæ legem, & conditionem abſolutè acceptat ipſe Ioannes. Rebus ſic ſtantibus contigit, quod nundinæ celebrandæ Placentiæ menſe Octobris iuxtà conſuetum morem, & in quibus ex vi chyrographi facienda erat ſolutio ex aliqua graui cauſa, vel ex facto Principis fuerint dilatæ ad alios tres menſes vltrà illos quatuor, ſicque intra illos quatuor menſes non facta fuerit ſolutio illius chyrographi, ſed protracta vſque ad ſeptem menſes, in quibus facienda eſſet reſtitutio, quinimmò, cum regularitèr per menſarios fieri non ſoleat ſolutio, niſi in fine nundinarum ex vi conuentionis, prius quodamodò facienda eſſet reſtitutio, quam facta fuerit ſolutio. Hic oritur difficultas, an ſecundum talem facti contingentiam poſſit Seius elapſis illis ſeptem menſibus conuentis exigere reſtitutionem à Ioanne, quamuis ipſe Ioannes nondum receperit id, de quo conuenit.

Exponitur ſenſus tituli propoſiti.

2 Proponit hanc difficultatem *Michael Salonius de Cambijs quæſt. 4. art. 4. cont. 2. num. 7.* qui duplici potiſſimum motus ratione concludit in tali facti contingentia, poſſe Seium elapſis illis ſeptem menſibus conuentis exigere, & recipere reſtitutionem à Ioanne, quamuis Ioannes nondum receperit illam ſummam, quam debet reſtituere, & primò, quia chyrographum illud, quod Seius tradit Ioanni non ſolum aduenientibus nundinis, ſed quocunque tempore etiam ante illas valet Ioanni illos mille aureos, quandòquidem cum illo poterat, vel merces emere, vel debitum aliquod extinguere; quod autem intrà quatuor illos menſes non potuerit exigere in numerato illos mille aureos fuit ex caſu inopinato ſine vlla culpa eiuſdem Seij. Secundò, quià in hoc contractu vterque exponitur fortunæ aleæ; Ioannes ſcilicet periculo oneris poſt illos ſeptem menſes reſtituendi ſummam illam etiam in caſu, quod ſibi tradita adhuc non fuerit ob dilationem nundinarum; Seius verò periculo oneris carendi per tres menſes pecunia numerata, ſi immediatè poſt illos quatuor menſes conuentos numeraretur, ſicque cum pari periculo vterque ſe ipſum expoſuerit, contractus non poteſt eſſe, niſi iuſtus, & obligatorius reſpectu vtriuſque ad ſeruanda promiſſa. Nihilominus

Rationes Salonij ad præſens inſtitutum.

Reſpondeo, Seium in data hypotheſi non poſſe iuſte compellere Ioannem elapſis illis ſeptem menſibus ad reſtituendam ſummam, quam nondum recepit, vel recepit tantum pro illo tempore, pro quo deberet reſtituere. Probatur primò reſponſio, quia Ioannes recipiens illud chyrographum intàtum in ſe aſſumpſit illud onus, inquantum poterat ad ſua munera obeunda pecunia in illo chyrographo contenta per illud tempus intereiectum inter nundinas, & diem reſtitutionis vti, & gaudere, ergo, ſi impeditus non potuit gaudere pro illo tempore tali pecunia, non erit, cur obligetur ad illam reſtituendam antequam receperit, vel immediatè poſtquam receperit. Antecedens patet, quia, ſi ſciuiſſet ſe non recepturum illam pecuniam pro tempore conuento, ſed tantum poſtquam illam reſtituit, vel reſtituturus eſt, vtique cum illo onere non accepiſſet, vt per ſe patet. Conſequentia etiam tenet, quià non adimpletis illis conditionibus, cum quibus aſſenſum præbuit, & ſine quibus non præbuiſſet, non videtur poſſe obligari, quia ſe obligauit tantum cum illis conditionibus, ſine quibus non eſt conſenſus ad obligationem inducendam. Neque obſtare poteſt, non ſtetiſſe per Seium, quominus tempore conuento Ioannes non receperit illam pecuniam, ſed ex facto Principis, quod nequit eidem imputari; non, inquam, obſtare poteſt, quia neque ſtetit per eundem Ioannem, quominus non receperit, & exegerit. Cur igitur potius Ioanni, quam Seio imputandum eſt, vt obliget potius ipſum Ioannem ad immediatè reſtituendum poſt tempus conuentum, & non Seium ad differendam reſtitutionem? Si dicas, hoc prouenire, quia ita conuentum eſt in fauorem Seij abſolutè, non autem conuentum eſt in fauorem Ioannis pro illa dilatione, ſtatim reſpondendum eſt, quia conuentio in fauorem 3

Non aſſumpſiſſet in ſe illud onus ſi ſciuiſſet ſibi nō tradendū conuento in tempore.

Digitized by Google

rem Seij eſt quodamodò implicitè conditionalis, ſi ſcilicet ſibi fiet ſolutio pro tempore conuento, nec aliter conſenſiſſet, vndè illa conuentio in hoc caſu non videtur eidem Seio poſſe prodeſſe. Videndum igitur eſt, cuinam ex natura ſua cedere debeat illa nundinarum translatio inducta ex facto Principis, & certè non videtur ſtare periculo eius, cui deſignatur pecunia, quia in tantum iſte tenetur reſtituere, in quantum receperit, ſi ergo non receperit, non videtur obligari ad reſtituendum.

Illa conuentio eſt quodamodo implicitè conditionalis.

Probatur ſecundò, quià, ſi literæ dentur pro primis nundinis alicubi celebrandis, nec illuc peruenire poſſint pro tempore, pro quo celebrantur, pro primis intelliguntur illæ, quæ immediatè ſubſequuntur per ea, quæ latè dixi *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. Prænot. 6.* ergo etiam, ſi eo quod per factum Principis chyrographum illud in tempore conuento non poſſit ſuum ſortiri effectum, non fiat pro illo tempore ſolutio, reſtitutio erit differenda ad proportionem temporis, quo facta fuit ſolutio. Conſequentia probatur, quia in caſu antecedentis dilata ſolutione ad ſequentes nnndinas, ſi facienda eſſet remiſſa ad eundem locum, in quo contractus primo fuerat celebratus, tandiu reſtitutio per remiſſam facienda eſſet differenda, quãdiù à die factæ ſolutionis in termino, ad quem poſſet fieri remiſſa ad locum, in quo primus contractus fuerat celebratus, ergo etiam in caſu conſequentiæ dilata prima ſolutione ad ſeptem menſes, quæ facienda erat inter quatuor, diferenda erit reſtitutio ad ratam temporis vniformis; neque obſtare poterit, ſi aſſeratur, conuentionem initam de reſtitutione poſt ſeptem menſes in loco, in quo conuentio ipſa facta fuit, & traditum chyrographum, non fuiſſe cum onere remiſſæ, ſed tantum cum onere reſtitutionis in eodem loco, quomodocunque fieret, nec ex natura ſua requiri illam temporis dilationem, quandoquidem, vt alibi aſſerebam, in cambijs dilatio temporis non requiritur per ſe, ſed tantum per accidens, in quantum debent literæ mitti, & remitti, quæ exigunt aliquod temporis interuallũ; non, inquam, obſtare poteſt, quia debitor ex tali cambio, cui traditum fuit illud chyrographum, intantum potuit conditiones illas in primo contractu appoſitas acceptare, in quantum ab illo tempore ſolutionis ſibi faciendæ poterat in ſpe proxima expectare aliquã remiſſam, vi cuius ſe obligauerit ad illas conditiones, ſicque, quamuis primus contractus non fuerit cum onere remiſſæ, potuit tamen eſſe, non cum animo ſe obligandi, niſi poſitis illis cõditionibus, cum quibus ſe obligauit, & ſine quibus non ſe obligaſſet; Ad id, quod ſubditur, fateor, dilationem temporis non eſſe ex natura ſua requiſitam ad contractum cambij, niſi inquantum illam exigit diſtantia localis, nego tamen, quod non poſſit ex partium conuentione requiri, dummodò tamen ratione illius præciſè non exigatur quid magis, quod non euenit in caſu noſtro, qui enim accipit pecuniam ad cambium, præſumitur accipere ad ſua negotia obeunda, ad quæ tempus aliquod videtur requiri.

Argumẽtũ à paritate deductũ ad rem noſtram accomodũ.

Inſtantia aduerſus dicta, eiuſque ſolutio.

Probatur tertiò, quià illæ pecuniæ, quæ detinentur apud menſarium Seij, remanent ſub dominio illius, ſub quo prius erant, nec tranſeunt in Ioannem, donec eidem facta fuerit ſolutio, adeò vt, ſi pereant, non Ioanni, ſed Seio pereant, ergo omnia incommoda, quæ ex dilatione ob factum Principis proueniunt ante traditionem debent cedere ipſi Seio, nõ Ioanni, ſed cederent eidem Ioanni, non Seio, ſi ille non obſtante non traditione teneretur immediatè reſtituere, vel fortè etiam, antequam reciperet, ergo &c. Subſumpta minor probatur, quia Seins idem conſequeretur, ſiuè fieret ſolutio in tempore conuento, ſiuè fieret poſt illud, ſolusque Ioannes ex illo facto Principis teneretur ſine vllo ſuo commodo, quod percipere poſſet ex illa pecunia, incommodum reſtitutionis ſubire.

Incõmoda ante ſolutionẽ debent cedere detinenti non ei, qui non recepit.

Ad rationes, quas adducebat Salonius in contrarium, nunc reſpondendum eſt, & quidem ad primam dic in primis, quod quamuis chyrographum illud, quod Seius confert Ioanni non ſolum aduenientibus nundinis, ſed etiam quocunque tempore valeat eidem Ioanni illos mille aureos, cum poſſit cum illo emere merces, ex communi tamen mercatorum praxi non pro tanto computetur, quandoquidẽ pluris vendunt merces ſuas, quandò ſolutio facienda eſt in chyrographis, ac quando fit in numerato, non ea præciſa ratione, quod pecunia præſens ſit maioris valoris, ac abſens, ſed quia, cum aſſueti ſint negotiationibus ex pecunia abſenti nequeunt lucrari, ſicuti lucrantur ex præſenti. Deindè non ſolum attendendus eſt valor pecuniarum in ordine ad merces emendas, ſed etiam in ordine ad quæcunque munera obeunda, & potuit Ioannes illas 4

Attendẽdus eſt valor nõ ſolum in ordine ad merces emendas.

Digitized by Google

velle acquirere ad ſua alia negotia, nõ ad merces emendas, quæ negotia ſine pecunia numerata non poſſet obire.

Ad ſecundam gratis dicendum eſt, confingi illum contractum innominatum fortunæ aleæ, cum de illo contrahentes non cogitauerint, ſed abſolutè Ioannes voluit contrahere acquirendo ius ad pecuniam numeratam pro illo tempore, pro quo iuxtà conſuetum celebrandæ erant nundinæ, & in ordine ad hoc ius pro illo tempore exequendum onus ſubijt reſtituendi poſt tres menſes à tempore factæ ſolutionis, & ſine tali ſolutione onus non ſubijſſet reſtitutionis ad tale tẽpus, & quidquid vltrà hoc dicitur, gratis omninò, & ſine vlla ratione confingitur. Deindè in hoc contractu innominato, ſi tamen implicitè adeſſet, non eſſet æqualis vtriuſque contrahentis conditio, quandòquidem Seius ſemper idem acquireret, ſiue ſolutio chyrographi non differretur, ſiue differretur, non ſic autem Ioannes, qui, ſi differretur ſolutio, teneretur reſtituere, quod nõdum recepit. Dicere deindè, quod compenſetur reſpectu Ioannis illud periculum reſtituendi illam ſummam, antequam receperit, per aliud onus, quod aſſumit Seius carendi eadem ſumma per illos tres menſes, eſt propriè velle acquirere aliquod pretio æſtimabile ob ſolam temporis dilationem, quod vſurariam redolet prauitatem. Deindè illud onus carendi per tres illos menſes pecunia ſua non eſt aſſumptum ex illo motiuo periculi, cui ſubeſſe poteſt ipſe Ioannes reſtituendi ſortem, antequam ipſam receperit, cum de tali periculo vix potuerit eſſe ratio dubitandi, ſed ad normam cambiorum nundinalium, ſecundum quam ſumma, quæ remittitur in vno loco, trahitur in alium, &, ſicuti ille, in cuius fauorem remittitur in vno loco in hac hypotheſi expectat receptionem pecuniæ in numerato vſque ad determinatum tempus, ita ille, ad quem fit poſtea remiſſa eiuſdem pecuniæ non incongruè expectare debet, vſquequo euenientibus in tali loco nundinis eadem remiſſa ſit perſoluenda.

In hoc contractu, ſi eſſet, non eſſet æqualis vtriuſq; contrahentis conditio.

§. II.

De Cambijs Piſanis collatis cum Placentinis.

SVMMARIVM.

Praxis vtriuſque cambij, & diſcrimina inter eadem. 1.

Non inficiantur huiuſmodi cambia ex eo praciſè, quod ineantur inter priuatas perſonas. 2.

Cambia, qua celebrantur pro Piſis cum pacto abſolutè recambiendi pro eodem loco, in quo fuit celebratus contractus, ſine quo non celebrarentur, ſunt abſolutè illicita. 3.

Non vitiantur regularitèr illa cambia ex eo, quod minus loca Etruriæ, in quibus celebrantur, Piſis diſtent, ac diſtent Placentia, quamuis idem lucrum acquiratur. 4.

Diſquiſitio II. Pro eodem tempore, quo nundinę celebrabantur Placentiæ, aliæ Piſis fiebant, ad quas concurrebant mercatores ſtatus magni Ducis Hetruriæ, videlicet Florentini, Senenſes, & alij. In pluribus autem intercedebant diſcrimina inter cambia Piſana, & Placentina, & præcipuè in tribus, & primò, quià cambia Piſis celebrabantur per perſonas vt plurimum priuatas, non per campſores publicos. Secundo, quia cambia, quæ celebrabantur in alijs locis pro nundinis Piſarum, erant cum obligatione ciuili recambiandi pro eodem loco, in quo prima cambia fuerant celebrata, adeò vt non ſolum ſit impoſita talis obligatio recambiandi pro eodem loco, ſi Piſis non facta fuerit ſolutio primi cambij, ſed abſolutè ex vi illius ſit recambiendum, quamuis ibi campſarius paratus eſſet pecuniam per ſe receptam reſtituere, & extinguere primum cambiũ. Tertiò, quia cambia, quæ pro nundinis Piſarum inibantur, erant ad minorem diſtantiam, ac eſſent illa, quæ celebrabantur pro nundinis Placentinis, & tamen idem intereſſe exigebatur. Quæritur iam modo, an per aliquam ex his conditionibus, ratione quarum intercedunt diſcrimina cum Placentinis, cambia Piſana reddantur illicita, & aliqua labe inficiantur. 1

Diſcrimina inter cambia Piſana, & Placentina.

Reſpondeo primò, non infici huiuſmodi cambia ex eo præciſè, quod ineantur inter perſonas priuatas, ſi aliæ con- 2

conditiones ad vera, & realia cambia requiſitæ intercedant, & per ius aliquod poſitiuum eiſdem priuatis perſonis non interdicatur vſus cambiorū. Conſonat hæc reſponſio cum his quæ dicta ſunt *ſub hoc eod tit. Contractus V. de Cambijs I. Prænot. 3. num.* 5. per ea, quæ docent *Nauarrus cap.* 17. *num.* 288., *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 23. duh. 2. nu. 9.*, *Gabriel in quarto diſtinct.* 15. *quæſt.* 11. *art. 2. dub. 12. Maior ead. diſtinct. quæſt. 37.* Ratio ex eo deducitur, quia ex natura ſua non eſt prohibitum perſonis priuatis cambire, & ex cambijs per ipſos initis vtilitatem aliquam percipere, quemadmodum eiſdem non eſt prohibitum res ſuas vendere, & permutare etiam cum aliquo lucro ſeruata tamen æqualitate earundem ad pretium intra latitudinem ſupremi, medij, & infimi, ergo non eſt, cur inficiantur cambia per priuatas perſonas inita, quandò per ius aliquod poſitiuum non ſunt prohibita, quæ certè in hypotheſi, de qua loquimur, non præſumuntur prohibita, cum ibidem fiant in publicis, & pro publicis nundinis annuente Principe, & non contradicente. Recole, quæ dicta ſunt *ſub eod. tit. de Cambijs I. d. Prænot. 3. nu. 5. per totum*, quæ plurimum conferunt ad corroboranda ea, quæ hic dicuntur.

Nullum ſupponitur ius poſitiuū prohibēs

Hic tamen vnum monendū cenſeo, quod, cum ſic contrahentes ſint perſonæ priuatæ, & per conſequens non aſſuetæ negotiationibus, non ita facile in eiſdem præſumendum ſit lucrum ceſſans, aut damnum emergens, vndè in dilatione ſolutionis, ſi quæ contingeret vltrà præſcriptum, non videntur poſſe exigere compenſationem eiuſdem lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis, niſi plenè probent, ex tali dilatione, & non ex alio capite ceſſaſſe, & emerſiſſe, quod facilius præſumitur, quandòque in mercatoribus etiam ſine tali probatione præcipuè in locis, vbi ſemper eſt parata occaſio ad negotiandum per ea, quæ fusè alibi diximus.

Inter priuatos cōtrahentes non eſt præſumēdum ex dilatione lucrū ceſſans.

3 Reſpondeò ſecundò cambia, quæ celebrantur pro Piſis cum pacto abſolutè recambiendi pro eodem loco, in quo fuit celebratus contractus, ſine quo non celebrarentur, ſunt abſolutè illicita, & infecta, ſi ſecundum ſe ſumantur. Conſonat reſponſio cum ijs, quæ dicta *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ. II.* §. 1. iuxta ea, quæ docet *Ognate tract. 24. de Cambijs diſp. 88. ſect. 9. n.* 186. Ratio in primis à paritate deducitur, quia illicita eſt conuentio, qua campſor obligat campſarium, vt potius ſecum, quam cum alio recambium ineat per adnotata *ſub eod. tit. de Cambijs II. d. Diſquiſ. II. §. 1.* ergo etiam illicità erit conuentio, per quam obligatur campſarius ad recambiendum pro eodem loco, in quo primus contractus fuit celebratus. Conſequentia probatur, quià in tantum conuentio in caſu antecedentis illicita præſumitur, in quantum ſuprà onus reſtituendi receptum imponitur campſuario obligatio ciuilis, quæ eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis, ſed etiam in caſu conſequentiæ imponitur onus vltrà debitum reſtituendi receptum ſecundum ſe pretio æſtimabile, ergo &c. Minor probatur, quià onus illud recambiendi pro eodem loco, in quo primus cōtractus fuit celebratus, eſt pretio æſtimabile, cum non ſolum adimat libertatem recambiendi, vel non recambiendi, ſed etiam recambiendi pro vno, vel pro altero loco, ergo &c.

Eſt illicita conuētio, qua campſor obligat campſarium ad ſecum recambiendum.

Ratio poteſt eſſe ſecundò, quia, cum huiuſmodi cambia, vt plurimum fiant à viris, fœminis, populo, & plebe cum illa obligatione reſtituendi id, quod receptum eſt in eodem loco, in quo fuit ſolutum, eſt manifeſta præſumptio, quod detur cum vſuraria intentione ex ſola ſcilicet temporis dilatione acquirendi aliquod lucrum in eodem loco, potiſſimum, cum illa obligatio vtpotè inducta præter naturam, & exigentiam contractus, & ſecundum ſe meritoria lucri non videatur ad aliud inducta, niſi ad reſtitutionem in eodem loco cum lucro faciendam ex neceſſitate, & ſic videtur, quod literarum traiectio Piſas ſit ad palliandum vſuram, ſeu lucrum ex ſola temporis extenſione; ex quibus patet diſcrimen, quod intercedit inter cambia, & recambia inita ex libertate, & inter cambia, & recambia inita ex neceſſitate, per obligationem ſcilicet ciuilem impoſitam campſario recambiendi pro eodem loco; in primo enim caſu non eſt præſumptio vſurariæ prauitatis, nec onus aliquod ex neceſſitate inductum pretio æſtimabile ſupra onus ſortem reſtituendi; in ſecundo autem, & eſt talis præſumptio, & onus ciuilitèr inductum.

Præſumptio vehemens vſuræ palliatæ

Reſpondeo tertiò, non vitiari regularitèr illa cambia ex eo, quod minus loca Etruriæ, in quibus celebrantur, Piſis diſtent, ac diſtent Placentia, quāuis idem lucrum acquiratur, quod acquiritur in nundinis Placentiæ. Conſonat 4

Digitized by Google

nat cum his, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. Contractus V. de Cambijs I. Prænot. 6.* nam, dum Pius V. in ſua Conſtitutione dixit, *Curandum eſſe, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinata eſt* non eo dictionem illam direxit, vt ſignificaret maius pretium ſoluendum eſſe, quandò locus eſt remotior, vt malè ſenſit *Azorius inſtit. mor. lib. 10. part. 3. cap. 6. quæſt. 3.*, & minùs, quandò eſt proximior, ſed tantum, vt indicaret terminum competentem pro ſolutione, vt ex communi teſtatur *Lugus de Cambijs diſpoſ. 28 ſect. 8. num. 116.* ergo, quamuis magis, vel minus diſtent loca, poterit tamen ſtatuto conuenienti termino ad ſolutionem iuxta maiorem, vel minorem diſtantiam localem licitè exigi idem pretium.

Germana explicatio clauſulæ Pij V.

Probatur vlterius reſponſio, quià quamuis loca quandòque varient pretia rerum concurrentibus in eiſdem varijs, & diuerſis circunſtantijs, de quibus ſuprà, non tamen variare poteſt præcisè maior, vel minor vicinitas, niſi adſint aliæ rationes augentes, vel diminuentes pretia, quinimmò, vt benè aſſerit *Lugus d. diſpus. 28. ſect. 8. de Cambijs num. 116.*, vt plurimum facilior eſt illa pecuniæ traiectio virtualis in locum diſtantem, in quo crebriora ſunt commertia, quam in locum propinquum, in quo commertia otiantur, quę præcipuè verificantur, quandò pecunia non realitèr, ſed virtualitèr tantū traijcitur, vt euenit in hypotheſi, de qua loquimur, ergo, quamuis inter vtraque loca maior, vel minor interiaceat diſtantia, poterit tamen iuſtè exigi idem pretium.

Maior, & minor vicinitas ſecundū ſe non poteſt variare præcisè pretia cambiorum.

Dixi in reſponſione, *non vitiari regularitèr*, nàm, ſi in primis pecunia eſſet realitèr traicienda, & plura adeſſent pericula quoad locum remotiorem, ac quoad locum minus remotum, maiorque arduitas, & labor, tunc certè iniqua eſſet exactio æqualis pretij pro loco minus diſtanti, ac pro loco diſtantiori, nam non ſunt onera ita pretio æſtimabilia in illo, ac in iſto. Deindè ſi in vtroque loco magis ſcilicet, vel minus diſtanti non eſſet idem, & æqualis valor pecuniarum, non poſſet etiam eſſe æquale pretium cambiorum iuxtà ſuperius dicta.

Poteſt quandòque pretium in longinquitate locorum ex circūſtantijs variari.

§. III.

An poſſit obligari debitor ad cambiū; vel ad lucrum cambij, quandò excuſatur, vel abſolutè, vel ad tempus à ſolutione debiti.

SVMMARIVM.

Proponitur difficultas, & ratio dubitandi. 1.

Varij ſenſus, ſecundum quos poteſt procedere. 2.

Acceptante debitore ſponte cambium in pecunia per ſe debita nonniſi poſt aliquod temporis ſecundum ſe perſoluenda, & ſimul onus ſoluendi lucrum ex cambio, lucrum ipſum poteſt iuſtè exigi à creditore. 3.

Non acceptante debitore cambium, ſeu onus ſoluendi pro illo intereſſe non poteſt cogi ad ſolutionem. 4.

Si debitor ob ſui commoditatem acceptauit ſoluere debitum in proximis futuris nundinis, & litteras dederit ſuo reſpondenti ad ſoluendum nulla facta mentione de intereſſe, non videtur obligari ad idem intereſſe. 5.

Diſquiſitio III. Caius erat creditor Titij de ſumma mille aureorum, volenſque cum eodem conſtituere cambium pro pecunia, quam eidem Titio tradere deberet, dat ſuum creditum ad cambium ipſi, intenditque ex eodem conſuetum lucrum acquirere; ſed, cum Titius habeat cauſam excuſantem, vel ſimplicitèr à ſolutione, vel ad aliquod tempus renuit ſoluere lucrum cambij, cum iniuſtè creditor ob non reſtitutionem det ad cambium, vt lucretur ex mora. Quæritur iam, an iuſtè creditor in hac hypotheſi poſſit dare ad cambium, & exigere lucrum ex eodem. Incidentèr tangit hanc difficultatem *Filliutius tract. 35. part. 2. de Cenſib. & Camb. cap. 8. de cambio ad nund. quæſt. 9. num. 445.* vbi concludit, nō poſſe creditorem dare creditum ad cambium, vt ex eo lucretur; additque rationem, quià non poteſt eſſe bellum iuſtum ex vtraque parte, adeoque, ſi iuſtè debitor excuſatur à reſtitutione, iniuſtè creditor ob non reſtitutionem intendit acquirere lucrum ex cambio. Pro ſolutione. 1

Aduerte, quod multipliciter poteſt procedere difficultas; vel enim exigen- 2

tę

te creditore ipſe debitor pecuniam, quam retinebat titulo debiti, mutato titulo eandem accipit ad cambium ob facilitatem, quam fortè habere poteſt reſtituendi ipſam in loco, ad quem deſtinatur cambium cum acceptatione expreſſa oneris ad lucrum, ad quod non obligatur ciuilitèr, ſed ipſe ex ſua voluntate ſe obliget, vel exigente ipſo creditore debitor ipſe non annuit, ſed potius diſſentit, non ſolum quoad lucrum cambij, ſed etiam quoad ſubſtantiam talis contractus cambialis, vel tandem creditore exigente debitor non renuit contractum, non tamen expreſsè aſſentitur ſolutioni lucri, quod conſequitur regularitèr ad ipſum contractum, nec expreſsè diſſentitur. Iuxtà triplicem hanc acceptionem ad clarius indagandam veritatem quæſiti placet ipſum diſcutere; vndè.

Exponũtur varij ſenſus, ſecundum quos poteſt procedere difficultas.

3 Reſpondeo primò, ſpontè acceptante debitore, & cambium in pecunia per ſe debita, licet non niſi poſt aliquod temporis ſecundum ſe perſoluenda, & onus ſoluendi lucrum ex cambio, lucrum ipſum ex eodem cambio iuſtè poſſe exigi per creditorem. Ratio eſſe poteſt, quià extante facilitate ad ſoluendum de præſenti in alio loco debitum, quod eſſet de futuro ſoluendum in hoc loco, nulla eſt repugnantia, quin debitor poſſit acceptare velle illud in tali alio loco ſoluere, & quodamodò acceptare illud, quod debet ſoluere de futuro tanquam pecuniam de præſenti collatam, vt alio traiciat virtualitèr ibi reſtituendam in proprium commodum, ſed dante campſore hic pecuniam prius, vt alibi recipiat in facilitatem campſarij, poteſt iuſtè exigere pretium cambij per ea, quæ tradidimus *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot.* 1. ergo etiam poterit exigere acceptãte campſuario debitum illud pro pecunia actuali, & præſente cum onere alibi illam perſoluendi, & cum interueniat cambium, illius etiam pretium poterit acquirere.

Attende rationi reſponſionis.

Monerem tamen, quod, quamuis accedente libero conſenſu debitoris acceptantis motu proprio onus perſoluendi debitum in nundinis alibi celebrandis perindè, ac ſi pro illo accepiſſet actu pecuniam, videatur poſſe admitti huiuſmodi cambium, quià tamen non eſt de facili præſumendus talis liber conſenſus, cum nemo de facili ſit præſumendus, quod ſpontè velit ſoluere de præſenti cum lucro id, quod non debet ſoluere, niſi de futuro etiam ſine lucro, nec de facili eſt approbandus talis contractus, vndè in eo ſenſu, in quo accipitur ſecundum ſtatum præſentis reſponſionis, eſt potius caſus metaphyſicus, quam practicus.

Non tamen facilè eſt approbandus hic contractus propter præſumptiones inuoluntarij.

Reſpondeo ſecundò, non acceptante debitore cambium, ſeu onus ſoluendi pro illo intereſſe, non poſſe creditorem illum compellere ad ſolutionem. Eſt iuxtà mentem Filliutij ſuprà relati, & probatur eiuſdem ratione, quià ſcilicet non poteſt eſſe iuſtum bellum ex vtraque parte, ergo, ſi debitori iuſtum ius aſſiſtit, ne teneatur pro illo tempore reſtituere, non poterit creditori aſſiſtere ius ad compellendum eundem debitorem ad ſoluendũ cum lucro pro illo tempore. Confirmatur, quia non eſt aſſignabilis titulus, quo creditor poſſit exigere pro illo tempore debitum, nec lucrum ex illo, ergo &c. Antecedens probatur, non titulus cambij, quià ſine conſenſu campſarij cambium non ſubſiſtit, non titulo debiti, quià non tenetur huic ſatisfacere, niſi poſt multum temporis, non titulo alicuius conuentionis, cum ad hanc idem debitor conſenſum non præſtiterit, non &c. ergo &c. 4

Non eſt aſſignabilis titulus, quo debitor poſſit cogi.

Reſpondeo tertiò, ſi creditor requiſierit debitorem excuſatum à ſolutione debiti ad tempus determinatum, an velit ſoluere in proximis futuris nundinis alibi celebrandis, & hic ob aliquam ſuam commoditatem annuerit, & litteras dederit ſuo reſpondenti, vt talem ſummam vel creditori, vel reſpondenti ipſius perſolueret, & in conuentione nulla facta fuerit expreſſio de lucro cambij, nec de excluſione ipſius, probabilius eſt, quod ad talis lucri ſolutionem debitor non conſenſerit, adeòque ad illam non teneatur. Probatur reſponſio, quia non eſt præſumptio, quod quis voluerit onus ſubire, ad quod ſecundum ſe non obligatur, & cum conſenſerit in cambio exigente creditore, ſeu in fauorem eiuſdem, non eſt probabile, quod conſenſerit cum ſui ipſius damno, nempè acceptando vltrà anticipatam ſolutionem, ad quam non tenetur, onus ſoluendi etiam intereſſe, & quamuis etiam perciperet aliquam vtilitatem, ſeu commoditatem, ex facilitate, quam habet, ſoluendi in nundinis, quam fortaſsè non haberet ſoluendi in loco, in quo contraxit debitum, compenſatur tamen illa commoditas per anticipatam ſolutionem, ad quam non tenebatur.

Nulla eſt præſũptio, quod voluerit ſe obligare ad intereſſe, ad quod non tenetur.

§.IV.

Digitized by Google

§. IV.

An indigente campſore pecunijs perſe ſolutis ad nundinas poſſit campſarius minoris ſe redimere ante illas.

SVMMARIVM.

Proponitur ſenſus difficultatis. 1.
Probabilius eſt, quod nec tertius poſſit minoris emere illud ius, quod ex cambio ego acquiſiui aduerſus te attenta præcisè natura contractus. 2.
Multo minus poteſt ipſe debitor ſe redimere ab illo iure, quod creditor contra ipſum acquiſiuit per conſtitutionem cambij reſpectiuè ad ſortem per creditorem ſolutam. 3.
Poteſt tamen reſpectiuè ad intereſſe cambij. ibid.

1 Disquiſitio IV. Tradidi ego tibi hic Mediolani mille nummos aureos mihi reſtituendos cum lucro in primis nundinis celebrandis Placentiæ, ſed, cum poſteà indigerem eiſdem pecunijs ad grauiora aliqua mea negotia obeunda antecedentèr ad eaſdem nundinas, quæſiui alterum, qui emeret illud ius, quod acquiſieram aduerſus te ex cambio illorum mille aureorum tecum antecedentèr inito, illudque ius pro minori cedere intendebam. Sciens tu tractatum meum de illa iuris venditione alteri facienda pro minori, illud idem pretium, quod alter offerebat pro acquiſitione illius iuris aduerſus me obtuliſti, vt te redimeres pro minori ex illa anticipata oblatione ab onere, quod ſubieras ſoluendi totam ſummam cum intereſſe aduenientibus proximis nundinis Placentiæ celebrandis. Quæritur iam, an iuſtè potueris, te redimere per illam anticipatam minoris pretij ſolutionem. Alibi hanc difficultatem attigiſſe arbitror, quam latè proponit *Azorius Inſtit. moral. part. 3. lib. 10. c. 11. quæſt. 3.* à qua propterea breuibus me eximo, inquirens primò, an ille alter poſſit pro minori emere illud ius aduerſum te. Secundo ex ſuppoſitione, quod ille poſſit, poſſis tu quoque eodem pretio te redimere.

2 Reſpondeo primò, probabilius eſſe, nec illum tertium poſſe minoris emere illud ius, quod ex cambio ego acquiſiui aduerſus te attenta præcisè natura contractus, quidquid in contrarium videatur ſupponere *Azorius d. part. 3. lib. 10. c. 11. quæſt. 3.*, quod tamen non probat. Probatur igitur reſponſio primò ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. contractus II. de empt., & vendit. prænot. III.*, quia non licet emere chyrographa, quæ ſoluenda non ſunt, niſi poſt aliquod temporis pro minori pretio, ac in ſe contineant per ea, quæ ſcribunt *Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 21. dub. 7. num. 71. Medina C. de reſtit. quæſt. 38. Sotus lib. 6. de iuſt. art. 1. ad 3. Silueſter verb. vſura II. quæſt. 14.*, quod adeo verum eſt, vt non liceat etiam ad haſtam emere ſingrapham plus continentem pro minori per ea, quæ docuimus *ſub eod. tit. Contractus II. Diſq. II. §. 2. num. 3. p. 108.*, vndè non incongruè Innocentius XI. in Generali Congregatione Sanctiſs. Inquiſitionis habita ſub die 2. Martij currentis anni 1679. inter cæteras propoſitiones illam damnauit, quæ eſt in ordine quadrageſima prima. *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non maioris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid vltrà ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vſura excuſari*, ex quo infero, quod, ſi non eſt maioris valoris pecunia præſens, ac abſens, adeo vt ratione præſentiæ non liceat quid ex mutuo lucrari, nec ratione eiuſdem liceat, quod pretioſius eſt pro minori emere, ergo, cum ius illud, quod ego habeo aduerſus te, ſit determinatè ad ſortem, & ad intereſſe ex tali contractu, non licitum erit illud per quid minus à tertio quodam emi, ſecus non ſaluaretur æqualitas ad iuſtitiam contractus requiſita. Propoſitio damnata per Innoc. XI.

Probatur ſecundò, Improbum omninò eſt ex anticipata ſolutione præcisè aliquod acquirere ſupra id, quod per ſoluentem datur anticipatè, ergo in hypotheſi, de qua hic loquimur, improbum etiam erit per præſentem ſolutionem acquirere ius ad quid maius. Antecedens probatur, quià vſurarium omninò eſt ex dilata præcisè ſolutione aliquid exigere ſupra debitum per ea, quæ ſparſim dicta ſunt, & præcipuè *Tom. 1. ſub tit. contractus III. de mutuo, & vſuris per prænot.*, & §. ergò etiam iniquũ omninò erit ex anticipata ſolutione aliquid minus ſoluere pro iure ad longè maius poſt aliquid temporis acquirẽdum, quandòquidem ſola circunſtantia temporis ſecundum ſe non eſt ſufficiens ad augendũ, vel minuendum, nec rerum, nec iurium valorem. Vſurariũ eſt ex dilata præcisè ſolutione aliquid exigere ſupra debitum.

Di-

Dices primo id, quod per illum tertium emitur, non eſſe ipſam pecuniam per me ſolutam, & lucrum ex illa mihi debitum, ſed ius ad eandem ſortem, & lucrum, quod ius non ſumitur, vt pecunia, cuius valor conſiſtit in indiuiſibili, ſed vt merx aliqua quodamodò venalis, quæ admittit latitudinem intra pretium ſupremum, medium, & infimum, ergo, quamuis minoris ſoluatur habita æqualitate ex vſu fori, iuſta tamen eſſe poterit talis iuris acquiſitio. Sed contrà, quia illud ius, quod dicitur acquiri, cum ſit limitatum ad determinatam pecuniarum quantitatem, non habet, nec reſtrictionem, nec extenſionem vltrà id, ad quod eſt tale ius, quinimmò reſoluitur in talem determinatam quantitatem, quam continet, nec emens aliud intendit, niſi acquiſitionem illam quantitatis ſortis, & lucri tempore nundinarum ſibi ſoluendæ, quæ, cum excedant valorem pretij per ſe ſoluti, conſtituunt inæqualitatem aduerſantem naturæ, ſeu iuſtitiæ contractus.

Illud ius, cũ ſit limitatũ, nec habet reſtrictionem, nec extẽſionem.

Dices ſecundò, ius aliquod inutile per aliquod temporis minus eſt quoad valorem re vtili ab hodierna die, vt colligitur *ex l. minus ſecundo ff. de reg. iuris* vbi dicitur, *quod minus ſit habere actionem, quam rem*, ſed illud ius, quod acquiritur per emptorem non poteſt eſſe vtile, niſi poſt celebratas nundinas; pecunia autem, quæ per ipſum de præſenti ſoluitur, eſt vtilis ab hodierna die, ergo &c. ergo illud ius poterit pro minori emi. Sed contra primò, quia ſemel admiſſa illa propoſitione maiori abſolutè ſine vlla limitatione ex quacunque temporis dilatione in ſoluendo poſſet lucrum aliquod acquiri, & ex anticipatione res pro minori acquiri, & ſic actum eſſet de vſuris. Deindè textus adductus *in l. minus ff. de reg. iuris* procedit ſolummodò de actione, quæ importat ſpem in euentu futuri iuditij, vndè bene dicit *Innocentius in c. in ciuitate de vſuris*, quod poteſt quis tuta conſcientia emere minori pretio actionem ortam tempore contractus, quia ſe exponit periculo; non autem de actione, quæ coniungitur cum certitudine ad determinatam quantitatem pro ſorte, & lucro.

Explicatur textus *l. minus de reg. iuris*.

Dices tertiò, illum tertium, qui ſic emit ius illud, non minoris ſoluere comparatiuè ad ſortem, ſed comparatiuè ad lucrum debitum ex tali contractu, cum ipſe ſubſtituatur in locum creditoris ex tali contractu, vndè perindè ſe habet, ac ſi ipſe talem contractum conſtitueret ea proportionali ratione, qua, ſi quis emeret ius aliquod ad determinatum fundum fructiferum iure ceſſionis per primum emptorem ſibi factæ, poſſet licitè quoſcunque fructus ex illo fundo prouenientes percipere ſine vlla labe iniuſtitiæ, &, ſicuti ipſe poteſt immediatè cambium conſtituere, & lucrum ex illo acquirere, ita non eſt, cur per ſubſtitutionem in locum alterius quoad cambium per ipſum initum non poſſit lucrum ex illo acquirere. Sed contrà, quia hoc non eſt pro minori emere ſortem, & ipſum lucrum, prout eſt ſermo in reſponſione, ſed quodamodò conſtituere cambium per ſe ipſum conſtituendo ſe in illis conditionibus, in quibus ſe conſtituit venditor illius iuris per cambium per ſe ipſum celebratum; vndè vel illud lucrum acquiritur ratione inæqualitatis valoris pecuniarum in vno, vel altero loco, vel ratione virtualis traiectionis; ſi ratione primi; cum emptor talis iuris, ſeu potius ceſſionarius commutet ſuam pecuniam hic cum pecunia Placentiæ exiſtente in nundinis perſoluenda lucrum diuerſæ æſtimationis debet ſibi acquirere; ſi ratione ſecundi, licet contractus ſit per me conſtitutus ego recipiendo meam pecuniam conſtituo illum tertium in mei locum cum omnibus iuribus à me antecedentèr acquiſitis, ſed hoc non eſt acquirere quid magis per quid minus, ſed eſt per verum contrãctum acquirere ceſſionem iuris alterius per ſe vendibilis, & ratione alicuius circumſtantiæ annexæ maiori pretio æſtimabilis.

Inſtantia propoſita, quæ tamen nil roboris habet.

Dixi *attenta præcisè natura contractus*, nam, ſi aliquod ſubeſſet periculum ſortis, vel cambium illud eſſet difficilis exactionis, & ille tertius vniuerſum onus exigendi illam ſummam cum periculo in ſe aſſumeret, vel illam pecuniam ſolueret me exigente, & interim eidem aliquod lucrum ceſſaret, vel damnum emergeret, non renuerem in his ſuppoſitionibus propter annexas circumſtantias, quæ ſunt ſecundum ſe pretio æſtimabiles, concedere poſſe pro minori emere illud ius ad quantitatem ſortis, & intereſſe propter alibi dicta, & fusè probata, nam propter has, & ſimiles rationes etiam in mutuo licet aliquod lucrum, ſeu intereſſe exigere ſupra ſortem principalem.

Si illud ius eſſet obnoxiũ periculis, & difficilis exactionis poſſet minoris emi.

Reſpondeo tertiò, multo minus poſſe minori te redimere ab illo iure, quod contrà te acquiſiui per conſtitutionem cam- 3

Digitized by Google

cambij reſpectiuè ad ſortem per me ſolutam, licet poſſis reſpectiuè ad intereſſe cambij. Concordat in hoc *Azorius d. part. 3. lib. 10. cap. 11. quaeſt. 3.* Rationes, quæ militant pro præcedenti reſponſione, à fortiori euincunt intentum quoad præſentem, cui fortior ratio accedit, quia ego per illam ſolutionem à me factam habeo ius determinatè ad illam ſummam ſortis per te receptam, vndè, cum tu conſtitutus ſis debitor meus ex illa ſumma, non potes te redimere pro minori pretio per ea, quæ docui *tomo primo ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. Diſquiſ. II. §. 1. num. 4.*

Dixi, *licet poſſis reſpectiuè ad intereſse cambij*, nam, ſicuti per mutuum conſenſum contractus cambij fuit conſtitutus, ità etiam poteſt mutuo conſenſu diſſolui, adeoque poteſt iuſtè ceſſare ius ad intereſſe eiuſdem cambij, & in hoc ſenſu exiſtimo optimè verificari textum *in l. minus ff. de reg. iur.*, vbi dicitur, *quod minus ſit habere actionem, quam rem*, quatenus poteſt creditor eidem actioni cedere, nec per mutuum conſenſum eſt aliqua repugnantia, quin eidem contractui poſſit cedi per diſſolutionem contractus ſine læſione contrahentium.

Contractus poteſt mutuo conſenſu diſſolui.

§. V.

An liceat campſoribus *vender al contado* cum maiori lucro.

SVMMARIVM.

Praxis vendendi al contado *quænam ſit*. 1.
Duobus modis fieri poteſt. Ibidem.
Opiniones circà propoſitam praxim. Ibid.
Vtrumque cambium ſi ſecundum ſe præcisè conſideretur, & ſub ea ratione præcisè, quod vnum fiat in numerato, aliud in chyrographo iniuſtum eſt. 2.
Solutio nonnullorum argumentorum. 3.

1 Diſquiſitio V. Alicubi viget hæc conſuetudo, quæ, an redoleat iniquitatem, nec ne, in præſenti eſt examinandum. Praxis, ſeu conſuetudo in hoc ſita eſt, Petrus poſtulat Metinæ in fine nundinarum centum nummos aureos ad cambium a Paulo in Flandriam. Duobus modis poteſt eidem conferri pecunia, vel in numerato, quod Hiſpani vocant *en reales*, vel in chyrographo. Si Paulus ſoluat, ſeu cōferat pecuniam Petro in numerato, eidem confert ſolummodo 90., vt reſtituat centum in Flandria; ſi verò conferat in chyrographo remiſſo ad aliquem menſarium confert integros illos centum, quorum vice, & loco non obligatur Petrus, niſi ad reſtituendum 93., atque hoc cambium appellant Hiſpani *En libranca*. De vtroque hoc cambio ad inuicem comparato quoad iuſtitiam, vel iniuſtitiam modo ex profeſſo agendum eſt, circa quod multis pro vtraque parte maturè diſcuſſis pro iniuſtitia tandem concluſit *Michael Salonius de Cambijs quaeſt. 4. art. 4. cont. 2. nu. 3.* Alij ex vno ad alterum arguentes improbant cambium illud in numerato cum illo maiori lucro, quandoquidem, cum vtrumque fiat ab eodem in eundem locum pro eodē tempore, & rebus ſimilitèr ſe habentibus, non videtur iuſtè poſſe ſtare cum pretio adeò diuerſo, & inæquali, ſicque damnant cambium in numerato cum illo maiori lucro ex inæqualitate lucri, quod accipitur ex cambio in chyrographo, ſed reprobato illo, an hoc cambio *en libranca* iuſtum, & licitum ſit, videntur potius ſupponere, quam approbare, quinimmò nec pro iuſtitia, nec pro iniuſtitia illius aliquid ſtatuunt. Alij tandem pro vtriuſque iuſtitia concludunt, quorum rationes infrà ex profeſſo examinabimus, & refellemus.

Reſpondeò, vtrumque cambium, ſi præcisè ſecundum ſe conſideretur, & ſub ea ratione præcisè, quod vnum fiat in numerato, alterum in chyrographo, omninò iniuſtum eſſe, & improbum. Dixi, *ſi ſecundum ſe conſideretur, & ſub ea ratione præcisè, quod vnum fiat in numerato, alterum in chyrographo*; nam, ſi iuſtum eſſent pretium cambij illa ſeptem ex inæqualitate valoris pecuniarum in vtroque loco, vel ex aliquo iuſto titulo iuxtà conditiones cambiorum, tunc non auderem denegare iuſtitiam etiam quoad hunc contractum in particulari. 2

Probatur iam primò reſponſio quoad cambia in chyrographo per ea, quæ fusè dicta ſunt in præcedenti paragrapho, nam non minoris valet pecunia in chyrographo, ac in numerato, ergo, ſi præcisè ſecundum ſe conſideretur pores, ſecundum hanc rationem non poterit iuſtè pro minori fieri commutatio ex eo, quod fiat pecuniæ in chyrographo exiſtentis, ac pecuniæ in numerato. Conſequentia tenet, quia rei ſecundum eundem valorem non poteſt eſſe inæ-

Non minoris valet pecunia in chyrographo, ac in numerato.

Digitized by Google

inæquale pretium, quod præcipuè fortius robur habet in hypotheſi, de qua loquimur, ſecundum quam cambium initur in fauorem campſuarij, qui potius intereſſe cambij deberet perſoluere, quam lucrum acquirere.

Probatur ſecundò quoad idem, quia menſarius, ad quem dirigitur Petrus pro recipienda pecunia in chyrographo contenta, non poteſt quid minus reddere creditori ad ſe remiſſo, ac contineatur in eodem chyrographo, ergo ex eo, quod cambium fiat per traditionem chyrographi, non per pecuniam in numerato, non poterit idem Petrus illud lucrum ſeptem pro centenario acquirere. Conſequentia probatur, quia recipiendo illud chyrographum non recipit quid minus, ac quando recipit in numerato, quando illud idem in numerato ipſi ſoluitur per menſarium, & ſi quid minus ſolueretur ex eo, quod ſtatim per menſarium fieret ſolutio in numerato, eſſet ſolum ob anticipationem, quod vſurariam redolet prauitatem, ſed quando immediatè recipit in numerato per Paulum non poteſt illud lucrum acquirere ſeptem pro centenario, ergo neque &c.

Recipiẽdo illud chyrographum non recipit quid minus.

Probatur tertio quoad idem. Quia ità ſe habet emptio, & venditio ad pecuniam præſentem, quæ pro illis ſoluitur, & ad futuram, quæ pro illis eſt ſoluenda, ſicuti ſe habet cambium vel ad pecuniam in numerato, vel in chyrographo, ſed illud æſtimatur iuſtum pretium emptionis, quo res emitur pecunia de præſenti, nec variari poteſt ſaltem extra latitudinem pretij ſupremi ex eo, quod pecunia non ſit ſoluenda, niſi de futuro per ea, quæ latè diximus *tom. primo ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. ſparſim per pręnotiones, & paragraphos*, ergo idem dicendum erit quoad pretium cambij, ſiuè in numerato, ſiuè in chyrographo, adeoque, ſi quando fit in numerato, non poteſt campſarius acquirere illa ſeptem pro centenario, nec poterit acquirere, quando fit in chyrographo, quandoquidem in hoc caſu nullus eſt ſpecialis titulus talis acquiſitionis; nam peto, quinam ſit hic titulus, ſi aſſeras, ex dilata ſolutione, ſtatim euinceris, quia talis titulus ſecundum ſe non eſt lucratiuus, quinimmò vſurarius; ſi dicas, eſſe ex cambio; ſtatim etiam impugnaberis, quia ſolutio chyrographi non eſt nouum cambium, ſed implementum prioris; ſi tandem recurras ad inæqualitatem, etiam facilè impugnaberis, quia, cum ſolutio facienda ſit per menſarium in eodem loco, in quo fuit celebratus contractus, non poteſt habere diuerſam æſtimationem, ſiuè pecunia ſit in numerato, ſiuè in chyrographo, ergo à primo ad vltimum &c.

Paritas deducta ex contractu emptionis, & venditionis.

Probatur iam reſponſio primò quoad cambia in numerato. Quia illa decem, quæ acquirit Paulus ſoluens in numerato, quæque non acquirit conferens chyrographum, quinimmò ſeptem amittit in ſingulis centenarijs, vel acquirit titulo anticipatæ ſolutionis, vel quia pecunia, quam tradit campſario, valet magis tradita illi in numerato, quam in chyrographo; neutrum dici poteſt, ergo &c. Maior patet, quia non eſt aſſignabilis alius titulus. Minor probatur, quia anticipata ſolutio ſecundum ſe non confert ius aliquid legitimè lucrandi, ſeu aliquid minus ſoluendi reſpectu ad illud, quod acquirit, ſicuti dilata ſolutio per debitorem non confert ius creditori aliquod acquirendi ſupra creditum, & ex alio capite Petrus ad ſua negotia obeunda poteſt vti illa pecunia in chyrographo, ac in numerato, quandoquidem in fine nundinarum menſarius, ad quem dirigitur illud chyrographum pro ſolutione, tenetur pecuniam in numerato perſoluere.

Anticipata ſolutio non confert ius aliquod legitimè lucrandi.

Probatur ſecundo quoad idem. Quia vel illa decem pro centenario, quæ acquirerentur ex cambio in numerato, vel iuſta arbitrarentur, eo quia iuxta communem æſtimationem tanti valent Metinæ nonaginta, quanti in Flandria centum, vel quia tanti æſtimetur illa virtualis traiectio, qua in fauorem campſuarij pecunia eiuſdem in Flandria exiſtens traducitur Metinam; ſed ex his capitibus potius contrarium euincitur, quia, cum vberiores ſint pecuniæ Metinæ, ac in Flandria, quid maius eſſet potius ibi ſoluẽdum per campſorem, & quid minus in Flandria per campſuarium, vt ſaluaretur ęqualitas iuxtà communem æſtimationem, quæ habetur in vtroque loco, quod etiam militare deberet pro illo titulo virtualis traiectionis ex pecunia exiſtente in Flandria Metinam, ſiquidem ſi campſor onus illud, quod tamen modicum eſt, traiectionis ſubit in fauorem campſarij, illud onus compenſatur per diuerſam æſtimationem pecuniarum in vtroque loco &c. ergo &c.

Vberiores ſunt pecuniæ Metinæ, ac in Flandrię.

Nunc aliqua argumenta, quæ in contrarium afferri poſſunt, ſunt diſſoluenda, & primo arguunt aliqui 3

apud *Salonium d.quaeſt.4.de cambijs art.4. controu. 2. num. 2.*, contendentes probare iuſtitiam illius lucri, quandò cambium fit in numerato hoc pacto. Illud eſt iuſtum pretium alicuius rei, quando nihil eſt per leges,ſeu per Principem taxatum, quod redditur in pecunia numerata ex communi vſu fori, ſed in cambio, quod Hiſpanicè dicitur *en reales* pecunia præſens confertur, & ex communi vſu fori illud intereſſe decem pro centenario per campſores recipitur in illis regionibus, ergo &c. Confirmatur, quia pretium cambiorum legitimum illud eſt, quod habent pecuniæ ex vſu inter mercatores, ſed tanti apud ipſos æſtimantur in numerato nonaginta, quanti plures illæ, quæ de futuro ſunt reſtituendæ per campſarium in nundinis, ergo illud erit iuſtum pretium &c. Sed facilè occurro huic argumento, & confirmationi, negans, quod ex communi vſu fori, quando per campſorem Metinæ fit cambium in pecunia numerata pro Flandria, recipiat in eadē Flandria decem pro centenario, quandoquidē nec virtualis traiectio tanti valet, vt videre eſt, quando fit cambium per literas, in quo tantum non recipitur, nec illud intereſſe inducit diuerſa æſtimatio, ſiquidem pluris æſtimatur pecuniæ valor in Flandria ob penuriam eiuſdem, vbi eſt reſtituenda, quam Metinæ, vbi eſt maior affluentia. Ad confirmationem idem ferè eſt reſpondendum. Deindè, ſi verum eſt, quod ex communi vſu fori recipiantur illa decem pro centenario, hoc ideò non eſt præcisè, quia ſolutio facta fuerit in numerato, ſecundum quem ſenſum præcisè procedit reſponſio, ſed quia illud eſt iuſtum pretium cambij ſecundum ſe, vndè meritò dixi in reſponſione ad quæſitum, *ſi præcisè ſecundum ſe conſideretur, & ſub ea ratione, quod vnum fiat in numerato, alterum in chyrographo*.

Nō conſtat de illo vſu apud Mercatores.

Arguunt ſecundò, quià, ſi omnia hæc cambia fierent in pecunia numerata, & nullum per chyrographa, iuſtum profectò eſſet cambium, ſeu pretium cambij, quod recipitur modo à campſoribus conferentibus cambium in numerato, ergo, etiam quamuis in præſenti non omnia fiant in numerato, erit tamen iuſtum, ſi fiat ſecundum illud pretium, ſi omnia eſſent in numerato, quod eſt in numerato de præſenti. Sed facilè etiam huic argumento occurro, negans illud fore iuſtum pretium cambiorum, quod modo ex aliquorum auiditate exigitur, ſed illud, quod tempore contractus haberent pecuniæ in loco nundinarum, vbi recipitur pecunia, & in loco, vbi illa eſſet reſtituenda commutata, quod certè non eſſet comparatiuè ad illud, quod modò aliqui ſoluentes in numerato exigunt, ſed comparatiuè ad illud, quod modò ſoluitur, quandò fit contractus per literas.

Argumentum contra reſpōſionem, & ſolutio.

Pro complemento hic duo mihi monenda remanent. Primum conformitèr ad id, quod docet *Michael Salonius d. quaeſt.4. art. 4. controu. 2.* nempè certiorem regulam pro taxando pretio huiuſmodi cambiorum, ſiuè in numerato, ſiue in chirographo aſſignari non poſſe, quàm accipiendo pretium, quod modo ſtatuitur cambijs ſecundum modum, quo vniuerſaliùs peraguntur, non ſecundum modum, quo aliquandò fiunt. Cum autem cambia præcipuè nundinaria vniuerſalius fiant per ſingraphas, chyrographa, ſeu literas, vt praxis ipſa demonſtrat, hinc eſt, quod iuſtitia pretij deſumenda ſit ſecundum quantitatem, quæ ex vſu fori ſtatuitur, quandò cambia fiunt in ſingraphis, non, quando fiunt ſecundum ſpecialem modum, nempè in numerato, qui reduci debet ad regulam generalem, nempè ad pretium ſtatutū pro cambijs ſecundum praxim vniuerſaliorem.

Nōnulla conſiderabilia ex Salonio.

Secundum eſt, quod, quamuis idem *Salonius* videatur rectè ſentire, dum aſſerit, iniuſtum eſſe exceſſum pretij, qui exigitur, quandò cambium fit in numerato ſupra illud, quod exigitur, quandò fit in chyrographo, *non tamen* rectè, & propriè videatur doctrinam ſuam applicare terminis in facto per ipſum expoſito, & à nobis expreſſo in principio diſquiſitionis, nempè in facti ſerie; comparat enim campſorem prius ſoluentem in numerato ad campſorem ſoluentem in chyrographo directo ad menſarium, & dicit, quod ille non poteſt exigere ſupra illud, quod exigit iſte, quod certè verum eſt attenta præcisè natura contractus; ſed hoc non eſt applicabile caſui, de quo loquimur, quandòquidem ille, vt ſupponit idem Salonius, qui confert pecuniam in chyrographo directo ad ſuum menſarium nihil lucratur, ſed potius confert centum in ſingrapha, & non recipit, niſi nonaginta tres per campſarium, cum tamen ſupponendum ſit aliquid lucrari, vt poſſit fieri comparatio exceſſus, qui exigitur, quandò contractus fit in numerato ad illud minus, quod

Digitized by Google

quod exigitur, quandò fit in ſingrapha, & ad normam iſtius ille reduci.

§. VI.

An tribuentes mercatoribus pecunias ſuas initio nundinarum, vel antè nundinas poſſint ex aliqua cauſa, & fine in medio, vel in fine earundem exigere capitale cum aliquo lucro.

SVMMARIVM.

Proponitur difficultas in eo ſenſu, in quo examinatur ſub hoc titulo. 1.

Poteſt cohoneſtari illud, quod exigeretur vltrà ſortem per contractum ſocietatis, & aſſecurationis initum inter contrahentes. 2.

Non poteſt creditor aliquod vltrà ſortem exigere ex eo, quod coactus fuerit pecuniam illam tradere. 3.

1 DIſquiſitio VI. Titius, antequam nundinæ inciperent in foro Placentiæ, tradidit mille nummos aureos Antonio mercatori ad ſua negotia obeunda ad eum finem, vt in medio, vel in fine nundinarum, vel fortè etiam in alijs nundinis exigeret ſortem per ſe ſolutam cum aliquo lucro. Conſiderata præcisè qualitate contractus ſecundum ſe ipſum eſſe illicitum, & vſurarium patet ex ſuperius ſparſim dictis, quandoquidem hoc eſſet illud lucrum acquirere ex ſola temporis dilatione, quod vſurariam redolet prauitatem. Conſiderato verò contractu illo innominato fortunæ aleæ, de quo locuti fuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ. III. §. 1.* ex ſe patet licitum eſſe, ſi tradens pecuniam ſe exponat æquali periculo & ſpei lucrandi, & amittendi, provt futurus rei probabit euentus per ea, quæ ibi dicta ſunt, & fuſiùs *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs III. Pranot. II.* Conſiderato verò lucro ceſſante, vel damno emergente, reſpondeo per conferentes talem pecuniam poſſe exigi illud intereſſe concurrentibus omnibus conditionibus requiſitis ad talem compenſationem, & conuentione de illa in ea quantitate, quam rei probabit euentus; liquet ex ſuperius ſparſim, & fusè dictis. Difficultas igitur reducitur ad hoc, an ex aliquo alio titulo illud lucrum poſſit cohoneſtari, quod exigeretur vltrà ſortem in medio, vel in fine nundinarum, vel in alijs nundinis ſubſequentibus.

Subſiſtit ſub ea ratione, qua eſt contractus innominatus.

Reſpondeo primò, poſſe cohoneſtari illud, quod exigeretur vltrà ſortem 2
in medio, vel in fine nundinarum, vel fortè etiam in alijs nundinis ſubſequētibus per contractum ſocietatis, & aſſecurationis initum inter ipſum Titium tradentem ipſas pecunias anticipatè, & Antonium acceptantem, & ſe obligantem ad earundem reſtitutionem pro illo tempore iuxtà modum expoſitum *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. VI. §. 8. num. 5.* per ea, quæ ibi docent *Gabriel in 4. diſtinct. 15. quæſt. 11. dub. 10. Maior in 4. diſp. 15. quæſt. 27., Valentia diſp. 5. tom. 5. quæſt. 24 punct. 2. Ioannes Andræas in c. per veſtras de donat. inter vir., & vxorem*, & ſpecialitèr in terminis, de quibus loquimur hic, *Salas tract. de cambijs dub. 16. nu. 2.* Rationes, quæ *dicto tom. primo loco cit.* adductæ fuerunt ad probandā iuſtitiam triplicis contractus, multum conferunt ad præſens inſtitutum, quæ propterea ſunt recolendæ, non inutilitèr hic repetendæ, ibique etiam colligere fas erit, quid reſpondendum rationibus oppoſitis, ſi quæ afferantur. Hoc vnum dumtaxat addendum exiſtimo, quod quibuſcunque licet, ſiue maſculis, ſiue fœminis pecunias ſuas conſignare mercatoribus, vt ipſis negotientur ſuper cambia, & recambia, lucrumque illud, quod ex talibus negotiationibus percipitur, ſibi acquirant detractis oneribus, quæ ſubeunt mercatores in talibus negotiationibus in fauorem conſignantium, ſed cum tali conuentione ſic inita nō repugnat, quod ex vi alterius ipſi mercatores accedant, vt aſſecuratores, ſi ratione aſſecurationis detrahatur de iuſto intereſſe, quod veriſimilitèr ſperatur ab illa negotiatione; ſi enim alij poſſunt accedere vt aſſecuratores, cur non ipſi negotiatores? ergo &c. ſicque &c.

Hoc genere contrahendi poſſunt vti quæcunque perſonæ.

Reſpondeo ſecundò, non poſſe Titium in data hypotheſi aliquid vltrà 3
ſortem recipere, ſi iniuſtè compulſus fuerit per recipientem ad tribuendam eidem talem pecuniam; ſic ſentire videntur aliqui expreſsè apud *Salas de cambijs d. dub. 16. num. 2. in verſ. aduerte verſ. fin. Rebellum de oblig. part. 2. lib. 11. quæſt. 14. num. 2.* Hoc exemplificat *Salas loc. cit.* in Regibus, qui interdum cogunt ad ſibi mutuandum. Conſonat hæc reſponſio cum ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris, Diſquiſ. V. §. 4. num. 2.* Iuxta quæ.

Pro-

Digitized by Google

Probatur primò reſponſio. Illud, quod reciperetur extra, ſeu vltrà ſortem non poſſet recipi, nec ratione mutui, ſeu depoſiti, nec ratione alicuius alterius contractus, nec ratione coactionis præciſè, ergo nullo modò iuſtè poteſt recipi. Antecedens quoad primam partem ex ſe patet, quià nec mutuum, nec depoſitum eſt ſecundum ſe fructiferum; quoad ſecundam etiam liquet, quià non eſt aſſignabilis alius contractus, intuitu cuius data fuerit illa pecunia, non ſocietatis, quià de hoc nec cogitaſſe ſupponitur conferens pecuniam, non cambij, quia ipſam non contulit ad cambium, quamuis accepta fuerit pro cambijs celebrandis cum alijs; quoad tertiam verò partem ſic euincitur, quià illa coactio ad mutuãdum, ſeu violentia illata licet ſit quodamodò coactio iniurioſa, non eſt tamen meritoria alicuius lucri, ſi nullum inde damnum ipſis coactis emergat, ſeu lucrum ceſſet, ergo ratione illius non poterit quid exigi ſupra ſortem. Antecedens probatur. Magis iniurioſa eſt arrepto violenta arreptio in ipſius bonis facta, ac mutuantibus violenta coactio ad mutuandum, ſed ſi quis rem alienam violentèr arriperet, & poſteà reſtitueret, ſi ex illa violenta arreptione nullum damnum ſequeretur arrepto, non poſſet idem ratione eiuſdem aliquid vltra rem acceptam exigere; ſiquidem iniuſta acceptio obligat quidem ad reintegrandum læſum cum reſtitutione eiuſdem rei, non autem ad reintegrandum aliquid pro eo, in quo læſus non eſt.

Non eſt aſſignabilis titulus, propter quem illud lucrũ poſſit exigere.

Dices primò, illa iniuria, quæ per violentiam infertur mutuanti, eſt ſecundum ſe pretio compenſabilis, ergo ratione illius poterit mutuans vltrà ſortem aliquid exigere. Antecedens probatur ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub. tit. Contractus III. de mut. & vſuris Prænot. X. num. 2. verſ. probatur ſecunda pars*, vbi ſtatutum eſt, vſurarium eſſe vltrà reſtitutionem ſortis obligare mutuatarium ad condonandum iniuriam, qua debitè, & iuxtè vexare poteſt mutuantem publica auctoritate, ergo quià illa iniuria eſt pretio ſecundum ſe compenſabilis. Sed contrà negandum eſt antecedens. Ad probationem videndum eſt, de qua iniuria procedant ea, quæ loc. cit. dicta ſunt, vel enim eſt punibilis publica auctoritate, vel non, ſi non, certè non eſt pretio cõpenſabilis, ſi eſt punibilis, certè ceſſio illius iuris videtur pretio æſtimabilis, ſed talis non eſt iniuria, de qua hic loquimur, ſiquidem; ſi eſt collata per Principem non eſt punibilis, ſi per priuatas perſonas, nec eſt talis, niſi quatenus coniungitur cum aliqua actione ſecundum ſe iniurioſa, puta cum minis mortis, aliiſque iurgijs &c. in quo etiam ſenſu non eſt propriè pretio redimibilis iniuria, ſed punibilis tantum pæna per ſententiam Iudicis condemnantis, nec prius debita, quam per ſententiam eiuſdem Iudicis ſit inflicta.

Illa iniuria non eſt punibilis, & ſic nec cõdonatio illius pretio cõpẽſabilis.

Dices ſecundò, onus impoſitum ad mutuandum, & libertas quodamodo adempta ſunt ſecundum ſe pretio compenſabilia, ergo ratione illius coactionis poterit mutuans aliquid exigere. Antecedens probatur, quia ratione obligationis ciuilis aſſumptæ ad mutuandum poteſt per ea, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub. tit. Contractus III. de mutuo, & vſuri prenot.* 10. ſic obligatus aliquid exigere, ergo etiam poterit exigere, qui per quandam violentiam compelletur ad mutuãdum, ſiquidem idem præiuditium ipſi infertur, ſiuè per obligationem ciuilem, ad quam non tenetur, ſiuè per violentam. Sed contrà negandum eſt primum antecedens; ad cuius probationem admiſſo antecedente neganda eſt conſequentia. Ratio negationis, ſeu diſparitatis in eo conſiſtit, quià in primo ſenſu obligatur voluntas omninò libera, ſeù res illa mutuabilis voluntate antecedenter libera; adeò vt non poſſit mutuans à contractu recedere; in ſecundo autem non obligatur voluntas, adeo vt non poſſit rem vendicare eo modo, quo poteſt rem violentèr arreptam recuperare, vndè, ſi nullum damnum indè ſequitur eidem, non habet ius aliquid acquirendi, ſicque eſt iniuria quidem in detentione illius rei cõtra voluntatem Domini, quæ tamen compenſatur per reſtitutionem eiuſdem rei, & cum non obligetur voluntas ad non vendicandam rem illam ratione eiuſdem, nihil debetur, ſicut debetur in primo caſu, vt rem declarat exemplum de re violentèr arrepta.

Diſparitas inter obligatũ ciuiliter ad mutuandũ, & cõpulſum violenter.

Dices tertiò, Data veritate reſponſionis noſtræ eodem modo ſe haberet reſpectu rei mutuatæ, qui rem ipſam detineret ſpontè conferente domino, ac eodem inuito poſita eidem violentia ad conferendum, ſi ad nihilum ratione talis coactionis hic teneretur, quod non videtur dicendum. Sed cõtrà, nam in multis res diuerſimodè ſe haberet; in primis, quià iniuſtus detentor teneretur ad compenſationem damnorum, etiam nulla facta conuentione

Diſcrimen inter detinentem ſponte conferente domino,& inter detinentem eo inuito.

tione de illis, ſi quod lucrum ceſſaret, vel damnum emergeret, detinens autem conferente ſponte domino ad talem compenſationem obligari non poteſt, quamuis damnum emerſerit, vel lucrum ceſſarit, niſi de illa facta fuerit in ipſa celebratione contractus conuentio, vt patet ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris prænot.* 13. Deindè iniuſtus detentor poteſt pro quocunque tempore obligari ad reſtitutionem, non ſic autem detinens ex conceſſione ſpontanea mutuantis, ſi enim res data ſit ad aliquem determinatum finem, debet tandiù expectare, donec finis ille fuerit completus, vel ad illud tempus, quo iuxta arbitrium prudentum mutuum concedi conſueuit.

---

§. VII.

An cambium nundinarium datis campſuario mercibus pro pecunia numerata ſit licitum.

SVMMARIVM.

Proponitur, & explicatur ſenſus difficultatis. 1.

Nullo modo tale cambium eſt licitum in ratione cambij. 2.

Rationes euincentes intentum. 3.

1 DIſquiſitio VII. Titius indigebat mille nummis aureis in hac Mediolanenſi Ciuitate. Conuenit cum ſuo campſore, vt eoſdem ſibi hic Mediolani conferret titulo cambij, quod ipſe poſtea eoſdem reſtitueret cum intereſſe in proximis futuris nundinis celebrandis Placentiæ, ob quam reſtitutionem dabit literas ad ſuum reſponſalem ibi exiſtentem. Renuit Seius concedere illos mille in pecunia numerata, ſed tantum obtulit eidem tot merces ad valorem ex vſu fori taxatum, quot ſufficere poſſunt per diſtractionem illarum ad acquirendos illos mille nummos aureos, ſicque contractus fuit firmatus. Quæritur iam, an cambium hoc ſic initum in ratione cambij ſubſiſtat, & licitum ſit. Dixi, *in ratione cambij*, nam in ratione venditionis, ſeù alterius contractus, ſiuè nominati, ſiuè innominati, ſi debitæ ſeruentur conditiones requiſitæ, & æqualitas proportionata, ſubſiſtere nulli dubium.

Reſpondeo, nullo modo ſubſiſtere, nec licitum eſſe. Ità expreſsè *Sigiſmundus Scaccia tract. de commert.* §.1.*quæſt.*7. *part.* 3. *lim.* 19. Probatur primo, quia 2 *ex dictis ſub hoc eod. tit. Contractus V. de cambijs* 1. *prænot.* 1. cambium ex ſuo formali conceptu *eſt permutatio pecuniæ pro pecunia*, & per hoc contradiſtinguitur, tùm ab emptione, & venditione, tùm à ſimplici permutatione, quandò quidem emptio, & venditio ſunt, illa diſtractio pretij pro re, iſta diſtractio rei pro pretio, ſimplex vero permutatio eſt diſtractio rei pro re, vt videbimus ſub ſequenti titulo, ergo datis mercibus pro pecunia numerata nullo modo ſubſiſtet cambium.

Cambiũ vt contradiſtinguitur ab alijs contractibus ſimilibus verſatur inter pecuniam, & pecuniam.

Dices primò, ipſas merces æquiualere pecuniæ numeratæ, ſiquidem poſſent diſtrahi pro ipſa pecunia, ea proportionali ratione, qua diximus ſupra, poſſe celebrari cambium pro aliquo loco, in quo ſcitur campſuarium non habere pecuniam actu, ſed tantum virtute, puta per creditum, vel per ſimilia; ſi enim poteſt ſubſiſtere cambium pro loco, vbi non eſt pecunia actu, ergo etiam poterit celebrari in loco, non per pecuniam actu, ſed per pecuniam virtute, quatenus reduci poteſt ad actum proximum expendibilitatis, ergo &c. Sed contrà, dico ad celebrationem contractus cambialis nõ ſufficere pecuniam æquiualentèr, ſed requiri pecuniam formalitèr, vel actu ſolutam, vel ſoluendam tempore conuento, cæteròqui non eſſe, cur contradiſtingueretur contractus cambij à cõtractu emptionis, & venditionis, merces enim, quæ traderentur ſemper poſſent dici pecunia æquiualenter, cum poſſent vendi, & ex illis extrahi pecunia. Ad illud, quod ſubditur de non habente in loco reſtitutionis pecuniam actu, ſed tantum virtute, dicendum eſt, adhuc ſubſiſtere cambium, non quià aliud à pecunia conferatur, ſed quia, cum campſuarius ibi habeat creditum, poteſt ex illo pecuniam acquirere, eandemque reſtituere, ſicque ſemper verificatur, quod ſit commutatio pecuniæ pro pecunia. Quod, ſi inquiras, cur, ſi ſubſiſtit ex eo, quod campſuarius in loco reſtitutionis poſſit pecuniam in credito reducere ad pecuniam in actu, hancque reſtituere, non etiam ſubſiſtat ex eo, quod pecunias receptas in mercibus per venditionem eaſdem reducat in actu. Statim reſpondebo, hoc prouenire, quià potiſſimum conſideratur contractus in ſui origine, ſecundum quam debet eſſe in pecu-

Ad celebrationẽ cõtractus cambialis non ſufficit pecunia æquiualentèr, ſed requiritur formalitèr.

pecunia, & tunc perficitur, quandò pecunia actu traditur, quod ſi in loco reſolutionis contractus per reſtitutionem ſit tantum pecunia in credito, non attenditur vt talis ſecundum quod ipſa debeat reſtitui in credito, ſed tantũ in ſecuritatem contractus, quatenus ſciatur campſuarium ibi habere, quo poſſit reſtituere, cæterum diſſolutio facienda eſt per pecuniam formalitèr, vel actu ſolutam, vel ſoluendam. Deindè aliud eſt loqui de pecunia in mercibus, aliud de pecunia in credito, hæc enim ſemper eſt pecunia per ſe independentèr à quocunque alio contractu, ſeu reſolubilis ſecundum ſe in pecuniam; merces autem non ſunt pecunia, nec reſolubiles in pecuniam, niſi dependenter ab alio contractu, adeòque &c.

Aliud eſt pecunia in mercibus, aliud pecunia in credito.

Dices ſecundò ex ſuperius ſparſim dictis. Cambium eſt de genere contractuum emptionis, & venditionis, ſed in contractibus emptionis, & venditionis poſſunt interuenire merces, vt merces, ergo etiam in contractibus cambiorum poſſunt interuenire merces ſaltem ſub ea ratione, qua proximè ſunt reducibiles in pecuniam. Sed contrà, quia, quando diximus cambia reduci ad contractus emptionis, & venditionis, hoc diximus per quandam analogiam, & ſimilitudinem, quatenus cambia in multis imitantur naturam, & conditiones emptionis, & venditionis, non quatenus ipſa cambia ſint formalitèr emptio, & venditio, habent enim ſuas rationes formales, per quas ad inuicem diſtinguuntur, quæ ratio formalis in eo conſiſtit, quod cambia ſit pecuniæ pro pecunia, emptio verò, & venditio mercis pro pretio, vel è contrà commutatio.

Cambiũ eſt per quandam analogiã emptio, & venditio, non formalitèr.

Probatur ſecundò, non poteſt ſubſiſtere in ratione mutui contractus, quo quis indigens centum nummis aureis eoſdem mutuos petit à mercatore, qui renuens dare pecuniam exhibet tot merces petenti cum onere, vt reſtituantur pecuniæ pro eo tempore, quo eſſet reſtituendum mutuum, ſi hoc datum fuiſſet, quamuis ex illis mercibus petens poſteà per diſtractionem earundem pecunias acquireret, ergo nec poteſt ſubſiſtere in ratione cambij contractus, quo quis peteret ad cambium mille nummos aureos, & vice nummorum tribuerentur tot merces &c. Antecedens probatur, quia de ratione mutui eſt, vt conuentio ſit de reſtitutione facienda in re eiuſdem rationis, & ſpeciei comparatiuè ad rem receptam per ea, quæ ex communi tradidi *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mut., & vſuris prænot. 1. num. 7.* Conſequentia probatur, quia non minus eſt de ſubſtantia cambij, quod ſit commutatio pecuniæ pro pecunia, ac ſit de ſubſtantia mutui, quod ſit cum onere reſtitutionis in re eiuſdem rationis, & ſpeciei, ergo, ſi non poteſt ſaluari ſubſtantia mutui, quando res datur cum onere reſtituendi rem in alia ſpecie, & ratione, nec poterit ſaluari ratio cambij, quando non confertur pecunia, ſed loco pecuniæ conferuntur merces. Iuxtà hanc rationem docui *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt., & vend. diſq. 1. §. 7.* contractum, quo mercator loco pecuniarum, quæ titulo mutui fuerunt requiſitæ, dedit tot merces non eſſe contractum mutui, ſed contractum venditionis expectata ſolutione.

Ratio deducta ex paritate mutui.

Probat tertio reſponſionem *Scaccia de commertijs §. 1. quæſt. 7. part. 3. limit. 19. ſub nu. 1. verſ. tertio quia,* paritate deſumpta à contractibus cenſus, & ſocietatis officiorum, in quibus non poſſunt dari merces loco pecuniæ numeratæ per ea, quæ tradit *Franciſcus Caſtrat. tract. de ſocietat. offic. c. 7. ſub nu. 7. verſ. ſed in contrarium, & nu. 8. & ſeq.,* quę *ipſe Scaccia* commendat *§. 1. quæſt. 1. nu. 229. verſ. ſed in contractu,* ergo nec in contractu cambij poterunt dari merces loco pecuniæ numeratæ. Conſequentia probatur, quia in tantum in cenſu, & in ſocietatibus officiorum nequeunt tradi merces loco pecuniæ numeratæ, in quantum ſubeſſe poteſt aliqua fraudium ſuſpicio, & fœnoris periculum per ea, quæ dicta per nos fuerunt *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de Emphytheuſi, & Cenſib. prænot. 21. ſect. 4. num. 29.,* iuxtà mentem Sanctiſs. Pij V. in conſtit. ſuper creatione cenſuum relata per extenſum *loc. cit. prænot. 2.,* ſed fortiores poſſunt ſubeſſe ſuſpiciones, & pericula in contractibus cambij, vtpotè quod magis ſuſpectum eſt, & ab humanis commercijs magis exorbitans per ea, quę ſcribit *idem Scaccia d. §. 1. quæſt. 7. part. 3. limit. 19. verſus fin.,* ergo &c.

Pro complemento addi poſſunt ea, quæ tradunt *Sotus de iuſt., & iure lib. 6. quæſt. 1. art. 2. col. 6. fol. 535., Scaccia d. §. 1. quæſt. 1. num. 570.,* nempè mercatorem mutuantem ſub eo vinculo, vt mutuatarius totum mutuum, vel partem in mercibus accipiat, vſurariũ eſſe, eo quia inducat obligationem pretio æſtimabilem ſupra id, quod exigit na-

Digitized by Google

natura contractus, ex quibus infert idem *Scaccia d. §. 1. quæſt. 7. part. 3. lim. 19.*, quod etiam ſit vſurarius tribuens in cambio, ſeu obligans ad recipiendum in cambio campſarium loco pecuniæ numeratæ tot merces, quot ſufficiant &c.

§. VIII.

An, ſi lucrum cambij non debeatur, quia eſt illicitum, debeantur ſaltem impenſæ in ipſo factæ, ſeu mercedes laborum.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus controuerſiæ. 1.
Contractus poteſt eſſe initus vel bona, vel mala fide. 2.
Si contraxit cum mala fide, nec lucrum poteſt exigere cambij, nec compenſationem expenſarum &c. 3.
Si contraxit cum ignorantia iuris, vel ignorantia conditionis, quæ ab alijs talis ſtatus cognoſcitur in foro externo non videtur poſſe exigere talem compenſationem. 4.
Verificatur etiam ſi contraxerit cum ignorantia conditionis latentis, & non facilè cognoſcibilis. 5.

1 DIſquiſitio VIII. Contraxerat Philippus contractu cambij, ex aliqua tamen conditione ſecundum ſe illicito, in ordine ad quem multas fecerat expenſas, multos labores ſubiuerat ſecundum ſe meritorios mercedis ad ipſum cambium perficiendum. Ex hoc cambio non poſſe exigi lucrum ſatis, ſuperque liquet ex ijs, quæ ſparſim ſupra docuimus. Modo vertitur in controuerſiam, an ſaltem idem Phylippus poſſit licitè à campſuario exigere compenſationem expenſarum, quas fecit pro eodem cambio, & laborum, & induſtriæ, quæ pro eodem ſubiuit. Pro quo

2 Aduerte, contractum ipſum, qui aſſeritur illicitus, vel initum eſſe per eundem Phylippum bona fide, quatenus rationabilitèr ipſum reputabat licitū, nullaque iniuſtitiæ labe infectum, vel mala fide, quatenus iniuſtitiam contractus non ignorabat, vel ſaltem in rationabili dubio verſabatur iniuſtitiæ eiuſdem. Rurſus, ſi bona fide contraxit, vel conditio, ratione cuius contractus redditur illicitus, talis erat, vt nullatenus de illa præſumi poſſet ignorantia, eo quia ſit ignorantia iuris, quæ nunquam præſumitur, ſeu quod ſit ità patens ipſa conditio illicita, vt ſubterfugere non credatur obtutum mediocriter perſpicacis, vel talis, vt non ità facilè poſſet patere, & innoteſcere, vt etiam obtutum perſpicacis poſſet effugere. Iuxtà has omnes acceptiones propoſitum dubium diſcutietur.

Variæ animaduerſiones circa quæſitū.

Reſpondeo primò, ſi contraxit cum mala fide, ſeu cum ſcientia iniuſtitiæ contractus pertinentis ad ſubſtantiam eiuſdem, nec lucrum poteſt exigere cambij, nec compenſationem expenſarum, ſeu laborum &c., *Antonius de Roſella tract. de vſuris num. 57. verſ. quidam tom. 7. fol. 68.*, *Ioannes Baptiſta Lupus in c. Nauiganti §. 2. ſub num. 26. de vſuris inter tract. diuerſ. tom. 7. fol. 139.*, *Scaccia de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 3. limit. 20. num. 2.* Probatur primò, quia dato actu illicito acceſſoria omnia ſunt illicita, nec labores, & induſtria, quæ circa ipſum impenduntur, ſunt meritoria mercedis, vtpotè, quæ exercentur in ordine ad actum ipſum, qui in ſui ſubſtantia non tenet, quinimmò, cum actus ipſe dolo quodamodo fiat, omnes induſtriæ, & labores cedere debent in præiuditium doloſi, & fraudulenter ſe gerentis, non illius, contra quem fiunt, ergo, cum actus ipſe, de quo loquimur, ſit illicitus, & omnes actus exerceantur circa ipſum cum ſcientia &c. non &c. Antecedens probatur, quia labores doloſè impenſi non poſſunt eſſe fructiferi impendenti dolo ipſo fructibus reluctante. 3

Labores circa functionem iniquam non ſunt digni retributione.

Probatur ſecundò, Labores non poſſunt eſſe digni aliqua retributione circa aliquam functionem, quando functio ipſa ſecundum ſe iniqua eſt, & non eſt aliquod munus iuſtitiæ, quinimmò contrà iuſtitiam, ſed quando contractus ipſe eſt ſecundum ſui ſubſtantiam illicitus, & iniquus, & per ipſum contrahentem cognoſcitur, vt talis, actiones, quæ pro ipſo impenduntur, ſunt in ordine ad aliquam actionem, ſeu functionem iniquam, ergo tales actiones non ſunt aliqua retributione dignæ. Maior probatur, tum in furibus, tum in vſurarijs, qui ſi impendunt laborem aliquem, ſeu induſtriā, tum in furtis, tum in vſuris committendis nequeunt licitè acquirere mercedem laboris, & induſtriæ, quæ in ſimilibus operibus adhibuerunt, vt omnes ſentiunt nemine relactante.

Dixi, *cum ſcientia iniuſtitiæ contractus*

Digitized by Google

pertinentis ad ſubſtantiam eiuſdem, nam, ſi conditio, ob quam contractus redditur illicitus, pertineat tantum ad qualitatem, ſicuti non reſultat inualiditas contractus, nec conceditur actio ad reciſcionem iſtius, ſed tantum ad adæquationem, ità non inualidantur actiones, quæ ad ipſum ineundum concurrunt, quæ propterea, ſi ſint ſecundum ſe meritoriæ retributionis, non eſt, cur integrato contractu per ablationē illius conditionis, per quam accidentalitèr inficiebatur, non debeant ſuos ſortiri effectus, & conſequi eandem retributionem.

Verificãtur, quæ dicta sũt, quandò iniuſtitia eſt circa ſubſtantiam, non quandò circa qualitatem.

4 Reſpondeo ſecundo, ſi contraxit expreſsè non cum mala fide, ſed ignorantia tali, quæ ſit ignorantia iuris, quæ non præſumitur, vel ignorantia conditionis, quæ ab alijs regularitèr talis ſtatus, & conditionis cognoſcitur vitioſa in foro ſaltem externo non poteſt etiam exigere compenſationem expenſarum, laborum, & induſtriæ &c. Probatur primò, quià ignorantia iuris, & ignorantia conditionis, quæ ab alijs ſimilis ſtatus, & conditionis ſine difficultate cognoſcitur, nunquam præſumitur, nec excuſat in lucro, vel quaſi lucro *l. ſi emancipata, & ibi Bartolus C. de iur., & fact. ignorant, Alexander in l. iuris C. qui admit.*, immò præſumitur potius mala fides *l. quemadmodum de agric., & cenſib. lib. 11. c. qui contrà de reg. iur., Gloſa in c. ſi diligenti de foro compet., Bartolus, & Angelus in l. ſed ſi lege §. ſcire de pet. hæred.*, & æquiparatur ſcientiæ, & dolo *Bartolus in l. libellorum §. notantèr ff. de his, qui not. infam. l. quod Nerua ff. depoſiti Alexander conſ. 71. col. 2. vol. 3., Decius conſ. 26. num. 7.*, ſed quandò contractus initur cum mala fide, & cum præſumptione negationis ignorantiæ, quinimmò cum ſcientia, & dolo æquiualentèr non poſſunt exigi compenſationes laborum, induſtriæ, & expenſarum per ea, quæ dicta ſunt in ſuperiori reſponſione, & probatione eiuſdem, ergo &c.

Limitarem tamen reſponſionem præſentem, & probationem eiuſdem, quando quoad conditionem inficientem contractum intercederet ignorantia iuris, ſed regularitèr ignorati *not. in cap. 2. de conſtit. Cardin. in Clement. 1. 87. de Priuileg.* ſeu non frequentati *Ioannes Andræas in reg. ignorantia in Mercur. Alexander in l. non fatetur ff. de confeſs.*, quod à fortiori dicendum eſt, quando eſſet ignorántia iuris dubij *Petrus Phylip. Corn. in conſ. 181., Incip. viſa in littera R. in tertia parte*, tunc etenim res reducenda eſt ad eos terminos, ſecundum quos ſubſequens reſponſio examinabitur.

Dixi, *in foro ſaltem externo*, quandoquidem in foro etiam interno ſaltem probabiliter loquendo non videtur poſſe conſequi compenſationem talium laborum, & expenſarum &c. Ratio eſt, quia, qui ſe accomodat diſpoſitioni iuris legitimè, & rationabilitèr inducti, quamuis fundetur præciſè in præſumptionibus agit iuxta rectum dictamen rationis, ſed iura allegata diſponunt, quod operantes contra ius non præſumantur ignorare, ſed potius eſſe in lata culpa, & quod ignorantia non excuſet à pænis culpæ latæ *Baldus & Angelus in l. ſicut C. de præſcript. 30. annorum, Angelus in l. quod nerua ff. depoſiti*, ergo requirente ipſo mercatore compenſationem talium munerum poterit iuxta dictamen rationis alter ſe eximere ab onere talis compenſationis excipiendo liberationem ratione præſumptionis non ignorantię in ipſo mercatore. Sed fortior ratio eorum, quæ hic dicuntur deducetur ex mox dicendis in ſubſequenti reſponſione.

Reſpondeo tertiò, ſi contraxit cum ignorantia conditionis latentis, quæ vix etiam cognoſci potuiſſet ab alijs ſimilis ſtatus, & conditionis, talis tamen, vt ſecundum ſe apta ſit ad inualidandum contractum, adhuc non poteſt mercator exigere compenſationem laborum, expenſarum, & induſtriæ, præcipuè, ſi nondum fuerit exacta. Ratio ex eo facilè deducitur, quia huiuſmodi compenſatio computatur inter lucra ipſius contractus, ſed ex contractu omninò inualido nullum lucrum iuſtè exigi poteſt, ergo &c. Maior probatur, quia ex permutatione, qua permutatio præciſè eſt, nullum exigi poteſt omninò lucrum, ſed, ſi quid iuſte exigi poteſt, eſt ratione alicuius contractus annexi, ſeu conditionis ſecundum ſe meritoriæ alicuius pretij, ſeu compenſationis *Molina tom. 2. de iuſt. diſp. 398. num. 6., & 7., Sotus de iuſtitia lib. 6. quæſt. 8. art. 2., Medina quæſt. 2. de cambijs Conradus de cambijs quæſt. 99. ſuppoſit. 2., Gabriel. in 4. diſt. 15. quæſt. 11. art. 3. dub. 10., Maior. ibid. qu. 37., Filliutius tract. 35. c. 5. nu. 347., Ognate tract. 24. de Cambijs diſp. 87. ſect. 5. nu. 66.*, qui alius contractus, ſeu conditiones annexæ non poſſunt quid aliud eſſe, niſi vel locatio operarum in traicendis, ſiuè realitèr, ſiuè virtualitèr pecunijs, in numerando, in habendis rationibus dati, & accepti, & ſimi-

5 Compenſatio huiuſmodi computatur inter lucra contractus.

Digitized by Google

ſimilibus, ergo compenſationes huiuſmodi operum computantur inter lucra contractus cambialis, ergo, ſi ex contractu ſecundum ſe inualido nullum lucrum exigi poteſt, nec poterit exigi compenſatio &c.

Contractu emptionis, & venditionis inualido non poteſt quid exigi in compenſationem laborum.

Probatur ſecundo, in contractibus emptionis, & venditionis ex aliquo defectu ſubſtantiali inualidis non poteſt venditor in reſolutione contractus ob talem inualiditatem quid exigere in compenſationem laborum, & induſtriæ, quas impendit in congerendis mercibus, in menſurando, nec in compenſationem officij, quod gerit, ſed cognita inualiditate tenetur totum pretium, quod exegit reſtituere, ergo etiam in contractibus cambiorum mercator, qui ex aliquo defectu ſubſtantiali inualidè contraxit, non poterit in reſolutione contractus quid exigere in compenſationem laborum, & induſtriæ, quæ impendit in congerendis mercibus, in menſurando, nec in compenſationem officij, quod gerit, ſed cognita inualiditate tenetur totum pretium, quod exegit reſtituere, nec dici poteſt, quod huiuſmodi compenſatio non ſit fructus contractus, ſed dumtaxat laboris, & induſtriæ; non, inquam, dici poteſt; tum quia hoc idem dici poſſet in contractibus emptionis, & venditionis, quod tamen iure non dicitur; tùm quia ad hoc vt labores, & induſtria, quæ impenduntur in ordine ad aliquam functionem, digna ſint retributione, conſiderandum eſt, an functio ipſa, & negotium ex obiecto ſit opus iuſtitiæ, quod ſi non fuerit tale, nec opera circa ipſum erunt ex iuſtitia meritoria retributionis, vt patet in mutuo, quod datur cum vſuris.

Intereſſe, quod exigitur per Proxenetam eſt omninò diſtinctū ab intereſſe cābij.

Dices ex dictis ſuperius *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs III. Prænot. 5. verſ. maior difficultas* ex inualiditate contractus bona fide initi mercedem laborum, & induſtriæ, quæ impendit, ſi proxeneta exegerit, non tollitur, quin illud iuſtè poſſit detinere, quia illa merces non eſt intereſſe contractus ſecundum ſe, ſed laboris, & induſtriæ propter contractum, ergo etiam ex inualiditate contractus bona fide initi non tollitur, quin ipſe mercator contrahens poſſit exigere retributionem laborum, & iduſtriæ, quos, ſeu quam applicuit in celebratione eiuſdem contractus. Sed contrà neganda eſt conſequentia. Ratio negationis in eo conſiſtit, quia illud intereſſe, quod exigitur per proxenetam, eſt omninò diſtinctum à lucro, ſeu ab intereſſe cambij, & inualiditas non eſt ex conditione ipſius proxenetæ, ſed potius ipſorum contrahentium, cum contractus ipſum non afficiat, ſed contrahentes; illud verò, quod exigitur, ſeu quod exigere intendit mercator, ſeu campſor eſt lucrum eiuſdem cambij, quandòquidem, vt aſſerebam, ex cambio, qua cambium præcisè eſt, nihil poſſit exigi, ſed dumtaxat ex ipſo, prout coniungitur cum alio contractu, ſeu locationis operarum, ſeu alicuius alterius conditionis, & inualiditas eſt ex conditione ipſius, cum contractus ad ipſum pertineat, non ad alium, vndè debet proprio infortunio, quod operas ſuas impenderit in contractu ſecundum ſe inualido, imputare. Deindè quamuis loco citato dictum fuerit ſpectata re ſecundum ſe, & in rigore metaphyſico proxenetam poſſe detinere illud ſtipendium, quod exegit ex contractu conſummatò licet latentèr inualido, practicè tamen loquendo ipſum non eximimus ab onere reſtitutionis per ea, quæ dicta ſunt *loc. cit. verſ. hic tamen aduertendum*, vbi diximus, vix poſſe præſumi bonam fidem in huiuſmodi proxenetis, cum vt plurimum ex defectu iurium huiuſmodi contractus deturpentur, ignorantia autem iuris non præſumitur, quinimmò, vt ibi ſubdebamus, cum genus cambiorum ſit valdè ſuſpectum ipſos obligat ad cautius procedendum, vndè ſi aliquis ſubſtantialis defectus obrepat, eiſdem ex quaſi delicto videtur imputandum.

Cambiorum genus, cum ſit valdè ſuſpectū, obligat ad cautius procedendū.

---

§. IX.

An cambium, quod *forzoſo*, & cambium, quod vocant *arbitrium* licita ſint.

SVMMARIVM.

Quid ſit cambium forzoſo, *& quomodò fiat.* 1.

Hæc cambiendi praxis non eſt ſecundum ſe illicita. 2.

1 DIſquiſitio IX. Praxis eſt inter mercatores ineundi quandòque cambia ex loco ad nundinas, quando clauduntur nundinæ, & vt plurimum fit ſoluendo ſcutos centum auri in auro in loco pro ſcutis centum marcharum ſoluendis in nundinis, hocque cam-

cambiendi genus appellant *forzoſo*. Rurſus ſolent etiam per viam commiſſionum contrahere, quatenus nulla alterius negotij occaſione, ſed ſolius lucri cauſa ſuas pecunias implicant in cambijs committendo, quod ex nundinis, & locis remittantur per viam nouorum cambiorum ad ea loca, & platæas, in quibus ſciunt cambia maius lucrum reddituram. De hoc ſecundo cambiendi genere nihil hic ſupereſt addendum, cum fusè de ipſo egerimus in præcedentibus. Quæritur igitur hic, an primus modus cambiendi, ſeu cambium, quod appellant *forzoſo* licitum ſit, an verò aliqua labe inæqualitatis, ſeu alterius circunſtantiæ deturpetur.

2 Reſpondeo, hanc cambiendi praxim non eſſe ſecundum ſe illicitam, nec deturpari aliqua labe inæqualitatis. *Scaccia tract. de commerc.* §. 1. *quæſt.* 7. *part.* 3. *ampl. num.* 2. Probatur reſponſio, quia licet ante nundinas contrahere cambium, v. g. hic Mediolani pro proximis nundinis celebrãdis Placentiæ dando hic centum nummos aureos auri in auro pro centum marcharum in eiſdem nundinis Placentinis perſoluendis, ſeu quod idem eſt, ſupponitur quod ſit iuſtum pretium ſcutorum marcharum in nundinis ſoluendorum proportionatus numerus ſcutorum auri in auro, qui tribuuntur in loco, in quo celebratur cambium, ſi hi antecedentèr ad nundinas perſoluantur, ergo etiam erit iuſtum pretium ſcutorum marcharum, ſi cambium fiat in fine nundinarum, quandò ipſæ nundinæ clauduntur. Conſequentia probatur, quià in huiuſmodi cambijs non attenditur extenſio temporis, ſed tantum diuerſitas locorum, nec maior extenſio temporis eſt ratio formalis, ſeu iuſtus titulus acquirendi maius lucrum, ergo, cum ſit eadem diuerſitas locorum non obſtante maiori, vel minori temporis extenſione poterit fieri talis permutatio ſine vlla iniuſtitiæ labe.

In huiuſmodi cãbijs non attenditur extẽſio temporis, ſed tantũ diuerſitas locorum.

Dices primò, deturpari regularitèr huiuſmodi contractum ratione inæqualitatis, quæ iuſtè præſumi poteſt, quandòquidem in fine nundinarum, quandò ſcilicet ipſę clauduntur, maior ſolet eſſe valor ſcutorum marcharum, ergo ratione eiuſdem non poterit eſſe licitus huiuſmodi contractus. Sed contrà, quià, cum regularitèr ex Mediolano v. g. ſoleant commutari ſcuti auri in auro cum ſcutis marcharum in nundinis Placentiæ perſoluendis non conſtituitur aliqua inęqualitas in contractu ex eo, quod ſcuti marcharum in valore acquirant aliquod augmentum, nec ex eo, quod commutans hic Mediolani intendat ſpecialiter illud lucrum vitiatur cambium, ſecus illicita eſſent omnia cambia, quæ dicuntur commiſſionum, ſiquidem ille, qui ſic cambit, ſemper intendit maius lucrum, dum inquirit loca, in quibus maius lucrum ſperatur.

Ex lucro intento in cãbio non viciatur iuſtitia cõtractus.

Dices ſecundò, quod quamuis extenſio temporis ſecundum ſe, ſeù reſtrictio eiuſdem non ſit ſufficiens ad augendum, vel diminuendum pretium cambiorum per ea, quæ latè ſupra tradidimus, ſit tamen ſufficiens ad inducendas aliquas circunſtantias, ratione quarum poſſit magis, vel minus lucrari, quatenus regularitèr omnes differrent contractus celebrare in fine nundinarum, & interim vti ſuis pecunijs ad alias negotiationes obeundas, ſi licitus eſſet modus contrahendi *à cambio forzoſo*, ſicque omnia cambia reducerentur ad finem nundinarum grauibus incommodis, ad quæ vitanda congruè debuit induci, vt pro minori contraherentur illa, quæ fiunt, dum clauduntur nundinæ, ac illa, quæ debito tempore contrahuntur. Sed contrà, quia, dummodò intercedat localis diſtantia, & ſeruetur proportionata æqualitas ſufficit ad iuſtitiam contractus, nec valet id, quod ſubditur, quod omnes differrent contractum vſque ad finem, quandòquidem, cum contractus dependeat ab vtriuſque contrahentis arbitrio, poteſt campſarius nolle acceptare cambium pro illo tempore, niſi fiat antecedentèr, quod ſi acceptet, cum nulla ex alio capite interueniat conditio deturpans, non eſt, cur contractus non poſſit eſſe licitus, & iuſtus; & hæc potiſſimum, quæ dicuntur, verificantur, quia ſcutus marcharum in nundinis ſemper eiuſdem valoris eſt, quamuis acquiratur pro minori non interuenientibus &c. licet poſteà, cum ex nundinis remittantur in alium locum, vt plurimum augmentum recipiant in fauorem eius, ad quem fit remiſſa.

Contractus depẽdet ex vtriuſque contrahẽtis arbitrio, & ſic alter poteſt nolle acceptare.

Ex quibus habes, quomodò in celebratione cambiorum ex locis pro nundinis, & ex reditu nundinarum ad loca, vt plurimum ille, qui primo confert pecuniam, tàm in primo, quam in ſecundo contractu lucrum acquirat; in primo quidem, quia ex vſu fori pro minori emitur ſcutus marcharum interuenientibus debitis conditionibus

bus requiſitis ad naturam contractus, & item in ſecundo, quia ex nundinis in reditu ad loca pro minori valutatur ſcutus marcharum, vt de communi praxi teſtatur *Scaccia de commert. §. 9. num. 37.*

§. X.

An cambium pro pluribus nundinis ſimul, & pro pluribus terminis ad rationem tot pro centenario ſit licitum.

SVMMARIVM.

Senſus propoſitæ difficultatis. 1.
Varij modi, ſecundum quos poteſt examinari. 2.
Si cambium fuerit celebratum pro pluribus nundinis, ſeu terminis ſimul iuxtà ſecundum ſenſum cum maiori lucro eſt illicitum. 3.
Si fuerit initum pro pluribus nundinis iuxtà primum ſenſum non poteſt eſſe illicitum. 4.
Non poteſt ſimul celebrari cambium pro pluribus nundinis etiam iuxtà primum ſenſum, quandò eſt pro nundinis ab vno loco ad alias nundinas in eodem loco in ratione cambij. 5.
In ſuppoſitione, quod campſor obliget ciuilitèr campſuarium ad innouanda ſecum cambia ad ſubſequentes nundinas cambium eſt illicitum. 6.

1 Diſquiſitio X. Conſtituerat Antonius cambium hic Mediolani cum Titio, huic tribuendo centum nummos aureos reſtituendos ſibi Placentiæ non in primis, ſed in ſecundis, vel tertijs nundinis eiuſdem anni, vel fortè etiam reſtituendos Romæ pro pluribus terminis ad rationem tot pro centenario, vel cum maiori lucro propter extenſionem ad vlteriores nundinas. De iuſtitia, vel iniuſtitia huius contractus contigit dubitari apud aliquos, & præcipuè apud *Scacciam §. 1. quæſt. 7. part. 3. limit. ſecunda, & tertia,* vbi pluribus allegatis pro iniuſtitia concludit. Nihilominus pro ſolutione.

2 Aduerte in duplici ſenſu poſſe procedere, & examinari controuerſiam, vel enim ità initum eſt cambium, vt Antonius campſor dederit pecuniam ad primas quidem nundinas, & ſucceſſiuè pro eodem tempore ad vlteriores continuando negotiationem eiuſdem pecuniæ ſuper cambijs cum lucro primi, & aliorum cambiorum, vel ità initum eſt, vt ſine onere noui cambij per ſolam protractionem eiuſdem à primis ad alias nundinas maius aliquod lucrum acquiratur per campſorem. Porrò, ſi iuxtà primum ſenſum procedat difficultas, adhuc poteſt diſtingui, vel enim, quando innouatur cambium à primis ad vlteriores nundinas ità innouatur, vt procedat a nundinis ad nundinas ſubſequentes in eodem loco celebrandas, vel à nundinis in vno loco ad nundinas in alio loco, ſeu à primis terminis, vbi nundinæ non celebrantur ad alios ſubſequentes terminos, ſiuè in eodem, ſiuè in diuerſo loco ad proportionem eorum, quæ mox dicta ſunt de nundinis ad nundinas. Tandem, vel campſor in ſuppoſitione etiam primi ſenſus obligat ciuilitèr campſuarium ad innouanda noua cambia ſuper ſe ad ſubſequentes nundinas; adeò vt nolit concedere ad primum cambium pecunias ſuas, niſi cum tali onere iterum cambiandi ad alias nundinas, ſeu terminos, vel non obligat, ſed ſpontè tantum conueniunt inter ſe contrahentes ad illa noua cambia &c. Iuxtà hos ſenſus, diſtinctiones, ampliationes, & reſtrictiones præſens controuerſia dirimetur. Enumeratur quot modis poſſit fieri huiuſmodi contractus.

3 Reſpondeo igitur primò, ſi cambium pro pluribus nundinis ſimul, vel pro pluribus terminis cum maiori lucro, ſeu onere maioris lucri fuerit celebratum iuxta modum expoſitum in ſecundo ſenſu, illicitum omninò eſt, & vſurarium, ſecus, ſi cum eodem lucro, quod exigi poteſt pro primis nundinis, vel terminis proximioribus. *Virginius de Bocatijs tract. de interd. vti poſſid. c. 18. num. 178. tom. 3. part. 2., Ioannes Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 10. tit. de Cambijs c. 8. verſ. quinta conditione, Fabianus Genuenſis tract. de cambijs initio ſub num. 15. ibi, & multò magis tom. 6. part. prima. Boninſignius tract. de cambijs cap. 7. verſ. 16. cambiare fol. 23.* Conſonat reſponſio cum his, quæ dicta ſunt *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs 1. prænot. 6. num. 6.*, circà quam non remanet amplius locus ambigendi, cum Sanctiſſimus Pius V. in ſua conſtitutione ſuper cambia ipſa expreſsè damnet, vt illicita, & vſuraria ibi- *nec realia cambia alitèr, quam pro primis nundinis, vbi illa celebrantur, vel vbi non celebrantur pro primis terminis iuxtà receptum locorum vſum exercere abuſu illo prorſus reiecto cambia pro ſecundis,*

Digitized by Google

dis, & deinceps nundinis, ſiuè terminis exercendi. Dixi *ſi cum maiori lucro, ſecus ſi cum eodem* propter ea, quæ dicta ſunt *ſub eod. tit. Contractus V. de Cambijs* 1. *Prænot.* 6. *num.* 6., quæ ibi recole.

4 Reſpondeo ſecundò, ſi (cambijs pro pluribus nundinis innouandis, ita vt extincto primo in primis, vel per formalem, vel per virtualem ſolutionem aliud pro alijs contrahatur) contractus ineatur iuxta modum expoſitum in primo ſenſu, non poteſt eſſe illicitus, ſi debitæ ſeruentur conditiones ex vſu fori requiſitæ. Hæc etiam reſponſio facilè colligitur ex ijs, quæ dicta ſunt ſparſim ſuprà, & præcipuè, dum de cambio recurſæ, & alibi. Probatur primò, quià nulla eſt repugnantia, nec iniuſtitia, quin idem ex vna, & eadem pecunia poſſit ſucceſſiuè plures negotiationes cambiorum cum eodem inire, & ex ſingulis cambijs proportionata lucra acquirere, ergo neque eſſe poteſt repugnantia, nec iniuſtitia, ſi ſeruatis debitis conditionibus ad naturam cambiorum requiſitis pro eodem tempore, quo primò celebratur contractus, fiat conuentio, qua extincto, vel per formalem, vel per virtualem ſolutionem primo contractu in primis nundinis intelligatur alius celebratus pro ſecundis ad proportionem lucri, quod ex vſu fori in ſingulis nundinis exigi ſolet, ſeu ab alijs contrahentibus exigitur. Conſequentia probatur, quia quod contractus ſimul, vel ſucceſſiuè fiant, non variat ſubſtantiam contractus, dummodò ſeruentur conditiones ad naturam contractus requiſitæ.

Quod cõtractus, vel ſimul, vel ſucceſſiuè fiat non variat ſubſtantiam cõtractus.

Probatur ſecundò, quià hæc reſponſio non repugnat diſpoſitioni Pij V., nec illud lucrum, quod ex huiuſmodi cambijs exigeretur, maius eſſet ex ſola temporis dilatione, ergo non eſt, cur in rigore iuſtitiæ non debeat ſubſiſtere. Antecedens quoad primam partem probatur, quia Pius V. in præfata ſui Conſtitutione dumtaxat prohibuit, ne idem cambium protraheretur vltrà primas nundinas, vel proximiores terminos, & quidem ad finem maioris lucri captandi, non autem, ne plura cambia ineantur, ità vt primo extincto ſuccedat ſecundum, & ſic ſucceſſiuè, ſed in hypotheſi aſſertionis non eſt vnum, & idem cambium, ſed conuentio de pluribus, ità vt extincto primo in primis nundinis, nouum, ſeu ſecundum ſuccedat pro ſubſequentibus, & ſic ſucceſſiuè, ergo &c. Maior probatur ex declaratione quadam Sacræ Congregationis ſuperius relata *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Prænot.* 5. *ſub num.* 4. *verſ. arguit* 3. in qua, cum dubitaretur, an cambium recurſæ ſub prohibitione Pij V. contineretur, reſponſum fuit, non contineri, ex quo ego arguo, quod ſi non repugnat, quin per reſpondentem campſoris præcisè poſſit nomine campſuarij primum cambium diſſolui, & nouum celebrari remittendo tractam ad eundem campſuarium, de quibus omnibus facta fuerit conuentio in initio celebrationis primi contractus, nec eſſe poſſit repugnantia, quin cambia, & noua cambia poſſint ſucceſſiuè celebrari in fauorem eiuſdem pro diuerſis locis, & nundinis. Probatur iam idem antecedens quoad ſecundam partem, quia nulla eſt repugnantia, quin diuerſorum cambiorum poſſint eſſe diuerſa lucra, nec id, quod exigitur ratione diuerſorum cambiorum poteſt eſſe ſolummodò ratione dilationis temporis; ſiquidem, ſi vno cambio celebrato pro primis nundinis poteſt exigi lucrum, quod non eſt ratione temporis, ſed ratione contractus annexi ipſi cambio, vel inæqualitatis valoris quoad pecuniam, cur in altero cambio, quod extincto primo pro alijs nundinis celebratur, non poterit etiam exigi lucrum, quod ſit pretium contractus, non intereſſe præcisè ex ſola temporis dilatione?

Pius V. non prohibuit quin poſſit ex eadẽ pecunia diſſoluto primo contractu nouum celebrari.

Diuerſorum cābiorum poſſunt eſſe diuerſa lucra.

Reſpondeo tertiò, non poteſt ſimul celebrari cambium pro pluribus nundinis etiam iuxtà modum expoſitum in primo ſenſu, quandò eſt pro nundinis ab vno loco ad alias nundinas ſubſequentes in eodem loco, quod ſubſiſtat in ratione contractus cambialis, benè tamen, quod ſubſiſtat in ratione contractus emptionis, & venditionis iuris certi ad aliquod incertum, pro vt reſultabit ex futuris nundinis, ſeu potius commutationis talium iurium, dummodò quoad illud lucrum incertum, cum quo certum commutatur, ſit æquilibre dubium, ſeu periculum, & ſpes incrementi, vel decrementi futuri. 5

Prima pars reſponſionis ſic probatur, quæ latè ſuſtinetur *à Salonio qu.* 4. *de Cambijs art.* 2. *controuerſia* 21. iuxtà mentem Mercati, quem teſtatur omnes recentiores ſequi, quinimmò illius verba tranſcribere, probatur, inquam, primò, quia non licitum eſt cambium, quod initur in vno loco, & eſt diſſoluendum in eodem loco cum lucro, niſi

niſi ſit cambium præciſè minutum, ſed quandò fieret contractus, de quo procedit reſponſio, fieret in vno loco, vt in eodem diſſolueretur cum aliquo lucro, ergo &c. Maior probatur, tum ex diſpoſitione Pij V. in ſua Conſt. ſuper cambijs, in qua decernit neceſſariam eſſe diuerſitatem loci inter eum, vbi celebratur contractus, & eum, vbi per ſolutionem vel formalem, vel virtualem eſt diſſoluendus --ibi- *aut etiam nullis eiuſmodi literis traditis pecunia ibi deniquè cum intereſſe repoſcitur, vbi contractus fuerat celebratus*, tùm quia idem omninò eſt dicere cambium locale ſine diuerſitate loci, ac dicere cambium locale, & non locale, cambium autem nundinale ex genere ſuo eſt locale. Minor etiam euincitur, quià, quamuis cambium primum, quod celebratur ex loco ad nundinas eſſet cum diſtantia locali, cambium tamen illud in nundinis diſſoluitur, & ex eiſdem ad alias ſubſequentes in eodem loco contrahitur, ergo hoc ſecundum eſſet in eodem loco pro eodem loco contractum, adeòque &c.

Eſſet cambium locale, & non eſſet locale.

Probatur eadem prima pars, non licet alicui mutuare centum nummos aureos Placentiæ ibidem poſt aliquod temporis reſtituendos cum aliquo lucro, ergo nec licebit in nundinis, quæ ibidem celebrantur pro vno tempore cambire pro alijs nundinis ibidem celebrandis cum aliquo lucro, ſeu intereſſe. Antecedens non vertitur in dubium. Conſequentia probatur, quia mutuare centum alicui Placentiæ cum onere ibidem eos reſtituendi cum aliquo lucro idem eſt, ac conferre eidem in fine nundinarum eoſdem centum reſtituendos ibidem in alijs nundinis ſucceſſiuè celebrandis cum eodem lucro, quandòquidem hęc non differunt, niſi quoad modum exprimendi; primum enim eſt mutuum vſurarium ſub proprio nomine mutui; ſecundum verò mutuum etiam vſurarium, ſed tantum ſub nomine cambij.

Non eſt niſi mutuũ palliatũ titulo cambij.

Secunda pars reſponſionis etiam ſic probatur; quia nulla eſt repugnantia, quin in eodem loco poſſit fieri, vel venditio iuris certi ad incertum, vel commutatio, dummodò ius illud incertum ſit cum æquali ſpe, & periculo incrementi, ſeu decrementi, ergo nulla etiam poterit eſſe repugnantia, quin ceſſante ratione cambij propter identitatem loci poſſit fieri venditio iuris certi, quod conſurgit in primis nundinis ad ius incertum, quod erit in ſecundis, ſi ſit æquale periculum, & ſpes &c. Confirmatur, quia poteſt hic, & nunc tradi frumentum in certa quantitate cum onere, vt poſt aliquod temporis conuentum reſtituatur ſecundum eandem quantitatem, quamuis pro tempore reſtitutionis in valore creuerit, dummodò tamen pro tempore celebrationis contractus æquale fuerit dubiũ augmenti, vel decrementi per ea, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mut., & vſur. prænot.* 10. *nu.* 4., ergo etiam poterit hic, & nunc conferri ius certum, quod quis habet pro primis nundinis pro iure incerto ad ſecundas, ſi ſit cum dubio æquali incrementi, vel decrementi, prout ſuprà. Conſequentia probatur, quia non minus eſt commutabile ius certum pro præſenti ad ius incertum de futuro, ac frumentum præſens pro futuro, ſi ſeruentur debitæ conditiones ad proportionem, ergo &c.

Poteſt tamen cohoneſtari, vel in ratione emptionis, & venditionis, vel in ratione permutationis.

Reſpondeo quartò. In ſuppoſitione, quod campſor obliget ciuilitèr campſuarium ad innouanda noua cambia ſuper ſe ad ſubſequentes nundinas, ſiuè per eodem, ſiuè pro diuerſo loco cambium eſt omninò illicitum, & iniuſtum. Conformis eſt reſponſio ijs, quæ ſupra diximus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ. II. §. I.* quæ ibi pro claritate recole. Ratio eſt, quia illa obligatio ciuilis continuandi ſuper cambia inducta per campſorem eſt quid pretio eſtimabile ſuprà ſortem, non minus ac ſit obligatio ciuilis, quæ imponitur mutuatario ex vi mutui ad emendas pretio licet iuſto merces ab ipſo mutuante, ſed hæc obligatio in mutuo inducit vſuram per ea, quæ latè tradidi *tom. primo ſub tit. Contractus III. Prænot.* 10. *num.* 3., ergo etiam illa importat iniuſtitiam. 6

Illa obligatio ciuilis continuandi ſecũ ſuper cambia eſt pretio æſtimabilis.

Pro complemento eorum, quæ in titulo propoſita ſunt, aduerte, à fortiori non licere in cambijs, quæ fiunt ad loca, vbi nundinæ non celebrantur contrahere ad plures terminos ſimul ad rationem tot pro ſingulo centenario, ſiuè contractus fiat iuxtà modum expoſitum in ſecundo ſenſu, ſiuè etiam iuxtà modum expoſitum in primo, niſi fortaſsè iuxtà modum expoſitum in primo illud pretium tot pro centenario ſit taxatum ex communi vſu fori, & nulla fuerit inducta obligatio ciuilis contrahendi ad vlteriores terminos vltrà primos. Ratio horum, quæ dicuntur, ea eſt, quia ex diſpoſitione Pij V. non licet conuentio, ſeu pactio ab initio, aut alias quomodolibet de certo intereſſe, nec particularibus perſonis

Corrolarium deductũ ex ſuperius dictis.

ſonis licet ex ſuo arbitrio pretia cambiorum taxare per ea, quæ alibi diximus, ergo &c.

§. XI.

An cambium pro aliquo loco ficto ſit ſiccum, & an aliqua ratione poſſit cohoneſtari.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries ſecundum duplicem ſenſum, quem habere poteſt. 1.

Non poteſt ſubſiſtere illud cambium in ratione cambij. 2.

In foro tamen interno poteſt exigere compenſationem lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis. 3.

1 DIſquiſitio XI. Proponit *Scaccia tract. de commert. §. 1. quaſt. 7. part. 3. lim. 7. num.* 1. dubium ſub his terminis. Campſor Petro egenti Mediolani dat certam ſummam pecuniæ ſub nomine cambij de Lugduno, vel Londres, & tamen ſecundum veritatem ibidem reſtitutio facienda eſt, & ab vtroque ſcitur, ſiuè fiant literæ, & præſententur, ſiuè fiant, & non præſententur, ſiuè nec fiant, nec præſententur. Duo igitur quærit hic *Scaccia loco citato*. Primum, an talis contractus poſſit ſuſtineri in propria, & ratione formali cambij. Secundum, an ſaltem poſſit ſuſtineri in ratione mutui cum aliquo lucro, prout correſpondet alicui rationi lucri ceſſantis, vel damni emergentis, ſi verè talis ratio emergat, vel ceſſet.

Duplex ſenſus, in quo examinatur difficultas.

In ordine ad primum verè concludit negatiuè iuxtà mentem *Caietani tract. de cambijs cap. 1. num. 4. verſ. iniuſta tom. 6. part. prima. Soti de iuſtitia lib. 6. quaſt. 13. art. primo concl. 3. col. 3. initio*, quibus ſubſcribunt *Fabianus Genuenſis tract. de Cambijs init. ſub nu. 44. verſ. 8. tom. 6. part. prima Azorius inſtit. moral. part. 3. lib. 10. tit. de cambijs c. 9. quaſt. 3.* nec in hoc diutius immorandum eſt, quandòquidem hæc latè nos ſtatuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs primo Prænot. 6., & ſub tit. de Cambijs III. Prænot. ſecunda, & Diſq. 1. §. præcedenti*.

In ordine verò ad ſecundum aſſerit, quod, quamuis hoc cambium ſit ſiccum, & damnatum, ſi tamen campſor rogatus, vt faciat hoc cambium ſiccum, deſiſtat à vero cambio, vel ab alio frugifero negotio, quod paratus erat facere, & non fecit, quià mutuauit ſub nomine cambij poſſit à mutuatario licitè ſortem recipere, & lucrum, à quo ceſſauit, citatque pro hac opinione *Caietanum, Nauarrum, Fabianum Genuenſem, & Azorium*.

2 Reſpondeo quoad hoc ſecundum dubium in foro exteriori nullo modo hunc contractum poſſe ſuſtineri, benè tamen in foro interno animæ. Conſonat quodamodò hæc reſponſio cum ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. VI.* §. 10. licet ſub diuerſis terminis ſocietatis, & mutui, quæ ibi pro vberiori notitia recole, & hic cum debita proportione applica.

Probatur prima pars, quia in foro externo contractus non ſubſiſtit, niſi ſub ea ratione, ſub qua expreſsè contrahitur, ſed contractus eſt expreſsè initus ſub ratione, & nomine cambij, ſub quo reſpectu omninò irritum, & inane eſt, ergo &c. Maior patet, quia in foro externo verba contractus non obligant, niſi ſecundum quod cantant, & vbi eſt expreſſa ratio, non eſt, cur aliter ſit iudicandum; neque obſtare poteſt textus *in l. in contractibus* 1. *C. plus valere quod agitur*, vbi legitur *in contractibus rei veritas potius, quam ſcriptura perſpici debet*, & ibi *Gloſa* expreſsè per plura; cum igitur re vera hic contrahentes intenderint mutuum cum compenſatione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, licet illud palliauerint titulo cambij, vel cambium ipſum ſimulauerint titulo mutui, debent re vera obligari; non, inquam, obſtare poteſt, quià illa regula generalis multas patitur exceptiones, prout expreſsè refert *Gloſa* ibi; in particulari autem caſus propoſiti dic illam regulam procedere tantum, quandò contractus ſimulatus habet ſuam formam, ſecus ſi eam non habeat, vt in caſu noſtro, quia tunc, vbi agitur de obligatione contrahenda, valet illa alia regula, ſi non valet quod ago, vt ago, non valet etiam, vt valere poteſt *Bartolus in l. 1. §. 1. quis ità num. 2., & ibi etiam Iaſon in 6. not. num. 6., & Doctores ff. de verb. oblig. Coaruuias in Epith. lib. 4. decretal. tit. de ſponſalibus cap. 3. ſub n. 2. tom. primo, & var. reſol. lib. 2. cap. 16. ſub num. 5. verſ. deindè tom. 2.* quam multis adductis exemplis ſibi ipſi obijciens corroborat *Scaccia d. §. 1. quaſt. 7. part. 3. limit. 7. num. 6., & ſeqq.*, & licet ipſe *Scaccia n.* 11. reſpondendo ad obie-

In foro externo contractus non ſubſiſtit, niſi ſub ea ratione, qua initur.

cta

Digitized by Google

cta dicat, quod illa regula *ſi non valet, quod ago, vt ago, non valet etiam &c.* adeò brochardica ſit, vt non ſolum plures admittat diſtinctiones, & exceptiones, ſed etiam communem concluſionem in contrarium, quod *actus valeat eo modo, quo valere potuiſſet*, quod nonnullis comprobat exemplis, & præcipuè in contractu matrimonij celebrato verbis ſolemnibus de præſenti, qui, ſi non valeat ob defectum ætatis in contrahentibus in ratione matrimonij, valet tamen in ratione ſponſalium; nihilominus facilè eluditur, ſi dicatur, quod *actus valeat eo modo, quo valere potuiſset*, quandò defectus, ratione cuius non valet, vt agitur, eſt in cauſa efficienti, vt in caſu dicti contractus matrimonij, non autem quandò eſt in cauſa formali, prout eſt in caſu, de quo nos hic loquimur.

Explicatio textus, ſi nõ valet, quod ago vt ago, non valet etiam &c.

Probatur ſecundò, ex dictis *eod. tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. VI. §. 6. & 7.*, quià quandò contractus, quamuis bona fide initus eſt vſurarius, nullos poteſt parere effectus etiam in ordine ad compenſationem alterius contractus, quem contrahentes iniuiſſent, ſi cognouiſſent vſuram contractus, quem ineunt, ſed contractus, de quo hic loquimur in foro externo eſt manifeſtè vſurarius, ergo eodem conſiderato in foro externo non poterit campſor exigere intereſſe alterius contractus veri, & realis lucratiui, quem iniuiſſet, ſi talem contractum non celebraſſet. Minor probatur, quià cambium initum pro eodem loco ex diſpoſitione iuris poſitiui, & præcipuè conſtitutionis Pianæ prohibetur vt vſurarium, & in cambio damnatur quæcunque conuentio de quocunque intereſſe determinato, & certo.

Contractus, de quo hic loqui- mur, in foro externo eſt vſurarius

3 Probatur ſecunda pars, quià in Tribunali Dei attenditur non id, quod apparet, ſed id, quod in effectu re vera eſt, quinimmò nullitate ob non ſeruatam formam reiecta ſecundum veritatem in ſe iudicatur *Abbas in cap. 8. quià plerique ſub num. 18., & 20. de immunit. Eccleſ. Felinus in cap. primo fallent. 6. ſub nu. 40. verſ. hæc fallentia de conſtit. Nauarrus in cap. ſi fœneraueris num. 106. in fin. verſ. quartò, quod 14. quæſt. 3. Coaruuias in c. cum eſſes verſ. ſed eſt quæſtio num. 4. in fin. de teſtamentis*, ſed in rei veritate ille contractus initus eſt cum expreſſo conſenſu ad mutuum adiecto onere compenſationis lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis, ergo in Tribunali Dei, ſeu fori conſcientiæ iudicandum eſt in fauorem contractus mutui, &, cum illud onus compenſationis iuſtum ſit, poterit etiam in eodem foro illa compenſatio exigi reiecta illa apparentia cambij, ſeu nullitate ſub forma cambij apparente.

Probatur ſecundò, quià contractus ſecundum ſe, & in foro conſcientiæ totam vim habent ex vero contrahentium conſenſu ſub illa ratione, ſub qua contrahunt, & ſub qua ſe intendunt obligare, non ſecundum apparentiam, quam eidem tribuunt, quaque veſtiuntur, ſed contrahentes per ſuum verum, & realem conſenſum intendunt contrahere contractum mutui, illoque ſe obligare, cum quo poteſt coniungi onus compẽſationis lucri ceſſantis, & damni emergentis, ſi illud re vera ceſſet, ſeu emergat, ergo ex illo contractu vtpotè re vera contractu mutui licet ſub apparentia cambij poterit licitè campſor, ſeu potius mutuans percipere ſortem cum illo intereſſe nil operante tali apparentia cambij, quæ non dat ſubſtantiam contractui, ſicuti dat conſenſus, & hoc eo magis verum eſt, quod ex illa ſimulatione nulla emergit iniquitas contractus, ideſt læſio alterius contrahentis.

In foro conſcien. tiæ contractus totã vim habet à vero cõſenſu.

---

§. XII.

An ſtante ſtatuto, quod cambium habeat executionem paratam, hæc competat etiam mutuo palliato titulo cambij, ſeu cambio ſimulato.

SVMMARIVM.

Senſus difficultatis propoſitæ. 1.
In hac ſuppoſitione contractus, nec literæ haberent executionem paratam conceſſam à ſtatuto. 2.
Soluitur argumentum deductum ex priuilegijs Depoſiti. 3.

Diſquiſitio XII. Contraxerant modo, quo ſupra, campſor, & Petrus, ille tradendo huic certam pecuniæ ſummam ſub nomine cambij de Lugduno, cum tamen vnuſquiſque ipſorum ſciret reſtitutionem faciendam eſſe in loco, in quo contractus fuerat celebratus. Suppoſito igitur iuxtà præcedentia, quod hic contractus in foro exteriori non ſuſtineretur in ratione cambij, ſed tantum in ra- 1

Digitized by Google

tione mutui palliati nomine cambij in foro interno, contigit, vt campſarius vergeret in decoctionem, vel fugam intentaret, vndè campſor ad ſibi, rebuſque ſuis conſulendum, cum eſſet in loco, vbi viget ſtatutum, quod contractus cambij habeat executionem paratam, eandem intendebat acquirere in hoc contractu, qui quamuis in re non eſſet cambium, procedebat tamen ſub nomine cambij. Quæritur iam quid iuris?

Reſpondeo, nec contractum, nec li-
2 teras cambij, ſi quæ in celebratione eiuſdem fuerint confectæ in hypotheſi diſquiſitionis propoſitæ habere executionem paratam conceſſam ex vi ſtatuti contractibus cambialibus. *Ioannes de Anan. in c. vlt. nauiganti ſub num. 46. Nauarrus num. 27. verſit. notandum tamen Ioannes Baptiſta Lupus in §. 2. nu. 24. de vſuris inter tract. diuerſ. tom. 7. Scaccia de commert. §. 7. gloſ. 5. num. 8. verſ. reſtringe.*

Priuilegia ſunt ſtricti iuris, & non extendēda.

Probatur primò, quià priuilegium conceſſum literis cambij, ſeù contractui cambiali non eſt extendendum vltrà cambium, ſed contractus, de quo hic loquimur, propriè cambium non eſt, ergo priuilegium paratæ executionis ipſi non eſt concedendum. Maior patet, quià priuilegia ſunt ſtricti iuris, adeòque ſtricte interpretanda *Ioannes de Immola in l. etiam ff. ſol. matrim. per l. ius ſingulare ff. de legibus Clem. 1., & ibi Cardin. de priuileg. l. ſi quando in princip. C. de inoffic. teſtam.*, & cum detrahat iuri communi *l. ius ciuile ff. de inſt., & inre Baldus in marg. verb. priuilegium verſ.* 1. debet ità intelligi, vt, quantum fieri poſſit, minus ab eodem iure communi declinet; Minor etiam facilè euincitur ex ſuperius dictis, quià ille contractus non ſubſiſtit in ratione cambij, ſed tantum in ratione mutui, & priuilegium non conceditur ſimulationi, & apparentiæ, ſed contractui reali propter eandem rationem, quam adducebam ad probationem maioris, quià, cum declinet à iure communi, non eſt extendendum vltra rationem formalem illius contractus, pro quo eſt conceſſum.

Probatur ſecundò in ſocietatibus officiorum fictè contractis in locis, in quibus ex ſtatutis conceditur executio parata eiſdem ſocietatibus, non habet locum idem ſtatutum per ea, quæ ſcribit *Virginius de Boccatijs tract. de ſocietatibus officiorum num.* 106. ergo neque habere poteſt locum in contractibus cambiorum ſimulatè contractorum. Conſequentia probatur, quià in tantum in ſocietatibus fictis officiorũ non habet locum executio parata, in quantum propriè non eſt talis, ſed etiam cambium, de quo loquimur, propriè cambium non eſt, ſed mutuum palliatum nomine cambij, ergo &c.

Societatibus fictè contractis non conceditur executio parata.

Dices, vbi conceditur priuilegium paratæ executionis depoſitis, hoc etiam extenditur ad ſimulata *Caroc. tract. de depoſit. part. 29. 62. fol.* 116. ex mente *Abbatis*, quam ibi refert, ergo etiam, vbi conceditur cambijs, extendi poterit etiam ad ſimulata ob paritatem rationis, Sed contrà reſpondet *Scaccia tract. de commert. §. 7. gloſ. 5. num. 9.* valere in depoſitis, quià illa ſimulatio in eiſdem nullam continet iniuſtitiam. Sed debuiſſet reminiſci idem Scaccia eorum, quæ docuit §. 1. *quæſt. 7. part. 3. limit.* 7. nempè illud cambium ſimulatum per ſe ipſum commendari tanquam licitum ſub ratione formali mutui licet palliati titulo cambij, vndè ſi ratione iuſtitiæ, quæ eſt in depoſito ſimulato iuſtificat illam executionem paratam, non video, cur iuſtificare non debeat eandem in cambio ficto, & ſimulato, quandòquidem illud etiam iuſtitiam continet ſub alia ratione formali. Quamobrem directè ad inſtantiam dico ea, quæ dicuntur de depoſito procedere dumtaxat, quando ſimulatio non eſt quoad ſubſtantiam contractus, ſeù quoad formam, ſed ſolummodò quoad aliquas circunſtantias, quæ non extrahant contractum à ratione talis contractus, vndè non poſſunt adaptari præſenti *inſtituto*, ſecundum quod contractus cambij extrahitur à ratione eiuſdem, & reducitur ad naturam mutui.

Reſpóſio Scacciæ non accomoda.

§. XIII.

An, quandò literæ cambij partìm ſunt veræ, partìm fictæ, habeant executionem paratam quoad omnia.

SVMMARIVM.

Proponitur ſenſus difficultatis. 1.
Executio parata non competit campſori pro tota ſumma. 2.

Diſquiſitio XIII. Initus fuerat contractus inter Titium, & Seium 1
ſubſequentis tenoris. Indigebat Seius in

Digitized by Google

in loco, in quibus literis cambij ex ſtatuto conceditur priuilegium executionis paratæ, centum nummis aureis, quos popoſcerat à quodam Mercatore, qui ea conditione conceſſit, vt datis literis per alio loco continentibus totam ſummam, partim talis ſummæ per ſuum reſpondentem ſolueret, ſeu reſtitueret in loco, ad quem literæ fuerunt deſtinatæ, partim in eodem loco, in quo fuerit contractus celebratus, ſed cum toto lucro, ac ſi cambium integrè fuerit initum pro tali loco, ad quem literæ diriguntur, cum tamen pro parte non fuerit cambium, ſed mutuum palliatum titulo cambij. Non ſoluente reſpondente campſarij partem conuentam in loco deſtinatæ ſolutionis, nec ipſo campſario partem in loco contentionis facta fuit proteſtatio contrà eaſdem literas, & campſor contendebat habere executionem paratam conceſſam literis cambij in ordine ad totam ſummam contentam in eiſdem literis, dum alter nempè campſarius excipiebat pro parte mutuum, cui non conceditur ex vi ſtatuti tale priuilegium executionis. Hic orta fuit controuerſia, quid de iure ſit concludendum.

2 Reſpondeo, executionem paratam non competere campſori pro tota ſumma, quæ continetur in literis cambij, ſed ſolummodò pro ea parte, pro qua re vera eſt cambium. *Scaccia tract. de commert. §. 1. quæſt. 7. cap. 2. ampl. 20. num. 18. 19. 20., & gloſ. 5. num. 10. verſ. ſubreſtringe Nauarrus in c. vltimo Nauiganti num. 27. verſ. notandum tamen de vſuris.*

Probatur primò reſponſio; literis cambij fictis non competit priuilegium paratæ executionis, ſi ſint ſimplicitèr fictæ per ea, quæ notaui *in §. præcedenti ex Ioanne de Anania c. Nauiganti de vſuris*, ergo neque eiſdem poteſt competere pro ea parte, pro qua ſunt fictæ, & ſimulatæ. Conſequentia probatur ex generali regula, qua dicitur, ſicuti ſe habet totum ad totum, ſeu ſimplicitèr ad ſimpliciter, ità ſe habet pars ad partem, ſeu eſſe ſecundum quid ad eſſe ſecundum quid *l. quæ de tot. ff. de rei vend.* ergo, ſi non conceditur, quandò quoad totum ſunt fictæ quoad totum, nec concedenda videtur quoad partem, quandò etiam quoad eandem partem fictæ ſunt.

Literis fictis quoad totum non conceditur executio parata.

Dices primò, cum contractus ſit conceptus ſub eiſdem terminis, & talitèr, vt non fuiſſet initus pro vna parte, niſi etiam fuiſſet initus pro altera, videatur indiuidualitèr ſumi per ea, quę conſiderat *Virginius de Boccat. tract. de ſociet. offic. num.* 102. ergo vel talis contractus eſt abſolutè nullus quoad omnia, vel validus quoad omnia, ſicque, vel quoad omnia habebit executionem paratam, vel quoad nihil. Conſequentia probatur, quia in indiuiduis vnum ſine altero nequit ſubſiſtere, nec quoad vnum tenere, non quoad alterum. Sed contrà, quià contractus potius ſumit vim iuxtà mentem, & conſenſum contrahentium, quam iuxtà verborum ſonum, præcipuè ſi mens eorundem contrahentium ad inuicem communicatur. Cum igitur contrahentes ſecundum vnam partem voluerint cambium, & ſecundum alteram mutuum, & hoc quidem per voluntatem vtriuſque manifeſtatam, ſequitur, quod contractus ex eorum voluntate ſit diuiduus; in diuiduis autem ex vulgatis iuribus vtile per inutile non vitiatur. Dicere deindè, quod contractus non fuiſſet initus pro vna parte, niſi etiam fuiſſet initus pro altera, gratis omninò dicitur, quandoquidem, cum vna pars non pertineat ad ſubſtantiam alterius, proindè ſe habet, ac ſi pertineret tantum ad quantitatem, vel qualitatem eiuſdem contractus, quæ non vitiat, ſed vitiatur, niſi proponatur per modum expreſsæ conditionis, ſine qua non iniretur contractus, quia tunc irritaret contractum per non exiſtentiam debiti, & requiſiti conſenſus.

Contractus ſumit vim ſecundū mentem contrahentium.

Dices ſecundò, non habere executionem paratam, nec quoad vnam partem, quamuis contractus ſubſiſtat quoad eandem partem quodammodò in pænam alterius partis contractus vſurariè initi. Sed contra; vndenam hoc colligitur? certè contractus quoad illam partem non habet alteram vitiare, ſed potius ipſa vitiari, nec iura alitèr diſponunt.

Nullibi reperitur impoſita hæc pæna.

Probatur ſecundò eadem reſponſio paritate contractus ſocietatis officiorum, nam ſi ſocietas contrahatur pro maiori quantitate fructuum, quam officium illud reddat, ſeu quam valeat illud officium, licet quoad maiorem illam quantitatem ſit nulla, ſuſtinetur tamen quoad illam quantitatem, cuius officium eſt capax *Rota diuerſ. deciſ. 336. Honorius init. verſ. dubitaui in Romana Societatum Lunæ 29. Ianuarij 1601. coram Card. Millino, & deciſ. 287. habebat verſ. dubitaui in Roman. Societatis Lunæ 28. Ianuarij 1591. coram Card. Blanchoſſo, Caſtratius de ſociet. offic. cap. 6.*

Digitized by Google

cap. 6. ſub num. 7. Azorius Inſtit. moral. part. 3. lib. 9. tit. de ſocietatibus cap. 9. verſ. hac conditio, ergo etiam ſi cambium contrahatur pro maiori quantitate, quam cambium illud exigat ſecundum ſe, licet exigatur ratione alterius contractus, cambium ſuſtinebitur ſecundum illam quantitatem, ad quam ipſum extenditur, quamuis ſecundum illum exceſſum nequeat ſuſtineri, ergo ſecundum illam partem, ſecundum quam poteſt ſuſtineri in ratione cambij ei competet beneficium paratæ executionis. Prima conſequentia tenet, niſi aſſignetur diſparitas; ſecunda facilè euincitur, quià cambio ſecundum illam rationem, ſecundum quam propriè eſt cambium, competit ex vi ſtatuti executio parata, ergo &c.

Argumẽtum deductum ex paritate ſocietatis officiorũ.

Probatur tertiò, paritate donationis, quæ, ſi non fuerit inſinuata, licet non teneat in tota ſumma, tenet tamen in ea quantitate, in qua non eſt neceſſaria inſinuatio per ea, quæ docet *Scaccia in tract. de Iud. cauſ. lib. 2. cap. 11. num. 311.*, ergo etiam in contractu cambij, ſi executio parata ſuſtineri non poteſt in tota quantitate, ſecundum quam non eſt cambium, ſuſtineri tamen poterit in ea quantitate, ſecundum quam propriè eſt cambium.

Donatio ſi nõ fuerit inſinuata, quoad totum, valet pro parte inſinuata.

---

§. XIV.

An detur executio parata mutuo palliato titulo cambij, ſi campſarius, ſeu mutuatarius ſe obliget in forma literarum cambij reſtituere.

SVMMARIVM.

Proponitur difficultas in ſuis terminis. 1.
Probabilius eſt ex vi conuentionis expreſſæ competere executionem paratam illi cambio, ſeu mutuo palliato titulo cambij. 2.
Proponuntur, & reſoluuntur argumenta contraria. 3.

1 DIſquiſitio XVI. Contraxerant, vel expreſſo titulo mutui, vel titulo cambij ſimulato Titius, & Caius, ille erogando centum nummos aureos, iſte ſe obligando ad reſtitutionem in forma literarum cambij. Quæritur iam hic, an tali mutuo, vel explicito, vel implicito competat beneficium executionis paratæ ratione obligationis aſſumptæ à mutuatario ſoluendi, ſeu reſtituendi in forma literarum cambij. Vix incidentèr inſinuat hanc difficultatem *Scaccia tract. de commert. §. 1. quæſt. 7. part. 3. limit. 7. num. 18. verſ. ſecus eſſet*, vbi videtur ſub dubio propendere in ſententiam affirmatiuam, dum dicit, *quià forſan poſſet pati executionem paratam*. Multa nos circà hanc materiam licet in ordine ad diuerſum finem attigimus ſupra *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ. 3. §. 7.* inquirentes, an poſſint contrahentes priuata auctoritate efficere, vt priuata ſcriptura habeat vim publici inſtrumenti, ſeu literarum cambij in ordine ad habendam hypothecam, quæ ex vi ſtatutorum conceditur literis cambij, quæ omnia ibi actitata cum aliqua proportione hìc applicari poſſunt. Quamobrem eiſdem inhærendo

Reſpondeo, probabilius eſſe ex vi conuentionis expreſſæ competere executionem paratam cambio illi ficto, ſeu mutuo palliato titulo cambij, ſi campſarius, ſeu mutuatarius ſe obligauerit reſtituere in forma literarum cambij. Eſt conformis ijs, quæ ſuprà dicebamus loco citato. Probatur primò, quià contrahentes in ſuis negotiationibus, & actionibus poſſunt licitè ſe obligare ad formam Cameræ, qui poſteà tenentur ſtare conuentis ſub ijs pænis, formis, & obligationibus, priuilegijs, quibus procedit, & gaudet eadem Camera, ergo etiam in ſuis ſpecialibus contractibus imitantibus naturam cambij, ſeu conceptis ad modum cambiorum poterunt ſe *ad inuicem* obligare ad formam literarum cambij, ſeu cum omnibus ijs iuribus, oneribus, priuilegijs &c. quibus afficiuntur formales literæ cambij veri, & realis. 2

Illa obligatio eſſet formaliter ex vi expreſſę cõuẽtionis.

Probatur ſecundò, quià per ſpecialia contrahentium pacta in quolibet contractu poteſt induci onus executionis paratæ contrà non adimplentem conuenta, ergo per conuentionem, qua ſtatuatur, quod cambium illud fictum, ſeu mutuum palliatum titulo cambij habeat omnia priuilegia, & iura, quibus gaudet cambium reale, ſeu literæ cambij realis, omnia illa iura, priuilegia, & onera iuſtè acquiret, ac ſi eſſet formale, verum, & iuſtum cambium. Antecedens probatur, quià onus executionis paratæ non eſt ita reſtrictum, vt ſolummodò poſſit induci per diſpoſitionem iuris, quin poſſit etiam induci per pacta, cum præcipuè

Onus executionis paratæ nõ eſt itá reſtrictum, vt ſolũmodò poſſit induci per diſpoſitionẽ iuris.

Digitized by Google

cipuè contrahentes in ijs, in quibus à iure non prohibentur, poſſint ſibi legem conſtituere, cui ſtare poſteà tenentur. Conſequentia probatur, quià conuenire, quod illud cambium ſimulatum, re tamen vera mutuum, eãdem vim habeat, ac ſi eſſet formale cambium, eſt conuenire, quod habeat ea omnia iura, priuilegia, onera, &c. quæ ex vi ſtatuti conceduntur formali cambio, ergo perindè eſt, ac ſi facta fuerit conuentio de executione parata, adeòque &c.

3 Multa poſſent congeri argumenta aduerſus reſponſionem noſtram, quæ præcipuè congeruntur ex *Borgnino Caualcano*, pro vt latè tradidimus *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ. 3. §. 7. verſ. negat multis rationibus*, ſed quia latè ea omnia fuerunt propoſita, examinata, & diſcuſſa, non amplius in eiſdem repetendis, examinandis, & refellendis immorandum cenſeo. Ea tu ipſe ibi recole. Hoc vnum tantum monendum cenſeo, quod per hoc, quod per ſpeciales contrahentium conuentiones, iura, & priuilegia tribuantur illi cambio ſimulato, ſeu mutuo palliato titulo cambij, quæ ex diſpoſitione iuris municipalis tribuuntur cambio reali, non extrahatur tamen tale mutuum à propria ratione formali mutui, quia iura & priuilegia huiuſmodi, cum accedant ſolummodò eidem contractui ad maiorem eiuſdem firmitatem, & executionem, non habent immutare naturam eiuſdem; non repugnat autem, quod priuilegia, iura &c., quæ ex diſpoſitione iuris competunt vni generi contractuum, per priuatos contrahentium conſenſus extendantur ad aliud genus, ſi ius aliquod non obſiſtat.

Iura, & priuilegia non habent immutare naturam contractus.

---

§. XV.

An licita ſit taxatio cambij ad pretium medium, quandò dubium eſt, quod pecunia tempore reſtitutionis ſit pluris, vel minoris valitura.

SVMMARIVM.

Proponitur ſeries quæſtionis. 1.
Ratio dubitandi expoſita. 2.
Probabilius eſt illam taxationem eſſe illicitam, & cambium iniuſtum. 3.
Reſpondetur rationibus dubitandi. 4.

DIſquiſitio XV. Popoſcerat Franciſcus Mediolani a quodam campſore centum nummos aureos ad cambium reſtituẽdos poſt tres menſes Lugduni in primis nundinis, ſed campſor conſiderans illos nummos aureos Lugduni tunc temporis ex varijs coniecturis poſſe, vel valere 1020. argenteos, vel fortè etiam non niſi mille conſtituit medium quoddam pretium ad illud, de quo poteſt eſſe dubium, nempè mille, & decem argenteos, illudque taxat accedente alterius contrahentis nempè Franciſci conſenſu. Quæritur iam hic, an illud cambium ſic initum ſit licitum. Proponit hoc dubium *Candidus tom. primo Diſquiſ. mor. tit. de Cambijs Diſq. 20. art. 16. num. 3.* vbi concludit pro iniuſtitia contractus, pro qua etiam allegat *Sotum lib. 6. de iuſtitia quæſt. 12. art. 4. §. huius autem contractus Salonium tom. 2. in ſecundam ſecundæ D. Thomæ quæſt. 4. de Cambijs art. 2. controu. 17. num. 6.* 1

Ratio dubitandi ex duplici potiſſimum capite poteſt prouenire, quod nunc aſſigno. Primum eſt, quià in dubijs pro vtraque parte, quandò dubium eſt inter extrema, ſi eligatur medium, videtur electio facta iuxtà dictamen rectæ rationis, & conſultum vtriuſque contrahentis indemnitati, ergo, cum in hypotheſi, de qua loquimur, dubium verſetur inter mille, & mille cum viginti, accomodum, & iuſtum erit, ſi electio fiat ad mille cum decem. Secundum eſt, quia per ea, quæ docuit idem *Candidus Diſquiſ. 20. art. 15. num. 2.* iuxtà mentem *Soti 6. de iuſt. quæſt. 12. art. 2. Salonij d. quæſt. 2. art. 2. controu. 16. concl. vlt.* æſtimatio pecuniarum in locis, inter quæ cambia celebrantur, facienda eſt iuxtà eundem temporis articulum, quo fiunt cambia, perindè, ac ſi pro eodem articulo pecuniæ illæ inter ſe commutarentur in illis locis, ſicque pretium in cambijs conſtituendum eſt iuxtà æſtimationem pecuniarum, quam habent in eodem temporis articulo, quo contractus celebrantur, vt ſeruetur proportionata æqualitas, & proindè non eſt, cur iuſtè fiat taxatio ad medietatem iuxtà proportionem dubij maioris, vel minoris æſtimationis futuræ pro tempore reſtitutionis. Nihilominus 2

Reſpondeo, probabilius eſſe iuxtà præcitatorum Doctorum mentem ſiſtendo in terminis præcisè propoſiti dubij, pro vt in facti ſerie ſupra expoſita, illam taxationem fore illicitam, 3
& cam-

& cambium iniuſtum. Moueor potiſſimum eiſdem rationibus, quibus mouentur *Candidus*, & *Salonius* præallegati, & primò, quià non eſſet æqualis vtriuſque contrahentis conditio, ſed longè deterior illa campſarij, ergo &c. Antecedens probatur, quià campſor eſſet abſolutè tutus de ſua conditione lucrandi illa decem, campſarius vero priuatur ea ſorte, quam fortè habuiſſet, quid minus ſoluendi, ſi ex conditionibus obuenientibus cambiorum pretia in nundinis diminuerentur, ergo non eſſet æqualis vtriuſque contrahentis conditio. Verum, ſi nullum adeſſet periculum diminutionis infrà mille in ſuppoſitione, de qua loquimur, ſed ex coniecturis apparentibus ſolummodò ſpes augmēti quoad idem pretium, & quidem vſque ad mille & viginti, tunc etiam non incongruè damnarem iniuſtitiæ illum contractum, quandòquidem tunc etiam non eſſet æqualis vtriuſque contrahentis conditio in tali contractu, ſed ſemper melior illa campſoris. Secundò, quià medio illo tempore antequam à mercatoribus pretia cambiorum ſtatuantur adeò res ab incertis, & futuris conditionibus dependet, vt vix videatur poſſe certum, & accomodatum medium deſignari, ergo &c.

Non videretur æqualis vtriuſque contrahentis conditio.

Res adeò eſt incerta vt vix certum poſſit ſtatui.

4 Ad rationes dubitandi nunc reſpondendum eſt, & quidem ad primam valere illam regulam, quod in dubijs valeat eligi medium inter extrema, quandò dubium verſatur inter illa extrema ſolummodò, ſecus, quandò poteſt pretium diminui etiam infra illa extrema, vt in ſuppoſitione reſponſionis, ſecundum quam ex varijs futuris circunſtantijs pretium poteſt diminui infra mille. Deindè valet, quandò probabilitèr poſſunt aſſignari determinata extrema, non ſic quandò illa nequeunt veriſimilitèr deſignari, pro vt in caſu noſtro per ea, quæ tradit *Michael Salonius dicta quæſt. 4. de Cambijs art. 2. controu. 17. num. 6.*

Valet quandò poſſunt aſſignari determinata extrema.

Ad ſecundam dicendum eſt primò, quod hac ratione nō ſubſiſterent cambia, quæ celebrantur ad nundinas pretio in eiſdem decernendo, quod eſſet contrà communem mercatorum praxim, & contrà receptam Theologorum, & Iuriſtarum ſententiam. Deindè dici poteſt cum eodem *Candido* loco citato, quod, quamuis regularitèr pretium cambiorum ſumatur iuxta æſtimationem pecuniarum ex eodem temporis articulo, quo cambia ipſa ineuntur, ex mutuo tamen contrahentium conſenſu poſſit non attendi illud pretium, ſed illud, quod habebunt ex mercatorum conſulatus placito attentis debitis circunſtantijs tempore nundinarum, ſiuè illud fuerit maius, ſiuè minus, ſicque poſſunt ſe contrahentes exponere fortunæ aleæ modo, quo alibi diximus. Adhuc tamen non ſequitur, quod commutato illo iure incerto, quod campſor habere poteſt de maiori lucro, ſeu pretio futuro poſſit quoddam medium certum ſibi ſtatuere, & taxare, quandò non eſt probabilitèr deſignabile illud medium, cum extrema ſint adeò incerta ex futuris circunſtantijs, vt de illis nequeat, quid veriſimile ſtatui, vt in caſu noſtro.

Abſurda quæ indè ſequerētur cōtrà communem praxim.

DISQVISITIONES II.

A quinta ad reliquas Prænotiones de Cambijs.

§. I.

An error commiſſus in tempore, ſiuè per proxenetam, ſiuè per campſorem vitiet literas cambij.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis cum rationibus dubitandi. 1.

Demetrius non ſolum tutò poteſt, ſed etiam debet ſoluere ſummam contentam in literis. 2.

Quædam probatio, & confutatio, ſed inanis eſt confutatio. 3.

Probatio Scacciæ, eiuſque impugnatio. 4.

Germana noſtræ ſententiæ probatio. 5.

Diſquiſitio II. Per Proxenetam hac die 17. menſis Maij 1678. in hac Ciuitate Mediolani initus fuit contra- 1
ctus cambij inter Octauium, & Gregorium, vigore cuius idem Octauius literas dedit Demetrio exiſtenti in Vrbe Placentiæ, vt viſis eiſdem literis, ſeu vt vulgo dicitur *viſta la preſente* ſolueret Procuratori Gregorij ſcutos centum pro valore per ipſum Octauium *di contanti* recepto Mediolani, ſed vel ex errore Proxenetæ ità denuntiantis, vel ex incuria Octauij non reflectentis, error in literis quoad tempus irrepſit, nam literæ ſignatæ fuerunt non ſub die 17. menſis Maij, ſed ſub die 17. Iunij,

nij. His poſitis Gregorius acceptis huiuſmodis literis immediatè eaſdem miſit Placentiam, quæ, cum peruenerint die prima Iunij occaſionem dederunt Demetrio ambigendi, an error irrepſerit in ſubſcriptione, ſeu in die, qua literæ datæ fuerunt, an verò conſultò datæ fuerint cum illo errore ad ſibi indicandum, ne fieret ſolutio, niſi poſt diem 17. Iunij & poſt dies, qui inſumi potuerint à die datæ expreſſo in eiſdem literis ad transferendas eaſdem literas Placentiam. Cum autem ex alia parte teneatur idem Demetrius ad ſoluendam quamcunque tractam ab Octauio in ipſum faciendam ex vi conuentionum inter ipſos initarum viſis eiuſdem literis immediatè ſub certa pæna, tribuit occaſionem inquirendi, ad quid idem Demetrius in hac ſuppoſitione teneatur

2 Reſpondeo breuitèr, Demetrium non ſolum tutò poſſe, ſed etiam debere ſoluere contentam ſummam in literis, nec poſſe excipere errorem temporis conſtito de veritate literarum, & in eiſdem contentorum *Scaccia tract. de commert. §. 2. gloſ. prima num. 34.*

3 Probant aliqui primò, quià ſcriptura priuata de ſui neceſſitate ad obligandum ſecundum ea, quæ continet expreſsè in ſe ipſa, non exigit neque diem, neque annum *Decius in cap. 2. num. 24. de fid. inſtrument. Pariſ. conſ. 68. num. 21. in tertio. Socin. Iun. conſ. 111. num. 19. in tertio*, vbi adduxit textum *in l. cum taberna §. 1. de pignor. Gabriel conſ. 169. num. 38. in ſecundò*, vbi ampliat, quod nec etiam indictione opus habeat *Bartolus in l. ad hæc, & in auth., & ſi contractus C. de fide inſtrum, & Doctores omnes in l. admonendi ff. de iureiurando*. Hoc idem docuit. *Alciatus conſ. 1. num. 27. lib. 8. Bertazzolus de clauſ. 2. gloſ. prima nu. 4. Caball. mill. 665. parte ſecunda*, vbi probat, & reſoluit contraria, ergo, ſi non requiritur dies, neque annus, neque obſtare poterit dies, vel menſis variatus, ſi aliundè conſtiterit de veritate contentorum. Conſequentia probatur, quià, quæ non requiruntur ſimplicitèr quoad ſuum eſſe ad ſubſtantiam contractus, ſeu validitatem ipſius, nec variare poſſunt eundem contractum, ſi ipſa varientur, dummodò aliundè conſtiterit de veritate, ex qua dignoſcatur error, qui contingit in ſcriptura quoad ſignationem temporis *Scaccia de iud. cauſ. lib. primo cap. 50. num. 16.*

Obſtare poſſes huic probationi aſſerens tempus, quod non apponitur, non vitiare contractum, illud autem quod apponitur, cum præſumatur appoſitum per modum conditionis, limitare executionem contractus ad eas differentias, quas præſignat, tanquam expreſſiuum voluntatis contrahentium. Sed facilè etiam poteris elidi, ſi aſſeratur, quod voluntas contrahentium potius dignoſcatur ex tenore literarum, quam ex temporis deſignatione in eiſdem adnotata præcipuè, ſi ex eiſdem literis tempus in eiſdem præſignatum dignoſcatur, non poſſe ſubſiſtere, vt præcipuè euenit in caſu noſtro; nam in primis literæ cantant, quod ijs viſis immediatè ſolutio ſit facienda, eædem cognoſcuntur, vt datæ per Octauium per ſignationem proprij nominis, & cognominis cognitam, vt factam propria manu, & ex alio capite literæ non cognoſcuntur factæ pro illo tempore, quod præſignant, cum illud nundum aduenerit. Confer iam ſingula, & vide, ex quo melius dignoſcatur voluntas contrahentium, an ex tenore literarum, an ex temopris deſignatione impoſſibili? Certè quod impoſſibile eſt habetur pro non appoſito.

Voluntas contrahentium potius cognoſcitur ex tenore literarum, quam ex temporis deſignatione.

Probat ſecundò *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 1. num. 34.* hoc pacto, quià Octauius, qui literas dedit, non poteſt allegare in ſui fauorem errorem temporis quoad effectum non ſoluendi, ergo multo minus poterit eundem allegare Demetrius, qui in hac negotiatione rapræſentat perſonam Octauij. Antecedens probatur, quià quoad ſcribentem tempus non eſt de ſubſtantia, nec ſolemnitate actus, neque de ſolemnitate ſcripturæ. *Rebuffus tract. de Chyrograph., & ſched. recogn. in præfat. num. 88., & 95. tom. primo*, præcipuè cum ſcriptura priuata non faciat fidem, niſi contrà ſcribentem *l. publia ff. depoſiti*, contrà quem plenè probat, etiam ſi fuerit ſine die, & tempore *Burſatus conſ. 325. num. 10.* 4

Sed aduerſus hanc probationem poſſet quis dicere, quod, quamuis Octauius, qui literas dedit, non poſſit excipere de errore datæ literarum, eo quià ipſe conſcius eſt erroris, poſſit tamen excipere Demetrius, cum talis erroris conſcius non ſit, cum iuſtè poſſit velle ſtare literis, earundemque tenori quoad omnia. Sed facilè reſponderet Scaccia, quod, cum Demetrius rapræſentat perſonam Octauij, contrà quem ſolum poteſt probare ſcriptura, non poſſit ſe eximere per talem exceptionem, quandòquidem ipſi conſtat ex vno capite de errore ſignationis quoad 5

Reſpondens raprẹſentat perſonã principalis.

tem-

tempus propter impoſſibilitatem vt ſuprà, & ex alio, quod ſcriptura etiam ſine tempore plenè probat contrà ſcribentem.

Probo iam ego tertiò reſponſionem hoc pacto. Ex ſuprà ſparſim dictis ſcriptura ipſa non eſt de ſubſtantia, nec de neceſſitate contractus, ergo eadem vitiata poterit contractus in ſui eſſe ſubſiſtere *Vital. tract. de clauſ. in verb. de errore Notarij num. 9. tom. 8.*, ergo quamuis per tempus vitiaretur ſcriptura, non eſſet, cur contractus ipſe maneret vitiatus, adeòque &c. ſicque ſi conſtiterit de errore ſcripturæ quoad tempus, non erit, cur executio contractus debeat geſtorum erroribus vitiari *l. illicitas §. veritas ff. de offic. Præſid. Innocentius in cap. cum venerabilis verſ. item licet de except.* quandòcunque enim veritas apparet ſemper vireſcit *Rota Auinion. deciſ. 1. poſita ſub nu. 6.* nec error eam immutat *Cornelius conſ. 33. viſa copia ſub nu. 15. lib. 2.* error autem in data hypotheſi euidentèr apparet ex impoſſibili, quandòquidem illud tempus, quod ipſæ literæ deſignant, nondum aduenerit &c. Quæ omnia præcipuè vera ſunt, quandò error, qui contigit, non verſatur circà ſubſtantiam, ſeu ſolemnitatem contractus, ſed ſolummodò circà ſolemnitatem ſcripturæ per ea, quæ tradit *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 1. num. 37.* Nec per talem ſolutionem, quam præſtaret ipſe Demetrius viſis literis, poſſet in aliquo grauari per Octauium allegantem errorem temporis contentum in literis, quandòquidem ipſe quoque Demetrius diſpoſitione iuris ſe munire poſſet aſſerens, quod ille error non vitiet ſcripturam, nec contractum, cum tempus non ſit de ipſius ſubſtantia, vt ſuprà.

Veritas nō debet geſtorum erroribus vitiari.

§. II.

Quid agendum, cum præſentantur literæ poſt tempus in eiſdem præfinitum ad ſolutionem.

SVMMARIVM.

Explicatur ſtatus quæſtionis. 1.

Poteſt rationabilitèr præſumi, vel pro errore in ſcriptura, quatenus pro nundinis Apparitionis fuerit ſcriptum pro nundinis Sanctorum, vel pro tarda præſentatione. 2.

Quocunque ex his modis res contingeret ſemper reſpondens meus tenetur ad ſolutionem. 3.

1 Diſquiſitio II. Accipio à te titulo cambij centum nummos aureos die 23. menſis Septembris 1678. hic Mediolani pro proximis futuris nundinis Sanctorum Placentiæ celebrandis. Trado tibi literas, tempore datarum literarum per obliuionem, ſeu errorem omiſſo, in quibus præcipio meo reſpondenti, vt eoſdem tibi ſoluat, vel tuo Procuratori pro proximis nundinis Sanctorum. Acceptis literis tu eaſdem præſentas non in nundinis Sanctorum, ſed in ſubſequentibus Apparitionis. Quæritur iam hic primò, quid præſumendum ſit de illo errore omiſſionis temporis, & de præſentatione vltrà tempus in eiſdem præſcriptum. Secundò, an non obſtantibus illo errore, & tardiori præſentatione teneatur meus reſpondens ad ſolutionem contentorum in eiſdem literis.

2 Reſpondeo primò, poſſe rationabilitèr præſumi, vel pro errore in ſcriptura, quatenus pro nundinis Apparitionis fuerit ſcriptum pro nundinis Sanctorum, vel pro tarda præſentatione literarum. Facilè euincitur reſponſio, quià vtroque ex illis modis probabilitèr potuit res contingere, ergo vel pro vno, vel pro altro poterit non inordinatè præſumi.

3 Reſpondeo ſecundò, quocunque ex illis modis res contigerit, ſemper reſpondens meus tenetur ad ſolutionem *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 1. num. 38.* qui tamen ibi non probat, ſed ſupponit. Probatur, quià non poteſt excuſari à ſolutione, nec defectu temporis, pro quo datæ fuerunt literæ, nec ratione erroris, ſi qui contigerit in deſignandis vnis pro alijs nundinis, nec ratione dilationis in præſentando, ergo &c. Antecedens quoad primam partem patet ex præcedenti paragrapho, nam tempus in ſcripturis priuatis nec eſt de ſubſtantia contractus, nec de ſubſtantia ſcripturæ, & ideò ſufficit ad obligandum ſcribentem qualitercunque ſcriptura priuata fuerit ſcripta, imputet enim ſibi ipſemet ſcribens, quod diem non appoſuerit per ea, quæ ſcribunt vltrà Doctores citatos in §. præcedenti *Petrus Rebuffus in tract. de Chyrograph., & ſched. recogn. num. 39. Franciſcus Marcus deciſ. 912. part. 2. Rota Genuenſis teſte Bellono deciſ. 28. nu. 14. Maſcardus concl. 6. num. 32. Barzius deciſ. 39. num. 55. Fontanella de pactis nupt. clauſ. 1. num. 7.*

Nulla eſt ratio deobligans à ſolutione.

*num.7.gloſ.*1. nec obſtare poteſt, ſi aſſeratur, quod literæ cambij habeant vim ſcripturæ publicæ, ſeu publici, authentici, ſeu iurati inſtrumenti per ea, quæ ſparsim ſuprà tradidimus; publica autem inſtrumenta exigunt diem, tempus, indictionem &c. adeòque &c.; non, inquam, obſtare poteſt, nam quod literæ cambij habeant vim publicæ, & authenticæ ſcripturæ eſt ex priuilegio conceſſo tali modo contrahendi ad conſtituendos, quantum fieri poteſt, creditores indemnes, & immunes à periculo, cæteròqui facilè collaberentur humana commertia, ſi literis cambiorum integra fides non præſtaretur, cæterum ſecundum ſe non requirunt illas omnes ſolemnitates, quæ requiruntur ad publica inſtrumenta, ſecus, ſi illæ omnes requirerentur, non haberent illam publicam fidem ex priuilegio, ſed ex natura ſua, ſicuti habent publica inſtrumenta, & cum priuilegia reſpiciant commoda, non onera, extenduntur dumtaxat ad iura inſtrumentorum, non reſtringuntur ad onera eorundem.

Literæ cambij non requirunt illas omnes ſolẽnitates, quas requirunt publica inſtrumenta.

Probatur iam idem antecedẽs quoad ſecundam partem. Error temporis non vitiat actum, qui geritur, ſi pro vtroque tempore actus ipſe poteſt ſubſiſtere, ſed contractus cambij ſecundum ſe æquè poteſt ſubſiſtere, ſiuè celebretur pro nundinis Sanctorum, ſiuè pro nundinis Apparitionis, ergo, ſi in ſcriptura contigerit error, ratione cuius pro nundinis Apparitionis fuerit appoſitum pro nundinis Sanctorum, adhuc poterit ſuſtineri contractus cambij, adeòq; obligare reſpondentem campſarij ad illius ſolutionem. Maior probatur, quia actus non vitiatur per id, quod eſt extrà rationem formalem talis actus, vndè ſicuti hoc non requiritur, quod apponatur, nec vitiat, ſiuè apponatur, ſiuè non apponatur, ità nec refert, nec vitiat, ſiuè benè, ſiuè malè fuerit appoſitum per ea, quæ ſcripſit *Scaccia in ſuo tract. de Iud. cauſ. lib.* 1. *cap.*50. *nu.* 16. *in fine*, quod multis corroborat, & confirmat exemplis, & rationibus ex auctorum placitis deductis *in hoc tract. de commert.* §.2.*gloſ.*1. *num.*13., *& ſeqq.*, & primò, quia libellus obſcurus, ſeu ineptus non reijcitur, quandò libellus non eſt neceſſarius *Abbas in cap.*60. *ne memoria num.*9., *& ibi addit. de elect. Baldus ſing.* 33. *vol.*2. *Gailus in pract. obſeruat. lib.* 1. *obſ.* 66. *num.*15. Secundò, quia vbi non requiritur ſolemnis citatio, non officit, ſi non legitimè interuenerit *Romanus conſ.* 497. *num.*5. *Nicol. tract. de concord. gloſ. ſub num.* 377. *verſ. quæro de vna concord.* 52. *fall.* 155. *tom.* 18. Tertiò, quia, vbi non requiritur concluſio petitionis, nihil refert, an benè, vel malè facta ſit *Bartolus in extra. ad reprimendum verb.*, *& figura ſub num.* 8. Minor etiam probatur, quia æquè poteſt contrahi cambium pro primis, ac pro ſecundis nundinis, ſi non fiat cum intentione maioris lucri per ea, quæ docui *ſub hoc eod. tit. Contractus V. de Cambijs I. Prænot.* 6. quinimmò illa prohibitio Piana non celebrandi cambia ad ſecundas nundinas inducta eſt in fauorem campſuariorum, ne ex auiditate campſorum magis, quam par ſit, grauentur, qui non ſolum poſſunt renunciare tali iuri, ſeu fauori, ſed eidem non facta renuntiatione adhuc diferre exactionem ſolutionis.

Error tẽporis nõ vitiat actum, qui geritur, ſi pro vtroque tempore actus poteſt ſubſiſtere.

Probatur idem antecedens quoad tertiam partem, quia ex eo, quod quis diferat exigere ſolutionem, non amittit ius ad talem ſolutionem, ſiquidem talis dilatio eſt potius ſibi iniurioſa, quam alteri, ergo ex eo, quod diutiùs diferat præſentationem literarum, neque amittet ius ad præſentandum, & exigendum.

Ex eo, quod quis diferat exigere ſolutionẽ nõ amittit ius.

Hic tamen vnum monendum cenſeo, quod, ſi campſor, vel per ſe, vel per ſuum Procuratorem diferret, vel ex ſuo arbitrio, vel ex ſui incuria literas præſentare, & exigere illarum executionem, & interim ille, ad quem literæ erant deſtinatæ, effugeret, vel vergeret in decoctionem, tunc periculum non eſſet campſuarij, qui literas dederat, ſed campſoris, qui opportùno, & præſcripto tempore non præſentauit. Ratio facilè ex eo deducitur, quia, quod non facta fuerit ſolutio, non prouenit ex culpa campſuarij, qui fecerat, quantum in ſe erat, & aſſignauit mandatarium abſolutè idoneum pro tali ſolutione, qui ſi poſteà factus fuerit impotens, hoc non debet refundi in ipſum campſuarium, ſed potius in campſorem, qui ex ſuo arbitrio, vel culpa diſtulit exigere.

Non debet tamẽ diferri præſentatio ex incuria.

Digitized by Google

§. III.

An locus in literis cambiorum ad eorum validitatem requiratur.

SVMMARIVM.

Proponitur ſenſus quæſtionis. 1.
RegulaFritèr expreſſio loci non eſt de neceſſitate ſcripturæ priuatæ. 2.
Proponitur ratio dubitandi. 3.
Non obſtante non expreſſione loci poteſt, & tenetur reſpondens ſoluere. 4.
Soluitur ratio dubitandi ſuprà propoſita. 5.

1 DIſquiſitio III. Initus fuerat contractus cambij in hac Ciuitate Mediolani pro futuris nundinis Sanctorum celebrandis Placentiæ, datiſque literis pro eodem contractu ad eaſdem nundinas ex obliuione, ſeu errore præteritus fuit in eiſdem locus, in quo fuit celebratus contractus. Hic orta fuit controuerſia, an non obſtante tali omiſſione, ille, ad quem literæ fuerunt ordinatæ, ſeu cui fuerunt præſentatæ, poſſit, & an teneatur eaſdem ſoluere.

2 Regularitèr in ſcriptura priuata de neceſſitate non requiri expreſſionem loci habetur *in tex. in l. 1. C. de apoch. publ. lib. 10. Gloſa in cap. Abbate ſanè de re iud. in ſextò. Gaball. mill. 666. per totum. Matthefilan. ſing. 45. Paulus Tuſcus in ſuis ſing. in lit. S. num. 10. Menochius conſ. 288. nu. 33. Petrus Rebuffus in tract. de chirograph., & ſchedul. recogn. nu. 95.*, qui etiam vlteriùs addit rationem, quià vbique poteſt quis recipere, & promittere. Limitat tamen hoc vniuerſale effatum *Baldus conſ. 352. num. 1. in 3.* in caſu, quo quæſtio penderet ex loco, quatenus vna pars affirmaret contractum initum eſſe in aliquo determinato loco, altera negaret.

Limitatio Baldi.

Scaccia *de commert. §. 2. gloſ. 2. nu. 1., & ſeqq.* vniuerſalitèr procedens diſtinguit inter inſtrumentum publicum, ſeu aliam ſcripturam factam manu tertij, & inter ſcripturam factam manu contrahentis, ſicque quoad primum aſſerit neceſſariò locum eſſe exprimendum per rationes, quas ibidem ipſe fuse proponit & adducit, quoad ſecundum verò negat neceſſitatem talis expreſſionis argumento deducto à paritate temporis ad locum.

Explicatur mens Scacciæ.

3 Ratio potiſſimum dubitandi in eo ſita videtur, quod ad contractum cambij de neceſſitate videtur requiri diuerſitas localis per ea, quæ ſparſim ſuprà dicta ſunt, niſi ſit cambium minutum præcisè, vndè ad dignoſcendam talem diuerſitatem localem requiritur expreſſio loci, in quo celebratur contractus, vt fieri poſſit comparatio ad eum, in quo facienda eſt ſolutio; quod militare non videtur pro expreſſione temporis, quandóquidem ex natura ſua dilatio temporis non requiritur ad cambium locale, niſi quatenus exigit diſtantia loci in ordine ad literas tranſmittendas; vndè, ſi fieri poſſet, quod pro eodem inſtanti, quo celebratur contractus hic Mediolani, & fiunt literæ, iſtæ Placentiam peruenirent, adhuc ſubſiſteret contractus cambialis propter diuerſitatem locorum, quamuis nulla interueniret diſtantia temporis. Nihilominus.

Videtur requiri expreſſio loci ad dignoſcēdam diuerſitatē localem.

Reſpondeo, in terminis præcisè literarum cambij non obſtante non poſitione loci, in quo fuit celebratus contractus, adhuc reſpondentem, ad quem literæ fuerunt directæ, poſſe, quinimmò teneri ſoluere. Sic docet expreſsè *Scaccia tract. de commert. §. 2. gloſ. 2. n. 5.* 4
Probatur primò, quià ipſa loci expreſſio non eſt de ſubſtantia contractus cambij, nec de ſolemnitate ipſius, nec literarum, præcipuè ſi aliundè conſtet ſoluere debenti huiuſmodi literas alibi contractum fuiſſe celebratum, erga ipſa non poſita adhuc tenebitur, qui ſoluere debet, ponere ſolutionem. Antecedens probatur, quià, quamuis requiratur diuerſitas localis in contractu cambij, non eſt tamen neceſſe, quod potius in hoc loco, quam in altero contractus fuerit celebratus, ergo, ſi aliundè conſtet contractum alibi fuiſſe celebratum, non erit, cur ſpecialitèr requiratur, quod fiat expreſſio talis, vel talis loci.

Expreſſio loci non eſt de ſubſtantia contractus.

Probatur ſecundò ratione, qua licet in materia diuerſa, temporis ſcilicet, vtebatur Scaccia adductus in præcedenti paragrapho. Ipſe dator literarum non poteſt excipere de non poſitione loci in literis per ſe ipſum confectis, ergo nec poterit excipere ille, ad quem fuerunt directæ. Antecedens non videtur pati difficultatem. Conſequentia probatur, quià ipſe reſpondens rapræſentat perſonam datoris earundem literarum, nec maius ius videtur habere, ac ipſarum literarum dator, ergo, ſi hic non poteſt excipere in propria perſona, nec ille poterit excipere in perſona datoris earundem lite-

Digitized by Google

literarum; nec valet dicere, quod ipſe dator conſcius eſt loci, in quo fuit celebratus contractus, & datæ literæ, non ſic reſpondens, adeòque &c. Non valet, inquam, quia, cum ipſe reſpondens ſit ſimplicitèr executor voluntatis eiuſdem datoris literarum (quem nec ſupponere debet vſurariè contrahere, nec contrà iuris diſpoſitionem) non poteſt legitimè excipere de ignorantia diuerſitatis localis, quandòquidem ipſe operatur ſemper cum mandato eiuſdem datoris, & de commiſſione ipſius, in cuius ſcientia propterea dici poteſt operari; nec ex eo, quod ſoluat, poteſt ſubeſſe alicui præiudicio, ſiquidem, ſicuti ipſe dator non poteſt excipere contrà ſtipulatorem, ità nec videtur poſſe excipere contrà ſolutorem nomine ipſius. Accedit, quod licet non facta fuerit expreſſio diuerſitatis localis innoteſcat tamen eidem reſpondenti talis diuerſitas, cum optimè norit datorem literarum pro tempore, quo datæ fuerunt, non extitiſſe in loco, in quo fieri debet reſtitutio.

Ipſe reſpondens eſt ſimplicitèr executor voluntatis datoris literarum.

5 Ad rationem dubitandi ſuprà propoſitam patet, quid ſit reſpondendum; licet enim de ſubſtantia contractus requiratur diuerſitas localis, non requiritur tamen, quod hæc innoteſcat per eaſdem literas, ſed ſufficit, quod quomodocunque innoteſcat, quinimmò nec requiritur, vt innoteſcat ipſi reſpondenti, ad quem literæ pro ſolutione fuerunt ordinatæ, qui ſemper debet præſumere pro tali diuerſitate, & ipſe tenetur adimplere contractum per ſolutionem, non inquirere, quomodò fuerit contractus.

Sufficit, quod diuerſitas localis quomodòcunq; innoteſcat.

§. IV.

Quomodò negotia regulentur in nundinis coram Conſulatu Mercatorum.

SVMMARIVM.

Id, quod agitandum eſt, proponitur. 1. *Regularitèr nundinæ durant octo diebus.* 2. *Quid fiat ſingulis diebus in eiſdem.* 3.

1 Diſquiſitio IV. Quoniam ex pluribus ſuprà in toto hoc tractatu de cambijs ſparſim attactis innoteſcit plurima in nundinis expediri, placet ex profeſſo praxim, ordinem, expeditiones, & reliqua, quæ in ipſis fiunt ad pleniorem notitiam eorum, quæ hic pertractantur, examinare, ne quid deſit, quod prætereat ſtudioſorum huius artis exactam cognitionem. Quæritur igitur, quomodò huiuſmodi negotia pertractentur, quo ordine diſponantur, qua methodo concludantur, vno verbo, inquiritur vniuerſa praxis eorum, quæ fiunt in nundinis, ſeu à nundinis expediuntur. In diuerſis diuerſa legi, nec vna, & eadem praxis eſt apud omnes. Placet me ad ea referre, quæ ex capitulis Genuenſibus facienda præſcribuntur in nundinis Placentiæ.

Reſpondeo igitur, res ſic diſponi. Statuitur Magiſtratus Mercatorum, 2
qui habet cognoſcere ſuper cauſas, & negotia, quæ fiunt pro nundinis in nundinis, & ex nundinis, auctoritate Senatus Genuenſis, vt habetur in capitulis num. 1. Regularitèr huiuſmodi nundinæ durant octo dierum ſpatio, quod tamen concurrentibus tribus ex quatuor partibus mercatorum contractationis poteſt prorogari. In his tempus ſic diſponitur; in prima die coram Conſule fiunt inter omnes mercatores acceptationes in proprijs ſcartafacijs, quæ acceptationes debent fieri intra vigintiquatuor horas ab inceptis nundinis, vt poſſint poſtea creditores exigere, vel facere proteſtum. Signantur huiuſmodi acceptationes in eiſdem ſcartafacijs ſiuè creditoris, ſiuè debitoris per quandam lineã ductam per tranſuerſum circa partitam; ex quibus acceptationibus emanant poſteà hinc indè multæ ſatisfactiones, ſolutiones, & compenſationes; & hinc etiam oritur bilancium, quod dicitur *di fiera*, quod bilancium conſiſtit in ea notula, quæ continet credita, & debita eiuſdem mercatoris, per quæ fiunt compenſationes, nam factis hinc indè acceptationibus quilibet mercator inſpicit ſuum ſcartafacium, in quo ſunt ſignata nomina debitorum, & creditorum, & vbi ſe reperiat debitorem debet inuenire modum, quo ſatisfaciat ſuis creditoribus intra octo dies, quia intrà tale tempus debet Conſuli aſſignari bilancium adæquatum, nam, ſi remaneret debitor, & bilancium non eſſet adæquatum, poſſet cogi per creditorem ad faciendas ſibi literas cambij, & ſi non poſſet de literis cambij ſatisfacere, tunc procedendum eſſet contra ipſum modo, qui præſcribitur in capitulis feriarum. An deindè tale ſcartafacium inducat aliquam obligationem, nouationem &c. videbitur in

Exponitur tota praxis eorum, quæ fiunt in nundinis.

 ſub-

ſubſequentibus.

In ſecunda die per Conſulem, & mercatores imponitur pretium cambijs, quod vocant pretium in reditu
3
nundinarum in ordine ad omnes ciuitates, in quibus exercetur negotiatio cambiorum nundinariorum. Hoc pretium in ordine ad loca non eſt idem quoad omnia, ſed diuerſum iuxtà diuerſa concurrentibus diuerſis circunſtantijs, & conditionibus augentibus, vel minuentibus valorem &c. quas circunſtantias, & conditiones debent attentè conſiderare idem Conſul, & mercatores habita notitia, vel copiæ, vel penuriæ exiſtentis in talibus locis, & ciuitatibus, aliarumque, quæ concurrunt ad augmentum, vel diminutionem pretiorum iuxta ea, quæ ſupra diximus, vt congruum pretium poſſint ſingulis aſſignare.

Pretium in ordine ad loca non eſt idem quoad omnia.

In cæteris autem diebus, qui ſuperſunt de eiſdem nundinis, multa alia negotia inter eoſdem mercatores poſſunt peragi, & regularitèr peraguntur; poteſt enim creditor per proclama perquirere ſuum debitorem, & quemcunque alium, qui pro eo vellet ſoluere, & nemine ſoluente, poteſt proteſtari ſuper eiſdem literis, & tunc literæ dicuntur redire cum proteſtatione, quibus propterea contrà debitorem concedetur beneficium celeris executionis. Poteſt item debitor in nundinis perquirere ſuum creditorem, vel alterum, qui ab ipſo habeat ſufficiens mandatum ad recipiendam ſolutionem, quo non inuento poterit proteſtari, & ſic deinceps immunis erit ab onere intereſſe, nec tenebitur poſtea vlterius accedere ad nundinas, aliaque plura poſſunt fieri, prout in capitulis Genuenſibus feriarum. Hæc omnia ferè ad verbum collegi, tùm ex eiſdem capitulis Genuenſibus, tùm à *Scaccia §. 2. gloſ. 2. à num. 9. vſque ad finem*, quibus, cum ſint de facto, nihil ex proprio marte, addere potui.

Capitula Genuenſia.

---

§. V.

An ſcripta in huiuſmodi ſcartafacijs, de quibus ſuprà, inducant aliquam obligationem, & quomodò.

SVMMARIVM.

Proponuntur in particulari omnia, quæ in hoc §. examinabuntur. 1.

Scartafacio, qua tale præcisè eſt, non adhibetur regularitèr fides. 2.

Accedentibus alijs adminiculis quandoque fidem habent. 3.

Huiuſmodi ſcartafacia ſecundum ſe nullam habent inducere obligationem, nec nouationem. 4.

Scriptura mercatoris facta in ſuo ſcartafacio in fauorem alterius non inducit obligationem, ſed poteſt reuocari, ſi ille, in cuius fauorem facta eſt, erat abſens, & nondum ſciuit, nec acceptauit promiſſionem. 5.

Scriptura mercatoris facta in ſuo ſcartafacio de mandato alicuius in fauorem alterius, qui abſens erat, nec ſciuit, ſi non eſt à mercatore ſcribente reuocata, eſt tamen adhuc reuocabilis, quinimmò nec ſatis videtur probare contrà ſcribentem ad finem ipſum obligandi. 6.

Quinimmò etiam eſt reuocabilis, ſi ille, in cuius fauorem ſcripta eſt, ſciuit, & acceptauit. 7.

Diſquiſitio V. Cum dictum fuerit in præcedenti paragrapho mercatores in nundinis habere ſua ſcartafacia, in quibus modo prędicto ſignant acceptationes, aliaque peragenda, ſeruandæ memoriæ cauſa conſcribunt, multa circa ipſa controuertenda occurrunt ad pleniorem notitiam eorũ, quæ ad quæſtiones de cambijs pertinere poſſunt, & primò controuerti poteſt, an huiuſmodi ſcartafacio ſit adhibenda fides. Secundò, an inducant aliquam obligationem, nouationem, ſeù promiſſionem. Tertiò, an ſcriptura mercatoris facta in ſuo ſcartafacio ad fauorem alterius poſſit reuocari, quod extendi etiam poteſt in inquirendo de ſcripturis in alijs mercatorum libris confectis, & his ſimilia. 1

Reſpondeo primò, ſcartafacio, qua tale præcisè eſt, regularitèr non adhiberi fidem, *Iaſon. in l. admonendi num. 81. in fin. ff. de iure iuran. ibique Baldus, Caſtrenſis, Alexander, Romanus, Menochius conſ. 296. nu. 91., Rota Genuenſis deciſ. 1. num. 17. 19., & 20., Hector Fellicius alleg. 18. num. 2. lib. 1.* Rationem primam adducit *Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 4. num. 12.*, quià ſcilicet ea, quæ in huiuſmodi ſcartafacijs notantur, poſſunt variari, circumſcribi, & denotant rem imperfectam, ergo talia non ſunt, vt ipſis adhibenda ſit plena fides. Secundam ex alijs ſic placet adducere, quià non maior fides adhibenda eſt ſcartafacio, quam ſit adhibenda confeſſioni abſente 2

te

te parte *Baldus in rub. C. de conſtit. pecun.*, *Menochius conſ. 297. nu. 76.*, ſed confeſſio facta abſente parte confitenti minimè nocere poteſt: quinimmò ab eodem liberè poteſt reuocari *l. certum §. 51. quis abſente de confeſſis Modernus in ſuas conſuetud.*, *Pariſienſis tit. 3. gloſ. 1. §. 8. num. 20.*, ergo &c.

3 Dixi *regularitèr*, nam, ſi accedant alia adminicula, vt quià ſignentur in eiſdem acceptationes coram Conſule mercatorum, modo, quo dictum eſt in præcedenti paragrapho per illam lineam ductam per tranſuerſum, tunc fidem quidem faciunt, non tamen præcisè ſecundum ſe, ſed quatenus adnotatio facta eſt coram Iudice in eiſdem, & aliundè acceptatio comprobatur, quod idem dic in ſimilibus accedentibus alijs adminiculis, quæ ſimul cum illa ſignatione habeant plenam ingerere probationem.

Limitatio præcedentis reſponſionis.

4 Reſpondeo ſecundò, huiuſmodi ſcartafacia, ſi ſecundum ſe ſumantur, nullâ habent inducere obligationem, nouationem, nec promiſſionem *Scaccia de commert. d. §. 2. gloſ. 4. nu. 12.*, qui pro ſe citat. *Menochium d. conſil. 296. cum interrogatus num. 28.*, *Rotam Genuenſem deciſ. 1. nu. 17.* Ratio deducitur ex ſupradictis in prima reſponſione, nam hæc ſcartafacia ſunt quidam libri ſine ordine confecti, atque conſcripti, quibus in iudicio non creditur, vndè ex vi ipſorum præcisè nulla inducitur obligatio, nec probatio ſufficiens talis obligationis.

5 Reſpondeo tertiò, ſcriptura Mercatoris facta in ſuo ſcartafacio in fauorem alterius nõ inducit obligationem, ſed poteſt reuocari, ſi ille, in cuius fauorem facta eſt, erat abſens, & nondum ſciuit, nec acceptauit promiſsionem, & ſcripturam illam *Menochius d. conſ. 292. num. 92.*, qui pro ſe citat., *Cranettam*, *Rotam Romanam*, *& alios*. Probatur reſponſio, quia per talem ſcripturam non inducitur nouatio, nec delegatio, nec actio præſcriptis verbis in fauorem illius tertij, ergo nec aliquam obligationem inducit, nec impedit, quominus poſsit reuocari. Antecedens probatur, quia tam ad nouationem, quam ad obligationem, & ad actionem præſcriptis verbis requiritur non ſolum acceptatio in nouante, & delegato, ſed etiam illius, in cuius fauorem fit nouatio, ſeù delegatio per ea, quæ latè ſupra tradidimus, dum de nouationibus, & delegationibus, ergo, ſi ille erat abſens, nec ſciuit, nec acceptauit promiſsionem, non propriè intercesſit nouatio, nec delegatio, nec actio præſcriptis verbis. Conſequentia primi argumenti probatur, quia non intercedente præcipuè nouatione, nec delegatione, nec actione præſcriptis verbis ille, in cuius fauorem facta eſt nouatio, ſeu melius illa ſcriptura, in qua non conſiſtit nouatio, nec delegatio, nullum ius acquiſiuit aduerſus eum, qui talem ſcripturam fecit, ergo ille non obligatur, adeoque poterit ſcripturam reuocare. Confirmatur, quia per talem ſcripturam factam præcisè in ſcartafacio non arguitur perfectè conſenſus ſcribentis ad ſe obligandum, ergo poterit reuocari talis ſcriptura. Antecedens probatur, quia illa ſcriptura potuit tantum eſſe confecta, vt memoriale ad deliberandum, ergo &c.

Non intercedit nouatio nec delegatio ſine conſenſu eius in cuius fauorē fit.

6 Reſpondeo quartò. Scriptura mercatoris facta in ſuo ſcartafacio de mandato alicuius in fauorem alterius, qui abſens erat, nec ſciuit, nec acceptauit promiſſionem, ſi non eſt à mercatore ſcribente reuocata, eſt tamen adhuc reuocabilis, quinimmò nec ſatis probare videtur contrà ſcribentẽ ad finem ipſum obligandi, quidquid dixerint, *Decius in cap. 2. verſ. ſecundò Abbas de fid. inſtrum.*, *Craueta de antiq. temp. in nou. particul. primæ partis princip. incip. Vidimus num. 26.* Ratio primæ partis ex ijs deducitur, quæ probat *Menochius d. conſ. 296. num. 68., & ſeqq.*, & primò, quod ſcripta in ſcartafacio committentium tanquam ſcripta in memoriali poſſint reuocari, variari, & controſcribi per ea, quæ habet in terminis *Rota Genuenſis in deciſ. 1. num. 9. in fin.*, *& num. 24.*, *& Cranetta loc. mox allegato*, ſecundò, quia Epiſtola ad aliquem ſcripta, antequam ipſi præſentetur, reuocari poteſt, atque ità non obligat, antequam illi præſentata ſit per ea, quæ tradit *Ripa in l. admonendi nu. 135. in fin. ff. de iure iurand. ex l. abſenti C. de nouat.*, tertiò quià, quandò ex facto alicuius voluntario ius tertiò abſenti conceditur, poteſt concedens illud reuocare, antequam ille tertius acceptat *l. qui Romæ §. Flauius ff. de verborum oblig.*, per ea, quæ latè ibi congerit, *Bartolus num. 1.*, probans per multa exempla, *& Coaruuias lib. primo var. reſol. cap. 14. num. 16. verſ. 5. equidem*; Neque obſtare poſſunt ea, quæ congerit in contrarium *Felinus in cap. 2. num. 28. de fid. inſtrum.*, nempè ſcripta mercatoris ſuis in libris non poſſe ad eius libitum reuocari, cum liber rationis mercatorum probet in fauorem

Digitized by Google

abſentis, quià tacitè eis cenſentur dediſſe mandatum, vt ità ſcribant; atque ità virtute taciti mandati probare *l. ſi quis ex argentarijs §. rationem ff. de edendo*, non, inquam, obſtare poteſt, quià ad ſummum ea, quæ dicuntur, procedunt quoad ſcripta in libro magiſtrali, qui facit præſumi tacitum mandatum, non quoad ſcripta in ſcartafacio per ea, quæ tradit *idem Menochius dict. conſ. 296. num. 75.*

7 Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod, quandò ſcriptura eſt reuocabilis pro eo tempore, quo reuocari poteſt, quià nondum acceptata eſt, non probat quantum ad effectum obligandi ſcribentem, ſi enim in poteſtate ipſius eſt reuocare, quomodò poteſt obligari ad ſtandum tali ſcripturæ? ergo &c.

Reſpondeo quintò. Scriptura mercatoris facta in ſcartafacio in fauorem alterius abſentis, qui ſciuit ità ſcriptum, & acceptauit expreſsè, eſt adhuc per mercatorem ſcribentem reuocabilis. Ita expreſsè *Menochius loco cit. nu. 93., & ſeqq.*, vbi pluribus iuribus, rationibus, &c. Doctorum placitis reſponſionem confirmat; quæ ibi recole.

---

§. VI.

Nonnulla dubia circà libros Proxenetarum.

SVMMARIVM.

Exponuntur dubia, de quibus eſt controuerſia in particulari. 1.

Liber proxenetarum non ſufficientèr probat in ijs, quæ pertinent ad eorum fauorem, niſi ad ſummum indirectè. 2.

Liber proxenetæ à publico deputati, ſi fuerit benè confectus, ſufficientèr probat in aliorum fauorem. 3.

Ad hoc, vt talis liber ſufficientèr probet, debet eſſe ritè confectus, & quomodò. 4.

1 Diſquiſitio VI. Contractum fuerat cambium media opera Proxenetæ, qui ex officio proprio tenetur omnia negotia per ſe ipſum actitata ſcribere in quodam ſuo libro. Sed, cum literæ pro eodem cambio nõ eſſent datæ, vel amiſſæ, nec aliundè conſtaret, agente campſore cõtrouertebatur primò, an ipſius proxenetæ liber ſufficientèr probet in ijs, quæ pertinent ad ipſius fauorem, & hoc, ſiuè ipſe proxeneta fuerit approbatus à publico, ſiuè non; ſecundò, an probet in aliorum fauorem, de quorum negotijs agitur, tertiò quomodò huiuſmodi liber debeat eſſe conſcriptus, vt probet, & his ſimilia.

Reſpondeo igitur primò, librum proxenetarum non ſufficientèr probare in ijs, quæ pertinent ad eorum fauorem, niſi ad ſummum indirectè, quatenus eorũ fauor eſſet coniunctus cum fauore aliorum, pro quibus probaret, & hoc, ſiuè proxenetæ fuerint à publico deputati, ſiuè illud munus exerceant ex proprio arbitrio. *Bartolus in l. quadam §. nummularios ff. de edendo, Rota Genuenſis deciſ. 110. num. 5., Genua lib. 4. de lib. proxenetarum, mediatorum num. 1.* 2

Probatur prima pars per ea, quæ conſiderat *Rota Genuenſis* loco citato, nempè nimis perniciosum eſſe credi ſcripturæ, qua quis propria annotatione ſibi aliquem conſtituit debitorem *ad l. exemplo C. de probat.* Dixi, *& hoc ſiuè fuerint à publico deputati*, quandoquidem per ea, quæ aſſerit *Bartolus, & Doctores communitèr in d. l. quadam §. nummularius ff. de edendo* adhuc eorundem libris quoad eorum fauorem fides non adhibetur. Accedit, quod etiam Notarij habent officium publicum *arg. l. Diuus, & l. de eo ff. de falſ.*, & tamen eiſdem in proprium fauorem non creditur. Contraria tamen ſententia ſua probabilitate non caret, de qua propterea alibi ex profeſſo.

Notarij in proprium fauorem non creditur.

Probatur ſecunda pars, quià data ſuppoſitione, quod quandoque liber proxenetarum in aliorum fauorem probet, ſi aliorum fauori connexus eſt fauor proxenetæ ſcribentis probato aliorum fauore non poteſt, quin reſultet etiam probatio fauoris ipſius proxenetæ, quod exemplo elucidatur. Demus enim, quod proxenetis pro eorum miniſterio, ſeu ſtipendio debeatur quid pro ſingulis contractibus, ad quos fuerunt mediatores, tunc ſi liber ipſorum probat contractum per ipſos fuiſſe initum, probat etiam concludentèr, quod ipſis ſit debitum illud ſtipendium ex neceſſaria illatione, niſi eidem ceſſerit, ergo &c.

Probando in aliorum fauorem probat etiam in ſuum, quando ſuus coniungitur cum illo aliorum.

Reſpondeo ſecundò, librum proxenetarum, ſi fuerint à publico deputati, & liber fuerit benè confectus, ſufficientèr probare ad aliorum fauorem. *Rota Genuenſis d. deciſ. 110. num. 6., Genua lib. 4. de ſcriptura priuata tit. de lib. proxenetarum num. 10.* Probatur primò, argumento de notario à contrario ſenſu 3

ſu

ſu deducto ab ijs, quæ ſuprà diceba-mus, nam ſicuti, quià Notarij quamuis fuerint à publico deputati in ijs, quæ pertinent ad proprium fauorem, non habent publicam fidem, nec inducunt ſufficientem probationem, arguitur, quod neque proxenetæ in ijs, quæ ſunt ad proprium fauorem habeant talem fidem, & probationem; ità à contrario ſenſu non incongrue argui poſſe videtur, quod, ſicuti habent publicam fidem in ijs, quæ pertinent ad aliorum fauorem, ità etiam talem habeant fidem ipſi proxenetæ.

Probatur ſecundò, ratione publici officij, quod gerunt, ratione cuius, ſicuti tenentur omnes partitas, nomina, cognomina, conuentiones, & pacta ad amuſſim conſcribere in ſuis libris quoad ea, ad quæ ipſi ſunt mediatores, ita non eſt, cur eorum ſcriptis ſecundum talem ordinem confectis non ſit fides præſtanda; ad quid enim publica auctoritas onus ſic ſcribendi imponeret, adeò vt per ea, quæ ſuprà dicta ſunt, ſi ommitterent, poſſent grauitèr puniri, ſi talibus ſcriptis non eſſet ſtandum, ſeu credendum? Deindè maior fides adhibenda eſt illi ratione publici miniſterij, quam alteri cuilibet priuato *arg. l. 2. C. de offic. ciuil., Iud. Crauetta de antiquit. temp. verſ. limitatur 4. num. 68.*, ergo &c.

Maior fides proxenetæ propter publicũ miniſterium adhibenda eſt quam priuato.

4 Reſpondeo tertiò, ad hoc vt talis liber ſufficientèr probet, debet eſſe ritè confectus ſecundum ea, quæ in ſimilibus ſolent fieri, vel prout præſcripta ſunt in ſtatutis locorum, vel per conſulatum mercatorum, vel per conſuetudinem approbata, adeò vt conſcribantur conuentiones perſonarum non perfunctoriè, & oſcitantèr, ſeu obſcurè, ſed clarè, & dilucidè ſecundum illum ordinem, qui obſeruari ſolet per ea, quæ conſiderat *Benuenutus Straccha in tract. de proxenetis part. 2. nu. 7.*, quem tu conſule, ſubtiliter enim, & elegantèr de hac materia differit.

Pro complemento aduerte, cum regularitèr proxenetæ ratione officij edant ſuos libros, & ad inſtantiam partium conuentiones in eiſdem ſcribant, teneantur ad inſtantiam earundem partium eoſdem exhibere *l. prætor ait ff. de edendo Straccha d. tractatu de proxenetis part. 2. num. 43.*, non quidem quoad omnia reſpectu ſingulorum, quæ in eiſdem libris continentur, ſed tantum quoad ea, in quibus conuentio tractata quoad ſingulos reperitur inſcripta *arg. l. 1. §. edenda, & l. argentarias §. edi autem ff. de edendo.*

§. VII.

Quaſnam exceptiones opponere poſſit reus in iuditio executiuo quoad literas cambiorum.

SVMMARIVM.

Proponitur ratio dubitandi. 1.
Exceptiones figuram iuditij requirentes non admittuntur in iuditio executiuo quoad literas cambij. 2.
Poteſt opponi de inhabilitate, ſeu illegitimatione perſonæ, qua oppoſita tenetur habilitatem, & legitimationem probare. 3.
Poſſunt opponi etiam exceptiones dilatoriæ reſpicientes perſonam iudicis, aliæq; omnes exceptiones peremptoriæ, puta ſolutio, pactum de non petendo, nouatio, delegatio. 4.
Non poteſt opponi, quod cambium ſit vſurarium. 5.

Diſquiſitio VII. Cum dictum fuerit ſuprà literis cambij regularitèr 1
concedi executionem paratam, pro vt præcipuè *ſub hoc eod. tit. de Cambijs III. Prænot. 10. in capitulis approbatis à Pio V. ſanct. mem. pro mercatoribus Bononienſibus*. Euenit aliquandò caſus, quod, cum creditor ageret ad talem executionem iuxtà formam præſcriptam in capitulis feriarum, ſeu in ſtatutis locorum, Reus contenderet nonnullas opponere exceptiones aduerſus iudicium executiuum, ſeu executionem intentatam. Quæritur, an de iure potuerit, ſeu, an ſit audiendus quoad omnes, an quoad aliquas tantum, & quaſnam, an quoad nullas.

Iuxtà capitula fori Bononienſis ſtatutum eſt non poſſe alias exceptiones opponi, niſi quod literæ cambij non ſint ſcriptę, aut ſubſcriptæ manu eius, qui dicitur ſcribere ſeu ſcripſiſſe, aut ſubſcribere aut ſubſcripſiſſe, aut quod dictæ literæ fuerint ſolutæ. Ibi, *ne ſi poſſa opporre eccettione alcuna ſaluo che, ò la lettera &c.* Sed difficultas non procedit attento iure communi.

Reſpondeo primò, exceptiones reſpicientes figuram iuditij non admitti 2
in iudicio executiuo literarum cambij. Ita expreſsè *Scaccia §. 7. gloſ. 5. num. 16.* nec incõgrua ſanè ratione, quià in huiuſmodi executionibus proceditur ſine figura iuditij, ergo non ſunt admittendæ.

dæ exceptiones, quæ reſpiciunt ſecundum ſe figuram iuditij. Conſequentia tenet, quià huiuſmodi exceptiones ingerunt figuram iuditij, quæ in hoc iuditio excluditur.

3 Reſpondeo ſecundò, poſſe opponi de inhabilitate, ſeu illegitimatione perſonæ, qua oppoſita tenetur actor habilitatem, & legitimationem plenè probare *Neuiz. conſ. 18. num. 3. Flam. Cartar. deciſ. 32. quidam petijt num. 1. Galleſ. ad form. Cam. oblig. quæſtiones ad 4. part. quæſt. 1. ſub num. 1., & 3. tom. 6. part. 2.*, quoad obligationem inductam per exceptionem probandi habilitatem, & legitimationem *Bartolus in l. 2. in fin. C. de edic. D. Adrian. tol. Vant. de nullitate rub. de nullitate ex defect. inhabil. &c. ſub num. 3.*

Ratio primæ partis ex eo deduci poteſt, quià ſtatutum prohibens exceptiones contra literas cambij non prohibet eaſdem contrà perſonas *Bartolus in l. 1. §. & parui num. 6. verſ. tamen circa ff. quod vi, & clam*, ergo exceptiones quoad inhabilitatem, & illegitimationem perſonæ ſunt admittendæ. Confirmatur, quià contrà non adimplentem ſubſtantialia contractus admittitur in communi ſententia exceptio etiã in iudicio ſummario, & executiuo per ea, quæ tradit *Scaccia §. 1. quæſt. 1. num. 353.*, ſed non legitimans perſonam in iuditio non adimplet ſubſtantialia contractus, ergo contrà ipſum poterit dari exceptio.

Admittitur exceptio in iuditio ſummario contrà non implentem ſubſtantialia contractus.

Ratio ſecundæ partis eſt. Quià non poteſt quis agere in aliquo iudicio etiã ſummario, & executiuo, niſi ſit habilis, & legitimus ad agendum per ea, quæ innumeris citatis Doctoribus, & iuribus allegat *Bartolus in d. l. 2. C. de edict. D. Adriani tol.* ergo poſita præcipuè exceptione de tali inhabilitate, & illegitimatione ipſe tenetur probare ſe habilem, & legitimum eſſe. Conſequentia probatur, quia cui incumbit onus probandi à principio, & ex vi muneris proprij, à fortiori incumbit, quandò datur exceptio; neque obſtare poteſt, ſi dicatur, dicenti, non neganti incumbere onus probandi, adeòque allegata exceptione inhabilitatis, & illegitimationis per Reum per ipſum deberi probari inhabilitatem, & illegitimationem *iuxtà l. 2. ff. de probationibus, & in c. vnico vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur*; non, inquam, obſtare poteſt, quià, quæ dicuntur, vera ſunt, quandò ex munere proprio actor in principio actionis non tenetur ſe legitimare, & habilem exhibere, ſecus autem, quandò tenetur eadem præſtare, tunc etenim præmonitus per exceptionem non poteſt ſubterfugere talem probationem.

Soluitur inſtantia contrà probationem.

Hæc, quæ dicuntur, a fortiori procedunt, quandò actor comparet nomine alieno, ideſt quandò venit ex iure alterius perſonæ per ea, quæ docent *Baldus conſ. 374. quæritur vtrum num. 3. verſ. ſuper ſecundo lib. 4. Becc. conſ. 75. remedium ſub num. 6. lib. 1., & Flam. Cartar. deciſ. 33. Domina Domenichina num. 1.* quia potior eſt ratio dubitandi de habilitate, & legitimatione.

Reſpondeo tertiò, poſſe opponi etiam in iudicio executiuo exceptiones dilatorias concernentes perſonam Iudicis, 4
puta incompetentiam ipſius, aliaſque omnes exceptiones peremptorias, puta ſolutionem, pactum de non petendo, nouationem, delegationem *Scaccia tract. de iudi. cauſ. lib. 1. cap. 101. num. 6. Galleſ. ad form. Cam. oblig. quæſtiones ad part. 4. quæſt. 1. ſub num. 1. tom. 6. part. 2.* Ratio primæ partis eſt, quià etiam ſine exceptione iudicium Iudicis incompetentis omninò nullum eſt, quià ſine Iudice non ſubſiſtit iudicium; Iudex autem incompetens, & non Iudex quoad effectum iudicandi pares ſunt, ergo vtique poterit opponi talis exceptio incompetentiæ, quæ certè probari exigit competentiam, ſi per eandem exceptionem exigatur; neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, quod iudicium etiam redditur nullum, ſi deficiant aliqua, quæ pertinent ad figuram iuditij, & tamen in hoc iudicio opponi non poſſunt; non, inquam, obſtare poteſt, nam illa pertinent ſolummodò ad iudicium plenarium, quod ſine illis non poteſt ſubſiſtere, non ad præcisè executiuum, ad cuius ſubſtantiam non requiruntur, cum quoad damna, quæ ex hoc obuenire poſſunt, aliundè poſſit prouideri per iudicium plenarium.

Ratio ſecundæ partis eſt, quià huiuſmodi exceptiones à ſtatuto de cauſis breuioribus non ſunt prohibitæ, & 5
quod non eſt mutatum, cur ſtare prohibetur? Ità ad verbum *Scaccia de commert. §. 7. gloſ. 6. num. 46.*

Reſpondeo ſecundò, non poſſe opponi in hoc iuditio executiuo exceptionem, quod cambium, de quo agitur, & pro quo petitur executio parata, ſit vſurarium *Surdus conſ. 317. Rotæ Lucenſis ſub num. 16., & num. 17. lib. 3. Scaccia tract. de appellationibus quæſt. 19. remed. 1. concl. 4. ſub num. 42.* Ratio eſſe poteſt, quia nullitas adducta per viam actio-

áctionis non impedit executionem, ſed, quandò excipitur de vſuraria prauitate, proceditur ad nullitatem per viam actionis, ergo &c. Vide, quæ latè tradit *Scaccia loc. cit.*, quæ tamen reſponſio limitanda eſt per ea, quæ dicentur in ſubſequentibus paragraphis.

§. VIII.

An introducta cauſa per debitorem ſuper vſuras coram Iudice Eccleſiaſtico adhuc per Iudicem Laicum poſſit procedi ad executionem literarum cambij.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatu difficultatis. 1.
Iudex Eccleſiaſticus poteſt nedum inhibere, ne Iudex Laicus ad executionem procedat, ſed hic poſita præcisè ſcientia de introductione cauſæ ſuper vſuras coram Eccleſiaſtico tenetur ſuperſedere à iudicio executiuo. 2.

1 DIſquiſitio VIII. Inito Cambio inter Seium campſorem, & Franciſcum Campſarium antè reſtitutionem in loco conuento factam per ipſum Franciſcum, orta fuit controuerſia de vſuraria prauitate, & per eundem Franciſcum introducta coram Iudice Eccleſiaſtico, cumque Seius ob non ſolutionem tempore opportuno emiſerit proteſtationem, petebat coram Iudice Laico executionem literarum cambij, quæ ſibi ex ſtatuto concedebatur. Hic examinandum proponitur, an non obſtante priori introductione cauſæ propter vſuras coram Iudice Eccleſiaſtico poſſit nihilominus Iudex Laicus procedere ad conceſſionem executionis; vbi nota, an interuenerit, ſeu neceſſaria ſit inhibitio per Eccleſiaſticum facta Laico, an non interuenerit, ſeu neceſſaria non ſit. Circa quam controuerſiam re maturè pro vtraque parte adductis iuribus, & rationibus diſcuſſa tandem concluſit *Scaccia de commerc. §. 7. gloſ. 5. num. 61.* nimis in hoc acerrimus propugnator iuriſdictionis ſæcularis, poſſe non obſtante litis pendentia ſuper cauſa vſurarum Iudicem laicum procedere ad executionem.

Reſpondeo, in data hypotheſi Iudicem Eccleſiaſticum poſſe nedum inhibere, ne Iudex Laicus ad executionem procedat, ſed etiam hunc non poſita etiam inhibitione, ſed poſita præcisè ſcientia de introductione cauſæ ſuper vſuras coram Iudice Eccleſiaſtico, teneri ſuperſedere à iudicio executiuo. *Federicus de Sen. conſ. 126. in quæſt. Domini num. primo. Alexander in l. 4. §. condemnatum ſub num. 17. ff. de re iud. Ambroſius de Vignatis in c. ſalubritèr ſub num. 131. verſ. quinto mouetur de vſuris inter tract. diuerſ. tom. 7. Afflictus deciſ. 30. fuit dubitatum num. 4. Socc. conſ. 78. licet ſub num. 5. verſ. ex quibus lib. 3.* aduerſus *Angelum in l. 4. §. condemnatum ff. de re iud. Rebuffum ad Reg. conſtit. Gall. tit. de liter. oblig. art. 2. gloſ. 1. nu. 22. tom. primo. Surdum conſ. 327. Rotæ Lucbenſis ſub num. 16. verſ., & propter lib. 3., & alios.*

Probatur primò reſponſio quoad primam partem, quia Iudex Eccleſiaſticus delata ad ſe cauſa ſuper vſuris iuſtè ex proprio officio poteſt procedere quoad illam, ergo iuſtè poteſt impedire per inhibitionem, ne Iudex Laicus pendente adhuc lite ſuper eiſdem vſuris, procedat ad executionem inſtrumenti, ſeu literarum cambij. Antecedens non vertitur in dubium, quià per ea, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 16.*, iudicium quoad cauſas vſurarum præcipuè ſpectat ad Iudicem Eccleſiaſticum, & quandò etiam Laicus in eiſdem poſſet ſe ingerere, datur locus præuentioni. Conſequentia probatur, quià proceſſus vſuræ eſt præiudicialis executioni inſtrumenti, & per conſequens etiam literarum cambij, ergo iudicium ſuper tali executione intentatum penes Iudicem Laicum eſt ipſo iure nullum per ea, quæ docet *Ambroſius de Vignate in c. ſalubritèr ſub num. 131. verſ. quinto mouetur de vſuris inter tract. diuerſ. tom. 7.*, vndè in hac hypotheſi duorum iudiciorum, quæ intentari poſſunt circa eundem contractum, alterum ſuper vſuris, ſeu ſuper nullitate ipſius ratione vſurarum per Iudicem Eccleſiaſticum, alterum ſuper executione ratione ſtatuti ipſam concedentis prius articulus vſuræ, vt potè præiudicialis terminari debet, ne detur intricatio proceſſuum, quæ maximè vitanda eſt per ea, quæ pluribus iuribus allegatis expreſsè docet *Federicus de Sen. conſ. 126. in quæſt. Domini num. 1.*

Proceſſus vſuræ eſt præiudicialis executioni inſtrumenti.

Intricatio proceſſuum maximè vitanda eſt.

Probatur ſecundò ex dictis *Rotæ Rom. inter diuerſ. deciſ. 217. fuit per Dominos in vna Romana pecun. Lunæ 28. Iunij 1604. coram Card. Millino in impreſſis Romæ anno 1615.*, vbi cum ageretur

duplici quodamodò iudicio altero criminali ratione vſurarum, altero ciuili ſuper petita executione inſtrumenti dictum fuit, ſuperſedendum à criminali, donec ciuilitèr cognoſceretur in Rota, an inſtrumentum eſſet vſurarium, quià cauſa criminalis ſuper vſura inſtrumenti pendebat à reſolutione cauſæ ciuilis ſuper petita executione inſtrumenti, quià ſi Rota reſoluit inſtrumentum eſſe exequendum ceſſat omnis actio criminalis per exceptionem rei iudicatæ, ergo etiam excitato duplici iudicio, altero coram Eccleſiaſtico ſuper vſuris, altero ſuper petita executione literarum coram Laico ſuperſedendum erit ab hoc ſecundo, nam ſi Eccleſiaſticus iudicauerit contractum vſurarium eſſe, adeòque nullum, ceſſabit quæcunque actio ſuper executione per exceptionem iudicatam nullitatis contractus.

Non acquieſcit huic duplici probationi *Scaccia d. §. 7. gloſ. 5. num. 63. verſ. ad primam* aſſerens, nec præiudicialitatem cauſæ, de qua in prima probatione ratione vſurarum, nec Rotæ Romanæ deciſionem, de qua in ſecunda, attendi ad effectum ſuſpendendi iudicium executiuum, quandòquidem, quandò etiam in cauſis præiudicialibus requiritur altior indago, iudicium executiuum non ſuſpenditur, cum hoc eiſdem cauſis præiudicialibus præiudicare non poſſit, cum de facile ſit retractabile. Sed nec ego de facili acquieſcere poſſum ipſius impugnationi, ſiquidem iura maximè abhorrent à circuitu, & à proceſſuum intricationibus, vt quod modo vni conceditur, craſtina die ſit ab eodem reuocandum, & quod pro eodem tempore fiant proceſſus ſe adinuicem confundentes, præcipuè ſi iudicium quoad vſuras in caſu, de quo loquimur, fuerit prius introductum coram Iudice Eccleſiaſtico, qui, cum præuenerit in cauſa nullitatis, impedit executionem ſententiæ *Paulus de Caſtro apud Scacciam tract. de Appel. quæſt. 19. rem. 1. concl. 4. num. 2.*

Inſtantia Scacciæ, eius ſolutio.

Probatur ſecunda pars, quià, vbi cauſa introducta eſt coram Iudice Eccleſiaſtico ſuper nullitate ratione vſurarum, & ſcitur, iniuſtè peragitur quidquid contrà inceptum iudicium intentatur, nam ſequeretur cum certa ſcientia illa proceſſuum intricatio, de qua dictum fuit in præcedenti probatione, ergo &c.; vndè ſi poſteà in foro ſeculari ſecuta eſſet ſententia ſuper executione conceſſa ex vi ſtatutorum poſſet per eundem Iudicem Eccleſiaſticum inhiberi executio etiam per viam excommunicationis &c.

---

§. IX.

An incæpto iudicio coram Sæculari ſuper executione per creditorem poſſit debitor agere de Vſura coram Eccleſiaſtico, & impedire executionem.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis. 1.
Variæ acceptiones, ſecundum quas poteſt decidi difficultas. 2.
Si vſuraria prauitas ità ſit euidens, vt rationabilitèr cælari non poſſit, & ſit talis formalitèr, & ab intrinſeco, vt ſecundum ſe irritet contractum non obſtante iudicio executiuo antecedentèr intentato coram Laico debitor, nedum per modum exceptionis, ſed etiam per modum actionis poteſt agere coram Iudice Eccleſiaſtico ad ſuſpendendum iudicium executiuum. 3.
Si verò non ſit ità euidens, vt ab intrinſeco non irritet, ineſficax eſt actio, & exceptio coram Eccl. Ibid.

Diſquiſitio IX. Siſtendo in terminis præcedentis contractus, ſecundum quem ex titulo Cambij Seius eſt creditor, Franciſcus debitor; Cum hic, nec per ſe, nec per ſuum reſpondentem tempore conuento perſoluiſſet, Seius eleuato proteſtu *ſuper non* ſolutione coram Iudice Laico agebat ad executionem conceſſam ex vi ſtatuti, quam actionem, vt effugeret Franciſcus, recurſu habito ad Iudicem Eccleſiaſticum actionem intentauit ſuper nullitate contractus ratione vſurariæ prauitatis, quæ in contractu præſumebatur. Quæritur hic, an iuſtè potuerit excipere ad effectum ſuſpendendi iuditium executiuum, donec per Eccleſiaſticum fuerit definitum ſuper cauſa vſurarum. 1

Reſpondeo cum diſtinctione; vel enim vſuraria prauitas, quæ ſupponitur in contractu, ità euidens eſt, vt excludat quamcunque exceptionem ipſam occultantem, vel non ità euidens, vt ad ſui manifeſtationem exigat altiorem indaginem. Rurſus, vel illa vſuraria prauitas eſt talis formalitèr ab intrinſeco, & ſecundum ſe, vt abſolutè contractum ipſo iure reddat irritum, 2

Variæ acceptiones, ſecundum quas poteſt difficultas examinari.

ritum, & nullum, vel talis ſolummodò ab extrinſeco, ſeu ex diſpoſitione iuris propter aliquam iniuſtitiam, vel ſuſpicionem iniuſtitiæ, ratione cuius declaretur quodamodò vſurarius, quamuis abſolutè, & ab intrinſeco vſurarius non ſit, vt non vitiet ipſum contractum, ſed potius ipſa vitietur, cuiuſmodi ſunt contractus aliqui cenſuales celebrati cum aliquibus conditionibus contrà diſpoſitionem Pij V. qui per eundem declarantur fœneratitij, & tamen non ſunt tales ſecundum ſe, ſed tantum ex diſpoſitione iuris, quatenùs tales conditiones ſunt prohibitæ apponi in huiuſmodi contractibus, quarum aliquæ, ſi apponantur, non irritant contractus, ſed ipſæ irritantur.

3 Concluſio ſtabilita.

Si vſuraria prauitas ità euidens eſt, vt rationabilitèr cælari non poſſit, & ſit talis formalitèr, & ab intrinſeco, vt ſecundum ſe irritet contractum non obſtante iudicio executiuo antecedentèr intentato per creditorem coram Iudice Laico debitor nedum per modum exceptionis, ſed etiam per modum actionis poteſt agere coram Iudice Eccleſiaſtico ad effectum ſuſpendendi iudicium executiuum; ſi verò non ſit ità euidens, nec ab intrinſeco talis, ſed tantum ab extrinſeco ratione alicuius conditionis non irritantis contractum, ſed potius, quæ irritetur, tunc inchoato iudicio ſuper executione coram Iudice Sæculari videtur inefficax actio coram Eccleſiaſtico ſuper vſuris in ordine ad ſuſpendendum primum iudicium executiuum tàm per viam exceptionis, quam per viam actionis. Quoad primam partem videtur admitti per *Scacciam in tract. de appell. quæſt. 19. rem. 1. concl. 5. num. 1., & ſeqq.* vbi aſſerit, nullitatem non euidentem inefficacem eſſe tàm per viam exceptionis, quam per viam actionis, ergo ex ipſius mente, ſi ſit euidens, & talis ab intrinſeco, vt irritet ſecundum ſe contractum, erit abſolutè efficax. Quoad ſecundam partem eſt *Calderini inter conſ. Ancharani conſ. 236. inhærendo num. 1. Scaccia tract. de Iudic. cauſ. lib. 1. cap. 12. num. 57.*

Contractus euidentèr nullus, nullos poteſt parere effectus.

Probatur prima pars, quià contractus ſecundum ſe manifeſtè nullus, vtpotè euidentèr vſurarius nullos poteſt parere effectus per ea, quæ tradidimus ſuprà *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 6., & 7.*, quià contractus nullus ab intrinſeco perindè eſt, ac ſi non eſſet contractus, ergo nullum ius poteſt tribuere ad executionem paratam. Conſequentia patet, quià executio conceditur propter contractum, ergo, ſi contractus eſt nullus, nullam poteſt habere executionem.

Probatur ſecunda pars, quià iudicium incohatum quoad vnum forum ſecundum eam rationem, quæ eidem foro ex diſpoſitione iuris competit, non poteſt ſuſpendi per ſubſequens iudicium quoad rationem non ità euidentem, quod pendere poteſt ab alio foro, cæteròqui eſſet continua controuerſia, & diſſidium inter forum Eccleſiaſticum, & Laicale, vndè iure definitum aſſerit *Calderinus loco citato*, quod hoc debeat fieri, & terminari coram eo, coram quo incæpta eſt. Accedit, quod, ſi ex hac cauſa ineuidenti poſſet ſuſpendi executio intentata coram Iudice Laicali, ex quacunque alia cauſa etiam ineuidenti poſſet ſuſpendi, & ſic actum eſſet de priuilegio conceſſo contractibus executionis paratæ, nec ſpecialis eſt ratio quoad cauſas vſurarum ex eo, quod eædem pertineant ad Iudicem dumtaxat Eccleſiaſticum, quandòquidem cauſa vſurarum non ita Eccleſiaſtica eſt, quin etiam præcipuè quoad ea, quæ pertinent ad nullitatem, & ad iniuſtitiam pertinere poſſit ad Laicum, quinimmò eſt mixti fori, & datur locus præuentioni.

§. X.

An debitor conuentus coram Iudice ſæculari pro executione poſſit excipere de vſura, & petere ſe remitti ad Eccleſiaſticum.

SVMMARIVM.

Elucidatur ſtatus controuerſiæ. 1.
Si exceptio eſt de vſura euidenti, & ab intrinſeco vtique impedire poteſt executionem intentatam in præcedenti iuditio propter notorietatem nullitatis. 2.
Si verò eſt de vſura ineuidenti, & non ab intrinſeco non poteſt talem executionem impedire. Ibid.

1 DIſquiſitio X. Cum campſarius accepta pecunia à campſore non perſoluerit tempore opportuno in loco deſtinatæ ſolutionis, ipſe campſor eleuauit proteſtum ſuper literis cambij, & ſucceſſiuè coram Iudice laico ex vi ſtatuti procedebat ad executionem, cumque conuentus eſſet coram eodem

Digitized by Google

campſarius excepit de vſura, & petijt ſe remitti ad Iudicem Eccleſiaſticum tanquam competentem ad iudicandum ſuper vſuris. Quæritur iam, an talis exceptio, & petitio ſufficiens ſit ad impediendam talem executionem, an verò poſſit Iudex laicus ea non obſtante procedere ad eandem.

2 Reſpondeo iuxtà ſuperius dicta, ſi exceptio erat de vſura euidenti, & ab intrinſeco, vtique impedire executionem intentatam in præcedenti iuditio non præcisè propter recurſum petitum ad Iudicem Eccleſiaſticum, ſed propter notorietatem nullitatis, ſi verò erat de vſura non euidenti, neutiquam impedire talem executionem. Ratio primæ partis facilè deducitur ex ſuprà dictis, quià ipſa nullitas euidens deſtruit ius ad executionem, non enim mandari poteſt executioni contractus, qui in ſui eſſe per euidentiam non ſubſiſtit, quinimmò nec Iudex poteſt licitè iudicare pro ſolutione vſurarum, quià per ea, quæ dicta ſunt, dum de vſuris, hoc eſſet poſitiuè concurrere ad vſuras, ſeù poſitiuè cooperari vſurario, nam iudicando pro executione poſitiuè compelleret ad ſolutionem vſurarum, quod vtique iniquum eſt.

Conſona eſt hæc reſponſio illi præcedentis §.

Ipſa nullitas notoria per ſe exclamat contrà tale iudicium

Ratio ſecundæ partis eſt primò, quià iuriſdictio certa, quam habet Iudex Laicus ſuper executione literarum habita præuentione quoad iudicium in eadem non poteſt impediri per aliquod ius incertum, ſeù de quo certo, & euidenter non conſtat, quod competat excipienti, quinimmò ipſa executio parata ex ſui natura excludit quamcunque exceptionem iuris controuertibilis, ergo non obſtante tali exceptione poterit ipſe Iudex Laicus procedere ad executionem. Accedit, quod iuſtè non poteſt petere ſe remitti ad Iudicem Eccleſiaſticum, quandòquidem cauſa vſurarum in ordine ad nullitatem contractus non tam ſpectat ad Iudicem Eccleſiaſticum, quam ad laicum, cum ſit mixti fori, & inter ipſos datur locus præuentioni, ergo &c. Accedit ſecundò, quod iuſtitiæ ordo poſtulat, vt vna iuriſdictio aliam non impediat, ne ordo perturbetur, & ſua vnicuique iuriſdictio ſeruetur; vndè meritò, *Angelus in l. 4. §. condemnatum in fin. n. 6. ff. de re iudicata* docuit, quoad inſtrumentum guerintigiæ, quod in Italia habet executionem paratam introducta ſemel cauſa ſuper executione eiuſdem coram Iudice Laico, ſi petatur apud Iudicem Eccleſiaſticum declarari vſurarium, non poſſit retardari quoad executionem, quod idem expreſsè tenuit *Immola in d. l. 4. §. condemnatum num. 9. verſus finem ff. eod. tit.*, & *Rebuffus tract. de litterarum oblig. art. 2. Gloſ. prima ſub num. 22. verſ. 8. etiam tom. 1.*, teſtatur ità in praxi ſeruari.

Iuriſdictio vna non debet aliam impedire.

Secunda ratio pro eadem ſecunda parte hæc eſſe poteſt, quià in ijs, quæ apud diuerſos Iudices agitari poſſunt, præuentio vnius impedit iuriſdictionem alterius, ergo, dum cauſa introducta eſt coram Iudice laico ſuper executione, non poterit impediri per recurſum ad Iudicem Eccleſiaſticum ſuper vſuras. Conſequentia tenet, quià per talem præuentionem iuriſdictio Iudicis Eccleſiaſtici intelligitur impedita, præcipuè cum cauſa vſurarum non ità clara ſit, vt impediri poſsit per ea, quæ ſunt iuris indubitati, & non admittunt ex diſpoſitione iuris dilationem in executione propter ſubterfugia non ita certa.

Præuentio vnius impedit iuriſdictionem alterius.

---

§. XI.

An, ſi Iudex Eccleſiaſticus præuenit in cauſa vſurarum iudicium laici ſuper executionem facta eidem inhibitione, & poſtea in fauorem creditoris reuocauit inhibitionem, poſsit debitor appellans à tali reuocatione ſuſpendere iudicium executiuum Iudicis ſæcularis.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus quæſtionis. 1.

Per talem appellationem non ſuſpenditur iudicium executiuum Iudicis ſæcularis. 2.

DIſquiſitio XI. Adhuc ſiſtimus in terminis præcedentium diſquiſitionum. Hic tantum vnum ſupponimus, quod, antequam creditor ageret ad executionem literarum cambij, debitor introduxerit cauſam ſuprà vſuras coram Iudice Eccleſiaſtico, qui facta inhibitione Iudici ſæculari, ne procedat ad executionem, donec ipſe cognouerit ſuper contractum, an vſurarius ſit, nec ne, poſteà cognito ſuper contractu per ſententiam definitiuam abſolutoriam latam in fauorem creditoris reuocauit inhibitionem, à qua reuocatione appellauit debitor. Quæ- 1

ri-

Digitized by Google

ritur modò, an pendente hac appellatione poſſit creditor miniſterio Iudicis ſæcularis procedere ad executionem. Latè diſſerunt de hac quæſtione *Federicus de Sen. conſ. 98.*, *Nicolatius Petri*, *Ambroſius de Vignate in c. ſalubritèr ſub nu. 126. verſ. modò quæritur, & nu. 127., & ſeqq. de vſuris inter tract. diuerſ. tom. 7.*

Ratio dubitandi, quæ ex dictis conſurgit.

Diximus ſuprà, quod introducta prius cauſa ſuper vſuris coram Iudice Eccleſiaſtico poſſit impedire iudicium executiuum conceſſum ex vi ſtatuti quoad Iudicem laicum etiam interpoſita inhibitione. Ex quibus videtur optimè deduci, quod interpoſita appellatione adhuc ſuſpendatur tale iudicium executiuũ vſque ad completum iudicium appellationis, quandoquidem appellatio facit iudicium perſeuerare in eodem foro, in quo fuit incæptum; nihilominus abſolutè.

Reſpondeo, per talem appellationem non ſuſpendi iudicium executiuũ
2 Iudicis ſæcularis ex iure municipali conceſſum. Ratio eſſe poteſt, quià executio parata ſuſpendi non poteſt per exceptiones friuolas, & quæ arbitrio prudentum iudicantur non habere fundamentum certum iuris, vt innoteſcit ex ipſa natura priuilegij executionis paratæ, ſed ex eo, quod per Iudicem Eccleſiaſticum fuerit iudicatum exceptionem vſurarum non eſſe efficacem, quinimmò nec ſubſiſtere, cum inhibitio facta Iudici laico ſuper executionem per ſententiam difinitiuam fuerit reuocata, arguitur, quod exceptio non fuerit efficax, nec ſubſiſtat, cum ſententia faciat de non albo album, & de nigro album *Caſtrenſis conſ. 6. circa fin. verſ. cum igitur lib. primo*, *Roman. conſ. 504. in caſu verſ. ſecundo quià Hypolitus Rimin. conſ. 41. n. 7.*, *Card. Tuſcus pract. concl. tom. 6. litera R. concl. 267. nu. 53.*, ergò ſuppoſita tali ſententia reuocatoria creditor miniſterio Iudicis Laici poterit procedere ad executionem; neque obſtare poterit appellatio interpoſita à tali reuocatione ex eo, quod reſcindat ſententiam, & reducat ad ſtatum, in quo erat poſt litis conteſtationem, non antè, *Bartolus in l. ità demum in 2. oppo. C. de procurat.*, & deuoluat cognitionem, & executionem ad iudicem ad quem, niſi deferatur *Baldus in addit. ſpecul. de Appel. verſ. 51. appellatio*; non, inquam obſtare poteſt, nam, quæ dicuntur, ad ſummum valent, quandò proceditur via ordinaria, ſecus autem, quandò proceditur via executiua, quæ, cum inducta fuerit in fauorem creditorum,

Executio parata nõ poteſt ſuſpendi per exceptiones friuulas.

vt omiſſis ſolemnitatibus ordinis iudiciarij, inſpecta ſola veritate, & æquitate ius ſuum conſequantur, quantum fieri poteſt breuiſſimè, non debet retardari, quandò in primo iudicio ordinario cognitum fuit, quod exceptio vſurarum non ità euidens ſit, vt valeat impedire iudicium executiuum per iura municipalia conceſſum; vndè iure merito dicitur, quod inter iuditia executiua facilius poſſit fieri tranſitus propter conuenientiam naturæ *ex reg. l. ſi vnus §. pactus ff. de pactis*, & ità ſentit etiam *Grammaticus in conſ. ciuil. 95. num. 4., & num. 29. verſ. non obſtat ſecundum*, *Marta tract. de iuriſdictione part. 4. cent. 2. ca. 177. num. 11.*, nec executio, quæ certò conceditur, ſuſpendi poteſt per dubia, & incerta. Quid autem magis dubium, & incertum, quam quod per ſententiam definitiuam iudicatum eſt inſubſiſtens?

Quod, ſi deindè contrà mox adducta repetatur, quod, cum primò fuerit præuentus Iudex Eccleſiaſticus, non amplius debeat audiri pars alium Iudicem petens, niſi in foro, cuius eſt Iudex præuentus, cauſa vltimato terminetur iuxta *l. ſi quis poſtea quam, & l. vbi cæptum ff. de iudic. c. propoſuiſti de foro competenti*, immò ſecundus Iudex, tanquam turbans iuriſdictionem primi poteſt à priori impediri, ſeu ab alio, qui ſuccedit in locum primi propter appellationem *l. 1. ff. ſi quis iudic. non obtemper.*, atq; interdictum vti poſſidetis contrà turbantem intendere poteſt doctrina *Bartol. in l. 2. pulchri nu. 3. ff. de ſepulch. viol.*, & ſi quid fiat per ſecundum tanquam ab incompetente factum debeat irritum, & nullum declarari *l. 2. ff. ſi quis in ius voc. non inter., & tot. C. ſi non à compet. iud. Baldus in l. exceptionem num. 15. C. de probationibus*, *Fulgoſius in conſ. 150. num. 1.*, *Triuiſan. deciſ. 68. nu. 4. lib. primo*, quæ omnia, ſi poteſt præſtare primus Iudex Eccleſiaſticus præuentus ex eo præcisè, quod cauſa fuerit coram ipſo prius introducta, cur non poterunt etiam per Iudicẽ appellationis fieri, apud quem continuatur cauſa prius incæpta, & ſuccedit in locum Iudicis à quo. Si, inquam, hæc repetantur, ſtatim & ego repeto, quod hæc omnia valent in ordine ad iudicium ordinarium comparatiuè etiam ad executionem Iudicis ſæcularis in prima inſtantia, non autem comparatiuè ad illud in ſecunda inſtantia, quià in executiuis non datur exceptio pendentiæ litis, quandò cauſa, de qua agitur, non ita clara eſt in fa-

Inſtantia propoſita aduerſus dicta, ſed reiecta.

In executiuis non datur exceptio pendentiæ litis.

Digitized by Google

fauorem procedentis in ſecunda inſtantia, vt inferat pro ipſo euidentiam, quinimmò ex priori ſententia in prima inſtantia reddita eſt infirma *Bartolus in l. conſentaneum quæſt. penul. C. quomodò, & quandò Iud. Iaſon. in l. nulli prorſus col. fin. verſ. 6., & vltimo C. de iudic., & in l. 1. in princip. nu. 23. ff. ſi quis iudic. non obtemper, Seraphinus in tract. de priuilegijs iuramenti priuil. 77. nu. 81.*, vel ſaltem dubia, & controuertibilis; per dubia autem, ſeu controuerſiæ obnoxia cognita, vt talia non poteſt liquida executio retardari, cæteroqui inutilitèr eſſet conceſſa talis executio; vndè hoc eſt diſcrimen inter Iudicem Eccleſiaſticum in prima inſtantia præuentum in ordine ad iudiciũ executiuum intentandum coram Laico, & Iudicem Eccleſiaſticum in ſecunda inſtantia in ordine ad eandem executionem; quod ille poterat legitimè inquirere, an vſura, de qua excipiebatur, eſſet euidens nec ne, & ſufficiens ad impediendam executionem, non ſic ſecundus Iudex, nempè appellationis eo quià per primam ſententiam iam ablata eſt ratio talis euidentiæ, niſi prima ſententia definitiua reuocatoria eſſet manifeſtè iniuſta, vtpotè lata contrà leges, & canones.

§. XII.

An poſſit impediri executio à tertio creditore anteriori cum hypotheca.

SVMMARIVM.

Status difficultatis in ſuis terminis propoſitus. 1.

Si legitimè doceat de ſuo credito anteriori cum hypotheca poteſt impedire talem executionem. 2.

1 Diſquiſitio XII. Contendebat campſor aduerſus campſarium moroſum in reſtitutione cambij eleuato ſuper literas proteſtu per viam executiuam; cui executioni ſe oppoſuit tertius creditor eiuſdem campſuarij debitoris excipiens de anterioritate ſui crediti cum hypotheca. Quæritur modò, an iuſtè hic potuerit per talem exceptionem eludere talem executionem.

2 Reſpondeo, quod, ſi legitimè doceat de ſuo credito anteriori cum hypotheca, vtiq; poſsit impedire talem executionem *Scaccia de commerc. §. 7. gloſ. 5. num. 84.*, vbi aſſerit, hanc eſſe communem opinionem hancque ſeruari in praxi, quod idem antè docuerat *in tract. de appellationibus quæſt. 17. limit. 6. memb. 4. nu. 51., & 85.* Probatur reſponſio, quia cæteris omnibus æqualibus, qui prior eſt tempore potior eſt in iure, nec alicubi reperitur, quod cauſa cambij vltrà habeat priuilegium ſuprà, ſeu contrà hypothecas anteriores, ergo habens hypothecam anteriorem iuſtè poterit impedire executionem paratam conceſſam literis cambij, neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, habentem hypothecam quantumuis anteriorem non poſſe agere, niſi via ordinaria, quæ ſuſpendere nequit executiuam, quæ, cum de facili ſit reuocabilis, de facili etiam eſt concedenda; non, inquam, obſtare poteſt, quià, cum directè, & incontinenti conſtet de iure alterius, quamuis executio ſit de facili retractabilis, non eſt contrà ius concedenda, vt inutiles euitentur circuitus, executio etenim, quæ conceditur contrà bona debitoris ex vi ſtatuti non extenditur ad alia antecedentèr per hypothecam obligata, nec ſtatuta concedunt priuilegia in præiudicium aliorum habentium ex præcedenti cauſa, ſeu priuilegio, vt ità dicam, prælationem. Cæteris omnibus æqualibus, qui prior eſt tempore potior eſt iure.

Probatur ſecundò ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt., & venditione Prænot. 11. num. 2. vbi dictum eſt*, quod, ſi res duobus fuerit vendita, & tradita ſecundo emptori, prius tamen hypothecata primo, poſsit immediatè reuocari a ſecundo, cui fuit tradita, & conferri primò, nam hypotheca non tollitur per alienationem rei poſtea factam per debitorem alteri *l. debitor, & ibi Baldus C. de pignoribus* cum ſemper tranſeat cum re, & eam afficiat, eiuſque poſſeſſorem *l. ſi prædium, & ibi Baldus C. de euictionibus Baldus in l. executorem 1. col. C. de except., & infrà vſurarius verſ. 36.*, & tribuat ius poſſeſsionis apprendendæ *Albericus Brun. conſ. 1., & 2.*, ergo à fortiori ſi quis habeat anteriorem hypothecam poterit impedire executionem in ijs bonis, in quibus eandem habet hypothecam, ne ſcilicet in intentantem talem executionem traſferatur; ſi enim ipſi tradita poteſt immediatè reuocari, cur non poterit impediri, ne anteà tradatur; certè ius habet ratione hypothecæ in illa bona, antequam tradantur æquè, ac poſtquam fuerint tradita.

§. XIII.

§. XIII.

An vxor debitoris conſtante adhuc matrimonio poſsit impedire executionem ratione ſuæ dotis.

SVMMARIVM.

Difficultates in ſuis terminis cum varijs exceptionibus. 1.

Vergente marito in decoctionem, & probata per vxorem tali vrgentia vtique poteſt vxor docendo de ſua hypotheca anteriori impedire executionem. 2.

Si bona dotalia fuerint ſub ſpeciali hypotheca agente creditore ad alia bona ab hypothecatis non poteſt impediri. 3.

Agente verò creditore ad bona hypothecata pro dote docendo de anterioritate poteſt vxor impedire. Ibid.

Si bona dotalia fuerint ſub generali hypotheca, & periculum ſit decoctionis, eo nondum probato poteſt impedire vxor executionem. 4.

Item poteſt in eodem iudicio per viam exceptionis conſequi aſſegnationem bonorum viri loco pignoris. Ibid.

Tenetur tamen ipſo creditore petente, antequam audiatur, manifeſtare omnia bona ſui viri, vt aſſecurata poſteà ipſius dote poſſit creditor contrà alia bona reſidua agere. Ibid.

In ſuppoſitione, quod requireretur aliqua probatio, ſi eſſet in ordine ad repetendam dotem contrà virum vergentem ad inopiam leuior probatio eſſet ſufficiens, ac ſi ageretur contrà tertium poſſeſſorem ad euocandum pignus. 5.

Non tamen, ſi ageretur contrà eundem tertium ad impediendam executionem. Ibid.

1 DIſquiſitio XIII. Agente campſore via executiua aduerſus campſarium propter dilationem ſolutionis vxor eiuſdem campſuarij debitoris excipiebat de anterioritate ſuæ dotis, hacque exceptione intendebat eludere executionem creditoris. Quæritur modo quid iuris.

Hæc difficultas iuxtà diuerſos ſenſus, & acceptiones poteſt agitari, vel enim, cum per creditorem agitur via executiua contrà campſarium iſte præter bona dotalia vxoris gaudet pluribus alijs bonis ſufficientibus ſecundū ſe tàm pro dote, quàm pro debitis, ratione quorum intentatur executio, nec ipſe debitor vergit in decoctionem, vel ipſe vergit in decoctionem, nec præſumitur tot bona habere, quod ſufficiant pro dote, & debito &c. Rurſus, ſi non habeat tot bona, quot ſufficiant &c., vel vxor intentans impedire executionem probauit maritum vergere in decoctionem, & non habere tot &c. vel nihil probauit; ſi nihil probauit, vel poteſt ſuſpendere executionem exigendo, donec probet, vel non poteſt ſuſpendere, ſed tantum poteſt agere via ordinaria ad reuocandam talem executionem. His pro notitia ſuppoſitis.

Variæ acceptiones quoad propoſitam difficultatem.

Reſpondeo primò, vergente marito in decoctionem, & probata per vxorem tali vrgentia, vtique poteſt vxor docendo de ſua hypotheca anteriori impedire executionem. Ratio eſſe poteſt, quia, cum ipſa ſit potior in iure, habere debet omnia priuilegia ſuprà alios, & debet ipſa ſpecialitèr conſtitui indemnis; ergo contrà creditorem agentem via executiua contrà bona mariti ex titulo cambij poteſt excipere pro anterioritate ſuæ dotis, illiuſque actionem eludere, nec obſtare poteſt vulgata regula, quod conſtante matrimonio dos repeti non poſſit *Baldus nouel. tract. de dote part. 7. priuil. 24. num. 1. tom. 9.* Non, inquam, obſtare poteſt, nam, ſi maritus vergat in decoctionem, ceſſat allegata regula *per textum in l. ſi conſtante ff. ſoluto matrimonio*, vndè docuimus *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 8. n. 10.*, quod vergente marito ad inopiam dos vxoris ab ipſius manibus transferenda ſit ad manus mercatoris *iuxta c. per vſuras de donat. inter vir., & vxor. &c. per veſtras de vſuris*, & iuxtà hunc ſenſum conſultum eſt *in ſtatutis Genuenſibus c. 4. in fin. lib. 5.*, quod mulieres tàm viuente viro, vergente tamen ad inopiam, quam mortuo poſſint ſe munire inhibitionibus, quibus executores in actu executionis impediant, *Scaccia tract. de commert. §. 7. gloſ. 7. num. 5.* 2

Poteſt excipere pro anterioritate ſuę dotis.

Sed maior difficultas eſt circà illas particulas, *probata per vxorem tali vrgentia*, an ſcilicet ad impediendam talem executionem debeat per vxorem probari talis vergentia, & qualis debeat eſſe talis probatio ad hunc effectum obtinendum. Pro qua re aduertendum eſt, an bona dotalia vxoris fuerint ſub certa, & determinata hypotheca aliorum bonorum mariti reſtrictiuè, non cum ampliatione ad omnia tùm præſentia, tùm futura, vel ſub hypotheca generali omnium bonorum ipſius. Quo poſito, reſpondeo pri-

Bona dotalia, vel ſunt ſub ſpeciali hypotheca, vel ſub generali.

primò, ſi bona dotalia fuerint ſub ſpeciali hypotheca agente creditore ad alia bona ab hypothecatis pro dote, nec poſſe impedire executionem, nec teneri probare, quandoquidem per talem executionem nullum ipſius ius læditur, agente verò eodem creditore ad bona hypothecata pro dote, ſine probatione poſſe docendo præciſè de anterioritate ſuæ dotis cum hypotheca ad illa bona impedire. Ratio facilè ex eo deducitur, quod ſuperiùs dicebamus in præcedenti paragrapho, nempè quià qui cæteris paribus potior eſt iure, eſt alijs omnibus præferendus quoad ea bona, ad quæ habet potiora iura. Reſpondeo ſecundò, ſi bona dotalia fuerint ſub generali hypotheca, & periculum ſit decoctionis, poſſe vxorem eo nondum probato impedire executionem, & etiam in eodem iuditio per viam exceptionis conſequi aſſignationem bonorum viri loco pignoris, tenetur tamen ipſo creditore petente, antequam audiatur, manifeſtare omnia bona ſui viri, vt aſſecurata poſteà ipſius dote, poſſit creditor contra alia reſidua bona agere. Prima pars eſt *Papienſis in pract. in form. libel. quo agit ad dot.*, *& vſuf. in gloſ. vxor quondam num. 28. verſ. indè quæritur*, *& ibi Manſuer in add. Baldi nouel. tract. de dote in 7. parte princip. priuileg. 24. num. 2. tom. 9.*, *Natæ conſil. 300. cum procederetur ſub nu. 2.* ſecunda eſt *Scacciæ tract. de commerc. §. 7. gloſ. 5. num. 89.*, *Natæ d. conſ. 300. cum procederetur num. 1.*, *& ſeqq.* tertia pars eſt *Gloſæ in l. 2. in verb. iurata fide C. quando, & quib. quarta par. deb. lib. 10*, *Baldi in l. ordo nu. 14. verſ. quæro vtrum vxor C. de execut. rei iud.*, *Cranettæ tract. de antiquit. temp. tit. teſtes deponentes de credulit. in antiquiſ. in verb. viſo de fama ſub num. 17. tom. 17.* Ratio primæ partis eſt, quia, cum ipſa habeat anteriora iura in bonis mariti, ipſa debet præ cæteris præmuniri, & hoc in vſu eſt, vt teſtatur *Scaccia d. §. 7. gloſ. 5. num. 88. verſ. ſub amplia ſecundò*, vt quilibet creditor comparens non per viam agendi, ſed per viam excipiendi ad impediendum alium creditorem poſſit hoc facere iure ſuæ prioris hypothecæ, etiam non facta excuſſione in bonis debitoris etiam exiſtentis ſoluendo, dummodò doceat de ſuo credito cum anteriori hypotheca *Nattæ d. conſ. 300 cum procederetur ſub n. 2.*, *Flam. Cartar. deciſ. 19. pulchrum num. 4.* Ratio ſecundæ partis eſt, quia, ſi ratione anterioris hypothecæ poteſt eludere executionem, ergo etiam poterit conſequi, quod illa bona, contrà quæ intentatur executio, ſibi aſſignentur in pignus, ius etenim hypothecæ confert facultatem habenti ipſam, vt in re hypothecata poſſit ſatisfieri, & certiorari. Ratio tertiæ partis eſt, quia vxor excipiendo de ſua hypotheca anteriori in bonis mariti tenetur iurata fide ea manifeſtare hæredibus mariti defuncti, *Baldus in d. l. ordo nu. 14. verſ. quæro vtrum vxor C. de executione rei iud. Matt. Brun. tract. de ceſſion. bon. quæſt. 5. princip. num. 6. col. 1. tom. 3. part. 2.*, ergo etiam tenetur manifeſtare creditoribus eiuſdem mariti. Conſequentia probatur, quia eandem ratio, quæ militat pro hæredibus mariti, militat etiam pro creditoribus eiuſdem, præcipuè, cum hæredes non ſint tales, niſi quoad bona, quæ ſuperſunt deducto ære alieno. Accedit, quod congruum eſt iuſtitiæ ordini, vt mulieres, quarum genus auariſſimum eſt ſub prætextu conſequendi, quod ſuum eſt, non occupent alienum.

Ius hypothecę confert facultatem, vt in re hypothecata certioretur.

Genus mulierũ auariſſimum.

Reſpondeo ſecundò, quod in ſuppoſitione, qua requireretur aliqua probatio, ſi eſſet in ordine ad repetendum contrà virum vergentem ad inopiam, leuior probatio eſſet ſufficiens, ac ſi ageretur contrà tertium poſſeſſorem ad euocandum pignus, non tamen ſi ageretur contrà eundem tertium ad impediendam executionem. Ità quoad primam partem, *Bartolus in l. ſi conſtante nu. 15. verſ. ex prædict. ergo ff. ſolut. matrim.*, *Baldus nouel. tract. de dot. part. 7. priuil. 24. ſub num. 2. tom. 9. Conſtant. Roger. tract. de dote quæſt. 14. ſub num. 19.*, *Scaccia tract. de commert. §. 7. gloſ. 5. num. 87.*, qui teſtatur de communi. Quoad ſecundam idem *Scaccia loco, quo ſuprà num. 88.*, *Sudar. deciſ. 259. num. 3. in fin. verſ. in contrarium.* Ratio primæ partis eſt, quià, cum agitur contrà maritum, tractatur de leui præiudicio; cum verò agitur contrà tertium tractatur de præiudicio graui, & ſic in ordine ad iſtum requiritur plena probatio, non ſic in ordine ad illum. Ratio ſecundæ partis eſt, quià probationes, quæ ſufficiunt contra maritum vergẽtem ad inopiam ad repetendam dotem ſufficiunt contrà alium quemcunque agentem ad executionem eorum bonorum, quæ hypothecæ ſubſtituuntur pro eadem dote, ergo non maior requiritur probatio &c. Quod ſi dicas, quod ſententia contrà vnum lata non noceat ſecundo, maximè ſi non fuerit citatus, adeoque quod neque ſufficiant proba-

Rationes euincentes intentum.

bationes factæ contrà maritum ad eludendam executionem tertij agentis; ſtatim impugnaberis, quia hæc, quæ dicuntur, tantum valent, quandò probatio quoad vnum non eſt neceſſario connexa cum probatione quoad alterum, ſecus autem, quandò hæc duo connectuntur, vt in caſu noſtro; eo enim ipſo, quod res eſt adiudicata in fauorem vxoris, eſt cum excluſione alterius agentis ad executionem talis rei, &, quod ſufficit ad repetendam dotem etiam conſtante matrimonio, ſufficit etiam ad excludendum alterum ab acquirenda poſſeſſione illius per viam executiuam &c.

Variæ conſiderationes in ordine ad intentum.

Ex his, quià hactenus dicta ſunt, facilè deduces, quod, ſi maritus non habeat tot bona, quot ſufficiant ad dotē, & debita, & vergat in decoctionem, ſeu inopiam, poſſit iuſtè vxor excipere contra quoſcunque agentes via executiua, ſi ſit anterior, quià ipſa eſt potior in iure cæteris omnibus. Secundò, quod, ſi plura habeat bona ſufficientia tùm ad dotem, tùm ad eadem debita extinguenda, poſſit eadem mulier nihilominus excipere, teneatur tam prodere omnia bona mariti, vt ipſa poſteà certiorata pro dote in determinatis bonis, poſſint creditores quoad reliqua procedere via executiua, ſi gaudent priuilegio, vel iudicio ordinario, & plenario, ſi non gaudeant.

§. XIV.

An probationes factæ inter vxorem, & virum ſuper inopia viri ſufficiant in alio iudicio contra tertium poſſeſſorem bonorum viri.

SVMMARIVM.

Senſus difficultatis in ſuis terminis. 1.
Sententia aduerſus tertium poſſeſſorem ſubſiſtit, nec poteſt dici, quod patiatur ſpolium. 2.

1 Diſquiſitio XIV. Egerat vxor contrà virum factis hinc indè probationibus ſuper inopia eiuſdem viri, atque per Iudicem ſententiam reportauerat, quod eſſet in propria dote reſtituenda. Poſteà in alio iudicio reproducens eaſdem ſolas probationes, & ſententiam contrà virum relatam proceſſit contrà tertium poſſeſſorem bonorum viri ipſo ſemper citato, & ordine iudiciario, non tamen alitèr, quam, vt ſupra, probata inopia mariti, & ſic ſecundam ſententiam reportauit contrà dictum tertium poſſeſſorem. Quæritur iam, an hæc ſecunda ſententia ſubſiſtat, an verò tertius ille poſſeſſor dicatur per iſtam ſpoliatus. Contendunt aliqui, quod per talem ſententiam propriè inducatur, ſeù inductum fuerit ſpolium, quià ſententia non iuſtificaretur ex actis, & per conſequens eſſet notoriè iniuſta, & nulla, quandòquidem res inter alios acta non poteſt alteri præiudicare iuxtà vulgata iura, nec probationes contrà vnum fidem faciant contrà alterum. Nihilominus.

Senſus Doctorū circa propoſitam difficultatē.

Reſpondeo, & ſententiam etiam aduerſus tertium poſſeſſorem ſubſiſtere, nec propriè dici hunc pati ſpolium *Bald. in repert. ad Innocent. in verbo notorium veritatis. Idem Innocentius in cap. tua nos num. 9. in fin. de cohabit. Clericor.* Ratio eſt, quià ſententia licet iniuſtè lata, ſi ab ea non appelletur, tranſit in rem iudicatam, eique, pro quo iudicatum fuit, acquiritur actio in factum *iuxta l. cum prolatis ff. de re iudicata*, & res iudicata facit de albo nigrum, & de nigro album, falſumque mutat in verum quoad effectum *Caſtrenſis conſ. 6. circa fin. verſ. cum igitur lib. 1. Romanus conſ. 504. in caſu verſ. quià ſecundò, Hypol. Rimin. conſ. 41. num. 7. Cardin. Tuſcus pract. concl. tom. 6. litera R. concl. 267. num. 53.*, & habetur pro veritate *l. ſi non ſortem §. hæredi ff. de cond. indeb. l. ingenuum ff. de ſtatu hominis l. prima C. quandò prouocare*. Neque dicas, hæc non ſubſiſtere, quandò ſententia eſt manifeſtè contra leges lata *l. ſi cum inter C. quandò prouocare non eſt neceſſe, Innocentius in c. pri. de iudic.* nam ſententia notoriè iniuſta non eſt ſententia *l. vlt. C. de ſent., & re iudic. Clemen. paſtoralis §. vt igitur de re iud. Tiraquel. in l. boues §. hoc ſermone limit. prima num. 9. ff. de verb. ſignif.*, talis autem eſt ſententia, quæ non iuſtificatur ex actis proprijs, nam acta inter alios in ordine ad iſtos per indè ſe habent, ac ſi non eſſent acta; contrà enim impugnaberis, nam tunc ſolum ſententia dicitur notoriè iniuſta, quandò lata eſt omiſſis quibuſcunque probationibus, ſecus autem, quandò ſit probationibus productis in priori cauſa, & reproductis in ſecundo iudicio, nam licet acta inter alios alijs, cum quibus non eſt actum, non præiudicent, faciunt tamen aliquam fidem, quæ deſtruit notorietatem iniuſtitiæ.

2

Sententia licèt iniuſtè lata, niſi appelletur tranſit in rem iudicatam.

Acta inter alios faciunt aliquam fidem.

Bbbb Quid

Quid enim eſt notorium, niſi quod omnibus adeò liquet, vt vix cælari poſſit? Quomodò autem omnibus dici poteſt apparere iniuſtū, quod actis probationibus iuſtum fuit iudicatum? Deindè licet probationes ſint neceſſariæ, quod tamen, vel iſtæ, vel illæ ſint admittendæ, eſt de arbitrio Iudicis per ea, quæ docet *Scaccia in ſuo tract. de Iud. cauſ. lib. 2. cap. 9. num. 530. Tiraq. tract. res inter alios acta limit. 19.* Tandem, cum agitur de ſententia lata ſuper ſtatu perſonæ, an faciat ius quoad alios, maximè controuerſum eſt apud Doctores, ergo, ſi Iudex ſe firmet ſuper ſententia aſſerente facere ius etiam quoad tertios, & ſecundum eandem adiudicet, non notoriè iniuſtè adiudicare dicendus eſt, adeòque non erit, cur non ſubſiſtat.

§. XV.

An ceſſio bonorum impediat executionem literarum cambij.

SVMMARIVM.

Exponitur titulus propoſitus in particulari. 1.

Suppoſitis debitis conditionibus, quæ requiruntur, & præcipuè confeſſione debiti per talem ceſſionem ceſſare facit executionem perſonalem, & quoad realem creditor ex cambio concurrere debet cum alijs creditoribus ſeruatis iuribus, priuilegijs. 2.

1 DIſquiſitio XV. Contracto per Caiū debito cum Titio vigore cambij inter ipſos initi, & vrgente tempore reſtitutionis Caius ceſſit omnibus ſuis bonis. Quæritur iam, an per talem ceſſionem ceſſare faciat executionem literarum cambij, & præcipuè perſonalem. Omiſſis varijs reſtrictionibus, limitationibus, & conceſſionibus, quas adducunt Doctores *ſuper cap. Odoardus de ſolut.* de quibus alibi, cum non faciant ad rem præſentem

2 Reſpondeo, ſuppoſitis debitis conditionibus, quæ requiruntur, & præcipuè confeſſione debiti, per talem ceſſionem ceſſare facere executionem perſonalem, & quoad realem, creditorem ex cambio concurrere debere cum alijs creditoribus ſeruatis debitis iuribus, priuilegijs, anterioritatibus &c. *Canoniſtæ in d. cap. Odoardus de ſolut. Coarru. var. reſol. lib. 2. cap. 1. num. 9. verſ. cæterum. Pollerius de contract. cenſu. in verbo cenſus enim num. 19. verſ. immò tom. 6. part. 2.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia inanis eſt actio, quam inopia debitoris excludit *l. nam is ff. de dolo*, quià qui nihil habet, nihil dare poteſt *cap. diabertum 1. quæſt. 7.*, & eius periculo nihil eſt *l. itaque fullo in princip. ff. de furt.*, ſed per ceſſionem bonorum arguitur impotens, vel ſaltem fit impotens, vndè iure merito dicit *Gloſa in d. cap. Odoardus de ſolut.*, quod, ſi Iudex eſt certus, quià nihil poteſt ſoluere, vel ſi ceſſit bonis, ſententia non teneat, & ideò debitor ſine difficultate debet abſolui, & Iudex tenetur ad intereſſe, ergo &c. Inanis eſt actio, quā inopia debitoris excludit.

Hoc tamen aduerte, quod, ſi debitor, qui cedit bonis, poſteà ad pinguiorem fortunam deueniat, non ideò liberatus ſit, ſed obligatio remanet ineſficax propter inopiam, ſed in hoc prodeſt ei, quod non detruditur in carcerem *l. 1. C. qui bon. ced. poſ.* neque obſtare poteſt illud effatum firmum in iure. *Qui non habet in ære, luat in corpore*; nam reſpondetur hoc ceſſare, quando fit ceſſio bonorum. Quomodò intelligēdū id, quod, qui nō habet in ere, luat in corpore.

Confirmatur eadem prima pars reſponſionis, nam cauſa, quæ excuſat à ſententia excommunicationis, excuſat etiam à ſententia detruſionis in carcerem, ſed inopia, ſeu ceſſio bonorum excuſat à ſententia excommunicationis per ea, quæ dicuntur *ad cap. Odoardus*, ergo &c.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod ceſſio bonorum eximit quidem debitorem ab onere ſolutionis, non tollit tamen ius, quod habent creditores in ordine ad talia bona, ergo aduerſus illa creditor ex cambio poteſt agere iuxtà iura, quæ antecedentèr ad talem ceſſionem habebat, adeòque in concurſu aliorum creditorum erit præferendus, vel poſtponendus, pro vt ipſius iura, vel præferri, vel poſtponi exigent. Per ceſſionē bonorū factam per debitorē, creditor nō amittit ius.

§. XVI.

Digitized by Google

§. XVI.

An campſor agens via executiua contrà curatorem hæreditatis iacentis teneatur præſtare idoneam fideiuſſionem.

SVMMARIVM.

Proponitur difficultas in terminis ſtatuti Genuenſis. 1.
Diſcrimen inter hæreditatem iacentem, & hæreditatem vacantem. 2.
Ad inſtantiam creditorum tunc debet aſſignari curator hæreditati iacenti, quandò adhibita eſt iuridica diligentia pro inueniendo hærede, & nullus comparuit. 3.
Requiritur fideiuſſio idonea, quando agitur contrà curatorem hæreditatis iacentis, & poſt ſex menſes, & quarè. 4.
Si ad inſtantiam creditoris, vt ſuprà, datus fuerit curator hæreditati iacenti, quæ tamen iam fuerit adita per hæredem, proceſſus factus cum curatore non eſt nullus. 5.

1 DIſquiſitio XVI. Extat ſtatutum in Ciuitate Genuæ, quo dicitur, *ſi verò cambium &c. peteretur contrà curatorem hæreditatis iacentis, vel &c. elapſis ſex menſibus &c. non concedatur licentia, quin prius petens &c. idoneam fideiuſſionem præſtet de reſtituendo quidquid indebitè exegerit vna cum damnis, intereſſe, & impenſis, ac pæna triginta trium pro centenario.* Occaſione huius ſtatuti multa inſurgunt dubitabilia, quæ ad plenam notitiam eorum, quæ hic pertractantur, placet ſingillatim proponere, & examinare. Primum eſt, in inueſtigando, quandonam hæreditas dicatur iacens, & quandonam vacans. Secundum, quandonam ad inſtantiam creditorum deueniri debeat ad dandum curatorem hæreditati iacenti. Tertium erit in inueſtigando, cur petens elapſis ſex menſibus executionem præſtare debeat idoneam fideiuſſionem. Quartum, an in hypotheſi, qua ad inſtantiam creditoris datus eſſet curator tanquam hæreditati iacenti, & hæreditas iam eſſet adita per hæredem, proceſſus factus cum curatore ſubſiſtat, & his ſimilia.

Variæ rationes dubitandi excitantur.

2 Reſpondeo primò, tunc hæreditatem dici iacentem, quando aliquo defuncto non conſtat, quod habeat de præſenti ſucceſſorem, ſed ſperatur de proximo, tunc verò dici vacantem, quando defunctus, nec habet de facto ſucceſſorem, nec ſperatur de proximo habiturus. In hoc omnes conſentiunt. Oritur tamen hic aliqua difficultas in explicando, quomodò cognoſci poſſit, quod defunctus non habeat de præſenti ſucceſſorem ad effectum, vt peti poſſit curator, ſed facilè occurri poteſt huic difficultati, ſi aſſeratur, tunc legitimè poſſe peti, quandò interpoſito iudicis decreto adhibita fuit iuridica diligentia, an adſit hæres, & nullus apparet. Hæc diligentia diuerſimodè in diuerſis locis ex conſuetudine adhibetur, nam Romæ fit hoc pacto. In primis creditor ad ſui inſtantiam citare facit hæredes, ſi qui ſint, vel eſſe velint per verba hoc pacto concepta. *Citentur hæredes, ſi qui ſint, vel eſſe velint q. N. ad comparendum legitimè, & acceptandum, vel refutandum hæreditatem præfati N., alias videndum deputari curatorem illius hæreditati iacenti primò pro prima dilatione ad primam diem Inſtante &c.* Hæc citatio conſignatur curſori, qui adhibita diligentia in domo, in qua d. q. N. mortuus eſt, & in vicinia, aliiſque publicis locis, ſi non inuenerit hæredem, relationem faciet ad Iudicem, qui ſimilem diligentiam eodem modo adhibebit per duos alios curſores, & ſi nullum inuenerit, decernet proceſſum per affixionem ad valuas Curiæ, & domicilij defuncti pro prima, ſecunda, & tertia vice, & in termino vltimæ citationis, ſi nullus comparuerit, ad inſtantiam creditoris Iudex aſſignat curatorem hæreditati iacenti. Genuæ vero iuxtà ſtatuta eiuſdem ciuitatis *lib. 3. cap. 11. §. quotieſcunque* ſic proceditur; ex decreto Iudicis fit denuntiatio in domo, in qua ſolitus erat morari defunctus, & etiam tribus proximioribus propinquis, ſi inueniri poſſint, & in defectu propinquorum tribus proximioribus vicinis, & fit etiam præconizatio in platea Banchorum, & in via, in qua ille defunctus permanebat, quod, ſi nullus comparuerit, tunc proceditur ad aſſignandum curatorem bonis illius iacentibus.

Hæreditas vacãs, hæreditas iacẽs, quid ſint.

Quomodò cognoſci poſſit, quod ſit iacens, vel vacans.

Reſpondeo ſecundò, ad inſtantiam creditorum, tunc debet aſſignari curator, vt hæreditati iacenti, quando adhibita eſt iuridica diligentia pro inueniendo hærede, iuxta ſtatuta, ſeu conſuetudines locorum, & nullus comparuit, ſeu inuentus eſt, iuxtà textum *in l. ſi quis inſtituatur ff. de hæred.* 3

Digitized by Google

ved. inſtit. Angel. conſ. 193. mortuo ſub num. 3. Stracchæ tract. de decoct. part. 7. num. 8. tom. 6. part. 1., & in hoc omnes ferè conſentiunt, nec eſt, cur immoremur.

4 Reſpondeo tertiò, requiri fideiuſſionem idoneam, quandò agitur contrà curatorem hæreditatis iacentis, & poſt ſex menſes propter præſumptiones, quod illegitimè intentetur executio *Scaccia de commert. §. 7. gloſ. 6. nu. 1. verſ. reſpondeo*, & ratio eſt, quià facilius poteſt quis conſurgere aduerſus mortuum, vndè iura conſultò ſtatuerunt, vt quo facilior eſt debitore mortuo actio ad executionem, eo maior cautio adhibeatur, nec probabile eſt, quod tenens pecunias ſuas in cambijs ſit negligens per ſex menſes ad eas exigendas, ergo ratione talium præſumptionum rationabilitèr ſtatutum eſt, quod detur talis idonea cautio fideiuſſionis ad euitandas fraudes, & dolos, quæ in hoc genere poſſent contingere.

Maior cautio requiritur, vbi facilior eſt actio.

Reſpondeo quartò, ſi ad inſtantiam creditoris adhibita iuridica diligentia datus fuit per Iudicem curator hæreditatis iacentis, quæ tamen iam fuerit adita per hæredem, proceſſus factus cum curatore non eſt nullus, ſi creditor non fuerit conſcius hæredis extantis *Fulgoſius conſ. 190. viſo toto col. 3. Statuta Genuenſia cap. 11. §. acta, & geſta*, nec incongrua ſanè ratione, quandòquidem, quandò adhibita eſt iuridica diligentia hæredes debent ſibi imputare, quod non comparuerint, ſeu ſe non manifeſtauerint, quod plerumque in ſimilibus contingit, vt in venditione rerum immobilium, quæ, ſi publica præconis voce exponantur, vt creditores opponant, & non oppoſuerint intrà debitum tempus, acta circa venditionem tenent iuxta Conſtitutiones nouiſſimas Status Mediolanenſis, & ratio manifeſta hæc eſt, quia quantum ad effectus iuridicos non eſſe, & eſſe, & non apparere paria ſunt, vndè ſequitur, quod ſtatutum corrigens, vbi nihil ſit factum, corrigat etiam, vbi factum ſit, ſed non apparet *Gloſ. in authent., & non obſeruato C. de teſtamentis, quam ad hoc pro ſingulari allegat. Immola in l. ſi verò §. de viro in 5. fallent ff. ſolut. matrim. Carolus Ruinus in ſuis conſilijs conſ. 144. num. 19. vol. 4. Alexander conſ. 42. incip. viſo proceſſu in vlt. col. vol. 6. Petrus Paulus Pariſius conſ. 104 num. 2. in prima part. conſ.* ergo cum curatore acta in hypotheſi, de qua loquimur, erunt valida, & ſubſiſtentia.

§. XVII.

An ius executionis per lapſum temporis extinguatur.

SVMMARIVM.

Difficultas, & dubia circa ipſum excitata. 1.

Siſtendo in puris terminis ſtatutorum Genuenſium per lapſum quadrienij extinguitur ius executionis. 2.

Non tamen in iure communi. Ibid.

Per lapſum triginta annorum extinguitur ius procedendi ad cambium non ſolum via executiua, ſed etiam ordinaria. 3.

Diſquiſitio XVII. Inito contractu, & conſtituto tempore ad reſtitutionem debiti, debitor diſtulit ſolutionem poſt quadriennium, nec creditor per illud tempus eandem petijt, licet in die termini ſolutionis faciendæ eleuauerit proteſtum ſuper literis cambij. Hic iam quæritur primo, an per illum lapſum quadriennij extinctum ſupponatur illud ius viæ executiuæ, ſiuè ex vi ſtatuti, ſiuè de iure communi. Secundò, an poſt trigeſimum annum non ſolum extinguatur quoad viam executiuam, ſed etiam quoad ordinariam. 1

Reſpondeo primò, ſiſtendo in puris terminis ſtatutorum Genuenſium per lapſum quadriennij extinguitur ius executionis paratæ in literis cambij. Colligitur expreſsè ex eiſdem ſtatutis ibidem *Declarato, quod ſupradicta executio poſſit fieri intra annos quatuor à die termini ſolutionis tranſacti, & non poſteà*; hoc tamen non verificatur de iure communi, nam actiones de iure communi non præſcribuntur, niſi termino annorum triginta *Baldus tract. de præſcriptionibus in 4. parte part. princip. qu. 31. num. 1., & 2. tom. 17. Natta conſ. 222. Flam. Cartar. deciſ. 120. conceſſa num. 2., & 3.* etiam ſi agatur ex inſtrumento habente executionem paratam *Collerius tract. de proceſſu execut. part. 4. cap. 1. ſub num. 74.* 2

Declaratio per ſtatuta Genuenſia.

Reſpondeo ſecundò, per lapſum triginta annorum extingui ius procedendi ad cambium, non ſolum via executiua, ſed etiam via ordinaria. Ratio in eo videtur fundari, quod triginta, vel quadraginta annorum ſpacio quæcunque actio tollitur *l. ſicut l. omnes C. de præſcript. 30., vel 40. annorum*, quod multi 3

multi conantur euincere verificari, etiam in præſcriptione feudi quoad dominium directum in præiudicium Domini *Gloſ. in cap. 1. §. præterea de cap. Corradi Baldus de præſcript. in 4. part. part. princip. quæſt. 12. verſ. quarto quæro Menochius alios adducens in conſ. 143. num. 20. verſ. ſeptimò comprobatur lib. 2.*, ex quibus infero, quod illo annorum ſpatio extinguatur etiam ius agendi via executiua, quia præſcripto iure ſuper re non poteſt remanere ius agendi ad rem illam, quandòquidem ius agendi fundatur in ipſa ſubſtantia rei tanquam accidens in ſuo ſubiecto, ergo extincto ipſo credito per præſcriptionem triginta annorum non remanet amplius aliqua actio agendi quoad ipſum.

Hic oritur difficultas, an illud ius agendi via executiua, & etiam ordinaria præſcribatur etiam termino triginta annorum? ſi fuerit cum mala fide. In quo recole, quæ dicebamus *tom. 1. ſub tit. Contractus 1. de contractibus, vt ſic Prænot. II., & alibi*, vbi diximus præſcriptionem, vel poſſe conſiderari ſecundum ius canonicum, vel ſecundum ius ciuile; ſi difficultas procedat in iure canonico, certum eſt per lapſum talis temporis non extingui ius agendi argumento deducto à contrario ſenſu ab ijs, quæ ſupra dicebamus, nam ſi perempta re per præſcriptionem mala fide non remanet aliqua actio agendi, ergo permanente iure, non eſt, cur tollatur ratio illa agendi. Conſequentia probatur, quià actio illa non deſtruitur per accidens ratione deſtructionis ſubiecti, nec per ſe actione aliqua terminata ad ipſius deſtructionem, non per accidens ratione ſubiecti, quià illud ſupponitur perſeuerare, non actione aliqua terminata immediatè ad illius iuris agendi deſtructionem. Antecedens probatur, quià de iure canonico per ea, quæ ſupra diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus I. de contractibus vt ſic Prænot. 2.* præſcriptio cum mala fide non ſubſiſtit; Si difficultas procedit de iure ciuili, in ſententia aſſerente reprobari per ius etiam ciuile quamcunque præſcriptionem cum mala fide, idem dicendum eſt, quod mox dictum fuit, quandò difficultas procedit de iure canonico propter eandem rationem; in ſententia vero approbante præſcriptionem etiam cum mala fide per ſolum lapſum temporis à iure requiſiti, tunc dicendum eſt, extingui quamcumque actionem procedendi, ſiuè via executiua, ſiuè ordinaria, quia deſtructo per præſcriptionem fundamento ruunt omnia, quæ fundantur in ipſo.

Variæ rationes præſcribẽdi cum actione ex mala fide.

Aduerte tamen, quod alicubi, vel ex vi ſtatutorum, vel capitulorum nundinalium præſcriptum eſt, quod literis cambij realis nulla vnquam currat temporis præſcriptio, & præcipuè in capitulis fori mercantilis Bononienſium approbatis à Pio V. Sanct. record. *Alle lettere di cambio reale non corra mai preſcrittione di tempo*, quæ vtique obſeruari debent ſecundum proportiones, & limitationes, de quibus alibi.

§. XVIII.

An, ſi hæredes debitoris ex cambio defuncti adiuerint hæreditatem cum beneficio legis, & inuentarij, poſſint impedire executionem creditoris, & quid hic poſſet facere in data hypotheſi.

SVMMARIVM.

Status difficultatis in particulari caſu. 1.
Ex diſpoſitione iuris communis videtur, quod poſſit hæres in data hypotheſi impedire talem executionem, donec &c. 2.
In hypotheſi, quod hæredes per tale beneficium impediant, ſeù impedierint talem executionem, per ſtatuta locorum diuerſa diuerſimodè prouideri poteſt creditorum indemnitati, & quomodò. 3.

DIſquiſitio XVIII. Debitor ex cambio antè ſolutionem eiuſdem inſtituto ſibi hærede mortuus eſt. Hæres adiuit hæreditatem cum beneficio legis, & inuentarij, factoque legitimè inuentario, antequam creditor executionem intentaret, contendebat talem executionem impedire. Quæritur modò, quid iuris? & quid in caſu impedimenti poſſet præſtare creditor. 1

Reſpondeo primò, ex diſpoſitione iuris communis videri, poſſe hæredem in data hypotheſi impedire talem executionem, donec &c. quià tale beneficium legis, & inuentarij eſt talis conditionis, & qualitatis, vt quamcunque actionem contrà hæreditatem ſuſpendat, quod etiam videtur firmari per capitula fori mercantilis Bononienſium relata in bulla Pij V. approbante eadem capitula, ibi, & *in euento, che li heredi del morto haueſſero tolta l'heredità con il benefitio della* 2

Referuntur declarationes capitulor. Bononienſium.

della lege, & inuentario, & fatto l'inuentario legitimamente innanzi, che il creditore ſij comparſo à dimandare la detta eſecutione, e voleſſero detti heredi ſeruirſi di detto beneficio per impedire l'eſecutione di detta lettera poſſa &c. ex quibus videtur deduci, poſse impedire, licet poſteà ſubſequatur, quod ex vi eorundem poſſit creditor alia via procedere.

3 Reſpondeo ſecundò in hypotheſi, quod hæredes per tale beneficium impediant, ſeu impedierint talem executionem, per ſtatuta locorum diuerſa diuerſimodè prouideri ipſius creditoris indemnitati, quæ omnia conſulenda ſunt; non enim vacat omnia inquirere. Sufficiat in præſenti diſpoſitionem in hac hypotheſi capitulorum Bononienſium afferre, quæ conferunt creditoribus ius, & auctoritatem accipiendi ad cambia, & recambia ſimilem quantitatem expenſis, & damnis dictæ hæreditatis, donec fuerint plenè ſatisfacti. Ibi, *le ſij lecito pigliare la ſomma de' danari di quella lettera à tutte ſpeſe, e danni di detta heredità in ſino à tanto, che egli non ſarà ſodisfatto intieramente.*

Statuta diuerſa diuerſimodè prouident.

§. Vltimò.

An à conceſſione executionis paratæ quoad literas cambij detur appellatio.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſiæ. 1.

Literis cambij conceſſa executione non conceditur quoad ſuſpenſiuum appellatio, ſed recurrendum eſt ad iudicium ordinarium. 2.

Quoad deuolutiuum ex vi ſtatutorum Genuenſium denegatur etiam appellatio, non ſic in terminis capitulorum Bononienſium. 3.

1 DIſquiſitio Vltima. Non ſolutis per debitorem literis cambij, eleuatoque per creditorem proteſtu iuxtà formam ſuprà præſcriptam egit ipſe creditor coram Iudice ad executionem conceſſam eiſdem literis cambij, eiuſdemque executionis præſcriptum à Iudice retulit, à quo debitor appellauit. Quæritur, an detur hæc appellatio tam quoad ſuſpenſiuum, quàm quoad deuolutiuum ab hac executione.

2 Reſpondeo primò, literis cambij conceſſa executione paratâ regularitèr non concedi quoad ſuſpenſiuum appellationem, ſed recurrendum eſſe ad iudicium ordinarium. Ità in terminis *Scaccia de Cambijs* §. 8. *gloſa vnica in terminis ſtatutorum Genuenſium*, & in terminis capitulorum Mercatorum Bononienſium *Socin. Iunior. conſ.* 138. *nu.* 8. *lib.* 3. *Ruginellus tract. de appel.* §. 2. *cap.* 3. *num.* 93. Ratio facilè ex eo deducitur, quod appellatio aduerſatur naturæ celeris executionis, ergo, vbi prompta conceditur executio, non erit locus appellationis. Antecedens patet, quià appellatio ſuſpendit executionem. Addo, quod à ſententia poſſeſſorij realitèr non valet appellatio *l. prima, & ibi Bartolus, Baldus, Angelus, & Doctores poſt Cinum C. ſi de moment. poſ. ſu. app., & in Specul. de app.* §. *in quibus videndum verſ.* 26. de quo per *Bartolum in l.* 2. *ff. de appel. reciſ. in* 2. *col. verſ. quæro, quæ eſt ratio*, quem omninò vide vſque ad verſ. *redeo ad materiam, & in l. prima ff. de ſolut.* cuius rationem aſſerunt doctores eſſe, quia per talem ſententiam non tollitur iudicium quoad petitorium, ergo etiam à ſententia executionis valere neutiquam poteſt appellatio, quandòquidem etiam ſalua ſunt iura in iudicio ordinario; vndè non immeritò docuit *Scaccia* §. 8. *gloſ.* 5. *n.* 4. vbique ex conſuetudine executioni denegari appellationem.

Appellatio ſuſpendit executionem.

Reſpondeo ſecundò quoad deuolutiuum ex vi ſtatutorum Genuenſium denegari etiam appellationem, non ſic in terminis capitulorum Bononienſium. Ita *Scaccia loc. ſuprà cit.* Ratio primæ partis eſt, quià ſtatuta Genuenſia indefinitè, abſolute, & ſine vlla reſtrictione denegant appellationem; appellatio autem non ſolùm reſpicit ſuſpenſiuum, ſed etiam deuolutiuum. Ratio ſecundæ partis colligitur ex capitulis dictæ Ciuitatis ſupra relatis *ſub hoc eodem tit. Contractus V. de Cambijs III. Pranot.* 10. Ibi- *Chi di tutte le queſtioni, e liti, che occorreranno per cauſa di detti cambij in queſta Cittade trà qualſiuoglia ſorte, e gradi di perſone ſolamente il Giudice, ò Conſoli &c.* & paucis interpoſitis, *mà che ſemplicemente, e ſenza oſtacolo alcuno la cognitione, e deciſione, & eſecutione di dette liti, ò queſtioni, ò cauſe ſpetti, & appartenghi ſolamente al detto foro non ſolo nella prima inſtanza, mà ancora nelle appellationi, ſino all' vltimo fine della cauſa ſecondo la diſpoſitione, e forma de ſtatuti di detto foro &c.* vbi nota, quod, ſi in cognitionibus, deciſionibus, & executionibus iudicium pertineat 3

Capitula Bononienſia in terminis.

ad

Digitized by Google

ad forum Mercatorum non ſolum quoad primam inſtantiam, ſed etiam quoad appellationem, recto ordine deducatur, quod admittatur appellatio etiam in executionibus literarum; ad quid enim diceretur, quod iudicium pertineat ad forum Mercatorum etiam quoad appellationem, ſi appellatio in huiuſmodi executionibus non admitteretur? quæ quidem appellatio, cum intelligi nequeat quoad ſuſpenſiuum, cum hæc aduerſetur naturæ celeris executionis, vt ſuprà dicebamus, intelligi per conſequens debet quoad deuolutiuum. Atque hæc dicta ſufficientèr ſint in vniuerſis de Cambijs controuerſijs, quæ quidem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ iudicio, & cenſuræ humilitèr ſubijcio, paratus nedum, ſi quid eidem diſſonum in his ſcriptis contigerit, retractare, ſed primus ego hæc vniuerſa flammis demandare, malens errata potius, ſi quæ fuerint, flammis expurgare, quam mea ſcripta erroribus, licet leuibus obnoxia in lucem prodere, & oſtentare.

CON:

Digitized by Google

CONTRACTVS VI.

De Simplici Permutatione.

MIrabitur fortaſsè quiſquam, quod diſceptationibus de permutatione præmiſſæ fuerint controuerſiæ de Cambijs, cum hæ ſub illis, tanquam ſpecies ſub ſuo genere contineantur, & congrua agendi ſeries poſtulet, vt ab vniuerſalioribus initium deſumatur. Nihilominus, quia permutatio, quamuis nomine generico concipiatur, ſecundum rigorem tamen rei importat ſpeciem quandam contractus, nempè commutationem rei pro re, ſeu vt loquuntur iuris interpretes, ſpeciei pro ſpecie, ideò ſecundum hanc acceptionem ordine non incongruo poſtponi potuit, cum cambia, & permutationes importent duas contractuum ſpecies inuicem non dependentes, quæ propterea ſecundum ſe non videntur exigere ordinem prioritatis, & poſterioritatis, ſed ex arbitrio, vel præponi poſſe, vel poſtponi; Quinimmò, cum pecuniæ, quarum fit commutatio per cambia, vniuerſaliùs ſe habeant ad res, circa quas verſantur permutationes, cum rerum omnium venalium ſint menſura, ideò eadem cambia priorem locum non incongruè ſortiri debuerunt comparatiue ad ſimplices permutationes deſumpto fundamento ex generali regula, quod ab vniuerſalioribus ſit exordiendum. Præmiſſis igitur de Cambijs controuerſijs materiam permutationis ſecundum ſuas ſpecies proſequimur, ea omnia conſiderantes, quæ non pecuniam pro re, vt fit in emptione, & venditione, nec pecuniam pro pecunia, vt in cambijs, ſed rem pro re, pro vt importat tertiam quandam ſpeciem, reſpiciunt, quæ quidem ſpecies contractus prima fuit origine ad alios contractus, quandòquidem poſt diuiſionem rerum de iure gentium, & ante pecuniarum inuentionem antiquitùs conſueuerunt res pro rebus commutari, & quæ erant vni ſuperflua, & alteri neceſſaria cum rebus alteri ſuperfluis, & ſibi neceſſarijs. Non difficilis agendi hæc ratio, ſiquidem ex cognitione cambiorum ad hanc materiam facilis patet aditus, quæ tamen neceſſaria eſt, & ſcitu digniſſima.

PRÆ-

PRÆNOTIO I.

De Natura permutationis, eiuſque differentijs à reliquis contractibus.

SVMMARIVM.

Acceptio propria permutationis, vt eſt ſpecialis contractus. 1.
Duplex definitio permutationis proponitur, & defenditur. 2.
Conuenientia, & diſconuenientia, quam habet contractus permutationis cum contractu emptionis, & venditionis. 3.
Conuenientia, & diſconuenientia, quàm ſeruat cum contractu cambiorum in particulari. 4.

1 SVmitur hic contractus permutationis ſtrictè, pro vt reſpicit ſpeciem pro ſpecie, vt etiam innui in præambulis, & latiùs *ſub tit. Contractus V. de Cambijs I. Prænot. I.*, ſecundum quam acceptionem, quià videtur etiam alias plures ſub ſe ſpecies continere, nempè tranſactionem, nouationem, compromiſſum arbitri iuris, & compromiſſum arbitri arbitratoris, & amicabilis compoſitionis, ideò ſpecialitèr reſtringitur, pro vt importat ex præciſa, & omninò voluntaria partium conuentione, & pactis omninò liberis vnius rei pro alia commutationem, in quo ſenſu quæritur, quid propriè, & in rigore ſit.

Permutatio ſub ſe plures continet ſpecies.

2 Azon in ſumma aſſerit, permutationem in rigore ſumptam, provt importat ſpeciem contractus diſtinctam, tùm ab emptione, & venditione, tùm à cambijs eſſe vnius rei per alteram præſtationem, ſeu vnius rei pro altera vicariam præſtationem. Sed hanc Azonis aſſertionem non libentèr, & abſolutè approbat *Ognate tract. 25. de permut. diſp. 90. ſect. 1. nu. 10.*, ea motus ratione, quod per illam permutatio ſpecificè ſumpta non diſtinguatur ab emptione, & à cambio, vndè aſſerit, eſſe potius quaſdam inchoationes definitionis, quam quidditatiuas definitiones, ſed fundamentum, quo aſſerit Ognate per hanc aſſertionem permutationem non diſtingui à prędictis contractibus emptionis, & venditionis, & cambiorum, non aſſignat, ſed ſolummodò progrediens ad ſuam definitionem aſſerit, permutationem eſſe contractum, quo vna ſpecies pro alia commutatur. Peto iam ab eodem Ognate, cur per hanc ſuam definitionem diſcriminetur ſimplex permutatio ab emptione, & venditione, & à cambio, non per illam Azonis? Reſpondet *num. 11. in fin.* per hoc diſcriminari, quià in emptione traditur pecunia pro ſpecie, in cambio pecunia pro pecunia, in permutatione verò ſpecies pro ſpecie; Sed hoc idem exprimitur in definitione Azonis, in qua dicitur *vnius rei pro altera re vicaria præſtatio;* nomine autem rei venit quodcunque commutabile diſtinctum à pecunia ſecundum omnium Theologorum, & Iuriſtarum conſenſum, vndè huiuſmodi definitiones differunt ſolummodò in modo, & quoad nomen, non autem eſſentialitèr, & quoad ſubſtantiam. Ex quibus fas erit deducere vtramque, ſiuè Azonis, ſiuè Ognatis definitionem, vt eſſentialem, & quidditatiuam ſuſtineri poſſe.

Impugnatio Azonis per Ognate non valdè efficax

Nomine rei venit quodcunque commutabile diſtinctum à pecunia.

Explicatur iam vtraque definitio per ſuas particulas, & ſimul vtriuſque bonitas euincitur. Dicitur in illa Azonis, *præſtatio, ſeu vicaria præſtatio;* in illa verò Ognatis. *Contractus, quo permutatur*, per quas particulas in vniuerſum innuitur, permutantes res ſuas ſibi inuicem tradere ex ſpecialibus conuentionibus inter ipſos initis, atque hæ particulæ in vtraque definitione ſtant loco generis, cum per ipſas conueniant cum pluribus alijs contractibus. Dicitur in vna *vnius rei pro altera*, & in alia *vnius ſpeciei pro ſpecie;* per quas vtraſque particulas ſpecialitèr elucet diſcrimen, quod intercedit inter ſimplicem permutationem, & emptionem, & venditionem, & item cambium ſuprà explicatum; in emptione etenim, & venditione contractus verſatur inter rem venalem, ſeu ſpeciem, & pretium, ſeu pecuniam, in cambio inter pecuniam, & pecuniam, in permutatione verò inter rem, ſeu ſpeciem, & rem & ſpeciem, &, cum non exprimatur res, ſiuè in eadem, ſiuè in diuerſa ſpecie, vtique permutatio eſſe poteſt, ſiuè inter res eiuſdem, ſiuè diuerſæ ſpeciei. Hic tamen aduerte pro maiori claritate, quod, quamuis in definitione per Azonem allatam exprimatur res, quæ vtpotè nomen tranſcendens apta eſt etiam ad explicandum, ſeu ſignificandum pecuniam, ex communi tamen acceptione ſumatur reſtrictiuè, pro vt contrà diſtinguitur ab eadem pecunia, vndè habetur textus *in l. naturalis C. de præſcriptis verb.* quo dicitur *emptionem rebus fieri non poſſe iam pridem placuit*, in quo ſenſu accipiuntur res vt diſtinctæ a pecunia, ceteroqui incongruè diceretur emptio-

Explicantur particulę vtriuſque definitionis

Nomen rei quãuis tranſcendens poteſt ſumi reſtrictiuè.

Digitized by Google

tionem rebus fieri non poſſe, ſi ipſum nomen *rerum* importaret etiam pecuniam, quam certum eſt fieri venditoris.

3 His quoad rei, ſeu permutationis naturam, ſeu quidditatem explicatis, iam me confero ad comparandam eandem permutationem cum alijs contractibus, eoſdem ad inuicem diſcriminando; & quidem primò in multis conuenit cum emptione, & venditione, in multis verò differt. Conuenit in primis in eo, quiâ vterque contractus eſt bonæ fidei *Bartolus, & Gloſ. in l. 1., & 2. C. de rer. permut., & l. 1. ff. eod. tit.* ſecundò, quiâ vterque eiſdem legibus, ſeu iuribus regulatur *l. 1., & 2. ff. de rerum permut., & l. 2. C. eod. tit., Iaſon in l. 1. ff. eod. num. 7., Gregorius Lopez lib. 6. tit. 5. de his cambijs in proem.* ſicque ex vtroque oritur conditio vſucapiendi *l. ſequitur §. de illo ff de vſucapionibus*, ex vtroque præſtatur euictio *l. 1. C. de rer. permut.* ex vtroque datur actio redhibitoria *l. ſciendum C. de adil. edic.* Tertiò, quiâ in vtroque ex læſione vltra dimidium conceditur actio reciſoria contractus *Baldus in l. 2. C. de rer. permut. quæſt. 3.* Differt verò in primis, quiâ emptio eſt per traditionem pecuniæ pro re venali, permutatio verò rei pro re. Secundò, quiâ in permutatione datur actio, quæ dicitur condictio ob cauſam, vel actio præſcriptis verbis, non ſic in emptione. Tertiò, quia in emptione, & venditione aliud eſt emere, aliud eſt vendere, aliud res venalis, aliud pretium; in permutatione verò non eſt aliqua differentia inter permutantem ex vna parte, & permutantem ex altera, nec inter res permutatas, quatenus vna habeat rationem pretij, alia rationem mercis, vt per ſe patet. Alias plures differentias apud *Ang. de Aret. in §. actionum Inſtit. de act. in Gloſ. in verb. ex permut.* vide, qui ſex ibi enumerat.

In quibus côueniat cum emptione, & venditione.

In quibus differat ab emptione, & venditione.

4 In pluribus etiam conuenit cum cambio, & in pluribus differt. Conuenit primò in eo, quod in vtroque datur euictio, actio redhibitoria, & quanto minoris. Secundò, quiâ in vtroque datur reciſcio ex læſione vltrà dimidium. Tertiò, quiâ vterque eſt contractus bonæ fidei, & in alijs pluribus, quæ elucefcent, ſi fiet conſideratio ijs, quæ dicta ſunt in tractatu de cambijs ſparſim per totum, & ijs, quæ dicentur in his quæſtionibus de permutatione. Differt verò primò, quiâ cambium verſatur inter pecuniam, & pecuniam, permutatio verò inter rem, ſeu inter ſpeciem, & ſpeciem. Secundò, quiâ in cambio alter eſt campſor, alter campſarius, in permutatione verò vterque eſt permutans, & vterque actiuè, & paſſiuè ſe habet. Tertiò, quia in cambio, niſi ſit minutum, regularitèr ex natura ſua requiritur diuerſitas localis, ſeu diſtantia, non ſic in permutatione. Alias plures Doctores congerunt differentias, in quibus non vacat immorari. Vos ipſi apud eoſdem videte.

In quibus differat, & conueniat cum cambio.

Longam hic nonnulli intexunt diſputationem in comparando ſimplicem permutationem cum reliquis omnibus contractibus aſſignando côuenientias, & diſcrimina, quæ inter ſe ſeruant; ſed quia hoc non valdè confert ad præſens inſtitutum, & ea, quæ ipſi congerunt, facilitèr ex ſe innoteſcunt, ideò conſultò hic omittimus, & ad alia conſiderabiliora progredimur.

PRÆNOTIO II.

An permutatio ſit contractus nominatus, an innominatus.

SVMMARIVM.

Permutatio, vel poteſt fieri in genere pro genere, vel in genere pro ſpecie, vel in ſpecie pro genere, vel in ſpecie pro ſpecie. 1.

Cum datur genus pro genere, vel ſpecies pro genere, vel genus pro ſpecie non eſt contractus nominatus, ſed innominatus. 2.

Permutatio regularitèr reducitur ad contractum Do, vt Des. *3.*

Permutatio completa per traditionem ex vna parte gignit actionem ciuilem in fauorem eius, qui compleuit. 4.

Permutatio, qua datur ſpecies certa pro altera certa non eſt propriè contractus nominatus. 5.

Permutatio ſpeciei pro ſpecie eſt propriè contractus, generis verò pro ſpecie non niſi inchoatiuè. 6.

Permutatio, vel poteſt fieri in genere pro genere, ſeu in indeterminato pro indeterminato, vt cum conuenitur de traditione Equi indefinitè pro boue etiam indefinitè, vel in genere pro ſpecie, vt ſi fiat conuentio de traditione olei indefinitè pro vino certo contento in tali dolio, vel in ſpecie pro genere, vt ſi fiat conuentio de tali oleo certo pro vino indeterminatè, vel tandem in ſpecie pro ſpecie, vt cum conuenitur de tali re determinata in 1

certo

Digitized by Google

certo numero, pondere, & menſura, ſeu de re indiuidua pro alia etiam indiuidua, vel determinata in omnibus menſuris. Iuxtà primos tres modos in communiori, & magis recepta ſententia, ſecundum quam ſtatuitur, permutationem propriè ſumptam non conſiſtere in nudis pactis, ſed in actuali traditione ex vtraque parte facta, non videtur locum habere poſſe præſens diſceptatio, quandoquidem res incerta tradi non poteſt, adeoque nequit propriè commutari accepta rigoroſè commutatione pro actuali traditione rei pro re, ex quo deducitur, quod in genere permutationis nec poteſt eſſe contractus nominatus, nec innominatus, cum ratio nominati, ſeu innominati adiaceat contractui, qui, ſi non ſubſiſtat, nec poteſt admittere tales adiectiones, ſeu rationes adiacentes. Nihilominus, quia lato modo quandoque concipitur fieri permutatio per nuda pacta, & ſtipulationes, vt videtur innuiſſe *Azorius inſt. mor. part. 3. lib. 7. de permut. cap. 1. dub. 2., & Ognate tract. 25. de permut. diſp. 90. ſect. 2. num. 28. in princ. 29., & 30.*, quamuis hic poſtea num. 31. aſſerat, huiuſmodi pactiones non eſſe propriè permutationes, donec ipſa rerum traditione, quam ſignificant, compleantur, ideò etiam permutationes quoad hos modos in præſenti examinabimus, licet currenti calamo. Tota igitur, ſeu potiſſima ratio dubitandi erit quoad permutationes quartò modo acceptas. His iam pro notitia ſuppoſitis ſit

Multiplex modus, quo poteſt fieri permutatio in ordine ad res.

2 ASSERTIO I. Cum datur genus pro genere, vel genus pro ſpecie, vel ſpecies pro genere permutatio non eſt propriè contractus nominatus, ſed innominatus *Gloſa, Bartolus, Baldus, Paulus Caſtrenſis, Angelus, Salicetus, Iaſon in l. prima C. de rer. permut., Azorius inſt. moral. part. 3. lib. 7. de permutatione c. 1. qu. 2.* Colligitur in primis *ex Gloſ. in l. 2. in principio ff ſi cert. pet., & in l. quoniam adſeueras C. de rer. permut.* Deindè ſic.

Probatur primò, quià illud nomen permutationis, quod tribuitur his contractibus, quin potius inchoationibus quibuſdam horum contractuum, non eſt cum ratione, ſeu effectu formali permutationis, ſed omnino impropriè importat permutationem, vt ex ſe patet, cum ex ipſa vi nominis, ſi propriè accipiatur permutatio, importet traditionem, quæ ſtare non poteſt cum promiſſione rei incertæ, & indeterminatæ, ſiuè ex vtraque, ſiuè ex altera tantum parte, ergo illa conuentio generis pro genere, vel generis pro ſpecie, vel ſpeciei pro genere non eſt propriè contractus nominatus; vndè non immeritò docuit *Azon C. de permut. in ſumma, & cum eo Baldus in l. 1. col. 2. C. eod. Abbas in c. ad quæſtiones verſ., & ex his infertur de rer. permut., & Bart. in l. Ariſto. ff. eod. Gregorius Lopez in l. 1. tit. 6. part. 5.*, huiuſmodi conuentiones non eſſe permutationes, ſed alium quemdam modum ſecundum ſe innominatum, quamuis expreſſum communi nomine permutationis.

Nō ſunt contractus, ſed inchoationes contractuum.

Probatur ſecundò, quià huiuſmodi conuentionibus ante actualem traditionem vtpotè importantibus dumtaxat pacta nuda non conceditur actio ciuilis, niſi fuerint traditione veſtitę, quæ traditio eſſe non poteſt, niſi rei certæ, & determinatæ in ſpecie, ſeu potius in indiuiduo, ergo non ſunt propriè contractus nominati. Conſequentia tenet, quia contractibus nominatis ſecundum ſe conceditur actio ciuilis per ea, quæ latè tradidimus *tom. primo ſub tit. Contractus I. de contractibus vt ſic Prænot. IV.* Antecedens iam ſic euincitur, quia huiuſmodi conuentiones, cum inuoluant res indefinitè, important dumtaxat promiſſiones, ſeu pacta nuda, vt per ſe patet, non enim eſſe poſſunt cum traditione, quandoquidem res incertæ, & indeterminatæ tradi non poſſunt, ſed pactis nudis, ſeu ſimplicibus promiſſionibus non conceditur actio ciuilis per ea, quæ loco cit. fusè tradidimus, ergo &c.

Ante actualem traditionem huiuſmodi contractibus non conceditur actio ciuilis.

Hic duplex oritur difficultas, & prima ad quamnam ſpeciem contractus innominati reduci poſſint huiuſmodi conuentiones, de quibus loquimur, ex illis quatuor, quæ enumerantur, nempè *Do vt des, facio vt facias, facio, vt des, do, vt facias*. Secunda, an, ſi huiuſmodi permutationes fuerint completæ per traditionem ex vna ſaltem parte, gignant actionem ciuilem, & quomodò.

3 Ad primam igitur dicendum eſt regularitèr reduci ad contractum, *do, vt des Gloſ. in l. 3. C. de rerum permut. verbo ſubiecta Azon bic num. 7., Hoſtienſis n. 2. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. primo de permut., Ognate tract. 25. de permut. diſp. 90. ſect. 1. num. 21.*, cuius ratio eſſe poteſt, quod contractus permutationis proximè accedit ad contractum emptionis, & venditionis, cum aliud non intercedat diſcrimen, niſi quod in permutatione datur res pro re, in emptione verò pretium pro re;

Digitized by Google

ſed in emptione, & venditione emptor dat pretium, vt ſibi detur res venalis, ergo etiam in permutatione propriè ſumpta dari poteſt vna res, vt altera danti retribuatur, adeoque regularitèr conſiſtit in contractu innominato, qui dicitur *Do, vt des;* Neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur ſæpè contingere in permutatione, vt vna res detur, vt altera fiat, vt ſi quis det colono frumentum, vt hic ipſius agrum colat, ſicque permutatio reducitur ad contractum innominatum, *do, vt facias*, item vt vnum fiat ad effectum, vt aliud tradatur, vt ſi quis pingat imaginem, vt ſibi gemma conferatur, ſicque refertur ad contractum, qui dicitur, *facio, vt des*, item vt vnum fiat, vt alterum efficiatur, vt ſi quis efficiat imaginem, vt ager proprius colatur, ſicque reducitur ad contractum *facio, vt facias*, ergo permutatio indifferens eſt, vt reducatur ad quemcunque ex quatuor ſpeciebus contractuum innominatorum;

Satisfit rationibus in contrarium oppoſitis.

Non, inquam, obſtare poteſt, quandoquidem illi contractus, quibus aliquid datur, vt aliud fiat, vel fit aliquid, vt aliud detur, vel fit vnum, vt alterum fiat, ſunt minus propriè, & rigoroſè permutationes in eo ſenſu, in quo ſpecificè ſumitur permutatio, pro vt dicitur ſpeciei pro ſpecie commutatio. Deindè dixi *regularitèr* hoc eſt, vt plurimum, ſiquidem crebriùs, & ſecundum magis conſuetum vſum permutatio fit per dationem vnius rei pro alia. Hic tamen aduerte, hæc, quæ dicuntur, intelligi, quando re vera aliquid datur, cæteroqui non eſſent contractus, ſed pacta præciſè nuda.

4 Ad ſecundam dicendum eſt ex parte eius, qui tradidit, oriri actionem ciuilem, quæ dicitur præſcriptis verbis ex permutato *l. rebus C. de rer. permut.* Hæc autem actio, vel poteſt eſſe ad implendam conuentionem, & ad conſumandum id, quod intereſt eius, qui tradidit rem ſuam, vel ad reſiliendum à contractu, & hoc actione, quæ dicitur condictio ob cauſam, qua compellet alterum ad reſtituendam ſibi rem ipſi traditam, eo quod tradita ſit ob cauſam, quæ non eſt ſecuta. Ratio horum omnium, quæ hic dicuntur, deſumitur ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus I, de contractibus, vt ſic Prænotione 4.*, quæ ibi recole.

Oritur actio vel ad implendam conuentionem, vel ad quantum intereſt vel ad recedendū.

5 Assertio II. Permutatio, qua datur ſpecies certa pro altera certa, non eſt propriè, & in rigore contractus nominatus. Ita expreſsè *Gloſa in l. 1. C. de rerum permutatione* quidquid eandem Gloſam pro contraria opinione citet *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. de permut. cap. 1. verſ. dubium ſecundum in fin.*, & clarè colligitur *in Gloſa in proem. ad l. 1. C. eod. tit.*

Probatur primò, quià hic contractus non habet proprium, & ſpecificum nomen, ſed omninò genericum, & commune pluribus alijs contractibus, puta emptioni, & venditioni, cambijs, & ſimilibus, ergo propriè contractus nominatus non eſt, quandoquidem genus nominatorum proprio, & ſpecifico nomine gaudent, vndè merito aſſerunt *Iaſon. in l. 2. nu. 3.*, *Bartolus n. 1.*, *Baldus num. 5. ff. de rerum permut.*, *Panormitanus extrà hoc tit. c. primo*. *Hoſtienſis in ſumma num. 1.*, permutationem ſtare in nomine generico contractus, quia permutatio omnem contractum ſignificat.

Probant ſecundò aliqui *ex l. 1. ff. de rerum permutatione*, vbi dicitur, quod in ſolis contractibus nominatis concedatur actio ciuilis, quando res nundum eſt tradita, ſed ſolo conſenſu firmatus contractus. Ibi. *Quod in his dumtaxat receptum eſt, quæ nomen ſuum habent, vt in emptione, & venditione, conditione, mandato.* Sed ex permutatione nudo pacto contracta non conceditur actio, ſed interuentu rei perfici debet, vt actio præſcriptis verbis oriatur *l. 1. hoc tit. §. item emptio, inſtit. quib. mod. re contrà §. item, cui l. iuris gentium, & l. ex placito C. de rer. permut.*, ergo permutatio non eſt contractus nominatus, cęteroqui ex ſolo conſenſu etiam antè traditionem in eodem oriretur actio. Sed facile occurri poſſe videtur huic rationi cum *Gloſa in d. l. 1. ff. de rer. permut.*, aſſerendo, quod, licet verum ſit, quod ſolis contractibus nominatis concedatur actio antè traditionem, non tamen omnibus, nam depoſitum, & commodatum etiam ſunt contractus nominati, nec tamen eiſdem competit actio, antequam res tradatur iuxtà taxatum *in l. iuris gentium ff. de pactis in principio, & inſtit. quib. mod. re oblig. per totum*. Ex quibus inferre licet, quod quamuis in permutatione non concedatur actio, niſi poſt rei traditionem, non propterea neceſſariò inferatur, quod ſit contractus innominatus, quandoquidem etiam pluribus contractibus nominatis talis actio non competit, niſi poſtquam res fuerit tradita.

Probatio aſſertionis per aliquos, & eius reprobatio Gloſæ.

Nonnullis contractibus etiam nominatis non conceditur actio ciuilis niſi poſita traditione.

Probant tertiò alij ex eo, quod actio ciuilis, quæ conceditur permutationi poſt rei traditionem, non eſt actio ex per-

Digitized by Google

permutato, ſicuti actio, quæ conceditur poſt emptionem eſt actio ex empto, ſed actio ſolummodò præſcriptis verbis, quæ dumtaxat conceditur contractibus innominatis *in l. 1., & 2. ff. de præſcriptis verbis* -ibi- *Nam, cum deficiunt vulgaria, atque vſitata actionum nomina, præſcriptis verbis agendum eſt*, cuius ratio ſubiungitur *in l. 4. ff. eod. tit.* -ibi- *Natura enim rerum inductum eſt, vt plura ſint negotia, quam vocabula*, ergo non poteſt eſſe permutatio, niſi contractus innominatus. Reſponderet fortè *Azorius inſtitut. mor. part. 3. lib. 7. c. 3., in principio* actionem, quæ conceditur in hoc contractu, poſſe dici ex permutato, adeoq; denominatione deſumpta ex proprio nomine contractus; ſed facilè iuxtà ſuperius dicta poſſet elidi hęc Azorij reſponſio, quandoquidem illud nomen ex permutato eſt genericum pluribus, quinimmò omnibus ferè contractibus, non ſpecificum, & proprium, quod propterea conuenire etiam poteſt contractibus innominatis.

Nomen ex permutato eſt genericum.

Aduerſus hæc omnia, quæ hactenus dicta ſunt, obſtare videntur ea, quæ dicta ſunt in præcedenti titulo de Cambijs, nempè cambia, quæ ſunt ſpecies permutationis, eſſe inter contractus nominatos, ex quibus inferre licet, quod etiam permutatio ſit talis; non enim competere poteſt ſpeciei aliqua ratio, quæ non competat etiam ſuo generi. Sed facilè his occurrere poſſumus, ſi aſſeramus, quod, ſicuti contractus vt ſic indiferens eſt, vel ad contractus nominatos, vel ad innominatos, ità etiam permutatio, vt ſic. Quod ſi ſumere velis permutationem, pro vt importat ſpecialem, & diſtinctam ſpeciem contractus, tunc permutatio, & cambium, cum ſint duæ ſpecies inuicem non communicantes, nec inuicem connexæ, & dependentes, poſſunt habere differentias ſpecificè diuerſas, ratione quarum vna ſit contractus nominatus, altera innominatus.

Cur cābium ſit contractus nominatus, non ſic permutatio.

Pro complemento explicandum hic
6 eſſet diſcrimen, quod intercedit inter permutationem, qua datur, ſeu conuenitur de re incerta pro incerta, ſeu de genere pro genere, vel de incerta, ſeu genere pro certa, ſeu ſpecie, vel de certa, ſeu ſpecie pro incerta, ſeu genere iuxtà ea, quæ dicta ſunt in prima aſſertione, & inter permutationem, qua datur res certa pro certa, ſeu ſpecies pro ſpecie iuxtà ea, quæ dicta ſunt in ſecunda, præcipuè cum vtraque aſſeratur contractus innominatus. Reſponderent aliqui in hoc differre, quod prima ſe habet, vt genus, ſecunda verò, vt diſtincta ſpecies, pro vt colligitur *ex Gloſa in l. 1. ff. de rerum permut.*, ſed melius meo videri diceretur in eo differre, quod prima ſit impropriè contractus, & inchoatiuè tantum, ſecunda verò propriè, & ſecundum ſuam formalem rationem.

Quomodò differat commutatio generis pro ſpecie à permutatione ſpeciei pro ſpecie.

PRÆNOTIO III.

De Cauſis permutationis in vniuerſum.

SVMMARIVM.

Finis permutationis eſt, vt ſibi quiſque conſulat in neceſſarijs erogando ſuperflua. 1.
Efficiens ſunt ipſi permutantes. 2.
Quicunque poteſt contrahere emendo, poteſt etiam permutare, niſi à iure prohibeatur. Ibid.
Pater, & filius vt tales nequeunt inter ſe permutare. Ibid.
Nec Dominus, nec ſeruus. Ibid.
Excluduntur à iure permutandi, qui non habent plenum iudicium, nec perfectum dominium. Ibid.
Materia permutationis ſunt res omnes vendibiles, & alienabiles. 3.
Res aliena permutari non poteſt. 4.
Quandò ſimul cum re aliqua conferretur aliqua pecuniæ quantitas pro re maioris valoris, ſed prius facta fuit conuentio de pretio pro re illa maioris valoris, & deindè loco pretij ſubrogata pro parte res, & pro parte pretium, eſt contractus emptionis, & venditionis, & æquiualet duplici. 5.
Si nulla facta fuerit conuentio de pretio, ſed tradita res æſtimata pro parte, tunc eſt contractus permutationis, & venditionis ſimul ſecundum diuerſas partes. Ibid.
Secundum præſumptionem iuris interpretandum eſt pro eo contractu, cuius materia præualet. Ibid.
Etiamſi vtraque res ſit æſtimata non conſtituit, niſi contractum permutationis. 6.
Niſi facta fuerit pro vna re æſtimata conuentio de pretio, & poſteà loco pretij res alia æſtimata tradita, quià tunc eſt duplex contractus emptionis. Ibid.
Permutatio proprietatis cum vſufructu, & vſufructus cum vſufructu non eſt propriè permutatio. 7.
Cauſa formalis permutationis intrinſeca, & ſubſtantialis eſt mutuus contrahentium conſenſus. 8.

Ex-

Extrinſeca ſunt conditiones à iure potius inducta. Ibid.

SIcuti ad res omnes conſtruendas regularitèr in ſublunaribus omnia quatuor cauſarum genera concurrunt, itá etiam ad contractus, qui ex hominum beneplacito tanquam humanæ, morales, & politicæ actiones conſtruuntur, debent concurrere. Has omnes cauſas in particulari in ordine ad permutationes hic breuitèr inquiremus expeditiori tamen calamo, cum multum difficultatis in ſe non præſeferant.

1 Vt igitur ab extrinſecis exordiamur. Cauſa finalis permutationis propriè ſumptæ eſt, vt vnuſquiſque rebus ſibi neceſſarijs conſulat erogando pro illis minus neceſſaria, & ſuperflua, ſicque permutantes mutua ſibi inuicem beneficia præſtant, dum vnuſquiſque neceſſaria acquirit, vt eroget non neceſſaria. Atque hic finis primò intentus fuit ad humana commertia fouenda, quandò vſus pecuniarum nondum fuerat inductus.

Exponitur, in quo conſiſtat finis primarius permutationis.

2 Efficiens ſunt illi, qui præſtant eandem commutationem erogando res ſuas, aliaſque loco ipſarum recipiendo. Hi ſunt quicunque poſſunt contrahere contractu emptionis, & venditionis, quique à iure permutare non prohibentur. *Hoſtienſis in ſumma de rer. permut. §. quis autem poſſit permutare nu.* 4., *Vuſembech tit. de rer. permut. num.* 10., vndè ea omnia, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. Pranot.* 1. *num.* 4., & 5., *& ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Pranot.* 3., *& ſub tit. Contractus IV. de Emphyth., & Cenſ. Pranot. XVII.*, hic congruè applicari poſſunt. Vt autem in particulari dignoſcatur, quinam permutatione poſſint contrahere; placet firmare appoſitam generalem regulam per excluſionem eorum, qui vel ex natura ſua, vel ex diſpoſitione iuris nequeunt huiuſmodi contractus celebrare. Sic in particulari nequeunt primo defectu alteritatis requiſitæ ad iuſtitiam commutatiuam permutationem inire Pater, & Filius in ijs, in quibus ſe habent formaliter vt Pater, & Filius, hicque non eſt emancipatus à Patre per ea, quæ habentur *in l. fin. C. de impub., & alijs ſubſtit., & in l.* 2. *ff. de contrahenda empt.* Secundò nec Dominus, & ſeruus non ſolum defectu alteritatis, ſed etiam defectu veri dominij per ea, quę tradidimus *tom. primo ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. Pranot.* 1. *n.* 6. Tertiò nec poſſunt permutare, qui ſecundum ſe, vel defectu ætatis requiſitæ, vel imperfecti iuditij, vel obſtante iuris diſpoſitione nequeunt contrahere, qua ratione à contrahendo excluduntur infantes, pupilli, minores, furioſi, amentes, Religioſi &c. Quartò, qui non habent plenum, perfectum, & abſolutum dominium rerum, quas permutare intendunt, qua ratione nequeunt mariti bona dotalia vxoris, vſufructuarij bona proprietariorum, feudatarij bona feudalia dominorum ſupremorum permutare, ſicuti nequeunt illa vendere, & his ſimilia, quæ ex alibi dictis fas erit colligere.

Explicatur in particulari quinam non poſſint permutare. Pater, & filius Dominus, & ſeruus nequeũt ad inuicem permutare.

Cauſa materialis permutationis ſunt res omnes, quæ emi poſſunt, & vendi, quæquè aliquo iure alienari non prohibentur *l.* 2. *ff. de rer. permut., & l.* 2. *C. eod. tit., Hoſtienſis in ſumm. num.* 3., *Speculator part.* 3. *tit. de permut.* Ad huius cauſæ materialis clariorem notitiam, & indaginem placet nonnulla diſputationi obnoxia enucleare, & 3
primò diſputabile eſt, an res aliena poſſit permutari. Communior ſententia docet, rem alienam permutari non poſſe. Colligitur *ex l. prima §. item emptio verſ. ideò Pedius ff. de rer. permut.* Ibi *Ideò Pedius ait alienam rem dantem nullam contrahere permutationem*, & *c. cum venerabilis extrà de except.*, vbi dicitur quod permutare non poteſt, niſi dominus, vndè *Speculator* §. 1. *ſi igitur nu.* 5., & §. 2. *dicendum num.* 1., & cum eo *Bartolus l.* 1. *num.* 4. *ff. de rer. permut.* dixerunt, quod dans rem alienam non permutat; nec incongrua ſanè ratione, quia de ratione permutationis eſt, vt per tradentem transferatur dominium in alterum contrahentem, ſed qui prius dominium rei in ſe non habet, non poteſt illud in alterum transferre, ergo &c. Nec obſtare poteſt, ſi afferatur ſufficere, quod transferat poſſeſſionem in alterum, ſeque obliget aduerſus illum de euictione in caſu alienitatis rei permutatæ, quandoquidem etiam in contractu emptionis, & venditionis ſufficit, quod vendens obligetur de euictione, poſſeſſionem tradat, & ſe purget à dolo per ea, quæ videtur docere *Azorius Inſtit. mor. part.* 3. *lib.* 7. *tit. de permut. c.* 2. *dub.* 1., non, inquam, obſtare poteſt, quia quamuis in eo caſu concedatur alteri conditio ob cauſam, vel actio ad id, quod ipſi intereſt, quod res non fuerit aliena, nihilominus res aliena dici non poteſt, quod fuerit permutata, 4

Per permutationẽ transfertur dominiũ.

cum

cum ipſius dominium non tranſire in permutantem potuerit.

5 Secundò diſputabile, an contractus, quo ſimul cum re aliqua confertur aliqua pecuniæ quantitas pro re alia tanti valoris, quanta eſt res illa ſimul cum pecunia, ſit propriè permutatio, an verò emptio, & venditio. Exempli gratia. In conuentione tecum inita confero tibi domum meam cum mille nummis aureis, vt tu mihi tradas tuum prædium, an hic eſt propriè permutatio? Exiſtimat *Bartolus in l. Ariſto C. de donationibus, & cum eo Abbas in c. ad quæſtiones de rerum permut.* ſtandum eſſe verbis contrahentium, qui, ſi voluerint contrahere per emptionem, erit emptio, ſi per permutationem, erit permutatio. Sed hoc aſſertum videtur pati aliquod difficultatis, quandoquidem verba contrahentium ſecundum ſe non ſunt apta conſtituere determinatum contractum, niſi concurrant ea omnia, quæ ad naturam talis contractus pertinent, non enim poſſunt contrahentes velle contractum v.g. emptionis, & ea dumtaxat præſtare, quæ pertinent ad naturam Cenſus, vel Emphytheuſis. Videndum igitur eſt, an materia, circà quam talis contractus verſatur, ſit potius materia emptionis, & venditionis, an verò permutationis, & ſecundũ hanc debet quæſitum dirimi. Crediderim in rigore loquendo, ſi vtraque res fuerit æſtimata, & ſecundum valorem taxata iuxtà triplicem ſenſum diſtinguendum eſſe quæſitum, vel enim in celebratione contractus pro re maioris valoris æſtimata facta fuit conuentio de pretio, & poſtea conſenſu partium accedente loco pretij conuenti licet non quoad totum, ſed tantum quoad partem, datur alia ſpecies æſtimata, vel nulla facta conuentione de pretio facta fuit ſimplicitèr rerum æſtimatio, & ratione inæqualitatis vnius cum alia conuentum fuit de adæquatione in pretio; vel facta fuit ſimplicitèr conuentio de danda re illa maioris valoris pro alia minoris æſtimationis ſimul cum pretio nullo alio habito reſpectu. Si primum; abſolutè dicendum eſt, eſſe contractum emptionis, & venditionis, & duplici contractui eiuſdem emptionis, & venditionis æquiualere. Deducitur *ex Ognate d. tract. 25. de permutatione diſp. 90. ſect. 3. num. 70., & ex Gregorio Lopez lib. primo tit. 6. part. 5. in princip.* Ratio eſt, quia ex vna parte contractus emptionis, & venditionis ſolo conſenſu perficitur, vndè adhuc non erogata pecunia conuenta ſubſiſtit in ſuo eſſe contractus, ex alia, dum fit conuentio loco pecuniæ conuentæ de danda alia re, ſeu ſpecie, perindè eſt, ac ſi tali pecunia talis ſpecies emeretur, ergo per illam conuentionem duplex quodamodò interuenit contractus emptionis, & venditionis, nam vbicunque interuenit pretium, & ſpecies, ibi interuenit emptio, & venditio; hiſque conſonat textus *in l. 1. C. de rer. permut., & in l. pretij C. de reſcind. vendit.*, ſi ſecundum; in rigore loquendo eſſet contractus ſimul permutationis, & venditionis ſecundum diuerſas partes, licet initus per modum vnius ratione connexionis, qua vterque contractus ſimul initur; ſecundum præſumptionem tamen iuris interpretandum eſſet pro eo contractu, cuius materia præualet. Ratio primæ partis eſt deſumpta ex diſcrimine, quod intercedit inter emptionem, & venditionem, & inter permutationem, cum illa verſetur inter rem venalem, & pecuniam, iſte inter rem, & rem, ſed in contractu, de quo hic agimus, pro re maioris valoris partim interuenit pecunia, partim alia res venalis, ergo interuenit contractus venditionis, & permutationis ſecundum diuerſas partes, illius quidem, pro vt reſpicit pecuniam, iſtius pro vt reſpicit aliam rem venalem. Ratio ſecundæ partis eſt deducta ex textu *in l. 1. C. ff. de contrahenda emptione*, vbi dicitur quod id, quod excedit, ſpeciem det contractui, vndè ſi excedit pecunia, erit emptio, ſi res, erit permutatio; nec incongrua ſanè ratione, quandoquidem in ijs, quæ vnitim tranſeunt, quod maius eſt, trahit ad ſe id, quod minus eſt, & denominatio deſumitur à potiori. Hoc idem dicendum eſt quoad tertium ſenſum propoſitæ difficultatis.

Verba contrahentium non conſtituunt contractum, niſi concurrant ea, quæ ad illum requiruntur.

Triplex ſenſus in quo examinari poteſt difficultas.

Id, quod excedit ex præſumptione iuris dat ſpeciem cõtractui.

Ex ijs deduces, quid reſpondeas ad illam difficultatem, qua proponitur, 6
an quandò ex vtraque parte commutantur res, ſeu ſpecies, ſed æſtimatæ, intelligenda ſit facta emptio, & venditio, an verò permutatio præciſè. Reſpondendum ſiquidem eſt, iuxtà aſſignatam diſtinctionem, vel enim ab initio pro vna re æſtimata ſtatutum eſt pretium, & poſteà loco pretij alia res etiam æſtimata fuit tradita, vel ab initio facta fuit æſtimatio, vt in contractu ſaluari poſſet æqualitas; iuxtà primum ſenſum ſentiendum eſt, factam eſſe præciſè emptionem, & venditionem, quatenus interuenit virtualitèr ille duplex contractus, vi cuius in

In hac etiã hypotheſi duplex contractus emptionis interuenit.

primò

Digitized by Google

primò res traditur pro pretio conuento, non enim neceſſe eſt ad venditionem, quod actu interueniat pretium, cum venditio ſolo conſenſu contrahatur, in ſecundò verò idem pretium debitum in vigore primi cedatur pro alia re ſimilis æſtimationis cum prima, per quam ceſſionem quodamodò emitur talis alia res ſimilis æſtimationis. Iuxtà ſecundum ſenſum tenendum eſt, nō interuenire, niſi permutationem, cum verſetur inter rem, & rem, & æſtimatio talium rerum ad aliud non conferat, niſi ad ponendam, & taxandam æqualitatem inter vtramque.

7 Tertiò diſputabile, an ſit vera permutatio, ſi permutetur proprietas aliqua cum vſufructu, vel vſufructus cum vſufructu. Reſpondeo, non eſſe permutationem propriè ſumptam, ſed tantum quoad nomen, & impropriè *Ognate tract. 25. de permutatione diſp. 90. ſect. 3. num. 72.* Ratio in vniuerſum eſſe poteſt, quia vt aſſerit *Gregorius Lopez in l. 1. tit. 6. part. 5.*, *Azotus in ſumma nu. 3.*, *Bartolus in l. 1. ff. de rer. permut.*, *Hoſtienſis in ſumma num. 3.*, ad veram permutationem requiritur translatio veri dominij, & pleni; per vſum fructum, autem, ſeruitutem, & ſimilia dominium plenum, & perfectum non transfertur, adeoque non propriè eſt permutatio. Verum tamen eſt, cum talis permutatio ſit rei ad rem imitatur permutationem, adeoque eſt ad modum ipſius, & etiam reducitur ad contractum innominatum, *Do, vt Des*, ſicuti reducitur contractus permutationis propriè ſumptus, vt ſupra probabamus.

Imitatur modum permutationis, quamuis non ſit permutatio.

Hic latè eſſet agendum, an res Eccleſiaſtica poſſit eſſe materia permutationis non ſolũ comparatiuè ad aliam rem Eccleſiaſticam, ſed etiam in ordine ad alias res, ſeu bona temporalia, ſed quià de hoc erit ſermo vberior, & ex profeſſo in ſubſequentibus, ideò ea omittentes ad alia progredimur.

Cauſa formalis permutationis, præcipuè, ſi de intrinſeca, & ſubſtantiali agamus, eſt mutuus contrahentium conſenſus, qui, ſi ſit inter præſentes, exhiberi poteſt per verba, per nutus, vel alia quæcunque ſigna externa, ſi verò inter abſentes per nuntios, per epiſtolas, vel aliam ſcripturam. Ad cauſam etiam formalem intrinſecam reduci poteſt rei traditio, quandoquidem permutatio eſt ex illis contractibus, qui propriè ſolo conſenſu non perficiuntur, ſed re ipſa, hoc eſt traditione ſuppoſito eodem conſenſu per contrahentes mutuo exhibito: Ad hanc cauſam formalem poſſunt vlterius reduci aliæ, ſiuè intrinſecæ accidentales, ſiuè extrinſecæ, vt ſi fiant per cautiones, ſiuè permiſſorias, ſiuè fideiuſſorias, ſiuè iuratorias, vel ſine illis ex beneplacito contrahentium, & item conditiones, quæ à iure poſitiuo inductæ fuerunt, vel inducuntur, de quibus infrà.

Conſenſus exhiberi poteſt vel per nuntios, vel per ſcripturam, vel per nutus.

PRÆNOTIO IV.

An in iure nomine emptionis, & venditionis intelligatur etiam permutatio.

SVMMARIVM.

Propoſitio dubiorum in hac materia contingentium. 1.

In legibus, ſiuè iuris communis, ſiuè municipalis nomine emptionis, & venditionis non comprehenditur permutatio in odioſis, ſecus autem in fauorabilibus. 2.

Impoſito onere Gabellæ contractibus emptionis non intelligitur appoſitus permutationi. 3.

Impoſito onere Gabellæ permutationi ex eo, quod ſit impoſitum venditioni, & emptioni, quorum nomine alicubi venit permutatio, pro permutatione duplex Gabella de iure communi videtur perſoluenda. 4.

Si onus Gabellæ ſit expreſsè impoſitum permutationi de iure municipali regnorum Caſtellæ, & Luſitaniæ duplex Gabella eſt perſoluenda, in alijs locis attendenda ſunt iura municipalia. 5.

SVb hoc titulo multæ proponuntur difficultates ſcitu digniſſimæ, quæ etiam multum conferunt ad alia dubia practica, & neceſſaria enucleanda, & quidem primò proponitur, an in legibus iuris communis in prohibitione venditionis v. g. alicuius rei veniat etiam permutationis prohibitio, necne. Secundò, ex ſuppoſitione, quod ſub iure communi veniat, vel non veniat, an veniat etiam, vel non veniat in iure municipali. Tertiò, an quandò ex vi alicuius iuris, ſiuè communis, ſiuè municipalis imponitur onus Gabellæ cuicunque venditioni intelligatur eodem iure impoſitum permutationi. Quartò ex ſuppoſitione, quod intelligatur impoſitum etiam permutationi, an pro illa duplex ſit ſoluenda gabella, cum ex vtraque parte res certa conferatur ad differentiam

Difficultates, quæ occurrũt examinandæ.

Digitized by Google

tiam venditionis, in qua vna dumtaxat confertur, & his ſimilia. Non inuitus hunc titulum enucleandum aſſumo, quandòquidem viam aperit ad intelligendum, quandonam concedatur facultas ad permutandum, & quandò non, ex prohibitione inducta venditionis.

2 Assertio I. In legibus ſiuè iuris communis, ſiuè municipalis nomine emptionis, & venditionis non comprehenditur permutatio in odioſis, ſecus autem in fauorabilibus. Quoad primam partem de legibus iuris communis eſt aliqualitèr contra *Abbatem, Ioannem Andræam, Immolam, alioſque Canoniſtas in cap. primo de ijs, quæ fiunt à prælato ſine conſenſu Capituli. Item contrà Azorium inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. primo de permut. dub. 3. Silueſtrum verb. Permutatio 1. quæſt. 3.*, qui omnes ſine diſtinctione, & reſtrictione docent in iuribus communibus nomine venditionis venire etiam permutationem. Quoad ſecundam de legibus iuris municipalis eſt eiuſdem Abbatis, aliorumque citatorum, qui aduerſantur primæ parti.

Permutatio non eſt formalitèr venditio.

Probatur prima pars, quià permutatio, qua talis formalitèr eſt, non eſt propriè, & formalitèr venditio per ea, quæ latè tradidimus *ſub hoc eodem tit. Contractus 6. Prænot. 1.*, & conſentiunt *ijdem Silueſter Azorius, alijque præallegati*, ea potiſſimum ratione, qua in emptione, & venditione confertur res pro pretio, & è contra; in permutatione verò res, ſeu ſpecies pro re, ſeu ſpecie, ergo odioſa, quæ ſunt ſtatuta aduerſus emptionem, & venditionem, non ſunt extendenda ad ipſam permutationem. Conſequentia probatur, quià leges odioſæ, quæ ſtatuuntur aduerſus aliquod contractuum genus non extenduntur ad aliud genus, quamuis ſimilitudinem aliquam ſeruet cum illo, & fortaſſis etiam habeat in ſe vehementiorem cauſam odiorum, niſi exprimatur, vt videre eſt in multis legibus tum ciuilibus, tum Eccleſiaſticis, & præcipuè in iure reſeruante Epiſcopis vitium ſodomiæ, quod vt potè odioſum non extenditur ad vitium beſtialitatis, quamuis hoc in ſe præferat maiorem diformitatem, & hoc ſemper ad illam regulam generalem, quod odia ſint reſtrigenda, quæ locum habet non ſolum in iuribus municipalibus, ſed etiam in communibus, cum ſit regula indefinita, non limitata.

Odioſa nó extenduntur vltrà expreſſa.

Secunda pars eiſdem fere rationibus innititur quibus prima, a quibus non diſcrepant aſſertores contrariæ ſententiæ quoad eandem primam, in cuius propterea vlteriori probatione non immoror.

Probatur iam, quod tam in legibus iuris communis, quam municipalis locum habeant quoad fauorabilia etiam in permutatione ea, quæ dicuntur de contractibus emptionis, & venditionis. Fauorabilia non ſunt reſtringenda, ſed amplianda in ordine ad ea omnia, in quibus militat ratio ampliationis, ergo diſpoſitio fauorabilis quoad emptionem, & venditionem extendi etiam poterit ad contractum permutationis, vbi non fuerit expreſſa prohibitio, & in hoc ſenſu præcisè exiſtimo locutos *Nicol. de Neap. in l. 1. §. ſi quis in fraudem, & Gul. de Cun. in l. de quibus ff. de leg. 1.* dum dixerunt, quæ in iure dicuntur de venditionibus locum habere in permutationibus, & facit *cap. 1. de ijs, quæ fiunt à prælatis in verſ. vendere, vel permutare*.

Fauorabilia ſunt amplianda.

Assertio II. Impoſito onere Gabellæ contractibus emptionis, & venditionis non intelligitur eodem onere affectus cõtractus permutationis *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 1. dub. 3.* Clarè deducitur ex ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti aſſertione ad probationem primæ partis, quandòquidem onus gabellæ eſt odioſum, quod proindè non debet extendi vltrà expreſſa in lege prohibente, quod verificatur, ſiuè lex prohibens ſit iuris communis, ſiuè dumtaxat iuris municipalis. 3

Assertio III. Impoſito onere gabellarum contractui permutationis ex eo, quod ſit impoſitum contractibus venditionis, quatenus in aliquibus locis ex conſuetudine appellatione venditionis veniat etiam abſolutè permutatio, de iure communi duplex gabella videtur perſoluenda *Molina tract. 2. de iuſtitia diſp. 336. verſic. Laſſarte vbi ſuprà prope medium*. 4

Probatur, quià in contractibus emptionis, & venditionis vel Gabella eſt ſoluenda per emptorem, vel per venditorem; Quodcunque ex his aſſeratur, ſemper ſequitur, quod in permutatione per vtrumque contrahentem ſit ſoluenda, ergo &c. Minor probatur *ex l. ſciendum §. ſed ſi quis per mutauerit ff. de ædilit. edict.* vbi legitur *ſed ſi quis permutauerit dicendũ eſt vtrumque emptoris, & venditoris loco haberi*, quod idem expreſsè habetur *in l. 2. C. de*

Permutans habetur loco emptoris, & venditoris ſimul.

de rer. permut. ibique Gloſ. verſ. obtinere, vndè meritò ſubdit *Molina loc. cit.*, quod in vnaquaque permutatione duplex emptio, & venditio eſſe cenſeatur, ergo, ſi pro vnoquoque contractu emptionis, & venditionis gabella, vel per emptorem, vel per venditorem eſt perſoluenda, pro contractu permutationis duplex eſt perſoluenda, cum hæc duplici contractui emptionis, & venditionis æquiparetur, & vterque permutans comparatione alterius ſubeat vices emptoris, & venditoris.

ASSERTIO IV. Si onus gabellæ ſit ex-
5 preſsè impoſitum contractibus permutationis, de Iure Regnorum Caſtellæ, & Luſitaniæ duplex Gabella eſt perſoluenda, vna ſcilicet per vnum, altera per alterum ex permutantibus iuxtà valorem rei, quam in commutationem pro re, quam tribuit, accipit, *Laſarte de decim. vend. in ſcholijs ad l. 2. ante c. 1., & c. 17. à num. 1.* Expreſsè colligitur *ex l. 2. tit. 17. lib. 9. nouæ collect.* quoad Regnũ Caſtellæ, & quoad illud Luſitaniæ ex articulis *da Siſa*. Quoad iura verò municipalia aliarũ regionum eadem conſulenda ſunt. Crediderim tamen, vbi aliud expreſsè ſtatutum non ſit, Gabellam in contractibus permutationis ſoluendam eſſe quoad dimidium per vnum, & quoad aliud dimidium per alterum ex permutantibus.

PRÆNOTIO V.

An propter læſionem vltrà dimidium detur reſciſio in permutationibus.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis. 1.

Poſita læſione vltrà dimidium etiam in permutatione conceditur beneficium l. 2. C. de reſcind. vendit. 2.

Priuilegia, quamuis ſint ſtricti iuris, extenduntur tamen, quando naturalis æquitas exigit extenſionem. 3.

Permutans ſcientèr rem vitioſam quoad ſubſtantiam tenetur actione redhibitoria, quoad qualitatem verò actione quanto minoris. 4.

1 TRahit originem præſens prænotio ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de emptione, & venditione*, videlicet, quod in contractibus emptionis, & venditionis propter talẽ læſionem concedatur actio reciſoria contractus vigore *l. 2. C. de reſcindenda vendit.*, ex quibus conſurgit ratio dubitandi, an idem, quod de eiſdem dicitur, extendendum ſit ad contractus etiam permutationum, de qua re latè *Baldus in d. l. 2. C. de riſcind. vendit. num. 3.* iuxtà ea, quæ nos ex occaſione aſſignamus *ſub hoc eod. tit. Contractus VI. de permut. prænot. 1. verſ. hus iam quoad rei*. Pro quo

Aduerte textum *in d. l. 2. C. de reſcind. vendit.*, quamuis ſecundum ſe conſideratus videatur aliquo modo oneroſus alteri ex contrahentibus, illi ſcilicet, in cuius fauorem inducta fuit læſio, nihilominus eſſe fauorabilem contractui abſolutè, quandoquidem per illum nedum conſulitur indemnitati læſi, ſed ſingularitèr inſpicitur ad æqualitatem contractibus conſeruandam, & demendam inæqualitatem, quæ valdè noxia eſt eiſdem contractibus. Quibus poſitis ſit.

Textus in l. 2. C. de reſcin. vend. eſt fauorabilis contractui ſecundum ſe.

ASSERTIO. Poſita læſione vltrà dimidium etiam in permutatione conceditur beneficium *l. 2. C. de reſcindenda vend.* Ità *Baldus qui ſupra cum alijs communitèr*. 2

Probatur primò, quià in fauorabilibus nomine emptionis, & venditionis, non ſolum de iure communi, ſed etiam de municipali venit etiam contractus permutationis per ea, quæ latè ſupra tradidimus in præcedenti prænotione, ſed lex conferens ius ad reciſcionem eſt nedum fauorabilis læſo, ſed etiam eidem contractui per ea, quæ prænotauimus, ergo quoad tale ius reciſcionis nomine venditionis venit etiam permutatio, de qua loquimur.

Nomine emptionis in fauorabilibus venit etiã permutatio.

Probatur ſecundò, quia eædem militant rationes quoad hoc in permutatione, quæ militant in emptione, & ex alio capite nomine emptionis promiſcuè venit permutatio *Bartolus, Baldus, Paulus Caſtrenſis, & Salicetus in l. 1. & 2. C. de rerum permutatione, & l. 1. ff. de contrahenda emptione. Abbas, Ioannes Andræas, Immola in cap. 1. de ijs, quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu capituli*, ergo idem ius etiam quoad reciſcionem eſt concedendum. Antecedens probatur, quia ratio, ob quam conceſſum fuit beneficium *l. 2. C. de reſcindenda venditione* eo reſpexit, vt tolleret enormem inæqualitatem in eodem contractu venditionis, ſed hæc inæqualitas etiam interuenit in commutatione, quandò alter ex permutantibus læditur vltrà dimidium, ergo &c. Neque obſtat, priuilegia, vtpotè ſtricti iuris, quandò conceſſa ſunt vni 3
con-

contractuum generi, non extendi ad aliud genus contractuum, adeòque &c. Non obſtat, inquam, quia ad ſummum valet id, quod dicitur, quandò priuilegia ſunt ex mero beneplacito concedentis, non autem quandò innituntur naturali æquitati ad exigentiam eiuſdem contractus, quia tunc, vbi eadem militat ratio, priuilegia admittunt extenſionem, maximè in fauorabilibus, vt in hypotheſi, de qua loquimur.

Priuilegia extẽduntur quandò exigit naturalis æquitas.

4 Ex ijs etiam fas erit deducere, quod permutans ſcientèr rem vitioſam, ſi vitium ſit quoad ſubſtantiam teneatur verſus læſum actione redhibitoria iuxtà textum *in l. ſciendum C. de ædilit. edicto*, ſi verò quoad quantitatem, vel qualitatem teneatur actione *quanto minoris*. Ratio eſt, quià cum huiuſmodi actiones concedãtur quoad res vitioſas venditas nõ videntur denegandæ quoad res vitioſas permutatas, quià militat eandem ratio, & iura videntur, non minus voluiſſe conſulere indemnitati contrahentium in contractibus oneroſis venditionis, ac in contractibus permutationis.

Conceditur etiam actio redhibitoria, & quanto minoris.

PRÆNOTIO VI.

Quænam actiones, & effectus conſurgant ex contractu permutationis.

Permutatio completur per traditionem, inchoatur per pacta, firmatur per ſtipulationem. 1.

Quid ſit actio præſcriptis verbis, & quandò detur. 2.

Ad quænam poſſit eſſe actio in factum. 3.

Actio præſcriptis verbis propriè ſumpta conceditur primariò in permutatione ad complementum contractus, quandò completus non eſt ex vna parte, & alter vult adimpleri. 4.

In ijs caſibus, in quibus vnus non poteſt adimplere promiſſum, datur actio alteri, qui adimpleuit ad quantum intereſt. 5.

Si ille, qui non adimpleuit, non eſt impotens, & ſit in mora, & animo deliberato non adimplendi, datur optio ei, qui adimpleuit, vel ad quantum intereſt, vel ad complementum. 6.

Condictio ob cauſam in contractu permutationis tunc conceditur, quandò ille, qui contraxit, non compleuit per traditionem conuenta, dum alter perfectè compleuit. 7.

Conceditur etiam condictio ob cauſam, ſi qui non adimpleuit, poſt lapſum temporis velit adimplere. 8.

Condictio in hoc caſu non ſolum eſt ad rem traditam, ſed etiam ad fructus, & acceſſiones. 9.

Intellige, niſi ſint fructus merè induſtriæ. 10.

In contractu permutationis oritur actio, quæ dicitur euictio. 11.

Actio redhibitoria in contractibus permutationis tunc conceditur, quandò tradita fuit res vitioſa quoad ſubſtantiam. 12.

Si defectus ſit quoad quantitatem, talis tamen, vt ſi fuiſſet cognitus, contractus non fuiſſet initus, inducit actionem redhibitoriam. 13.

Actio quantò minoris conceditur, quandò vitium eſt circà quantitatem, vel qualitatem. 14.

Ex contractu permutationis oritur item actio ex dolo. 15.

Datur etiam actio, quæ dicitur interdictum vti poſſidetis. 16.

NOnnulla quoad huiuſmodi actiones, & effectus iam ſuprà attigimus *ſub hoc eod. tit. Contractus VI. de Permut. Prænot. II. verſ. ad ſecundam dicendum*; nunc ex profeſſo ea, & alia ad huiuſmodi actiones, & effectus pertinentia ſunt adamuſſim examinanda. Pro quo

Aduerte primò, quod, quamuis permutatio propriè, & rigoroſè non compleatur, ſeu conſummetur, niſi per mutuam ex vtraque parte rei permutatæ traditionem, per nuda tamen pacta quodamodò ſtipulatione magis radicetur. Conſiderata igitur permutatione, vt per nuda pacta inchoata, certum eſt, per illam nullam acquiri actionem, nullamq; contrahi obligationem per ea, quæ latè tradidimus *tom primo ſub tit. Contractus I. de Contractibus, vt ſic Prænot.* 4. Conſiderata verò, vt firmata eſt ſtipulatione, quamuis propriè, & in rigore perfecta commutatio non ſit, parere tamen actionem, & inducere obligationem eiuſdem clarè liquet *ex l. ex placito C. de rerum permut.*, vbi expreſsè ſic legitur. *Ex placito permutationis nulla re ſecuta conſtat nemini actionem competere, niſi ſtipulatio ſubiecta ex verborum obligatione quæſierit partibus actionem*, vbi *Baldus num.* 11., ſubdit. *Ex pacto permutationis non oritur actio, niſi veſtiatur*. Hoc idem colligitur *ex l. iuris gentium ff. de pactis, & l. 2. C. de contrah. ſtipul., & l. ſcire 6. eod. tit., & l. 4. C. de rerum permut.* Conſiderata verò, vt conſummata per mutuam traditionem eſt in con- I

Permutatio, vt firmata ſtipulatione parit actionem.

Digitized by Google

feſſo apud omnes parere actionem, & inducere obligationem.

Aduerte ſecundò, id, quod potiſſimum in cōtrouerſiam vertitur quoad præſens inſtitutum, hoc eſſe, quænam ſit hæc actio, ſeu obligatio, quæ conceditur, ſeu contrahitur in permutatione, quandò ſtipulatione firmatur, vel conſumatur traditione? Actio, quæ propriè conceditur contractibus nominatis dicitur denominatione deſumpta à contractu, vi cuius conceditur, ſic dicitur actio ex empto, quæ vigore emptionis prouenit; actio ex vendito, quæ vi venditionis, actio ex locato, quæ vi locationis, actio ex conducto, quæ vi conductionis &c. Vltrà hanc actionem alia eſt actio, quę communis eſt omnibus contractibus innominatis, & quæ dicitur actio pręſcriptis verbis, de qua in corpore iuris habetur titulus poſt titulum de rerum permutatione; hæc etiam actio dicitur actio in factum per ea, quæ notat ex communi *Ognate d. tract. 25. de permutatione diſp. 90. ſect. 2. num. 14.*, iuxta textum *in l. ſi tibi rem §. Iulianus ff. præſcriptis verbis*. Dicitur autem *præſcriptis verbis*, quià in formulis actionum, quandò illa debebatur, præſcripta contrahentium verba ponebantur, ex quibus Iudicum animus inclinabatur ad iudicandum, & talem retinet denominationem, quia, cum vt habetur *in l. 2. ff. de præſcriptis verbis* deficiant vulgaria, atque vſitata actionum nomina, & plura ſint negotia, quam vocabula iuxtà textum *in l. 4. ff. eod. tit.* à verbis, quæ ſibi præſcribunt contrahentes in contrahendo, actio, quæ conceditur, nomen acquirit, & retinet.

Actio, quæ conceditur contractibus nominatis, deſumit denominationē à contractu.

Actio præſcriptis verbis dicitur etiam actio in factum.

3 Actio hæc pręſcriptis verbis, vel poteſt eſſe ad implementum contractus, vt ſcilicet conuentum mutua pactione adimpleatur, vel ad quantum intereſt, quod non fuerit conuentū adimpletum, per quod ille, qui non adimpleuit, obligatur ad intereſſe, vel ad diſſolutionem contractus, quatenus ipſo non completo poſſit ille, qui compleuit, agere ad recuperandam rem, quam ipſe dederat. Primò modo dicitur propriè actio præſcriptis verbis. Secundò modo actio ad quantum intereſt. Tertiò modo condictio ob cauſam cauſa non ſecuta.

Enumerantur ea, ad quæ poteſt eſſe actio pręſcriptis verbis.

Porrò vltrà allegatas actiones poteſt eſſe actio redhibitoria, quæ confert ius ad recuperandam rem prius datam, vel ad ipſam recipiendam, ſi fuerit vitioſa, quod potiſſimum contingit, quando vitium, ſeu defectus eſt quoad ſubſtantiam, ratione cuius redditur abſolutè inutilis ad eos vſus, ad quos eadem res eſt deſtinata, & item actio quanto minoris, quæ confert ius ad exigendum complementum pretij, vel valoris, quando res, quæ data eſt minoris valet, quam altera, quæ pro eadem confertur. Duplex hæc actio videtur in aliquibus coincidere cum actione præſcriptis verbis, prima quidem cum condictione ob cauſam, ſecunda cum actione ad quantum intereſt, licet in multis diſcrepant, nam in primis actio ad quantum intereſt ſupponit non complementum contractus quoad conuenta, ob quod oritur ius ad intereſſe reſpectu eius, qui adimpleuit, & onus ad illud reſpectu illius, qui non adimpleuit, actio verò quanto minoris eſt cum implemento conuentorum, ſed cum inæqualitate ad rem ex altera parte collatam. Item actio cum condictione ob cauſam ſupponit etiam non implementum conuentorum; actio verò redhibitoria eſt cum implemento, ſed cum ſupponat contractum initum in re vitioſa quoad ſubſtantiam tribuit fundamentum ad reſtitutionem ipſius. His pro notitia ſuppoſitis.

Actio redhibitoria, & actio quanto minoris, & condictio ob cauſam.

In contractu permutationis oriri actionem præſcriptis verbis interueniente defectu quoad conditiones ad eundem contractum pertinentes clarè liquet ex textu *in l. in rebus 6. ff. præſcriptis verbis*, ibi. *Rebus certa lege traditis, ſi huic non pareatur, præſcriptis verbis dandam actionem ciuilem iuris auctoritas demonſtrat.* Id, quod potiſſimum in pręſenti controuertendum eſt, in eo conſiſtit, quandonam concedatur actio præſcriptis verbis præcisè, quandonam actio ad quantum intereſt, quandò condictio ob cauſam, quandò actio redhibitoria, & quandò actio quanto minoris.

Assertio I. Actio præſcriptis verbis propriè ſumpta conceditur in contractu permutationis præcipuè, & primariò ad complementum contractus, 4
quandò completus non eſt ex altera parte, & qui compleuit ex ſui parte vult adimpleri *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. de permutat. cap. 2.*, *Ognate d. tract. 25. de Permut. diſp. 91. ſect. 6. n. 33.*, *Azotus in ſumma nu. 6.*, *Hoſtienſis ibid. num. 6.* Colligitur *ex l. 1.*, *& l. ex empto ff. de action. empt.*, *& l. rebus C. de rerum permut.*

Probatur inſuper ratione, quià natura cuiuſcunque contractus primaria in-

intentione reſpicit, vt ipſe contractus perfectè compleatur, & conuenta per mutuum contrahentium conſenſum fiant, ergo actio præſcriptis verbis, quæ conceditur in contractu permutationis, primariò eſt ad complementum eiuſdem contractus, hocque potiſſimum contingit, quando ſine vllo ſuo detrimento poteſt ille, qui adimpleuit, rem promiſſam conſequi.

Natura contractus primario exigit, vt compleatur.

5 Assertio II. In ijs caſibus, in quibus ille, qui non adimpleuit, factus eſt impotens ad adimplendum per traditionem rei promiſſæ, vel quià rem non amplius habet in ſua poteſtate, vel quia res illa perijt, vel quia illam ab initio non habuit, vel quia erat aliena, vel quià alter per legitimam præſcriptionem illam acquiſiuit, conceditur ei, qui adimpleuit, actio ad quantum intereſt. Colligitur *ex tot. tit. ff., & C. de rerum permutat., & præſcriptis verb.*, & vlterius ſic

Probatur, quià ex quo alter non adimpleuit, alter paſſus eſt totum id, quod ad ipſum intererat, quod adimpleuiſſet, nec poteſt agere ad adimplementum, ergo congruentèr poterit agere ad totum id, quod eidem intererat, quod contractus fuiſſet completus. Conſequentia probatur, quià defectus vnius contra conuenta non debet alteri obeſſe, qui circà talem contractum in nullo defecit, ergo aduerſus ipſum ille, qui non defecit, poteſt agere ad totum ſuum intereſſe.

Defectus vnius nō debet alteri obeſſe.

Hic oritur difficultas, an, ſi ille, qui non adimpleuit, non ſit impotens ad adimplendum conuentum, ſit in optione eius, qui adimpleuit, vel agere ad complementum, vel ad quantum eidem intereſt. Ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus I. de contractibus vt ſic Prænot. 4. num. 6.*, videtur dicendum, vtique eum, qui adimpleuit, habere actionem ad alterutrum quaſi in pænam eius, qui non ſatisfecit, ad complementum quidem, quià in pactis reſpectiuis ſemper implicitè videtur ineſſe tacita conditio ea ſeruandi, ſi alter ex contrahentibus, ea ſeruare poteſt, ad agendum verò ad quantum intereſt propter ius, quod natura fauente acquirit, & propter diſpoſitionem iuris poſitiui concedentis talem actionem. Nihilominus cum

In pactis reſpectiuis ſemper ineſt tacita cōditio ad implendi, ſi alter adimpleuerit.

6 diſtinctione reſpondendum eſt, vel enim ille, qui non adimpleuit, adhuc eſt in mora, & animo deliberato non adimplendi, vel licet fuerit in mora, promptum tamen animū habet adimplendi; ſi primum; certè ei, qui ſatiſfecit, competit optio, & electio ad alterutrum propter rationem, quam mox inſinuaui, quià ſcilicet in pactis reſpectiuis ea ſemper ineſt conditio adimplendi, ſi alter adimplere poteſt, & ecce ius ad complementum, & cum ius aquiſierit ex pacto, & dependenter ab eodem à diſpoſitione iuris ad conſumationem contractus, & ad defectum eiuſdem ad quantum ipſi intereſt, quod non fuerit conſummatum, poteſt intentare actionem ad ea, quæ paſſus eſt, & ecce actio ad quantum intereſt; ſi ſecundum, cum per purgationem moræ per animum illum ſatisfaciendi, ſeu per actualem ſatisfactionem pactum illud fiat quodamodò veſtitum, habet quidem locū ad complementū, ſed ſimul etiam poteſt agere ad quantum intereſt, & ſic verificatur, quod in ea hypotheſi ille, qui non ſatisfecit, & fuit quodamodò in mora debeat rem conuentam tradere cum omnibus ſuis fructibus, & acceſſionibus, quæ ex eodem contractu debentur, nam hæc omnia pertinēt ad quantum intereſt adimplenti, quod contractus non fuerit completus. Hæc omnia colligo tum ex dictis *in eod. tom. primo ſub tit. Contractus 1. Prænot. 4. num. 5. verſ. tertia pars patet*, tùm ex *Ognate d. tract. 25. de permutatione diſp. 91. ſect. 3. num. 36., & 37.*

Assertio III. Condictio ob cauſam in contractu permutationis tunc conceditur, quandò ille, qui contraxit, non compleuit per traditionem cōtractum iuxta conuenta, dum alter perfectè per traditionem compleuit; ſi enim iſte nolit agere præſcriptis verbis, nec actione quantum intereſt, poteſt agere actione dati ob cauſam. Hæc autem actio dati ob cauſam cauſa non ſecuta in eo conſiſtit, vt poſſit illud repetere, quod dedit, quià dedit ob cauſam, & cauſa ſecuta, ſeu adimpleta non eſt. In hac autem hypotheſi ex vi huius actionis ille, qui rem alterius recepit, & non ſatisfecit per traditionem ſuæ, non ſolum rem receptam debet reſtituere, ſed omnes eiuſdem fructus, & acceſſiones. *Hoſtienſis in ſumma n. 8., Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. de permutatione cap. 2., Ognate d. tract. 25. de permutatione diſp. 91. ſect. 3. num. 39.* Colligo hanc aſſertionem *ex l. 1. §. fin. ff. de rer. permut., & ex l. quoniam C. eod. tit.*, vbi legitur, *vt vel præſtetur contractus, ſi ſtipulatio præceſſit, vel quod dedit cauſa non ſecuta reſtituatur, & ex l. 5., & 7. C. eod. tit.*, vbi ſic habetur. *Quantum dediſti cauſa non ſe-* 7

In quo conſiſtat actio cōdictionis ob cauſā.

cuta

cuta condicere tuo deſiderio poteris.

Probatur prima pars, quod ſcilicet poſſit condicere. In contractibus reſpectiuis ea ſemper implicitè, & ex natura ſua ineſt cōditio adimplendi conuenta, ſi alter contrahens adimpleuit, vel adimplere velit, ergo ſi frangat vnus, & non ſeruet, præſumitur voluiſſe nec ipſe ſeruare iuxtà vulgata dicta *Frangenti fidem licet fidem frangere*, & conditionata non obligant, non adimpleta conditione.

Conditionata non obligant, niſi adimpleta conditione.

8 Hic etiam oritur difficultas, an, ſi qui non adimpleuit interpoſita mora, habeat animum poſteà adimplendi, poſſit ille, qui adimpleuit condicere ob cauſam non ſecutam, an verò teneatur agere ad complementum. Qua in re videtur abſolute dicendum, quod poſſit condicere, quià textus *in l. quoniam C. de rerum permutatione* videtur conferre poteſtatem ad alterutrum, cum ſub diſiuncto dicat, *vel vt præſtetur contractus, ſi ſtipulatio præceſſit, vel quod dedit, cauſa non ſecuta reſtituatur*, quod clarius liquet *ex cit. l. 7. C. eod. tit.*, vbi rem confert deſiderio eius, qui adimpleuit, dum dicit. *Quantum dediſti, cauſa non ſecuta condicere tuo deſiderio poteris*, vbi nota illam particulam, *tuo deſiderio*, quæ maximè fauet ei, qui adimpleuit, quod præcipuè verificatur, quando mora interpoſita eſt vltra conuenta, nam, ſi talis dumtaxat mora eſt interpoſita, qualis arbitrio prudentum non creditur ſufficiens ad diſſoluendum contractum, non videtur congruè conferre ius ad condictionem ob cauſam non ſecutam.

Poteſt etiā condicere, quamuis alter velit adimplere.

Niſi mora fuerit modica.

9 Probatur ſecunda pars, quod ſcilicet condictio non ſolum ſit ad rem traditam repetendam, ſed etiam ad omnes eiuſdem fructus, & acceſſiones. Quià moroſus debet implentem omninò ſeruare indemnem iuxtà textum cit. *in l. quoniam C. de rer. permut.*, ſed, niſi reſtitueret rem receptam cum omnibus ſuis fructibus, & acceſſionibus, ipſum adimplentem non ſeruaret indemnem, ergo &c. Minor probatur, quià, ſi rem illam non tradidiſſet, vtique fructus illos, & acceſſiones fuiſſet conſecutus, & illa conditio, quæ ineſt ſimplicitèr, & implicitè contractui, ſuſpendit effectus vſque ad complementum conditionis.

Condictio eſt etiam ad fructus, & acceſſiones.

Dices primò ex dictis *ſub hoc tit. Contractus VI. de permutat. Prænot. II.*, *& ſub titulo Contractus V. de Cambijs 1. Prænot. 1. num. 4.*, per traditionem rei quamuis ex vna dumtaxat parte factam transferri dominium eiuſdem rei, ergo fructus, & acceſſiones dependentèr à tali re percepti, ſeu factæ cedunt ei, qui recepit vtpotè Domino, adeoque non ſunt reſtituendi. Sed contrà, quià, quamuis innocens, ſeu ille, qui adimpleuit, non poſſit percipere illos fructus, ſeu acceſſiones ex vi dominij, quod iam in alterum contrahentem noxium tranſtulit, poteſt tamen exigere, quaſi in compenſationem fructuum, & acceſſionum, quas, ſeu quos percepturus fuiſſet ex re ſibi promiſſa, ſi illi tradita fuiſſet. Dici etiam poſſet, quod dominium non fuit in ipſum noxium translatum, niſi conditionatè, & ſecundum quid, ea ſcilicet conditione, quod, ſi tempore conuento non ſoluerit, quaſi in pænam culpabilis moræ teneatur nedum rem acceptam ſic volente innocente reſtituere, ſed etiam fructus indè perceptos erogare, ne ex propria iniuria eos fructus percipiat, quos innocens fuiſſet percepturus.

Exigeret quaſi in compenſationem fructuū, quos percepiſſet, & in pænam culpabilis moræ.

Aduerte hic tamen, quod huiuſmodi fructus, quos ex re ſibi tradita per innocentem noxius potuit percipere, 10
poſſint duplicitèr conſiderari, quatenus ſcilicet vel ſunt fructus propriè eiuſdem rei, qui ex eadem emanaſſent, etiam ſi non fuiſſet tradita eidem noxio, vel ſunt fructus induſtriæ eiuſdem noxij dependentèr ab eadem re, quos ipſe innocens, ſi non tradidiſſet, non percepiſſet. Si ſint fructus primi generis, vtique cum re tradita ex condictione ob cauſam ſunt reſtituendi propter rationes, quas attigimus in reſponſione ad inſtantiam; ſi ſint ſecundi generis, vtique cum re accepta *noxius* non tenetur reſtituere, eo quià non ſunt fructus rei, ſed propriæ induſtriæ præciſè, quæ non cedit, niſi in fauorem ipſam applicantis iuxtà ea, quæ latè alibi tradidimus.

Induſtria nōcedit, niſi in fauorem *ipſam applicantis.*

Dices ſecundò, ſi res tradita per innocentem noxio, antequam iſte aliam conuentam eroget, pereat, periculum eiuſdem rei pertinet ad ipſum noxium, ergo etiam, & commoda, quæ percipiuntur ex fructibus, & acceſſionibus, debent ad ipſum pertinere. Conſequentia patet ex illo communi Iuriſtarum effato, ad quem pertinent incommoda, pertinere debent, & commoda. Sed contrà, fateor periculum pertinere debere ad ipſum noxium; tùm quià innocens dominium talis rei tranſtulit in ipſum noxium, cui proptereà debet cedere illud periculum; tùm quià noxius ex propria culpa non debet commodum reportare; nego tamen

Proponitur inſtātia aduerſus aſſertionem, & ſimul diſſoluitur.

Digitized by Google

men indè ſequi, quod & commoda talis rei debeant ad ipſum pertinere, quià, cum in mora culpabili ſit, vel fuerit, & quodamodò cauſa, cur ipſe innocens illos fructus non fuerit aſſecutus, vel alios ſimiles, quos potuiſſet acquirere ex alia re permutata, ſi illam habuiſſet, debet quaſi in compenſationem illos reſtituere, & in pænam nõ conſummatę permutationis ex ſui parte. Ad illud vſitatum effatum, quo dicitur *ad quem pertinent incommoda, pertinere debent, & commoda*, dicendum eſt verificari, quotieſcunque ille, qui ſuffert incommoda, non fuit cauſa aliorum incommodorum reſpectu alterius contrahentis, quià tunc debet illa compenſare, & debet ſibi imputare, quod fuerit in mora, & ratione eiuſdem non poſſit commoda rei percipere.

11 Assertio IV. In contractu permutationis oritur actio, quæ dicitur euictio. *Hoſtienſis in ſumma nu.* 8., *Ognate d. tract.* 25. *de permut. diſp.* 91. *ſect.* 3. *num.* 46. Colligitur aſſertio *ex l.* 1. *C. de rer. permut.*, ſi enim res permutata ab alio, qui ſit verus Dominus, euincatur, tunc ille, qui recepit rem, quæ euincitur, etiam ſi ſibi fuerit tradita per bonam fidem, habere poteſt regreſſum contrà alium, qui ſecum permutauit, vel ad recuperandam rem, quam ipſi tradidit, vel ad quantum ipſi intereſt, quod res illa non fuiſſet aliena, ſeu euicta.

Traditio rei alienæ, & nõ traditio quoad effectum paria sũt.

Probatur. Si alter ex contrahentibus non tradiderit rem conuentam, dum alter adimpleuit, poteſt hic, vel agere ad complementũ, vel ad quantũ ſibi intereſt, quod ille alter non tradiderit per ea, quę fusè ſuperius dicta ſunt, ergo etiam poterit agere ad quantum ſibi intereſt, quamuis alter etiam tradiderit, ſi tamen tradiderit rem alienam, ſeu quæ poſteà euincatur. Conſequentia probatur, quià quod tradiderit rem alienam, quæ tamen euincatur, & quod non tradiderit paria ſunt quoad effectum, ergo, ſi in primo caſu poteſt agere ad quantum ſibi intereſt, poterit etiam in ſecundo.

Probatur ſecundò, quià in alijs contractibus oneroſis præcipuè emptionis, & venditionis in hypotheſi euictionis datur regreſſus aduerſus eum, qui tradidit rem, quæ euincitur, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo etiam talis regreſſus in caſu euictionis concedendus eſt quoad permutantem, qui rem non alterius permutantis, ſed alienam recepit. Conſequentia tenet, quia quoad caſum euictionis pari paſſu procedunt contractus emptionis, & venditionis, & contractus permutationis per ea, quæ ſcribit *Azorius inſtit. mor. part.* 3. *lib.* 7. *cap. primo verſ. dubium in quibus emptio, & permutatio*.

Assertio V. Actio redhibitoria in contractibus permutationis tunc conceditur, quandò tradita fuit res vitioſa quoad ſubſtantiam, & non apta abſolutè ſecundum ſe ad eos vſus, ad quos eſt ordinata ob defectus ſubſtantiales *Salicet, Bartolus, Baldus, & Iaſon in l.* 1. *ff. de rerum Permut. num.* 5. *Hoſtienſis in ſumma nu.* 8. Colligitur *ex l. ſciendum §. deindè verſ. ſed ſi quis permutauerit ff. de ædil. edict. & ex l. Ariſto* 2. *ff. de rerum permut.* 12

Quod autem hęc actio redhibitoria concedatur in contractibus permutationis clarè liquet *ex d. l. ſciendum C. de ædil. edicto*, & ratione etiam euincitur, quia eadem actio redhibitoria eſt maximè fauorabilis nedum læſo ob vitium rei non manifeſtatum, ſed etiam contractui, ſed in ijs, quæ fauorabilia ſunt, ea, quæ dicuntur de contractibus emptionis, & venditionis, extenduntur etiam ad contractus permutationis per ea, quæ latè ſuprà tradita ſunt, ergo, ſi actio redhibitoria conceditur in contractibus emptionis, & venditionis interueniente iuſta, & legitima cauſa, non erit, cur etiam non ſit concedenda interueniente eadem, & ſimili cauſa contractibus permutationis.

Euincitur ex paritate emptionis, & venditionis.

Quod autem tunc ſolùm concedatur, quandò res, quæ eſt tradita, eſt vitioſa quoad ſubſtantiam, & inepta ad eos vſus, ad quos eſt deſtinata, clarè liquet ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus II. de emptione, & vend. Prænot.* 7. *num.* 4. & 5. vbi dictum eſt ex defectu pertinente ad quantitatem, vel qualitatem regularitèr non dari actionem ad reciſionem contractus, ſed dumtaxat ad adæquationem, nam ille, qui permutat, rem aliam loco ſuæ permutatæ acquirit, ſupponitur abſolutè rem illam velle acquirere ſecundũ illam quantitatem, & qualitatem, vndè, ſi deficit illa quantitas, vel qualitas præſumendum eſt conſentire in ſubſtantiam, & ſolum non conſentire in defectum illum quãtitatis, ad quod corroborandum maximè fecit illud, quod dictum fuit *ſub tit. Contractus I. Diſquiſ.* 9. *reſp.* 2. nempè dolum inducentem ad maius pretium, quam res ſecundum ſe abſolutè valeat, nõ præſumi inducere ad conſenſum cõtractus abſo-

Vitium quoad quantitatem non tollit cõſenſum quoad ſubſtantiam.

Digitized by Google

abſolutè ſecundum ſe, ſed tantum ad illam quantitatem, & ſic in ordine ad ſubſtantiam contractus præſumendus eſt ſubſiſtere, ergo, niſi fuerit defectus ſubſtantialis in re permutata, non erit concedenda actio redhibitoria, ſed ad ſummum actio quanto minoris.

13 Hic tamen aduertendum eſt, quod ſi defectus exiſtens in re permutata, quamuis ſit ſolummodò quoad quantitatem, ſeu qualitatem, talis fuerit, vt cum ipſo, ſi cognouiſſet deceptus, non contraxiſſet, tunc dari poſſet actio redhibitoria, quia tunc talis decepto fuiſſet cauſa formalis contractus, ità vt cognita deceptione, ſeu dolo ille non fuiſſet celebratus, & ſic defeciſſet ſubſtantialis forma contractus, quæ eſt conſenſus.

14 Assertio VI. Actio *quanto minoris* in contractibus permutationis tunc conceditur, quandò ex altera parte tradita fuit res vitioſa, vel quoad qualitatem, vel quoad quantitatem, ita tamen, vt non deficiat quoad ſubſtantiam. Colligitur hæc aſſertio ex mox dictis in præcedenti aſſertione, & etiam ex dictis *ſub dict. tit. Contractus II. de empt., & vendit. Prænot. 7. num. 4. & 5.*, & quidē conſonat rationi, quandoquidem in omnibus contractibus onéroſis, vtpotè pertinentibus ad iuſtitiam cōmutatiuam ſeruanda eſt æqualitas dati ad acceptum, & vbi eadem non eſt, conſtituenda eſt per adæquationem, ſed, quandò res vitioſa traditur quoad quantitatem, vel qualitatem, non eſt propria, & rigoroſa æqualitas, ergo conſtituenda eſt, vt contractus ſit abſolutè iuſtus, ergo ex ea parte, quæ ex tali defectu læſa eſt, concedenda eſt actio, quæ dicitur quātominoris ad conſequendum ſcilicet adæquationem per ſupplementum rei, quæ deficit in dicta quantitate, vel qualitate.

Seruāda eſt æqualitas in omnibus contractibus.

15 Assertio VII. Ex contractu item permutationis oritur actio ex dolo. Eſt communis apud omnes, vt ſupponit *Ognate d. tract. 25. de permut. diſp. 91. ſect. 3. num. 40.*

Probatur ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus I. de contractibus, vt ſic in Diſquiſ. §. 9. num. 4., & 5., & ſeqq.*, nam in quocunque contractu, ſi fuerit dolus antecedens circa ſubſtātiam contractus, & fuerit contractus bonæ fidei ipſum ipſo iure irritat iuxta textum *in l. & elegantèr ff. de dolo*, ſi verò ſit contractus ſtricti iuris per exceptionem, & actionem corrigitur iuxtà textum *in l. dolo C. de inutilib. ſtipul.*, ſi verò dolus, ſeu deceptio fuerit quoad qualitates contractus, ità tamen, vt cauſam dederit contractui, tunc datur actio ad reciſionem eiuſdem ob defectum conſenſus præſumptum in decepto per ea, quæ tradit *Ognate loco mox cit.*, & quæ tenent omnes Theologi, & canoniſtæ, ſi verò cauſam contractui non dederit, & tunc conceditur actio, non quidem ad reciſionem contractus, cum hic per conſenſum abſolutè præſtitum in ſui ſubſtantia ſubſiſtat, ſed ad recipiendum à decipiente id, in quo per dolum innocens fuit damnificatus *Gloſa cap. cum dilecti de empt., & vendit., iuxtà textum in l. Iulianus §. ſi venditor ff. de action. empt., & l. ſi quis affirmauerit ff. de dolo.*

Ex diuerſitate doli diuerſa actio cōceditur, & quomodò.

Assertio VIII. Datur etiam in contractu permutationis actio, quæ dicitur *interdictum vti poſſidetis*. In hac actione non diu immorandum, quandoquidem congruum naturæ contractus eſt, vt qui per permutationem rem ſibi traditam acquiſiuit, ius habeat illam detinendi, nec poſſit priuata auctoritate illius poſſeſſione, ſeu dominio ſpoliari. Hoc autem interdictum *vti poſſidetis* non datur, niſi iuſtè poſſidenti, & ille obtinet in eo, & non alius *Dom. Petrus Phylip. Corneus in conſ. 270. incip. laboris 15. in litera H. in 4. parte.* Potiſſimum per hoc interdictum vti poſſidetis prohibetur quis turbari in poſſeſſione ſua, niſi à turbante poſſideat vi, clam, vel precario reſeruata quæſtione proprietatis in alio iudicio cum remedio ſatisdationis, vel transferendæ poſſeſſionis. Ita expreſsè *Salicetus in l. vnica C. vti poſſidetis. Sed* de ijs alibi ſuo loco. 16

Quid ſit interdictum vti poſſidetis

Huiuſmodi actiones, quas hactenus diximus prouenire à contractu permutationis, intelligendæ ſunt ita ab illo promanare ſecundum debitam pro portionem, vt etiam ſint concedendæ, quamuis de illis nihil expreſsè actum fuerit in celebratione contractus, quia inſunt ex natura eiuſdem contractus *l. in vendendo ff. de contrahen. emption., & l. pacta conuenta ff. eod., & l. ex empto ff. de act. empt.*, in ijs etenim, quæ natura ex ſe ipſa diſponit, oritur obligatio, etiam ſi non inducatur per expreſſa pacta, & ſpeciales conuentiones, atque de his ſatis.

Huiuſmodi actiones inſunt ex natura ſua contractibus

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆNOTIO VII.

De Permutatione rerum Eccleſiaſticarum.

SVMMARIVM.

Diuiſio rerum Eccleſiaſticarum in duas ſpecies. 1.
Res Eccleſiæ temporales mobiles, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, poſſunt commutari. 2.
Res Eccleſiæ temporales immobiles, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, permutari non poßunt cum purè ſæcularibus, niſi interuenientibus cauſis, & iuris ſolemnitatibus. 3.
In quo conſiſtant cauſæ, & ſolemnitates. 4.
Res temporales Eccleſiæ immobiles, vtique ſunt permutabiles cum alijs rebus temporalibus Eccleſiæ immobilibus ſine aſſenſu Papæ. 5.
Proponuntur argumenta in contrarium, & ſoluuntur. 6.
Res ſpirituales Eccleſiæ non poſſunt permutari cum temporalibus, ſiuè ſæcularibus, ſiuè Eccleſ. 7.
Res ſpirituales Eccleſiaſticæ poſſunt ad inuicem permutari. 8.
Requiritur tamen Epiſcopi auctoritas. 9.

FVsè agemus de ijs, quæ ſub hoc titulo continentur, dum de alienatione bonorum Eccleſiaſticorum; Ne tamen hic aliquid omittatur, quod ad præſens inſtitutum pertinere poſſit, nonnulla ſpeciatim hic ſub breuitate tranſcurrimus. Pro quibus

1 Aduerte, res Eccleſiaſticas eſſe ſub duplici differentia, aliæ merè temporales, aliæ ſpirituales. Sub prima differentia ſunt vineæ, prædia, cenſus, mancipia, & his ſimilia, quæ ſecundum ſe ſunt purè temporalia, quamuis ratione dominij translati in Eccleſiam facta ſint Eccleſiaſtica. Sub ſecunda continentur præbendæ, beneficia, decimæ, & huiuſmodi. Porro res Eccleſiaſticæ temporales adhuc ſunt ſub duplici claſſe; vel enim ſunt res temporales mobiles, vt pecuniæ, gemmę, aurũ, argentum &c. vel immobiles, vt prædia, arbores, vineæ &c. Rurſus mobiles, vel ſunt pretioſæ, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, cuiuſmodi ſunt gemmæ, calices &c. vel quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, ſed ipſo vſu conſumuntur.

Aduerte ſecundo, dum agitur de permutatione rerum Eccleſiaſticarum, eaſdem, vel poſſe comparari inter ſe, quatenus ſcilicet vna res Eccleſiaſtica poſſit commutari cum alia re Eccleſiaſtica, & hoc ſiuè res Eccleſiaſtica fuerit ſpiritualis comparatiuè ad aliam Eccleſiaſticam ſpiritualem, vel etiam ad Eccleſiaſticam temporalem, ſiuè fuerit Eccleſiaſtica temporalis in ordine ad Eccleſiaſticam ſpiritualem, vel etiam Eccleſiaſticam temporalem, vel poſſe comparari ad res purè temporales, quatenus poſſit fieri permutatio cum rebus purè temporalibus pretio æſtimabilibus. Porro facta comparatione ad res ſiuè ſpirituales, ſiuè temporales, inquirendum remanet, quandonam fieri poſſit talis commutatio, & quandò non, & ex ſuppoſitione, quod poſſit fieri, quanam auctoritate? an permutantis ſimplicitèr, an dumtaxat ſuperioris, & cuiuſnam? Quibus ſuppoſitis ſit

Diuerſimoda comparatio rerum Eccleſiaſticarum.

Assertio I. Res Eccleſiæ temporales ſi ſint mobiles, quæquè ſeruando ſeruari non poſſunt, poſſunt commutari. Eſt communis apud omnes, & hoc etiam ſine ſolemnitatibus, & ſine præuio iuris ordine. 2

Probatur primò, quià *toto tit. de reb. Eccl. non alienan.*, prohibentur dumtaxat alienari, ſeu permutari res Eccleſiæ immobiles, & prætioſæ mobiles, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, ergo non cadunt ſub prohibitione res, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt. Conſequentia probatur, quià lex prohibens eſt ſtricti iuris, & exceptiua, quæ non extenditur vltra expreſſa, & excepta, ergo non afficit res mobiles, quæ non exprimantur, nec excipiantur.

Lex prohibens eſt ſtricti iuris, & exceptiua.

Probatur ſecundò, quià res, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, ipſo vſu conſumuntur, nec per earundem alienationem læditur ius Eccleſiæ, cuius ſunt, quinimmò deputantur ex natura ſua ad conſumptionem, & alienationem, ergo legitimè poſſunt commutari cum alijs rebus, vel mobilibus, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, vel cum immobilibus pretioſis, quæ ſeruando ſeruari poſſunt.

Assertio II. Res Eccleſiæ temporales immobiles permutari non poſſunt cum purè temporalibus ſæcularibus, niſi interuenientibus iuſtis cauſis, ſcilicet neceſſitatis, vel euidentis vtilitatis, & præſcriptis ſolemnitatibus. Colligitur *ex c. nulli de reb. Eccl. non alienandis, & ex Extrauag. Pauli II. Incip. Ambitioſæ, Rebuffus ad l. alienationis verbo* 28. *verſ.* 12. *ff. de verb. ſignif., & in c. alienatio num.* 66., *Caldas Pereira de reſol. empt. c.* 5. *nu.* 36., *Auguſtinus Bar-* 3

Digitized by Google

boſa tract. de appellat. verbo alienatio num. 7., & collect. ad l. Sancimus, & ad c. nulli num.16. Pirrus Corradus de diſpoſit. l. 9. cap. 10. num. 1. 2., & 3.

Probatur aſſertio, quia permutatio, qua permutatio eſt, ſpecies eſt alienationis per textum clarum *in l. vnica C. de fundo dotali*, quia nomine alienationis venit quicunque diſtractus, & actus, per quem dominium transfertur in alium *l. alienationis verba ff. de verb. ſignif. Iaſon in l. quæ de legato ff. de leg. 1. num. 27. Decius conſ. 660. num. 8. Afflictus deciſ. 260. num. 7. Lapus allegat. 4. in princip. Rota deciſ. 196. apud Seraphinum deciſ. 608. part. prima diuerſ. Aloyſius Riccius part. 2. collect. 466., & part. 8. collect. 3483.*, ſed per d. c. *nulli, & tot tit. de rebus Eccl. non alien.* prohibetur alienatio rerum Eccleſiaſticarum ſine debitis cauſis, & ſolemnitatibus, quod fortius vrgetur *per d. extrauag. Pauli II. ambitioſæ*, ergo &c.

4 Hic explicandum remanet, quænam ſint iuſtæ cauſæ requiſitę ad alienationem, & quænam forma præſcripta ex diſpoſitione iuris, ſeu quod idem eſt, quænam ſolemnitates requirãtur, ſed quia de ijs fu[s]ior erit ſermo ſub tit. *Alienatio* ideò breuitèr me eximo ab hac difficultate; aſſero etenim potiſſimas cauſas, eſſe vrgentem neceſſitatē, vt colligitur *ex cap. ſine exceptione, & c. 1. de reb. Eccl. non alien. in 6. Rota apud Seraphinum deciſ.* 508., & 1490., & euidentem vtilitatem; ſolemnitates verò de iure antiquo quatuor potiſſimum continere, ſcilicet auctoritatem Prælati, tractatum, conſenſum capituli, vel rectoris, & ſubſcriptionem, de iure verò nouo *ex vi d. Extrauag. Ambitioſæ*, etiam requiri aſſenſum Apoſtolicum, vel reſpectu regularium expreſſam licentiam Sacræ Congregationis.

5 Assertio III. Res Eccleſiæ temporales immobiles, & etiam mobiles pretioſæ, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, vtique ſunt permutabiles cum alijs rebus Eccleſiæ temporalibus immobilibus, ſeù mobilibus pretioſis, quæ ſeruando ſeruari poſſunt ſine aſſēſu Apoſtolico, ſeu Sacræ Congregationis reſpectu Regularium *Treuiſanus deciſ. 56. part. 2. Riccius in praxi rerum for. Eccl. deciſ. 38., & prima part. praxis aureæ reſol. 35. Nauarrus conſul. 15. de reb Eccl. non alienan. Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg. 90., & de iure vniuerſ. Eccl. lib. 3. c. 30. num. 30.*

Probatur aſſertio, quià inducta fuit per iura poſitiua prohibitio alienationis bonorum Eccleſiaſticorum ad conſulendum Eccleſię indemnitati, vt ſenſit *Monaldus conſ. 91. n. 3. vol. primo, & communius cum eo tum Theologi, tum canoniſtæ*, & ne Eccleſiæ bona profanis vſibus applicarentur, vt colligitur ex proemialibus eiuſdem Extrauag. Ambitioſæ Ibi *profanis vſibus applicare, aut cum maximo illorum, aut diuini cultus detrimento exquiſitis medijs vſurpare præſumunt*, quæ verba vtpotè proemialia indicant, ſeu important cauſam finalem legis *l. fin., & ibi Bart. n. 3. ff. de hæred. inſtit. Iaſon. in l. ſi pacto n. 14. C. de pactis*, ſed per permutationem rerum Eccleſiaſticarum cum rebus alterius Eccleſiæ nullũ damnum Eccleſiæ infertur, nec res Eccleſiaſticæ profanis vſibus applicantur, ergò &c. Minor probatur quoad primam partem, quia nomine Eccleſiæ in d. extrauaganti nõ venit particularis aliqua Eccleſia, ſed vniuerſalis Eccleſia ſub vno capite nempè Romano Pontifice conſtituta; vt bene notat *Boſſius tom. 3. varior. mor. de alienat. bon. Eccl. tit. 6. eiuſdem tertij tom. num. 2. prope medium*, quæ certè præiudicium non ſentit ex eo, quod bona de vna in aliam Eccleſiam transferantur, quandoquidem ſemper ſunt ſub ipſius poteſtate ergo &c. Minor etiam quoad ſecundã partem ſic euincitur, quià ex eo, quod tranſeant in aliam Eccleſiam profanis vſibus non deputantur, cũ ſemper ad vſus Eccleſiaſticos inſeruiant, vt per ſe patet.

Non infertur damnum Eccleſiæ, nec profanis vſibus res Eccleſiæ deſtinantur.

Nomine Eccleſia venit vniuerſalis ſub Rom. Pontifice

Fortior ratio huius noſtræ cõcluſionis erit ſolutio argumentorum, quæ in contrarium afferuntur; & quidem arguitur primo *ex c. ſine exceptione 12. q. 2., & ex c. nulli de reb. Eccl. non alien.* vbi indefinitè, abſolutè, & ſimplicitèr prohibetur alienatio ſine præſcriptis ſolemnitatibus, quod etiam firmatur in Paulina Ambitioſæ, & in decreto Vrbani VIII. ſed, etiam ſi fiat permutatio de Eccleſia in Eccleſiã, adhuc abſolutè interuenit alienatio, quandoquidem dominium rei permutatæ transfertur in aliam Eccleſiam cum abdicatione a prima per ea, quæ notant *Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. primo c. 517. n. 9. & tom. 4. c. 674. num. 4., & 5. Bonacina de contract. diſp. 3. q. 8. par. 4. n. 24.* ergo debent interuenire congruæ, & præſcriptæ ſolemnitates, adeòque aſſenſus etiam Apoſtolicus, ſeu Sacræ Congregationis reſpectu &c. Sed huic argumẽto obuius occurro aſſerens, nõ prohiberi alienationē, niſi vt noxiam Eccleſiæ, vel vt vſibus profanis applicandam, pro vt ſupra deduximus 6

Non prohibetur alienatio niſi vt noxia Eccl.

ex

ex verbis proemialibus legis, quæ important finalem cauſam diſpoſitionis, vnde non immeritò cenſuit *Rota Rom. deciſ.* 756. *num.* 3., & 4. *p.* 1. ſuſtineri alienationem factam ab Epiſcopo in fauorem Canonicorum etiam factam ſine aſſenſu Apoſtolico etiam non obſtante iuramento facto per eundem Epiſcopum de non alienandis bonis propriæ menſæ, dum dixit. *Ad primum reſponſum fuit, quod in re applicatio facta canonicis fuit valida, quia Epiſcopus poterat donare, & alienare Capitulo ſine ſolemnitatibus, non obſtante iuramento de non alienando ſine ſuperioris licentia, quod etiam expreſsè habetur in cap. & ſuper de rebus Eccl. non alienandis.*

Arguitur ſecundò ex conſuetudine, & praxi regulari Epiſcoporum non concedentium facultatē alienandi ab Eccleſia in Eccleſiam ſine recurſu ad Romanum Ponteficem, & ipſius approbatione, & ex ſtylo Curiæ Romanæ, quæ regularitèr concedit huiuſmodi facultates, qui certè recurſus nō apponeretur, ſi poſſet per ſolam Ordinariorum approbationem fieri alienatio. Quod autem huiuſmodi praxis, ſeu ſtylus vigeat, expreſsè teſtantur *Auguſtinus Barboſa collat.* 95. *num.* 57. *in fine Pirrus Corradus de ſtipulatione lib.* 9. *cap.* 10. *nu.* 8. Sed de hac praxi ſeu conſuetudine non modicum miratur *Boſſius d. tom.* 3. *de alienatione bon. Eccleſ. tit. ſexto num.* 3., & non lubens approbat nimiam Epiſcoporum facilitatem recurrendi ad Curiam, vbi non eſt neceſſitas recurſus, quinimmò damnat, quod ipſi difficiles ſe reddant ad interpretandam ſuam auctoritatem in multis, ad quæ, vel iure approbante, vel auctoritate claſſicorum, & grauium Doctorum ſuffragante ius habent expreſſum, vnde aſſerit, quod trepidant timore, vbi non eſt timor, & per hanc trepidationem Eccleſijs ſuis quandoque notabilitèr nocent, dum ſæpè occaſio vtilitatis euaneſcit in expectatione Apoſtolicæ approbationis. Concludit tamen reprobando aſſertam conſuetudinem per contrariā praxim præcipuè inter Regulares eiuſdem ordinis, in quibus paſſim ſolo Generalium, vel Prouincialium conſenſu conſentiente capitulo loci, a quo faciēda eſt, vel donatio, vel permutatio, vel quouis alio titulo alienatio, fiunt huiuſmodi tranſlationes, ſeù permutationes ſine vlla ſindereſi, ſeu conſcientiæ ſcrupolo. Sed quiquid ſit de huiuſmodi conſuetudine, quam certè non cognouerunt *Treuiſan. d. deciſ.* 56. *part.* 2. *Peregrinus in compend. noniſ. priuileg. ſuæ congregationis verb. alienatio bon. in ſcholio dub.* 7. *Diana part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 223. qui abſolutè aſſerunt in praxi licitam eſſe permutationem, de qua loquimur, ſine Apoſtolico aſſenſu, nullumque ponunt obſtaculum aſſertę conſuetudinis Curię. Ego abſolutè ſentio quod non ſit inducta tanquam obligatoria, cum originem traxerit, ex nimia facilitate Eccleſiarum particularium ad inuicem permutationes ineuntium nullo iure ad hoc impellente, vt teſtatur *idem Boſſius, qui ſupra loc. mox cit.*

Trepidāt quandoque vbi non eſt timor.

Talis cōſuetudo non eſt obligatoria.

7 ASSERTIO IV. Res ſpirituales Eccleſiaſticæ nullo modo permutari poſſunt cum rebus temporalibus, ſiuè fuerint ſæculares, ſiue Eccleſiaſticæ. In hanc aſſertionem præcipuè quoad primas particulas propendent *Panormitanus in c. fin. de rerum permut., & in c. ad quæſtiones eod. Hoſtienſis in ſumma hoc tit. num.* 3. *Speculator* 4. *part. tit. de permut. num.* 4. *c. nulli de reb. Eccl. non alienan., & c.* 1. 2., & 3. *de rer. permut. Ognate d. tract.* 25. *de permut. diſp.* 90. *ſect.* 4. *num.* 80. Facit maximè ad ipſam comprobandam textus *in c. fin de rerum permut.*

Probatur prima pars, quiā ſtudioſa voluntas cotractandi res ſpirituales, vel ſpiritualibus annexas pro pretio, ſeu re temporali pretio æſtimabili eſt manifeſta ſimonia per ea, quæ latè tra demus infrà *tom.* 3. *ſub tit. Contractus VIII. de ſimonia Prænot.* 1., & *ſub eodem tit. Prænot.* 2., & prohibita tùm iure naturali, tùm diuino, ſed per permutationem rei ſpiritualis, vel ſpirituali annexæ inducitur ſtudioſa voluntas contractandi &c. ergo eſt omni iure prohibita. Minor ex ſe patet, quiā res temporalis in ea ſuppoſitione daretur in compenſationem dictæ rei ſpiritualis, vel ſpirituali annexæ.

Per talem permutationem inducitur ſimonia omni iure prohibita.

Probatur ſecundò eadem prima pars, quiā valdè diſſonum naturæ eſt, & à recto ordine deflectens, vt res ſpirituales, vel ſpiritualibus annexæ, quę longè ſuperioris ordinis ſunt, ordinentur tanquam ad finem ad res temporales, quæ ſunt ordinis longè inferioris, ſed per talem permutationem pręcipuè quantum eſt ex parte permutantis rem ſpiritualem, vel ſpirituali annexam ipſa res ſpiritualis ordinaretur tanquam ad finem ad rem purè temporalem, ergo &c. Efficaciores rationes ad hanc veritatē corroborandam recole potiſſimum ex ijs, quæ dicentur *d. tom.* 3. *ſub tit. Contractus VIII. de*

Abſurda, quæ ex oppoſito ſequuntur.

ſimonia Prænot. 2.

Probatur ſecunda pars, quià in tantum prohibita eſt contractatio rei ſpiritualis pro temporali tanquam pro pretio eiuſdem rei ſpiritualis, in quantum temporalis ad ſpirituale nulla poteſt eſſe proportio, nec entitatiua, nec habitudinis, ſed quamuis res temporalis facta fuerit Eccleſiaſtica per dominium eiuſdem in Eccleſiam translatum non poteſt habere proportionem, & æqualitatem ad talem rem &c. ergo &c. Confirmatur, quia ex eo, quod res temporalis ex ſæculari facta fuerit Eccleſiaſtica per dominium in Eccleſiam translatum, non eſt maioris valoris ſecundum ſe, ac fuerit antequam fieret Eccleſiaſtica, ergo adhuc ſeruat improportionem ad rem ſpiritualem, ſeu ſpirituali annexam, adeoque non poteſt tradi in compenſationem rei ſpiritualis. Confirmatur ſecundò, quia ex duplici capite potiſſimum ſimonia interdicitur, primò defectu dominij in transferente rem ſpiritualem, ſecundò ex inordinatione rei ſpiritualis ad temporalem, ſed hoc vtrumque euenit in permutatione rei ſpiritualis pro temporali etiam Eccleſiaſtica, ergo &c. Minor probatur, quià ex eo, quod res temporalis Eccleſiaſtica tradatur pro ſpirituali non fit, quod collator rei ſpiritualis ſit, vel fiat Dominus eiuſdem, & ſi eſt inordinatio, quandò transfertur pro pure temporali eo, quia illa longè eſt ſuperioris ordinis, etiam erit, quandò transfertur pro temporali etiam Eccleſiaſtica, eo quia eiuſdem ordinis eſt &c.

Res temporalis quarumuis facta Eccleſiaſtica non habet proportionem cum ſpirituali.

8 ASSERTIO V. Res ſpirituales Eccleſiaſticæ permutari poſſunt cum alijs ſpiritualibus Eccleſiaſticis *Panormitanus, & Canoniſtæ in d. c. ad quæſtiones de rer. permut. Azot. in ſumma num.* 4. *Hoſtienſis in ſumma nu.* 3. Intelligitur aſſertio, ſi cum debito moderamine accipiatur. Colligitur potiſſimum *ex c. quæſitum* 5. *de rerum permut.*, *& can. Sanctorum* 70. *diſt.*, & ſic permutari poteſt vna Eccleſia pro altera *d. c. ad quæſtiones* 5. *de rer. permut.* vna præbenda cum altera *eod. c. quæſitum eod. tit.* vnum beneficium Eccleſiaſticum cum altero *c. cum vniuerſorum eod. tit.* decimas cum alijs decimis *c. fin. eod. tit.*

Ceſſat ratio formalis, & finalis prohibitionis.

Probatur iam ratione, quià finis adæquatus prohibitionis ſimoniacæ eſt, quia fit comparatio rei ſuperioris ordinis, & incompenſabilis ad res temporales, quæ ſunt ordinis incomparabilitèr inferioris, & inæqualitas cernitur in valore, indecentia in vilipendio, & indebitæ conditiones in contractu, ſed, quandò res ſpiritualis cum alia ſpirituali commutatur, ille finis prohibitionis non militat, ergo &c. Minor probatur, quià fit ſolummodò comparatio ſpiritualis ad ſpirituale, quæ ad inuicem poſſunt ſeruare æqualitatem, nec poteſt dici, quod res ſpiritualis vilipendatur, dum alia ſimilis cōditionis pro ipſa confertur, ergo &c.

Probatur ſecundò, quià res temporales Eccleſiaſticæ permutari poſſunt cum alijs temporalibus item Eccleſiaſticis per ea, quę dicta ſunt *in hac eadem Prænot. aſſert.* 3. *per totum*, ergo etiam res ſpirituales Eccleſiaſticæ permutari poterunt cum alijs ſpiritualibus. Conſequentia probatur, quià idem ordo eſt Eccleſiaſtici ad Eccleſiaſticum, ac ſpiritualis ad ſpirituale, &, ſi aliquid diuerſitatis præferatur, erit ratione iuris prohibentis, & inæqualitatis, ſed dum ſpirituale confertur cum ſpirituali nullum ius eſt prohibens, cum in definitione ſimonię prohibeatur dumtaxat contractatio ſpiritualis cum temporali, & in ſpiritualibus ad inuicem comparatis poteſt eſſe æqualitas, & proportio, ergo &c.

Paritas deducta à rebus temporalibus Eccleſiaſticis ad inuicem permutabilibus.

Dixi, *ſi cum debito moderamine accipiatur*, pro quo ſciendum eſt, quod, 9
quamuis attento præciſè naturæ ordine, & iure diuino poſſit fieri huiuſmodi permutatio propria permutantium auctoritate, attento tamen iure Eccleſiaſtico poſitiuo requiratur Epiſcopi, ſeu Prælati Eccleſiaſtici auctoritas, vt habetur *in cap. cum olim* 6. *de rer. permut.*, & ſine tali facultate eſt genus ſimoniæ Eccleſiaſticæ, de qua ſub *tit.* Simonię infrà loquemur, ratione cuius priuantur beneficijs, & præbendis, qui permutationem Eccleſiaſticam ſine Epiſcopi auctoritate celebrare præſumpſerint. Vlterius notandum eſt, ſine ſimonia non poſſe pactionem partium interuenire in permutatione beneficiorum, ſeu præbendarum *ſecundum Archidiaconum poſt Gloſam in c. quæſitum eod. tit.*, & ſic ſentit *Ioannes Andræas in nouel.*, ſed beneficiarios debere ingenuè renuntiare ſuis benefitijs in manus Epiſcopi declarantes ſe inuicem egiſſe de illa permutatione, ſed nihil concluſiſſe, ità vt ſit in libera poteſtate Epiſcopi illa conferre, ſi velit, vel non conferre, ſi nolit, & ſi conferat, ſi ex ipſius beneplacito, non ex aliqua neceſſitate iuſtitiæ compellente. Audiatur textus in d. cap. quæſitum de rer. permut. *Quæſitum eſt ex parte tua, ſi commutationes fieri valeant præbendarum*, & non;

Non poſſunt tamen fieri ſine Epiſcopi auctoritate.

Epiſcopus confert ex beneplacito non ex neceſſitate.

Digitized by Google

nonnullis interpoſitis ſubditur. *Generalitèr itaque teneas, quod commutationes præbendarum de iure fieri non poſſunt præſertim actione præmiſſa, quæ circà ſpiritualia, vel annexa ſpiritualibus labem ſemper continet ſimoniæ*, vbi gloſa expreſsè aſſerit *Præbendæ pacto præcedente permutari non poſſunt, Epiſcopus tamen poteſt de loco ad locum commutare perſonas*. Ratio autem, cur non poſſit pactum præmitti, aſſertur *ex D. Thoma ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 1. *ad quintum*, quia ſcilicet nomine emptionis venit quæcunque pactio, ſeu contractus non gratuitus. Sed de his alibi fuſiùs.

Solum remanet hic explicandum pro complemento eorum, quæ hic dicuntur, an, quandò facta per beneficiarios illa reſignatione beneficiorum, ſeu præbendarum in manus Epiſcopi per eundem Epiſcopum iuxtà eorundem beneficiariorum tractatū eiſdem conferuntur, ſit vera permutatio, an ſolum ſimplex prouiſio ſuperioris prouidentis eoſdem de talibus beneficijs. Pro quo aduertendum eſt cum *Panormitano cap. quæſitum* 3. *num.* 10., *Filliutio tract.* 41. *de beneficijs cap.* 9. *quæſt.* 1. *requiſit.* 3., *& quinto num.* 2., poſſe licitè eoſdem beneficiarios de ipſa permutatione ad inuicem tractare, agere, de conuenientia illius conferre, & Epiſcopum in illa hypotheſi teneri eiſdem beneficia conferre, & non alijs, vndè liberum ipſi ſolummodò eſt permutare, ſi velit, non autem, ſi nolit permutare etiam poſita reſignatione alijs à reſignantibus conferre per ea, quæ habentur *in Clem. vnica de rerum permut.*, & ſuſtinent *Panormitanus d. cap. quæſitum de rer. permut., & Filliutius loc. cit.* Crederem abſolutè per illum tractatum inter beneficiarios ad inuicem initum, & per illam reſignationem præcisè, non poſſe dici in rigore factam permutationem, quia per illa non confertur ius beneficiorum in ipſos beneficiarios cum illa commutatione, cum adhuc liberum ſit ea Epiſcopo non conferre, poſſe tamen lato modo dici permutationem, quatenus interueniente auctoritate Superioris, ſeu Epiſcopi vnus acquirit beneficium, quod alter deſerit, & è contrà. Sed in hoc non immoror, quià eſt quæſtio ſolummodò de nomine.

PRÆNOTIO VIII.

An quæcunque pactio de aliquo temporali conferendo in permutatione cum re ſpirituali importet ſimoniam, & iniuſtitiam.

SVMMARIVM.

Non minus vſuraria eſt quæcunque pactio de aliquo exigendo vltrà ſortem in mutuo, quamuis aſſeratur non pretium eiuſdem mutui, ſed compenſatio ex affectu gratitudinis, ac ſit ſimoniaca quæcunque conuentio de aliquo temporali conferendo pro collatione beneſitij, quamuis dicatur gratuita compenſatio. 1.

Quæcunque pactio inducit obligationem ciuilem. 2.

Quæcunque pactio circà ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa labem continet ſimonia. 3.

Reſpondetur obiectionibus deſumptis ab alibi dictis. 4.

AGentes in materia de vſuris *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris diſquiſ.* 4. *§.* 1. *per totum* duplicem quodamodò diſtinximus pactionem, alteram, quæ procedit ſub motiuo liberalitatis, & donationis, alteram ſub motiuo iuſtitiæ; qua poſita diſtinctione pactionum ſub his diuerſis titulis aſſerebamus, pactionem de aliquo conferendo ob mutuum gratitudinis, amicitiæ, & fidelitatis non eſſe vſurarium, nec contrà iuſtitiam, quinimmò *eod. §. primo num.* 4., non quidem aſſertiuè, ſed ex placito *Valentiæ tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 16. *puncto* 3., *Caietani ſecunda ſecundæ quæſt.* 200. *art.* 3., *& in ſumma verbo Simonia, Soti lib.* 9. *de iuſtitia quæſt.* 6. *art.* 1., diſſerentes ad maius robur aſſertioni noſtræ addendum (non ex nobis, quatenus ex nobis, nam ſemper arbitrati fuimus, & acritèr ſuſtinuimus quamcunque conuentionem de temporali erogando pro ſpirituali eſſe Simoniacam in quacunque noſtra conſultatione hac de re crebrò habita, ſed ex aliorum claſſicorum Doctorū fundamento ſenſum noſtrum comprobantes) attulimus, quod in collatione beneficiorum Eccleſiaſticorum non ſolum liceat aliquid temporale recipere, non quidem vt pretium rei ſpiritualis, vel ſpirituali annexæ, ſed vt effectum gratitudinis, ſed etiam de illo paciſci; ex quibus argumentum ſic efformabatur. Ità ſe habet vſura in ordine

Reijciuntur, quæ alibi dicta ſunt ex aliorum placito.

Paritas de mutuo, ac de ſimonia.

ordine ad aliquid habendum ex mutuo vltrà ſortem, ſicuti ſe habet Simonia in ordine ad aliquid temporale recipiendum, ergo, ſi non ſolum licet pro collatione beneficij ſine labe ſimoniæ aliquid temporale recipere, ſed etiam de illo paciſci, quandò non datur vt pretium beneficij Eccleſiaſtici, ſed vt effectus gratitudinis (quod intellige vt habens fundamentum ex præcitatorum Doctorum ſententia, non ex nobis, quatenus ex nobis, cum contrarium ſuſtineamus) etiam licebit in collatione mutui ſine labe vſuræ &c. Nihilominus re maturiùs conſiderata quoad illud pactum gratitudinis in mutuo, & propriam ſententiam exprimentes quoad ſimoniam, non amplius alienam recitantes ſic ſtatuendum duximus.

1 ASSERTIO. Non minus vſuraria eſt quæcunque pactio de aliquo exigendo vltrà ſortem in mutuo, quamuis aſſeratur non pretium eiuſdem mutui, ſed compenſatio ex affectu gratitudinis, ac ſit ſimoniaca quæcunque conuentio de aliquo temporali conferendo in collatione beneficij Eccleſiaſtici, quamuis illud, de quo eſt conuentio, aſſeratur non pretium eiuſdem beneficij, ſed gratuita compenſatio; vndè, quidquid aduerſus hanc aſſertionem alibi fortè dictum fuit, vel ex aliorum ſententia, vel ex propria eſt abſolutè retractandum, prout de facto retracto, & ad ſanum huius aſſertionis ſenſum reduco.

Probatur igitur primò quoad illam pactionem in mutuo ex Nouiſſima declaratione Innocentij XI. Pontificis nunc regnantis, (quem diù Deus incolumem ſeruet) qui in Congregatione Sanctiſſimæ Inquiſitionis habita feria quinta die 2. Martij 1679. illam propoſitionem, vt minimum, tanquam ſcandaloſam, & in praxi pernicioſam damnauit, quæ eſt in ordine 42. qua dicitur *vſura non eſt, dum vltrà ſortem aliquid exigitur tanquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum exigatur tanquam ex iuſtitia debitum*, ergo vſuraria eſt quæcunque conuentio de aliquo exigendo vltrà ſortem, etiamſi aſſeratur exigi ex affectu, & motiuo gratitudinis. Hæc declaratio adeò iuſta eſt, vt tollat quamcunque ambiguitatem, quæ antecedentèr ad ipſam eſſe poterat, ſicque omnia dicta, ſi quæ ſunt aduerſus ipſam, ſunt retractanda, prout de facto iterum retracto.

2 Probatur ſecundò quoad idem, quià illa pactio de aliquo ſoluendo vltrà ſortem ob mutuum inducit obligationem in promittente ad illud ſoluendum, & ius in mutuante ad illud exigendum, ſed obligatio ciuilis orta ex mutuo aliquid perſoluendi, & ius ad illud exigendum, cum ſit vltrà ſortem, conſtituit ex ſe contractum vſurarium, ergo &c. Maior patet, quià ex mutuis pactis conſurgunt in paciſcentibus obligationes, cum pacta ipſa habeant homines ligare; Neque obſtat, ſi aſſeratur, quod illud pactum, cum procedat ex motiuo gratitudinis, non obliget pluſquam ex gratitudine, ſeu fidelitate; non obſtat, inquam, nam ex quo mutuatarius ſe obligat ad illud perſoluendum, non eſt datio, niſi apparentèr, & verbalitèr ex gratitudine, adeoque in re potius eſt cenſenda pretium mutui, quam effectus liberalitatis.

Obligatio ciuilis orta ex mutuo inducit vſuram.

Probatur iam quoad illam pactionem in collatione beneficij Eccleſiaſtici ex declaratione item Sanctiſſimi D. N. Innocentij Papæ XI., qui damnauit propoſitionem illam, qua eſt in ordine quadrageſimaquinta, quià dicitur *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quandò temporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat tanquam motiuum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, ſed etiam quandò temporale ſit ſolum gratuita compenſatio*, & item etiam quæ eſt in ordine 46. qua dicitur, *Et id quoque locum habet etiam ſi temporale ſit principale motiuum dandi ſpirituale, immò etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic vt illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis*. Quod idem ſaltem implicitè videtur damnaſſe Alexander VII. in propoſitione 22. quàm reprobauit, qua dicitur *Non eſt contrà iuſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quià collator conferens illa beneſitia Eccleſiaſtica pecunia interueniente non exigit illam pro collatione beneſitij, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*; ſi enim non poteſt exigere pro emolumento temporali, quod conferre non tenebatur, nec videtur poſſe exigere exiſtente pactione de illo conferendo ſuppoſita illa pecuniæ oblatione, quamuis aſſeratur fieri ex motiuo gratitudinis.

Propoſitiones damnatæ per eundē Pontificem.

Probatur ſecundò quoad idem *ex c. quæſitum de rerum permutatione*, vbi dicitur *præſertim pactione præmiſſa, quæ circà ſpiritualia, vel annexa ſpiritualibus labem ſemper continet ſimoniæ*, vbi mirabilitèr Gloſa *in ſpiritualibus omnis pactio illicita eſt, & reprobatur, & ex c. vlt.* 3

de

Digitized by Google

de pactis, vbi dicitur, *pactiones facta à vobis pro quibuſdam ſpiritualibus obtinendis, cum in huiuſmodi omnis pactio, omniſque conuentio debeat omninò ceſſare, nullius penitus ſunt meriti*, vndè merito dixit *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 1. *ad quintum* nomine emptionis venire quamcunque pactionem, & conuentionem non gratuitam; nec vim aliquam facit aduerſus nos illa particula, *non gratuitam*, quatenus inferat pactionē procedentem ex motiuo gratitudinis non inducere ſimoniam; non, inquam, vim aliquam facit, quandoquidem illa dictio, *non gratuitam* importat quamcunque conuentionem cum onere; hic autem illa conuentio vtique eſt cum onere, cum obliget promittentem ad erogandum promiſſum, & quod deindè procedat ex motiuo gratitudinis nihil officit ad rem noſtram, cum abſolutè obliget, & in tantum conferatur beneficium, in quantum conſtituitur illud pactum de aliquo ſoluendo, ſine quo non conferretur.

Nomine emptionis venit quæcunque pactio.

4 Ad id, quod dicebatur *tom. primo ſub titulo Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ.* 4. §. 1., nempè pactum indiferens eſſe, vt coniungatur, vel cum motiuo gratitudinis, vel cum motiuo iuſtitiæ, & vt coniunctum cum ſecundo inducere vſuram in contractu mutui, & in collatione beneficij ſimoniam, non ſic vt coniunctum cum primo. Reſpondendum eſt, non habere vim, niſi in aliquorum ſententia, qui ad oſtentamentum potius, quam ad rei veritatem illam indeferentiam pacti adinueneerunt. Cæterum in rigore, vbi eſt obligatio ex pacto, eſt etiam obligatio ex iuſtitia, nec officit, quod aſſeratur illud pactum eſſe dumtaxat ex motiuo gratitudinis, quandoquidem pactum, vtpotè obligans extrahit illam obligationem ab eſſe gratitudinis ad eſſe iuſtitiæ, cum illo pacto poſito poſſit ille, in cuius fauorem poſitum eſt pactum, etiam conſtringere, & compellere ad implementum, quod ſtare nequit cum gratitudine, quæ, cum ſit omninò libera nullum habere poteſt annexum onus, vi cuius ille, qui gratus eſſe vult, obligetur. Quamobrem ea omnia, quæ ibi dicta ſunt ad oſtentandas ſubtiles potius, quam fundatas iſtorum Doctorum adinuentiones hic maturiùs re conſiderata non ſecundum ſubtilitates Philoſophantium, ſed ſecundum practicam rectiùs ſentientium maturitatem non inuiti retractamus, vt ſupra.

Poſito illo pacto poſsunt contrahentes obligari ad implementum.

PRÆNOTIO IX.

Vtrum mancipia Eccleſiæ poſſint permutari.

SVMMARIVM.

Variæ comparationes mancipiorum. 1.
Mancipia Eccleſiaſtica, ſi non ſint vitioſa, & fugitiua, non poſſunt cum alijs mancipijs priuatorum, nec alijs rebus purè ſæcularibus permutari. 2.
Rationes euincentes aſſertionem. 3.
Mancipia, ſi ſint fugitiua, quamuis Eccleſiaſtica, poſſunt permutari cum rebus ſæcularibus. 4.
Intellige tamen, dum redierunt, non autem dum ſunt in fuga. 5.
Admonendus eſt emptor de vitio fugæ. 6.
In permutationem mancipiorum Eccl. non fugitiuorum duo ſunt mancipia ſubroganda. 7.
Mancipia Eccleſiæ poſſunt permutari cum mancipijs alterius Eccleſiæ ſine requiſitis à iure ſolemnitatibus. 8.
Mancipia Eccl. permutari non poſſunt cum rebus ſpiritualibus Eccl. 9.

Comparatio, quæ facta fuit in rebus Eccleſiæ, eadem facienda eſt quoad mancipia eiuſdem, vt rectè propoſitus titulus diſſoluatur, vel enim comparantur mancipia Eccleſię cum alijs mancipijs, ſeù alijs rebus ſimplicitèr ſæcularibus, & nullo modo Eccleſiaſticis, vel cum alijs mancipijs Eccleſiæ, ſeu rebus Eccleſiaſticis temporalibus, vel tandem cum alijs rebus ſpiritualibus, vel annexis temporalibus Eccleſiaſticis. Rurſus huiuſmodi mancipia Eccleſiaſtica, vel poſſunt conſiderari, vt ſunt vitioſa, vel fugitiua, vel vt ſunt ſine vitijs, & imperfectionibus. Secundum has omnes igitur conſiderationes examinari poteſt præſens titulus. Pro quo ſit 1

Diuerſimodè cõparantur mancipia

Assertio I. Mancipia Eccleſiæ, ſi non ſint vitioſa, & fugitiua, permutari non poſſunt cum alijs mancipijs priuatorum, nec cum alijs rebus purè ſæcularibus. *Silueſter verbo permutatio II. quæſt.* 9., *Gloſa in c. mancipia* 4. *extra de rerum Permutatione Panormitanus cap.* 2., & 3. *eod. tit. Hoſtienſis in ſumma num.* 3. *Azot. in ſumma num.* 4., *Ognate tract.* 23. *de Permutat. diſp.* 90. *ſect.* 4. *num.* 76. Colligitur aſſertio *ex d. c. mancipia* 3. *extra de rer. Permut.*, & *ex c. iniuſtum eod. titulo.* 2

Probatur rationibus, quas diſertis verbis proſequitur textus *in d. c. mancipia* 3

Digitized by Google

cipia de rerum Permutat. Quod ſemel Deo conſecratum eſt ad humanos vſus transferri non decet, quam rationem latiùs explicat textus *in c. iniuſtum eod. tit.* dicens, quod iniuſtum videtur, & impium, vt mancipia, quæ fideles Deo, & Sanctis eius pro animæ ſuæ remedio conſecrarunt, cuiuſcunque muneris mancipio, vel cõmertio commutationis iterum in ſeruitutem ſæcularium redigantur, ergo ad hæc inconuenientia euitanda iuſtè iura Eccleſiaſtica ſtatuerunt, vt mancipia Eccleſiaſtica pro alijs mancipijs ſæcularibus, ſeu alijs rebus pretio æſtimabilibus, nec vendi, nec permutari poſſint.

4 Assertio II. Mancipia, ſi ſint fugitiua, quamuis Eccleſiaſtica, poſſunt permutari etiam cum mancipijs, alijſque rebus ſæcularibus, *Silueſter eod. verb. Permutatio II. quæſt. 10., Innocentius in c. Epiſcopus, qui mancipium 12. qu 2., Ognate d. tract. 25. de permutat. diſp. 90. ſect. 4.* Colligitur ex prædicto *c. iniuſtum de permutatione*, vbi etiam affertur cauſa per exceptionem prædictis de ſeruo, ſeu mancipio in communi per illa verba *Cum canonica auctoritas ſeruos tantummodò permittat diſtrahi fugitiuos*, vbi Doctores ſubdunt, *quià illi inutiles ſunt*.

Probatur primò, quià lex illa prohibens res Eccleſiaſticas alienari, permutari, vendi, quod idem dic de mancipijs Eccleſiæ inducta fuit in fauorem eiuſdem Eccleſiæ, ne ipſius bona vtilia cum præiudicio eiuſdem diſtrahantur per ea, quæ colliguntur ex proemialibus eiuſdem legis, non autem in ipſius grauamen, ſed, ſi non poſſet permutare mancipia fugitiua, lex illa cederet in grauamen eiuſdem Eccleſiæ, ergo, ne lex in illius odium retorqueatur contrà omnem iuris ordinem, in cuius fauorem inducta eſt, debemus aſſerere, quod de illis poſſit Eccleſia diſponere. Minor probatur, quià mancipia illa fugitiua potius damnum inferunt, quam vtilitatem, ſiquidem conſtituit Eccleſiam ſemper de illius, ſeu illorum fuga ſollicitam.

Mancipia fugitiua potius damnum inferrunt, quam vtilitatẽ.

Probatur ſecundò, quià res Eccleſiaſticæ, ſi modici valoris, & incõmodi ſint poſſunt per Eccleſiam alienari, permutari *c. terrulas 12. q. 2., Rebuffus in compendio alienationis num. 122., Redoanus q. 9. num. 52., Marcus Antonius Genuenſis in praxi Neapol. c. 60. num. 3., Vgolinus de poteſtate Epiſc. c. 14. §. 7. n. 4. Franciſcus Leo in praxi fori Eccl. cap. 15. num. 6., & 7., Rota deciſ. 401. num. 3. apud Seraphinum*, ergo etiam mancipia fugitiua poterunt alienari. Conſequentia probatur quia ſerui, ſeu mancipia fugitiua in ordine ad vtilitates comparantur rebus inutilibus, modici valoris, incommodi; vndè *in eod. c. terrulas 12. q. 2.* ſic legitur *terrulas, aut vineolas exiguas, & Eccleſiæ minus vtiles, aut longè poſitas paruas Epiſcopus ſine conſilio fratrum diſtrahendi habet poteſtatem, ſeruos quoque fugitiuos, qui reuocati retineri non poſſunt, ſimilitèr Epiſcopis detrahere licet.*

Aduerte hic tamen, quod, quamuis adſit facultas ſeruos fugitiuos diſtrahendi per ea, quæ mox allegauimus, hæc tamen facultas intelligendi ſit de eiſdem diſtrahendis, poſtquam redierint, nam dum ſunt in fuga, nec vendi, nec permutari poſſunt per ea, quæ habet textus *in l. in fuga C. ad leg. falc.*, quod non incongrua ratione inductum exiſtimo, quandoquidem dum ſunt in fuga, computantur, ac ſi non eſſent amplius ſub poteſtate eiuſdem Eccleſiæ, & non niſi ſub ſpe remota. 5

Dum ſũt in fuga computantur, ac ſi non eſſent, ſub poteſtate Eccl.

Aduerte vlterius, quod, in permutatione per Eccleſiam facienda mancipij fugitiui ſit per adminiſtratores eiuſdem Eccleſiæ admonendus emptor de tali vitio in mancipio exiſtente, quod ideò inductum exiſtimo, quia ratione eiuſdem conſtituitur longè deterioris valoris, ac ſi tali vitio non laboraret; tum quia iuxtà dicta *tom. I. ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. Pranot. 7.* ſicuti venditor tenetur propallare defectus occultos rei venalis reddentes eandem minus *vtilem ad* eos vſus, ad quos eſt deſtinata, vel ad quos emitur, ità commutator debet detegere vitia, ſeu defectus latentes rei commutandæ, ſi eandem reddant minus vtilem &c. quandoquidem non minùs requiritur æqualitas rei ad rem in venditione, ac in permutatione, tùm tandem quia, vt poſſit ille, in quem transferuntur mancipia illa fugitiua per permutationem, ſibi præcauere, & conſulere. 6

Per tale vitium mancipium ſit deterioris valoris.

Aduerte tandem pro complemento eorum, quæ hic dicuntur de mancipijs, quod quando per Eccleſiam commutanda ſunt mancipia non fugitiua interuenientibus præſcriptis ſolemnitatibus, & cauſis, duo eiuſdem valoris, & meriti ſint ſubroganda, prout conſideratè aduertit *Silueſter verbo Permutatio II.* iuxtà textum *in cap. Epiſcopus qui mancipium 12. quæſt. 2., & alij cum eodem Silueſtro*. 7

Aſſer-

Digitized by Google

8 Assertio III. Mancipia Eccleſiæ poſſunt permutari cum mancipijs alterius Eccleſiæ ſine requiſitis à iure ſolemnitatibus. Eſt communis.

Probatur primo, quia ideò mancipia Eccleſiæ non poſſunt permutari cum rebus ſæcularibus, quia congruũ non eſt, quod ſemel Deo dicatum eſt, ad humanos vſus transferatur, & vt mancipia, quæ fideles Deo, & Sanctis eius pro animæ ſuo remedio conſecrarunt cuiuſcunque muneris mancipio, vel commertio commutationis iterum in ſeruitutem ſæcularium redigantur per ea, quæ ex allegatis iuribus ſupra tradidimus, ſed ex eo, quod mancipia Eccleſiæ cum alijs Eccleſiaſticis permutentur, illa incommoda, & abſurda non proueniunt, vt per ſe patet, ergo &c.

Ceſsant rationes, quæ militant in permutatione mancipiorum cum rebus ſæcularibus.

Probatur ſecundo, quia res Eccleſiaſticæ temporales poſſunt ſine iuris ſolemnitatibus cum alijs Eccleſiaſticis etiam temporalibus permutari per ea, quæ latè tradidimus ſupra *Prænot*. 8. *aſſert*. 3. *per totum*, ergo etiam mancipia Eccleſiæ ſine eiſdem ſolemnitatibus poterunt permutari cũ alijs mancipijs eiuſdem. Conſequentia probatur, quia eadem ratione, & ex eodem fine, quibus prohibetur alienatio bonorum Eccleſiaſticorum temporalium, etiam prohibetur alienatio mancipiorum, ergo &c.

Assertio IV. Mancipia Eccleſiaſtica permutari non poſſunt cum rebus ſpiritualibus Eccleſiaſticis. Conformis eſt ijs, quæ dicebamus ſupra *Prænot. 8. aſſert. 4. in probatione ad ſecundam partem*.

Probatur, quia quælibet contractatio rei ſpiritualis pro temporali redolet abſolutè ſimoniacam prauitatem, & temporale appoſitum in definitione ſumitur pro quocunque pretio æſtimabili, ſiuè fuerit in vno, ſiuè in altero genere, ſed permutatio rerum ſpiritualium pro mancipijs eſt contractatio rei ſpiritualis pro temporali, ergo abſolutè redolet ſimoniacam prauitatem. Minor probatur, quia mancipia ipſa ſunt in genere bonorum temporalium, nec ex eo, quod tranſierint in dominium Eccleſiæ habere poſſunt proportionem, & æqualitatem ad bona ſpiritualia, ergo, ſi conferantur pro beneficijs, ſeu bonis ſpiritualibus, vtique contractantur &c.

Eſſet cõtractatio rei ſpiritualis pro temporali.

DISQVISITIONES
In vniuerſas de Permutatione Prænotiones.

§. I.

Ad quid teneatur permutans, ſi vitium rei non manifeſtauit.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis in ſuis terminis. 1.
Defectus occulti in multiplici differentia. 2.
Permutans rem vitioſam cum ſcientia defectus pertinentis ad ſubſtantiam obligatur actione redhibitoria, & ad quantum intereſt. 3.
Permutans cum ſcientia defectus pertinentis ad quantitatem non obligatur, niſi actione quanto minoris, dummodò non fuerit læſio vltrà dimidium. 4.
Ignorante vtroque permutante vitium rei, non peccauit ille, qui rem vitioſam tradidit, tenetur tamen vel ad compenſationem, vel ad reſtitutionem ad proportionem vitij. 5.
Non tamen ad reparationem damnorum. Ibid.
Si vitium ſit leue, & pertinens ad qualitatem non tenetur, niſi ad actionem quanto minoris. 6.

Diſquiſitio I. Contraxit Titius permutationem cum Caio, vi cuius eidem tradidit rem quandam vitioſam ad valorem, ac ſi vitijs illis non afficeretur, acceptata alia æqualis valoris à Caio comparatiuè ad rem per ſe traditam, comparatiuè, inquam, ad illam non vt vitioſam, ſed defectibus omnibus carentem. Cognitis per Caium proceſſu temporis vitijs in illa re exiſtentibus actionem aduerſus Titium intentauit. Quæritur modo, quid iuris, & quo genere actionis poſſit aduerſus eundem agere. Pro ſolutione. 1

Recole ea omnia, quæ fusè tradidimus *tom. primo ſub tit. Contractus II. de emptione, & vendit. Prænot. 7. per totum*, nempè defectus occultos in re venali alios eſſe intrinſecos, alios extrinſecos, alios occultos, alios manifeſtos, alios quoad ſubſtantiam, alios quoad quantitatem, alios quoad qualitates, alios reddentes rem notabilitèr minus vtilem ad vſus, ad quos eſt deſtinata, 2

Defectus alij intrinſeci, alij extrinſeci.

alios reddentes minus vtilem, leuitèr tamen, & non notabilitèr, & illa omnia huc transfer ſeruata debita proportione. Quibus ſuppoſitis,

3 Reſpondeo primo, Titius permutans rem vitioſam cum ſcientia defectus rei venalis pertinentis ad ſubſtantiam tenetur verſus Caium actione redhibitoria, & ad omnia damna, quæ ex tali permutatione prouenerunt, vel ad quantũ intereſt eidem Titio, quod res illa non fuiſſet vitioſa. Hanc concluſionem colligo ex ijs, quæ dicta ſunt *eod. tom. primo ſub d. tit. Contractus II. d. Prænot. 7. num. 3.*, ex quibus argumentum ſic effomo ad rem noſtram accommodum, Omnia, quæ intelliguntur de contractu emptionis, & venditionis nõ manifeſtato vitio, etiam intelligenda ſunt de contractibus permutationis iuxtà textum *in l. ſciendum §. penul. ff. de ædilit. edict.*, vbi dicitur vtrumque permutantium locum emptoris, & venditoris habere, ſed venditor ſciens defectus rei venalis pertinentes ad ſubſtantiam, & non manifeſtans ementi tenetur actione redhibitoria, & ad damna, vel ad quantum intereſt per ea, quæ loco citato tradidimus, ergo etiam permutans &c.

4 Rurſus alia ratione ſic procedo. Ad validitatẽ contractus, ſiuè fuerit emptionis, ſiuè permutationis tanquam forma ſubſtantialis requiritur vtriuſque contrahentis liber, & omninò voluntarius conſenſus, ſed ex parte alterius contrahentis talis conſenſus non interuenit, ergo contractus non ſubſiſtit, adeoque poterit deceptus rem ſuam redhibere. Minor probatur, quia, cum ex parte eiuſdem non interueniat cognitio eſſentialitèr requiſita ad rationem voluntarij, non poteſt in eodem eſſe conſenſus liber ad contrahendum, ergo &c. Rurſus, cum decipiens ſupponatur conſcius defectus, ſi non manifeſtet, eſt in dolo, & cauſa iniuſta damnorum inde ſequentium, ergo tenetur ad illa reparanda.

Nõ ſupponitur ex parte decepti interuenire conſenſus.

Tandem habere actionem ad quantum intereſt decepto, quod non fuerit deceptus, ſeu quod defectus non extiterit in re permutata ſic euincitur, quia ex quo decipiens tradidit vitioſam rem quoad ſubſtantiam alter paſſus eſt totum id, quod ad ipſum interrerat, quod non fuiſſet vitioſa, ergo poteſt agere ad totum id, quod ad ipſum intererat, quod res illa non fuiſſet vitioſa. Conſequentia probatur, quia defectus vnius contra conuenta non poteſt alteri obeſſe, qui omninò innocens eſt in tali contractu, ergo &c.

Culpa vnius nõ poteſt alteri innocenti obeſſe.

Reſpondeo ſecundò, ſi Titius permutauit rem vitioſam quoad quantitatem dumtaxat, etiamſi habuerit cognitionem defectus non tenetur de iure ciuili actione redhibitoria verſus deceptũ, ſed dumtaxat actione quanto minoris, niſi res ità fuerit vitioſa, vt deceptus ſit læſus vltra dimidium. Hanc reſponſionem colligo tum ex dictis *d. tom. primo ſub tit. Contractus II. de empt., & venditione Prænot. 7. num. 4.*, tum ex textu *in l. 2. C. de reſcind. vendit.*, ex quo ſic argumentum ad probationem eiuſdem ſic efformo. Læſo in venditionis contractu altero ex cõtrahentibus vltra dimidium conceditur locus reciſſioni ex vi *eiuſdem l. 2. C. de reſcind. vendit.*, vt eſt in confeſſo apud omnes iuris interpretes, ipſoque vltra dimidium non læſo non conceditur talis actio, ſed ſolummodò actio ad adæquationem, ſeu quanto minoris per ea, quæ colliguntur ex contrario ſenſu in præcit. textu, & per ea, quæ nos docuimus *d. tom. primo loc. cit.*, ergo etiam læſo altero ex permutantibus ratione defectus pertinentis ad quantitatem vltra dimidium eidem concedenda eſt talis actio reciſoria, eoque ità non læſo, non niſi actio quanto minoris. Conſequentia probatur, quia ea, quæ quoad hoc dicuntur de contractibus emptionis, & venditionis, locum etiam habent in permutationibus, & in reliquis contractibus bonæ fidei per textum *in l. maioribus C. communia vtriuſque iud. Antonius Gomez ſecundo tom. var. reſol. c. 2. num. 22. Aries Pinellus l. 2. C. de reſcind. vendit. part. prima c. 3. num. 17., Molina tract. 2. diſp. 349. verſ. prædicta locum habent*, qui etiam refert ità eſſe definitum in Regno Caſtellæ *l. 1. tit. 11. lib. 5. nouæ collectionis*, & in Luſitano *tit. 30. §. 2.* Recole ad vberiorem reſponſionis confirmationem ea, quæ dicta ſunt *dict. tom. primo loco cit. num. 4.*

Procedit ſecundũ paritatẽ contractus emptionis, & venditionis.

Reſpondeo tertio; ignorante vtroque permutante vitium exiſtens in re permutata non peccauit ille, qui rem vitioſam tradidit, tenetur tamen, vel ad compenſationem, vel ad reſtitutionem ad proportionem vitij iuxtà modos prædictos, non tamen ad reparationem damnorum. Hanc etiam reſponſionem colligo ex ijs, quæ dicta ſunt *d. tomo primo loc. cit. num. 6.*, & facilè quoad primam partem ſic euincitur, quia peccatum non eſt, vbi non eſt voluntarium, ſed vbi non eſt cognitio, non poteſt eſſe voluntarium, ergo 5

Vitium non eſt morale, vbi non eſt libertas.

ergo

ergo nec peccatum. Quoad ſecundam etiam ſic facilè ſtabilitur, quia ratione talis vitij in re illa exiſtentis alter contrahens læditur in ęqualitate ad iuſtitiā requiſita, ergo, ſi erit defectus minuens valorē rei, vltra dimidiū, dabitur actio ad reciſſionē iuxtà text. *in d. l. 2. C. de reſcind. vend.*, ſi verò non diminuat vltrà dimidiū non erit actio, niſi ad adęquationē, ſeu quanto minoris. Conſequentia probatur, quia ex læſione æqualitatis ad iuſtitiam requiſitæ oritur onus reſtitutionis ad diſpoſitionem iurium, ergo, ſi erit læſio vltrà dimidium iuxtà diſpoſitionem *d. l. 2. C. de reſcind. vendit.*, erit actio ad reciſcionem, ſin minus, actio quanto minoris. Quod autem non teneatur ad reparationem damnorum, facilè ex eo euincitur, quia voluntariè ad talia damna non concurrit, adeoque nec cauſa eſt iniuſta eorundem, ergo &c.

Per illud vitium læditur æqualitas ad iuſtitiam requiſita.

6 Reſpondeo quartò, ſi vitium ſit leue, & pertinens ad qualitatem, nec reddat rem notabilitèr minus vtilem ad vſus, ad quos permutatur, non tenetur Titius ad aliquam compenſationem, ſi res, quam ipſe recipit, fuerit æqualis valoris cum ſua detracto illo vitio, ſi vero res, quam recepit non fuerit ęqualis valoris, tenetur ad ſummum ad adæquationem. Ratio eſt, quia in primo caſu ſaluatur æqualitas ſine alio, in ſecundo verò conſtituitur æqualitas per talem compenſationem, & cum fuerit conſenſus quoad ſubſtantiam, non eſt, cur contractus ipſe debeat reſcindi.

Reliqua, quæ pertinere poſſunt ad præſens inſtitutum, recole ex ijs, quæ dicta ſunt *eod. tom. primo ſub tit. Contractus II. de emptione, & vendit. Prænot. 7. per totum*, & hic applica; non enim vacat dicta repetere.

---

§. II.

An contractus, quo aliquid do, vt facias, vel facio, vt des, ſit permutatio.

SVMMARIVM.

Explicatur difficultas in ſuis terminis. 1.
Proponuntur rationes dubitandi. 2.
Poteſt dici contractus permutationis licet minus propriè. 3.
Soluuntur rationes dubitandi ſupra propoſita. 4.
Cur in contractu facio, vt des, non oritur actio, niſi ex dolo, non autem præſcriptis verbis, vt in alijs innominatis. 5.

Diſquiſitio II. Contraxi tecum hoc pacto. Do tibi hanc gemmam, vt pingas mihi Iconem Deiparę Virginis talis qualitatis, & formæ, vel facio tibi talē Iconem, vt mihi des tuum equum. Oritur hic difficultas, an talis contractus habeat conditiones verę permutationis. 1

Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod in contractu permutationis requiritur translatio dominij ex vtraque parte, cum non niſi re, hoc eſt, traditione hic contractus perficiatur per ea, quæ communitèr tradunt Doctores, in contractu autem, quo facio, vt des, non videtur hęc dominij translatio interuenire. Item, quia ex dictis ſupra in contractu permutationis oritur actio præſcriptis verbis, in illo autem contractu *facio, vt des*, præfata actio non conſurgit per iura, quæ latè allegat *Ognate d. tract. 25. de permutatione diſp. 90. ſect. 2. num. 19.* Tandem, quia permutatio verſatur inter rem, & rem, non inter actionem, & rem, ergo &c. Nihilominus. 2

Rationes dubitandi propo. nuntur.

Reſpondeo huiuſmodi contractus poſſe dici contractus permutationis, licet non rigoroſè, & ſtrictè *Ognate d. tract. 25. de permutat. diſp. 90. ſect. 1. num. 21., & 22., Vuiſemb. tit. de rerum permut. num. 8., & 9.* Probatur, quia actiones etiam poſſunt eſſe pretio æſtimabiles, & lato modo computantur etiam inter res, ergo in commutatione earundem pro rebus poſt dici, quod interueniat permutatio, quæ eſt rei ad rem. 3

Dixi *non tamen rigoroſè, & ſtrictè*, tum quia propriè ly *facio* non eſt res, tum quia ad rigoroſam permutationē requiritur translatio dominij quoad vnam ſpeciem, & acquiſitio eiuſdem quoad alteram *l. 1. ff. de rer. permut. l. emptionem C. eod. tit. Bartolus, Baldus, Gloſa, Hoſtienſis, Iaſon l. 1. ff. hoc tit. nu. 10. ad fin., Azot. in ſumma in princip. per l. 4. C. hoc tit.*, tum quia hac ratione omnis contractus innominatus eſſet propriè, & rigoroſè permutatio, & ſic non eſſet vna determinata ſpecies permutationis contra ſuperius dicta, quæ omnia, vel non ſunt dicenda, vel non interueniunt in contractu, quo dicitur *facio, vt des, vel do, vt facias*.

Ad rigoroſam permutationem requiritur translatio dominij.

Ex his collige quid dicendum ſit ad rationes dubitandi in principio propoſitas, dic etenim propter primam rationem ibi adductam dictum fuiſſe 4

Digitized by Google

non eſſe propriè, & rigoroſè permutationem, pro vt eſt ſpecies diſtincta ab alijs contractibus innominatis, & hoc magis firmatur reſponſio.

Ad ſecundum, quamuis aliqui con-
5 tendant in contractu, quo dicitur *facio, vt des* non oriri actionem, niſi ex dolo, non autem præſcriptis verbis, non tamen aſsignant rationem, propter quam eadem actio præſcriptis verbis concedatur illis alijs contractibus *Do, vt Des, Do, vt facias, facio, vt facias*, non verò iſti *facio, vt des*, Gloſa

Aperitur ſenſus Gloſæ, & reijcitur.

dicit non concedi actionem præſcriptis verbis in illo contractu *facio, vt des*, ſed tantum ex dolo, quia cum facio, vt des, nihil mihi obeſt, nec ego reddor pauperior. Sed meritò huic interpretationi non aſſentiuntur *Azon, & Bartolus loc. cit.*, nam, vt notat *Ognate loc. cit.* in contractu locationis non eſſet danda actio, quia nihil obeſt ei, qui facit, vt des, nec fit pauperior. Aliam

Alia Gloſæ explicatio, & reiectio,

rationem adducit eadem *Gloſa in d. l. naturalis §. quod ſi faciam, vt des ff. de præſcriptis verbis* ex aliorum placito dicens, non concedi actionem præſcriptis verbis, quia *inueniretur inæqualitas nam ille, qui dat, poteſt repetere quod dedit, & etiam agere præſcriptis verbis ad intereſſe, at ille, qui facit, quod factum eſt, nequit repetere, ne igitur inæqualitèr conſtituatur actio, recurritur ad actionem de dolo*. Hæc fermè ad verbum colligo ex dictis in ead. Gloſa. Sed etiam ex eadem colligo ad verbum inefficaciam rationis, quia *idem inueniretur in do, vt facias, nam ibi eſt inæqualitas prædicta*, vt conſideranti ſit manifeſtum. Quod ſi dicas, quod in contractu *do, vt facias* concedatur actio præſcriptis verbis, non ſic in contractu *facio, vt des*, quia in illo regularitèr non prius facis, quam tibi detur, in iſto autem regularitèr prius eſt factum, quam datum, ſtatim impugnaberis, quia, ſi in contractu, quo dicitur facio, vt des, contractum veſtiui per factum, quod promiſi, iam conceditur actio ad complementũ ex altera parte ponendum, quia iuxtà dicta *tom. primo ſub tit. Contractus 1. de contractibus, vt ſic Prænot. 4.*, quando pacta nuda, ſeu contractus innominati ſunt ex altera parte per cõplementum veſtita, tunc ille, qui adimpleuit, habet actionem aduerſus alterum ad complementum, adeoque præſcriptis verbis. Quamobrem dico,

Exponitur noſtra mens, & interpretatio.

quod in prædicto textu *in l. naturalis §. quo ſi faciam vt des ff. de præſcriptis verbis*, tunc ſolum detur actio ex dolo, non præſcriptis verbis, quando ex mea actione nihil ſibi remanet, ſecus autem quando aliquid remanet *Alciatus in l. labeo §. contrarium ff. de verborum ſignif.*, quod pro nunc ſufficit. His ergo ſuppoſitis difficilior remanet ſolutio ad rationem dubitandi, quæ facilè ſolueretur, ſi cum *Ognate loco citato* diceretur etiam in contractu *facio vt des*, dari actionem præſcriptis verbis, ſicuti datur in alijs contractibus innominatis *do, vt des, do, vt facias, facio, vt facias*. Nihilominus dico ex diuerſitate actionis, quæ ex diuerſitate circumſtantiarum quandoque prouenit, non diuerſificari contractus, maximè ſi contractus aſſeratur non rigoroſè talis, vt in caſu noſtro, vt videre etiam in contractu *facio, vt facias*, quando agitur de manummiſſione, pro vt cautum eſt *in ead. Gloſa in l. naturalis &c.*

Ad tertiam patet etiam, quid dicendum, nam ſolummodò permutatio rigoroſa verſatur inter rem, & rem, quando autem ſumitur minus rigoroſa verſari etiam poteſt inter rem, & actionem, qui tamen contractus in rigore potius eſt locationis, quam permutationis.

§. III.

An poſſit eſſe permutatio rei præſentis ad futuram, & duarum futurarum ad inuicem.

SVMMARIVM.

Status quæſtionis, & rationes dubitandi. 1.
Sententiæ inter ſe oppoſitæ. 2.
Permutatio tribus modis fit pacto, ſtipulatione, & traditione. 3.
Si res futura, quæ commutatur pro præſenti, ſit tantum futura ſub ſpe remota, non poteſt eſſe obiectum rigoroſè permutationis. 4.
Si res eſt futura ſub ſpe proxima poteſt eſſe obiectum permutationis, ipſam tamen non perficit, donec reducta ad exiſtentiam tradatur. 5.
Soluitur ratio dubitandi in principio propoſita. 6.
Si neutra res ſit exiſtens, ſed vtraque veriſimilitèr futura non poteſt propriè conſtituere permutationem, ſed tantum pacta nuda. 7.

Diſquiſitio III. Conuenit Titius 1
cum Caio in hanc formam, vt Titius hic, & nunc eroget eidem Caio decem modios tritici nunc exiſtentes,

&

& Caius retribuat totidem eidem Titio futuros in meſſe adhuc exiſtentes; Item alio contractu vterque conuenit de permutatione rerum non exiſtentium, ſed vtraque ex parte futurarū. Quæritur iam, an vterque hic contractus ſubſiſtat in genere permutationis.

Rationes dubitandi pro vtraque parte.

Ratio dubitandi videtur ex eo oriri, quod ad contractum permutationis, cum non niſi re perficiatur, videatur requiri traditio ex vtraque parte, quæ, cum non poſſit eſſe ex parte alterius, cuius res nondum eſt exiſtens, non videtur in præſenti hypotheſi fundare poſſe veram, & realem permutationem. Ex alia parte, cum res futura poſſit emi, & vendi præſenti pecunia, cur non poterit permutari cum alia re præſenti, & exiſtenti? præcipuè, cum contractus permutationis potiſſimum aſſimiletur contractibus emptionis, & venditionis, vt latè habetur *in l. 1., & 2. ff. de rer. permutatione*.

2 Nauarrus *cap. 17. num. 287., & cum eo Leſſius lib. 2. cap. 23. de Cambijs dub. 1. num. 3.*, ſuſtinent abſolutè poſſe eſſe permutationem rei exiſtentis ad futuram ea ratione, quæ afferebatur in ratione dubitandi pro ſecunda parte, quamuis videantur hoc negare, quando neutra res eſt exiſtens, ſed vtraque futura. Sotus verò *lib. 6. de iuſtitia quæſt. 12. art. 2.*, abſolutè negat poſſe eſſe permutationem, ſiuè quando vna res nondum eſt exiſtens altera exiſtente, ſiuè quando neutra exiſtit, ea potiſſimum ratione, quia exiſtimat ad rationē permutationis requiri vtriuſq; rei exiſtentiam, & traditionem, quod videtur ex duplici capite requiri; primo, vt contradiſtinguatur à mutuo, ad quod requiritur interuallum temporis inter dationem, & reſtitutionem. Secundò ex eo, quod vt notat *Bartolus in l. iuris gentium 7. num. 2. ff. de pactis* ipſum nomen permutationis, non niſi re hunc contractum perfici ſignificat, cum ex vi eiuſdem nominis executionem importet in nomine, non niſi re ipſa perficiatur *Baldus, Salicetus, & Gloſa in l. 2. C. de rer. permutat.* Pro ſolutione

3 Aduerte contractum permutationis tribus modis potiſſimum poſſe conſtitui, primo pacto nudo. Secundo ſtipulatione. Tertio traditione. Primo modo conſtituitur, quando inter duos fit conuentio, vt vnus rem vnam tradat, alter alteram retribuat, neuter tamen tradit, nec ſtipulatione pactum firmat, ſeu veſtit. Conuentio hoc modo inita non eſt propriè permutatio, quæ ex vi ipſa nominis importat executionem, ſed dumtaxat quædam promiſſio permutationis, nec vltra obligationem parit, nec actionem, ſed ad ſummum exceptionem *l. iuris gentium 7. ff. de pactis l. 1. ff. de rer. permut.*

Triplex modus conſtituendi permutationem explicatur.

Secundo modo conſtituitur, quando facta conuentione iuxtà primum præuia poſtea accedente interrogatione, & idonea reſponſione ſecuta pactum ipſum firmatur, & veſtitur, ex qua ſtipulatione oritur poſtea obligatio ciuilis, & conſequens actio ex ſtipulatu adijcitur, ſed nec hoc modo propriè perficitur permutatio, donec res ipſa tradatur. Tertio modo conſtituitur, quando conſtituta inter contrahentes pactione res conuentæ per actualem traditionem adinuicem conferuntur, per quam traditionem propriè conſumatur ipſa permutatio. Oritur tamen hic difficultas, an ſi res tradita ſit ex vna parte, & non compleatur contractus per traditionem ex altera, intelligatur adhuc contractus permutationis completus, & conſummatus. Sub hoc *eod. tit. Contractus VI. de permutatione Prænot. 2. verſ. ad ſecundam* dixi in hac ſuppoſitione concedi actionem ciuilem ei, qui contractum adimpleuit per traditionem ex ſui parte factam, non alteri qui non adimpleuit; nunc verò ad difficultatem propoſitam dico, nō poſſe dici contractum abſolutè perfectum, & conſummatum, quia permutatio, cum ſit contractus mutuus debet ex vtraque parte compleri.

Completa permutatione ex vna parte cōceditur actio ciuilis.

Aduerte ſecundo in ordine ad rem futuram, de qua facta eſt conuentio, vt poſtea tradatur in compenſationem rei præſentis, quæ de facto confertur, vel ipſam eſſe futuram ſub ſpe proxima, & rationabili fundamento reducibili ad actum exiſtentiæ, vel ſolummodò futuram ſub ſpe remota, & ſine probabili ratione, quod reduci poſſit ad actum exiſtentiæ, ea proportionali ratione, qua dicebamus *tom. primo ſub tit. Contractus II. de emptione, & vendit. Diſquiſ. I. §. 1.* His pro notitia ſic expoſitis.

Res futura duplicitèr.

Reſpondeo primo, ſi res futura, quę commutatur pro præſenti ſit tantum talis ſub ſpe remota, & ſine probabili fundamento futuræ exiſtentiæ, non poteſt eſſe obiectum veræ permutationis. Colligitur ex ijs, quæ dicta ſunt *d. tom. primo loc. mox cit.*, ſi enim non poteſt in tali re ſubſiſtere contractus emptionis, & venditionis per ea, quæ 4

ibi

ibi dicta ſunt, cum tamen tales contra- ctus ſolo conſenſu perficiantur, à fortiori non videtur in ea poſſe fundari contractus permutationis, qui non ſolo conſenſu, ſed re ipſa, ſeu traditione perficitur; nec incongrua ſanè ratione, quandoquidem ſpes ſine fundamento perindè eſt, ac ſi non eſſet, & ſi eſſet omninò inanis.

Nec contractus emptionis poteſt in illa ſpe cōſiſtere.

5 Reſpondeo ſecundo, ſi res futura erat talis ſub ſpe proxima, ſeu certò moralitèr reducibilis ad actum exiſtētiæ eſſet quidem obiectum ſufficiens ad permutationem, ipſam tamen non perficeret, donec reducta ad exiſtentiam alteri permutanti traderetur. Sic conciliare exiſtimo ſententias Nauarri, & Soti ſupra propoſitas, quæ videbantur extremè oppoſitæ. Probatur iam prima pars, quia res futura ſub tali cōſideratione poteſt eſſe obiectum emptionis, & venditionis per ea, quæ latè tradidi *d. tom. primo loc. mox citato*, ergo etiam poterit eſſe obiectum permutationis, nō quidem rigoroſè ſumptæ, pro vt eſt completa ex vtraque parte, ſed pro vt eſt permutatio pariens actionem ex permutato. Probatur item ſecunda pars, quia permutatio eſt contractus mutuus ex vi ipſa nominis importans executionem, ſed facta conuentione de re futura tradēda, quamuis ſit firmata per traditionem rei exiſtentis ex altera parte factam, non eſt executio ex vtraque parte, cum res futura adhuc non ſit tradita, ergo non eſt contractus permutationis ex vtraque parte completus. Confirmatur, quia, ſi res ex neutra parte ſit tradita, non eſt contractus permutationis, ſed ſolummodò promiſſio permutationis, ſeu ſolum pactum nudum, ergo ſi res ſit tradita ex vna dumtaxat parte, non erit etiam contractus completus ex vtraque parte.

Permutatio eſt cōtractus ex vi ipſa nominis importās executionem.

Dices, poteſt actualitèr pro re exiſtente, quæ actu traditur ex vna parte, conferri illud ius fundatum in illa ſpe proxima futuræ exiſtentiæ rei promiſſæ, adeo vt illud ius transferatur de facto per eum, qui habet talem rem in ſpe in eum, qui tradidit rem exiſtentem, vi cuius translationis ipſe poſſit in caſu exiſtentiæ illam accipere tamquam ſuam, & ſic compenſari illa res exiſtens, quæ traditur cum illo iure, quod acquirit de facto; ſed in hac hypotheſi contractus eſt completus ex vtraque parte per traditionem ſcilicet rei ex vna, & per translationem illius iuris, quod eſt ſecundum ſe pretio æſtimabile ex altera parte, ergo &c. Res eo modo ſe habet, quo quis pecunia numerata emit aliquod ius de facto, quamuis illud ius non ſit, niſi de re futura, ſeu in futurum transferibili. Sed contra, quia illud ius, quod dicitur actualitèr transferri, vel eſt de re, ſiuè euenerit, ſiuè non euenerit, quod ius attenta ratione veriſimilitudinis, quod res debeat euenire cum aliquo exceſſu ratione dubij, quod non poſſit euenire adęquet valorem rei exiſtentis, & tunc certè contractus videtur completus, vel eſt de re, vt futura, adeo vt ſi non euenerit, ſit diſſoluendus contractus, vel aliud ſimile erogandum. Iuxtà primum ſenſum non procedit noſtra reſponſio, quæ reſpicit dumtaxat rem in futurū determinatè conferendam, non ius aliquod, quod de facto conferatur loco rei exiſtentis. Deindè non eſt propriè permutatio, cum hæc in rigore ſit ſpeciei ad ſpeciem, non ad ius quamuis actualitèr collatum non reducibile tamen ad actum ſecundum, niſi de futuro. Iuxta ſecundum ſenſum militant rationes ſuperius allatæ, quod contractus non ſit completus, niſi per executionem ex vtraque parte.

Proponitur inſtantia, & ſimul diſſoluitur.

Nunc ad rationem dubitandi pro aduerſa parte reſpondendum eſt, & quidem ad primum dicendum eſt, maximum intercedere diſcrimen inter cōtractum emptionis, & venditionis, & contractum permutationis; nam ille ſolo conſenſu perficitur, hic autem non niſi re, vt ſupra dicebamus, & ſic poteſt conſummari emptio quoad rem futuram, non ſic permutatio. 6

Reſpondeo tertio, ſi neutra res ſit exiſtens, ſed vtraque *veriſimilitèr*, quinimmò certo moralitèr ſit futura, non poteſt propriè conſtituere permutationem, ſed ad ſummum quoad primum modum, nempè pacto nudo. Prima pars facilè innoteſcit, quia ipſa permutatio ſecundum ſe propriè, & ex vi nominis importat executionem, ſed quando neutra res eſt exiſtens ex neutra parte poteſt eſſe executio, ergo nec propriè, nec rigoroſè permutatio. Ratio ſecundæ partis eſt, quia permutatio impropriè, ſeu quod idem eſt promiſſio permutationis poteſt ex prænotatis conſtitui pacto nudo antè quamcunque traditionem, ergo etiam tali pacto poterit conſtitui, quantumuis neutra res ſit exiſtens, ſed dumtaxat certo moralitèr futura. Conſequentia probatur, quia ex vno capite, cum ad permutationem pacto nudo nō requiratur actualis traditio parum referre videtur, quod res ſit exiſtens, dummodò 7

Ad permutationem pacto nudo non requiritur actualis traditio.

dò

dò certò ſit futura; ex alio capite res certò, ſeu ſub ſpe proxima futura poteſt eſſe obiectum emptionis, & venditionis per ea, quæ latè probauimus *d. tom. primo ſub tit. Contractus II. de emptione, & vendit. Diſquiſ. §. 1.*, ergo etiam permutationis pacto nudo conſtitutę. Conſequentia probatur, quia in tantum iuxtà ſuperiùs dicta res futura nō poteſt eſſe obiectū permutationis propriè ſumptæ, quamuis poſſit eſſe obiectum venditionis, quia permutatio propriè non perficitur, niſi re, ſeu traditione, emptio autem, & venditio ſolo conſenſu, ſed permutatio inchoata, ſeu conſtituta ſolum nudo pacto etiam ſolo conſenſu conſtituitur, ergo poteſt conſtitui in ordine ad res ſolummodò futuras, ſicuti emptio, & venditio.

§. IV.

An permutatio facta etiam ex vtraque parte traditione poſſit quandoque reſcindi.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus quæſtionis. 1.

Si expreſsè actum fuerit de ſcriptura, tanquam de complemento contractus adhuc integrum eſt poſita traditione ex vtraque parte vtrique pænitere, & recedere. 2.

Si actum fuerit de ſcriptura conficienda, non tamen expreſſum, an ſit appoſita tanquam complementum, vel tanquam probatio facta ex vtraque parte traditione antè confectionem eiuſdem præſumendum eſt, quod fuerit tantum appoſita ad probationem, niſi iura municipalia, vel conſuetudo aliud ſtatuant. 3.

Si traditio facta fuerit ex vna tantum parte, tunc eſt vehemens præſumptio, quod fuerit ad probationem. 4.

1 Diſquiſitio IV. Inierant inter ſe contractum permutationis Sempronius, & Theodoricus, vi cuius vnus equum conferret, alter bouem loco eiuſdem equi traderet hac adiecta cōditione, vt contractus ipſe ſcriptura perficeretur. Scriptura adhuc nō confecta iuxtà cōuentionem vterque contractum compleuit per traditionem rei conuentæ. Quo poſito alter ipſorum contendit à contractu recedere. Quæritur iam, an eidem, vel vtrique integrum ſit pænitere ante ſcripturam confectam.

Plura circà hoc quæſitum alibi attigimus, ſed quia ex diuerſa forma, qua poteſt contractus concipi, & ex diuerſis coniecturis, & præſumptionibus poteſt diuerſum ius oriri, ideo ſecundum diuerſas acceptiones, quas habere poteſt quæſitum, placet ipſum examinare ex profeſſo. Inſpiciendum igitur eſt primo, an facta fuerit expreſſa conuentio, vt contractus intelligatur abſolutè ſuſpenſus, vſque ad confectionem ſcripturæ, adeo vt ipſa ſcriptura debeat eſſe ex partium conuentionibus ipſum complementum contractus. Secundo, an ſolummodo facta fuerit mentio de ſcriptura ſine expreſſione, quod ipſa requiratur ad complementum, ſed in dubio, an fuerit ſolummodo appoſita ad probationem, non ad ſubſtantiam contractus. Tertio, an traditio facta fuerit ex altera tantum parte, an ex vtraque. Quibus inſpectis conſiderandum eſt potiſſimum, quando ex verbis contrahentium, ſeu ex forma, qua initus fuit contractus non conſtat expreſsè de eorum voluntate, an appoſuerint ſcripturæ confectionem ad complementum, vel probationem, quomodo talis voluntas ſit coniectanda, & quid præſumendum de tali ſcriptura, an ſufficiat præcedens traditio ad prudentèr credendum, quod fuerit dumtaxat appoſita ad probationem, an quid aliud requiratur, & quid. Quibus conſideratis.

Diuerſæ acceptiones, ſecundum quas poteſt concipi contractus.

Quomodo coniectari poſſit voluntas contrahentium.

Reſpondeo primo, ſi expreſsè actum fuerit de ſcriptura conficienda tanquā de complemento contractus, & non aliter, & non alio modo, integrum adhuc eſt poſita traditione ex vtraque parte vtrique pænitere, & recedere à contractu *Laſarte de decim. vendit. cap. 17. à nu. 47., Molina tract. 2. diſp. 398. verſ. ſicut quando partes*, & expreſsè colligitur *ex l. contractus C. de fide inſtrum.* Ratio autem eſſe poteſt, quia contractus vim recipiunt à pactis, & conuentionibus, quæ, ſeu quas ſibi inuicem conſtituunt contrahentes, ſed in data hypotheſi contrahentes ſibi conſtituerunt, quod contractus non ſit perfectus, niſi interueniente ſcriptura, & contractu non completo integrum eſt vnicuique contrahenti recedere, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod ratione conuentionis factæ, & traditionis poſitę vnuſquiſque ex contrahentibus poſſit agere ad complemētum, adeoque, quod non detur locus penitentiæ altero reluctante, non, inquam, 2

Contrahentes ſe obligarunt ſolū conditionatè, ſi ſcilicet fiat ſcriptura.

quam, obeſſe poteſt, quia, ex quo contrahentes ſtatuerunt ſcripturam, vt complementum contractus, voluerunt eſſe liberi, vſque ad confectionem eiuſdem, vndè non ſe obligarunt, niſi conditionatè, ſi ſcilicet conficeretur ſcriptura, adeoque conditione non purificata ſuſpenditur ille contractus vſque ad poſitionem illius.

3 Reſpondeo ſecundo, ſi actum fuerit de ſcriptura conficienda, non tamen expreſſum, an illa ſit, vel tanquam complementum, vel tantum tanquam probatio celebrati contractus, & interim ex vtraque parte fuerit deuentum ad traditionem antè confectionem eiuſdem, vbi ex iuribus municipalibus, vel conſuetudine aliud non ſtatuitur, præſumendum eſt, quod fuerit tantum appoſita ad probationem, adeoque neutri integrum eſt à contractu recedere. Dixi, *vbi ex iuribus municipalibus, vel conſuetudine aliud non ſtatuitur*, nam aliquibus in locis ſtatutum eſt, vt, vbi ſit mentio, vel antè, vel in celebratione contractus de ſcriptura, cenſeatur contractus ſuſpenſus vſque ad confectionem eiuſdem ſcripturæ per ea, quæ notant ſtatuta in Regno Caſtellæ *Molina tract. 2. diſput. 397. verſ. citato*.

Regulariter prius ponũtur rationes obligantes, quam adimpleatur obligatio

Probatur reſponſio, quia non eſt rationabilis præſumptio, quod contrahentes voluerint per traditionem conuenti ex vtraque parte antè confectionem ſcripturæ adimplere conuentionem, ſi eiſdem in votis fuerit non obligari, niſi poſt illam confectam, ſiquidem regularitèr prius ponuntur rationes obligantes, antequam adimpleatur eadem obligatio, ergo, ſi adimpleuerint antè confectionem ſcripturæ, ſignum eſt, quod non voluerint eandem ſcripturam, tanquam complementum, ratione cuius obligentur; ſed ſolummodò per modum probationis.

Argumẽtum ad hominẽ contra Laſſarte.

Probatur ſecundo, quia, ſi mentio facta fuerit ſcripturæ in celebratione contractus emptionis, & venditionis, & ex vtraque parte antè illam deuentum fuerit ad traditionem pretij, & mercis, præſumitur, quod ſcriptura non fuerit appoſita ad ſuſpenſionem contractus, vſquequo perficiatur, ſed ſolummodo ad probationem eiuſdem per ea, quę concedit *Laſſarte* oppugnator huius noſtræ reſponſionis, ergo etiam, ſi mentio facta fuerit ſcripturæ in contractu permutationis, & ex vtraque parte antè illam ad traditionem fuerit deuentum, præſumendum erit, quod ſcriptura non fuerit appoſita ad ſuſpenſionem contractus, ſed dumtaxat ad probationem.

Reſponſio Laſſarte, eiuſque impugnatio.

Reſpondet *Laſſarte de decim. vend. cap. 17. à num. 47.*, diſparem eſſe rationem de contractu emptionis, & venditionis, & de contractu permutationis, adeoque diuerſimodè præſumendum eſſe, nam emptio, & venditio ſolo conſenſu perficitur, permutatio autem nonniſi traditione, & ſic magis firmatur emptio, & venditio per traditionem ex vtraque parte, quæ eſt quid vltra requiſita ad eius ſubſtantiam, adeoque inducit firmiorem præſumptionem, non autem magis firmatur permutatio per eandem traditionem, quandoquidẽ hæc requiritur ad eius conſtitutionem, adeoque non facit firmius præſumere. Sed contra; hęc diſparitas modicum roboris habet ad firmandum intentum Laſſarte, quandoquidem, ſi traditio in contractu venditionis firmat vehementiorem præſumptionem, quod voluerint ſcripturam non ad ſuſpenſionem, ſed ad ſimplicem probationem, cur etiam eadem traditio non ſufficiet ad firmandam eandem pręſumptionem, cum, ſi ſcriptura requireretur ad complementum contractus, contrahentes antè ipſam confectam non tenerentur talem traditionem ponere? Certè poterat eſſe contractus permutationis per ſolam ſtipulationem licet nõ perfectus vſquequaque, ergo, ſi vltra illam ponitur traditio, præſumendum eſt, quod ponatur ad complementum contractus, & ſic quod ſcriptura ſit ſolum ad probationem.

Reſpondeo tertio, ſi facta mentione ſcripturæ, & non expreſſo, an hæc ponatur ad ſuſpenſionem, an verò ſolum ad probationem, fuerit deuentum ex vna parte tantum ad traditionem, 4
& non ex altera, nõ eſt adeo vehemens præſumptio, quod ſcriptura fuerit appoſita ſolum ad probationem, vndè ex alijs circumſtantijs res definienda eſt. Ratio primæ partis eſt, quia poſita illa traditione ex vna tantum parte contractus non eſt completus, & poteſt eſſe præſumptio, quod ex altera parte non compleatur, quia expectetur executio conditionis appoſitæ per complementum ſcripturæ, ergo ex illa traditione per vnam tantum partem appoſita non concludenter euincitur, quod ſcriptura requiratur tantum ad probationem, non ad ſuſpenſionem contractus. Conſequentia probatur, quia appoſita aliqua qualitate ex conuen-

In dubio melior eſt conditio poſſidẽtis ſuã libertatem.

uentione partium indiferenti ſecundum ſe, vel ad vnam rationem, vel ad alteram, ſcilicet, vel ad probationem, vel ad ſuſpenſionem, vno non volente tali qualitati acquieſcere, vt requiſitæ ad probationem, ſed vt ſuſpenſiuæ, potius ipſi fauendum eſt, quam alteri, quià in dubio melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem, nec, ex eo, quod alter tradiderit, præſumendum eſt aduerſus non tradentem, ſiquidem implementum ex ſuo arbitrio, & libertate non poteſt alteri nocere, ergo &c. Verum tamen eſt, quod mentio de ſcriptura regularitèr haberi debet pro probatione, non pro complemento, quià ex natura ſua ſcriptura nō eſt de ſubſtantia, nec de neceſſitate contractus, & quamuis contractus celebretur interueniente ſcriptura, hæc eſt solummodò ad probationem, non ad ſubſtātiam, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergò, quandò in contractu fit ſimplicitèr mentio de ſcriptura ſine expreſſione, quod hæc requiratur ad contractum, præſumendum eſt, quod ſit appoſita ſimplicitèr ad probationem, non ad ſuſpenſionem, niſi aliæ inductæ fuerint circunſtantiæ, ratione quarum congruentèr poſſit inferri voluntas contrahentium ad ſuſpendendum.

Regularitèr ſcriptura præſumitur appoſita tantum ad probationem.

§. V.

An in permutatione ſolùm debeatur Gabella, quandò ex vtraque parte facta fuit traditio.

SVMMARIVM.

Proponitur difficultatis in ſuis terminis. 1.
Non priùs debetur Gabella, ac ex vtraque parte contractus fuerit conſummatus. 2.
Oppoſitio ad reſponſionem, eiuſque ſolutio. 3.
Procedunt, quæ dicta ſunt, tantùm de iure communi. 4.

1 Diſquiſitio V. Supponitur in primis, quod aliquibus in locis ex diſpoſitione iurium municipalium appoſitum fuerit, vel directè contractibus permutationis onus gabellæ, vel indirectè, quatenùs tale onus inductū fuerit pro contractibus emptionis, & venditionis, & in illis locis, in quibus tale onus impoſitum eſt ex conſuetudine nomine emptionis, & venditionis veniat etiam permutatio, quantum ad effectum perſoluendi oneris gabellarū. Hoc ſuppoſito. Contraxerat Phylippus cum Aurelio permutationem, vi cuius ille ſe obligauit ad tradendum iſti ſuum equum, quem de facto tradidit, iſte verò ſe obligauit ad tradendum illi bouem, vel quid ſimile, quod tamen adhuc non tradidit. Quæritur iam hic, an onus ſoluendæ Gabellæ vrgeat immediatè poſt traditionem per Phylippum factam, an ſolummodò poſt complementum contractus per traditionem etiam factam ex altera parte, ſcilicet per Aurelium.

Non diutiùs hac in re immorādum, quandoquidem de ipſa latè actum eſt ſuprà *ſub tit. Contractus 5. de Cambÿs II. in Diſq. IV.* quæ pro ſolutione hic ſunt recolenda.

Reſpondeo iuxtà ibi dicta non prius deberi gabellam, ac ex vtraque parte 2
contractus fuerit conſummatus per actualem traditionem *Laſarte cap. 17. cit. nu. 25., Bertachinus Firmius de Gabellis part. 3. partis 8. num. 48., Manchaca lib. primo controuerſ. cap. 11. num. 21., Molina tract. 2. diſp. 397. verſ. ſtando in iur. communi.* Ratio eſſe poteſt, quia onus Gabellæ eſt maxime odioſum, quod propterea extendi non debet, niſi ad actum perfectè conſummatum, & perfectum iuxta generalem regulam, *Odia ſunt reſtringenda*, ſed permutatio non eſt vſquequaque completa, niſi poſt traditionem ex vtraque parte, cum contractus permutationis ſit contractus mutuus, & ex ipſa vi nominis importet executionem, ergo &c.

Onus Gabellæ, vtpotè odioſum reſtringendum.

Neque obeſſe poteſt dictis, ſi aſſeratur facta permutatione, vel nudo pacto, vel etiam per ſtipulationem, & completa ex altera dumtaxat parte, & non ex vtraque, concedi actionem in fauorem illius, qui compleuit aduerſus alterum, qui non adimpleuit, vel ex ſtipulatu permutationis, vel ex permutato ratione implementi, ergo ſi ex illa oriuntur actiones, & illi onera ineſſe dicendum eſt, adeoque etiam illud Gabellæ. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia Gabella non debetur ex pacto permutationis, neque ex permutatione incompleta, etiam ſi ex illo, ſeu illa ciuilis actio concedatur, ſeu oriatur obligatio ad conſummandam permutationem, ſed ex ipſa permutatione vſquequaque conſummata, quia, vt aſſerebam, permutatio, vt permutatio importat executionem, ſine qua non eſt perfecta, ſed ad ſummum inchoata, cui propterea non eſt affixum 3

Gabella nō debetur ex pacto permutationis, ſed ex formali permutatione, & completa.

 onus

Digitized by Google

onus gabellæ, niſi in impoſitione eiuſdem aliud expreſsè fuerit ſtatutum. Ratio autem, cur quamuis ex illa permutatione incompleta oriatur actio, & obligatio ciuilis, non tamen intelligatur onus impoſitum Gabellæ, ea eſt, quia maximè iuribus, & rationi conſonum eſt, vt pacta, maximè ſi fuerint veſtita traditione ex vna parte, vel cohærentia alterius contractus, deducantur ad ſuum complementum, propter quod conceditur illa actio, cum autem per illam actionem præcisè non intelligatur adhuc completus contractus, niſi ad illius executionem fuerit deuentum, non congruentèr ſubijcitur oneribus, quibus ſubiacet ipſe contractus propter defectum complementi.

4 Hæc, quæ hactenus dicta ſunt, verificantur in iure communi, quo onera contractibus impoſita nō extenduntur, niſi ad contractus completos, & conſummatos. Cæterum, ſi per iura municipalia aliquorum locorum ſtatuatur, quod Gabella debeatur etiam permutationi, vel dumtaxat per ſtipulationem firmatæ, vel veſtitæ traditione ex altera tantum parte, certè talis Gabella eſſet perſoluenda, quamuis contractus non eſſet vſquequaque completus, cum iura obligent ſecundum quod exprimunt, & intendunt per expreſſionem obligare.

Attendēda ſunt iura municipalia.

§. VI.

An impoſito contractui, *Do, vt des*, onus Gabellæ, eadem ſit perſoluenda, ſi quis quid det alteri, vt tertio poſt tempus conferat.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ in ſuis terminis. 1.
Ratio dubitandi. 2.
In hac hypotheſi Gabella non debetur. 3.
Gabella eſt impoſita contractui oneroſo, non gratuitæ donationi. 4.

1 Diſquiſitio VI. Dedi tibi gemmam pretioſiſſimam, vt poſt aliquid temporis eandem traderes Franciſco, vel fortè etiam rem fertilem, vt illa, & fructibus eiuſdem pro tempore gauderes, poſt quod tempus tenearis eidem Franciſco conferre. Iuxta ſtatuta municipalia loci, in quo ego do tibi talem gemmam, vel rem fertilem, & in quo tu debes conferre Franciſco impoſitum eſt onus Gabellæ contractui innominato, *Do, vt des*. Quæritur iam, an illa traditio per me tibi facta cum onere, vt Franciſco retribuas, cadat ſub illo onere Gabellæ.

Ratio dubitandi ex eo deducitur, quod in illa traditione videntur adeſſe omnes conditiones requiſitæ ad contractum innominatum, *Do, vt des*. Verè enim tibi trado, vt tradas alteri. Nihilominus 2

Reſpondeo, in ea hypotheſi Gabellam non deberi *Laſarte cap. 17. nu. 7.*, *Molina tract. 2. d. diſp. 397. verſ. ex his contractibus*. Ratio eſt manifeſta, quia impoſito onere Gabellę contractui innominato, *Do, vt des*, intelligitur de contractu oneroſo, quo tantum per vnum detur, vt tantundem, ſiuè in eadem, ſiuè in diuerſa ſpecie per alterum primo danti referatur, ſed in hypotheſi, de qua nos loquimur, nec cōtractus oneroſus interuenit, nec aliquid confertur, vt aliud loco illius erogetur conferenti, ergo &c. Confirmatur primo, quia illa traditio per me tibi facta non eſt propriè contractus, cum non ſit vltrò citroque obligatoria, ergo onera affixa contractibus illam non afficiunt. Confirmatur ſecundo, quia ad contractum innominatum *Do, vt des*, requiritur, vt notat *Molina loc. mox cit.*, vt quæ vtrinque dantur, ſint res diuerſæ, nec vna includatur in altera, ſed hic nec res datur diuerſa, nec vtrique contrahenti datur, ergo &c. Confirmatur tertio, quia onera impoſita contractibus non intelliguntur appoſita donationibus, nec nomine contractus propriè venit donatio, vt conſideranti ſit manifeſtum, ergo &c. Ex quibus habes, quam à veritate aberret *Laſarte loc. cit.*, qui, quamuis abſolutè ſentiat in caſu, de quo loquimur, non deberi gabellam, ſuſtinet tamen illam traditionem per me factam ſub tali forma, vel ſimile comprehendi ſub innominato contractu *Do, vt des*. Habes, inquam, quam aberret, quia contractus ex ſuo genere ſiue ſit nominatus, ſiue innominatus debet eſse vltro citroque obligatorius, & tantum per vnum contrahentem conferri, quantum per alterum recipitur, & ſi alio modo dicatur contractus, eſt talis ſolummodo quoad nomen, non quoad rem. 3 4

Gabella eſt impoſita dumtaxat cōtractui ex vtraque parte oneroſo.

Nomine contractus propriè non venit donatio.

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

An in permutatione rei inæſtimabilis pro æſtimabili debeatur gabella ſaltem pro æſtimabili.

SVMMARIVM.

Explicatur titulus in terminis particularibus. 1.

Si permutatio fuerit ex re inuendibili, & inaſtimabili, quia ſacra, ſeu ſpiritualis ex neutra parte debetur gabella, quamuis per vnam partem tradita fuerit res æſtimabilis. 2.

Nec etiam, ſi res fuerit inuendibilis, quia alienari prohibita. 3.

Si res eſſet alienari prohibita non ſub pæna nullitatis, ſed alterius pænæ, tunc alcauala eſſet debita, & perſoluenda. 4.

1 DIſquiſitio VII. Contraxerat Fabius cum Sempronio titulo permutationis, vi cuius Fabius ſpopondit rem inuendibilem, & inæſtimabilem alteri, qui viceuerſa promiſit eidem Fabio rem pretio æſtimabilem, & ſecundum ſe vendibilem, & contractus cõpletus fuit per traditionem ex vtraque parte. Res illa inæſtimabilis, ſeu inuendibilis, quam tradidit Fabius, vel eſt talis, quia ſacra, & ſpiritualis, vel quia ex iuris diſpoſitione eſt alienari prohibita, vel alio modo. Oritur hic difficultas, an ex vi talis permutationis debeatur alcauala, ſeu Gabella impoſita contractui permutationis, ſi non ratione rei inæſtimabilis, ſaltem ratione alterius rei æſtimabilis, & vendibilis, præcipuè, cum ſuperius dictum fuerit, quandoque pro contractu permutationis duplicem ſoluendam eſſe gabellam per vtrumque ſcilicet contrahentem, & in Regno Caſtellæ iuxtà *leg. 2. tit. 17. lib. 9. nouæ collectionis* exigitur æſtimatio rerum, quæ permutantur.

Res inuẽdibilis, vel eſt talis, quia ſacra, vel quia alienari prohibita.

2 Reſpondeo primo, ſi permutatio fuerit in re inuendibili, & inæſtimabili, quia ſpiritualis, vel ſpirituali annexa ex neutra parte debetur gabella, etiam ſi per vnam partem tradita fuerit res pretio æſtimabilis *Laſarte d. cap. 17. num. 18.*, & cum eo communitèr conſentiunt. Probatur primo, quia ille contractus, vtpotè abſolutè ſimoniacus eſt omni iure nullus, & irritus per ea, quæ latè tradam *tom. 3. ſub tit. Contractus VIII. de ſimonia Tractat. 4. aſſertion. prima* per iura, & rationes ibi allegãdas, ergo ex illo non debetur Gabella per aliquẽ ex contrahentibus. Conſequentia probatur, quia ex contractu nullo, nulli debentur effectus, ſiquidem contractus nullus, & non contractus quoad effectum paria ſunt, ſicuti igitur ex non contractu non debetur alcauala, quæ impoſita eſt contractui, ita etiam non debetur ex contractu nullo, qui æquiparatur non contractui. Neque exiſtimandum eſt, deberi alcaualam propter intentatum illum contractum, qui celebrari non poterat quaſi in pænam illius attentati. Non, inquam, exiſtimandum, ſiquidem in iure nullibi talis pæna reperitur appoſita, ſicuti reperiuntur aliæ pænæ inductæ.

Talis cõtractus eſt omni iure irritus.

Non poteſt dici, quod alcauala debeatur in pœnam attentati cõtractus

Probatur ſecundo, quia in contractu permutationis non conſummato ex vtraque parte ex neutra debetur alcauala per ea, quæ dicta ſunt ſuperius §. V. ergo etiam ex neutra parte debetur, quando per vnum confertur res inæſtimabilis, & inuendibilis, per alterum vendibilis, & æſtimabilis. Conſequentia probatur, quia ex eo, quod tradita fuerit res inuendibilis, & inæſtimabilis, perindè habetur, ac ſi non fuerit tradita, quandoquidem illa traditio eſt abſolutè nulla, ergo &c.

Res inuẽdibilis tradita perindè eſt, ac ſi nõ fuerit tradita.

Reſpondeo ſecundo, ſi permutatio 3
fuerit in re inuendibili, & inæſtimabili, quia à iure alienari prohibita, ex neutra etiam parte debetur gabella. Non moueor propter eam rationem, qua *Molina hic tract. 2. diſ. 397. verſ. quando res aliqua* probabat non deberi alcaualam pro contractu, quo res ſpiritualis inæſtimabilis confertur pro temporali æſtimabili, quia ſcilicet alcauala æſtimari deberet iuxta æſtimationem rei inæſtimabilis, quod eſſe non poteſt, cum res inæſtimabilis non admittat æſtimationem. Non, inquam, propter hanc rationem moueor, quia, cum res ſolummodo à diſpoſitione iuris alienari prohibita admittere poſſit æſtimationem, iuxta ipſius valorem, alcauala poſſet æſtimari, adeoque non eſſet, cur ex hoc capite alcauala in hac ſuppoſitione non poſſet ſolui, & deberet. Moueor igitur ex eo capite, quo aſſerebam in prima reſponſione ex contractu nullo nullam oriri obligationem ſoluendi gabellam, quod vtique verificari debet, ſiue contractus fuerit nullus ex natura ſua, ſiue ex diſpoſitione iuris poſitiui, quod certè poteſt determinare materiam, & præſcribere formam pro contractibus, ſine qua materia, & for-

Cuius ratio refellitur.

Ratio euincens intentum

forma ipſi contractus in ſui eſſe non ſubſiſtant, ſed ex eo, quod per ius poſitiuum præcipiatur, quod res aliqua non poſſit cadere ſub contractu, contractus redditur inualidus, ſi illa materia contra talem iuris diſpoſitionem interueniat, quandoquidem non eſſet materia apta ad contractum, & ſine materia contractus non ſubſiſtit, ergo ex illo contractu alcauala non debetur.

4 Aduerte hic tamen, quod ſi per ius poſitiuum eſſet prohibita alicuius rei alienatio non ſub pæna nullitatis contractus, ſed ſub aliqua alia pæna per contrahentes perſoluenda, tunc ex tali contractu deberetur alcauala; tùm quia ille contractus eſſet abſolutè validus, & per ipſum dominium ex vtraque parte eſſet translatum, ex contractu autem valido alcauala debetur, vbi eſt impoſita, tùm quia aliæ pænæ, ſi quæ ſunt impoſitæ contra alienantes contra diſpoſitionem iuris, non tollunt onera, quæ contractibus ſecundum ſe ſunt affixa, ſi contractus ipſi non obſtantibus talibus pænis in ſuo eſſe ſubſiſtant.

Penç non tollunt onera, quæ contractibus validis ſunt annexa.

§. VIII.

An in permutatione rerum ſpiritualium adinuicem debeatur Gabella.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus, in quo procedit difficultas. 1.

Varij articuli circà titulum diſcutiendi. 2.

Commutatio iurium ſecundum ſe præſcindendo à ſpiritualibus, & temporalibus, quamuis vltimò, & propriè non ſit permutatio, eſt tamen eidem, & ad ipſam redicibilis. 3.

In commutatione iurium ſpiritualium puta iuris ſepulchri cum alio iure ſepulchri, Eccleſiæ cum Eccleſia non eſt ſoluenda gabella. 4.

1 Diſquiſitio VIII. Habebat Titius ius in quodam ſacello, vel ſepulchro in aliquo loco, & Fabius idem ius in alio ſacello, vel ſepulchro. Conuentione ad inuicem facta huiuſmodi iura inter ſe permutarunt ſeruatis ſeruandis. Quæritur modo, an ex tali permutatione ſoluenda ſit gabella, ſi in loco, in quo ſit huiuſmodi permutatio, ſit impoſitum tale onus indefinitè contractibus permutationum. Huiuſmodi iura poſſe ad inuicem permutari maximè accedente Superioris conſenſu clarè liquet *ex c. ad quæſtiones, & ibi gloſa de rerum permut.*, & *ex Gloſa cap. ſuper eo de tranſactionibus*. Propoſita quæſtio examinari poteſt, tum in ordine ad Eccleſiaſticos, tum in ordine ad Laicos huiuſmodi iura ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa ad inuicem permutantes.

Et vt recto ordine procedamus, prius inquirendum eſt, an huiuſmodi iuriū commutatio ſit propria ſpecies permutationis, ſicuti eſt commutatio ſpeciei ad ſpeciem. Secundo, an talis ſit, vt ſubeat omnes conditiones, quas ſubeūt aliç permutationes propriè ſumptæ in rebus purè temporalibus, & præcipuè onus gabellarum. Tertio ex ſuppoſitione, quod illas, ſeu illud ſubeat, an attingat nedum Laicos, ſed etiam Eccleſiaſticos. 2

Varij ſtatus difficultatis.

Reſpondeo primo, commutatio iurium ſecundum ſe præſcindendo à ſpiritualibus, & temporalibus, quamuis vltimo, & propriè non ſit permutatio, de qua nos loquimur, eſt tamen eidem affinis, & proximè ad ipſam reducibilis. Ratio eſſe poteſt, quia iura ad rem non ſunt propriè, & rigoroſè res ipſa, vt per ſe patet, ſed permutatio propriè ſumpta, pro vt eſt ſpecies diſtincta ab alijs contractibus, verſatur vltimo inter rem, & rem, ergo permutatio huiuſmodi iurium non eſt propriè talis, vt eſt ſpecies diſtincta &c. Nihilominus, quia huiuſmodi iura non ſumuntur formalitèr vt pretium, ſeu pecunia, licet ſint pretio, & pecunia æſtimabilia, ſed potius habent rationem rei, cum poſſint terminare contractum venditionis, quæ eſt rei pro pretio, hinc eſt, quod ſaltem reductiuè videtur poſſe fundare ipſam permutationem. Sed quia hæc eſt potius quæſtio de nomine, quam de re, ideo vlterius non immoror. 3

Rationes pro vtraque parte reſponſionis.

Reſpondeo ſecundo, in commutatione iurium ſpiritualium puta iuris ſepulchri cum alio iure ſepulchri, Eccleſiæ cum Eccleſia non eſt ſoluenda gabella impoſita contractui permutationis. Ratio non conſiſtit in eo, quod huiuſmodi commutationes ſint nullæ, quandoquidem ex allegatis, & ex alijs infra dicendis *tom. 3. ſub tit. Contractus VIII. pranot. 3.*, huiuſmodi permutationes maximè accedente ſuperioris auctoritate poſſunt validè fieri. Neq; in eo, quod propriè non ſint permutationes, nam quoad effectum, & quoad 4

Iura ſpiritualia ſunt inæſtimabilia.

ſub-

ſubſtantiam exiſtimo eſſe tales, ſed vel in eo, quod iura imponentia onus Gabellarum non reſpiciunt iura ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa, vel ex eo, quod huiuſmodi iura ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa ſint inæſtimabilia; vndè quoad hoc locum habere poteſt ratio, quam *in præcedenti §. verſ. reſpondeo* 2., ex Molina afferebamus, nempe quoad alcauala taxari debeat ad valorem, ſeu iuxta proportionem valoris rerum permutabilium, non poteſt autem taxari ad valorem ſpiritualium, cum ſint pretio temporali inæſtimabilia.

Non afficit, nec Laicos, nec Eccleſiaſticos. Hinc habes, quod tam Laicis, quam Eccleſiaſticis huiuſmodi iura ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa permutantibus onus non ſit perſoluendi gabellas pro huiuſmodi permutationibus. Dato deindè ex ſuppoſitione, quod gabella etiam pro ijs eſſet ſoluenda, hoc onus dumtaxat afficeret Laicos, non Eccleſiaſticos inter ſe commutantes, quia immunes ſunt à tributis, & gabellis Laicalibus, cum nec perſonæ commutantes, nec iura ipſa permutata ſubſint Laicorum iuriſdictioni, vt alibi fusè.

§. IX.

An debeatur Gabella, quando datur indiuiduum aliquod vnius ſpeciei pro alio eiuſdem ſpeciei ſimili in valore.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ in ſuis terminis, & rationes dubitandi. 1.
Pendet hæc controuerſia ex præſumpto contrahentium animo. 2.
Variæ coniecturæ, ex quibus inferri poſſit animus contrahentium. 3.

1 DIſquiſitio IX. Tradidit Theodoricus decem menſuras vini Theodoſio pro alijs decem menſuris ſimilis qualitatis, & valoris per eundē Theodoſium ſibi reſtituendis. Quo poſito ſiſto adhuc in ſuppoſitione, quod contractui permutationis ſit impoſitum onus Gabellæ, & quæro, an ille contractus initus inter Theodoricum, & Theodoſium ſit propria permutatio, & an ex illa debeatur Gabella.

Ratio dubitandi ex eo conſurgere videtur, quod, vt ſentit *Parladorius in lib. rer. quotid. cap. 3. §. 3., & cum eo Bartoius apud Molinam tract. 2. diſp. 397. verſic. conueniunt omnes*, huiuſmodi contractus videtur habere omnes conditiones mutui, & ſolum nomen ex malè loquentium placito permutationis, cum ipſi propriè conueniat eiuſdem mutui definitio à nobis allata *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris prænot.* 1. qua dicitur *eſt traditio rei ad vſum facta eo animo, vt ſtatim fiat accipientis, & reſtituat poſteà tantundem eiuſdem rationis, & qualitatis*, ergo onus Gabellę impoſitum permutationi, non eſt extendendum ad huiuſmodi contractum, qui non habet, niſi nomen permutationis, non conditiones eiuſdem, nec proprietates. Nihilominus.

Reſpondeo, controuerſiam hanc nō congruentius dirimi poſſe, quam ex prçſumpto contrahentium animo iuxtà diuerſas circumſtantias, quæ in ipſa celebratione cōtractus conſiderari poſſunt *Laſſarte d. c. 16. num. 9. conſonanter ad l. 2. Regni Caſtellæ tit. 17. lib. 9. nouæ collectionis, Molina tract. 2. diſp. 397. verſ. conueniunt omnes*. Ratio eſſe poteſt, quia ſemel dato, quod permutatio verſari poſſit inter res eiuſdem rationis, ſpeciei, bonitatis, & valoris, quando inita eſt inter res huiuſmodi, vix habere poteſt rationem, cur potius dicenda eſſet permutatio, quam mutuum, ergo, cum contrahentium conſenſus formam tribuant contractibus, ex eorum animo ſaltem præſumpto arguendum erit, quodnam fuerit contractus genus, quod inierunt. 2

Permutatio videtur etiam verſari poſſe inter res eiuſdem rationis, & ſpeciei. Neque dicas, quod, quamuis permutatio ſic inita conueniat cum mutuo ratione rerum, inter quas vterque contractus verſatur, differat tamen ratione temporis reſtitutionis, eo quia ex natura contractus in mutuo reſtitutio ſit differenda, quod innuitur per illam particulam, *poſtea*, in definitione eiuſdem mutui poſitam, non ſic ex natura permutationis, in qua vtraque res ſimul tradi poteſt, quod diſcrimen nos etiam aſſignauimus *ſub d. tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot.* 1.; Contra enim impugnaberis, quia, quamuis in permutatione vtraque res ſimul tradi poſſit, poteſt tamen traditio, vel ex conuentione, vel alio modo differri ex vna parte, in quo caſu adhuc eſſet inquirendum, an ille contractus eſſet permutatio, an mutuum, & ſic non aliundè melius poſſet coniectari contractus qualitas, quam ex animo præſumpto iuxtà interuentum circumſtantiarum.

Neque dilatio temporis ad mutuū requiſita diuerſificat ipsū mutuum à permutatione.

Quo-

3 Quomodo autem poſſit coniectari animus contrahentium, an fuerit ad permutationem, an vero ad mutuum, non poteſt certa regula ſtatui. Aliqui coniectant diuerſitatem contractus ex diuerſitate commodi, ſi enim contractus ſit in vtilitatem vtriuſque contrahentis, eſt permutatio, ſi in vtilitatem exigentis ſolummodò, erit mutuum. Sed hanc regulam vt infallibilem non approbat *Molina d. tract. 2. diſp. 397. verſ. conueniunt omnes prope medium*, propter multiplices caſus, in quibus contractus poteſt eſſe in vtriuſque fauorem, & tamen eſſe mutuum, vel in fauorem vnius dumtaxat, & tamen eſſe permutatio; ſic primo contractus, quo quis petit ab alio mutuos hic Mediolani decem modios tritici reſtituturus in alio loco, vbi mutuans illis indiget, eſt in vtriuſque fauorem, nec tamen deſinit eſſe mutuum. Secundo contractus, quo quis triticum dat hic, vt tantundem ipſi tradatur in alio loco, vbi carius vendet, eſt permutatio, etiam ſi nomine mutui pallietur, & tamen videtur in vtilitatem ſolius primo tradentis. Alios caſus lege apud eundem Molinam. Nihilominus, quamuis hæc regula in aliquibus caſibus deficiat, regularitèr tamen retribuere poteſt rationabile fundamentum iudicandi, & vbi adhuc vrgeret ratio hæſitandi arbitrio prudentis res eſt committenda, & ſtandum iudicatis per ipſum iuxtà circumſtantias ad caſus particulares occurrentes.

Varij caſus, ex quibus coniectari poteſt animus contrahentium.

Dices, poſita hac noſtra doctrina nullum eſſet certum diſcrimen, ratione cuius ſimplex permutatio diſtingueretur à mutuo, ſi vterque hic contractus poſſet eſſe circà res eiuſdem qualitatis, ſpeciei, & valoris. Sed contra ſufficiens diſcrimen in hoc aſſignatur, quod permutatio indiferens eſt, vt fiat per res, vel eiuſdem, vel diuerſæ ſpeciei, & regularitèr fit inter res diuerſas, mutuum autem, non niſi inter res eiuſdem ſpeciei, & bonitatis. Item in mutuo reſtitutio non eſt immediatè facienda, in permutatione autem immediatè regularitèr fit, & ſi quandoque diferatur, omninò per accidens eſt.

Aliquale diſcrimẽ inter mutuum, & permutationem.

§. X.

Ex quonam ſit taxandus valor rerum permutabilium, vt ſtatuatur quota Gabellæ.

SVMMARIVM.

Series facti, & articuli examinandi. 1.
Non eſt ſtandum taxationi per partes factæ, quamuis valorem rerum in celebratione contractus enuntiauerint. 2.
Recurrendum eſt ad iudicem, vbi partes non conueniant. 3.
Quando pro re permutata datur alia res ſimul cum pretio, non eſt ſoluenda alcauala ad proportionem rei, & pretij, ſed tantum rei. 4.

Diſquiſitio X. Facta fuerat permutatio de equo cum Boue inter Titium, & Andræam, ſed cum maioris valoris eſſet equus, ac eſſet bos, ad cõſtituendam ęqualitatem per Andræam ſimul cum boue erogata eſt determinata pecunia; cumque ageretur de gabella perſoluenda, & diſſidium eſſet inter gabellarios, & eoſdem permutantes de valore rerum permutatarum multiplex articulus circà præſens dubium fuit excitatus, & primo, an ſtandum ſit taxationi valoris earundem rerum factæ per ipſos contrahentes. Secundo ex ſuppoſitione, quod tali taxationi non ſit ſtandũ, ad quemnam pro taxatione ſit recurrendum. Tertio, an quando datur ſupplementum in pecunia pro re permutata inferioris valoris comparatiuè ad rem maioris valoris, æquale pretium pro gabella ſit perſoluendum pro vtraque. 1

Multiplex articulus diſcutiẽdus.

Reſpondeo primo, non eſſe ſtandum taxationi per partes factæ, etiam ſi valorem rerum in celebratione contractus enuntiauerint *Molina d. tract. 2. diſp. 397. verſ. quando res duæ* iuxtà ſtatuta in Regno Caſtellæ *in l. 2. tit. 17. lib. 9. nouæ collectionis*. Ratio eſſe poteſt, quia, vbi agitur de iure ad tertium pertinente, conuentio inter partes facta ipſum tertium non obligat, ſed ſolummodò ipſas partes, ergo, quamuis partes conuenerint de valore rerum permutabilium, eundemque in celebratione contractus expreſſerint, nõ tenentur gabellarij tali conuentioni in ordine ad valorem ſtare. Conſequentia probatur, quia ius Gabellariorum eſt omninò diſtinctum à iure partium, ergo, cum 2

Vbi agitur de iure tertij cõuentio inter partes inita ipſũ non obligat.

acta

Digitized by Google

ácta inter duo non præiudicent tertio, cum quo non eſt actum, nec conuentio inter ipſos inita præiudicare poteſt iuri Gabellariorũ nolentium ſtare tali conuentioni. Confirmatur, quia poteſt eſſe ratio ſuſpicandi, quod contrahentes in enuntiatione valoris verum non enuntient, ſed cõuenerint in tali enuntiatione ad decipiendos ipſos Gabellarios, potiſſimum cum apud aliquos Doctores in controuerſia ſit, an onus ſoluendi Gabellas, obliget in conſcientia, ergo ad ſibi conſulendum poſſunt Gabellarij nolle ſtare tali enuntiationi, cum poſſit eſſe præſumptio deceptionis.

3 Reſpondeo ſecundo. In taxatione valoris rerum permutabilium quantum ad effectum ſtatuendi quotam Gabellæ, vbi partes cum Gabellarijs non conueniant, recurrendum eſt ad Iudicem, qui adhibito peritorum conſilio ſtatuat. Ratio eſſe poteſt, quia regulare eſt, omnes quæſtiones, & iuridica diſſidia per iudicem dirimi, nam ex quo aſſumptus eſt à Republica ad publicũ Iudicis miniſterium poteſtatem habet iudicandi in ijs, quæ ſunt incerti iuris, & iuditijs per ipſum efformatis per eos, qui ipſius iuriſdictioni ſubijciuntur ſtandum erit. Dixi, *adhibito peritorum conſilio*, ſiquidem iudicare debet non ad libitum, ſed iuxtà rationis, & æquitatis normam, quæ in taxandis rerum valoribus conſonantius haberi non poteſt, quam per peritos.

Regulare eſt, vt judices diſſidia dirimant

4 Reſpondeo tertio, quando datur ſupplementum rei permutatæ, quæ ſit minoris valoris, quam alia, quæ recipitur in permutatione maioris valoris non eſt ſoluenda gabella ad proportionem rei minoris valoris, & pretij ſimul, ſed dumtaxat ad valorem eiuſdem rei, non pretij, quod datur pro ſupplemento ad equalitatem cum alia re permutata pluris valente. *Laſſarte d. c. 17. nn. 20., Molina d. lib. 2. tract. 2. diſp. 397. verſ. quando res aliqua in fin.* Ratio eſt, quia iuxtà ſuperius dicta interueniente re ſimul cum pretio pro alia re maioris valoris, ità vt illud pretium ſit ad æqualitatem conſtituendã in contractu, ille contractus non eſt ſimplicitèr permutatio, ſed permutatio ſimul, & venditio, permutatio quidem, prout correſpondet rei ad proportionem valoris eiuſdem, venditio vero, prout correſpondet illi pretio, quod datur pro ſupplemento ad conſtituendam illam æqualitatem requiſitam ad naturam contractus, ergo impoſito onere Gabellæ pro permutationis contractibus, illud onus non debet extendi ad contractum ſub ea ratione, ſub qua non eſt permutatio, niſi ad ſummum denominatiuè, ſed alius cõtractus ab ea omnino diſtinctus, ſed ſub ea ratione, ſub qua erogatur pretium, ſeu pecunia non eſt permutatio, ergo &c. Confirmatur, quia Gabella non eſt impoſita pro pecunia, ſed pro rebus, ergo in illo contractu, in quo interuenit pecunia pro complemento rei, non eſt ſoluenda Gabella, pro vt correſpondet eidem pecuniæ.

Ille contractus non eſſet ſimplicitèr permutatio, ſed ſimul venditio.

Gabella non eſt impoſita pro pecunia, ſed pro rebus.

Hic tamen aduertendum eſt, quod ſi non ſolum impoſitum ſit onus Gabellæ contractibus permutationis, ſed etiam contractibus venditionis, tunc inſpiciendum ſit, an tàm ex parte emptoris, quàm ex parte venditoris per iura, per quæ inductum eſt onus Gabellæ, eadem ſit perſoluenda, an tantum ex parte emptoris, vel venditoris; ſi ex vtraq; parte Gabella eſt perſoluenda, tunc etiam pro illa pecunia data in ſupplementum ſolui debet; quandòquidem ſecundum illam partem eſt emptio, & venditio; ſi tantum ex parte emptoris, tunc per venditorem non eſt ſoluenda Gabella niſi ad valorem rei, quam recepit, ſi ex parte venditoris eſt ſoluenda etiam pro pretio recepto, vt patet conſideranti.

Res notabilis, & ſcitu digna.

---

§. XI.

An facta permutatione rei pro re ſit perſoluenda Gabella, ſi poſteà loco rei detur pretium.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis. 1.
Si onus Gabellæ eſt impoſitum tantum permutationi, in hac hypotheſi non eſt ſoluendum. 2.
Si Gabella impoſita etiam emptioni tunc in hac hypotheſi eſſet ſoluenda ſolummodò Gabella pro contractu venditionis. 3.
In hoc caſu vna dumtaxat Gabella etiam perſoluenda. 4.

DIſquiſitio XI. Conuenerant inter ſe Calidonius cum Caio eo pacto, vt ille gemmam pretioſiſſimam, iſte viceuerſa Bibliothecam conferret. Facta traditione per Calidonium illius gemmæ præcioſiſſimæ facta fuit noua conuentio, vt Caius loco Bibliothecæ conferret pretium iuxtà valorem taxatum eiuſdem Gemmæ. Hic orta fuit 1

con-

Digitized by Google

controuerſia, an Gabella impoſita cõtractibus permutationis in hypotheſi illa deberetur.

Hic etiam aduertendum eſt, an Gabella ſit dumtaxat impoſita contractibus permutationis, an etiam contractibus emptionis, an ius obliget vtrũq; contrahentem, an vnum, vel alterum dumtaxat. Quibus poſitis.

2 Reſpondeò primò, ſi onus Gabellæ impoſitum ſit dumtaxat contractibus permutationis in hypotheſi, de qua loquimur, non eſt ſoluenda Gabella. Eſt conſona ijs, quæ ſupra dicebamus, ex quibus ſic argumentum efformo. Gabella impoſita permutationi non eſt debita, niſi quandò contractus eſt ex vtraque parte conſummatus, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, permutatio non eſt conſummata ex vtraque parte, & dum conſumatur, tranſit in contractum venditionis, & emptionis, cui non eſt impoſitum onus Gabellæ, ergo &c.

Contractu ex vtraque parte non conſummato non debetur gabella.

Minor probatur quoad ſecũdam partem, (nam quoad primam ex ſe patet, quandoquidem res conuẽta, nempè bibliotheca nondum fuit tradita, per quam erat conſummanda permutatio) quia vbi interuenit pretium pro re, ibi interuenit propriè emptio, & venditio, vt contradiſtincta à ſimplici permutatione, ergo ille contractus, qui prius erat initus ſub titulo permutationis per nouam conuentionem tranſit in nouum contractum emptionis, & venditionis;

Non conſumaretur in ratione permutationis, ſed emptionis, & vẽditionis.

Neque dicas, quod pretium in hac hypotheſi ſubſtituitur loco rei promiſſæ, & conuentæ, adeòque quod debeat omnes conditiones, & onera illius ſubire, perindè, ac ſi eſſet eadem res, pro qua ſubſtituitur; contra enim impugnaberis, quia licet ſubſtituatur loco rei conuentæ, & permutabilis, non tamen propriè cõſtituit permutationem, ſicut conſtitueret illa, ſi adeſſet, ſeu poneretur, quià per illam nouam conuentionem contractus tranſit in nouum, cum permutatio non poſſit eſſe, niſi inter rem, & rem, non autem inter rem, & pretium, quæ conſtituit ſpeciem particularem emptionis, & venditionis, vt contradiſtinctam à permutatione per ea, quæ docuimus *ſub tit. Contractus V. de Cambijs I. Pranot.* 1.

Per nouũ pactum nouus cõtractus conſtituitur.

Deindè dato etiam, quod ſubſtitueretur loco rei, non propterea conſtitueret permutationem quoad effectum ſoluendi Gabellam; tùm quia gabella non intelligitur impoſita, niſi rebus, non pecunijs, quæ ſubſtituuntur loco rerum, tùm quia gabella, vtpotè odioſa non extenditur, niſi ad permutationem rigorosè, & ſecundum omnem rationem, & qualitatem perfectam, qualis non eſſet illa, de qua hic loquimur, propter rationes adductas.

Reſpondeo ſecundo, ſi onus Gabellæ impoſitum etiam eſt contractibus 3
emptionis, & venditionis, tunc ſolummodò ſoluenda eſt gabella, quæ ſolueretur, ſi immediatè facta fuiſſet venditio. In hanc reſponſionem propendere exiſtimo *Pinellum in rub. C. de reſcind. vendit. parte 2. C. primo num. 16., Laſſarte cap. 17. num. 17., Molinam tract. 2. diſp. 397. verſ. quando duæ res.* Ratio eſt, quia re vera in hoc contractu interuenit emptio, & venditio, quinimmò primus contractus permutationis vltimo reſoluitur in contractum emptionis, & venditionis, ergo, quia contractus permutationis completus non eſt, ex illo non debetur alcauala, quia vero conſummatus eſt in ratione venditionis, ex illa ſoluenda eſt eadem alcauala impoſita eidem venditioni.

Primus contractus reſoluitur in ſecundũ.

Neque dicas, contractum non eſſe cõpletum, neque in ratione permutationis, neque in ratione venditionis, adeoque ratione neutrius deberi alcualã; non ratione permutationis, eo quia res non eſt tradita ex vtraque parte; non in ratione venditionis, quia non eſt facta conuentio de venditione; contra enim impugnaberis; quid enim deficit, quominus contractus ſit completus in ratione venditionis? Certè interuenit res, & pretium, quod eſt id, quod intendunt iura requiri ad huiuſmodi contractus, & pro quo imponunt onera Gabellarum; conuentio etiam interuenit, cum per illam tranſmutetur onus rei in onus pecuniæ transferrendæ.

Sũt omnia requiſita ad verũ contractum emptionis.

Rogabis hic, ac in dicto caſu duplex perſoluenda ſit Gabella, ſi hæc 4
ſit impoſita contractibus emptionis, & venditionis. Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod notat *Pinellus in d. rub. C. de reſcind. vendit. part. 2. cap. 1. nu. 16.* nempè, quãdò ex conuentione vtriuſque partis res æſtimata eſt tradenda, contractus habeat rationem emptionis, & venditionis, cum deindè pro re æſtimata ſubſtituatur pretium, nouus contractus venditionis interueniat, adeòque videtur, quod ex duplici contractu venditionis, duplex etiam alcauala ſit perſoluenda. Nihilominus, quamuis *ſub hoc eod. tit. Contractus VI. de permut. Pranot. 3. verſ. ex his deduces* dixerimus, quod quando ab initio pro vna re æſtimata ſtatutum

eſt

Digitized by Google

eſt pretium, & poſtea loco pretij alia res etiam æſtimata fuit ſubrogata, poſſit dici, quod interuenerit emptio, & venditio; in caſu tamen, quo præciſè conueniretur, ſeu eſſet conuentum in principio de re pro re, & æſtimatio facta fuiſſet ſolummodò ad cõſtituendam æqualitatem, tunc non eſſet in illa prima conuentione emptio, & venditio, ſed dumtaxat in ſecunda, pro qua propterea ſolummodò eſſet ſoluenda gabella, & ratio euidens eſt, quia in illis contractibus non duplex pretium interueniret, adeoque non duplex emptio, & venditio. Deindè gabella ſemper eſt ſoluenda pro duplici re, & duplici pretio, hic autem non niſi vnica res, & vnicum pretium adeſſet, adeoque &c.

Non eſt propriè emptio, & venditio, niſi in tertia conuentione.

---

§. XII.

An impoſito onere gabellæ permutationi intelligatur etiam impoſitum donationi remuneratoriæ, ſeu donationi ſub modo, vt alter redonet.

SVMMARIVM.

Duplex ſenſus difficultatis proponitur, & examinatur. 1.
Ratio dubitandi pro vtroque ſenſu. 2.
Pro donatione remuneratoria iuxtà primum ſenſum non eſt ſoluenda Gabella. 3.
Soluitur ratio dubitandi pro primo ſenſu. 4.
Pro illa donatione ſub modo iuxtà ſecundum ſenſum debetur gabella. 5.

1 DIſquiſitio XII. Tradidit Caius ſub titulo donationis Franciſco equũ quendam pulcherimum, magnique valoris, cui Franciſcus retribuit gemmam pretioſiſſimam eiuſdem, vel æqualis valoris. Rurſus idem Caius eidem Franciſco donauit quid aliud pretioſum ſub modo, vt in retributionem idem Franciſcus quid aliud redonaret. Orta eſt controuerſia, an pro vtraque hac aſſerta donatione onus gabellæ impoſitum permutationi ſit ſoluendum.

2 Ratio dubitandi pro prima parte deducitur ex *l. ſed & ſi §. conſuluit ff. de petit. hæred.*, vbi dicitur donationem remuneratoriam eſſe quoddam genus permutationis, cui propterea videtur affixum tale onus, ſicut & cæteris permutationibus. Rurſus pro ſecunda parte deducitur ex eo, quod ille modus donationis ſub modo non videtur transferre donationem à ſua ratione, & limitibus donationis, ſed dumtaxat inuoluere actionem remuneratiuam. Nihilominus.

Reſpondeo primo, in primo caſu pro illa donatione remuneratoria non eſſe 3
ſoluendam gabellam *Laſſarte cap. 17. nu. 53., Molina d. tract. 2. diſp. 397. verſ. an donatione remuneratoria*. Ratio eſt, quia illa donatio remuneratoria non eſt compenſatio debita ex iuſtitia, ſed omninò gratuita, & proueniens ex liberalitate, & gratitudine, ergo non ſortitur illa onera, quæ ſunt affixa contractui permutationis. Antecedens ex ſe patet, quia tam donatio, quam remuneratio procedunt ex motiuo liberalitatis, nec vllo onere ciuili, tam donans, quam remunerans tenentur ad donandum, & remunerandum. Conſequentia etiam tenet, quia onera affixa contractibus onerofis, non ſunt extendenda ad gratuita beneficia. Confirmatur, quia tam donatio, quam remuneratio non ſunt propriè contractus, ergo non cadunt ſub oneribus, quæ ſunt affixa contractibus. Antecedens patet, quia non ſunt cum obligatione vltrò, citroque.

Eſt compenſatio omninò gratuita.

Nec propriè eſt contractus.

Ad rationem dubitandi pro prima parte dicendum, eſt per allegatum textum ſolum indicari in tali donatione 4
remuneratoria reperiri quandam ſimilitudinem permutationis, non quod propriè ſit permutatio; hæc autem ſimilitudo in eo conſiſtit, quod, ſicuti in permutatione datur res in compenſationem, ita etiam in donatione remuneratoria beneficium pro beneficio, ſed ibi eſt vinculum iuſtitiæ, & obligatio ciuilis, hic autem non niſi gratuita compenſatio, nulloque onere debita.

Eſt ſolũ ſimilitudo permutationis, non propriè permutatio.

Reſpondeo ſecundo, in ſecundo ca- 5
ſu pro illa donatione ſub modo vtique deberi gabellam, *Molina tract. 2. d. diſp. 396. verſ. ſi res aliqua mutuo donentur*. Ratio eſſe poteſt, quia illa donatio ſub illo modo concepta non habet, niſi nomen donationis, cæterum in rigore eſt permutatio, ergo onus permutationis eſt illi annexum. Antecedens probatur, quia illa donatio eſt cum obligatione ciuili redonandi, ſed vbi interuenit obligatio ciuilis aliquid præſtandi, vel contribuendi ratione alicuius operis exerciti, vel actionis, non poteſt eſſe propriè donatio, quæ debet eſſe omni-

Illa donatio eſt cum obligatione ciuili redonandi.

Digitized by Google

nò gratuita, & ſine vllo onere in recipiente, ergo &c. Maior probatur, quia illa donatio eſt cum pacto redonandi, adeo vt non poneretur donatio, niſi cum pacto alter ſe obligaret ad redonandum, ſed ex pacto cum traditione ſaltem ex vna parte oritur obligatio ciuilis, ergo &c. Confirmatur ex ijs, quæ dicta ſunt ſuperius *ſub hoc eod. tit. Contractus VI. de permut. Prænot. 9.*, vbi contrà dicta *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſq. IV.* §. 1., diximus, quamcunque pactionem etiam ſi dicatur procedere ex titulo gratitudinis importare obligationem ciuilem, & in mutuo inducere vſurariam prauitatem, ſi ſit de aliquo vltra ſortem, quamuis aſſeratur coniungi cum titulo liberalitatis, & in permutatione, ſeu in cõceſſione rerum ſpiritualium ſimoniacam labem, ergo etiam illa donatio ſub modo, vtpotè importans pactionem redonationis importabit talem obligationem, adeoque non erit amplius gratuita donatio, ſed permutatio cum onere, adeoque contractus oneroſus. Ex quibus patet, quid reſpondendum ſit ad rationem dubitandi pro ſecunda parte.

Non poteſt eſſe donatio cũ obligatione ciuili.

Hic etiam oritur difficultas, an ſi vnus det, & alter retribuat, non tamen ſub illa conditione, de qua hactenus locuti fuimus, pro vt importat donationem ſub modo, ſed ſimpliciter ſine vlla expreſſione, an ex mutuo amore, & liberalitate, an verò ex animo ſe adinuicem obligandi, an, inquam, præſumenda ſit donatio gratuita, an verò propria, & oneroſa permutatio, adeo vt pro illa debeatur, vel non debeatur gabella. Soluenda eſt ex circumſtantijs iuxtà rationales præſumptiones difficultas; ſi enim illæ perſuadeant donationem, erit cenſenda talis, & non ſoluenda gabella, ſi inducunt animum ad prudentem credulitatem permutationis, erit cenſenda permutatio, & ſoluenda Gabella. In dubio tamen potius præſumendum eſt pro donatione, quam pro permutatione, quia in mitiorem, & vtiliorem partem pro ipſis contrahentibus fieri debet interpretatio.

Soluenda eſt difficultas ex circunſtantijs.

§. XIII.

An permutatio beneficiorum poſſit fieri ex quacunque cauſa.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis, & multiplex articulus circà ipſum. 1.

Non quacunque cauſa ſufficiens ad permutationem beneficiorum. 2.

Cauſa debet eſſe neceſſaria, & ſpiritualis. 3.

Aſſignantur aliquæ cauſæ in particulari. 4.

Si fiant huiuſmodi permutationes ſine ſufficienti cauſa, ſed tantum ob temporale commodum redduntur illicitæ, non inualidæ. 5.

Soluitur argumentum ex D. Thoma deductum. 6.

Disquiſitio XIII. Poſſidens Andreas beneficium aliquod Eccleſiaſticum, cum illud ex aliquibus circunſtantijs minus ſibi conferret, quam prodeſſet, aliud, quod poſſidebat Antonius habito cum eodem Antonio ſuper hoc tractatu ſtatuit accedente ſuperioris auctoritate illud cum beneficio eiuſdem Antonij permutare. Conſideratis hunc indè circunſtantijs, ſeu cauſis permutationis controuertebatur, an cauſa fuerit ſufficiens ad illam permutationem, an verò ex illa cauſa inſufficienti permutatio fieri non potuerit. 1

Non inuitus ſubeo onus hanc difficultatem examinandi, & dirimendi, quandoquidem viam aperit ad plures alias, quarum notitia in hac materia maximè neceſſaria eſt, & ſine qua multæ permutationes incuntur inutiles, illicitæ, & quandoque etiam inualidæ. Primò igitur examinandum hic eſt, an quacunque cauſa ſufficientèr fieri poſſit talis permutatio, & qualis cauſa ad hoc requiratur. Secundò ex ſuppoſitione, quod cauſa ſufficiens nõ fuerit, an contractus reddatur non ſolum illicitus, ſed etiam inualidus. Tertiò, an cognoſci debeat per Superiorem, cuius auctoritate fieri debet permutatio, vtrũ talis cauſa ſit ſufficiens ad permutationem, nec ne, & ſimilia.

Varia dubia ex quæſito emanantia.

Reſpondeo primo, non quæcunque cauſa ſufficiens eſt ad permutationem beneficiorum. Colligitur potiſſimum 2

hæc

hæc reſponſio ex textu *in c. quæſitum 5. de rerum permutatione iuxta gloſ. ibid.*, vbi requiritur cauſa neceſſaria, ibi, *Si autem Epiſcopus cauſam inſpexerit neceſſariam, licitè poterit de vno loco ad alium perſonas transferre*, antecedentèr autem in hoc eodem textu dictũ fuerat, quod huiuſmodi permutationes fieri non poſſint, ergo à primo ad vltimum optimè inferri poteſt, quod huiuſmodi permutationes fieri non poſſunt, niſi ex cauſa neceſſaria.

3 Hic iam oritur difficultas in explicando, quænam cauſa neceſſaria cenſenda ſit ad effectum validæ, & licitæ permutationis, & quænam non. D. Thomas *in quarto diſt. 25. quæſt. 3. art. 3. ad octauum* requirit cauſam aliquam ſpiritualem, puta ſpirituale commodum, vt in tali loco poſſit quis melius Deo ſeruire, vndè per conſequens docet, quod ſi fiat pro aliquo terreno cõmodo huiuſmodi permutatio ſit ſimoniaca, *Nauarrus de ſpolijs Cleric. §. 3. in 7. notab. num. 1. verſ. ſed pro contraria parte* exiſtimat non ſufficere cauſam, niſi afferat vtilitatem Eccleſiæ, vel eidem beneficio, quod permutatur.

Debet eſſe cauſa ſpiritualis.

4 In particulari exiſtimo, ſufficientem eſſe cauſam talis permutationis, quandò vnus beneficiarius in vno loco, in quo poſſidet beneficium, maximè ſi ſit cum cura animarum, non eſt populo acceptus, ex inualitudine non poteſt munera propria exercere, vel ipſi beneficio damnum aliquod impendit, vel quid ſimile, quæ omnia referuntur etiam in cauſam ſpiritualem, vt intendit D. Thomas loco citato.

Aſſignatur cauſa in particulari.

5 Reſpondeo ſecundo, ſi fiant huiuſmodi permutationes ſine ſufficienti cauſa, ſed tantum ob temporale commodum redduntur illicitæ, non tamen inualidæ, *Suarez lib. 4. de ſimonia c. 34. num. 3.*, *Filliutius cap. 7. num. 31.* Ratio eſſe poteſt, quia huiuſmodi permutationes propriè fiunt, & vltimò per ſuperiorem, in cuius manibus per ipſos beneficiarios beneficia reſignantur, nec ipſa beneficia permutari de iure prohibitum eſt, quinimmò licitum; nec vlla iniuria eiſdem beneficijs, ſeu rebus ſacris infertur per talem permutationem; ergo ex aliquo capite non eſt, cur huiuſmodi permutationes irritentur. Neque dicas, ex eo, quod *D. Thomas loco cit.* dixerit, quod ſi fiat permutatio pro aliquo terreno commodo, ſit ſimonia, optimè arguatur, quod ſit nulla, ſeu irrita; contra enim impugnaberis, quia, vel D. Thomas ibi ſupponit, quod illa permutatio fiat ſine auctoritate ſuperioris, quomodo eſt ſimoniaca iure Eccleſiaſtico, vel dicit, quod ſit ſimoniaca per quandam ſimilitudinem, non propriè, & formalitèr.

Reſpondeo tertio, regularitèr, an cauſa illa ſit ſufficiens, nec ne cognoſcendum eſt per ſuperiorem, cuius interueniente auctoritate fieri debet permutatio. Ratio eſt, quia requiritur ſuperioris auctoritas, vt legitimè fiat talis permutatio, & iuridicè cognoſcatur de controuerſia talis permutationis, ſed iuridicè cognoſcere non poteſt talem conuenientiam, niſi cognoſcat cauſam talis permutationis, ergo &c. 6

Huiuſmodi cauſæ ſunt cognoſcendæ per Epiſcopũ

§. XIV.

Quinam ſit ille Superior, cuius auctoritate fieri debet permutatio.

SVMMARIVM.

Exponuntur ſtatus, & rationes dubitandi. 1.

Superior, ad quem recurrendum eſt pro approbatione eſt ille Epiſcopus, in cuius Diæceſi ſitum eſt beneficium, requiritur tamen etiam conſenſus illius, ad quem ſpectat collatio. 2.

Si duo ſint Epiſcopi, & alter habeat beneficia in ſua Diæceſi, alter ius conferendi, approbatio permutationis pertinet ad habentem ius conferendi. 3.

Si beneficia ſint in diuerſis Diæceſibus approbatio debet fieri ab vtroque Epiſcopo. 4.

Nomine Epiſcopi veniunt etiam habentes iuriſdictionem Epiſcopalem. 5.

Si Epiſcopus habeat ſuſpenſam iuriſdictionem non poteſt approbare permutationes. 6.

Niſi ſuſpenſio ſit ignorata. Ibid.

DIſquiſitio XIV. Tractatum inter ſe habuerant duo beneficiarij de permutatione inuicem facienda beneficiorum, quæ poſſidebant ſemper cum relatione ad aſſenſum, & approbationem ſuperioris, cumque ad eundem res eſſet deferenda, & beneficia reſignanda, vt poſtea ipſe per ſuam auctoritatem conferret, orta eſt controuerſia; quinam deberet eſſe ille ſuperior, an Epiſcopus, in cuius diæceſi ſitum eſt beneficium, an ille, ad quem collatio pertinet. Rurſus, an nomine ſuperioris veniat ſolummodo Epiſco- 1

Hhhh 2 pus,

pus, an etiam quilibet collator, ad quem ſpectat collatio beneficij etiam ſi fortè, nec dignitatem, nec iuriſdictionem Epiſcopalem habeat, vel ſi habeat iuriſdictionem, non habeat tamen dignitatem Epiſcopalem.

2 Reſpondeo primò. Superior, ad quem recurrendum eſt pro approbatione permutationis eſt ille Epiſcopus, in cuius Diæceſi ſitum eſt beneficium, requiritur tamen etiã conſenſus illius, ad quem ſpectat collatio. *Rota Romana deciſ. 398. in nouis Panormitanus in c. quaſitum de rer. permut., Federicus de Senis in tract. de permut. benef. q. 19., & 22., Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 32. nu. 14., Filliutius tract. 45. c. 7. quaſit. 8. n. 22., Rebuffus in praxi de permut. num. 2., & ſeqq. contrà Siluestrum verb. Permutatio II. quaſt. 2.* Probatur, quia iura requirentia ad validam, & licitam permutationem rerum Eccleſiaſticarum, ſeu beneficiorum auctoritatem, ſeu approbationem ſuperioris loquuntur de Epiſcopo expreſsè, vt præcipuè habetur *in c. vnico de rerum permut. in ſexto, & in c. quaſitum*, vbi ſola fit mentio Epiſcopi. Ibi *ſi autem Epiſcopus cauſam inſpexerit neceſſariam*, nec incongruè ſanè ratione, quia eo ipſo, quod actus debet conualidari vtique exigit ſuperioritatem in conualidante, ſeu interponente auctoritatem, hic autem in ordine ad Eccleſiaſtica non poteſt eſſe, niſi Epiſcopus, qui ſolum in rigore dicitur ſuperior in ſua Diæceſi; atque iuxtà hunc ſenſum loquuntur *Panormitanus in d. cap. quaſitum de rer. permut., Bonacina de ſimon. quaſt. 4. §. 12, nu. 7., & alij mox cit. in reſponſ.*

Actus, vt auctorizetur, requirit ſuperioritatem.

Dixi, *requiritur tamen conſenſus illius, ad quem ſpectat collatio*, quia præſumendum non eſt, quod iura voluerint iuri alterius derogare, nam ſicuti permutatio beneficij habentis patronum laicum facta ab Epiſcopo contempto patrono, quamuis abſolutè non eſſet nulla, eſt tamen annullanda *Rota in deciſ. 310. permutatio in nouis*, & patronis non vocatis facta quamuis iuxtà aliquorum placitum ab initio valeat *cap. 1. de rerum permut. in clem., Guido Pap. quaſt. 379., Aym. Crau. conſ. 82. num. 1. vol. 1*, inutilis tamen redditur, ſi eam ipſi ratam habere noluerint, ſed contradixerint, *Felinus in cap. cum Bertoldus de re iud., Roch. Curt. in tract. de iure patron. verb. honorificum quaſt. 3., Aym. Crau. conſ. 82. num. 1. vol. 1.*, ità etiam permutatio beneficij habentis alterum, qui habeat auctoritatem, ſeu ius illud conferendi erit irritanda, vtpotè inutilis, ſi facta fuerit irrequiſito eodem habente talem auctoritatem, quia in iure non excluditur illius conſenſus, nec præſumi debet, quod iura voluerint eidem derogare.

Reſpondeo ſecundo, ſi duo ſint Epiſcopi, quorum alter habeat beneficium ſitum in ſua Diæceſi, habeat alter ius illud conferendi, ſeu illud contulerit, in permutatione videtur potius requiri approbatio habentis ius conferendi, ſeu collatoris, quam habentis beneficium in ſua Diæceſi. Ratio eſſe poteſt, quia quando ſunt omnia requiſita à iure, ad quem ſpectat conferre, ſpectat etiam permutare, nec in hoc iura aliquid reſtringunt, ſed dumtaxat requirunt ad permutationem dignitatem, ſeu iuriſdictionem Epiſcopalem, quę vtique eſt in Epiſcopo habente poteſtatem conferendi, qui licet non habeat iuriſdictionem in illos beneficiarios, habet tamen iuriſdictionem in beneficium, & in eoſdem etiam quoad collationem. Confirmatur ex dictis ſuperius, quia permutatio debet fieri per reſignationem beneficiorum in manibus Superioris, & per collationem poſteà per eundem faciendam ipſis beneficiarijs, & ſine tali collatione permutatio beneficiorum ius non tribuit, *Cardin. in Clem. 1. quaſt. 15.*, ergo debet fieri per auctoritatem, ſeu approbationem illius, qui ius habet conferendi, cæteroqui irrita eſſet collatio. Confirmatur ſecundò *ex cap. vnic. de rerum permut. in 6.*, vbi dicitur *illos tamen, qui ſecundum formam iuris ſua beneficia in eadem Diæceſi ad ſuam collationem ſpectantia permutare volentes liberè, & ſine fraude in manus tuas reſignent*, ergo, ſi illa beneficia ſint exiſtentia in alicuius Epiſcopi Diæceſi, non tamen ad illius collationem ſpectantia, non ſunt in illius manus reſignanda. Conſequentia probatur, quia dum Pontifex dicit ſimul *exiſtentia in tua Diæceſi, & ad tuam collationem ſpectantia* videtur vtrumque requirere, adeò vt, ſi extiterint in Diæceſi, non tamen ſpectarint ad ipſius collationem, non ſint beneficia eidem reſignanda, ſed collatori. Nec obſtare poſſunt ea, quæ afferunt *Ioannes Andræas, & Paulus in clem. 1. de rer. permut.*, & nos etiam diximus ſupra in reſponſione prima, nempè approbationem pertinere ad Epiſcopum, in cuius Diæceſi beneficium ſitum eſt, etiam ſi ad alium collatio pertineat; non, inquam, obſtare poteſt, quia ibi erat ſermo de aliquo, ad quem ſpectabat collatio, qui non eſſet Epiſcopus, ſed 3

Habet ius in beneficiarios quoad collationem.

Expoſitio textus *in c. vnico de rerum permut.* ad rem noſtram.

Digitized by Google

ſed inferior, quæ certè vera ſunt, quandoquidem in ipſo deficeret illa qualitas ſuperioritatis à iure requiſita ad approbandam permutationem, hic autem eſt ſermo de habente illam dignitatem &c. ergo &c. Neque vlterius obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ex eo præciſè, quod habeat ſitum in ſua Diœceſi beneficium, non habeat ius conferendi, adeoque neque permutandi, cum ex ſuperius dictis permutatio ipſa importat quodamodò nouam collationem. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quamuis ius non habeat primò conferendi, habet tamen ex diſpoſitione iuris ius approbandi permutationem iuris primo collati cum alio iure, quod eſt noua quædam ſpecies collationis dependentèr tamen a primo cōferente, qui debet eſſe requiſitus ad talem approbationem, vtſupra dicebamus *verſ. dixi requiritur*.

4 Reſpondeo tertio, ſi beneficia permutanda ſint extrà diœceſim fieri debet permutatio auctoritate vtriuſque Epiſcopi *Card. in clem. vnica 9. quæſt. de rerum permut.* Intelligitur reſponſio de benefitijs, quorum vnum extat in diœceſi vnius, alterum in Diœceſi alterius Epiſcopi. Ratio eſt, quia non minus ius habet Epiſcopus in beneficijs exiſtentibus in ſua Diœceſi, & alter in ſua, ergo ſi ratione ſuperioritatis, quam vnus habet quoad vnam requiritur eius approbatio, etiam ratione ſuperioritatis, quam habet alter quoad alteram ratione exiſtentiæ in ſua Diœceſi, requiri debet eius approbatio.

Vterque habet ius, & iuriſdictionē.

5 Reſpondeo quarto, Nomine Epiſcoporum veniunt etiam, qui iuriſdictionem habent Epiſcopalem, quamuis dignitatem Epiſcopalem non habeant, *Gloſa in clem. vnica de rerum permutat. verſ. concedantur Rebuffus in praxi de permut. num. 2., & ſeqq. Rota deciſ. 5., & 6. in nouis de rerum permut., Regnaldus lib. 23. num. 261., Suarez lib. 4. de ſimon. cap. 23. num. 11., & alij magis communitèr.* Ratio eſſe poteſt, quia talis poteſtas approbandi competit Epiſcopo intuitu iuriſdictionis, non dignitatis, vt optimè obſeruat *Bonacina de ſimonia quæſt. 4. §. 12. num. 7. verſ. alij verò intelligunt*, ergo, ſi cui competit iuriſdictio Epiſcopalis, quamuis non competat talis dignitas, competet etiā ius approbandi permutationes beneficiorum; vndè iure merito aſſerit *Gloſa in Clemen. vnica de rerum permutatione, & Abbas in d. c. cum olim in 2. col. in fin. de maior., & obed.*, quod capitulum ſede vacante interponere poteſt ſuam auctoritatem in permutatione beneficiorum, cum talis auctoritas ſit iuriſdictionis *Federicus de Senis conſ. 28.*, & in ijs, quæ iuriſdictionis ſunt idem capitulum in omnibus ſuccedat per vulgatiſſima iura. Idem quod de capitulo ſede vacante dictum eſt extendit etiam *Bonacina d. quæſt. 3. §. 12. num. 7. verſ. alij verò intelligunt* ad Abbatem non habentem ſuperiorem in iuriſdictionalibus, ſed territorium ſibi immediatè ſubiectum propter eandem rationem, quia ſcilicet habet omnia iuriſdictionalia in tali loco, quæ habet Epiſcopus in ſua Diœceſi.

Ius approbandi competit Epiſcopo intuitu iuriſdictionis, nō dignitatis

Cum dictum fuerit nomine Epiſcoporum in iuriſdictionalibus venire omnes, qui habent iuriſdictionem Epiſcopalem oritur hic immediatè difficultas, an iſti veniant ſub tali nomine in ijs, quæ ex ſpeciali delegatione Papæ committuntur Epiſcopo. Negatiuè abſolutè crederem eſſe ſentiendum *Decius in cap. quoniam Abbas de officio deleg. num. 15., Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 32. num. 11.* Ratio eſt, quia Pontifex ſpecialitèr delegando Epiſcopum videtur ſpecialitèr attendere operam habentis talem dignitatem, vndè ſpecialitèr de capitulo ſede vacante dicitur, quod licet ſuccedat quoad iuriſdictionem in ijs, quæ iuris communis ſunt, non tamen in ijs, quæ ſunt iuris ſpecialis *Doctores communitèr in c. verum de foro competenti, & ibi Abbas*, facit, quod notat *Innocentius in cap. cum in cunctis de electione, & Antonius de Butr. in c. quamquam de elect. lib. 6.*, & quod notat *Gloſa in clem. 1. de hære, & ArchiDiaconus in cap. 1. ne ſede vacante.*

6 Reſpondeo quinto, Epiſcopus ſi ob aliquod delictum ſuſpenſam habeat iuriſdictionem non poteſt per ſuam auctoritatem approbare permutationem beneficiorum, quæ in ipſius Diœceſi ſunt, niſi ſuſpenſio talis iuriſdictionis ſit ignorata. Ratio primæ partis eſt, quia talis approbatio permutationis actus eſt iuriſdictionis, actus autem exerciti durante ſuſpenſione nullius omninò roboris ſunt, ſicuti nulla eſt collatio beneficiorum per Epiſcopum ſuſpenſum exercita. Ratio ſecundæ partis eſt, quia in iuriſdictionalibus error communis facit ius, & quamuis non adſit titulus realis, adeſt tamen titulus coloratus, qui ſufficit ad validitatem actuum, qui exercentur etiam in ſuſpenſione, & excommunicatione per ea, quę docent communitèr Theo-

In iuriſdictionalibus error communis facit ius.

logi,

Digitized by Google

logi, & canoniſtæ in diſceptationibus de cenſuris &c.

§. XV.

An permutatio beneficij cum penſione poſſit fieri ſolius Epiſcopi auctoritate.

SVMMARIVM.

Series facti, & ratio dubitandi. 1.
Ad talem permutationem requiritur beneplacitum Apoſtolicum. 2.
Soluitur ratio dubitandi. 3.
Ex conſuetudine Legatus à latere approbat talem permutationem. 4.
Non poteſt Epiſcopus approbare permutationes beneficiorum, ſi fiat cum penſione. 5.
Reſeruata penſione in fauorem alicuius non poteſt quis illam cum beneficio permutare per ſolum Epiſcopi auctoritatem. 6.
Niſi Epiſcopus ius acquiſierit ex priuilegio, ſeu conſuetudine. Ibid.

1 DIſquiſitio XV. Statuerat Franciſcus beneficiarius pactum de renuntiatione ſui beneficij in fauorem Caij, vt Caius loco beneficij teneretur penſionem ſoluere tot nummorum quot annis eidem Franciſco, & pro approbatione pacti, ſeu illius permutationis recurſum habuerunt ad Epiſcopum loci, in cuius Diæceſi ſitum eſt illud beneficium. Orta fuit hic controuerſia, an talis Epiſcopi approbatio ſufficiens ſit, an verò requiratur auctoritas ſummi Pontificis.

Tam beneficium, quà penſio ſunt quid Eccleſiaſticum.

Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod, ſi licet permutatio beneficij pro beneficio per ſolam Epiſcopi auctoritatem, ſeu approbationem, cur non licere poteſt etiam permutatio beneficij pro penſione etiam ſpirituali dependentèr, vel ab eodem, vel ab altero beneficio? Certè non minus beneficium, quam illa penſio ſupponitur Eccleſiaſtica. Nihilominus.

2 Reſpondeo primo, ad talem permutationem requiri beneplacitum Apoſtolicum, *Leſſius lib. 1. cap. 34. dub. 38., & cap. 35. dub. 15., Suarez. lib. 4. de ſimon. cap. 33. num. 4., Filliutius tract. 45. cap. 7. num. 26.*, quidquid aſſerant nonnulli apud Leſſium loco citato, nempè *Gigas quæſt.*, vbi etiam citat *Oldradum, Felinum, Antonium de Butrio, Innocentium, Immolam, Petrum Ancharanum, Decium, & alios*. Probatur primò, quia ad ſolum Romanum Pontificem, tum ex ſtilo curiæ, qui facit ius, tum ex conſuetudine ſpectat in collatione beneficiorum penſiones imponere ex iuxta cauſa in fauorem illius, cuius voluerit, ergo ad ipſum etiam ſolum ſpectabit approbatio permutationis beneficij cum penſione. Conſequentia tenet, quia illa permutatio nihil aliud eſt, quam beneficium conferre cum onere illo penſionis, ergo &c. Probatur ſecundo, quia illa impoſitio penſionum in collatione, ſeu reſignatione beneficiorum eſt quædam derogatio iuris communis, ſecundum quod ſtatuitur, vt beneficia ſine vlla diminutione conferantur, vt habetur *in decreta l. lib. 3. tit. 12.*, ſed ad ſolum Pontificem pertinet diſpenſare in iure communi, ergo ad illam impoſitionem penſionum requiritur auctoritas Pontificis.

Impoſitio penſionis eſt quędam derogatio iuris cõmunis.

Ad rationem dubitandi dicendum eſt, diſparem eſſe rationem de permutatione beneficiorum adinuicem, & de permutatione eorundem cum penſionibus, nam in primis in prima permutatione beneficia conferuntur ſine deminutione, non in ſecunda. Deindè ſtilus curiæ Romanæ id obtinuit in permutatione beneficij cum penſione, non beneficij cum beneficio, vt optimè obſeruarunt Doctores præcitati. Tandem, quia expreſsè conceſſa eſt Epiſcopis poteſtas approbandi permutationes beneficiorum, non penſionum; poteſtas autem conceſſa contra diſpoſitionem iuris communis non extenditur vltra expreſſa. 3

Diſcrimina inter pẽſiones, & beneficia.

Reſpondeo ſecundo, ex conſuetudine Legatum à latere Pontificis poſſe approbare permutationem beneficij cum penſione, *Rebuffus §. de reſignatione conditionali num. 12.*, cui aſſentitur *Leſſius lib. 2. c. 35. de ſimonia dub. 15. nu. 91.* Non aliundè poteſt deduci hæc reſponſio, quam ex maxima auctoritate, quæ à ſummis Pontificibus huiuſmodi Legatis conceditur regularitèr, & ex conſuetudine, ſecundum quam legitimè ijdem Legati à latere tale ius præſcripſerunt ſcientibus Pontificibus, & non reluctantibus. 4

Reſpondeo tertio, non poſſe ſola Epiſcopi auctoritate fieri permutationes beneficiorum adinuicem, ſi purè non fiant, quatenus fiant cum penſione, *Bonacina tract. de ſimonia quæſt. 4. §. 12. nu. 7. verſ. dixi in reſponſione*, qui pro ſe allegat *Stylum curiæ Romanæ, Suarez, Leſſium, Filliutium, & alios*. Probatur, quia ex ſuperius dictis per 5

ſolam

ſolam Epiſcopi approbationem, & auctoritatem non poteſt fieri permutatio beneficij cum penſione, ſeu quod idem eſt reſignatio beneficij reſeruata penſione, ergo nec poteſt fieri permutatio beneficij cum beneficio, quæ non ſit omninò pura, ſed cum penſione. Conſequentia probatur, quia ideo non poteſt fieri in primo caſu, quia penſio non poteſt imponi, niſi auctoritate Papæ, ſine qua non poteſt fieri diminutio eiuſdem beneficij, nec ſeparatio fructuũ ab eodem beneficio, ſed etiam dum fieret permutatio beneficij cum beneficio reſeruato ſimul onere penſionis fieret diminutio, & ſeparatio fructuum ab eodem beneficio, ergo, ſi nequit fieri in primo caſu, neque poterit in ſecundo.

Non poteſt Epiſcopus ſeparare fructus à beneficio.

6 Reſpondeo quarto, collato beneficio alicui, & reſeruata in fauorem alterius per auctoritatem eius, ad quem pertinet, penſione in tali beneficio, non poteſt per hunc, in cuius fauorem reſeruata eſt illa penſio fieri commutatio eiuſdem penſionis cum beneficio alterius accedente ſola ordinarij approbatione, ſeu auctoritate, niſi ordinarius hoc habeat, vel ex conſuetudine legitimè præſcripta, vel ex priuilegio. Probatur, quia non poteſt ius penſionis, quod habetur in aliquo beneficio de vno in alium transferri inconſulto Romano Pontifice, hocque habetur de communi ſtylo Curiæ Romanæ, ſecundum quem, S. R. E. Cardinales ius ad penſiones in ſui fauorem conceſſum in alios nō transferunt ſine approbatione Pontificis, & ſi transferant, non tenet translatio, ergo neque poteſt cum beneficio alterius permutari. Conſequentia probatur, quia quod nequit ſimplicitèr in alium transferri, nequit etiam commutari, quandoquidem per permutationem in alium transfertur, & ipſa permutatio eſt ſpecies translationis, & alienationis.

Penſio ſine Pontificis auctoritate nō poteſt ab vno in aliũ transferri.

Neque obſtare poteſt reſponſioni, quod ex ea non ſequantur ea incommoda, quæ allegata ſunt in præcedentibus reſponſionibus, nempè, quod fieret contrà diſpoſitionem iuris communis diminutio in beneficijs, & ſeparatio fructuum ab eiſdem, derogatio iuri communi, & extenſio facultatis vltra expreſſa, propter quæ dictum fuit, quod impoſitio penſionum in beneficijs pertineat ad ſolum Romanum Pontificem, non extendatur ad alios Epiſcopos, quandoquidem in hypotheſi, de qua loquimur, non fieret diminutio, nec ſeparatio fructuum, cum iam illa penſio eſſet diminuta, & ſeparata à beneficio auctoritate Pontificis in collatione antecedentèr facta beneficiario in fauorem eius, qui modò vult illam penſionem cum beneficio permutare, nec fieret derogatio iuri communi, quandoquidem eidem iam eſſet derogatum per Pontificem. Sed contra, quia quamuis allegatæ rationes illę ſint potiſſimum, propter quas penſionis impoſitio non poteſt fieri, niſi per Romanum Pontificem; nihilominus quia de iure communi ſtatutum eſt, vt quoad penſiones Eccleſiaſticas nullus poſſit abſolutè diſponere, niſi Romanus Pontifex, hinc eſt, quod quamuis in aliquo particulari caſu illæ rationes non militarent, adhuc ius de illis diſponendi non deuolueretur ad particulares Epiſcopos, quandoquidem de iure communi eſt reſeruatum Pontifici, & conſuetudo ipſa iam obtinuit, vt ab alio, quam ab ipſo de eiſdem non diſponatur.

§. XVI.

An in permutatione beneficiorum licitum ſit dare ſimul cum beneficio minus pingui pecuniam in ſupplementum beneficij pinguioris.

SVMMARIVM.

Exprimitur ſtatus difficultatis, & dubia circa ipſam proponuntur. 1.
Beneficium vnum poteſt eſſe dignius alio duplicitèr, & quomodò. 2.
Non poteſt fieri illa permutatio cum illo additamento rei pretio æſtimabilis, ſi illa conferatur ratione ſpiritualium munerum, quæ maiora ſunt in alio beneficio, quod acquiritur. 3.
Poteſt fieri ex genere ſuo illa permutatio cum additione temporalis, ſi illa conferatur occaſione prouentuum temporalium. 4.
Illa permutatio non poteſt fieri per ſolam Epiſcopi auctoritatem, ſed requiritur Pontificis aſſenſus. 5.

Diſquiſitio XVI. Duo beneficiarij tractatum adinuicem habuerant de permutatione propriorum beneficiorum facienda, ſed cum pinguius eſſet beneficium vnius comparatiuè ad beneficium alterius facta fuit conuentio, vt ille, qui minus pingue beneficium habebat ad cōſtituendam equali- 1

litatem tantum cum ſuo benefitio pecuniæ erogaret; quantum ſufficeret ad illam æqualitatem. His peractis, vterque in manus Epiſcopi beneficium ſuum reſignauit iuxta formam à iure præſcriptam in ſimilibus permutationibus. Hic dubia multa orta fuerunt, & primò, an potuerit ad conſtituendam æqualitatem fieri illud ſupplementum in pecunia comparatiuè ad beneficium pinguius. Secundo, an illa permutatio cum illo additamento pecuniæ fieri potuerit ſola Epiſcopi approbatione, an verò requiratur Pontificis auctoritas. Tertiò, an illa permutatio, ſi fieri poteſt auctoritate Pontificis, cohoneſtetur per diſpenſationem, an per aliquam aliam rationem, & quamnam. Pro ſolutione.

Dubia circa quæſitum diſcutienda

2 Aduerte primò, quod beneficium aliquod poteſt eſſe alio dignius dupliciter, primo ratione ſpiritualium iurium, de quibus plus habet Eccleſia vna, quam alia, quatenus habet maiorem auctoritatem in adminiſtratione ſpiritualium, quam alia, prout notauit *Panormitanus in c. quæſtiones de rerum permut.*, ſecundò ratione temporalium prouentuum, quatenus vnum beneficium plures, & longè plures prouentus habet, quam alterum, & ſic in ordine ad vtramque dignitatem procedere poteſt præſens titulus.

Aduerte ſecundo, ſimoniam, quæ non ſolum importat venditionem rei ſpiritualis pro pretio temporali, ſed etiam permutationem ſpiritualis, & temporalis adinuicem ità eſſe ab intrinſeco malam, vt nulla auctoritate, nullaque ratione manens formalitèr talis, poſſit cohoneſtari per ea, quæ datè trademus *tom. 3. ſub tit. Contractus VIII. prænot. 2.*, & non ſolum eſt talis iure naturali, & ab intrinſeco, ſed etiam iure diuino, quatenus, ſi non eſſet talis ab intrinſeco, adhuc per nullam humanam poteſtatem poſſet in illa diſpenſari. His poſitis.

Simonia reſpicit etiã permutationem.

3 Reſpondeo primo, non poteſt fieri illa permutatio cum illa qualitate additamenti pecuniæ, vel alterius rei temporalis pretio æſtimabilis, ſi illa conferatur occaſione ſpiritualium iurium, quæ maiora ſunt in vno beneficio, quam in alio, *Panormitanus in d. c. quæſtiones de rer. permut.*, & eſt communis cõſenſus tàm Theologorum, quam Canoniſtarum. Probatur. Eſt omni iure tùm naturali, tùm diuino prohibita permutatio facta ſimplicitèr rei ſpiritualis pro temporali, vt latè definitum, & probatum remanet *tom. 3. loc. mox cit.*, ergo eodem iure prohibita intelligitur permutatio pro parte facta rei ſpiritualis pro temporali, quamuis ſimul cum hoc conferatur etiam aliquod ſpirituale. Conſequentia probatur, quia ſemel admiſſo, quod ex genere ſuo ſemper ſit mala commutatio ſpiritualis pro temporali ſemper erit talis, ſiuè ad talem commutationem concurrat pro toto ſpirituali res temporalis tanquam pretium adæquatum, ſiue concurrat dumtaxat tanquam pars pretij, ſiquidem non minus eſt inæſtimabilis res ſpiritualis pro temporali quoad totum, ac quoad partem, & non minus oritur inordinatio ex eo, quod res ſpiritualis ordinetur ad temporalem quoad totum, ac quoad partem tantum, ergo &c. Confirmatur, quia non minus eſt inadæquabilis res ſpiritualis per temporalem, ac ſit inadæquabilis pars ſpiritualis per partem temporalem, ergo ſi ratione inæqualitatis illius permutatio ſemper eſt mala, vt eſt in confeſſo apud omnes, etiam ratione eiuſdem inæqualitatis ſemper erit mala iſtius permutatio.

Ex quibus directè habes, quod, ſi illud quod datur in ſupplementum beneficij minus digni ſit pro maiori dignitate modo, quo diximus in reſponſione in adminiſtratione iurium ſpiritualium, quæ eſt in magis digno ſemper conſtituat ſimoniam quocunque iure humano, & etiam diuino indiſpenſabilem, adeo vt non poſſit etiam cohoneſtari quamuis Pontificius conſenſus accederet, in quo ſenſu loquitur *Panormitanus loc. cit., Silueſter verb. permutatio II. quæſit. 6.*, & cum eo *Archi Diaconus*.

Reſpondeo ſecundo poteſt fieri ex 4
genere ſuo illa permutatio cum illa qualitate additamenti pecuniæ, ſeu alterius rei pretio æſtimabilis, ſi illa conferatur occaſione prouentum temporalium, qui ſunt in beneficio digniori, ſeu pinguiori. Hæc reſponſio colligitur expreſsè ex textu *in c. ad quæſtiones de rerum permutatione*, vbi, cum ageretur de permutatione duorum beneficiorum Parochialium, quorum alterum in prouentibus temporalibus aliud, cum quo permutari debebat, excedebat, dictum fuit per Pontificem, quod poterat fieri illa permutatio refuſa certa pecuniæ quantitate ad conſtituendam æqualitatem, ibi, *Illis autem deſiderantibus permutare, cum illarum altera reſpectu meliorum prouentuum plus abundet, & ideo ſibi poſtulat*

adijci

Digitized by Google

adijci certam ſummam pecuniæ numeratæ, vt ſic ad æqualitatem permutationis valeat peruenire, vtrum poſſet id licitè fieri, fuit dubitatum, & infrà. Reſpondens quidem, quod cum de dictis Parochialibus Eccleſijs per ſe queat commutatio celebrari, & in permutatione poſſeſſionum per ſe non ſit inhibitum, ſi altera ratione poſſeſſorum alteri præponderat, pecuniam poſſe refundi de ipſarum poſſeſſionibus adinuicem prout viſum fuerit expedire; refuſa certa pecuniæ quantitate poterit contractus permutationis iniri, ſic tamen, quod illi contractus nequaquam ſibi inuicem miſceantur. Hæc ad verbum *Clemens III. relatus in d. c. ad quæſtiones*, quæ expreſsè, & de verbo ad verbum retuli, quià maximè conferunt ad præſens inſtitutum. Vbi nota in primis, quod (cum ibi eſſet ſermo de duabus Eccleſijs conuentualibus, quarum vnaquæque habebat ſibi ſubiectam Eccleſiam Parochialem, ita tamen, vt vna Parochialis eſſet magis vicina alteri conuentuali, cui non erat ſubiecta, & altera item Parochialis magis vicina primæ conuentuali, cui nõ erat ſubdita, & vna ratione poſſeſſionum habebat maiores redditus, quam altera) voluit Pontifex, quod duplex quodamodo permutatio virtualiter iniretur, vna, qua permutaretur Eccleſia vna Parochialis cum alia ſecundum ſe, altera, qua poſſeſſiones vnius cum poſſeſſionibus alterius. Ibi. *quod cum de dictis Parochialibus Eccleſijs per ſe queat commutatio celebrari, & in permutatione poſſeſſionum per ſe non ſit inibitum*, & paucis interpoſitis, *ſic tamen quod illi contractus nequaquam ſibi inuicem miſceantur*. Nota inſuper, quod ipſa Eccleſia Parochialis ſit ſaltem intentionaliter, & virtualiter ſeparabilis à iure prouentuum, ſeu ab ipſis poſſeſſionibus auctoritate Pontificis, dum voluit, quod prius fieret permutatio de ipſis Eccleſijs, poſteà de poſſeſſionibus ipſarum. Nota tandem, quod non voluit Pontifex, vt illud ſupplementum pecuniæ poſſit erogari pro ipſo beneficio, ſeu Eccleſia Parochiali, quod magis confirmat primam noſtram reſponſionem, ſed pro complemẽto, & ad æqualitatem prouentuum, per quod clarè euincitur ſenſus huius noſtræ reſponſionis, & indicatur ſeparabilitas ſaltem intentionalis, ſeu virtualis iuris ad prouentus ab ipſa ratione formali Eccleſiæ, ſeu beneficij, vnde argumentum ad rem noſtram efficax ſic efformatur.

Textus ad rē propoſitam valdè accomodus.

Non eſt ſimonia iure naturali, & diuino prohibita permutatio rei temporalis pro temporali, ſiquidem ſimonia ex genere ſuo reſpicit ſolummodò iura ſpiritualia, ſed facta illa ſeparatione virtuali contractuum, pro vt habetur *in d. cap. ad quæſtiones de rer. permut.* fieret ſolummodò permutatio temporalis pro temporali, non ſpiritualis pro temporali, ergo non eſt ſimonia iure naturali, & diuino prohibita, ergo accedente auctoritate Superioris licitè poſſet fieri talis permutatio. Quod, ſi dicas, quod illud temporale pinguius, ratione cuius ſit illud ſupplementum pecuniæ numeratæ, vel alterius rei pretio æſtimabilis, ſit annexum ſpirituali, adeòque, quod committatur etiã ſimonia, dum pro illo erogatur pretium, cum ſimonia committatur non ſolùm in contractatione reũ ſpiritualium ſimplicitèr pro temporalibus, ſed etiam in contractatione temporalium ſpiritualibus annexorum, vt ſuperius probabamus, pro purè temporalibus; ſtatim impugnaberis, quia, quamuis regulariter beneficium, & illud ius ad temporales prouentus coniungantur, auctoritate tamen Pontificis poſſunt intentionalitèr ſeiungi, & virtualitèr ſeparari, qua poſita intentionali, ſeu virtuali ſeparatione non eſt, cur non poſſit fieri illa compenſatio, vt benè notat *Caietanus ſecunda ſecundæ qu. 100. art. 4. Panormitanus ad cap. ad quæſtiones de rerum permut. num. 3. Silueſter verb. permutatio 2. quæſt. 6. Tabiena verb. Beneficium III. n. 15.* licet hanc compenſationem diuerſimodè diuerſi explicent. Alij dicunt ex natura rei hanc compenſationem non poſſe contingere, ſed per diſpenſationem factam auctoritate Pontificis; ſed, ſi non poſſet fieri ex natura rei, hoc eſſet, quia ſpirituale nõ poteſt venire in commertium cum temporali, cum non ſupponeretur illa intentionalis iurium ſeparatio; ſed hoc poſito, neque etiam poſſet fieri diſpenſatio per Pontificem, cum humana auctoritas non extendatur ad ea, quæ iuris naturalis, & diuini ſunt. Alij dicunt, illam compenſationem fieri per hoc, quod Pontifex facta illa prouentuum ſeparatione partem eorundem prouentuum applicet in ſuſtentationẽ recipientis minùs pingue beneficium concedendo, vt huiuſmodi fructus, ſeu prouentus ſeparati præſenti pecunia redimantur ab eo, qui pinguius beneficium recepit. Alij per hoc, quod ille, qui pinguius beneficium recepit, det aliquid alteri non in ſtipendium permutationis, ſeu ad conſtituendam æqualem compenſationem, ſed in con-

Explicatur quomodò fiat illa compenſatio

Lil gruam

gruam ſuſtentationem illius, qui minus pingue beneficium in permutatione habet. Sed hæ expoſitiones, quamuis ſanum ſenſum non reſpuant, non congruunt tamen literali ſenſui, & proprio textus *in d. cap. ad quæſtiones de rer. permutatione*, vbi dicitur, quod illa pecuniarum quantitas refundatur ad compenſationem. Ibi- *Et ſic ad æqualitatem permutationis ſic valeant peruenire*. Quamobrem illam compenſationem exiſtimo de directo fieri per hoc, quod illud ſupplementum ponatur ad conſtituendam æqualitatem in ordine ad prouentus, quod nullam inuoluit prauitatem ſuppoſita illa virtuali ſeparatione, cum non detur temporale pro ſpirituali, ſed pro temporali, vndè bene aduertit Pontifex, quod non debeant illi contractus miſceri, ſed vnus ſeparari ab alio, quatenùs prius virtualitèr fiat de ſe permutatio Eccleſiarum, ſeu beneficiorum, poſtea prouentuum, in quibus ponatur æqualitas per illud ſuplementum pecuniarum.

Hic non ſanè fero expoſitionem *Panormitani in cap. ad quæſtiones de rerum permutatione*, qui negans abſolutè poſſe fieri illam permutationem beneficiorum inæqualium, explicat illum textum per hoc, quod ibi non eſſet ſermo de pecunia tradenda ad ſupplementum, ſeu compenſationem inæqualitatis fructuum annexorum tali beneficio, ſeu Eccleſiæ illi titulo beneficij, ſed ad compenſationem inæqualitatis poſſeſſionum, quæ non erant annexæ tali titulo, ſeu beneficio, ſed erant quodamodò patrimoniales Eccleſiæ illius, deſtinatæ ſcilicet ad onera talis Eccleſiæ ſuſtinenda, quæ ſcilicet erant merè temporales, & propterea iuſtè poterant compenſari per illud additamentum pecuniæ, ſeu bonorum temporalium. Non, inquam, ſanè fero, quandòquidem, ſi ibi eſſet ſermo, vt vult Panormitanus, de illa inæqualitate poſſeſſionum non annexarum beneficio vtique poterat ſollummodò fieri permutatio Eccleſiarum ſine permutatione illarum poſſeſſionum, & incongruè diceretur vna Eccleſia pinguior altera ratione prouentuum, ſed dicendum foret vnū monaſterium alio pinguius, quià, vt non negat *Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 84. ſect. 6. n. 110.* illa bona pinguiora poſſiderentur a monaſterio, vt bona monaſterij non in titulum beneficij, ſed in proprietatem, vt alia bona, quæ illius propria ſunt ad ſuſtentationem monachorum. Cum autem in allegato textu dicatur, *cum illarum altera*, eſt ſermo de Eccleſia Parochiali, *reſpectu meliorum prouentuum plus abundet* ſignum eſt, quod ſint bona in titulum aſſignata eidem Eccleſiæ, non præcisè titulo proprietatis poſſeſſa à Moniſterio. Cæterum non eſſet neceſſitas, quod, dum ageretur de permutatione Eccleſiarum, ageretur ſimul de permutatione poſſeſſionum, cum eſſent bona omninò diſparata. Facit maximè ad rem noſtram contra Panormitanum id, quod habet *Gloſa in d. cap. ad queſtiones. Vtraque illarum habebat Eccleſiam Parochialem cum poſſeſſionibus ſuis*, vbi nota illas particulas *cum*, & *ſuis*, quæ dicunt connexionem non cum Eccleſia cōuentuali, ſed cum Parochiali, quod clarius liquet ex verbis ſubſequentibus. *Sed altera Parochialis Eccleſia pluribus poſſeſſionibus abundabat*.

Hic pro complemento remanet diſcutiendum, an illa permutatio iuxtà modum ſuprà explicatum pinguioris beneficij cum minus pingui cum illo additamento pretij, ſeu rei purè temporalis pretio æſtimabilis poſſit fieri auctoritate ſolius Epiſcopi, in cuius Diæceſi ſunt illa beneficia modo, quo dictum eſt ſupra de ſimplici, & pura beneficiorum permutatione, an verò exigat auctoritatem, ſeu approbationem Romani Pontificis. Omiſſis nonnullorum placitis placet aſſertio aſſerens illam permutationem fieri non poſſe per ſolam Epiſcopi auctoritatem, ſed requirere Pōtificis approbationem *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 34. num. 9. Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 84. ſect. 6. num. 107. Bonacina tract. de ſimonia quæſt. 4. §. 12. num. 11.* Probatur ex ijs, quæ fusè dicentur *tom. 3. ſub tit. Contractus VIII. de ſimonia Prænot. 3. & 4.* quià ſcilicet de iure communi, ſeu iuxta diſpoſitionem iuris communis illæ duæ rationes beneficij, & iuris prouentuum ſunt inſeparabiles, ſed ſolus Pontifex, non particularis Epiſcopus poteſt derogare ijs, quæ ſunt de iure communi, ergo poteſt ſolummodò per eundem fieri illa ſeparatio, ſine qua, ſi fieret permutatio, & traderetur ſpirituale pro alio ſpirituali, ſed ſimul tamen cum pretio ad ponendam æqualitatem, fieret ſimonia per ea, quæ ſuprà allegauimus. 5

§. XVII.

§. XVII.

An, ſi fieret illa permutatio pinguioris beneficij cum minus pingui cum illo additamento propria, vel ſoliùs Epiſcopi auctoritate committeretur ſimonia contra ius Diuinum.

S V M M A R I V M.

Expoſitio caſus, & ratio dubitandi. 1. *Si fiant huiuſmodi permutationes per ſolam Epiſcopi auctoritatem committitur ſimonia contrà ius diuinum.* 2. *Soluitur ratio dubitandi propoſita.* 3.

1 Diſquiſitio XVII. Facta inter ſe conuentione inter duos beneficiarios de proprijs beneficijs adinuicem permutandis, cum alterum ipſorum beneficiorum eſſet pinguius quoad prouentus temporales, ſtatuerunt, vt in ſubſidium minùs pinguis erogaretur certa pecuniæ quantitas modo expoſitio in præcedenti §., ſed de tali conuentione, vel cum nullo, & ſolummodò inter ſe, vel ſolummodò cum Epiſcopo peregerunt, à quo reportarunt approbationem. Hos incidiſſe in crimen ſimoniæ ex mox dictis clarè liquet, quandòquidem per ſolam Pontificis auctoritatem poteſt fieri illa ſeparatio, de qua ſupra, ſinè qua ſemper ſpirituale conferretur pro temporali, & ſic ſemper crimen ſimoniacum incurretur. Difficultas modò eſt, an per talem commutationem ſine Pontificis approbatione fieret ſimonia iure duntaxat Eccleſiaſtico prohibita, an verò iure diuino.

2 Ratio dubitandi ex conſurgit, quià, ſi eſſet ſimonia contra ius diuinum, de iure diuino eſſet, quod huiuſmodi beneficia non poſſent commutari cum rebus temporalibus, quod ſi eſſet, nec poſſent commutari accedente etiam auctoritate Pontificis, cũ hic nequeat in ijs, quæ iuris diuini ſunt diſpenſare. Nihilominus.

Reſpondeo, ſi huiuſmodi permutationes fierent accedente ſola Epiſcopi approbatione, eſſent ſimoniacæ, & contra ius Diuinum. Ita ſenſiſſe videtur *Caietanus ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 4. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 34. num. 9. Silueſter verb. Permutatio II. quæſt. 6. Ognate d. tract. 23. de ſimonia diſp. 84. ſect. 6. num.* 106. & in hoc ſenſu locutos exiſtimo, quotquot negant poſſe fieri huiuſmodi permutationes, & inter cæteros *Adrianus quodlib. 9. cap. vlt. Coaruuias 1. var. cap. 5. num.* 8. Ratio ex eo deducitur, quià contractare ſpirituale, vel ſpirituali annexum pro pretio; ſeu re purè temporali eſt ſimonia iure diuino prohibita, ſed, dum permutaretur beneficiũ pinguius pro altero minus pingui adiecta pecunia ad conſtituendam æqualitatem accedente ſola Epiſcopi auctoritate contractaretur ſaltem partialitèr ſpirituale, vel ſpirituali annexum pro re purè temporali, nempè pro illa pecunia adiecta, ergo &c. Minor probatur, quià accedente ſola Epiſcopi approbatione illa duo iura, quæ conſiderantur in beneficio, adhuc remanent indiuiſa, nempè titulus beneficij, & ius ad prouentus eiuſdem, ergo ſemper verificaretur, quod ſpirituale, vel ſpirituali annexum conferretur pro illa pecunia. Antecedens probatur, quià apud Epiſcopum non reſidet facultas illa duo iura ab inuicem diuidendi, cum hoc ſit derogatio iuris communis, quæ ſolùm ad Romanum Pontificem pertinere poteſt, vt ſupra probabamus, ergo &c.

Eſſet permutatio rei ſpiritualis pro tẽporali.

Hinc facile erit reſpondere ad rationem dubitandi ſupra propoſitam; nam certiſſimum quidem eſt, Pontificem in ijs, quæ iuris diuini ſimplicitèr ſunt, non poſſe diſpenſare, & ſic efficere non poteſt, quod venditio rei ſpiritualis non ſit ſimonia iure diuino prohibita, & etiam de plenitudine propriæ poteſtatis ipſam, in aliquo caſu, vt talem non poteſt reddere licitam; poteſt tamen permutationem materiæ efficere, quod illud, quod erat obiectum Simoniæ, nõ ſit amplius tale per illam ſeparationem intẽtionalem, ſeu virtualem ſpiritualis a temporali modo ſupra expoſito, quod non eſt diſpenſare in ijs, quæ ſunt iuris diuini, ſed tantum facere, quod per talem ſubtractionem materiæ non ſit de iure diuino. 3

§. XVIII.

Vtrum beneficium permutari poſſit cum Hoſpitali.

S V M M A R I V M.

Factum in terminis particularibus exponitur. 1.

Digitized by Google

Si Hoſpitale conferatur in beneficium Clericis poteſt permutari cum beneficio ſine aſſenſu Apoſtolico. 2.

Si ſit conceſſum Clerico, ſed non in titulum non poteſt permutari cum beneficio. 3.

Si ſit conceſſum Laicis, & non ſit erectum auctoritate ordinarij non poteſt permutari. 4.

1 DIſquiſitio XVIII. Clericus beneficiarius tractatum habuit cum administratoribus cuiuſdam Hoſpitalis, ſeu immediatè cum Epiſcopo permutandi proprium beneficium cum præfectura Hoſpitalis, ſeu loci Pij, ex quo congruentes redditus percipiuntur. Orta hic fuit controuerſia, an talis permutatio licitè fieri potuerit ſine aſſenſu Apoſtolico requiſito ex diſpoſitione iuris iuxtà Extrauag. Pauli II. ad permutationem rerum Eccleſiaſticarum cum rebus temporalibus.

Agit fusè, & accuratè hac de re *Petrus de Ancharano in cap. fin. in tertia colum. verſic. quoad ſeptimum de rer. permut.* iuxtà varias diſtinctiones, quas ibi habet, quem tu conſule. Interim.

2 Reſpondeo primò, ſi Hoſpitale conferatur in beneficium Clericis, vtique poſſe permutari cum beneficio, abſque aſſenſu Apoſtolico, ſed ſola ordinarij auctoritate, & approbatione eo modo, quo dictum fuit ſuperiùs de permutatione duorum beneficiorum adinuicem *Petrus de Ancharano loc. mox cit. Silueſter verb. Permutatio II. quæſt. 11. Ioannes Anan. cap. vnico de rerum permutat. in 6.*

Probatur Hoſpitale conceſſum Clericis in titulum habet ſecundũ ſe rationem beneficij Eccleſiaſtici, ergo eodem modo poterit permutari cum beneficio Eccleſiaſtico, quo duo beneficia adinuicem permutantur. Antecedens patet, quia ex eo, quod ſit erectum in titulum factum eſt Eccleſiaſticum, & confert ius ad annuas præſtationes. Conſequentia etiam tenet, quia vbi militat eadem ratio prohibitionis, & conceſſionis, videtur idem ius militare tam quoad collationem, quam quoad permutationem.

Probatur ſecundò, quià Hoſpitale in titulum conceſſum Clerico non poteſt ſine labe ſimoniæ vendi, nec alienari per bona temporalia *cap. cum pſallere de ſimon. cap. per literas in clement. de præbendis*, ergo habet rationem boni Eccleſiaſtici, adeòque poteſt adinuicem permutari cum alijs bonis Eccleſiaſticis per ea, quæ habentur *in cap. ad quæſtiones de rer. permut.* & docet *D. Feder. quæſt. 14.*

Reſpondeo ſecundò, ſi Hoſpitale ſit commiſſum Clerico non in titulum, ſed vt bono viro adhuc per ſolam Epiſcopi approbationem non poteſt permutari cum beneficio Eccleſiaſtico. 3
Ità contrà *Silueſtrum loco, quo ſuprà d. D. Feder. quæſt. 14. Ioannes Anan. cap. vnico de rer. permut. lib. 6. Petrus de Ancharano in d. cap. fin. in 3. col. verſ. quoad ſeptimum de rer. permut.*

Probatur, quià licet Hoſpitale in data ſuppoſitione non ſit beneficium non eſt tamen titulus totalitèr profanus, ſed Eccleſiaſticus, maximè ſi Hoſpitale fuerit erectum auctoritate Epiſcopi, quia tunc tranſit in rationem loci Pij, non egreditur tamen à ratione boni temporalis Eccleſiaſtici, ſed bonum ſpirituale Eccleſiaſticum, cuiuſmodi eſt beneficium nõ poteſt permutari cum bono temporali quantumuis Eccleſiaſtico per ea, quę latè dicta ſunt ſuperiùs *ſub hoc eodem tit. Contractus VI. de permut. Prænot. 8. aſſert. 4.* ergo nec beneficium Eccleſiaſticum permutari poterit cum Hoſpitali, non erecto in titulum.

Reſpondeo tertiò, ſi Hoſpitale ſit commiſſum laicis, & non ſit erectum auctoritate Epiſcopi, ſine aſſenſu Apoſtolico non poteſt permutari cum beneficio *Silueſter loc. quo ſuprà Petrus de Ancharano loc. cit. Redoanus quæſt. 28. Ricius deciſ. 48. Cardinalis Pariſius conſ. 34. tom. 3. Sopranus c. 4. num. 19. Felinus in cap. de quarta 2. col. de præſcript.* 4
Reſponſio clarè liquet, & in terminis fortioribus ex præcedenti; ſi enim quandò Hoſpitale commiſſum eſt Clerico, & auctoritate Epiſcopi erectum eſt, non poteſt permutari cum beneficio Eccleſiaſtico, multominus permutari poſſe videtur, quando Laicis administratoribus collatum eſt, nec auctoritate Epiſcopi fundatum, quandòquidem in hac hypotheſi nedum eſt Hoſpitale ſpirituale, ſed nec etiam Eccleſiaſticum, quinimmò poteſt alienari ſine vlla Epiſcopi conceſſione, ſeu approbatione per ea, quæ tradit *Rodoanus de reb. Eccl. non alien. quæſt 28. num. 2.* & licet *Andræas Siculus in cap. nulla in prima col. verſic. & pondera ſubtilitèr de reb. Eccl. non alien.* dixerit, quod, cum talia bona ſint deputata ad vſum pauperum, & ſub protectione Epiſcopi, videantur promereri priuilegium rerum Eccleſiaſticarum, quod ſcilicet ſine eiuſdem Epiſcopi auctoritate alienentur; nihilominus contrarium

rium

Digitized by Google

rium ſentiendum eſt propter rationes, quas congerit *Felinus in d. cap. de quarta ſecunda colum. de præſcript. verſ., & dicit* inter quas potiſſimum has duas affert. Primò, quia nimis durum eſſet, quod graues pœnæ impoſitæ alienantibus bona Eccleſiæ ſine ſolemnitatibus iuris afficerent quoſcunque alienantes bona deſtinata ad alimoniam pauperum. Secundo, quia, vt docet Baldus; Collegium alicuius confraternitatis poteſt vendere bona ipſius confraternitatis, quæ tantum ſunt deputata ad vſum pauperum &c.

Ad magis confirmandam reſponſionem maximè facere videtur textus *in cap. fin. exhibita nobis de rerum permut.*, vbi cum controuerteretur inter Abbatem ex vna parte, & Præpoſitum ex altera ſuper quibuſdam decimis, & cauſa eſſet compromiſſa cuidam Capellano Papæ, cumque per Arbitrum Confirmatio reſponſionis. dictum fuiſſet, quod, ſi Præpoſitus obtinere poſſet à Rege Hungariæ decem millia ſolidorum concedi Monaſterio, monachi ceſſare deberent à petitione decimarum, Pontifex ſuper hac re conſultus decreuerit tale arbitrium eſſe irritum, & inane, & quidquid ſecutum ex eo eſt, cum permutatio de ſpiritualibus ad temporalia ſit inhibita; Ex quibus fas erit deducere, quod irrita etiam, & inanis ſit permutatio de beneficio ad Hoſpitale, quando non collatum eſt in titulum, ſed conceſſum adminiſtrationi ſæcularium, quandoquidem purè temporale eſt.

§. XIX.

An, & qua auctoritate permutari poſſit beneficium ſimplex cum curato.

SVMMARIVM.

Explicatur ſtatus difficultatis. 1.
Poteſt fieri huiuſmodi permutatio. 2.
Etiam accedente ſola Epiſcopi Diæceſani approbatione. 3.

1 DIſquiſitio XIX. Poſſidet Caius beneficium quoddam ſimplex, & Andræas aliud beneficium cum cura animarum. Interueniente legitima cauſa agunt adinuicem de permutatione huiuſmodi beneficiorum. Hic oritur difficultas, an iuſtè poſſit fieri talis permutatio, & an requiratur aſſenſus Pontificis, an verò ſufficiat ſola Epiſcopi approbatio.

Reſpondeo primò, poſſe fieri huiuſmodi permutationem, *Petrus de Ancharano ſuper 3. decret. c. fin. de rerum permut., Ioannes Andræas c. cum venerabilis verſ. Eccleſijs de exceptionib.* Ratio ex eo deducitur, quod vtrumque beneficium eſt ſpirituale, vtrumque Eccleſiaſticum, nec aliquod eſt ius, quod aliquid ſpecialitèr decernat circa ipſorum permutationem adinuicem, cum iura indefinitè loquantur de beneficijs Eccleſiaſticis non diſtinguendo inter ſimplicia, & curata, dummodò interueniant ex parte vtriuſque permutantis omnes diſpoſitiones, & conditiones requiſitæ ad adminiſtrandam curam animarum, ergo non eſt, cur adinuicem non poſſint permutari. 2

Reſpondeo ſecundo, ad hanc permutationem ſufficere ſolius Epiſcopi Diæceſani approbationem, & auctoritatem. Eſt communis. Ratio eſſe poteſt, quia permutatio beneficiorum intrà propriam Diæceſim exiſtentium pertinet ad eiuſdem Diæceſis Epiſcopum per ea, quæ fuſè ſupra tradidimus, nec iura ibi allegata diſtinguunt inter beneficia curata, & ſimplicia, ſed indefinitè loquuntur, ergo non eſt, cur debeat requiri alia auctoritas, quam eiuſdem Epiſcopi ad approbandam permutationem beneficij ſimplicis cũ curato; ſicuti alia non requiritur ad auctorizandam permutationem beneficij ſimplicis cum alio ſimplici, vel curati cum alio curato, quandoquidem ex eo, quod ſint, vel ſimplicia, vel curata non egrediuntur à ratione beneficij ſpiritualis, & Eccleſiaſtici. 3

Hic tamen aduerte, quod quandò permutatio beneficij ſimplicis in curatum facienda eſt, attendendæ ſint qualitates, & conditiones etiam beneficiariorum, & præcipuè commutantis, ſeu commutare volentis ſimplex cum curato, quandoquidem longè maior idoneitas requiritur in beneficario cum cura animarum, quam in beneficario ſimplici, vt clarè liquet ex diuerſis muneribus, quæ præſtare debent, ſi enim aliter fieret ſine conſideratione talium qualitatum, ſaltem illicitè fieret.

§. XX.

Digitized by Google

§. XX.

An habens duo beneficia poſſit illa commutare cum alio habente vnum tantum.

SVMMARIVM.

Controuerſia in ſuis terminis, variæ comparationes ad ipſam. 1.
Habens duo beneficia curata per ſolam Epiſcopi facultatem nequit illa mutare cum vno ſiuè ſimplici, ſiuè curato. 2.
Enumerantur aliqui caſus, in quibus poteſt. 3.
Habens duo beneficia curata regularitèr non poteſt vnum ex illis permutare cum alio habente itidem beneficium curatum retento ſimul altero. 4.
Si Epiſcopus diſpenſauerit, vt quis poſſit duo beneficia habere, poteſt etiam diſpenſare circa illorum permutationem cum vno. 5.
Habens duo beneficia curata poteſt alterum ipſorum cum ſimplici permutare, non tamen vtrumque cum vno ſimplici. 6.
Poſſunt duo beneficia ſimplicia cum vno, ſiuè ſimplici, ſiuè curato permutari. 7.

1 Diſquiſitio XX. Caius ex diſpenſatione Pontificis duo ſimul beneficia poſſidebat, vel fortaſſis ſine tali diſpenſatione duo ſimul, ſed vnum dumtaxat ſimplex, aliud curatum. Tractatum habuit cum Sempronio habente vnum dumtaxat beneficium, vel ſimplex, vel curatum de permutatione adinuicem facienda ſuorum duorum cum illo eiuſdem Sempronij. Orta fuit immediatè controuerſia, an potuerit fieri talis permutatio per ſolam Epiſcopi approbationem, an verò neceſſaria ſit Pontificis diſpenſatio. Pro quo

Aduerte comparationem, vel poſſe fieri inter duo beneficia, quorum vnum ſit ſimplex, alterum curatum ex vna parte, & vnum beneficium ſiuè curatum, ſiuè ſimplex ex altera, vel inter duo beneficia curata ex vna, & alterum ſiuè curatum, ſiuè ſimplex ex altera, vel inter duo beneficia ſimplica ex vna parte, & aliud ſiuè ſimplex, ſiuè curatum ex altera, quæ diuerſa comparatio attentè conſideranda eſt in huiuſmodi permutationibus, cum plura, eaque diuerſa iura inducat. Quibus poſitis;

Reſpondeo primò. Habens duo beneficia curata regularitèr per ſolam Epiſcopi approbationem non poteſt cum vno dumtaxat ſiuè ſimplici, ſiuè curato permutare, *Federicus de Sen. de rer. permut. 9. 12.*, *Petrus de Ancharano in c. finali de rerum permut.* Ratio facilè ex eo deducitur, quia regularitèr loquendo non poteſt quis ſine Pontificis diſpenſatione duo beneficia curata ſimul habere *Gloſa in c. de multa de Prabendis, & in c. literis de conceſſione præb., & in c. dudum el 2. de elect., & Gloſa in c. non poteſt de prabendis lib. 6.*, ergo, ſi ex diſpenſatione Pontificis illa duo ſimul habeat, non poterit ſine eiuſdem Pontificis auctoritate ea per permutationem alteri conferre recipiendo ab ipſo ſolummodò vnum beneficium. Conſequentia probatur, quia diſpenſatio cum primo habendi ſimul duo beneficia eſt perſonalis *cap. ſane de priuilegijs*, nec poteſt in illum tranſire, cum quo vult permutare *Petrus de Ancharano in cap. fin. de rer. permut. num. 13.*, & cum talis diſpenſatio ſit per Pontificem, non poteſt per Epiſcopum induci. 2

Dixi *regularitèr loquendo*, nam quandoque plures ſunt aſſignabiles caſus, in quibus poteſt per ſolam Epiſcopi approbationem fieri huiuſmodi permutatio, & primo ſi illa duo beneficia ſunt adinuicem connexa, ità vt vnum dependeat ab altero per ea, quæ habentur *in cap. 1. ne ſede vacante.* Secundo, quando ex illis duobus vnum habet in commendam, alterum in titulum, vt *in cap. nemo de elect. lib. 6.*, *Abbas in cap. dudum el. 2. de elect. ad fin. 3. col. ibi nota duos caſus Gloſa, & Innocentius in cap. eam te de ætat., & qualit.* Tertio, ſi bonum publicum ſpirituale id perſuadeat, quia tunc poteſt circa duo curata etiam nunc Epiſcopus diſpenſare, ſecus ſi principalitèr perſuadeat prærogatiua perſonarum, *Abbas in cap. extirpanda §. qui verò de præbendis in 25. col.*, qui fundat ſuam opinionem in eo, quod licet in perſonalibus dignitatibus, & curatis ſolus Papa diſpenſet, vt notat *Gloſa in cap. de multa de præbendis, & in cap. literis de conceſ. præben., & in cap. dudum el. 2. de elect., & Gloſa in cap. non poteſt de præben. lib. 6.*, ſi tamen diſpenſatio ſit propter vtilitatem magnam Eccleſiæ nulla differentia habita, an ſi literata, vel potens perſona, vel ſit illiterata vel vilis, ſed ſolum ponderata Eccleſiæ euidenti vtilitate, & tunc Epiſcopis permittitur diſpenſatio, vt ſi aliqua per- 3

Digitized by Google

perſona ſit multum ſollicita, & diues, quæ melius ſciret gubernari, & augmentare duas Eccleſias, quam duo Rectores, vel non reperitur volens acceptare illam Eccleſiam, niſi alterius Eccleſiæ Rector *Abbas in d. §. qui verò*.

Hic multiplex oritur difficultas, & primo, an habens duo beneficia curata, vel cauſalitèr iuxtà modos mox expoſitos *in præced. verſ. Dixi regularitèr*, vel ex diſpenſatione Pontificis poſſit vnum ex illis permutare cum habente aliud curatum, & retinere vnum ex primis, quod habebat ſimul cum illo, cum quo alterum permutauit. Secundo, an poſſit vnum ex duobus curatis, quæ poſſidet commutare cum alio ſimplici per ſolam Epiſcopi approbationem. Tertiò ex ſuppoſitione, quod fuerit diſpenſatus per ſolam Epiſcopi approbationem ad habenda duo beneficia curata, poſſit ex eiuſdem ſola approbatione illa permutare cum vno dumtaxat.

4 Quoad primam videtur abſolutè dicendum, non poſſe, nam vel illa duo beneficia, quæ habet ſunt adinuicem connexa, vel ipſi per Epiſcopum ſunt collata in euidentem Eccleſiæ vtilitatem nulla habita conſideratione perſonæ, vel per Pontificis indultum; Si primum; cum huiuſmodi beneficia ſe habeant per modū vnius propter connexionem, quam habent adinuicem, non poſſunt de iure communi conferri cum dimminutione, niſi per Pontificis auctoritatem, vtſupra dicebamus de permutatione beneficij cum penſione, ſeu collatione beneficij reſeruata penſione, adeoque &c. Si ſecundum, cum iam intelligantur huiuſmodi beneficia in ipſum collata attenta euidenti Eccleſiæ vtilitate non videntur poſſe in alium transferri, nam vel per talem translationem reſultaret eadem Eccleſiæ vtilitas, vel non; ſi non, iam ceſſaret ratio collationis, ſi ſic, non videtur vim habere talis vtilitas, quandoquidem iam adeſt in eo, cui primo fuerunt collata. Si tertium, cum videatur ſpecialitèr facta diſpenſatio pro tali caſu non videtur extendenda ad alium, cum diſpenſatio ſit ſtricti iuris; vndè; ſi ex diſpoſitione iuris beneficiū curatū quis recipiendo vacat primum tale ſecundum formam *c. de multa de præbendis*, etiam in permutatione vnius cum altero videtur aliud, quod habēbat vacare per receptionem illius, cum quo permutat, vt notat etiam *Petrus de Ancharano in cap. fin. de rer. permutat. nu. 13. iuxtà textum in cap. non poteſt 2. reſpon. de præbendis lib. 6.*, *& eod. tit. c. ſi plures in clem.* Nihilominus quamuis in prima, & tertia ſuppoſitione videatur res benè procedere, non tamen in ſecunda, quandoquidem vbi eadem viget ratio pro permutatione, quæ militat pro prima collatione, videtur idem ius vigere, vndè iuremerito docuit *Petrus de Ancharano loc. cit.*, quod ſiuè ex vna parte, ſiuè ex vtraque beneficia teneantur, illius diſpenſatio requiritur in permutatione, cuius fuit neceſſaria in ipſorum primæua collatione.

Quoad ſecundam idem dicendum erit, quod dicetur in ſequenti reſponſione, quare ad vlteriora procedimus.

5 Quoad tertiam iam patet etiam, quid dicendum; ſi enim, vtſuprà dicebamus, illius diſpenſatio requiritur in permutatione, cuius fuit neceſſaria in primæua collatione, ſi diſponente Epiſcopo illa duo beneficia fuerunt collata, eodem etiam diſponente poterunt commutari, quod eſt id, quod innuebat *Silueſter verb. Permutat. II. quæſt. 13. ad verbum difficultatem*, dum dixit. *Si verò diſpenſauerat Epiſcopus, permutatio fiat per Epiſcopum*. Verum tamen eſt, quod debeat in permutatione æquiualens ratio interuenire, quæ interuenerat in prima collatione; non enim poteſt Epiſcopus diſpenſare, niſi interueniente legitima cauſa euidentis vtilitatis Eccleſiæ, vtſupra.

6 Reſpondeo ſecundo, habens duo beneficia curata poteſt alterum cum ſimplici permutare retento vno, non tamen vtrumque cum ſimplici accedente ſola Epiſcopi approbatione *Petrus de Ancharano in cap. fin. de rer. permut. nu. 13.* Ratio eſſe poteſt, quia poteſt quis beneficia plura ſimplicia etiā ſine peccato obtinere, cum non ſit hoc à iure prohibitum *cap. dudum de elect. Ioannes Andreas in cap. præterea de ætate, & qualitate*, nec ad hoc requiritur Pontificis diſpenſatio, ſed ſufficit Epiſcopi per ea, quæ notat *Ancharanus in d. cap. fin. de rer. permut.* ex textu *in cap. dudum de elect.*; *& ex cap. literas de conceſ. præb.* Ad hoc facit etiam *cap. cum iam dudum de præben.*; *& Gloſa in cap. gratia de reſcriptis in 6.*; ergo etiam ex eadem Epiſcopi approbatione poterit cum vno curato, quod prius habebat retinere ſimul ſimplex, cum quo aliud curatum permutarit. Conſequentia tenet, quia ſpecialis ratio, cur poſſint retineri ſimul plura beneficia ſimplicia, non ſimul plura curata, ea eſt, quia hæc ex natura ſua exigunt reſiden-

Digitized by Google

dentiam, quæ compati non poteſt, non ſic illa, ex quo rectè videtur deduci, quod, ſi ob non exigentiam reſidentiæ poteſt duo ſimplicia accedente ſola Epiſcopi auctoritate retinere, etiam poſſit retinere curatum ſimul cum ſimplici, quandoquidem, cum ſimplex non exigat reſidentiam, ſi poteſt duo ſimplicia accedente ſola Epiſcopi auctoritate retinere, etiam poſſit retinere curatum ſimul cum ſimplici, quandoquidem, cum ſimplex non exigat perſonalem reſidentiam, videtur compati cum curato illam exigente; Neque obſtare poteſt id, quod aſſerit *Abbas in d. cap. extirpandæ §. qui verò in 14. col. in repet.*, nempè ſolam reſidentiam cautam non eſſe beneficiorum accumulationis prohibendæ, ſed alias plures eſſe ſufficientes ad prohibendum, quas ipſe enumerat, & infert mala, quæ ex tali accumulatione beneficiorum in eadem perſona obueniunt; ex quibus deducit, quod, quando vnum beneficium ſiuè ſimplex, ſiuè curatum eſt ſufficiens ad ſuſtentationem Clerici non poſſit ſimul aliud habere ſine diſpenſatione Pontificis, cum iura indefinitè prohibeant talem accumulationem non diſtinguentia inter curata, & ſimplicia, quod propterea nec nos diſtinguere debeamus. Non, inquam, obſtare poteſt, quia in primis, vt concedit ipſe *Abbas in d. §. qui verò in 14. col.*, poſſunt plura ſimul retineri, quādo vnum nō ſufficit ad ſuſtentationem Clerici, in quo ſenſu intelligendus eſt textus *in cap. gratia de reſcriptis in 6.*, ad hoc autem, vt dicatur ſufficiens, non ſat eſt, quod ſufficiat eidem Clerico beneficiario, ſed etiam ſuis, *vt in cap. ſtuduit 10. diſt.*, quod intellige de ſuis, qui quaſi neceſſario trahunt moram cum Clerico, ſicque, ſi non vnum ſit ſufficiens, poteſt aliud obtinere iuxtà *cap. 1. de cohabitat. Cler., & mul., & textus in cap. non ſatis 86. diſt.* Deindè idē etiam *Abbas loc. cit.* admiſit, quod quando duo beneficia ſunt difformia poſſint per Epiſcopi conceſſionem in vnam perſonam adunari, quod exemplificat in dignitate, & præbenda iuxtà textum *in cap. primo de conſuetud. lib. 6.*, & facit *cap. cum noſtris de conceſ. præbend.*, hic autem verſamur inter beneficia diſformia, nempè inter curatum, & ſimplex. Tandem, quidquid ſit de iuribus prohibentibus, quæ tamen varij diuerſimodè interpretantur, vſus iam obtinuit, quod Epiſcopi quoad pluralitatem beneficiorū, quorum alterum ſit curatum, alterum ſimplex, vel vtrumque ſimplex diſpenſet, quod inductum exiſtimo ob non exigentiam reſidentiæ, vt ſupra, quod præcipuè verificatur interueniente nobilitate, & ſcientia in beneficiario, quià tales perſonæ maioribus redditibus ſunt honorandæ, *vt in cap. de cætero de cler. non reſid., & in cap. de multa de præben. in fin.*, & etiam conſiderata dignitate *l. ſed, & ſi quid §. 1. ff. de vſufructu*, & ità vt poſſit ſufficere ſibi, & ſuis, & hoſpitalitatem conſeruare, & iura Epiſcopalia ſoluere, vt *in d. cap. de cætero, & in cap. de multa de præb. not.*, *Gloſ. in cap. conquerente de Cleric. non reſid.*, & facit *gloſa in l. ſeruis vrbanis ff. de legat. 3.*

Reſpondeo tertiò, per ſolam Epiſcopi approbationem poſſunt duo beneficia ſimplicia cum vno, ſiuè ſimplici, ſiuè curato permutari. Deducitur ex ſuperius dictis; non enim poteſt eſſe repugnantia, nec ex parte conferentis duo, & recipientis vnum, nec ex parte conferentis vnum, & recipientis duo, nec ex diſpoſitione iuris. Non ex parte primi, quia ſi potuit duo retinere non erit, cur non poſſit vnum acquirere, non ex parte ſecundi, quia quamuis diſpenſatio recipiendi ſimul plura beneficia ſit perſonalis, & nequeat ex beneplacito diſpenſati in alium transferri, poteſt tamen auctoritate diſpenſantis alteri communicari, ſeu fieri noua diſpenſatio in fauorem alterius, ſicque cum Epiſcopus primo diſpenſarit in fauorem primi, poterit etiam diſpenſare ſecundo in fauorem ſecundi. Non ex parte tertij iuxta iura ſuperius allegata, & expoſita, maximè *interuenientibus illis qualitatibus*, de quibus ſupra. 7

§. XXI.

An in permutatione ſemper requiratur conſenſus beneficiariorum.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in caſu particulari. 1.
Varia conſiderabilia circà ipſum. 2.
Sententia requirens beneficiariorum conſenſum. 3.
Interueniente graui neceſſitate, ſeu vtilitate Eccleſiæ poteſt Epiſcopus cogere beneficiarios ad permutationem. 4.
Satisfit rationi pro contraria ſententia. 5.
Valet etiam, quod Epiſcopus poſſit interue-

ueniente legitima cauſa cogere ad permutandum, ſi beneficia ſint in valore inæqualia. 6.
In hac hypotheſi tamen eſſet conſtituenda compenſatio. 7.

1 DIſquiſitio XXI. Poſſidentibus duobus duo beneficia contendebat Epiſcopus, in cuius Diæceſi erant huiuſmodi beneficia, eadẽ inter illos commutare, & vnum beneficiarium de ſuo beneficio in illud alterius transferre, & hunc in locum illius, cumque maxima eſſet controuerſia quoad talem permutationem, cum vel vterque, vel alter illorum eſſet ad illam inuitus, quæſitum fuit, an non obſtante tali partium oppoſitione de iure fieri potuerit talis permutatio.

2 Hic conſiderandum eſt primo, an interueniat iuſta cauſa permutationis, & quænam. Secundo, an beneficia ſint in valore æqualia. Tertio, an interueniant qualitates in ipſis beneficiarijs requiſitæ ad talia beneficia, ad quæ per permutationem ſunt præficiendi. Quarto, an ſuppoſita inæqualitate in beneficijs facienda ſit compenſatio, & quomodo. Quibus poſitis.

3 Videtur abſolutè dicendum, non poſſe fieri, quia nemo cogitur accipere beneficium, vel dignitatem Eccleſiaſticam, licet diuerſimodè ſentiendum ſit de honoribus ſæcularibus iuxtà textum *in cap. 1. de ijs, quæ fiunt à maior. part. cap.* ad quod facit etiam textus *in cap. quod ſit de elect. lib. 6., & cap. ſi tibi de præben. in 6., & cap. geſta 84. diſt.*, quod adeo verum eſt, vt etiam extendatur ad hoc, quod non poſſit cogi per Epiſcopum ad tranſeũdum ad maius, quia nemo cogitur creſcere *cap. Epiſcopus 7. quæſt. 1.* Nihilominus.

4 Reſpondeo primo. Interueniente graui neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ poteſt Epiſcopus cogere Clericum ad permutandum *Archidiaconus in c. Epiſcopus de loco 7. quæſt. 1., Innocentius, & Hoſtienſis in cap. niſi §. propter malitiam de renunt. verſ. perſecutio, Federic. de Sen. de rer. permut. quæſt. 25., Petrus de Ancharano in cap. fin. de rer. permut. num. 14.* Colligitur *ex cap. antè omnia 40. diſt., & cap. diſplicet 3. quæſt. 4., & cap. in ſcripturis 8. quæſt. 1.*, quandoquidem ipſe beneficiarius non eſt dominus, ſed procurator, & diſpenſator *cap. 2. de donation.* Epiſcopus verò eſt præordinator *in cunctis 25. quæſt. diſt. 1.*, & cura totius Diæceſis ad ipſum pertinet *10. quæſt. 1. per totum*, & longè maiora poteſt *cap. ſicut de exceſ. prælat., & clem. vni. de reb. Eccl. non alien.* Hoc tamen Epiſcopus debet efficere interueniente graui neceſſitate, ſeu vtilitate Eccleſiæ, vt, ſi periculum deſtructionis Eccleſiæ immineret, vel magnum ſcandalum, ſi illa permutatio non fieret, *Innocentius in d. cap. niſi §. propter malitia de renuntiatione*, vel ſi vnus ſit inhabilis ad vnum, & non ad alterum, & his ſimilia.

Ad iura, quæ in contrarium afferebantur, nunc reſpondendum eſt, & quidem ad primum, & ſecundum ex eo, quod non poſſit cogi ad recipiendam dignitatem, ſeu beneficium Eccleſiaſticum, non bene argui, quod non poſſit interueniente graui, & legitima cauſa de vna dignitate, ſeu beneficio, quam, ſeu quod iam recepit, ad aliam, ſeu aliud per Epiſcopum deſignari; non enim poteſt quis inuitus cogi ad recipiendum beneficium, poteſt autem eo recepto interueniente legitima cauſa cogi ad permutandum, eo quia, cum non ſit Dominus beneficij, quod poſſidet, non habet ius, ne ab illo poſſit remoueri, ſi ratio remotionẽ ſuadeat, & publica vtilitas, ſeu etiam neceſſitas, ſi interueniat, præualere debet priuatæ, in quo maximè attendere debet Epiſcopus, cuius curæ præordinatio in cunctis demandata eſt. Ad tertium, quod ſubditur, dicendum eſt neminem cogi creſcere nulla cauſa interueniente, bene tamen ea interueniente, vel ad publicam vtilitatem, vel ad damnum aliquod euitandum. Cæterum iura in contrarium allegata, ſi attentè perpendantur, non ſuadent oppoſitum noſtræ reſponſioni, vt ea legenti ſit manifeſtum. 5

Reſpondeo ſecundo, ſi beneficia permutanda ſint in valore inæqualia interueniente legitima cauſa, de qua ſuprà, adhuc per Epiſcopum poſſunt permutari. Ratio eſſe poteſt, quia publica vtilitas præualere debet bono priuato beneficiarij, ergo non obſtante tali inæqualitate poterit per Epiſcopum fieri talis permutatio, præcipuè, cum, vt ſupra aſſerebamus, beneficiarij non ſit Domini beneficiorum, ſed præordinati Epiſcopis, vt moderatoribus; vndè iure merito dicitur *in cap. quæſitum de rer. permut.*, quod Epiſcopus, ſi cauſam inſpexerit neceſſariam, licitè poſſit de vno loco ad alium transferre perſonas, vt quæ vni loco minus ſunt vtiles, alibi ſe valeant vtiliùs exercere. Deindè illa inæqualitas poteſt ſuppleri, vt mox ſubdo. 6

Reſpondeo tertiò, illa inæqualitas
7 poteſt ſuppleri per erogationem alicuius quantitatis iuxtà ea, quæ latè dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus VI. de rer. permut. in Diſquiſ.* §. 16., quæ ibi recole.

---

§. XXII.

An Canonici eiuſdem Eccleſiæ poſſint adinuicem permutare præbendas ſine ſuperioris ſui auctoritate.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ in ſuis terminis. 1.
Probabilius eſt ſine Epiſcopi auctoritate non poſſe. 2.
Satisfit Gloſæ, quæ contrarium ſentire videtur. 3.
Poſſunt tamen permutari fructus, vel iam percepti, vel cum relatione ad tempus, quo iam percepti erunt. 4.

1 DIſquiſitio XXII. Contendebant Titius, & Caius Canonici eiuſdem Cathedralis Eccleſiæ præbendas, quas poſſidebant, adinuicem permutare non requiſito Epiſcopi conſenſu, qui tali permutationi per conſequens obſiſtebat. Orta hic fuit controuerſia, an potuerint irrequiſito Epiſcopo ex proprię voluntatis arbitrio permutare, an verò ex neceſſitate requireretur eiuſdem Epiſcopi conſenſus. Qua in re maximū inuenio diſſidium inter Ioannem de Lig., & Hoſtienſem, dum ille abſolutè ſuſtinet permutationem illam fieri non poſſe irrequiſito Epiſcopo, iſte verò affirmat fieri poſſe.

Reſpondeo tutiorem eſſe opinionem
2 Ioannes de Lig. aſſerentem ſine Epiſcopi auctoritate fieri non poſſe. Ratio eſſe poteſt, quia licet illæ præbendæ in temporalitate conſiſtant, ſunt tamen annexæ iuri ſpirituali, ſcilicet canonijs, nec propria auctoritate ſeparari poſſunt à beneficijs, quia præbendæ ſunt debitæ propter officium, ex quo ſequitur, quod, ſi vnuſquiſque ſuum ſibi retinet beneficium, & præbendam retinere debeat, ne quis propria auctoritate ſeparet, quod ex eadem auctoritate inſeparabile eſt, ergo propria beneficiariorum auctoritate talis permutatio prębendarum fieri non poteſt retentis, & non permutatis beneficijs; beneficia autem ſine auctoritate Epiſcopi permutari non poſſunt.

Nec dictis obeſſe poſſe videtur *Gloſa* 3
in c. quæſitum de rerum permutatione in verb. Epiſcopus, vbi facta diſtinctione de duabus præbendis, vel exiſtentibus in diuerſis Eccleſijs, & cum onere, vel exiſtentibus in ea ſine onere, videtur deducere, quod, ſi in eadem exiſtant, & ſint ſine onere poſſint permutari auctoritate propria, cuius rationem aſſerit contineri *in c. ſanctorum 70. diſtinct., & in c. quorundam 74. diſtinct.* Non, inquam obeſſe poteſt, nec Gloſa poteſt habere aliquod iuris fundamentum, quandoquidem iura, quæ allegat, intentum ipſius nec exprimunt, nec continent. Deindè præbendæ, de quibus loquimur, non poſſunt dici, quod ſint ſine onere, cum ſint affixæ ſuis titulis à quibus ſeparari non poſſunt per propriam canonicorum voluntatem.

Hic tamen aduertere debes, quod,
quamuis ipſæ præbendæ permutari 4
non poſſint, poſſint tamen auctoritate Canonicorum permutari fructus, vel iam percepti earundem prębendarum, vel cum relatione ad tempus, quo iam percepti erunt, nec incongrua ſanè ratione, quandoquidem illa bona iam ſunt effecta merè patrimonialia, & pleno dominio ſunt præbendati, quod certè non officit noſtræ reſponſioni, & hoc fortaſsè eſt quod innuebat *Gloſa in d. cap. quæſitum de rer. permut. iuxtà mentem Innocentij IV.*

---

§. XXIII.

An ius patronatus poſſit permutari cum beneficio, ſeu Eccleſia.

SVMMARIVM.

Fit patens propoſitio tituli. 1.
Per ſolam Patroni, & beneficiarij voluntatem non poteſt fieri huiuſmodi permutatio. 2.
Accedente Epiſcopi auctoritate poteſt fieri huiuſmodi permutatio. 3.
Rationes aduerſantes aſſerto. 4.
Satisfit huiuſmodi rationibus. 5.

DIſquiſitio XXIII. Habens ius nominandi, eligendi, ſeu præſen- 1
tandi ad aliquod beneficium ſpirituale tractatu habito cum quodam beneficiario permutationem illius iuris, quod ipſe habebat nominandi, ſeu pręſentandi cum beneficio intentauit. Quæritur modo, quid iuris circa talem permutationem.

Reſ-

2 Reſpondeo primò, per ſolam ipſius Patroni, & beneficiarij voluntatem non potuiſſe, nec poſſe fieri huiuſmodi permutationem, *Ioannes Andræas in c. 1. de rer. permutatione, Silueſter verb. permutatio quæſt. 13., Federicus de Senis ibid., Felinus in c. ad audientiam 2. de reſcriptis num. 11., Suarez lib. 5. de ſimonia c. 31. num. 11., Sotus lib. 9. de iuſtitia quæſt. 5. art. 2. verſ. eiuſdem etiam ſimonia*. Ratio deduci poteſt ex ſuperiùs dictis, ſi enim beneficia ipſa inter ſe conſiderata non poſſunt adinuicem permutari ſine ſuperioris approbatione, adeo vt, ſi permutentur eadem non habita committatur ſimonia Eccleſiaſtica, nec à fortiori commutari poſſe videtur beneficium cum iure nominandi, ſeu præſentandi ad aliud beneficium, quandoquidem ius illud præſentandi non videtur, niſi ius inchoatum ad aliud per ea, quæ notat *Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 84. ſect. 3. nu. 76.*, nec ità ſpirituale, cuiuſmodi eſt beneficium.

3 Reſpondeo ſecundo, accedente Epiſcopi, ſeu ſuperioris auctoritate licitè videtur poſſe fieri huiuſmodi permutatio *Petrus de Ancharano in cap. fin. de rer. permutatione, Ognate d. tract. 23. de ſimonia diſp. 84. ſect. 3. nu. 77. in fine*, qui pariformitèr hac in re diſcurrit de permutatione iuris patronatus cum beneficio, ac de duobus beneficijs adinuicem, dum dicit, *vndè auctoritate Prælati ſicut in benefitijs, ita in ijs permutatio fieri poteſt*.

4 Aduerſus reſponſionem militant hę rationes, quia, licet ipſum beneficium, ad quod ius habet præſentandi Patronus ſit omninò ſpirituale, ius tamen præſentandi ad illud ſecundum ſe eſt inter bona temporalia, & computatur inter bona patrimonialia patroni, ergo de ſola Epiſcopi facultate non poteſt commutari cum beneficio Eccleſiaſtico. Conſequentia tenet, quia ex ſuperius ſparſim dictis ſpiritualia, ſeu ſpiritualibus annexa non poſſunt permutari cum bonis Eccleſiaſticis temporalibus. Confirmatur ex ijs, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus VI. de permutatione in diſquiſ. §. 18.*, nam ſi hoſpitale non ſit collatum in titulum non poteſt licitè per ſolam Epiſcopi auctoritatem permutari cum beneficio, ergo nec ius patronatus, ſeu ius nominandi poterit cum beneficio permutari, quandoquidem hoc etiam computatur inter bona temporalia. Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod tale ſit ius, quale eſt id, ad quod eſt ius; cum igitur beneficium, ad quod patronus habet ius, ſit ſpirituale, tale etiam, ſeu ſpirituale debet eſſe ius ad illud, quod propterea &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, nam ad ſummum ius ad aliquid habendum eſt tale, quale eſt id, ad quod eſt tale ius, non autem ius ad præſentandum; vndè patronatus ius licet ſit ordinatũ ad finem ſpiritualem, non tamen eſt ſpirituale, licet ſit quoddam præambulum, & inchoamentum à remotis, & tranſit ad laicum, etiam cum vniuerſitate bonorum *vt c. ex literis, & c. cum ſæculum de iure patronatus*, & ad hæredes, ſicut alia res profana. Nihilominus.

Probatur reſponſio primo, quia ius patronatus eſt materia ſimoniæ, illudque vendens eſt ſimoniacus *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 110. art. 4., & in quarta diſtinction. 25. art. 2., D. Antoninus 2. part. tit. 1. caſ. 5. §. 2., Redoanus part. 3. cap. 13. num. 22., & ſeqq., Suarez lib. 4., Panormitanus in cap. querelam de ſimonia, Sotus lib. 9. de iuſt. quæſt. 7. art. primo Gloſa vlt. in cap. præterea 2. de tranſlatione* conformitèr *ad cap. præterea 20. de iure patronatus*, vbi redditur ratio, quia ſcilicet ius patronatus eſt ſpiritualibus annexum; quibus poſitis ſic argumentor, in tantum ius patronatus eſt materia ſimoniæ, in quantum eſt ſpiritualibus annexum, ergo non eſt bonum purè temporale licet Eccleſiaſticum, ergo poterit accedente Epiſcopi auctoritate permutari cum alio ſpirituali, adeoque etiam cum beneficio per notata ad textum *in c. quæſitum de rerum permut.*, quandoquidem ſpiritualia accedente ſuperioris facultate poſſunt adinuicem permutari, vt ex allegatis iuribus ſuperius. 5

Nunc ad rationes in oppoſitum reſpondendum eſt, & quidem ad primam patet, non eſſe ius patronatus inter bona purè temporalia, cum ſit ſubiectum ſimoniæ, & Laicus nonniſi ex gratia, & quadam tolerantia illud poſſideat *c. ex literis, & c. cum ſæculum de iure patronatus*, quod, ſi ſimul cum vniuerſitate bonorum poſſit vendi, non eſt, quia ſit temporale, ſed quia cum fundetur in temporalibus tanquam acceſſorium cum illis trahitur.

Ad ſecundam diſpar omninò eſt ratio inter Hoſpitale non erectum, nec collatum in titulum, & inter Iuspatronatum, quandoquidē illud eſt bonum purè temporale, licet ad pias cauſas pauperum deſtinatum, non omne autem, quod ad pios vſus eſt deſtinatum eſt ſpirituale, hoc autem omninò

Digitized by Google

ſpirituale, vel ſaltem ſpiritualibus annexum, adeoque illud non poteſt venire in commertium cum re ſpirituali, cuiuſmodi eſt beneficium, poteſt autem hoc.

---

§. XXIV.

An poſſit fieri permutatio decimarum, quæ ex certis poſſeſſionibus ſolui debent cum poſſeſſionibus.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus quæſtionis. 1.
De iure fieri non poteſt huiuſmodi permutatio. 2.
Diſtinctio Monetæ inter ius decimandi, & exemptionem à decimis. 3.

1 Diſquiſitio vltimò. Tenebatur quis ſoluere ex certis poſſeſſionibus, quas poſſidebat, determinatas decimas cuidam Eccleſiæ; vt ſe eximeret, tractatum habuit cum adminiſtratoribus eiuſdem Eccleſiæ, vt loco, & ſcontro decimarum, quas annuatim ſoluere debebat, aſſignaret determinatam poſſeſſionem Eccleſiæ eidem cum pleno dominio, vt quotannis ex ea fructus perciperet. Excitata fuit cõtrouerſia, an de iure fieri potuerit illa permutatio.

2 Reſpondeo, de iure fieri non poſſe huiuſmodi permutationem. Clarè colligitur *ex c. vlt. exhibita de rer. permut.*, vbi vetita eſt permutatio decimarum cum certa ſolidorum ſumma, & redditur ratio, quia ſpiritualis cum temporali non poteſt fieri permutatio, ergo nec fieri poterit cum certa quadam poſſeſſione, quæ etiam ſecundum ſe eſt merè temporalis, atque in hanc reſponſionem conſentit, *Petrus de Ancharano in d. l. fin. de rer. permut. nu. 4.*, qui pluribus allegatis iuribus eam confirmat, & tandem hanc ſubdit rationem, quia decimæ ſunt tributa, quæ Dominus ſibi in ſignum vniuerſalis dominij reſeruauit vt *c. tua nos de decimis*, & vt ſingulis annis recognoſceretur à populo, ſed, ſi fieret talis permutatio, Deus, vt auctor omnium bonorum non recognoſceretur ſingulis annis à Chriſtifidelibus, ergo &c. Nec poteſt quis reſpondere huic rationi, inſtitutionem decimarum non inductam eſſe primario ad recognitionem ſupremi, & vniuerſalis dominij quot annis habẽdam, cæteroqui, cum ſemper hæc ratio vigeat, vigeret ſemper onus eaſdem perſoluendi, quod tamen multis (præſertim cum præceptum decimarum fuerit in lege veteri cerimoniale non legale) in locis abolitum eſt. Deindè dato etiam, quod inducta eſſet ad talem recognitionem habendam adhuc in hypotheſi, de qua loquimur, haberetur talis recognitio, quandoquidem ſingulis annis illa poſſeſſio redderet fructus, qui ſubſtitui poſſunt fructibus decimarum; Facit etiam ad rem noſtram *Gloſa in c. ſuper eo de tranſact.*, *& Boich. ex c. literis eod. tit.*, cum decimæ ſpirituales dici poſſint, vt firmat, *Gloſa in c. literas de reſtitut. ſpol.*, *& ibi Abbas not. 10*, *Paulus Rom. de penſion. Eccl. 2. num. 22.*, *quæ certiora ſunt*.

Moneta *tract. de decimis c. 5. quæſt. 6. concl. 4.*, diſtinguit inter ius decimandi, & exemptionem à ſolutione decimarum, & primum aſſerit non poſſe permutari cum poſſeſsione, ſeu re temporali, cum ſit ſpirituale, in quo nobiſcum conſentit, benè tamen ſecundum, cum aſſerat eſſe quid temporale. Primum ſufficit ad intentum noſtrum, de ſecundo alibi erit quæſtio. Plura adhuc eſſent examinanda circà permutationem rerum ſpiritualium, tùm inter ſe, tùm in ordine ad temporalia. Sed quia de his fuſior erit ſermo *tom. 3. ſub tit. Contractus VIII. de ſimonia*, ideò vlterius non immoror. Vtinam ſicuti ad terminum diſceptationum de permutationibus in his inferioribus deuenimus, ad expectatam illam temporalium cum æternis diuino numine fauente permutationem accedamus. Interim omnia huc vſque dicta, & dicenda alibi SacroSanctę Romanæ Eccleſiæ cenſuræ ſubmitto paratus ſemper omnia retractare, vbi quid diſſonum &c. 3

FINIS.

Ad Laudem Omnipotentis Dei, Deiparæque Virginis, & Doctoris Gentium.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERVM.

C. ſignificat Contractum, c. Cambium, P. Prænotionem, D. Diſquiſitionem, §. Paragraphum, N. Numerum Marginalem P. Paginam.

A

Acceptatio.

ACceptans bona fide literas cambij, & promittens eas ſoluere non habens notitiam ex publica fama decoctionis ſui mandatoris nullum detrimentum ſibi refert ſoluendo etiam poſt habitam talem notitiam. C. 5. c. 2. D. 5. §. 1. num. 3. pag. 390

Acceptans, & promittens habita antecedentèr notitia decoctionis ſui mandatoris per publicam famam poteſt compelli per eum, in cuius fauorem facta fuit tracta ad ſoluendum. Ibid. num. 4. pag. 390

Non tamen poteſt agere, ſi ſoluerit contra bona decocti in pręiudicium aliorum creditorũ. Ib.

Si acceptans, promittens, ſeu ſoluens fuerit debitor ex cauſa præcedenti reſpectu trahentis ad ſe illam ſummam, & habuerit notitiam decoctionis poſt acceptationem, & promiſſionem, licet ante ſolutionem, poteſt licite, vti compenſatione. Ibid. num. 6. pag. 391

Secus, ſi habuerit notitiam decoctionis ante acceptationem. Ibid.

Actio.

Actio vtilis negotiorum geſtorum competit ſoluenti literas ſuper proteſtu. C. 5. c. 2. P. 15. num. 26. pag. 154

In quo conſiſtat actio negotiorum geſtorum. Ibid. num. 27. pag. 154

Soluenti ſuper proteſtu non competit actio mandati. C. 15. c. 2. P 15. nu. 28. pag. 155

Actio negotiorũ geſtorum non oritur ex pręcisè literarum receptione. C. 5. c. 2. P. 20. n. 4. p. 177

Quid ſit actio præſcriptis verbis, & quando detur. C. 5. c. 2. D. 1. §. 18. num. 2. pag. 249

Hæc actio eſt ſtricti iuris, & ſtrictè interpretanda. Ibid. num. 3. pag. 249

Actio promiſſionis ex cambio non competit creditori, qui non eſt vſus facultate, ſibi credita per debitorem cambiandi, & recambiandi. Ibid. num. 4. pag. 249

Nec actio præſcriptis verbis. Ibid. n. 5. pag. 250

Actiones, quæ conceduntur ex contractu permutationis. Vide verb. *Permutatio.*

Actor.

Actores Mercatorum Antuerpienſium ex conuentione cum Gabellarijs ſoluentes dimidiam partem Gabellarum iuſtè exigunt integram à ſuis dominis. C. 5. c. 1. P. 5. nu. 3. pag. 22

Actus.

Actus non dicitur mercenarius ex eo præcisè, quod exerceatur à mercenario. C. 5. c. 1. P. 3. num. 5. pag. 7

Ex eo, quod actus quandoque exerceatur gratis non tollitur quin poſſit exerceri cum mercede, ſi illius ſecundum ſe ſit meritorius. Ibid.

Adiectus ſolutioni.

Adiectus ſolutioni quinam ſit, & quænam eius munera. C. 5. c. 2. D. 5. §. 4. nu. 2. pag. 396

Adiectus ſolutioni ex diſpoſitione ſtipulatoris acquirit capacitatem, vt, ſi ipſi fiat ſolutio, intelligatur legitimè facta. Ibid. n. 3. pag. 397

Adiectus ſolutioni non poteſt in contentioſo iudicio compellere ad ſibi ſoluendum, niſi plenè doceat de mandato. Ibid. num. 5. pag. 397

Adiectus ſolutioni per ſolutionem receptam obligatur verſus ſtipulatorem actione mandati. Ibid. num. 6. pag. 398

Adiectus ſolutioni exhibens ſcripturam crediti ſtipulatoris, & probans ab eo accepiſſe poteſt agere contra debitorem ad ſolutionem. C. 5. c. 2. D. 5. §. 5. num. 2. pag. 398

Adiectus ſolutioni, an poſſit omitti à mandatario, & fieri ſolutio mandanti. Vide verb. *Mandatum.*

Apodiſſa.

Apodiſſa, quid ſit. C. 5. [illegible] P. 12. n. 4. pag. 135

Exemplar primum Apodiſſę. Ibid.

Secundum exemplar Apodiſſæ. Ib. n. 10. pag. 136

Appellatio.

Appellatio non impedit executionem paratam conceſſam literis cambij quoad ſuſpenſiuum. C. 5. c. 3. D. 2. §. 19. num. 2. pag. 566

Ex vi ſtatutarum Genuenſium denegatur etiam appellatio quoad deuolutiuum, non ſic in terminis capitulorum Bononenſium. Ibid. n. 3. pag. 566

Argentarij.

Argentarij, quinam fuerint. C. 5. c. 2. P. 21. num. 6. pag. 185

Argentarijs correſpondent modo Bancherij. Ib.

B

Bancherius.

MVnus Bancheriorum ſingularitèr explicatur. C. 5. c. 2. P. 4. num. 4. pag. 114

Regularitèr aſſumuntur à Republica præſtita eidem fideiuſſione, ſeu legitima cautione. Ibid. num. 5. pag. 114

Non ſunt meri depoſitarij, & explicatur. Ibid. num. 6. pag. 114

Digitized by Google

Duplex genus Bancheriorum. C. 5. c. 2. P. 22. num. 1. pag. 195

Dupliciter poſſunt deponi pecuniæ apud Bancherios, & quomodo. Ibid. n. 3. pag. 195

Peccant Bancherij vtentes pecunia in negotiationibus proximis periculis, ſi negotiatione in ſiniſtrum abeunte fiunt impotentes ad ſoluendum. Ibid. num. 4. pag. 195

Etiam, ſi contingat negotiationem proſperè euadere. Ibid.

Bancherij poſſunt iuſtè exigere ſtipendium à deponentibus, quamuis magnum lucrum reportent ex pecunia depoſita. Ibid. n. 5. pag. 196

Iuſtè Bancherij iuxta nundinas poſſunt exigere, iuſtum ſtipendium in fine nundinarum. Ibid. num. 6. pag. 196

Stipendium, quod exigi poteſt à Bancherijs taxandum eſt arbitrio prudentum. Ibid. nu. 7.

Soluendum eſt per deponentes, non per eos, quibus facienda eſt ſolutio. Ibid.

Poſsunt Bancherij exigere ſtipendium cuſtodiæ, etiam ſi ſoluant in pecunia non numerata. Ibid. num. 8. pag. 198

Bancherij exigunt quinque, vel ſex pro mille pecuniæ in bancho depoſitæ. C. 5. c. 2. P. 23. num. 1. pag. 199

Illa quinque, vel ſex non exiguntur pro conſueto ſtipendio cuſtodiæ, & laboris. Ibid. nu. 3.

Nec exiguntur præciſa ratione numerationis. Ibid. num. 5. pag. 200

Licitè poſſunt exigi illa ſex, vbi viget conſuetudo. Ibid. num. 6. pag. 200

Iuſtificatur illa exactio ex eo, quod banchum vices gerat fideiuſſoris. Ibid.

Illa quinque, vel ſex debentur bancho per eum, pro quo fideiubet, non per eum, cui fit ſolutio. Ibid. num. 7. pag. 201

Illa quinque cedunt Bancherijs, non deponentibus. Ibid. num. 8. pag. 202

Bancherius fideiubens pro mille in literis contentis, illaq; ſoluens illi, cui facienda eſt ſolutio ex commiſſione datoris literarum poteſt ex illis detrahere illa quinque ſibi debita pro onere fideiuſſionis. Ibid. nu. 9. pag. 202

Ille tamen, cui integrè debentur illi mille ius habet contra datorem literarum ad exigendum complementum. Ibid.

Bancherius iuſſus à Domino in extremis conſtituto, vt daret Eccleſiæ pecuniam ſuam tenetur eandem reſtituere Domino, ſi hic liberatus reuocet mandatum. C. 5. c. 2. D. 5. §. 18. num. 3. pag. 419

Valet ſiue illa pecunia haberet rationem legati, ſiue donationis cauſa mortis, ſiue res fuerit integra, ſiue non integra. Ibid. nu. 4. §. 419.

Beneficium.

Beneficia Eccleſiaſtica non poſſunt ad inuicem permutari ex quacunque cauſa. C. 6. D. 1. §. 13. num. 2. pag. 610

Cauſa debet eſſe neceſſaria, & ſpiritualis. Ibid. num. 3. pag. 611

Si fiant huiuſmodi beneficiorum permutationes ſine ſufficienti cauſa, ſed tantum ob temporale commodum redduntur illicitæ, non inualidæ. Ibid. num. 4. pag. 611

Ad beneficiorum permutationem requiritur ſuperioris auctoritas. C. 6. D. 1. §. 14. num. 1. pag. 611

Superior, cuius requiritur auctoritas, eſt Epiſcopus, in cuius diœceſi ſunt beneficia. Ibid. n. 2. pag. 612

Si duo ſint Epiſcopi, & alter habeat beneficia in ſua Diœceſi, alter ius conferendi, approbatio permutationis pertinet ad habentem ius conferendi. Ibid. num. 3. pag. 612

Si beneficia ſit in diuerſis Diœceſibus approbatio permutationis debet fieri ab vtroq; Epiſcopo. Ibid. num. 4. pag. 613

Permutatio beneficij cum penſione requirit beneplacitum Apoſtolicum. C. 6. D. 1. §. 15. num. 2. pag. 614

Ex conſuetudine per ſolam Legati à latere auctoritatem poteſt fieri permutatio beneficij, cum penſione. Ibid. num. 4. pag. 614

Non tamen per Epiſcopum. Ibid. num. 5., & 6. pag. 610

Beneficium vnum poteſt eſſe dignius altero dupliciter, & quomodo, C. 6. D. 1. §. 16. n. 2. pag. 616

Non poteſt fieri permutatio beneficij dignioris cum minus digno cũ additamento rei pretio æſtimabilis in compenſationem dignioris, ſi illud additamentum fiat ratione ſpiritualium munerum, Ibid. num. 3. pag. 616

Poteſt fieri ex genere ſuo illa permutatio cum additione rei temporalis, ſi hæc conferatur ratione prouentuum temporalium. Ibid. num. 4. pag. 616

Ad illam tamen requiritur Pontificis auctoritas. Ibid. num. 5. pag. 618

Si fieret commutatio beneficij pinguioris cum minus pingui cum illo additamento, vel propria, vel ſolius Epiſcopi auctoritate committeretur ſimonia contra ius diuinum. C. 6. D. 1. §. 17. num. 2. pag. 619

Beneficium poteſt commutari cum Hoſpitali, ſi hoc ſit collatum in beneficium Clerico, ſine aſſenſu Apoſtolico. C. 6. D. 1. §. 18. num. 2. pag. 619

Non poteſt beneficium permutari cum Hoſpitali, ſi ſit conceſſum Clerico, non tamen in titulum. Ibid. n. 3. pag. 620

Beneficium non poteſt commutari cum Hoſpitali, ſi ſit Laicorum, & non erectum auctoritate Ordinarij. Ibid. num. 4. pag. 620

Beneficium ſimplex poteſt permutari cum Curato ſola Epiſcopi approbatione. C. 6. D. 1. §. 19. num. 2., & 3. pag. 621

Habens duo beneficia curata per ſolam Epiſcopi facultatem nequit illa permutare cum vno ſiue ſimplici, ſiue Curato. C. 6. D. 1. §. 20. num. 2. pag. 622

Exceptio in aliquibus caſibus, qui recenſentur. Ibid. num. 3. pag. 222

Habens duo beneficia curata regulariter non poteſt vnum ex illis permutare cum alio habente itidem beneficium Curatum retento ſimul altero. Ibid. num. 4. pag. 623

Habens duo beneficia curata poteſt alterum ipſorum cum ſimplici permutare, non tamen vtrumque cum vno ſimplici. Ib. n. 6. pag. 623

Poſſunt duo beneficia ſimplicia cum vno ſiue ſimplici, ſiue Curato permutari. Ibid. nu. 7. pag. 624

In permutatione beneficiorum regulariter requiritur beneficiariorum conſenſus. C. 6. D. 1. §. 11. num. 2. pag. 625

Interueniente graui neceſſitate, ſeu vtilitate Eccleſiæ poteſt Epiſcopus cogere beneficiarios ad permutationem. Ibid. n. 4. pag. 625

Intellige etiam, ſi beneficia ſint in valore inæqualia. Ibid. num. 6. pag. 625

In hac hypotheſi tamen eſſet conſtituenda compenſatio, Ibid. nu. 7. pag. 626

Cano-

Canonici eiuſdem Eccleſiæ probabilius ſine auctoritate Epiſcopi non poſſunt permutare ad inuicem ſuas præbendas. C. 6. D. 1. §. 22. num. 2. pag. 626

Beneficium propria auctoritate non poteſt permutari cum iurepatronatus. C. 6. D. 1. §. 23. num. 2. pag. 627

Bene tamen accedente Epiſcopi auctoritate. Ibid. num. 3. pag. 627

Bullæ Pontificum quoad cambia.

Bulla Pij V. quoad cambia per extenſum. C. 5. c. 1. P. 6. num. 1.

Bulla Pij V. per extenſum approbans capitula Mercatorum Bononienſum. C. 5. c. 3. P. 10. num. 1. pag. 445

Bulla Pij IV. ſuper cambia per extenſum. C. 5. c. 3. P. 10. num. 4. pag. 451

C

Cambium.

Cambium vnde dictum. C. 5. P. 1. n. 1. pag. 2

Quid propriè ſit cambium. Ibid. n. 2. pag. 2

Quomodo diferat cambium ab emptione, & ſimplici permutatione. Ibid. num. 5. pag. 2

Quomodo diferat à mutuo, pignore, & depoſito. Ibid. num. 6. pag. 3

Cambium aliud ſiccum, aliud reale, & quid vtrumque. Ibid. num. 7. pag. 3

Cambium reale aliud ſimplex, aliud mixtum, & quid vtrumque. Ibid. num. 7. pag. 3

Aliud manuale, aliud locale, aliud temporale. Ibid.

Cambia ex duplici fine, & quonam fuerunt inducta. C. 5. P. 2. num. 1. pag. 4

Cambiorum negotiatio ob publicum Reipublicæ commodum licita eſt. Ibid.

Etiam, ſi fiat ob priuatum commodum. Ibid. num. 2. pag. 4

Approbatur tam per iura ciuilia, quam per canonica. Ibid. num. 3. pag. 5

Vtilis eſt, & neceſſaria. Ibid.

Non eſt illicitum cambium cum lucro, quo permutantur pecuniæ maioris valoris intrinſeci cum pecunia inferioris valoris intrinſeci, licet æqualis valoris extrinſeci. C. 5. c. 1. P. 3. num. 4. pag. 6

Cambium exercitum per perſonas prohibitas à principe non inducit peccatum, nec onus reſtitutionis vtilitatis perceptæ. C. 5. c. 1. P. 3. num. 6. pag. 8

Si ſit prohibitum ſub clauſula irritante inducit onus reſtitutionis illius vtilitatis in foro externo, non ſic in interno. Ibid.

Licitum eſt cambium, quo quis dat pecuniam alteri reſtituendam in alio loco cum lucro, in quo ſcit non poſſe reſtituere, niſi accipiat ab alio titulo alterius cambij. C. 5. c. 1. P. 7. n. 8. pag. 36

Cambium, quo quis centum dat alteri, vt eos ſoluat Romæ poſt tres menſes, & ſi non ſoluat, teneatur cum lucro reſtituere in loco, in quo recepit, non eſt illicitum. C. 5. c. 1. P. 8. n. 3. pag. 38

Onus ſoluendi illud lucrum non eſt ex culpa, ſed ex conditione. Ibid.

Cambium locale non eſt neceſſario connexum, cum manuali. C. 5. c. 1. D. 1. §. 1. n. 2. pag. 41

Cambium non tranſit in mutuum ex eo, quod reſtituatur eadem numero pecunia. Ibid. n. 4. pag. 42

Cambium locale exigit traiectionem pecuniæ ſaltem virtualem. Ibid.

Inito cambio, eoque non completo per reſtitutionem non intercedente mora non eſt licitum à contractu recedere. C. 5. c. 1. D. 1. §. 2. num. 3. pag. 43

Etiam ſi mora interceſſerit in reſtituendo. Ibid. num. 5. pag. 44

Cambium, quo campſor prius recipit, vt reſtituat, vtile, & licitum eſt. C. 5. c. 2. P. 1. n. 3. p. 95

Cambium, quo campſor primò dat, vt alibi recipiat non eſt illicitum. C. 5. c. 2. P. 1. num. 15. pag. 105

Si cambium ſit in fauorem vtriuſque poteſt cāpſor exigere pretium traiectionis, ſi campſarius non diſſentiat. C. 5. c. 2. P. 2. n. 5. pag. 109

Si neuter velit cambire ſine pretio traiectionis poteſt vterque exigere, vel mutuo ſe liberare. Ibid.

In cambio locali quatuor interueniunt perſonæ, & quomodo. C. 5. c. 2. P. 4. num. 1. pag. 113

Reſpondens campſoris poteſt fieri etiam reſpondens campſarij, & quomodo. C. 5. c. 2. P. 4. num. 3. pag. 113

Explicatur praxis, iuxta quam regulantur cambia in diuerſis mundi partibus iuxta diuerſa pecuniarum genera. C. 5. c. 2. P. 4. n. 7. pag. 114

Cambium, quo reſpondens campſoris reſpondet etiam pro campſario ſecundum aliquos eſt illicitus. C. 5. c. 2. P. 5. n. 3. pag. 115

Rationes pro hac ſententia referuntur. Ibid. n. 3.

Rationes contrariæ pro iuſtitia huius cambij. Ibid. num. 4. pag. 116

Approbatio pro iuſtitia à Pio V. ad mercatores Bononienſes. Ibid. pag. 117

Approbatio ſacræ Congregationis ad Archiepiſcopum Panormitanum. Ibid.

Huiuſmodi cambium, quo reſpondens campſoris reſpondet pro campſario, licitum eſt, & iuſtum. Ibid. num. 5. pag. 118

Cambium ſecundum, quod reſpondens campſoris, & campſuarij init remittendo literas ad eundem campſarium pro ſolutione, non habet eaſdem prælationes, quas habebat primum. C. 5. c. 2. P. 6. num. 3. pag. 122

Iuſtum eſt cambium initum ad locum, vbi reſpondens nec habet pecuniam ſuam, nec cāpſarij, nec ibi creditum, ſed tantum in alio loco. C. 5. c. 2. P. 9. num. 2. pag. 128

Reſpondens campſoris transferendo creditum alibi exigibile in campſarium validè contrahit ad effectum per hunc nouum contractum extinguendi primum. Ibid. num. 3. pag. 129

Cambium non eſt formaliter locatio, ſed importat locationem. C. 5. c. 2. D. 1. §. 6. n. 4. p. 218

Id, quod locatur, non eſt pecunia, ſed perſona recipientis. Ibid. num. 7. pag. 219

Explicatur modus cambiendi in Hiſpanijs pro Indijs Occidentalibus. C. 5. c. 2. D. 1. §. 9. n. 1. pag. 225

Huiuſmodi cambium quoad ſui naturam, & conditiones in ordine ad viatores recipientes illicitus eſt, & vſurarius. num. 3. pag. 225

Poteſt tamen, quid magis exigi pro cambijs in Indijs Occidentalibus, quam pro alijs locis. C. 5. c. 2. D. 1. §. 9. num. 4. pag. 227

Aſſignantur in particulari lucra, quæ poſſint exigi pro locis Indiarum. Ibid.

Non ſubſiſtunt etiam huiuſmodi cambia ſic celebrata quoad Gubernatores nauium, & magiſtros. Ibid. num. 5. pag. 227

Si Gubernatores nauium cambium acceperint in Hiſpania pro Indijs cum illo intereſſe proprio

prio nomine non poterit iuſtè tradere nautis; ad proportionem intereſſe, quod ipſe ſoluit. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 10. num. 2. pag. 228
Si Gubernatores acceperint cambio nomine etiam nautarum poſſunt ab illis proportionatum intereſſe exigere. Ibid. num. 3. pag. 229
Officium à Republica inſtitutum ad cambiendum indigentibus non eſt ſecundum ſe illicitum. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 11. num. 3. pag. 231
Et pro illo poteſt aliquid moderatè ſupra pretium cambij exigi. Ibid. num. 4. pag. 230
Non eſt illicitum cambium, quo campſor negat cambium pauperi, & concedit diuiti ad minus pretium, vt iſte det pauperi pro maiori. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 12. num. 2. pag. 232
Cambia non nundinalia poſſunt eſſe ad pretium incertum, dummodo æqualis fuerit ſpes augmenti, & periculum dimminutionis. C. 5. c. 2. D. 1. §. 13. num. 2. pag. 233
Pretia cambiorum remotis fraudibus, & concurrentibus diuerſis circumſtantijs poſſunt per campſores variari. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 14. num. 2. pag. 235
Cambium eſt licitum extante dubio opinatiuo, quod campſarius ſit, vel non ſit habiturus pecuniam in loco reſtitutionis. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 15. num. 2. pag. 237
Non eſt tamen licitum, ſi dubium non ſit cum æquali probabilitate, ſed præponderet negatiua, quod non ſit habiturus. Ibid.
Si in prima ſua origine propter prudentem credulitatem, quod campſarius in loco deſtinato ſit ſoluturus, fuit validum, non redditur inualidum ex ſuperueniente ſcientia impotentiæ campſarij ad ſoluendum. Ibid. n. 6. pag. 242
Quid ſit cambium pro Venetijs. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 20. num. 1. pag. 257
Hoc cambium licitum eſt, ſi æquale ſit dubium lucri, & amiſſionis. Ibid. num. 2. pag. 257
Cambium per nuntios initum ſine interuentu principalium ſuſtinetur. C. 5. c. 2. D. 2. ſ. 8. num. 4. pag. 276
Cambium eſt ex illis contractibus, qui ſolo conſenſu perficiuntur. C. 5. c. 2. D. 2. ſ. 10. n. 2. pag. 284
Explicatur ſpecialis modus, quo poſſit contrahi cambium vnius tantum conſenſu. C. 5. c. 2. D. 2. ſ. 12. num. 1. pag. 287
Explicantur DD. placita, circa huiuſmodi modum. Ibid. num. 2. pag. 288
Propriè non perficitur cambium, oriuntur tamen actiones, quaſi ex contractu. Ibid. n. 4. pag. 288
In dubio, quod pecunia tempore reſtitutionis ſit pluris, vel minoris valitura, an licita ſit taxatio eiuſdem ad pretium medium. C. 5. c. 3. D. 1. ſ. 15. num. 3. pag. 541

Cambium *dell' Agio*.

Exponitur quinam ſit modus cambiendi, qui dicitur *dell' Agio*. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 3. n. 1. pag. 211
Iniuſtus eſt ille exceſſus, qui exigitur ob celebratum præciſè contractum in fauorem campſarij. Ibid. num. 2. pag. 212
Non eſt iniuſta conuentio de exceſſu, ſi correſpondeat intereſſe lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis concurrentibus requiſitis. Ibid. num. 3. pag. 212
Ex ſuppoſitione, qua exceſſus non cohoneſtatur titulo lucri ceſſantis, non vitiaret contractum, ſed vitiaretur. Ibid. num. 4. pag. 212

Cambium *commiſſionum*.

Exponitur, quomodo fiat huiuſmodi cambium, C. 5. c. 2. D. 3. ſ. 20. n. 1. pag. 148
Omninò licitus eſt huiuſmodi cambiendi modus. Ibid. n. 2. pag. 348
Licita eſt pecuniarum translatio ſecundum ſe in quemcunque locum. Ibid. n. 4. pag. 349

Cambium continuationum.

Sententia reprobans continuationem cambiorum tanquam iniuſtam. C. 5. c. 3. P. 14. n. 2. pag. 463
Rationes pro hac ſententia. Ibid. n. 3., & ſeqq. pag. 463
Sententia approbans hanc cambiorum continuationem præfertur. Ibid. n. 8. pag. 463
Non eſt repugnantia, quia id, quod eſt perfectio extrinſeca reſpectu vnius, ſit ſubſtantia reſpectu alterius. Ibid. n. 10. pag. 464
Non damnatur hæc continuatio per Pium V. Ibid. n. 12. pag. 464
Nec per Pium IV. Ibid. num. 13.
Hæc continuatio debet eſſe libera. Ibid. n. 14. pag. 465
Cenſuræ Raphaelis de Turri contra Salonium circa continuationem cambiorum. C. 5. c. 3. P. 15., & reprobationes talium cenſurarum per extenſum. C. 5. c. 3. P. 15. per totum, p. 466., vſque ad pag. 474
Aliæ cenſuræ eiuſdem de Turri contra Salonium, & confutationes earundem. C. 5. c. 3. P. 16. per tot. à pag. 476. vſque ad 477
Cenſuræ Raphaelis de Turri contra Azorium, & confutationes earundem. C. 5. c. 3. P. 17. per tot. à p. 478. vſque ad pag. 491
Aliæ cenſuræ eiuſdem contra Azorium, & refutationes. C. 5. c. 3. P. 18. per tot. à pag. 492. vſque ad pag. 497
Cenſuræ eiuſdem de Turri contra Leſſium, earumque confutationes. C. 5. c. 3. P. 19. per tot. à pag 498. vſque ad pag. 506
Cenſuræ eiuſdem aduerſus Rotam Romanam, & reprobationes. C. 5. c. 3. P. 20. per totum à pag. 506. vſque ad 513

Cambium *al contado*.

Praxis vendendi *al contado*, quænam ſit. C. 5. c. 3. D. 1. ſ. 5. n. 1 pag. 522
Duobus modis fieri poteſt, & quomodo. Ibid.
Cambium vtroque modo initum, ſi ſecundum ſe conſideretur, iniuſtum eſt. *Ibid. n. 2. p.* 522

Cambium *forzoſo*.

Quid ſit cambium *forzoſo*. C. 5. c. 3. D. 1. ſ. 9. num. 1. pag. 531
Hæc cambiendi praxis non eſt ſecundum ſe illicita. Ibid. num. 2. pag. 532

Cambium locale.

Vide verb. *cambium in genere*. Cambium locale exigit diſtantiam localem, nec ſufficit æquiualens conſiſtens in diſtantia temporis. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 7. num. 3. pag. 220
Poteſt publicus campſor nolle cãbire pro loco, pro quo campſarius indiget. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 8. num. 3. pag. 223

Cambium *in Monte*.

Explicatur in caſibus particularibus, quid ſit cambium *in Monte*. C. 5. c. 2. D. 3. ſ. 18. n. 1. pag. 344
Hoc cambium iuxta modum explicatum licitum eſt, & iuſtum. Ibid. num. 3. pag. 345
Cambia in Monte exercita per correſpondentes campſorum in fauorem ipſorum correſpondentium cum lucro etiam licitum eſt. C. 5. c. 2. D. 3. ſ. 19. num. 3. pag. 347
Niſi vſus literarum ſit eiſdem expreſsè prohibitus. Ibid.

Cam-

Digitized by Google

Cambium nundinale.

Cambium nundinale dicitur regulare. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 5 num. 2. pag. 215

Ex cambio non nundinali poteſt exigi lucrum nundinalis attento lucro ceſſante. Ibid. n. 4. pag. 215

Si lucrum in loco deſtinatæ ſolutionis ſit incertum, adeo vt poſſit eſſe maius, vel minus habito reſpectu ad lucra nundinalia, non eſt illicita conuentio de lucro nundinali. Ibid. num. 5, pag. 215

Poſſunt emi literæ cambij in principio nundinarum ſecundum valorem, quam tunc habent ſcuti marcharum, vt reddantur ſecundum valorem, quem habebunt in fine earundem, ſi ſit æqualis ſpes, & metus incrementi, & decrementi. C. 5. c. 2. D. 3. ſ. 1. n. 5. pag. 308

Cambium nundinale quid ſit. C. 5. c. 3. P. 1. num. 2. pag. 421

Quod ſit cambium *al conto*, & quod cambium *al prezza corrente*. Ibid. num. 4. pag. 421

Cambium nundinale non eſt mutuum palliatum, & quare. Ibid. num. 8. pag. 424

Non licet in ratione cambij contractus ex aliqua ciuitate ad nundinas, quæ in eadem fiunt, bene tamen in ratione emptionis, & venditionis. C. 5. c. 3. P. 2. num. 2. pag. 426

Licet etiam talis contractus in ratione emptionis à nundinis vnius temporis ad nundinas alterius in eadem ciuitate celebrandas. Ibid. num. 4. pag. 427

Refertur tempus nundinarum in Hiſpania comparatiue ad tempus nundinarum, quæ celebrantur in Flandria. C. 5. c. 3. P. 3. num. 1. pag. 427

Diſtributio nundinarum, quæ celebrantur Lugduni. C. 5. c. 3. P. 3. num. 2. pag. 427

Diſtributio temporis quoad nundinas, quæ celebrantur Placentiæ. Ibid. num. 3. pag. 427

Licet pecuniam cambire à nundinis ab vno loco ad nundinas in alio habito reſpectu copiæ, quæ eſt in vno, & inopiæ, quæ eſt in alio. Ibid. num. 4. pag. 428

Cambium, quod fit vltra primas nundinas ad finem maioris lucri eſt iniquum etiam iure naturæ. C. 5. c. 3. P. 4. num. 2. pag. 431

Cambium ad ſecundas nundinas cum eodem lucro, quod exigeret in primis, eſt licitum.

In cambijs ad vlteriores nundinas ad exigentiam cāpſuariorum ratione maioris periculi ſortis, damni emergentis, vel lucri ceſſantis licitum eſt, quid magis exigere, ac exigat ipſum cambium in primis nundinis. Ibid. num. 4. pag. 432

Intellige in foro interno animæ. Ibid.

Non tamen ratione plurium concurrentium, nec ratione æquiualentiæ ad duplex. Ibid.

Accipiens cambium nundinarium in alterius vtilitatem, an poſſit ab eo, in cuius fauorem accepit, exigere intereſſe cambiorum. C. 5. c. 3. P. 6. per totum pag. 437., 438., & 439.

Licitum eſt cambium nundinarium ab vno loco in alium, & ab hoc in primum, ſub diuerſo pretio. C. 5. c. 3. P. 7. num. 2. pag. 441

Licita ſunt cambia, quæ fiunt ab Hiſpali in Luſitaniam cum recurſa à Luſitania in Hiſpalim. C. 5. c. 3. P. 8. num. 4. pag. 443

Cambium nundinarium datis campſario mercibus pro pecunia numerata non eſt licitum in ratione cambij. C. 5. c. 3. D. 1. ſ. 7. num. 2. pag. 527

Si cambium fuerit celebratum pro pluribus nundinis, ſeu terminis ſimul, ita vt in ſingulis non innouetur contractus, & ſit cum maiori lucro, illicitum eſt. C. 5. c. 3. D. 1. ſ. 10. nu. 3. pag. 533

Si fuerit celebratum pro pluribus nundinis, ita vt innouetur in ſingulis licitum eſt. Ibid. num. 4. pag. 534

Non poteſt cambium ſimul celebrari pro pluribus nundinis etiam, ſi in ſingulis renouetur contractus, quando eſt pro nundinis ab vno loco ad alias nundinas in eodem loco in ratione cambij. Ibid. num. 5. pag. 534

In ſuppoſitione, quod campſor obliget ciuiliter campſuarium ad renouanda ſetum cambia ad ſubſequentes nundinas cambium eſt illicitum. Ibid. num. 6. pag. 535

Quomodo negotia regulentur in nundinis coram conſulatu Mercatorum. C. 5. c. 3. D. 2. ſ. 4. num. 1. pag. 547

Regulariter nundinæ durant octo diebus. Ibid. num. 2. pag. 547

Quid fiat ſingulis diebus in eiſdem. Ibid. num. 3. pag. 548

Cambia Piſana, & Placentina.

Refertur praxis huiuſmodi cambiorum in vtroq; loco. C. 5. c. 3. D. 1. ſ. 2. n. 1. pag. 416

Non inficiantur huiuſmodi cambia ex eo præciſè, quod ineuntur inter priuatas perſonas. Ibid. num. 2. pag. 516

Cambia, quæ celebrantur pro Piſis cum pacto abſolutè recambiandi pro eodem loco, in quo fuerit celebratus contractus, ſine quo non celebraretur ſunt illicita. Ibid. num. 3. pag. 517

Non vitiantur regulariter illa cambia ex eo, quod minus loca Etruriæ, in quibus celebrantur, Piſis diſtent, ac diſtent Placentia, quamuis idem lucrum acquiratur. Ibid. n. 4. pag. 517

Cambium *con la ricorſa*.

Duplex modus celebrandi cambium *con la ricorſa*. C. 5. c. 2. P. 14. num. 1. pag. 142

Formula proteſtationum in cambijs *con la ricorſa*. C. 5. c. 2. P. 15. num. 21. pag. 152

In cambijs continuationum duplex poteſt exigi prouiſio. Ibid. num. 6. pag. 190

Cambium *con la ricorſa* importat duplicem contractum. Ibid.

In cambio recurſæ poteſt reſpondens campſoris ſoluere ex pecunia eiuſdem campſoris ex diuerſa ſocietate primum cambium, & inire ſecundum. C. 5. c. 2. D. 2. ſ. 5. n. 3. pag. 270

An etiam ex eadem ſocietate, remiſſiue. Ibid.

Poteſt ſaluari cambium recurſę, ſeu recambium eadem prorſus ſumma manente per nouationem, non tamen per delegationem. Ibid. num. 3. pag. 270

In cambio recurſæ hypothéca, quæ conceditur primo cambio in aliquo loco, non perſeuerat in ſecundo cambio alibi celebrato. C. 5. c. 2. D. 3. ſ. 9. num 3. pag. 326

Intellige, vbi debitor primo cambio non acceſſerit, vt fideiuſſor in recambio. Ibid.

Exponuntur caſus propoſiti per Rempublicam Genuenſem circa cambia recurſus ad Vrbanum VIII. C. 5. c. 3. P. 11. num. 2. pag. 453

Formulæ literarum circa huiuſmodi cambia. Ibid. num. 3.. & 4. pag. 453

Reſolutiones primi caſus per Congregationem Theologorum iuſſu Vrbani VIII. Ibid. num. 5. pag. 453

Exponitur ſecundus caſus de cambio cum intereſſe limitato. Ibid. num. 6. pag. 453

Damnatio eiuſdem caſus per eandem Congre-

gationem . Ibid. num. 7. pag. 454
Exponitur forma continuationum cambiorum propoſita Vrbano VIII. Ibid. nu. 8. pag. 454
Reſolutio eiuſdem Congregationes Theologorum ſuper hunc tertium caſum . Ibid. nu. 14. pag. 454
Noua theſis caſuum propoſita per eandem Rempublicam Vrbano VIII. Ibid. num. 16. pag. 455
Approbatio eiuſdem theſis, cum ſuis conditionibus per eandem Theologorum Congregationem . Ibid. num. 18. pag. 455
In quibus conueniat hæc approbatio, cum reſolutione primi caſus, & in quo differat . Ibid. num. 19., & 20. pag. 455
Ex pecunia numerata campſuarij, & debita campſori poteſt conſtitui recambium, & quomodo, C.5.c.3. P.12. n.5. pag. 458
DD. aſſerentes ex credito campſoris per virtualem ſolutionem poſſe diſſolui primum cambium, & conſtitui recambium . Ibid. num. 6. pag. 458
Cambium recurſæ cum limitato intereſſe approbatur per Theologorum Cógregationum, C.5.c.3. P.13. n. 3. pag. 462

Cambium ſiccum .

Cambia ſicca, non ſunt cambia, niſi quoad nomen . C. 5. c.1. P.6. num.1. pag. 25
Refertur bulla Pij V. quoad cambia ſicca per extenſum . Ibid. pag. 25
Eſt cambium ſiccum literas dirigere ad locum, vbi certo ſcitur non eſſe ſoluendas . Ibid. n. 2. pag. 25
Pacta realia tranſeunt in ſicca, quando lucrum exigitur præciſè ratione dilationis vltra terminum præfinitum . Ibid. pag. 25
Sunt fæneratitia cambia inita vltrà primas nundinas . Ibid.
Habenda eſt ratio longinquitatis, & vicinitatis, & quarè . Ibid. pag. 26
Cambium ex diſpoſitione Pij V. tranſit in ſiccum, quando paciſcitur de certo intereſſe propter moram, & etiam de certo intereſſe ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis . Ibid. num. 3. pag. 26
Non tamen, ſi paciſcatur de incerto intereſſe, prout conſtabit ex futuro euentu . Ibid.
Cambium initum cum pacto de certo intereſſe eſt vſurarium in foro externo, non in interno . Ibid. num. 5. pag. 28
Cambia, quæ extenduntur vltra primas nundinas non ad finem maioris lucri, non ſunt illicita . Ibid. num. 7. pag. 29
Exigens maius lucrum ratione extenſionis temporis ad ſecundas nundinas intuitu veri intereſſe eſſet vſurarius in foro externo, non in interno . Ibid. n.7. pag. 30
Prohibitio Piana extendendi cambia vltra primas nundinas reſpicit ſolummodo campſores, & non campſarios, & quomodo . Ibid. num. 8. pag. 30
Cambium celebratum in tempore ità proximo primis nundinis, vt literæ banchariæ non poſſint peruenire ad locum, in quo celebrantur, non euadit illicitum, ſi in alijs nundinis ſubſequentibus perſoluatur iuxta lucrum, quod in iſtis ex vſu fori ſolet percipi . Ibid. num. 10. pag. 31
Ratio vicinitatis, & longinquitatis locorum attendenda eſt non ob maius, vel minus pretium, ſed ob terminum competentem ad ſolutionem . Ibid. num. 11. pag. 31
Cambium pro aliquo loco ficto in ratione cambij non poteſt ſubſiſtere . C. 5. c. 3. D. 1. §. 1. num. 2 pag. 536
In foro tamen interno poteſt exigi compenſatio lucri ceſſantis, & damni emergentis . Ibid. num. 3. pag. 537

Campſor, Campſarius .

Quinam dicatur campſor, & quinam campſarius . C. 5. P. 1 num.1. pag. 2
Campſor poteſt lucrum ex cambio percipere ratione periculi, laboris, expenſarum, difficultatis, obſequij &c. C. 5. P.3. n. 1. pag. 5
Campſor, vel poteſt eſſe talis ex officio, vel ex libertate . Ibid. num. 3. pag. 6
Campſor non deſtinatus à Republica ad cambiendum poteſt aliquam vtilitatem recipere ex cambijs, quæ exercet . Ibid. n.5. pag. 7
Campſor poteſt ex cambio lucrum acquirere; quamuis accipiat pecuniam auream, & tradat minutam . C.5.c.1.D.1.§.3.n.2.pag. 45
Campſor quamuis tradat pecuniam minutam, & recipiat auream inſeruit campſuario . Ibid. num 3. pag. 45
Campſor, qui bona fide contraxit cū campſario exiſtimans hunc habere in loco, ad quem fit cambium, quo ſoluat poteſt exigere intereſſe, ſi campſarius non ſoluat in tali loco ob defectum pecuniæ . C.5.c.1. D.1.§.14. n.3.pag. 66
Campſores poſſunt maius lucrum exigere ex eo, quod nundinæ, in quibus facienda eſt reſtitutio, magis diſtent . C.5.c.1.D.1.§.16 n.2.p. 69
Campſor ex vi depoſiti præciſè præſcindendo ab ordine ad cambium, ſi vtatur depoſito ad ſuos vſus, tenetur idem reſtituere ſecundum valorem, quem habebat pro tempore, quo illo vſus fuit . C.5.c.1.D.1.§.18.num.5. pag. 76
Si campſor habuerit depoſitam pecuniam titulo ſocietatis præciſè, & illa vſus fuerit in proprios vſus tenetur reſtituere ſecundum valorem, non quem habebat, ſed dimminutum, ſi pecunia in valore decreuerit . Ibid.n.6.pag.78
Valet etiam, ſi depoſitum aſſecurauerit, & valor fuerit ex facto Principis dimminutus . Ib. num. 7. pag. 79
Campſor, qui pecuniam recepit ab alio alibi reſtituendam datis literis ad ſuum reſpondentem pro reſtitutione non eximitur ab onere reſtitutionis, ſi interim reſpondens vergat in decoctionem . C.5.c.1.D.1.§.2.n.2.pag. 81
Campſor non eximitur ab onere reſtitutionis, etiam ſi reſpondens, ad quem literæ diriguntur, & vergit in decoctionem, ſit debitor eiuſdem campſoris, & acceptat literas . Ibid.n.5. pag. 84
Campſor poteſt lucrari etiam ſi recipiat cambium in loco, quo eo indiget, vel in loco, in quo non indiget, vt recipiat in loco, vbi indiget . C.5.c. 2. P.2. n.3. pag. 108
Valet ſiue campſor fuerit præuentus, ſiue præuentor . Ibid. num. 3. pag. 109
Campſor, qui pecuniam recepit alibi ſoluendam proficiſcens ad locum deſtinatæ ſolutionis, & per ſe ipſum exercens munera reſpondentis poteſt licitè exigere prouiſiones, quas ille exigeret . C.5. c.2. §.8. num.4. pag. 126
Campſor profectus ad locum ſolutionis, & per ſe ipſum exercens munus reſpondentis licitè exercet . Ibid. num. 2. pag. 126
Si campſor, & campſarius ſimul proficiſcerentur ad locum deſtinatæ ſolutionis, & campſarius quæreret à campſore nouum cambium ad extinguendum primum non poſſet

camp-

Digitized by Google

campſor exigere prouiſionem. Ibid. num. 5. pag. 127
Campſor committit iniuſtitiam exigendo aliquid ſupra id, quod exigit cambium, non tamen vſuram. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 1. n. 2. pag. 204
Committit tamen vſuram, ſi exigat quid magis ob ſolam temporis dilationem. Ibid. num. 8. pag. 205
Publicus campſor non obligatur ad cambiendum pro loco, quo voluerit campſarius indigens. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 8. num. 3. pag. 223
Campſor, ſi nullam cum campſario iniuerit conuentionem tenetur ſtare pretio, quod ſecundum fortuitam facti contingentiam accedit. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 14. num. 3. pag. 236
Si vero facta fuerit conuentio ſtandum erit eidem, dummodo fuerit iuſta. Ibid.
Campſor non poteſt obligare campſarium, vt potius ſecum, quam cum alio recambium ineat. C. 5. c. 2. D. 2. ſ. 1. num. 2. pag. 258
Intellige, ſi câpſarius alium habuerit in loco ſolutionis, qui poſſit, vel velit pro ipſo ſoluere. Ibid.
Campſor, qui plura modica ſupra iuſtitiam per plura cambia exegit, quæ ſimul accepta faciant magnam quantitatem tenetur ſub læthale ad reſtitutionem. C. 5. c. 2. D. 2. ſ. 2. num. 3. pag. 261
In ſuppoſitione, quod à pluribus illa modica ablata ſint, & neſciatur, à quibus probabilius ſunt in pios ſunt expendenda. Ibid. n. 4. p. 261
Campſor, qui dedit literas pro loco conuento non poteſt cogi, ſi ibi non adimpleantur, ad dandum pro alio. C. 5. c. 2. D. 4. ſ. 9. num. 3. pag. 364
Campſor promittens campſuario, quod ſuum debitum in loco deſtinato perſoluetur per ſuum reſpondentem ſe ipſum obligat ad talem ſolutionem. C. 5. c. 3. P. 12. n. 8. pag. 459
Reſpondens campſarij, quodamodo recipit pecuniam mutuam eiuſdem, vt ſoluat pro câpſario. Ibid. num. 9. pag. 459
Campſor ordinando ſuo reſpondenti, vt recipiat remiſſam debiti campſuarij, quodamodo deponit ſuum creditum apud eundem reſpondentem. Ibid. num. 13. pag. 460
Campſor, ſi contraxit illicitè cum mala fide nec lucrum poteſt exigere cambij, nec compenſationem expenſarum. C. 5. c. 3. D. 1. §. 8. n. 3. pag. 529
Si contraxit cum ignorantia iuris, vel ignorantia conditionis, quæ non latet alios ſimilis ſtatus, in foro externo non poteſt exigere talem compenſationem. Ibid. n. 4. pag. 530
Verificatur etiam ſi contraxerit cum ignorantia conditionis latentis, & nô cognoſcibilis. Ibid. num. 5. pag. 530
Campſarius obligans campſorem ad traiectionem virtualem ſine ſtipendio vſurarius eſt. C. 5. c. 2. D. 1. §. 1. num. 4. pag. 206
In credito campſoris decocti concurrente câpſario cum agente ipſius campſoris præferendus eſt campſarius. C. 5. c. 2. D. 3. §. 4. num. 2. pag. 334
Campſarius indigente campſore pecunijs per ſe ſolutis ad nundinas, non poteſt ſe minoris redimere ſoluendo ante illas nundinas. C. 5. c. 3. D. 1. §. 4. num. 2., & 3. pag. 521., & 522
Poteſt tamen reſpectiuè ad intereſſe cambij. Ibid.

Cartularium.

Cartularium quid ſit. C. 5. c. 2. §. 12. n. 7. pag. 136
Habet vim publici inſtrumenti. Ibid.
Enumerantur variæ ſpecies cartulariorum. Ibid.
Quomodo diſponantur in cartularijs credita, & debita. Ibid.
Ex cartularijs ſufficienter probatur creditum. Ib.

Ceſſio.

Ceſſio nominis debitoris abſentis non tollit ius creditoris aduerſus debitorem principalem. C. 5. c. 1. D. 1. §. 22. num. 2. pag. 87
Stante ceſſione nominis debitoris abſentis facta creditori non extinguitur primæria ipſius actio. Ibid. num. 3. pag. 88
Cedens ſubiacet periculo rei ceſſæ, niſi ceſſionarius fuerit in cauſa periculi per non implementum eorum, quæ implere tenebatur. Ibid. num. 4. pag. 88
Ceſſionarius per modum participationis cedens alteri ſimpliciter eundem numerum ſibi ceſſum non poteſt conueniri ab hoc altero, ſi hic ſecundus non habeat numerum ſibi ceſſum. C. 5. c. 1. D. 1. §. 23. num. 2. pag. 90
Ceſſio in dubijs interpretatur contra ceſſionarium. Ibid. num. 3. pag. 90
Ceſſio bonorum impedit executionem perſonalem contra debitorem ex cambio, & quoad realem creditor ex cambio concurrere debet, cum alijs creditoribus ſeruatis iuribus, & priuilegijs. C. 5. c. 3. D. 2. ſ. 15. nu. 2. pag. 562

Compenſatio.

Ad effectum compenſationis poteſt induci hypotheca in proprio nomine. C. 5. c. 2. D. 3. ſ. 12. num. 3. pag. 331
Etiam cum excluſione creditorem hypothecariorum anteriorum. C. 5. c. 2. D. 3. §. 13. num. 2. pag. 332
Et hoc ſiue creditores anteriores denuntiauerint debitori ſuam hypothecam, ſiue non. Ibid. num. 3. pag. 333
Compenſatio poteſt fieri ad eum, ad quem directa fuerit tracta, ſi fuerit debitor trahentis decocti, ſi acceptauerit, & promiſerit ante notitiam decoctionis. C. 5. c. 2. D. 5. ſ. 1. num. 6. pag. 391
Secus, ſi habuerit notitiam decoctionis, antequam acceptauerit. Ibid.

Creditor.

Creditor literarum cambij, ſi acceptat alias literas cambij à debitore ſui debitoris, & debitor debitoris vergat in decoctionem non habet regreſſum aduerſus ſuum debitorem, ſed actionem aduerſus debitorem debitoris. C. 5. c. 1. D. 1. ſ. 21. num. 2. pag. 86
Creditor ex cambio, ſi ex mora conuenerit cum debitore, vt poſſit pecuniam ſibi debitam accipere ad cambium, illamq; retinere in cambijs, & recambijs, vſq; ad integram ſolutionem non poteſt exigere intereſſe ex vi cambij formaliter ſumpti. C. 5. c. 2. D. 1. §. 16. n. 2. pag. 244
Creditor ex facultate ſibi atributa per debitorem ſumendi ab cambia, & recambia pecuniam debitam poteſt iuſtè exigere intereſſe cambiorum, & recambiorum, ſi fuiſſet illam implicaturus, ſi habuiſſet. Ibid. n. 4. pag. 244
Intereſſe hoc poteſt iuſtè proportionari ſiue toti intereſſe, quod reſultat ex cambijs, & recambijs comprehenſis etiam expenſis ſiue tenetur ad determinatum pretium. Ibid. n. 5. pag. 245
Creditor, ſi ſibi facultas ſit data indefinitè ſumendi pro quibuſcunq; plateis, ſeu nundinis poteſt iuſtè exigere intereſſe ad proportionem pretij decurrentis in talibus plateis, ſeu nundinis.

Digitized by Google

dinis. Ibid. num. 6. pag. 246
Hæc facultas conceſſa à debitore creditori irreuocabilis eſt, & tranſit ad quoſcunq; hæredes. C. 5. c. 2. D. 1. §. 17. num. 3. pag. 248
Creditor, qui non eſt vſus facultate ſibi conceſſa per debitorem cambiandi, & recambiandi, non poteſt agere actione promiſſionis ex cambio. C. 5. c. 2. D. 1. §. 18. n. 4. pag. 249
Nec actione præſcriptis verbis. Ibid. num. 5. pag. 250
Valet etiam, ſi facta fuerit expreſſio, quod debitor teneatur etiam, ſi creditor vſus non fuerit tali facultate. Ibid. num. 6. pag. 250
Creditor ad exigendum intereſſe cambiorum, & recambiorum debet probare ea fuiſſe ſubſtantialitèr inita. Ibid. num. 7. pag. 251
Ad probandum cambia, & recambia fuit inita non ſufficit exhibitio literarum miſſarum, & remiſſarum. Ibid. num. 8.
Creditor habita facultate à debitore ſumendi ad cambia, & recambia pecuniam creditam non poteſt agere præſcriptis verbis, contra debitorem, ſi contraxit inualidè licet bona fide. C. 5. c. 2. D. 1. §. 19. num. 3. pag. 252
Creditor, qui contraxit inualidè licet bona fide, ſi intereſſe cambiorum, & recambiorum ſoluit campſori, poteſt illud repetere. Ibid.
Si illud non conſumpſerit, nec ex illo factus fuerit ditior. Ibid. num. 4. pag. 253
Si debitor ſe obligauerit ſolum ad intereſſe cambiorum, & recambiorum, & creditor contraxerit inualidè, ſimulq; intereſſe perſoluerit campſori, qui contraxerit, nec factus fuerit ditior non poteſt creditor agere contra ſuum debitorem pro illo. Ibid. num. 5. pag. 254
Etiam, ſi ipſe debitor promiſerit abſolutè indemnitatem. Ibid. num. 6. pag. 255
Si creditor campſori intereſſe non perſoluerit, non habet actionem aduerſus debitorem pro illo. Ibid. num. 7. pag. 256
Si creditor interuenientibus requiſitis conditionibus obligetur à Iudice ad ſoluendum intereſſe campſori poteſt habere regreſſum contra ſuum debitorem pro illo. Ibid. n. 8. pag. 257
Creditor non poteſt exigere lucra cambiorum, & recambiorum, quæ non iniuit. C. 5. c. 2. D. 2. §. 4. num. 1. pag. 265
Poteſt tamen concurentibus debitis conditionibus exigere intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis. Ibid. num. 3 pag. 265
Creditor habens ex vi litera non cambij hypothecata nomina debitorum ſui debitoris poteſt agere contra eoſdem debitores non excuſſo principali. C. 5. c. 2. D. 3 §. 11. num. 3. pag. 329
Creditor, qui recepit ſortem, an poſſit poſt moram exigere intereſſe. Vide verb. *Intereſſe*.
Creditor per receptionem partis capitalis, ſine vlla reſeruatione intelligitur etiam remiſiſſe ius ad intereſſe pro tali parte. C. 5. c. 2. D. 4. §. 15. num. 2. pag. 375
Creditor, qui debit mercatoribus pecunias ſuas ante nundinas, an poſſit illas exigere in medio, vel fine nundinarum cum aliquo lucro. C. 5. c. 3. D. 1. §. 6. num 2. pag. 523
Non poteſt creditor aliquid vltra ſortem exigere ex eo, quod coactus fuerit pecuniam illam tradere. Ibid. num. 3. pag. 525
Creditor hypothecarius exterior poteſt impedire executionem ſuper lucras cambij. C. 5. c. 3. D. 2. §. 12. num. 2. pag. 558

D

Debitor.

Debitor ex cambio poteſt ſe minori redimere ante tempus ſolutionis, ſi creditor indigens velit illud creditum minoris vendere intra limites iuſti. C. 5. c. 1. P. 7. n. 6. pag. 35
Illud tamen minus non debet eſſe comparatiuè ad pecuniam acceptam, ſed ad lucrum. Ibid.
Si reſpondens campſoris ſit debitor eiuſdem, & acceptet literas ab eodem datas pro ſoluendo debito ipſius non liberat ab onere reſtitutionis eandem campſorem. C. 5. c. 1. D. 1. §. 20. num. 5. num. 84.
Debitor per promiſſionem ſolutionis factam per publicum campſorem creditori, antequam campſor vergeret in decoctionem liberatur à debito. C. 5. c. 1. D. 1. §. 24. n. 2. pag. 91
Debitor ex primò cambio non remanet amplius debitor ex recambio, quantum eſt ex vi formaliter recambij. C. 5. c. 2. D. 2. §. 6. num. 2. pag. 272
Debitor ex cambio debet eſſe perſona ſaltem diuerſa formaliter ab ea, ad quam dirigitur tracta eiuſdem cambij. Ibid. num. 4. pag. 272
Reſpondens conſtituit ſe debitorem, pro debitore principali. Ibid. num. 3. pag. 272
Debitor debitoris obligans ſe ad ſoluendum creditori eiuſdem debitoris putato, qui tamen creditor ipſius non eſt, ſi nondum ſoluerit, ſuperueniente notitia, quod ille creditor non ſit poteſt non ſoluere, ſed opponere exceptionem. C. 5. c. 2. D. 5. §. 16. num. 3. pag. 416
Debitor debitoris ſe obligans, vt ſupra, ſuperueniente notitia, quod creditor non fuerit talis, non eſt liber, vel ad ſoluendum, vel ad excipiendum, ſed debet abſolutè excipere. Ibid. num. 4. pag. 416
Debitor eiuſdem debitoris, ſi ſoluerit creditori, qui creditor non eſt de mandato debitoris liber manet à ſuo creditore de illa quantitate, quam pro ipſo ſoluit. Ibid. n. 5. pag. 417
Secus, ſi ſoluerit, ſine mandato. Ibid.
Si ſoluerit poſt ſuperuentam cognitionem non liber remanet à ſuo creditore. *Ibid.*
Debitor, qui ſe obligauit ad ſoluendum debitum intra ſeptem menſes pro pecunia ſibi numeranda poſt tres menſes non poteſt compelli intra illos ſeptem menſes, ſi pecunia ſibi non fuerit ſoluta intra illos tres menſes. C. 5. c. 3. D. 1. §. 1. num. 3. pag. 514
Debitor non poteſt obligari ad cambium, vel ad lucrũ cambij, quando excuſatur, vel abſolutè, vel ad tempus à ſolutione. C. 5. c. 3. D. 1. §. 3. num. 3. pag. 519
Debitor conuentus coram Iudice ſæculari, ſuper executione literarum cambij poteſt excipere de vſura, ſi hæc ſit euidens. C. 5. c. 3. D. 2. §. 10. num. 2. pag. 556

Decoctio Decoctus.

Soluto per campſuarium pretio pro cambio, & datis per campſorem literis ad ſuum reſpondentem pro reſtitutione, ſi reſpondens interim vergat in decoctionem periculum cedit campſori, non campſuario. C. 5. c. 1. D. 1. §. 20. num. 2. pag. 81
Vergente reſpondente in decoctionem campſor, qui recepit pecuniam in determinata ſpecie tenetur eandem reſtituere ſecundum valorem, quem habebat tempore receptionis. Ibid. num. 3. pag. 81

Si

Si reſpondens, ad quem datæ fuerunt literæ pro ſolutione decoxerit,& literæ rimittantur inanes tenetur quidem campſor ad reſtitutionem ſortis, non autem prouiſionis. Ibid. num. 7. pag. 85

Delegatio.

Delegatio, quod ſit. C. 5. c. 2. P. 2. n. 2. pag. 184

Ex præciſa præſentatione literarum, earumque receptione non oritur delegatio. Ibid. nu. 5. pag. 185

Ad delegationem requiritur, quod delegatus fuerit debitor. Ibid. pag. 188

Delegatio ſaluari non poteſt in cambio recurſæ manente prorſus eadem quantitate. C. 5. c. 2. D. 2. §. 5. num. 3. pag. 270

Delegatio illius, qui creditur debitor debitoris, & non eſt, facta in fauorem creditoris, & ab eodem acceptata liberat ipſum debitorem à creditore. C. 5. c. 2. D. 5. §. 14. n. 2. pag. 413

Dummodo creditor dolo, ſeu fraude non induxerit debitorem debitoris ad ſe obligandum pro debitore. Ibid. num. 3. pag. 414

In hac hypotheſi creditor habebit actionem aduerſus delegantem. Ibid. num. 2. pag. 413

Delegatus certioratus poſt obligationem aſſumptam de non exiſtentia debiti, ſi ſoluerit, non poteſt ſolutum repetere ab eo, cui ſoluit, ſi non ſoluerit, non poteſt ei negare ſolutionem, ſed debet agere contra delegantem, vel condictione incerti, ſi non ſoluerit, vel certi, ſi ſoluerit. C. 5. c. 2. D. 5. §. 14. n. 4. pag. 414

Delegatus habens iuſtam exceptionem contra delegantem, & ſciens ius ſibi competens adhuc acceptat delegationem, exceptionem, nec poteſt opponere contra delegantem, nec aduerſus acceptantem. C. 5. c. 2. D. 5. §. 15. num. 2. pag. 415

Depoſitum.

Depoſitum factum per viduas, alioſque penes nummularios, vt reſtituatur in nundinis cum lucro cambij non eſt licitum. C. 5. c. 1. P. 7. n. 5. pag. 34

Depoſitum factum penes nummularios, vt tanquam procuratores deponentium ipſorum negotium gerant, & in nundinis ſoluant cum lucro acquiſito eſt licitum. Ibid.

Item, ſi fuerit depoſitum titulo ſocietatis, & lucrum ad proportionem diuidatur. Ibid.

Depoſitum duplex aliud regulare, aliud irregulare, & quid vtrumq; C. 5. c. 1. D. 1. §. 18. n. 3. pag. 76

Campſor ex vi depoſiti præciſè præſcindendo ab ordine ad cambium, ſi vtatur depoſito in ordine ad proprios vſus, tenetur idem reſtituere ſecundum valorem, quem habebat tempore, quo illo vſus fuit. C. 5. c. 1. D. 1. §. 18. n. 5. pag. 76

Si campſor habuerit depoſitam pecuniam titulo ſocietatis præciſè, & illa vſus fuerit iu proprios vſus, tenetur reſtituere ſecundum valorem, non quam habebat, ſed diminutum, ſi pecunia in valore decreuerit. Ibid. num. 6. pag. 78

Valet etiam, ſi depoſitum aſſecurauerit, & valor fuerit ex facto Principis dimminutus. Ibid. n. 7. pag. 79

Illicitum eſt depoſitum, quo deponentes exigunt à bancherijs quatuor, vel quinque pro centenario, ex eo quod ipſi bancherij magnum lucrum reportant ex depoſito. C. 5. c. 2. P. 24. n. 2. pag. 203

Illicitum eſt depoſitũ, quo propter decem millia in pecunia numerata depoſita apud bancherium obligaretur hic ad fideiubendum pro quindecim mille, vel ad ſoluendas literas eiuſdem deponentis continentes quindecim mille nullo accepto ſtipendio ab eodem deponente pro maiori illo credito. Ibid. n. 3. pag. 203

Depoſitum pecuniarum apud Mercatorem ad finem eaſdem negotiandi ſuper cambijs, & recambijs poteſt eſſe licitum etiam ſine periculo ſortis concurrente triplici contractu, & quomodo. C. 5. c. 2. D. 2. §. 17. n. 4. pag. 299

E

Emptio.

Emptio literarum cambij in principio nundinarum ad certum pretium, vt reddantur ſecundum valorem, quem habebunt in fine licita eſt, ſi ſit æqualis ſpes, & metus incrementi, & decrementi. C. 5. c. 2. D. 3. §. 1. n. 5. pag. 308

Error.

Error commiſſus circa tempus datæ literarum, ſiue per Proxenetam, ſiue per campſorem, non vitiat literas cambij conſtante de errore. C. 5. c. 3. D. 2. §. n 2. pag. 543

Cum præſentantur literæ poſt tempus in eiſdem præfinitum poteſt præſumi, vel pro errore in ſcriptura, vel pro tarda præſentatione. C. 5. c. 3. D. 2. §. 2. n. 2. pag. 544

Et quocunque ex his modis res contingeret, ille, ad quem datæ fuerunt literæ, tenetur ad ſolutionem. Ibid. n. 3. pag. 544

Exceptio.

Ad exceptionem non numeratæ pecuniæ requiritur confeſſio facta per inſtrumentum. C. 5. c. 2. P. 19. n. 2. pag. 171

Priuilegium exceptionis non numeratæ pecuniæ per *l. ſi ex cautione C. de non num. pec.* locum non habet contra literas cambij in fauorem acceptantis literas ſiuè ſimpliciter, ſiuè ſuper proteſtu aduerſus eum, cui facta fuit acceptatio, & cui facienda eſt ſolutio. Ibid. n. 3. pag. 171

Nec in fauorem dationis literarum aduerſus eum, qui ſoluit literas cambij. Ibid.

Nec in fauorem eiuſdem contra ſtipulatorem, ſeu creditorem ex cambio, ſi dicatur in literis, *per la valuta hauuta*, ſiue dicatur *per cambiati con noi, ò conti con altri*. Ibid.

In his omnibus locum habet diſpoſitio *l. in contractibus §. ſuper cæteris C. de non num. pecun.* Ibid. n. 4. pag. 171

Exceptio non numeratæ pecuniæ non habet locum contra literas cambij quamuis probetur ſolutio non facta in die contractus, ſed multo poſt. C. 5. c. 2. D. 4. §. 21. n. 2. pag. 387

Excluditur exceptio non numeratæ pecuniæ, quando in literis cambij dicitur *per la valuta hauuta in contanti*. C. 5. c. 2. D. 4. §. 22. n. 3. pag. 388

Exceptiones figuram iudicij requirentes non admittuntur in iudicio executiuo quoad literas cambij. C. 5. c. 3. D. 2. §. 7. n. 2. pag. 551

Exceptio de illegitimitate perſonæ poteſt eſſe in cambijs. Ibid. n. 3. pag. 552

Exceptiones dilatoriæ reſpicientes perſonam Iudicis, omneſq; peremptoriæ poſſunt fieri. Ibid. n. 4. pag. 552

Exceptio in iudicio executiuo, quod cambium

ſit

Digitized by Google

ſit vſurarium, non poteſt opponi. Ibid. n. 5. pag. 552

Executio.

Executio parata conceſſa à ſtatutis cambio non competit mutuo palliato titulo Cambij. C. 5. c.3. D.1. §.12. num.2. pag. 538

Quando cambium eſt partim fictum, partim verum executio parata eidem non competit, niſi ſecundum quod eſt verum. C.5. c.3. D.1. §.13. num. 2. pag. 539

Probabilius datur executio parata mutuo palliato titulo cambij, ſi campſarius ſe expreſsè obligarit in forma literarum cambij. C.5.c.3.D.1. §.14. num.2. pag. 540

Executio contra literas cambij poteſt ſuſpendi, & impediri per Iudicem Eccleſiaſticum, apud quem introducta eſt cauſa ſuper vſuras. C. 5. c.3. D.2. §. 8. num. 2. pag. 553

Executio literarum cambij poteſt impediri à tertio creditore anteriori cum hypotheca. C.5.c.3. D. 2. §. 12. num.2. pag. 558

Executio literarum vergente marito in decoctionem poteſt impediri per vxorem ratione ſuæ dotis anterioris. C. 5. c.3. P. 2. §.13. n.2. pag. 559

Executio non poteſt impediri per vxorem debitoris, ſi bona dotalia fuerint ſub ſpeciali hypotheca agente creditore ad alia bona ab hypothecatis. Ibid. num. 3.

Ius executionis in terminis ſtatutorum Genuenſium per lapſum quadriennij extinguitur. C.5.c.3. D.2. §. 17. num. 2. pag. 564

Non tamen de iure communi. Ibid.

Per lapſum triginta annorum extinguitur ius procedendi ad cambium non ſolum via executiua, ſed etiam ordinaria. Ibid. num. 3. pag. 564

Executio contra literas cambij poteſt impediri per hæredes debitoris defuncti, ſi adiuerint hæreditatem cum beneficio legis, & inuentarij, donec &c. C 5. c.3. D.2.§.18.n.2. pag. 565

Quomodo ſit conſulendum creditori, ſi per huiuſmodi hæredes executio fuerit impedita. Ibid. num.3. pag. 566

Executio quoad ſuſpenſiuum cõtra literas cambij non impeditur per appellationem. C. 5. c. 3. D. 2. §.18. num.2. pag. 566

F

Falſitas, Falſificatio literarum.

Si falſificatio literarum facta per eum, cui directę ſunt literæ, vt eas præſentaret campſori, & ab eodem reciperet ſummam in eiſdem deſcriptam fuerit talis, vt facilè à quocunque talis profeſſionis potuerit dignoſci, periculum ſolutionis pertinet ad ſoluentem. C. 5. c. 2. D.4. §.17. num. 3. pag. 381

Si falſificatio fuerit ita latens, vt etiam à perito cognoſci non potuiſſet, periculum etiam ſolutionis pertinet ad eundem ſoluentem. Ibid. num. 4. pag. 382

Siuè falſificatio fuerint latens, ſiuè patens periculum ſolutionis quoad ſummam conuentam non pertinet ad ſoluentem. Ibid. n.5. pag.382

Periculum quoad quantitatem conuentam, quãdo falſificatio eſt latens, pertinet ad ſtipulatorem. Ibid. num.6. pag. 383

Quando nullus contractus initus eſt, ſed ſolummodo confictæ literæ ad ſimilitudinem caracterum datoris earundem literarum, periculum pertinet ad ipſum ſolutorem. Ib. n.7. p.383

Famulus.

Famulus, qui pecunias aureas accepit à Domino deferendas ad creditorem eiuſdem Domini alibi exiſtentem, ſi in itinere illas permutet, & aliquid acquirat, illud ſibi, non Domino, nec creditori acquirit. C. 5. c.1. P.4. num.12. pag. 18

Etiam ſi creditori deferat in tot argenteis, cum quibus aureas commutauit, niſi Dominus expreſsè voluerit, quod in aureis deferret. Ibid. pag. 19

Intellige, ſi creditor ex pecunia aurea eſſet lucrum percepturus. Ibid. pag. 20

Famulus vendens rem Domini ſui ſupra valorem præſcriptum ab eodem Domino, an exceſſum illum ſibi acquirat. Ibid. num. 14. pag. 20

Fideiuſſio Fideiuſſor.

Poteſt iuſtè campſor dans prius pecuniam exigere à campſario pignus, ſeu fideiuſſionem. C 5. c. 2. P. 10. num. 1. pag. 133

In hoc tamen caſu non poſſet exigere idem intereſſe, quod exigeret ſine fideiuſſione, & pignore. Ibid.

Campſor, ſi ipſe fideiubeat, poſſet tantum exigere, quantum alius fideiuſſor. Ibid. n. 3. pag. 133

Qui prior dat pecuniam alteri ad cambium poteſt pro illo fideiubere apud illum, cui debitum traijcitur, & exigere pretium fideiuſſionis. Ibid. num. 4. pag. 133

Excipe, niſi reſpondens eſſet famulus eiuſdem campſoris. Ibid. num 5. pag. 134

Onus fideiuſſionis importatur per illam particulam poſitam in literis cambij *ſopra di voi*. C. 5. c. 2. P. 13. num. 7. pag. 139

Si fideiuſſor fuerit adiectus ſolum pro certa, & determinata ſumma ſortis per campſorem ſolutæ non tenetur in defectum principalis debitoris, niſi ad eandem ſummã, non ad intereſſe. C. 5. c. 2. P. 16. num. 1. pag. 159

Si fuerit adiectus in ſecuritatem contractus, & eorum, quæ naturalitèr ab ipſo conſequuntur, remanet obligatus, & ad ſortem, & ad intereſſe. Ibid. num. 2. pag. 159

Si fuerit adiectus pro ſecuritate contractus non facta mentione de iis, quæ conſequuntur ex præſumptione iuris videtur obligatus etiam ad intereſſe. Ibid. num. 3. pag. 160

Fideiuſſio præſtita per debitorem in primo cambio, pro recambio perſeuerat vſq; ad integram ſolutionem. C. 5. c. 2. D. 3. §. 9. n. 3. pag. 326

Si fideiuſſor acceſſerit limitatiuè pro determinata ſumma correſpondente ſorti petitæ per creditorem non tenetur ad intereſſe propter moram. C. 5. c. 2. D. 4. §. 1. n. 3. pag. 352

Explicatur textus *in l. fin. ff. de eo quod cert. loc.* Ibid. num. 2. pag. 351

Si acceſſerit pro omni eo, ad quod debitor pro illo tempore tenetur, tenetur etiam ad intereſſe propter moram. Ibid. nu. 4. pag. 352

Si acceſſerit, ſine vlla expreſſione probabilius tenetur ad intereſſe. Ibid. num. 5.

Fideiuſſor pro cambio non tenetur vltrà terminum, ſi per partes prorogetur terminus ſolutionis. C. 5. c. 2. D. 4. §. 2. n. 2. pag. 353

Limita in caſu, quo fideiuſſor ſe obligauit vſque ad integram ſolutionem ex quacunque cauſa diferatur. Ibid. n. 4. pag. 353

Item, ſi fideiuſſor interceſſerit pro prorogatione. Ibid. n. 5.

Fide-

Fideiuſſio præſtita in fauorem creditoris contra proteſtationem antecedenter factam coram Iudice de non fideiubendo, obligat ipſum fideiubentem. C.5. c. 2. D.4. ſ. 3. n. 2. pag. 355
Proteſtatio clam facta, quæ debet fieri coram eo, de cuius intereſſe agitur, perindè eſt, ac ſi non fuerit facta. Ibid. n. 3.
Fideiuſſor poteſt excipere, quod contractus, pro quo acceſſit, ſit vſurarius etiam inuito debitore principali. C. 5. c. 2. D. 4. ſ. 4. num. 3. pag. 356
Conuentio vnius fideiuſſoris cum creditore non præiudicat eidem creditori in ordine ad aliũ fideiuſſorem. C.5.c.2.D.4. ſ. 5. n. 3. p. 357
In hoc tamen caſu non poteſt creditor intentare actionem contra alium fideiuſſorem pro tota ſumma, ſed tantum pro complemento crediti detracto eo, quod ſoluit primus fideiuſſor. Ibid. n. 4. pag. 358
Fideiuſſor per exceptionem cedendarum, poteſt ius acquirere non ſolum aduerſus principalem debitorem, ſed etiam aduerſus alium confideiuſſorem. C. 5. c. 2. D. 4. ſ. 6. n. 4. & 5. pag. 360
Fideiuſſoria obligatio expirat per nouationem factam inter principalem debitorem, & creditorem ſine interuentu fideiuſſoris. C. 5. c. 2. D. 5. ſ. 9. n. 2. pag. 403
Requiritur fideiuſſio idonea quando agitur cõtra curatorem hæreditatis iacentis, & poſt ſex menſes. C. 5. c. 3. D. 2. ſ. 16. n. 4. p. 564

G

Gabella.

QVid ſit vndecena gabellæ. C. 5. c. 2. P. 13. n. 8. pag. 139
Gabella in cõtractibus debetur per campſorem, & creditorem. Ibid.
Gabella, vbi debetur ex cambio, non debetur ex quaſi contractu, & quomodo. C. 5. c. 2. D. 2. ſ. 13. n. 2. pag. 290
Gabella eſt ſtricti iuris, & ſtrictè interpretanda. Ibid. n. 3. pag. 290
Gabella debetur non pro obligatione contrahendi, ſed pro ipſo contractu. Ibid. num. 5. pag. 291
Gabella regulariter non debetur pro cambio, niſi fuerit ex vtraque parte conſummatum. C. 5. c. 2. D. 2. ſ. 14. n. 3. pag. 292
Verificatur etiam, vbi conceditur actio ciuilis ex nudo pacto. Ibid. n. 3.
Gabella pro cambio mutuo conſenſu celebrato tempore vnius Gabellarij, & conſummato traditione tempore alterius debetur ſecundo, non primo. C.5.c.2.D.2.ſ.15. n. 4. pag. 294
Onera impoſita pro contracta non intelligenda ſunt, niſi de conſummato. Ibid. n. 5.
Ex ſuppoſitione, quod Gabella ſit ſoluta ante confectionem ſcripturæ requiſitæ ex conuentione partium ſolum ad probationem contractus, non poteſt; à Gabellarijs repeti per creditorem, ſi debitor velit à contractu recedere. C. 5. c. 2. D. 2. ſ. 16. n. 3. pag. 297
Gabella ex ſuppoſitione, quod ſit ſoluta ante confectionem ſcripturæ requiſitæ, vt complementum contractus poteſt per creditorem repeti, ſi debitor velit à contractu recedere. Ibid. n. 4.
Impoſito onere gabellæ contractibus emptionis non intelligitur appoſitum permutationi. C. 6. P. 4. n. 3. pag. 577
Impoſito onere gabellæ permutationi ex eo, quod ſit impoſitum venditioni, & emptioni, quorum nomine alicubi veniat permutatio, pro permutatione duplex gabella de iure comuni eſt perſoluenda. Ibid. n. 4. pag. 577
Gabella in permutatione non prius debetur, ac permutatio ſit ex vtraque parte completa. C. 6. D. 1. ſ. 1. n. 2. pag. 601
Gabella impoſita contractui *Do, vt des* non debetur quando vnus dat alteri, vt iſte tertio conferat poſt tempus. C. 6. D. 1. ſ. 6. num. 3. pag. 602
In permutatione rei inæſtimabilis proæſtimabili non debetur Gabella etiam pro æſtimabili. C. 6. D. 1. ſ. 2. num. 2. & 3. pag. 603
Si res alienari prohibita non ſub nullitate, ſed ſub pæna permutatur cum alia re non prohibita alienari debetur Gabella. Ibid. num. 4. pag. 604
In permutatione rerum ſpiritualium non debetur Gabella. C. 6. D. 1. ſ. 8. num. 4. pag. 604
An debeatur Gabella, quando datur indiuiduum aliquod vnius ſpeciei pro alio eiuſdem ſpeciei, & valoris. C. 6. D. 1. ſ. 9. per totum, pag. 605
Vt ſtatuatur quota Gabellæ in permutatione rerum quomodo taxandus ſit valor earundem rerum. C. 6. D. 1. ſ. 10. num. 3. pag. 607
Quando pro re permutata datur alia res ſimul cum pretio non eſt ſoluenda Gabella ad proportionem rei, & pretij, ſed tantum rei. Ibid. num. 4. pag. 607
Si Gabella ſit tantum impoſita permutationi, & facta conuentione de permutanda re pro re, & poſtea pro re ex vna parte traditum fuerit pretium non debetur gabella. C. 6. D. 1. ſ. 11. num. 2. pag. 608
Si Gabella ſit etiam impoſita emptioni tunc gabella pro emptione eſſet ſoluenda. Ibid. n. 3. pag. 608
Impoſito onere gabellæ permutationi pro donatione remuneratoria ſimpliciter non eſt ſoluenda Gabella. C. 6. D. 1. ſ. 12. num. 3. pag. 609
Secus ſi fuerit remuneratio ſub modo. Ibid. n. 5. pag. 609

H

Hæreditas iacens.

DIſcrimen inter hæreditatem iacentem, & vacantem. C. 5. c. 3. D. 2. ſ. 1. n. 1. pag. 563
Ad inſtantiam creditorum tunc debet aſſignari curator hæreditati iacenti, quando adhibita iuridica diligentia nullus comparuit hæres. Ibid. num. 3. pag. 563
Requiritur fideiuſſio idonea quando agitur cõtra curatorem hæreditatis iacentis, & poſt ſex menſes, & quarè. Ibid. num. 4. pag. 564
Si ad inſtantiam creditoris datus fuerit curator hæreditati iacenti, quæ tamen non fuerit adita per hæredem proceſſus factus cum curatore non eſt nullus. Ibid. num. 5. pag. 564

Hypotheca.

Hypotheca ineſt literis cambij ex vi Nou. Conſt. Mediol. C. 5. c. 2. D. 3. ſ. 4. n. 2. pag. 312
Non tamen de iure communi. Ibid. num. 3.
Ex vi Nouiſ. Conſt. Mediol. incipit à die literarum, non verò à die proteſtationis, & recognitionis earundem. C. 5. c. 2. D. 3. ſ. 5. n. 2. pag. 314
Hypotheca ex vi N. C. Mediol. ineſt non ſolum lite-

Digitized by Google

literis cambij, ſed etiam ſyngraphæ promiſſionis de ijs conficiendis, ſi contractus fuerit initus. C. 5. c. 2. D. 3. §. 6. n. 3. pag. 317
Hypotheca eſt annexa contractui quoad ſubſtantiam. Ibid. num. 5. pag. 319
Scriptura priuata ex conuentione partium poteſt habere annexam hypothecam. C. 5. c. 2 D. 3. §. 7. num. 3. pag. 321
Hypotheca, quæ conceditur in aliquo loco literis cambij non perſeuerat in recambio alibi celebrato. C. 5. c. 2. D. 3. §. 9. n. 3. pag. 326
Hypotheca, quæ conceditur literis cambij reſpicit etiam nomina debitorum ipſius debitoris ex cambio. C. 5. c. 2. D. 3. §. 10. num. 3. pag. 327
Si tamen debitores debitoris bona fide perſoluerint alteri creditori creditor ex cambio non habet actionem aduerſus ipſos. C. 5. c. 2. D. 3. §. 10. num. 4. pag. 327
Habens ex vi literarum cambij hypothecam in nominibus debitorum ſui debitoris poteſt agere contra eoſdem debitores non excuſſo principali. C. 5. c. 2. D. 3. §. 11. n. 3. pag. 329
Hypotheca poteſt etiam eſſe in proprio nomine, & quomodo. C. 5. c. 2. D. 3. §. 12. n. 2. pag. 331
Hypotheca in proprio nomine efficit, vt debitum cum proprio credito poſſit immediatè compenſari. C. 5. c. 2. D. 3. §. 12. n. 3. pag. 331
Hypotheca generalis præcedens probabilius diſſoluitur per ſpecialem expreſſam. C. 5. c. 2. D. 3. §. 15. num. 2. pag. 336
Hypotheca ſpecialis expreſſa hebet omnes prælationes, quæ inerant primæ generali. Ibid. num. 3. pag. 337
Hypotheca ſpecialis de nouo inducta cum ignorantia præcedentis generalis non præiudicat in iure hypothecarij. Ibid. n. 4. pag. 337
Hypotheca ſpecialis de nouo inducta cum reſeruatione generalis efficit, vt creditor non poſſit venire contra tertios poſſeſſores, niſi prius conſtet ſibi non eſſe conſultum per ſpecialem. C. 5. c. 2. D. 3. §. 15. n. 5. pag. 338
Hypotheca conſtituta creditori ab emptore iure empta reſoluitur, quando venditor vendicat rem ab emptore beneficio *L. 2. C. de reſcind. vendit.* C. 5. c. 2. D. 3. §. 16. n. 2. pag. 338
Hypotheca ſpecialis in re certa, ſed aliena firmatur ſuperueniente dominio in hypothecante quoad talem rem, ſi debitor erat conſcius alienitatis rei, & non creditor. C. 5. c. 2. D. 3. §. 17. num. 2. pag. 340
Hypotheca adhuc firmatur, ſi nec creditor, nec debitor erat conſcius alienitatis rei. Ibid. n. 3. pag. 340
Hypotheca in caſu, quo neuter fuerit conſcius incipit à die, quo conſtituta eſt per conſenſum. Ibid. num. 3. pag. 340
Hypotheca etiam firmatur, ſi vterque fuerit conſcius, ſi facta fuerit conuentio, quod, ſi fiat debitoris, remaneat hypothecata. Ibid. num. 5. pag. 342

I

Intereſſe.

NOn poteſt campſor obligari ad acceptandam prius partem ſortis, quam intereſſe. C. 5. c. 1. D. 1. §. 13. n. 2. pag. 64
Intereſſe prioris cambij ſimul cum capitali eiuſdem poteſt conſtituere integrum capitale, ex quo exigatur intereſſe ſecundi cambij. C. 5. c. 2. P. 7. n. 2. pag. 124
Duplex modus, quo ex intereſſe poteſt percipi intereſſe. Ibid. n. 4. pag. 125
Intereſſe deſumendum eſt ſecundum quod cambia currunt in locis ſolutionum. C. 5. c. 2. P. 12. n. 9. pag. 136
Facta proteſtatione poteſt creditor agere etiam ad intereſſe de intereſſe. C. 5. c. 2. P. 15. n 6. pag. 147
Sententia aſſerens ad exigendum intereſſe de intereſſe neceſſariam eſſe notificationem de pecunia accipienda ad cambium. C. 5. c. 2. P. 15. n. 7. pag. 148
Sententia aſſerens neceſſariam eſſe talem notificationem quoad lucrum ceſſans, non quoad damnum emergens. Ibid. n. 8.
Probabilius eſt ſine notificatione poſſe creditorem agere ad huiuſmodi intereſſe, tam pro damno emergente, quam pro lucro ceſſante. Ibid. num. 9. pag. 148
Facta conuentione de intereſſe incerto ab moram in ſoluendo poteſt creditor agere ad intereſſe commune, & ſingulare. Ibid. n. 13. pag. 150
Quid ſit intereſſe commune, ſingulare, & conuentionale. Ibid. num. 12.
Poteſt ad vtrumq; agere ſub diſiuncto, non copulatiuè. Ibid. num. 14.
Ad exigendum intereſſe quomodo requiratur probatio moræ. Vide verb. *Probatio.*
An poſſit exigi intereſſe de intereſſe ex cambijs, & recambijs eiuſdem pecuniæ, vt duplo excedat ſortem. C. 5. c. 2. D. 2. §. 3. n. 1. pag. 262
Explicatur textus *in l. vnica C. de ſent., quæ pro eo.* Ibid. n. 3.
Intereſſe cambiorum, & recambiorum ſucceſſiuè exigendum pro ſingulis cambijs, & recambijs poteſt excedere duplum ſortis. Ibid. num. 4. pag. 263
Satisfit obiectis contrarijs. Ibid. n. 5. pag. 264
Taxatio determinati intereſſe in cambijs, ſi ſit iuxta veriſimilem actionem non vitiat contractum, ſed vitiatur. C. 5. c. 2. D. 2. §. 19. n. 3. pag. 303
Taxatio certi intereſſe in cambijs facta ab initio poteſt ſuſtineri per probationem *poſtea ſubſequentem*, non quia valeat illa taxatio, ſed quia intereſſe reſultat ex facto. Ibid. num. 4. pag. 304
Duobus titulis intereſſe poteſt exigi poſt receptam ſortem. C. 5. c. 2. D. 4. §. 13. n. 2. pag. 370
Si intereſſe debetur iure actionis recepto capitali creditor poteſt adhuc exigere intereſſe. Ibid. num. 3. pag. 370
Verificatur, quamuis creditor in receptione capitalis nihil proteſtatus fuerit de intereſſe. Ibid. num. 4. pag. 371
Si intereſſe ſit debitum ſolum ex officio Iudicis mercenario recepta ſorte non poteſt creditor agere ad intereſſe. Ibid. n. 5. pag. 371
Etiam ſi proteſtatus fuerit de illo intereſſe. Ibid. num. 6. pag. 371
Si creditor proteſtetur de intereſſe, & debitor conſentiat poteſt idem creditor agere præſcriptis verbis. Ibid. num. 9. pag. 372
Si ſolutio ſortis facta fuerit non principali creditori, ſed adiecto ſolutioni poteſt creditor agere ad intereſſe non ſimpliciter, ſed agendo etiam ad ſortem, & quomodo. C. 5. c. 2. D. 4. §. 14. num. 3. pag. 373
Etiam ſi ſolutio facta fuerit adiecto in loco determinato. Ibid. num. 5. pag. 374

Si

Si creditor receperit partem ſortis ſine vlla reſeruatione intelligitur remiſiſſe ius ad intereſſe proportionatum tali parti. C. 5. c. 2. D. 4. ſ. 15. num. 2. pag. 375
Si pars ſoluta recepta fuerit ſine expreſſione, vel pro ſorte, vel pro intereſſe computari debet pro intereſſe. Ibid. num. 4. pag. 375
Lata ſententia condemnatoria quoad ſortem omiſſo intereſſe, ſi creditor ſortem receperit nullo ſibi iure expreſsè reſeruato non poteſt amplius agere ad intereſſe. C. 5. c. 2. D. 4. ſ. 7. num. 3. pag. 377
Si noluerit ſortem recipere poterit agere ad idem intereſſe. Ibid.
Ex ſuppoſitione, quod poſt ſententiã ſortem receperit, & proteſtatus fuerit de iure ad intereſſe non poterit agere ad idem, ſi debitor proteſtationi non conſenſerit. Ibid. num. 4. pag. 378

Iudex.

Iudex Eccleſiaſticus apud quem per debitorem introductta eſt cauſa ſuper vſuras poteſt prohibere executionem paratam literarum cambij donec &c. C. 5. c. 3. D. 2. ſ. 8. n. 2. pag. 553
Incæpto iudicio coram Iudice ſæculari ſuper executione literarum, an poſſit debitor agere ſuper vſuris coram Eccleſiaſtico, & impedire executionem. C. 5. c. 3. D. 2. ſ. 9 n. 3. pag. 555
Debitor conuentus coram Iudice ſæculari pro executione poteſt excipere de vſura, ſi hæc ſit euidens. C. 5. c. 3. D. 2. ſ. 10. n. 2. pag. 556
Secus, ſi vſura non ſit euidens. Ibid.
Si Iudex Eccleſiaſticus præuenit in cauſa vſurarum iudicium laici ſuper executione, ſi poſtea in fauorem creditoris reuocauit inhibitionem factam Iudici laico non poteſt debitor appellare à tali reuocatione, & impedire executionem. C. 5. c. 3. D. 2. ſ. 11. n. 2. pag. 557

L

Lex.

LEges pænales ſunt in mitiori ſenſu interpretandæ. C. 5. c. 1. P. 3. num. 6. pag. 8
Non obligant niſi ſecundum eam rationem, & ſecundum ea ſub quibus acceptantur. Ibid.
Lex non præſumitur obligare, vbi ceſſat cauſa obligationis. C. 5. c. 1. P. 6. num. 5. pag. 29
Deficiente materia, circa quam lex verſatur, omnino inutilis eſt talis lex. Ibid. pag. 29
Lege publica poteſt Princeps prohibere, ne priuata perſona aſſumat onus cambiendi. C. 5. c. 1. D. 1. ſ. 4. num. 3. pag. 47
Cambientes contra ius legitimè prohibens ſubiacent pænis iuris non tamen peccant contra iuſtitiam commutatiuam, ſed tantum contra legalem. C. 5. c. 1. D. 1. ſ. 4. num. 4. pag. 48
Nec tenentur ad reſtitutionem, ſi lucrum non ſit excedens. Ibid. num. 5.

Literæ.

Formula literarum, quando campſor prius accipit, vt alibi reſtituat. C. 5. c. 2. P. 13. n. 1. pag. 137
Alia formula literarum in ſimili caſu. Ibid. n. 2. pag. 137
Formula literarum, quæ dicuntur *d'auiſo*. Ibid. num. 3. pag. 138
Explicantur contenta in eiſdem literis. Ibid. num. 4. pag. 138
Literæ ſunt acceptandæ, & debitor conſtituendus, antequam vigore earundem agatur. Ibid. num. 6. pag. 138
Particula poſita in literis cambij *ſopra di voi* importat onus fideiuſſionis. Ibid. n. 7. pag. 139
Formula literarum, quæ dicuntur *d'auiſo*. Ibid. num. 9. pag. 139
Formula literarum reſponſiuarum. Ibid. n. 12. pag. 140
Duplex modus celebrandi cambium *con la ricorſa*. C. 5. c. 2. P. 14. num. 1. pag. 142
Exemplaria literarum quoad primum modum. Ibid. num. 2.
Explicantur particulæ dictarum literarum. Ibid. num. 3.
Exemplaria literarum quoad eundem modum. Ibid. num. 3. pag. 142
Formula literarum, quæ per reſpondentem campſoris remittuntur ad campſarium. Ibid. num. 6. pag. 143
Alia formula, quæ per ipſum campſorem immediatè remittuntur literæ ad campſarium. Ibid. num. 7.
Formula literarum quoad ſecundum modum. Ibid. num. 8.
Explicatur quomodo res ſe habeat in remiſſione huiuſmodi literarum. Ibid. num. 9.
Literæ remiſsæ coniungi debent cum alijs tractæ, & quomodo. Ibid. pag. 144
Literæ cambij, vel ex conſuetudine, vel ex iuribus municipalibus habent executionem paratam. Ibid. num. 5. pag. 175
Subſcribens literis cambij non obligatur præcisè actione fideiuſſoria. C. 5. c. 2. D. 2. ſ. 11. n. 2. pag. 286
Nec actione mandati. Ibid. num. 3.
Neque per nouationem. Ibid. num. 4.
Neque ex conſtituta pecunia. Ibid. num. 5.
Neque, vt eſt promiſſor Ibid. num. 6. pag. 287
Obligatur ex ſpeciali quodam iure cambij, & quomodo. Ibid. num. 7. pag. 287
Literæ cambij poſſunt emi in principio nundinarum ſecuudũ valorem ſcuti marcarum, quem tunc habent, vt reddantur ſecundum valorem, quem habebunt in fine nundinarum. C. 5. c. 2. D. 3. ſ. 1. num. 5. pag. 308
Literæ cambij realis habent hypothecam ex Nou. Conſt. Mediol. C. 5. c. 2. D. 3. ſ. 4 n. 2. pag. 312
Non tamen de iure communi. Ibid. n. 3. pag. 312
Literæ cambij celebrati in loco, vbi eiſdem eſt annexa hypotheca habent eadem iura, quæ habent in loco contractus vbicunque producantur. C. 5. c. 2. D. 3. ſ. 8. num. 3. pag. 324
Literæ cambij reuocari nequeunt antequam ſoluantur, ſi ſint diſpoſitiuæ. C. 5. c. 2. D. 4. ſ. 7. num. 3. pag. 361
Si literæ cambij fuerint deperditæ antequam præſentarentur actio dirigenda eſt contra datorem earundem literarum. C. 5. c. 2. D. 4. ſ. 8. num. 3. pag. 362
Si fuerint amiſſæ poſtquam fuerunt præſentatæ, & acceptatæ actio dirigenda eſt contra eum, qui acceptauit. Ibid.
Soluens literas cambij de mandato alterius obligat ſibi ipſum mandantem, non eum, cui ſoluit. C. 5. c. 2. D. 4. ſ. 10. num. 2. pag. 366
Recognitio literarum quomodo ſit facienda. C. 5. c. 2. D. 4. ſ. 12. num. 1. pag. 369
Facienda eſt per teſtes, qui notam habeant manum ſcribentis ex caractheribus, & figuris literarum. Ibid. num. 2. pag. 369
Vel per comparationem literarum. Ibid. n. 2. pag. 369
Exhibenda eſt ſcriptura integra ſecundum ſe

 totam

Digitized by Google

totam ad probandum, non quoad ſolam ſubſcriptionem. Ibid. num. 3. pag. 369
Literæ cambij, ſi amittantur, non poteſt creditor eiuſdem cambij compellere debitorem ad reſciſionem contractus, ſed tantum ad nouas literas. C. 5. c. 2. D. 5. ſ. 3. num. 2. pag. 395
Literæ cambij amiſſæ, ſi fuerint per alium inuentæ, & eidem ſolutæ poteſt creditor, vel repetere à datore pecuniam, vel exigere alias literas ſoluibiles. Ibid. num. 3. pag. 396
Literæ nouæ re adhuc integra, quando primæ fuerunt amiſſæ non ſunt dandæ ex neceſſitate, niſi debitor liberetur à primò per inſtrumentum. Ibid. num. 4. pag. 396

Locatio.

Locatio ex ſuis intrinſecis principijs importat ſolummodo conceſſionem ad vſum. C. 5. c. 2. D. 1. §. 6. num. 2. pag. 217
Cambium non eſt formalitèr locatio, ſed importat ſolum locationem. Ibid. n. 4. pag. 218
Id, quod locatur non eſt pecunia, ſed perſona recipientis. Ibid. num. 7. pag. 219

Locus.

In deciſorijs attenditur locus contractus, non iudicij. C. 5. c. 2. D. 3. §. 8. num. 4. pag. 324
Contrahens in aliquo loco ſubditur legibus talis loci. Ibid. num. 5. pag. 325
In deciſorijs, ſi iudicium ſit propter moram attenditur locus iudicij. Ibid. num. 6. pag. 326
Expreſſio loci, in quo datæ ſunt literæ non eſt de neceſſitate ſcripturæ priuatæ. C. 5. c. 3. D. 2. §. 3. num. 2. pag. 546
Non obſtante non expreſſione loci, in quo datæ ſunt literæ, iſtæ ſunt perſoluendæ per eum, à quo ſunt datæ. Ibid. num. 4. pag. 546

Lucrum.

Lucrum ex cambio non iuſtificatur ex eo, quod pecunia præſens magis valeat, ac abſens. C. 5. c. 2. P. 1. num. 4. pag. 95
Lucrum iuſtificatur in cambio locali ex virtuali traiectione pecuniæ in fauorem campſuarij. Ibid. num. 5. pag. 96
Iuſtificatur etiam lucrum in cambio ratione aſſecurationis, quam præſtat campſor. Ibid. num. 10. pag. 99
Etiam ratione inæqualis valoris in loco ſolutionis, & reſtitutionis, & quomodo. Ibid. n. 11. pag. 100
Non eſt titulus ſufficiens ad iuſtificandum lucrum in cambio præciſa abſentia pecuniæ. C. 5. c. 2. P. 1. num. 17. pag. 106
Excluditur titulus carentiæ pecuniæ adductus à Leſſio, vt iuſtificatiuus lucri. Ibid. n. 18. p. 106
Niſi fortaſſe intelligatur illatiuè ob lucrum ceſſans, vel damnum emergens. Ibid. num. 19. pag. 106
Lucrum ex cambio non poteſt eſſe ad proportionem intereſſe mercaturæ, quam non exercet. C. 5. c. 2. D. 1. §. 4. num. 2. pag. 213
Lucrum cambij non nundinalis poteſt eſſe ad quantitatem nundinalis attento lucro ceſſante. C. 5. c. 2. D. 5. num. 4. pag. 215
Si lucrum in loco deſtinatæ ſolutionis ſit incertum, adeovt poſſit eſſe maius, vel minus habito reſpectu ad lucra nundinalia non eſt illicita conuentio de lucro nundinali. Ibid. n. 5. p. 215

M

Mancipia.

VAriæ computationes mancipiorum. C. 6. P. 9. num. 1. pag. 591
Mancipia Eccleſiaſtica, ſi non ſint vitioſa, & fugitiua non poſſunt cum alijs mancipijs priuatorum ſæcularibus permutari. Ibid. num. 2. pag. 591
Mancipia, ſi ſint fugitiua, quamuis Eccleſiaſtica poſſunt permutari cum rebus ſæcularibus. Ibid. num. 4. pag. 592
In permutatione mancipiorum Eccleſiaſticorum non fugitiuorum duo ſunt mancipia ſubroganda. Ibid. num. 7. pag. 592
Mancipia Eccleſiæ poſſunt permutari cum mancipijs alterius Eccleſiæ ſine requiſitis à iure ſolemnitatibus. Ibid. num. 8. pag. 593

Mandatum, mandans, & Mandatarius.

Actio mandati non competit ſoluenti literas ſuper proteſtu. C. 5. c. 2. P. 15. n. 28. pag. 155
Ex ſuppoſitione, quod Mandatarius acceptet remiſſas mandantis non videtur poſſe reijcere tractas. Ibid. num. 29. pag. 155
Recuſante Mandatario ſoluere literas poteſt alius quicunque ſoluere ſuper proteſtu. Ibid. num. 30. pag. 156
Mandatarius habens actionem negotiorum geſtorum verſus mandantem poteſt eandem actionem in alium reflectere. Ibid. num. 31. pag. 156
Recuſante Mandatario ſoluere liberè præferendus eſt ille, qui vult ſoluere libere, nullo volente ſoluere libere, præferendus eſt ille, qui debet cambium recipere, in defectum iſtius præfertur ille, in quem facta fuit tracta. Ibid. num. 34. pag. 158
Mandatarius habens mandatum cambiandi cum quibuſcunque mercatoribus poteſt cambiare cum ſe ipſo. C. 5. c. 2. D. 2. §. 20. n. 2. pag. 305
Mandatum adimpleri poteſt per æquipollens. Ibid. num. 4. pag. 306
Soluens literas cambij de mandato alterius obligat ipſum mandantem, non eum, cui ſoluit. C. 5. c. 2. D. 4. ſ. 10. num. 2. pag. 366
Recipiens item ſolutionem obligatur erga mandantem, non erga eum, qui ſoluit. Ibid. num. 3. pag. 366
Mandans, ſi in remiſſa facta Mandatario dixerit, vt nummos remiſſos remitteret ſupra ſe, & Mandatarius dederit alteri, qui decoctus eſt, periculum decoctionis pertinet ad Mandatarium. C. 5. c. 2. D. 4. ſ. 18. n. 3. p. 384
Mandans, ſi dixerit in remiſſa Mandatario, vt ſummam ſibi remiſſam remitteret per viam cambij, & Mandatarius dederit ad cambium alteri ſecundum communem æſtimationem proximo decoctioni periculum eiuſdem pertinet ad Mandatarium. Ibid. n. 4. pag. 384
Secus, ſi dederit ad cambium alteri ſecundum communem exiſtimationem idoneo. Ibid.
Mandatarius promittens ſoluere adiecto ſolutioni, ſi adiectus fuerit ſolum Procurator mandantis poteſt ipſo adiecto omiſſo ſoluere mandanti. C. 5. c. 2. D. 5. §. 6. n. 2. pag. 399
Si verò adiectus ſit ſimul Procurator, & creditor eiuſdem ſtipulatoris mandantis ex præcedenti cauſa non poteſt Mandatarius ipſum omittere, & ſoluere mandanti. Ibid.
Mandatum factum per creditorem debitori ſoluendi adiecto poteſt per eundem creditorem reuocari, ſi adiectus non fuerit creditor eiuſdem creditoris. C. 5. c. 2. D. 5. ſ. 7. num. 3. pag. 401

Mercator.

Mercator, qui pro alio tanquam fideiuſſor ſoluit,

Digitized by Google

uit ſine notificatione facta debitor de tali ſolutione non poteſt exigere à debitore damna, & intereſſe. C. 5. c. 2. D. 2. §. 18. n. 2. pag. 301
Exponitur quædam mercatorum induſtria ſubtrahendi pecunias ſuas è debitore quem timent vergere in decoctionem. C. 5. c. 3. P. 9. num. 1. pag. 443
Iniurioſa eſt talis induſtria. Ibid. n. 2. pag. 444

Miniſter.

Miniſter campſoris ſoluens debita eiuſdem, & nomine ipſius in loco, in quo pecuniæ valor non conſiſtit in indiuiſibili poteſt in rationibus dati, & accepti computare pecunias ad valorem ſummum, & exceſſum ſibi acquirere, ſi ipſe Dominus aſſuetus erat ſoluere computando pecunias ad ſummum. C. 5. c. 1. P. 5. num. 2. pag. 21
Secus, ſi Dominus non ſit aſſuetus ita ſoluere. Ibid. num. 3. pag. 22
Diſcrimen inter famulum deferentem pecuniam auream, & illam commutantem cum lucro, & inter Procuratorem ſoluentem debitum principalis ſui pro minori, & exigentem maius. Ibid. pag. 23

Monopolium.

Monopolia duobus modis contingere poſſunt in cambijs. C. 5. c. 1. P. 2. num. 1. pag. 39
Si augeatur pretium per monopolium in cambijs intra limites iuſti, monopolæ grauiter peccant, non tamen tenentur ad reſtitutionem. Ibid. num. 2. pag. 39
Qui non communicauit cum conſpiratoribus ad augendum pretium intra limites iuſti non peccat, ſi ſe conformet vſui fori, ſecundum quem pretio adaucto per monopolium cambia ineuntur. Ibid. num. 3. pag. 40
Occultās pecunias ſuas, ex quo augeantur pretia cambiorum non tamen ſupra ſupremum, ſi non congregauit ex fine eadem pretia augendi, nec peccat læthaliter, nec tenetur ad reſtitutionem. C. 5. c. 1. D. 1. §. 17. n. 3. pag. 70
Si ex occultatione pretium creſcat ſupra ſupremum occultans tenetur ad reſtitutionem. Ibid. num. 4. pag. 72
Verificatur non ſolum in ordine ad cambia per ſe ipſum inita, ſed etiam inita per alios. Ibid. num. 5. pag. 73
Contrahens ſecundum pretium adauctum ex conſpiratione, & ignorans conſpirationem nullam labem contrahit. Ibid. n. 5. pag. 75

Mora.

Non licet conuentio de ceſſatione lucri debiti præciſè ob moram propter carentiam pecuniæ. C. 5. c. 2. P. 3. num. 1. pag. 111
Ob moram ſolutionis præciſè non poteſt campſuarius conuenire cum campſore de remiſſione lucri, quod ſine illa mora poteſt iuſtè acquirere. Ibid. num. 6. pag. 112
Mora ad exigendum intereſſe, an ſit probanda. Vide verb. *Probatio*.

Mulier.

Mulier rectè, & valide nouare poteſt, ſi ſit ſui iuris. C. 5. c. 2. D. 5. §. 12. num. 2. pag. 407
Mulier fideiubens, ſeu pro alio nouans poteſt iuuari beneficio Velleiani. Ibid. n. 3. pag. 408
Mulier non gaudet beneficio Velleiani, quæ procedit habitu virili. Ibid. num. 4. pag. 408
Mulier non gaudet beneficio Velleiani, ſi ab initio pro alijs ſoluerit, ſecus, ſi prius interceſſerit, & poſtea ſoluerit. Ibid. n. 5. pag. 408
Mulier non gaudet tali priuilegio, ſi ſe obliget pro debito proprio, vel pro ſuo debitore. Ibid. num. 6. pag. 408
Mulier, vt gaudeat priuilegio Velleiani debet interceſſiſſe pro alio in publico inſtrumento adhibitis in eodem, & ſubſcriptis tribus teſtibus. Ibid. num. 7. pag. 408
Mulier non poteſt ſe munire priuilegio Velleiani, quando fideiuſſit, vel nouauit pro dote. Ibid. num. 8. pag. 409
Nec quando fideiuſſit, vel nouauit præſente Iudice, & decretum interponente. Ibid. n. 9. pag. 409
Mulier poteſt ſe munire tali priuilegio, quando fideiuſſit, vel nouauit præſente, & non diſſentiente Patre. Ibid. num. 10. pag. 409
Mulier non poteſt ſe munire, quando facta prima interceſſione iterum interceſſit poſt biennium. Ibid. num. 11. pag. 409
Nec item, quando Mater tutrix promiſit indemnitatem pupillo pro facto ſuo. Ibid. num. 12.
Secus, ſi promiſit indemnitatem pro tutoribus. Ibid.
Nec item, quando fideiuſſit decipiendo creditorem. Ibid. num. 13.
In ſuppoſitione, quod mulier elidat nouationem beneficio Velleiani prior debitoris obligatio reuiuiſcit. Ibid. num. 14.
Mulier etiam facta renuntiatione omnium exceptionum, & priuilegiorum in genere nulla facta expreſſione Velleiani poteſt de eodem excipere. C. 5. c. 2. D. 5. §. 13. n. 3. pag. 410
Etiam poteſt excipere facta renuntiatione priuilegiorum in genere iuramento firmata. Ibid. num. 4. pag. 410
Si mulier certiorata fuerit de priuilegio Velleiani, & nihilominus renuntiarit, non poteſt amplius excipere. Ibid. num. 5. pag. 411

N

Nouatio.

Ex eo, quod reſpondens campſoris ſit debitor eiuſdem, & acceptet literas eiuſdem pro reſtitutione alteri facienda non nouat debitum eiuſdem. C. 5. c. 1. D. 1. §. 20. n. 5. pag. 84
Qualitas debitoris præciſè non inducit nouationem, nec delegationem. Ibid. num. 6.
Nouatio propriè intercedit, quando creditor literarum cambij acceptat alias literas cambij à debitore ſui debitoris, & debitor debitoris vergit in decoctionem. C. 5. c. 1. D. 1. §. 21. num. 1. pag. 86
Per ceſſionem nominis debitoris abſentis factam creditori non inducitur nouatio. C. 5. c. 1. D. 1. §. 22. num. 2. pag. 87
Ex receptione præciſè literarum non oritur nouatio. C. 5. c. 2. P. 20. num. 5. pag. 178
Nouatio, quid ſit. C. 5. c. 2. P. 21. n. 1. pag. 184
Ex præciſa literarum præſentatione, earumque receptione non oritur nouatio. Ibid. num. 5. pag. 185
Per acceptationem literarum, & virtualem earum ſolutionem factam per correſpondentem oritur nouatio primæ literæ, & extinguitur prima actio. Ibid. num. 7. pag. 189
Intellige niſi ille, qui obligatur ex primo cambio, non interceſſerit, vt fideiuſſor. Ibid.
Nouatio regulariter intercedit etiam, quantum pertinet ad obligandum creditorem, quando debitor promittit ſoluere intra annum, quod, ſi non ſoluerit inter tale tempus, ex nunc aſſignat creditori acceptanti bona quædam inſolutum Ibid. num. 8. pag. 194

Digitized by Google

Non poteſt eſſe nouatio ſine obligatione nouantis. C. 5. c. 2. D. 2. §. 7. n. 4. pag. 274
Nouatio inter creditorem, & debitorem ceſſare facit onus fideiuſſoris. C. 5. c. 2. D. 5. §. 9. num. 2. pag. 403
Per pactum pœnale adiectum priori pacto contra non adimplentem non inducitur nouatio præcedentis obligationis. C. 5. c. 2. D. 5. §. 10. num. 3. pag. 405
Quandoque intercedere poteſt nouatio, quamuis de hac non fuerit expreſſe actum. C. 5. c. 2. D. 5. §. 12. num. 3. pag. 405
Inito cambio, factaq; mutatione intentionis interuenit nouatio. Ibid.
Mulier poteſt nouare. C. 5. c. 2. D. 5. §. 12. num. 2. pag. 407
Vide verb. *Mulier*.
Si Mulier elidat nouationem beneficio Velleiani prior debitoris obligatio reuiuiſcit. C. 5. c. 2. D. 5. §. 12. num. 14. pag. 409

Nuntius.

Diſcrimina inter nuntium, & Procuratorem. C. 5. c. 2. D. 2. §. 8. num. 2. pag. 276
Quænam requirantur, vt nuntius validè agat. Ibid. num. 3. pag. 276
Per vnum nuntium ex vtraque parte deputatum poteſt contrahi cambium, & recambium, ex quo conſurgant actiones actiuæ, & paſſiuè in principalibus contrahentibus reſpectiuè. C. 5. c. 2. D. 2. §. 9. num. 2. pag. 282

O

Obligatio.

Obligatio conditionalis ſimpliciter non nouat puram ante conditionis euentum. C. 5. c. 2. D. 5. §. 17. num. 3. pag. 417
Obligatio abſoluta ſimpliciter, ſed expreſſa ſolummodo ad modū conditionis nouat abſolutè priorem obligationem à diè eiuſdem ſecundæ obligationis, ſi ſpes rei futuræ promiſſæ fuerit proxima, & talis, vt ſecundum ſe, adæquet rem pure promiſſam antecedenter. C. 5. c. 2. D. 5. §. 17. num. 4. pag. 418

Officium cambiendi.

Huiuſmodi Officium à Republica inſtitutum, cum onere cambiendi non eſt illicitum. C. 5. c. 2. D. 1. §. 11. num. 3. pag. 231
Empto illo poteſt aliquid moderatum exigi ſupra pretium cambij. Ibid. num. 4. pag. 230

P

Pecunia.

Pecunia, ſi non natura, ſaltem arte poteſt eſſe fructifera. C. 5. P. 2. num. 3. pag. 5
Ex ſecundaria inſtitutione poteſt computari, vt res permutabilis. Ibid. num. 6. pag. 5
Valor pecuniæ duplex, alter legalis, alter naturalis. C. 5. P. 3. num. 3. pag. 6
Valor naturalis deſumitur à bonitate rei, à commoditate ad vſus, à facilitate. Ibid.
Pecunia maioris valoris intrinſeci poteſt cum lucro permutari cum pecunia inferioris valoris intrinſeci licet æqualis valoris extrinſeci. C. 5. c. 1. P. 3. num. 4. pag. 6
Idem habetur. C. 5. c 1. §. 4. num. 11.
Pecunia purior eſt magis apta ad viliores vſus. Ibid.
Pecunia aurea in contractibus emptionis, & venditionis non poteſt expendi quoad valorem legalem ſupra argenteam. C. 5. c. 1. P. 4. num. 5. pag. 13
Poteſt pecunia purior etiam in emptione expendi ſupra valorem legalem, ſi interueniat alius contractus permutationis virtualis, & quomodo. Ibid. num. 6. pag. 14
Etiam in ſolutione debiti poteſt expendi ſupra valorem legalem. Ibid. num. 7. pag. 14
Non extante mutuo conſenſu in illo contractu virtuali permutationis non poteſt cogi venditor ad accipiendam pecuniam ſupra valorem legalem. Ibid.
Regularitèr interuenit ille contractus virtualis, ſi venditor non diſſentiat. Ibid.
Poteſt licitè in cambijs commutari moneta omnino pura, cum impura, quando vtriuſque eſt idem valor legalis ſine compenſatione. Ibid. num. 10. pag. 15
Ex communi praxi pecuniæ permutantur adinuicem ſecundum valorem legalem. Ibid.
Etiam, quando ſunt diuerſi ponderis. Ibid.
Ex pecunia eiuſdem campſoris ex diuerſa negotiatione poteſt fieri ſolutio primi cambij. C. 5. c. 3. P. 12. num. 4. pag. 458
Ex pecunia numerata campſuarij, & debita campſori poteſt conſtitui recambium, & quomodo. Ibid. num. 6. pag. 458
An ex pecunia campſoris, ſeu ex credito eiuſdem ex eadem negotiatione poſſit conſtitui recambium auctor nihil ſtatuit. C. 5. c. 3. P. 12. num. 14. pag. 461

Permutatio, permutans.

Permutatio ex genere ſuo importat translationem dominij rei permutatæ. C. 5. P. 1. n. 2. pag. 2
In permutatione per traditionem pecuniæ ex vna parte transfertur eiuſdem dominium, etiam ante traditionem factam ex altera parte. Ibid. num. 4. pag. 2
In permutatione pecuniæ purioris materiæ cum alia materiæ non ità puræ, quamuis valor vtriuſque ſit æqualis, poteſt dominus pecuniæ purioris lucrum exigere. C. 5. c. 1. P. 4. n. 2. pag. 11
Permutatio quid ſit, vt eſt quædam ſpecies contractus. C. 6. P. 1. num. 1. pag. 569
Permutatio quomodo conueniat, & diferat ab emptione, & venditione. Ibid. n. 3. pag. 570
Quomodo conueniat, & diferat à cambijs. Ibid. num. 4. pag. 570
Permutatio, vel poteſt fieri in genere pro genere, vel in genere pro ſpecie, vel in ſpecie pro ſpecie. C. 6. P. 2. num. 1. pag. 570
Cum datur genus pro genere, vel genus pro ſpecie non eſt contractus nominatus. Ibid. num. 2. pag. 571
Permutatio regularitèr reducitur ad contractum *Do vt des*. Ibid. num. 3. pag. 571
Permutatio completa per traditionem ex vna parte gignit actionem ciuilem in fauorem eius, qui compleuit. Ibid. n. 4. pag. 572
Permutatio, qua datur ſpecies certa pro altera certa non eſt proprie contractus nominatus. Ibid. num. 5. pag. 572
Permutatio ſpeciei pro ſpecie eſt proprie contractus, generis verò pro ſpecie, non niſi inchoatiuè. Ibid. num. 6. pag. 573
Aſſignatur cauſa finalis permutationis. C. 6. P. 3. num. 1. pag. 574
Cauſa efficiens eiuſdem ſunt ipſi permutantes. Ibid. num. 2. pag. 574
Quinam poſſint permutare. Ibid.
Cauſa materialis permutationis ſunt omnes res ven-

Digitized by Google

vendibiles, & alienabiles. Ibid. n. 3. pag. 574
Res aliena permutari nequit. Ibid. n. 4, pag. 574
Permutatio non deſinit eſſe talis ſaltem pro parte ex eo, quod pro re maioris valoris detur alia res ſimul cum pretio aliquo. Ibid. num. 5. pag. 575
Permutatio propriè non eſt, quando facta fuit conuentio de traditione rei pro pretio, & deinde loco pretij ſubrogata pro parte res, & pro parte pretium, ſed eſt æquiualenter duplex emptio, & venditio num. 5. pag. 575
Permutatio ſubſiſtit, quamuis tradantur duę res ex vtraq; parte æſtimatæ. Ibid. n. 6. pag. 575
Permutatio proprietatis cum vſufructu, & vſufructus cum vſufructo non eſt propriè permutatio. Ibid. num. 7. pag. 576
Permutatio in odioſis non comprehenditur, ſub nomine emptionis, & venditionis. C. 6. P. 4. num. 2. pag. 577
In permutatione propter læſionem vltra dimidium conceditur beneficium *l. 2. C. de reſcind. vend.* C. 6. P. 5. num. 2. pag. 578
Permutans ſcienter rem vitioſam quoad ſubſtantiam tenetur actione redhibitoria, quoad qualitatem verò actione quanto minoris. Ibid. num. 4. pag. 579
Permutatio completur per traditionem, incohatur per pacta, firmatur per ſtipulationem. C. 6. P. 6. num. 1. pag. 579
In permutatione conceditur primariò actio præſcriptis verbis ad complementum contractus, quando completus non eſt ex vna parte, & alter vult adimplere. Ibid. num. 4. pag. 580
In ijs caſibus, in quibus vnus ex permutantibus non poteſt adimplere promiſſum, datur actio alteri ad quantum intereſt. Ibid. n. 5. pag. 581
Si ille, qui non adimpleuit, non eſt impotens, & ſit in mora, & animo deliberato non adimplendi, datur actio ei, qui adimpleuit, vel ad quantum intereſt, vel ad complementum. Ibid. num. 6. pag. 581
In cotractu permutationis conceditur condictio ob cauſam, quando ille, qui contraxit non compleuit per traditione conuenta, dum alter perfectè compleuit. Ibid. num 7. pag. 581
In contractu permutationis condictio ob cauſam non ſolum eſt ad rem traditam, ſed etiam ad fructus, & acceſſiones. Ibid. n. 9. pag. 582
Conceditur etiam in permutatione euictio. Ibid. num. 11. pag. 583
Et actio redhibitoria, ſi tradita fuerit res vitioſa quoad ſubſtantiam. Ibid. n. 12. pag. 583
Item actio ex dolo. Ibid. num. 15. pag. 584
Et interdictum vti poſſidetis. Ibid. n 16. pag. 584
Permutans rem vitioſam quoad ſubſtantiam cum ſcientia vitij tenetur actione redhibitoria. C. 5. D. 1. ſ. 1. num. 3. pag. 594
Permutans cum ſcientia defectus pertinentis ad quantitatem non tenetur, niſi actione quanto minoris, dummodo non fuerit læſio vltra dimidium. Ibid. num. 4. pag. 594
Permutans cum ignorantia vitij in re latentis non peccat, tenetur tamen ad compenſationem quoad vitium. Ibid. n. 5. pag. 594
Permutans rem vitioſam, ſi vitium fuerit leue, & pertinens ad qualitatem non tenetur, niſi ad actionem, quanto minoris Ibid. n. 6. p. 595
Permutatio propriè non eſt, qua aliquid do, vt facias, vel facio, vt des. C. 6. D. 1. ſ. 2. n. 3. p. 595
Permutari poteſt res futura, ſi ſit in ſpe proxima cum præſenti. C. 6. D. 1. ſ. 3. n. 5. pag. 598
Secus, ſi ſit futura ſub ſpe remota. Ib. n. 4. p. 597
Res futura cum futura poteſt obligari per nuda pacta. Ibid. num. 7. pag. 598
Permutatio completa per traditionem ex vtraq; parte poteſt reſcindi ante confectionem ſcripturæ, ſi ſcriptura ex partium conuentione ſit requiſita tanquam complementum. C. 6. D. 1. ſ. 4. num. 2. pag. 599
Secus, ſi ſcriptura fuerit requiſita ſolummodo ad probationem. Ibid. num. 3. pag. 600
In permutatione, quando debetur Gabella, non prius hæc debetur, quam ex vtraq; parte ſit completa permutatio. C. 6. D. 1. ſ. 5. n. 2. pag. 601
Permutationes beneficiorum. Vide verb. *Beneficium*.
Permutatio decimarum, quæ ex certis poſſeſſionibus exiguntur, poteſt fieri cum ipſis poſſeſſionibus. C. 6. D. 1. ſ. 24. num. 2. pag. 628

Permutatio rerum Eccleſiaſticarum, & Beneficiorum.

Diuiſio rerum Eccleſiaſticarum in duas ſpecies. C. 6. P. 7. num. 1. pag. 585
Res Eccleſiaſticæ temporales mobiles, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, poſſunt permutari. Ibid. num. 2. pag. 585
Res Eccleſiaſticæ temporales immobiles, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, permutari non poſſunt cum purè ſæcularibus, niſi interuenientibus cauſis, & ſolemnitatibus. Ibid. num. 3. pag. 585
In quo conſiſtant cauſæ, & ſolemnitates. Ibid. num. 4. pag. 586
Res temporales Eccleſiæ immobiles vtiq; ſunt permutabiles cum alijs rebus immobilibus temporalibus Eccleſiæ ſine aſſenſu Papæ. Ibid. num. 5. pag. 586
Res ſpirituales Eccleſiæ non poſſunt permutari cum temporalibus ſiue temporalibus, ſiue Eccleſiaſticis. Ibid. num. 7. pag. 587
Res ſpirituales Eccleſiaſticæ poſſunt adinuicem permutari. Ibid. num. 8. pag. 588
Prærequiritur tamen Epiſcopi auctoritas. Ibid. num. 9. pag. 588

Princeps.

Si prohibeat certis perſonis exercitium cambiendi, & per iſtas exerceatur non peccant lethaliter, nec tenentur ad reſtitutionem vtilitatis perceptæ. C. 5. c. 1. P. 3. n. 6. pag. 8
Si prohibeat ſub clauſula irritante exercens non peccat, nec in foro interno tenetur ad reſtitutionem, bene tamen in externo. Ibid.
Princeps taxat valorem pecuniarum. C. 5. c. 1. P. 4. num. 2. pag. 14
Princeps conſtituens valorem legalem pecunijs non minuit earum valorem naturalem. Ibid. num. 11. pag. 18

Probatio.

Probatio moræ concludenter requiritur ad exigendum intereſſe propter eandem in foro externo. C. 5. c. 2. P. 18. num. 3. pag. 166
Probatio ad exigendum intereſſe non ſolum debet eſſe de mora, ſed etiam de proxima occaſione implicandi pecuniam in negotiatione. Ibid. num. 6. pag. 167
Probatio valet à coniecturis, & à communiter accidentibus. Ibid.
In cambijs de nundinis ad nundinas ſufficienter probatur quantitas intereſſe ex quantitate lucri, quod in eiſdem exigitur. Ib. n. 7. p. 169
In cambijs verò non nundinalibus probatur ex quantitate, quæ ex vſu fori in ſimilibus percipitur. Ibid. num. 8. pag. 169

Digitized by Google

Si quis accepit alias pecunias ad damnum euitandum debet concludenter probare ſe in eam cauſam accepiſſe. Ibid.
Ad probandum cambia, & recambia fuiſſe inita non ſufficit exhibitio literarum miſſarum, & remiſſarum. C. 5. c. 2. D. 1. § 18. n. 8. pag. 251
Per detentionem literarum ſine contradictione præſumitur acceptatio earundem. C. 5. c. 2. D. 4. § 11. num. 2. pag. 367
Ad hoc tamen requiritur, vt literæ fuerint detentæ per aliquod temporis ſpacium. Ibid. num. 3. pag. 367
Si literæ per eum, cui ſunt directæ, producantur in iudicio, habetur ſufficiens probatio acceptationis. Ibid. num. 4. pag. 368
Probationes inter vxorem, & virum ſuper impotentia viri ſecuta ſententia ſubſiſtunt etiam contra tertium poſſeſſorem bonorum viri. C. 5. c. 3. D. 2. § 14. num. 2. pag. 561

Procurator.

Diſcrimina inter Procuratorem, & nuntium. C. 5. c. 2. D. 2. § 8. num. 2. pag. 276
Acta coram Procuratore reuocato valent, ſi non conſtet de reuocatione. C. 5. c. 2. D. 4. § 19. num. 3. pag. 385

Promiſſio.

Promiſſio publici campſoris, vel mercatoris habet vim ſolutionis. C. 5. c. 1. D. 1. § 24. n. 2. pag. 91
Promiſſio ſoluẽdi pro cambio tot Phylippos ad rationem tot ſolidorum obligat ad enuntiatos ſolidos, ſi Phylippi ante ſolutionem in valore decreuerint. C. 5. c. 2. D. 3. § 3. n. 2. pag. 311

Proteſtus, proteſtatio.

Reſpondente non acceptante literas cambij vtendum eſt remedio proteſtationis. C. 5. c. 1. D. 1. § 25. num. 2. pag. 92
Proteſtatio facienda eſt intra viginta dies à die ſolutionis faciendæ. Ibid. num. 3. pag. 92
Poteſt fieri proteſtatio etiam à Procuratore cum ſufficienti mandato, & ab adiecto ſolutioni. Ibid.
Aſſignantur modi, & cauſæ, ob quas contingere poſſunt proteſtationes. C. 5. c. 2. D. 15. n. 1. pag. 145
Numerantur effectus, quos parit proteſtatio. Ibid. num. 4. pag. 146
Proteſtatio requiritur ad procedendum executione. Ibid. num. 5. pag. 146
Facta proteſtatione poteſt agere creditor non ſolum ad primum, ſed etiam ad ſecundum intereſſe. Ibid. num. 5 pag. 146
Extende etiam ad intereſſe de intereſſe. Ibid. num. 5. pag. 146
Proteſtatio ita neceſſaria eſt, vt, ſi illam creditor non adhibeat, amittat ius ad lucrum, & ad intereſſe vſq; ad integram ſolutionem. Ibid. num. 14. pag. 150
Non eſt idem literas redire cum proteſtatione, & redire inanes, & aſſignantur diſcrimina. Ibid. num. 15. pag. 151
Non poſſunt literæ redire cum proteſtatione, quando alter à mandatario illas acceptat, & ſoluit. Ibid. num. 16. pag. 151
Mandatario creditoris non proteſtante damnum infertur ipſi Mandatario. Ib. n. 17. p. 151
Formula proteſtationum, quæ fiunt in uundinis, Ibid. num. 18. pag. 152
Quid ſit præſtandum poſita illa proteſtatione. Ibid. num. 19. pag. 152
Formula proteſtationum extra nundinas. Ibid. num. 20. pag. 152
Formula proteſtationum in cambijs *con la ricorſa*. Ibid. num. 21. pag. 152
Poſita præciſè negatione acceptationis literarum poteſt creditor proteſtari. Ib. n. 22. p. 153
Pro executione literarum redeuntium cum proteſtatione in diuerſis locis diuerſa ſeruantur, & quomodo. Ibid. num. 23. pag. 153
Quid ſit ſoluere literas ſuper proteſtu. Ibid. num. 24. pag. 153
Soluens literas ſuper proteſtu iuſtè acquirit actionem vtilem negotiorum geſtorum reſpectu eius in cuius honorem ſoluit. Ibid. num. 26. pag. 154
Soluenti ſuper proteſtu non competit actio mandati. Ibid. num. 28. pag. 155
Recuſante mandatario ſoluere literas poteſt alius quicunque ſoluere ſuper proteſtu. Ibid. num. 30. pag. 156
Vt literæ habeantur acceptatæ ſuper proteſtu non ſufficit, quod in dorſo ipſarum ſcribatur *accettate ſotto proteſto*, ſed requiritur, quod proteſtatio fiat in authentica forma. Ibid. num. 32. pag. 157
Acceptans literas ſuper proteſtu debet ſibi prouidere pro tracta pro eodem loco, vnde proceſſit. Ibid. num. 33. pag. 158
Soluens ſuper proteſtu obligatum retinet eum, qui literas dedit, non eum, cui ſoluit. Ibid. num. 35. pag. 158

Prouiſio.

Prouiſio poteſt iuſtè, & licitè exigi à reſpondentibus campſoris. C. 5. c. 1. D. 1. § 5. n. 2. p. 50
Prouiſio etiam poteſt exigi per campſorem à campſuario ex aliquo fine, & quonam. Ibid. num. 3. pag. 51
In ordine ad diuerſa munera prouiſio poteſt eſſe diuerſa, & quomodo. Ibid. num. 5.
Prouiſio inter mercatores ex immemorabili conſuetudine eſt tertiæ partis ſcuti pro ſingulis centum. Ibid.
Prouiſio duplex ex eodem cambio poteſt quandoque exigi, & quomodo. C. 5. c. 1. D. 1. § 6. num. 2. pag. 52
Quis reſpectu diuerſarum perſonarum exequendo idem negotium in cambijs poteſt duplicem exigere prouiſionem. C. 5. c. 1. D. 1. § 7. num. 2. pag. 55
Poteſt item duplex exigi prouiſio, quando per creditum aduerſus vnum ſoluitur debitum aduerſus alterum ex eadem remiſſa. C. 5. c. 1. D. 1. § 8. num. 2. pag. 56
Prouiſio ſine labe iniuſtitiæ æqualis ſumi poteſt in recambijs, & continuationibus, quæ exigi ſolet in cambijs ſimplicibus. C. 5. c. 1. D. 1. § 9. num. 3. pag. 58
Ad exigendam hanc prouiſionem ſaltem in foro externo ſunt neceſſariæ ſcriptiones, & girationes. Ibid. num. 4.
Prouiſiones integrè poſſunt exigi etiam admiſſis fideiuſſoribus, & pignoribus. C. 5. c. 1. D. 1. § 10. num. 3. pag. 60
Prouiſiones poſſunt adijci cambio, vt augeatur. C. 5. c. 1. D. 1. § 11. num 3. pag. 60
Tunc non ſumuntur prouiſiones, vt tales, ſed vt pecunia acquiſita medijs prouiſionibus. Ib.
Prouiſiones, qua tales ſunt ex eo præciſè, quod fuerint dilatæ non tribuunt ius ſecundum ſe ad intereſſe. C. 5. c. 1. D. 1. § 12. n. 3. pag. 63
Si campſor fuerit inuitus ad ſolutionem dilatam prouiſionum, & damnum aliquod emerſerit, vel lucrum ceſſarit poteſt iuſtè exigere intereſſe correſpondens tali damno, vel lucro. Ibid.

Digitized by Google

Ibid. num. 4. pag. 63
Etiam, ſi nulla de damno, vel lucro facta fuerit conuentio, Ibid.
Prouiſiones non debentur indiferenter æquales pro omni cambio. C. 5. c. 1. D. 1. ſ. 15. n. 2. pag. 67
Datis literis ad reſpondentem campſoris, eiſdemq; remiſſis inanibus ob decoctionem eiuſdem reſpondentis. C. 5. c. 1. D. 1. ſ. 20. n. 7. pag. 85

Proxeneta.

Refertur praxis mercatorum Genuenſium contrahendi per vnum, & eundem Proxenetam, C. 5. c. 2. D. 2. ſ. 10. n. 1. pag. 283
Suppoſitis debitis conditionibus requiſitis ad naturam cambij contractus per proxenetam initus ſubſiſtit, & tunc perficitur quando poſito contrahentium conſenſu proxeneta dicit *Reſta firmato*. Ibid. nu. 3. pag. 284
Munera, & onera Proxenetarum, C. 5. c. 3. P. 5 nu. 1. pag. 435
Quantum ſit emolumentum proxenetarum. Ibid. num. 2. pag. 435
Si proxenetæ ſcienter cooperati fuerint contractui ſecundum ſe illicito, & vſurario læthaliter peccarunt, & tenentur ad reſtitutionem. Ibid. n. 3. pag. 435
Non obligantur tamen ad reſtitutionem principaliter, ſed tantum in ſubſidium. Ibid.
Si cooperati fuerunt bona fide ignorantes prauitatem contractus ad nihilum tenentur. Ibid. n. 4.
Proxenetarum liber non ſufficienter probat in ijs, quæ pertinent ad eorum fauorem, niſi ad ſummum indirectè. C. 5. c. 3. D. 2. ſ. 6. num. 2. pag. 550
Liber Proxenetæ à publico deputati, ſi fuerit benè confectus, ſufficienter probat in aliorum fauorem. Ibid. n. 3. pag. 550
Ad hoc vt talis liber ſufficienter probet, debet eſſe ritè confectus, & quomodò. Ibid. nu. 4. pag. 551

R

Recambium.

Refertur quædam praxis mercatorum cambientium cum Rege Hiſpaniarum pro Mediolano. C. 5. c. 1. P. 7. n. 2. pag. 32
Hæc praxis reprobatur. Ibid. n. 3. pag. 33
Cambium reale per literas cum recambio, quo literæ mittuntur Romam, vndè ſuum conſecutæ effectum mittuntur Neapolim, quibus Romæ pecunia recambitur non eſt illicitum. Ibid. n. 4. pag. 33
Non poteſt per reſpondentem campſoris conſtitui recambium ex ſolo credito eiuſdem campſoris ex primo cambio ſecundum Lugum. C. 5. c. 2. P. 10. n. 2. pag. 130
Rationes pro eodem Lugo. Ibid.
Non poteſt fieri recambium, ſine obligatione eius, ad quem dirigitur tracta. C. 5. c. 2. D. 2. ſ. 7. n. 3. pag. 273
Nulla eſt repugnantia, quin per eoſdem nuntios cum ſufficienti mandato, poſſit etiam recambium licitè, & validè celebrari. C. 5. c. 2. D. 2. ſ. 8. n. 5. pag. 279
In hypotheſi celebrationis cambij, & recambij per nuntios de mandato dominorum, Domini ipſi obligarentur ex cambio. Ibid. n. 6. pag. 282

Receptio.

Receptio literarum facta per ſtipulatorem non inducit aliam obligationem præter illas, quæ proueniunt ex ipſa natura contractus. C. 5. c. 2. P. 20. n. 1. pag. 177
Receptio literarum facta per eum, cui dirigitur tracta, & remiſſa, non inducit actualem ſolutionem, nec vllam obligationem excepto mandato, & actione negotiorum geſtorum. Ibid. n. 2. pag. 180
Receptio literarum inducit compenſationem, ſi recipiens ante receptionem erat creditor ex cauſa præcedenti, etiam ſi ſpectatio remiſſæ non ſolum ſit ratione proprietatis, ſed etiam ratione ſolius curæ. Ibid. n. 9. pag. 180
Si vero recipiens tractæ erat debitor ante receptionem, fit etiam compenſatio in caſu tamen ſolum, quod remiſſa ſpectat ad ipſum ratione proprietatis. Ibid.
Recipiens literas remiſſæ obligatur ratione mandati tàm datori, quàm ſtipulatori. Ibid. n. 6. pag. 178

Remiſſa.

Quid veniat nomine remiſſæ. C. 15. c. 2. P. 13. n. 10. pag. 140

Reſpondens.

Reſpondens campſoris poteſt etiam fieri reſpondens campſuarij, & quomodo. C. 5. c. 2. P. 4. num. 3. pag. 113
Reſpondens campſoris poteſt licitè etiam reſpondere pro campſario. C. 5. c. 2. P. 5. num 5. pag. 118
Etiam ſi reſpondens campſoris ſit ipſius famulus, ſeu ſocius in negotiatione. Ibid. nu. 10. pag. 120
Sententia aſſerens, quod ſi reſpondens campſoris, & campſuarij ſibi ipſi ſoluat, & remittat literas ad campſuarium quaſi nouum cambium celebrando, hoc ſecundum habeat eaſdem prælationes, quas habebat primum. C. 5. c. 2. P. 6. num. 2. pag. 121
Re tamen vera non habet eaſdem prælationes. Ibid. num. 3. pag. 122
Reſpondens campſoris poteſt validè extinguere cambium initum per campſarium cum eodem per creditum, quod non habet in loco ſolutionis, ſed alibi. C. 5. c. 2. P. 9. n. 2. p. 128
Reſpondens campſoris transferendo creditum alibi exigibile in campſarium validè contrahit ad effectum extinguendi primum. Ibid. num. 3. pag. 129
Reſpondens campſoris non poteſt ex credito, quod campſor acquiſiuit ex cābio inito cum campſario ſecundum Lugum extinguere idē cambium. C. 5. c. 2. P. 10. num. 2. pag. 130
Reſpondens campſoris, qui recepit pecuniam vi primarum literarum liberatur per nouas literas, quas remittit. C. 5. c. 2. P. 13. n. 6. p. 139

S

Scartafacium.

Scartafacia mercatorum quænam ſint. C. 5. c. 3. D. 2. ſ. 5. num. 1. pag. 548
Scartafacio, quo tale præciſè eſt, non adhibetur fides. Ibid. num. 2. pag. 548
Niſi accedant adminicula, & quomodò. Ibid. num. 3. pag. 549
Scartafacia ſecundum ſe nullam habent inducere obligationem, nec nouationem. Ibid. num. 4. pag. 549
Scartafacia in fauorem alicuius ſcripta poſſunt reuo-

Digitized by Google

reuocari, ſi ille, in cuius fauorem ſcripta ſunt, erat abſens, nec acceptauit promiſſionem. Ibid. num. 5. pag. 549
Scartafacia mercatorum quoad ſcripta in ipſis de mandato alicuius in fauorem alterius, qui erat abſens, nec ſciuit, ſunt mutabilia à ſcribente, nec ſatis probant contra ſcribentem ad finem ipſum obligandi. Ibid. n. 6. pag. 549
Scartafacia etiam ſunt reuocabilia, quamuis ille, in cuius fauorem ſcripta ſunt, ſciuerit, & acceptauerit. Ibid. num. 7. pag. 550

Scriptura.

Scriptura non eſt de eſſentia contractus cambialis. C. 5. c. 2. P. 8. num. 3. pag. 126
Scriptura regulariter requiritur in cambijs ad probationem, & celarem contractus executionem. C. 5. c. 2. P. 12. num. 1. pag. 144
Primum exemplar inſtrumenti contractus cambialis. Ibid. num. 3. pag. 134
Secundum exemplar ſimilis inſtrumenti. Ibid. num. 4. pag. 135
Apodiſſa quid ſit, & quænam eius exemplaria. Vide verb. Apodiſſa.
Scriptura cambij per literas. Vide verb. Literæ.
Scriptura inter mercatores habetur publica, & authentica. C. 5. c. 2. D. 3. §. 5. n. 4. pag. 315
Scriptura priuata ex conuentione partium poteſt habere annexam hypothecam. C. 5. c. 2. D. 3. §. 7. num. 4. pag. 322

Scutus.

Quid veniat nomine ſcuti. C. 5. c. 2. P. 13. nu. 5. pag. 138
Quot ſolidi conſtituant ſcutum. Ibid.
Praxis mercatorum Genuenſium quoad valorem ſcuti aurei. Ibid. num. 11. pag. 140

Simonia.

Quæcunque pactio de aliquo temporali conferendo pro collatione beneficij inuoluit ſimoniam. C. 5. P. 8. num. 1. pag. 590
Quæcunque pactio de temporalibus circa ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa eſt ſimoniaca. Ibid. num. 3. pag. 590

Solidus.

Quid veniat nomine ſolidi. C. 5. c. 2. P. 13. n. 5. pag. 138
Explicantur variæ acceptiones ſolidi aurei, & ænei. Ibid. num. 6. pag. 138

Solutio.

Solutio facta procuratori reuocato nocet creditori, ſi non intimauerit reuocationem. C. 5. c. 2. D. 4. §. 19. num. 2. pag. 385
Solutio facta Procuratori effecto malæ conditionis, & proximo decoctioni non liberet ipſum ſoluentem. C. 5. c. 2. D. 4 §. 20. num. 3. pag. 386
Solutio facta per mandatarium tertiæ perſonæ, quæ ſe ſimulauit commiſſarium ad recipiendum, non liberat debitorem à debito reſpectu creditoris. C. 5. c. 2. D. 5. §. 2. n. 2. pag. 392

Stipulatio.

Stipulatio copulatiua pro ſe, & pro adiecto, ſi ſit vtilis quoad ſtipulatorem pro ſe ipſo non vitiatur per inutilem conceptam in perſona adiecti, ſed valida eſt pro parte ſtipulatoris, inualida pro adiecto. C. 5. c. 2. D. 5. §. 8. n. 2. pag. 402

T

Tempus.

TEmpus ſolutionis in cambijs celebratis in nundinis pro aliqua Ciuitate debet eſſe, iuxta quod ſtatuunt capitula talium nundinarum. C. 5. c. 2. P. 17. n. 1. pag. 161
Vbi capitula nil ſtatuunt attendenda eſt vicinitas, & longinquitas loci. Ibid.
Tempora definita ad ſolutionem per capitula nundinarum Genuenſium ad diuerſa loca. Ibid. n. 2. pag. 161
Tempus quoad cambia in nundinis pro ſolutione, vel eſt principium, vel medium, vel finis earundem iuxta capitula ipſarum, regulariter tamen eſt finis earundem. Ibid. nu. 3. pag. 161
Tempus ſolutionis cambiorum in nundinis tàm quoad bancherios, quàm quoad alios non exercentes tale munus. Ibid. n. 4. pag. 162
In cambijs non nundinarijs quoad tempus ſolutionis attendenda ſunt verba, quibus literæ concipiuntur. Ibid. n. 5. pag. 162
Aſſignantur varij modi, quibus literæ concipiuntur quoad tempus ſolutionis. Ibid. nu. 6. pag. 162
Quando dicitur *à lettera viſta*, ſtatim ponenda eſt ſolutio, quamuis in rigore admittat extenſionem ad triduum. Ibid. n. 7. pag. 162
Quando dicitur *ad vſo* ſolutio facienda eſt iuxta praxim Ibid. n. 8. pag. 163
Capitula Bononenſia quoad huiuſmodi tempus ſolutionis. Ibid. n. 9. pag. 163
Quando dicitur *à piacere del tale*, ad eius arbitrium ſolutio facienda eſt. Ibid. n. 10. pag. 163

Tracta.

Quid veniat nomine tractæ. C. 5. c. 2. P. 13. n. 10. pag. 140
Reflectens tractam ſe habet per modum promiſſoris. C. 5. c. 2. D. 2. §. 6. n. 3. pag 272
Tracta, & remiſſa poteſt fieri ad eundem agentem campſoris. C. 5. c. 3. P. 12. nu. 3. pag. 458

Traiectio.

Traiectio virtualis pecuniæ iuſtificat lucrum in cambio locali. C. 5. c. 2. P. 1. n. 5. pag. 96
In onere virtualis traiectionis interuenit locatio operarum. Ibid. n. 7. pag. 97
Lucrum virtualis traiectionis poteſt exigi quantumuis valor legalis pecuniæ ſit inæqualis, & quomodo. C. 5. c. 2. P. 1. n. 14. pag. 104

V

Valor.

VAlor legalis non minuit, nec tollit valorem rei intrinſecum, & naturalem. C. 5. c. 1. P. 4. n. 2. pag. 11
Quandoque ex difficultate exitus rei minuitur valor legalis eiuſdem. C. 5. P. 4. n. 11. pag. 16
Ex primario vſu deſumitur præcipuè valor pecuniarum. Ibid. pag. 17
Valor naturalis monetæ non minuitur per valorem legalem taxatum à Principe. Ibidem pag. 18
Traditis nummis argenteis in vno loco cum onere, vt alibi reſtituantur in eadem ſpecie, ſi interim decreſcant, reſtituendi ſunt ſecundum valorem, quem prius habebant in loco, quo ſunt reſtituendi, ſi decreuerint dumtaxat in loco, in quo literæ fuerunt datæ, & ab eodem remiſſæ inanes. C. 5. c. 1. D. 1. §. 20. num. 4. pag. 84
Secus, ſi decreuerint in vtroque loco. Ibid.
Non eſt idem valor legalis pecuniæ minutæ in loco, vbi nummus aureus pluris æſtimatur, ac vbi minoris. C. 5. c. 2. P. 1. num. 12. pag. 101

In

Digitized by Google

In ſuppoſitione, quod valor legalis pecuniæ aureæ ſecundum ſe ſit diuerſus in diuerſis locis, compenſatio facienda eſt pro exceſſu. Ibid. nu. 13. pag. 101
Data inæqualitate valoris legalis pecuniæ in loco ſolutionis, & in loco reſtitutionis poteſt adhuc campſor exigere lucrum virtualis traiectionis, ſi inæqualitas ſit ſolummodo materialis, & in numero, ſecus ſi ſit formalis, & in valore. Ibid. n. 14. pag. 104
Aſſignantur quatuor cauſæ extrinſecæ variantes rerum valorem. C. 5. c. 2. P. 1. n. 21. pag. 107
Valor ſcuti marchæ non conſiſtit in indiuiſibili. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 12. num. 3. pag. 232
Si valor monetarum creuerit poſt tempus aſſignatum ad ſolutionem, & debitor fuerit moroſus intelligitur creuiſſe in fauorem creditoris. C. 5. c. 2. D. 3. ſ. 2. n. 2. pag. 310
Intellige tam quoad intereſſe intrinſecum damni emergentis, quam quoad extrinſecum lucri ceſſantis. Ibid. num. 3.
Facta promiſſione de ſoluendis pro cambio tot Phylippis ad rationem tot ſolidorum pro vno quoque ſoluendi ſunt ad enunciatam quantitatem, quantumuis poſtea in valore decreuerint. C. 5. c. 2. D. 3. ſ. 3. num. 2. pag. 311
Variato valore monetarum ex decreto Principis in aliquo regno, vno tantum exiſtente in alia prouincia ſciente talem variationem cæteris ibi ignorantibus non eſt licitum cambire pro tali loco ad valorem monetarum, quem ante variationem habebant. C. 5. c. 2. D. 3. ſ. 21. num. 3. pag. 350
Attendendus eſt valor ſecundum taxationem Principis in loco promulgatam. Ibid. num. 5
In reſolutione contractus ſtandum eſt legibus loci ſolutionis. Ibid. num. 6.

Viadatio.

Viadatio quid ſit, & quomodò concurrat. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 13. num. 3. pag. 234

Vſura.

Non eſt vſura, ſi quis indigens pecunia alibi eandem hic ſoluat, vt inueniat alterum, qui indigeat in alio loco, vt cum incremento eam ſoluat in loco, vbi ipſi indiget. C. 5. c. 2. P. 2. nu. 6. pag. 110
Vſuraria eſt conuentio, qua campſor prius recipiens pecuniam aliquid recipit ſupra id, quod exigit cambium ob ſolam temporis dilationem. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 1. n. 3. pag. 207
Committit vſuram campſarius, qui obligat campſorem ad traijciendam pecuniam ſine ſtipendio. Ibid. n. 4. pag. 206
Vſuraria eſt conuentio, qua ex vi præciſa dilationis in ſoluendo vltra tempus præſcriptum obligatur debitor cambij ad ſoluendum lucrum recambij non celebrati. C. 5. c. 2. D. 1. ſ. 2. n. 3. pag. 208
Vſuraria item eſt conuentio, qua ex vi dilationis in ſoluendo obligatur debitor ad nouum cambium ineundum cum onere noui ſtipendij. Ibid. n. 4. pag. 208
Non eſt vſuraria conuentio, qua creditor obligat debitorem non reſtituentem conuento tempore in loco deſtinato ad reſtituendam ſortem poſt alios tres menſes cum lucro recambij ob lucrum ceſſans. Ibid. n. 6. pag. 210

Vxor.

Vergente marito in decoctionem poteſt vxor docendo de ſua hypotheca anteriori impedire executionem literarum cambij aduerſus eundem maritum. C. 5. c. 3. D. 2. ſ. 13. nu. 2. pag. 559
Si bona dotalia fuerint ſub ſpeciali hypotheca agente creditore ad alia bona ab hypotheca tis non poteſt impedire vxor talem executionem. Ibid. n. 3. pag. 560
Agente vero creditore ad bona hypothecata pro dote docendo de anterioritate poteſt vxor impedire. Ibid.
Si bona dotalia fuerint ſub generali hypotheca, & periculum ſit decoctionis eo nundum probato poteſt impedire vxor executionem. Ibid. n. 4. pag. 560
Tenetur tamen ipſo creditore petẽte, antequam audiatur, manifeſtare omnia bona ſui viri, vt aſſecurata poſtea ipſius dote poſſit creditor contra alia bona agere. Ibid. n. 5. pag. 560

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google